Digitized by Google

Biblioteca Vittorio Scialoja

BARNABAE BRISSONII JC.

REGII CONSISTORII CONSILIARII, AMPLISSIMIQUE SENATUS PARISIENSIS PRAESIDIS,

OPERA MINORA

VARII ARGUMENTI,

NIMIRUM

ANTIQUITATUM EX JURE CIVILI SELECTARUM LIBRI QUATUOR.

DE SOLUTIONIBUS ET LIBERATIONIBUS LIBRI TRES.

AD LEGEM JULIAM DE ADULTERIIS LIBER SINGULARIS.

COMMENTARIUS AD L. DOMINICO DE SPECTACULIS IN COD. THEOD. ET L. OMNES DIES COD. DE FERIIS.

DE RITU NUPTIARUM LIBER SINGULARIS.

DE JURE CONNUBIORUM LIBER SINGULARIS.

ΠΑΡΕΡΓΩΝ LIBER SINGULARIS.

DE REGIO PERSARUM PRINCIPATU LIBRI TRES.

Quae omnia recenſuit, emendavit,

VARIIS ANNOTATIONIBUS, PRAEFATIONIBUS, ET INDICIBUS INSTRUXIT

ALBERTUS DIETERICUS TREKELL, JC.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud { PHILIPPUM BONK, ET CORNELIUM DE PECKER,

MDCCXLIX

BT.12.E
1251

BARNABAE BRISSONII JC.
ANTIQUITATUM
EX JURE CIVILI
SELECTARUM
LIBRI QUATUOR.

EX RECENSIONE

ET CUM

ANNOTATIONIBUS REPETITAE

PRAELECTIONIS

ALBERTI DIETERICI TREKELL JC.

VIRO
MAGNIFICO
ATQUE
ILLUSTRI
MARTINO LUCAE SCHELE, J. U. D.
REIPUBLICAE HAMBURGENSIS
CONSULI PRIMO
LONGE MERITISSIMO
PATRIAE PATRI
DOMINO ATQUE PATRONO
SUMME VENERANDO

OPERA HAEC BRISSONII
DAT DICAT CONSECRAT
CLIENS DEVOTISSIMUS
ALBERTUS DIETERICUS TREKELL.

VIR MAGNIFICE

ATQUE

ILLUSTRIS

Saepenumero diſputatum fuit, utrum litterarum ſtudia, quae in rerum pulcherrimarum, tam divinarum, quam humanarum, contemplationibus conſiſtunt, civili prudentiae, quae in rebus agendis, & negotiis, cum publicis, tum privatis, adminiſtrandis conſiſtit, praeſtent; an contra haec illis ſit praeferenda; an denique utraeque artes amice ſimul conjungi poſſint, ac debeant. Multi ſane viri doctiſſimi a reipublicae adminiſtratione conſulto abſtinuerunt: multi contra homines indocti ad rempublicam adminiſtrandam admoti ſunt, eamque interdum ob naturalem quandam dexteritatem non infeliciter adminiſtrarunt. Id in cauſa fuit, ut multi exiſtimaverint, ac ſi litterarum ſtudia nihil ad reipublicae ſalutem conferrent, quin etiam homines ad reipublicae adminiſtrationem ineptos redderent. Sed hi vitia hominum illorum, qui ita ſe litteris abdiderunt, ut nihil poſſint ex his neque ad communem afferre utilitatem, neque in adſpectum lucemque proferre, ipſis litterarum ſtudiis attribuerunt; quum exiſtimandum potius ſit, ea, ſi rite tractentur, illis, qui in civitate regenda verſantur, maximo eſſe adjumento; atque adeo eam demum rempublicam eſſe feliciſſimam, in qua aut viri litteris probe inſtructi tenent principatum; aut illi, qui ſummae rei praeſunt, ſedulo litteris ſimul dant operam. Licet enim concedendum ſit, crebrius ad laudem atque virtutem naturam ſine doctrina, quam ſine natura valuiſſe doctrinam, & hinc multos ſaepe homines ſine doctrina, naturae ipſius habitu prope divino, excellenti

animo atque virtute exſtitiſſe, eosque ſumma cum laude in republica adminiſtranda verſatos fuiſſe: illud tamen veriſſimum eſſe, quod CICERO * affirmavit, fatendum quoque eſt, quum ad naturam eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio quaedam confirmatioque doctrinae, tum illud neſcio quid praeclarum ac ſingulare ſolere exiſtere. Sed quid verbis opus eſt, ubi adſunt ipſa rerum documenta. Haec enim, quae literarum ſtudiis impingitur, calumnia nulla meliori ratione confutari poteſt, quam ſi quis ejuſmodi in medium proferat viros, qui non minorem ex ſolida eruditione laudem, quam ex felici reipublicae adminiſtratione honorem conſecuti fuerunt. Quamvis enim paucos admodum omnibus temporibus viros repertos fuiſſe, qui utraque re excellerent, ut & doctrinae ſtudiis, & regenda civitate Principes eſſent, concedimus facile CICERONI †, maximo illi ſine controverſia in utraque arte Romanorum: non defuerunt tamen exempla virorum, qui ita in utraque eminuerunt arte, ut vix definiri poſſit, qua in re majorem praeſtiterint utilitatem. Ut enim de patria noſtra nihil dicam, vel ſola Gallia, felicium ingeniorum feraciſſima, plurium hujuſmodi virorum exempla oſtendere poteſt. Si quis igitur a me exemplum magni alicujus viri, qui in utraque parte maximam conſecutus fuit laudem, requirat, ego nunc BARNABAM BRISSONIUM prae caeteris celebrare non dubitabo, de quo Thuanus, candidus ille Hiſtoricus, (licet in hunc virum aliquando paullo iniquior eſſe videatur) veriſſime teſtatus eſt, eum non modo inter literatos ſcriptis quam plurimis editis, ſed & in republica, ac praecipue in foro, magnum ſibi nomen comparaſſe. Si quis vero quaerat, quid praecipue Briſſonium magnum virum effecerit, & quid eum ad primariam privati hominis dignitatem evexerit? reſponderi rectiſſime poteſt, id eum per

* *In Oratione pro Archia, cap.* VII. † *Lib.* III. *de Legg. cap.* VI.

**

per eruditionem potiſſimum ſuam fuiſſe conſecutum. Non enim rudis; (quamvis mature ad forum & rempublicam acceſſerit) ſed omni literarum genere ab ineunte aetate probe imbutus atque inſtructus rempublicam capeſſivit. Neque ille ſolius generis reſpectu, (licet ſplendida ſatis gente ortus eſſet) vel malis artibus, aut per ſaltum, ut ajunt, primaria in republica officia fuit conſecutus: ſed ob variam inprimis doctrinam, & ob magnam ſuam, qua pollebat, in rebus ſive publicis, ſive privatis agendis, dexteritatem, a Rege Henrico III. ſolertiſſimo ingeniorum aeſtimatore, gradatim ad ſummam in civili republica dignitatem fuit evectus; qui ſaepe quoque de hocce viro gloriari ſolitus fuit, nullum in orbe Chriſtiano principem eſſe, qui haberet, quem Briſſonio ſuo in literarum gloria opponeret. Non enim ille inutilibus, nihilque profuturis ſpeculationibus fuit deditus: ſed divinam praecipue illam juſti injuſtique ſcientiam, ex juſtis ſuis fontibus, divinarum nimirum atque humanarum rerum notitia, hauſtam, familiarem ſibi reddidit, eamque mature, non in nuda ſubſiſtens contemplatione, ad negotia in vita civili obvenientia, non privata tantum, ſed & publica, applicare ſtuduit. Illam enim philoſophiae, & quidem pulcherrimam partem exiſtimavit, agere negotium publicum, cognoſcere, judicare, promere & exercere juſtitiam, quaeque Philoſophi docent, in uſu habere. Hinc non juris Romani, utut per ſe utiliſſimi, cognitione fuit contentus: ſed patrii inprimis juris, ſtatuſque ejus publici, cognitionem ſibi comparavit accuratiorem; quod vel ex eo apparet, quod Rex Henricus III. neminem inter JCtos aptiorem invenerit, cui Galliarum juris novam collectionem demandaret. Tanti igitur viri Opera Minora, omnis generis eruditione aeque ac civili prudentia refertiſſima, ut frequentius in hominum manibus verſentur, nova hac editione efficere volui. Haec vero Opera, ſi TIBI, VIR MAGNIFICE ATQUE ILLUSTRIS, offe-

offeram, ac more majorum conſecrem, quis eſt, qui id jure mirari, aut vituperare poſſet. Praeſes enim Senatus Pariſienſis ad Conſulem Reipublicae Hamburgenſis primum accedit, in quo primarias ſuas deprehendit virtutes. Ut enim ex multis paucas tantum dicam, Tu, Vir Magnifice, perinde ac Briſſonius, mature quidem, ſed non rudis, ad forum & rempublicam; verum omni eruditionis genere, iis praeſertim diſciplinis, quae ad vitam civilem & ad rempublicam cum laude & ad commune commodum adminiſtrandam requiruntur, probe antea praeparatus atque inſtructus acceſſiſti. Deinde perinde quoque, ut ille, gradatim, ſecundum noſtrae civitatis morem, ad ſummam in republica dignitatem fuiſti evectus, idque praecipue ob proprias Tuas virtutes. Licet enim ex ſplendidiſſima gente, quae multos viros optime de republica meritos jam produxit, ortus ſis: in tali tamen vivimus republica, in qua ſemper ad virtutem magis, quam ad majorum dignitatem reſpicitur: & hinc gloriari etiam noſtra ſane civitas ſemper potuit, &, ut ſpero, in poſterum quoque poterit, ejuſmodi civibus, qui civilem prudentiam cum eruditione feliciſſime conjunxerunt: id quod pro maxima utique felicitate eſt habendum. Quum ergo & Tu, Vir Magnifice, in horum numero eſſe ſtuduiſti, non ſecus ac Briſſonius, non inutilibus, nihilque profuturis contemplationibus animum impleviſti: Sed ad eas mature artes mentem applicaſti, quae & privatorum, & univerſae reipublicae ſalutem promovere poſſint. Quantos enim in patrio jure progreſſus feceris, ejus rei jam in Academia ſpecimen edidiſti illuſtre. In eo quoque Briſſonium imitari ſtudes, quod in ſumma dignitate conſtitutus, literarum ſtudia non deſeris, ac contemnis, aut illa infra dignitatem Tuam exiſtimas: ſed quod illa in maximo ſemper habes pretio atque exiſtimatione, omneſque eos, qui literas quocunque modo colunt, illuſtri patrocinio Tuo dignos

aeſtimas. Nonne igitur certiſſima ſpe polliceri mihi poſſum, fore, ut Briſſonium benigna ac hilari fronte excipias, meque, qui tanti viri monumenta integritati ſuae reſtitui, vel illius cauſa facilem concedas acceſſum, immo ſi quid amplius adhuc de ſumma TUA cum illuſtri dignitate conjuncta humanitate promittere mihi fas eſt, in clientum etiam TUORUM numerum benigniſſime recipias. Quod ſi beneficium a TUA, VIR MAGNIFICE, facilitate ac humanitate conſecutus fuero, nunquam ſane meae me operae, Briſſonio impenſae, poenitebit. Interim dum hac me ipſum ſpe recreo, devota mente pro TUA, VIR ILLUSTRIS, ſalute ac incolumitate, quae a communi reipublicae ſalute nunquam poteſt eſſe ſejuncta, jam vota nuncupo ardentiſſima, ſemperque nuncupabo, ut ſummum Numen TE, qui pro reipublicae ſalute quotidie vigilas, ad ſeros uſque annos conſervet, omniaque TUA conſilia, quae pro communi ſalute cum ſanctiſſimo Patrum conſilio ſuſcipis, ad feliciſſimum ſemper exitum perducere velit, TE denique ipſum, cum tota ſplendidiſſima ac florentiſſima TUA FAMILIA omni proſperitatis ac felicitatis genere beet, rebuſque TUIS proſperis & incrementum addat & perpetuitatem. Haec, VIR MAGNIFICE ATQUE ILLUSTRIS, Votorum meorum ſumma eſt; me ipſum vero illuſtri TUO patrocinio demiſſe trado atque commendo, humillime etiam atque etiam rogando, ut pleno TUO favore benigniſſime atque humaniſſime amplecti non dedigneris

Clientem longe devotiſſimum,

A. D. TREKELL.

Scribebam Hamburgi,
Id. Jun. A. C.
MDCCXLVII.

PRAE-

PRAEFATIO EDITORIS

PRIORI EDITIONI PRAEMISSA.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

ALBERTUS DIETERICUS TREKELL.

Ex quo tempore tum litterae illae, quae ab humanitate denominari, tum ſcientiae illae, quae ſub Philoſophiae nomine comprehendi ſolent, ſingulari Dei Optimi Maximi beneficio reſtauratae ſunt, maximum quoque exinde commodum ad Jurisprudentiam redundaſſe, nemini, niſi omnium rerum ignaro, obſcurum eſſe poteſt. Hodiernam enim Jurisprudentiae faciem ſi quis eum priorum ſeculorum barbarie (*a*) paullo attentius modo comparare velit, ei maxima ſtatim differentia in oculos incurret. Non a me exſpectabis, L. B. ut hoc argumentum latius explicem, aut multis utilitatem tum humanarum litterarum, tum Philoſophiae in Jurisprudentia demonſtrem: fecerunt enim hoc jam multi viri eruditiſſimi, & ea quidem ſoliditate & argumentorum pondere, ut omnino actum agere viderer, ſi hoc argumentum denuo pertractare inſtituerem. Immo, ſi dicendum quod res eſt, nemo hodie utilitatem iſtarum diſciplinarum negare amplius audet; & ſi qui etiamnunc ſunt, qui contra illam adhuc muſſitant, eorum tamen vox communi eruditorum conſenſu exploditur.

Verum enim vero gravius hodie damnum Jurisprudentiae imminet ab iis ipſis, qui maxime ſpeciem prae ſe ferunt, ac ſi Jurisprudentiam illuſtrare & ad majorem perfectionem perducere velint. Hi enim in duas veluti ſectas diviſi eſſe videntur, quarum neutram ſequi debet ſolidioris Jurisprudentiae amator. Alii enim, neglecta Philoſophia, ſolarum elegantiorum litterarum praeſidio freti, Jurisprudentiam non niſi ex hiſtoria & antiquitatibus illuſtrandam eſſe contendunt. Alii contra, litterarum elegantiorum praeſidio deſtituti, ex ſola Philoſophia jus interpretari, omniumque legum rationes eruere inſtituunt, immo vel ſolius methodi demonſtrativae ope Jurisprudentiam ad maximam perduci poſſe perfectionem acriter contendunt. Pauci vero ſunt, quibus meliori luto finxit praecordia Titan, qui ſcilicet probe intelligunt, neque ſolam Philoſophiam, neque ſolas elegantiores litteras ad Jurisprudentiam perficiendam ſufficere poſſe: ſed divinam illam juſti injuſtique ſcientiam non minore Philoſophiae, quam iſtarum litterarum,

(*a*) Legi hac de re merentur *M. Antonii Mureti* Oratio xv. & xvii. *Volum.* 1. *Orationum* junctim editarum, qui barbariem iſtam vivis coloribus depinxit.

rum, quae ab humanitate nomen ſortiuntur, praeſidio quam maxime indigere; & hinc ab eo quoque, qui Jurisprudentiam ſolidiore paullo ratione illuſtrare cupit, Philoſophiam cum elegantioribus litteris ſerio omnino eſſe conjungendam.

Non longam hujus veritatis demonſtrationem proferam: ſed paucis mentem tantum meam de univerſa Jurisprudentiae ratione aperiam.

Jus particulare uniuscujusque reipublicae partem eſſe juris univerſalis, quod toti humano generi commune eſt, inter omnes conſtat.

Jus univerſale non poteſt eſſe, niſi Divinum: nullus enim humanus legislator toti humano generi jus aliquod praeſcribere poteſt: ergo a ſolo Deo, totius humani generis auctore, originem habere debet. Quemadmodum vero Deus vel per rectam rationem, vel per ſpecialem aliquam revelationem humano generi jus quoddam promulgare potuit: ita jus Divinum recte diſpeſci ſolet in jus naturale, & in jus poſitivum. (*a*)

Jus particulare quemadmodum vel a Deo, vel ab hominibus originem habet, ita quoque vel Divinum eſt, vel humanum. Porro quemadmodum Divinum vel ex ſana ratione, vel ex revelatione innoteſcit, ita hoc etiam eſt vel naturale, vel poſitivum. (*b*)

Jus omne, ſive Divinum, ſive humanum, ad ſalutem eorum, quibus præſcribitur, merito tendere debet, & eatenus admitti poteſt effatum illud HORATII *Serm. lib.* 1. *Sat.* 3. *v.* 98.

Atque ipſa utilitas juſti prope mater & aequi eſt. (*c*)

Jus igitur univerſale intendit ſalutem totius generis humani: jus vero unumquodque particulare ſalutem unius duntaxat reipublicae promovere debet. Hinc quemadmodum in unaquaque republica ſalus illius ſuprema lex eſt: ita ſalus quoque totius generis humani pro ſuprema juris univerſalis lege merito eſt habenda. (*d*)

Jus naturale, tam univerſale, quam particulare, pro parte Philoſophiae practicae omnino eſt habendum. Philoſophia enim practica circa actiones verſatur humanas, docetque, quid bonum, quid malum, quid juſtum, quidve injuſtum, quid utile denique, quidve inutile. (*e*)

Jus civile, ſive humanum, uniuscujusque reipublicae, praeſupponit jus naturale, tam univerſale, quam particulare. Quicunque enim vel reipublicae alicui leges praeſcribere, vel leges alicujus reipublicae jam latas dijudicare, interpretari, aut

(*a*) Non hoc loco diſputabo, num ſit aliquod Jus Divinum poſitivum univerſale: id tantum defendo, poſſe tale jus concipi, quia Deus toti humano generi per revelationem leges quasdam promulgare potuit, quae deinceps vel per ſcripturam aliquam, vel etiam per traditionem propagari potuerunt ac debuerunt. Sed hanc quaeſtionem, utpote altioris indaginis, excutiendam, in aliud tempus reſervabo.

(*b*) Jus Divinum poſitivum particulare non tantum exiſtere poſſe, ſed & revera in Judaica olim republica aliquod exſtitiſſe, omnes fatentur. Sed jus etiam aliquod naturale particulare reperiri, non omnes forſan concedent: ergo paucis mentem hac de re meam explicabo. Jus naturale eſſe vel abſolutum, vel hypotheticum, notum eſt. Prius ſemper eſt univerſale; nam ad totum genus humanum pertinet: ſed poſterius poteſt eſſe & univerſale & particulare. Univerſale praeſuppoñit generalia totius humani generis inſtituta, v. g. dominium. Particulare praeſupponit particularia unius alicujus reipublicae inſtituta. Quando enim regulae juris naturae abſoluti ad certa inſtituta humana applicantur, tunc inde jus naturae hypotheticum emergit, ut docui in *Tract.* mea de *Teſtamentifact. cap.* 1. §. 2. *not.* (a). Sic etiam quando regulas juris naturae univerſalis ad certum aliquem unius reipublicae ſtatum applico, tunc inde emergit jus aliquod naturae particulare. Sed haec uberiorem merentur tractationem, quam ad commodiorem locum reſervo.

(*c*) Dictum hoc Horatianum peculiari *Diſſertatione* illuſtravit *Arvid Möller*, *Londin. Scan.* 1731. Adde etiam CICERONEM *ad Q. Fratr. lib.* 1. *Epiſt.* 1. §. 8.

(*d*) In tanta ergo eruditorum de primo juris naturae principio contentione, ego omnino ſtatuo, nullum melius & adaequatius juris naturae univerſalis principium excogitari poſſe, quam ſalutem generis humani, quod alia forſan occaſione demonſtrabo.

(*e*) Quatenus ergo veteres per Jurisprudentiam non ſolam civilem, ſed & naturalem intellexerunt, eatenus recte ſtatuerunt, Jurisprudentiam eſſe partem Philoſophiae. Confer quae notavi ad auctorem noſtrum *lib.* IV. *cap.* 16.

aut applicare vult, illi jus naturale, tum univerſale, tum particulare, penitus perſpectum eſſe debet.

Quicunque ergo Jurisprudentiae ſedulo & cum fructu operam navare cupit, illi generalia inprimis juris praecepta ex Philoſophia practica cognita eſſe debent, ut probe intelligat, quibus in rebus vera totius humani generis ſalus conſiſtat. Sic enim de particularis demum alicuius reipublicae ſalute rectum ferre poterit judicium, dum univerſalia ſcilicet juris praecepta ad particularem uniuscujusque reipublicae ſtatum rite applicat, ex qua nimirum applicatione jus naturae particulare oritur.

Qui ita per Philoſophiam praeparatus eſt, is demum poterit jus civile ſive humanum aliquod vel novum condere, vel jam conſtitutum dijudicare, interpretari, riteque applicare. Jus enim civile ſive humanum a jure naturae particulari non niſi ratione originis, & ratione modi promulgandi differre debet, ſi nempe recta ratione duce conditum ſit. Quod ſi enim ab illo differt, judicium illud eſt, legislatorem in jure illo condendo ſanam rationem in conſilium haud adhibuiſſe.

Quia vero unumquodque jus particulare ad ſtatum illius, cui praeſcriptum eſt, reipublicae accommodatum eſſe debet: per ſe facile patet, eum, qui jus aliquod vel novum condere, vel conſtitutum jam dijudicare, interpretari & applicare vult, poſt juris naturalis cognitionem id maxime operam dare debere, ut intimum illius, cujus circa jus verſatur, reipublicae ſtatum quam exactiſſime cognoſcat.

Quando ergo jus quoddam veteris alicujus reipublicae, quae non amplius exſtat, (ut hodie jus Romanum) dijudicare, interpretari & applicare debemus: tunc prima merito noſtra cura erit, ut ex hiſtoria & antiquitatibus intimum reipublicae illius ſtatum, quantum fieri poteſt, quam accuratiſſime perſpectum habeamus: deinde vero & regulas juris naturae ad ſingularem illum ſtatum applicare debemus: ſic enim facili negotio intelligere poterimus, quid in illa republica ſecundum ejus conſtitutionem in ſingulis negotiis obvenientibus juſtum fuerit, quidve injuſtum.

Si quis igitur non tantum regulas juris naturalis accurate intelligit, ſed & habitum, illas ad quemcunque particularem reipublicae cujusdam ſtatum applicandi, ſibi acquiſivit; deinde vero ex hiſtoria & antiquitatibus ſtatum veteris reipublicae Romanae ita cognitum habet, ut ex illo veram juris Romani rationem in unoquoque negotio reddere poſſit, & oſtendere, quam prudenter, vel ſecus, jus Romanum conditum ſit, quatenus denique jus illud, hodie in ſubſidium receptum, ad praeſentem noſtrarum rerumpublicarum conſtitutionem applicari poſſit, vel minus: eum ego perfectum (quod ad Jurisprudentiam ſcilicet civilem attinet) Jureconſultum pronunciare non dubitabo.

Ex hactenus explicatis abunde jam intelligi poſſe ſpero id, quod initio affirmavi: ad Jurisprudentiam nimirum & accuratam omnino Philoſophiae, practicae praeſertim, (quae theoreticam tamen praeſupponit) & exactiſſimam hiſtoriae & antiquitatum (quae tamen diſciplinae a caeteris elegantioribus litteris ſeparari nequeunt) cognitionem quam maxime eſſe neceſſariam: (*a*) ex quarum diſciplinarum juſto, ut ita loquar, connubio neſcio quid praeclarum ac ſingulare in Jurisprudentia ſolet exiſtere. Qui vero alterutrius praeſidio deſtituuntur, illi vel meri erunt hiſtorici, vel meri philoſophi: auguſtum vero illud Jurisconſulti nomen jure meritoque aſſerere ſibi nequeunt.

Deinde ex hiſce facile quoque dijudicari poterit quaeſtio illa, hodie inter eruditos tam acriter agitata, num videlicet in Jurisprudentia, Romana praeſertim, methodus demonſtrativa locum habere poſſit. (*b*)

Ego

(*a*) Hanc opinionem jam veteres foviſſe, ex multis locis probari poſſet. Legi praecipue merentur CICERONIS *lib.* 1. *de Legg.* & *lib.* 1. *de Oratore.*

(*b*) Methodus, mea quidem opinione, totuplex eſſe debet, quotuplex eſt cognitio humana. Quemadmodum ergo cognitio humana eſt vel hiſto-

Ego quidem pronunciare non dubito, methodum demonſtrativam in Jurisprudentia omnino non tantum locum habere poſſe, ſed etiam debere. (*a*) Nam primo Jurisprudentiam naturalem univerſalem methodo demonſtrativa pertractari poſſe, nemo hodie facile negabit. Deinde poſſe jus naturae univerſale ad certum aliquem particularis reipublicae ſtatum applicari, & exinde jus aliquod naturale particulare formari, ex iis, quae antea expoſui, apparere arbitror. Nihil vero prohibet, quo minus hoc quoque jus naturae particulare, perinde ac univerſale, demonſtrativa methodo proponi poſſit.

Porro negari non poteſt, ex hiſtoria & antiquitatibus multa nobis de veteris reipublicae Romanae ſtatu innoteſcere, & hinc ſaepe quoque numero rationes nobis cognitas eſſe, cur leges olim in iſta republica hoc illove modo conditae ſint. Quando ergo primo ex rationibus philoſophicis oſtendere poſſumus, poſito hoc illove reipublicae ſtatu, leges eo, nec alio modo, condi debere; quando deinceps ex hiſtoria & antiquitatibus nobis innoteſcit, talem olim in republica Romana ſtatum adfuiſſe, & hinc eo quoque modo jus Romanum fuiſſe ordinatum: tunc omnibus numeris abſolutam habemus demonſtrationem in jure civili. Quis vero negare audebit, ſaepenumero, adhibitis legitimis mediis, ita procedere poſſe Jureconſultum in jure Romano explicando, atque adeo methodum quoque demonſtrativam in eo locum habere poſſe. Quis etiam negare audebit, methodum hancce omnium eſſe optimam, & hinc eam quoque, quantum fieri poteſt, omnino eſſe adhibendam.

Enim vero alia longe quaeſtio eſt, num totum jus Romanum demonſtrativa hacce methodo accurate pertractari poſſit? Hoc ego quidem in praeſenti neque affirmare, neque negare volo: id tantum dico, mihi hoc quam maxime arduum, & opus, quod vires fere humanas excedit, eſſe videri. Qua in re facile mecum conſentiet, qui id modo, (ut caeteras praeteream difficultates) conſiderabit, quam multa nobis de veteris reipublicae Romanae ſtatu, & de ſingulis uniuscujusque temporis circumſtantiis ſint incognita. Sed, ſi vel maxime opus hocce nunquam ad ſuam perduci poſſet perfectionem: utile tamen nihilominus ac neceſſarium erit, ut tantum hac in re praeſtent Juriſconſulti, quantum per humanam fieri poteſt imbecillitatem: nam & conatus ſuis non carebit laudibus, & Jurisprudentia hac ratione ad majorem in dies perfectionem perveniet.

Quantum enim cognitio philoſophica cognitioni praeſtat hiſtoricae: tantum Jurisprudentia methodo demonſtrativa tradita praeſtat illi, quae vulgari tantum methodo proponitur. (*b*) Nam licet a cognitione hiſtorica omnino ſit incipiendum, & in multis, immo plurimis rebus, cognitione hiſtorica contenti adhuc eſſe debeamus in Jurisprudentia Romana: opera tamen quam maxime danda eſt, ut ope Philoſophiae ad philoſophicam quoque cognitionem ſenſim perveniamus, nec ſemper in hiſtorica tantum cognitione perſiſtamus. (*c*)

Ego

hiſtorica, vel ſcientifica; & haec rurſus vel philoſophica, vel mathematica: (quae gradu inter ſe tantum differunt. Confer illuſtris hujus ſeculi Philoſophi, *Chriſt. Wolffii Praecognita Philoſophiae*, quae *Logicae* ejus praemiſſa ſunt) ita methodus quoque eſt vel hiſtorica, vel ſcientifica, ſive demonſtrativa; & haec rurſus vel philoſophica, vel mathematica.

(*a*) Quando methodum demonſtrativam in Jurisprudentia locum habere aſſero: id praecipue de methodo philoſophica intelligo. Nam methodum mathematicam ſtricte ſic dictam raro admodum in Jurisprudentia locum habere poſſe, omnes, ut ſpero, facile concedent, quandoquidem in Jurisprudentia raro ad cognitionem aliquam mathematicam pervenire queamus.

(*b*) Ex methodo vulgari oritur cognitio tantum hiſtorica: ex methodo vero demonſtrativa oritur cognitio philoſophica in jure. Qui cognitione tantum hiſtorica gaudent, illi non niſi uſum habent: qui vero cognitione etiam philoſophica inſtructi ſunt, illi habent & artem. Qua in re Servium Sulpitium caeteris ſuae aetatis JCtis praeſtitiſſe teſtatur CICERO in *Bruto*, ſive *de claris Orat. cap.* 41. his verbis: *Sic enim exiſtimo, juris civilis magnum uſum & apud Scaevolam, & apud multos fuiſſe: artem in hoc uno.* Simul vero in ſequentibus indicat, id eum per philoſophiam conſecutum fuiſſe.

(*c*) Ex hiſce facile dijudicari poterit, quatenus *Antonii Schultingii* ſententia, quam propoſuit in Oratione *de Jurisprudentia hiſtorica*, (quae ad calcem ejus *Jurisprudentiae Antejuſtin.* exſtat) & in Praefatione ad dictam *Jurispr. Antejuſt.* ſit approbanda.

Ego interim unam alteramve hoc loco, cum bona lectoris venia, admonitionem adjungam. Primo quidem vehementer ſuadeo, ut illi, qui hac in re aliquid tentare cupiunt, ſufficientia, tum ex Philoſophia, (a) tum ex elegantioribus litteris, praeſidia ad tantum opus perficiendum afferant. Qui enim non in utroque ſcientiarum illarum genere aeque accurate verſati ſunt, illi parum ſane proficient. Si quid enim ego judicare valeo, illi, qui hactenus ſpecimina quaedam in publicum ediderunt, (quod pace illorum dictum ſit) vel ſolis philoſophicis rationibus nixi, parum praeſidii ex humanioribus litteris attuliſſe; vel harum litterarum cognitione probe imbuti, non ſatis philoſophicis ſcientiis, aut ſufficienti methodi demonſtrativae cognitione inſtructi fuiſſe mihi videntur.

Deinde & eos errare puto, qui exiſtimant, Jurisprudentiam methodo demonſtrativa tradi haud poſſe, niſi & aridum illud ſcribendi genus, quo mathematici uti ſolent, ſimul imitentur: quod parum tamen ad rem ipſam conducit, & id tantum efficit, ut, quoniam Jurisconſulti ſicco iſti proponendi modo haud adſueti ſunt, methodum hancce utiliſſimam & laudabilem ſolo fere ſcribendi illo genere quam maxime odioſam reddant.

Porro & hoc approbare nequeo, eos, qui hactenus methodo demonſtrativa in jure Romano uſi ſunt, ne vel ignorantiam ſuam, quando veras ignorant rationes, vel juris Romani vitia, quando illud male cohaerere deprehenditur, proderent, id praecipue operam dediſſe, ut quacunque ratione exactiſſimam ubivis oſtenderent connexionem; & hinc eos pro veris falſas ſaepe rationes afferre, & ſic nubem, ut ajunt, pro Junone amplecti, haud dubitaſſe.

Ego vero exiſtimo, eum, qui methodum hancce in jure Romano rite adhibere vult, candide omnino in jure hac ratione tractando verſari debere, ut ſemper nimirum oſtendat, ubi jus Romanum recte cohaereat, ubi minus; ubi illud ſecundum rectam rationem conditum ſit, vel ſecus; ubi denique veras & accuratas reddere poſſimus rationes, & ubi illas ignoremus. Id tamen concedo, quando verae certaeque nobis rationes ſunt incognitae, probabiles interim per hypotheſin poſſe admitti: (id quod etiam Philoſophi ſaepe faciunt) modo ubique exacte oſtendatur, quaenam rationes certae ſint, quaenam vero probabiles: id ipſi enim methodo nihil obeſſe opinor. (b)

Denique & hac in re ſaepenumero peccari animadverti, quod illi, qui hacce methodo utuntur, id tantum plerumque operam dent, ut hodiernum jus Romanum Juſtinianeum aliquo modo in connexionem redigant, raro vero oculos ad veterem Jurisprudentiam dirigant; qua quidem ratione, ſi quid ego video, nunquam exoptatum conſequentur effectum.

Jus enim noſtrum, quo hodie utimur, Romanum non pluvii inſtar uno tempore de coelo deſcendit, aut fungi inſtar una nocte natum fuit: (ut quam ſaepiſſime monuit in ſcriptis ſuis incomparabilis JCtus, *Gerardus Noodt*) ſed credendum potius eſt, ad jus Romanum in eam, uti a Juſtiniano digeſtum fuit, formam redigendum, omne illud temporis ſpatium, quo maxima illa reſpublica floruit, neceſſarium fuiſſe, ab ipſis ſcilicet urbis incunabulis ad Juſtiniani uſque imperium. Qui enim hiſtoriam juris vel leviter deguſtarunt, illi quoque ſciunt, jus Ro-

(a) Neque tamen ſufficit, ut quis recentiori tantum philoſophia ſit imbutus: ſed qui recte de veterum JCtorum opinionibus judicare vult, is praecipuarum veterum philoſophorum ſectarum, Stoicae inprimis, hypotheſes exacte cognitas habere debet: id quod a plurimis hodie negligitur.

(b) Sic praecipue quoque illorum corruunt objectiones, qui methodum demonſtrativam in jure adhiberi poſſe negant: illi enim vel ignorantiam noſtram accuſant, quod veras ſcilicet juris Romani rationes perſpicere nequeamus: vel ipſum jus Romanum arguunt, quod illud videlicet male cohaereat. Sed utrumque, ſi etiam quodammodo concedatur, aſſertum, methodo tamen demonſtrativae nihil nocere poſſe exiſtimo. Nam nulla meliori ratione, quam per ipſam illam methodum, patere poteſt, ubi veras juris rationes ſciamus, vel ignoremus; & ubi jus Romanum bene vel male cohaereat, ſive cum principiis juris naturalis, ſive cum ipſo reipublicae Romanae ſtatu. Methodus enim demonſtrativa certitudinem, vel incertitudinem, quae in rebus ipſis eſt, optime detegit. Qui vero exiſtimant, certitudinem, quae in rebus ipſis non eſt, per ſolam methodum effici poſſe, illi, mea quidem ſententia, egregie falluntur, aliosque fallunt.

P R A E F A T I O.

Romanum cum ipſo reipublicae ſtatu multas variasque ſemper paſſum fuiſſe mutationes, ea quidem ratione, ut novum jus veteri ſemper fuerit ſuperſtructum, & ita quidem, ut ſaepenumero, manentibus veteribus juris principiis, novae tamen conderentur leges, quae cum iſtis non ubique exacte cohaererent; & contra manentibus antiquis legibus, nova ſubinde per interpretationem, vel Jureconſultorum, vel Magiſtratuum, introducerentur juris principia: quod quidem, licet id fuerit incommodum, per ipſam tamen reipublicae illius rationem aliter fieri haud potuiſſe, ex hiſtoria & antiquitatibus facile apparet. Ex quibus jam efficitur, eum, qui jus Romanum exacte dijudicare, interpretari & applicare; praecipue vero illum, qui jus iſtud methodo demonſtrativa tradere vult, oculos omnino dirigere debere ad initium & progreſſum juris in unoquoque negotio. Sic enim rationes demum juris hodierni Juſtinianei perſpiciet, ſi cognitum illi ſit, quid in unaquaque re in republica Romana ſingulis, ab ejus uſque origine, temporibus conſtitutum fuerit. (a)

Negare non poſſum, ſaepenumero me exoptaſſe, ut omnia juris Romani argumenta hac ratione hiſtorice primum pertractata eſſent a Juriſconſultis: ſic enim non dubito, fore, ut multo faciliori ratione jus Romanum hodiernum in formam demonſtrativam redigatur. Quemadmodum enim cognitio philoſophica hiſtoricam ſemper praeſupponit: ita omnem quoque conatum, jus Romanum in formam demonſtrativam redigendi, irritum eſſe puto, donec exactam juris Romani hiſtoricam in ſingulis argumentis tractationem habeamus. Et licet diverſa exſtent virorum eruditorum ſpecimina, quae ſua laude non ſunt defraudanda, longe maxima tamen pars adhuc non eſt elaborata.

Semper quoque eredidi, hanc optimam juris Romani viva voce tradendi methodum eſſe, ut in ſingulis argumentis, praemiſſis generalibus ex jure naturali principiis, origo primo & progreſſus juris in Romana republica ex hiſtoria & antiquitatibus oſtendatur, & tum demum novum jus Juſtinianeum juſto ordine explicetur, tandemque quatenus illud hodie applicari poſſit, doceatur. Quam methodum ego quidem, quantum fieri potuit, ſemper obſervavi, quoties aliis viam ad Jurisprudentiam muniendi occaſio mihi data fuit, & in poſterum quoque obſervare, ſi qui erunt, quibus opera mea hac in re uti libuerit, non deſiſtam.

Lubido quoque me aliquando inceſſit, ſpecimen aliquod hujus rei publice orbi erudito offerre: id quod etiam a me praeſtitum fuit. Nam ante biennium Tractationem aliquam hac ratione elaboratam de *Teſtamentifactione* edidi: utrum vero bene, an ſecus, conatus hicce mihi ceſſerit, aliorum eſto judicium. Id interim negare nequeo, maximo me gaudio affectum fuiſſe, quum intellexerim, opuſculum illud multis haud fuiſſe ingratum. Promittere quidem non poſſum, me plura talia ſpecimina in poſterum eſſe editurum: operam tamen interea dabo, ut aliis ad talia opera elaboranda viam quaſi ſternam. Quia enim exacta praeſertim antiquitatum Romanarum cognitio ad ea requiritur, nihil me, quod ad Romanae reipublicae antiquitates emendandas, & in meliorem formam redigendas pertinere videbitur, intermiſſurum eſſe ſpondeo. Totus enim jam animus meus in antiquitatibus hiſce haud vulgari ratione perſcrutandis defixus haeret, &, ſi Deus vitam viresque largietur, id praecipue operam dabo, ut & juſtum aliquando compendium, & perfectum aliquod (quantum videlicet vel rei natura, vel imbecillitas mea patitur) Syſtema Antiquitatum Romanarum orbi erudito exhibere queam. Sed quia hoc multorum annorum opus eſt, proximum erit, ut ſelecta interim quaedam argumenta, ſub titulo *Selectarum Antiquitatum*, primo quoque tempore cum orbe erudito communicem. Ea vero ſeligam argumenta, quae vel non ſatis pro dignitate, vel mea opinione perperam ab eruditis hactenus ſunt pertractata.

Sed de illo quidem opere latius tunc in Praefatione ejus, ſi Deus voluerit, differam:

(a) Immo interdum quoque ad tempora ante ipſam urbem conditam reſpiciendum: quaedam enim juris principia ex Latio, praeſertim ex Alba Longa ſunt derivanda, quod alio forſan tempore demonſtrabo.

ram: jam vero, ne haecce nimis evagetur Praefatio, ad librum me illum, quem in praeſenti orbi erudito, & cupidae inprimis legum juventuti, omnibusque ſolidioris jurisprudentiae amatoribus offero, conferre debeo.

Neque vero vel ipſe Tractatus, vel ſcriptor ejus ignotus eſſe cuiquam poteſt, & hinc neuter quoque commendatione indigebit. Sciunt enim omnes, qui non plane in republica litteraria hoſpites ſunt ac peregrini, BARNABAM BRISSONIUM inter primos fuiſſe, qui ſolidiorem jurisprudentiam reſtaurarunt, eamque a priorum ſeculorum barbarie perpurgatam reddiderunt, & hinc omnia quoque ſcripta ejus diurna nocturnaque manu eſſe verſanda ab iis omnibus, quibus ſolidior jurisprudentia curae cordique eſt. Praeſens quidem ſcriptum primum fuit ſpecimen, quod cum erudito orbe juvenis admodum communicavit, quod tamen non minorem ei laudem, quam ſtudioſae juventuti commodum attulit. Hinc ſaepe quoque numero prelo fuit commiſſum, & non tantum aliquoties ſeparatim prodiit, ſed & opuſculis ejus junctim editis inſertum, tandemque operi quoque notiſſimo *de verborum ſignificatione* fuit adjunctum. Quum vero non tantum editiones ſeparatae omnes fere diſparuerint; & opuſcula illa junctim edita quam rariſſime conſpiciantur; ſed & opus illud de *verborum ſignificatione* comparatu jam haud facile ſit: me gratiam nonnullam initurum eſſe ſperavi, ſi opuſculum hocce ſeparatim recuſum cupidae legum juventuti (quorum eo magis intereſt, illud ubivis aequo pretio obvium eſſe, quo minus eo carere poſſunt in jure ſolide tractando) offerrem.

Non vero officio me meo ſatisfeciſſe putaſſem, ſi prelo tantum denuo commiſiſſem opuſculum hocce per ſe utiliſſimum, niſi ſimul illud ita adornaſſem, ut multo jam commodiori uſui eſſe queat. Hinc quid in nova hac editione praeſtiterim, paucis accipe.

Prima mea cura fuit, ut ipſe contextus quam emendatiſſimus ederetur: Et quia opus per varias editiones multis deformatum mendis fuerat, id praecipue operam dedi, ut variarum editionum collatione menda illa, quantum fieri potuit, tollerentur. Interdum quoque, ubi per omnes, quas vidi, editiones menda erant propagata, ex conjectura emendationes admittere debui, quod raro tamen factum, & nonniſi in manifeſtiſſimis erratis. Deinde id quoque inprimis operam dedi, ut loca veterum auctorum & legum recte & ſecundum optimas noviſſimasque editiones adducerentur: qua quidem in re multum me taedii devoraſſe, quilibet ex collatione hujus cum prioribus editionibus facile perſpiciet. Porro & Graecorum ſcriptorum locis interpretationes Latinas, pro more hujus ſeculi, quo Graeca non ab omnibus iis, qui jurisprudentiae operam navant, intelliguntur, ex optimis interpretibus ſubjunxi. Denique breves quoque obſervationes addendas eſſe exiſtimavi, in quibus partim ea, quae perperam ab auctore tradita videbantur, emendavi, partim ea, quae nimis conciſe expoſita, ſupplevi, aliaque ſcitu haud indigna; nec injucunda explicavi. Id tamen operam ſimul dedi, ne annotationes meae in molem quandam excreſcerent, aut ipſum opuſculum praegravarent. Hinc brevitati ubique ſtudui, & a vulgaribus, aut ubivis obviis, quantum fieri potuit, abſtinui: ſtudioſae tamen juventuti (in cujus gratiam praecipue praeſentem ſuſcepi laborem) viam ſimul oſtendi, ubi argumenta, ab auctore breviter tractata, latius explicata invenire poſſent. Et quia quaedam adhuc, poſtquam opus prelo jam fuit commiſſum, haud praetermittenda obſervavi, (ut in quotidiana lectione accidere ſolet) ea quoque ſub titulo *addendorum & emendandorum* in fine addere volui. Tandem tribus etiam verbis indicare debeo, me Indicem quoque accuratum operi adjunxiſſe. Unicum eſt, quod adhuc opto, ut & typographus, & corrector, (nam ipſe ob nimiam loci diſtantiam correctioni praeeſſe haud potui) ſuo non deſint officio, ut opuſculum quam emendatiſſimum in publicum prodeat. Sic enim firmiter perſuaſum habeo, ex opere hoc utiliſſimo multo majus, quam antea, commodum eſſe redundaturum, & hac quidem ratione laboris me mei fructum longe uberrimum eſſe conſecuturum. Vale L. B. conatibusque meis & in poſterum favere perge. Scribebam Hamburgi Id. Mart. A. C. MDCCXLI.

RENATO DAILLONIO
EPISCOPO
LUCIONENSI
B. BRISSONIUS S. D.

MAGNAM omnino Juris civilis ſcientia rerum veterum memoriam deſiderat, nec niſi ab eo, qui totius antiquitatis animo perceptam cognitionem habeat, digne, ac meretur, explicari poteſt. In quo demonſtrando ſi longiori oratione utar, tibi tuique ſimilibus, quibus idem mecum probari ſcio, videbor in re minime dubia laborare. Tantum dicam, qui contra ſentiunt, ignorare eos, quibus ex fontibus jus civile hauſtum ſit, quod ſi, uti eſt, ex populi Rom. legibus inſtitutiſque deſcriptum fateantur, hoc quoque concedant neceſſe eſt, ei, qui in Jurecconſultorum libris, non dicam cum voluptate, ſed & cum fructu verſari volet, totum rerum Romanarum ſtatum tenendum eſſe. Quarum ignoratione cum peccari perſaepe, multaque in occulto latere cogitarem, mihi animum ad ſcribendum appellenti, viſum eſt ab hac potiſſimum parte initium ducere. Itaque ſelectos quoſdam auctorum noſtrorum locos, quorum ex Antiquitate interpretatio peteretur, in libellum contuli, eumque de amicorum ſententia in manus hominum venire paſſus ſum, ut hoc veluti προοιμίῳ, interim dum ſerium aliquod & legitimum carmen meditor, a litterarum ſtudioſis gratiam inirem. Tibi vero uni ex omnibus potiſſimum primas haſce noſtras Proluſiones inſcripſi, qui ita ſacras litteras colis, ut a civilibus ſtudiis non abhorreas. In quibus cum te accuratam, a primis aetatis temporibus, operam poſuiſſe ipſe optimus teſtis ſim, iſto tui nominis praeſidio adverſus malevolorum obtrectationes, quibus ſermonis materiam argumenti novitas dabit, libellum noſtrum muniendum putavi. Quem etiamnum, quando jacta alea eſt, meque adeo totum tibi commendo atque trado. Leve quidem, ſed tibi non ingratum futurum munus, ſi eo apud te loco fuerit, quo eſſe ſolent, quae ab optima voluntate proficiſcuntur. Vale Lutetiae Pariſiorum. Pridie Kal. Jul. M. D. LVI.

ELEN-

PRAEFATIO.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

ALBERTUS DIETERICUS TREKELL.

Quemadmodum Juris Romani reſtaurationem Italiae debemus: ita ſolidioris & elegantioris Jurisprudentiae renovationem Galliae in acceptis eſſe referendam, nemo negare poterit, niſi qui in hiſtoria literaria hoſpes fuerit & peregrinus. Ipſae quidem linguae illae, quae ad ſolidam eruditionem quaſi manu ducunt, ipſaeque illae diſciplinae, quae ab humanitate nomen ſortiuntur, in Italia primum, poſt craſſam illam multorum ſeculorum barbariem, ſolidiori paullo ratione doceri, & exinde ſe in caeteras Europae regiones, Galliam inprimis, effundere coeperunt. Negari etiam nequit, fuiſſe inter primos illos literarum reſtauratores, qui animadverterent, quantum commodum ex accuratiori linguarum eruditarum, elegantiorumque diſciplinarum cognitione ad Jurisprudentiam redundare poſſet: ſed ipſi JCti in Italia, barbarie ſua circumventi, veritique, ne circuli ſui perturbarentur, noluerunt monita iſtorum admittere, omneſque novaturientes vili Humaniſtarum nomine traduxerunt, illoſque, ac ſi ipſam perturbare vellent rempublicam, aqua veluti ac igne interdixerunt. Hinc *Andreas Alciatus*, natione Italus, qui primus inter JCtos ſerio & utiliter de Jurisprudentiae emendatione cogitaſſe videtur, veritus barbarorum iſtorum JCtorum plagas, in Galliam ſe contulit, quae eum, ſimulque cum eo ſolidam Jurisprudentiam, non tanquam noverca, ſed tanquam benigna mater in ſinum ſuum recepit. Vivebat iſtis temporibus Princeps regia, MARGARETA, filia Franciſci I. & ſoror Henrici II. Galliae Regum, femina & ipſa ſupra ſexum ſuum erudita, & erga eruditos maxime liberalis. Haec, quum Ducis Bituricenſis titulo gauderet, cum patre & fratre conſilia agitabat, quomodo antiquam in primaria Ducatus Bituricenſis urbe Academiam, inprimis vero Collegium Juridicum, inſtaurare denuo, & ad aliquam celebritatem perducere poſſet. Hinc, conſtituto eruditiſſimo viro, *Michaele Hoſpitalio*, Cancellario hujus Academiae, doctiſſimos undecunque viros, & in his laudatum inprimis *Alciatum*, ad eam evocavit, qui Jurisprudentiam praecipue, elegantioreſque literas ſolidiore methodo docerent: ut huic adeo Academiae Jurisprudentiae, potiſſimum elegantioris, reſtitutae laus debeatur; ita tamen, ut & alii in Gallia viri doctiſſimi, quorum princeps *Guilielmus Budaeus* eſt, in hujus laudis

 ſocie-

ſocietatem veniant. Quo factum fuit, ut Seculo XVI. uno fere eodemque tempore, tantus Jureconſultorum praeſtantiſſimorum in ſola Gallia numerus floruerit, quantus vix ullo ſimul tempore in veteri Romana republica, aut noſtris in univerſa Europa temporibus. Ut enim praecipuos tantum, poſt Alciatum, Budaeum & Hoſpitalium, quos mihi nunc memoria ſuggerit, nominem, quis ignorat aeterna illa nomina Franciſci Connani, Andreae Tiraquelli, Franciſci Duareni, Aemari Ranconeti, Caroli Molinaei, Joannis Coraſii, Franciſci Balduini, Antonii Contii, Franciſci Hotomanni, Jacobi Cujacii, Hugonis Donelli, nec non Forneriorum, Puteanorum, Pithoeorum, & Fabrorum.

Inter JCtos hoſce, qui Seculo XVI. in Gallia Jurisprudentiam a barbarie repurgatam in antiquam elegantiam & dignitatem reſtituere conati ſunt, omni quoque jure nomen ſuum profitetur BARNABAS BRISSONIUS, vir doctrina aeque ac dignitate maximus: cujus nunc OPERA MINORA VARII ARGUMENTI iterum multo, quam unquam antea, emendatiora, bonis, ut ſpero, auſpiciis, in dias luminis auras prodeunt; unde de illo nonnulla etiam ſunt praefanda.

Quamvis vero hic ſummus vir neque obſcuro ſeculo, neque obſcuro loco natus fuerit, neque etiam umbratilem egerit vitam; ſed in ipſa reipublicae luce, in maximis dignitatibus ſit verſatus: neſcio tamen, utrum mirandum magis, an dolendum ſit, quod de ejus vitae circumſtantiis tam pauca nobis cognita ſint; adeo, ut ſi a narrationibus de ejus morte infeliciſſima, nudaque munerum ac honorum, quos in republica geſſit, commemoratione abſtineamus, vix quicquam memoratu dignum de vita ejus privata, ſtudiorumque ejus ratione, in ſcriptoribus coaevis & fide dignis reperiatur; nullus vero proximis a morte ejus temporibus, quibus neceſſaria adhuc ſubſidia in promtu erant, repertus fuerit, qui vitam ejus ex inſtituto cum cura, quod certe merebatur, deſcripſerit. Saepenumero & miratus, & indignatus ſum, quod pro tanti viri memoria conſecranda nullam curam geſſerint vidua, liberique, atque cognati ejus, (in quibus erat doctiſſimus *Franciſcus Vieta*) inprimis, quum ipſe Rex Henricus IV. indigniſſimam ejus mortem ſeveriſſima poena ultus fuerit, ſub ejuſque auſpiciis paullo poſt prodierit Opus *de Verborum ſignificatione*, ſecundis curis ab auctore auctum atque recognitum. Utinam ſaltem *Claudius Chriſtianus*, qui editionem *Operum variorum*, poſtumis auctoris acceſſionibus locupletatam, procuravit (*a*), vitam magni hujus viri, cum ea, qua decet, cura deſcribere voluiſſet! Non potuiſſent ſane ei deeſſe neceſſaria huic inſtituto monumenta; praeſertim quum & ipſe eodem vixerit tempore, & pater ejus, Q. Septimius Florens Chriſtianus, inter

(*a*) Conſilio ſaltem & hortatu ejus a typographo, ut hic in Praefatione teſtatur, fuit ſuſcepta: illum enim, vel alium virum doctum huic praefuiſſe editioni, ob ſupinam, quam in ea ſaepe deprehendi, negligentiam, vix credo.

inter Briſſonii amicos fuerit (*a*). Sed quid querimur, alios, ſive cognatos, ſive amicos, huic defuiſſe officio, quum ipſe ſibi quodammodo hac in parte defuerit. Nemo enim fere inter eruditos eſt, qui tam parcus ſui ipſius commemorator ſit, quam Briſſonius. Quum enim plurimi in ſuis ſcriptis, in Praefationibus praecipue, multa de vita & ſtudiis ſuis adducere ſoleant: ille contra breves tantum operibus ſuis praefigere ſolitus fuit epiſtolas, quas vocant, dedicatorias, in quibus de ſe ipſo nihil fere commemoravit, uti nec in ipſis ſuis ſcriptis fecit. Accedit, quod nec Epiſtolas ejus ad alios, neque aliorum ad ipſum, (ſi duas excipias perbreves, quae inter M. *Antonii Mureti Epiſtolas*, *lib.* IV. *num.* 64. *&* 65. leguntur) aut alia monumenta habeamus. Quid ergo poſteri, deficientibus jam omnibus ſubſidiis, agerent? Nihil ſane aliud facere potuerunt, quam ut ex relationibus quibuſcunque obviis qualemcunque conſarcinarent vitae deſcriptionem. Ut vero nihil dicam de Lexicographis (*b*), prima, quantum ſcio, Vitae Briſſonii deſcriptio comparet in editione *Helmſtad.* 1663. 4°. *Selectarum* ejus *Antiquitatum*, quae collecta eſt a *Joanne Goës*, Weſtphalo, ut tradit *Dan. Guil. Mollerus* in *Diſſ. de Barnaba Briſſonio*, §. 40. Quisquis vero hic Scriptor fuerit, ingenue in ipſa fronte indicavit, quibus uſus fuerit ſubſidiis: addidit etiam in fine quaedam ex variis collecta Elogia. Hanc deinceps Vitae deſcriptionem, omiſſis tamen Elogiis, Collectioni ſuae *Vitarum JCtorum* (quae prodiit *Lipſ.* 1686. 8°.) inſeruit *Frid. Jac. Leickherus*, *pag.* 299. *ſeqq.* additis paucis notulis, & ſcriptorum ejus Catalogo. Brevia exinde excerpta dederunt *Martinus Hankius* de *Roman. rerum Scriptoribus*, *Lib.* II. *Part.* I. *cap.* 37. (additis etiam paucis Elogiis) & *Paullus Freherus* in *Theatro virorum eruditione clarorum*, *Part.* II. *ſect.* IV. *pag.* 926. *ſeq.* Paullo plenior eſt *Diſputatio de B. Briſſonio*, quam ſub Praeſidio *Dan. Guil. Molleri*, *Altorf.* 1696. publice defendit *Jo. Lud. Penzel*; (quam rariſſime obviam a Viro Celeb. *Mich. Richey* communicatam mecum fuiſſe, grata mente agnoſco) cujus tamen auctor, ut ipſe ingenue fatetur, praeter commemorata, nulla alia ad manus habuit ſubſidia: addidit vero plura Elogia, & recenſionem ſcriptorum Briſſonii paullo pleniorem & accuratiorem illa, quam dedit *Leickherus*. Non ita multo poſt lingua Germanica ſat tenuem Briſſonii Vitae deſcriptionem dedit perſonatus iſte *Adolphus Clarmundus Parte* III. *Vitarum clariſſimorum in re literaria virorum.* Tenuior tamen eſt relatio, quam de hoc viro doctiſſimo dedit *Pierre Taiſand* in *Vitis JCtorum*, Gallice altera vice editis *Pariſ.* 1737. *pag.* 85. *ſeqq.* Paullo plenior quidem Vitae deſcriptio reperitur in Commentariis hiſtoricis hominum

(*a*) Inſigni elogio eum ornavit in opere *de Regio Perſarum principatu*, *lib.* II. §. 26. *pag.* 517. *bujus edit.* Vide de hoc viro doctiſſimo, elegantiſſimoque Poëta, *Jo. Alb. Fabricii Biblioth. Graec. lib.* II. *cap.* 21. & quos ibi laudat.

(*b*) Omnes enim, qui Lexica, ſive univerſalia, ſive hiſtorica, conſcripſerunt, Briſſonii etiam mentionem fecerunt, ſi exceperis *Pet. Baelium*: quod certe dolendum, quippe qui caeteris accuratior eſſe ſolet.

num illuſtrium, (*Memoires pour ſervir à l'hiſtoire des hommes illuſtres*) quae ſub R. P. *Niceronii* auſpiciis Gallica lingua prodierunt, *Tom.* IX. *pag.* 297. *ſeqq.* addita etiam ſcriptorum recenſione: ſed nec illa multa continet ſingularia, quae non in ſupra commemoratis ſcriptis reperiantur (*a*). Omnium ergo antecedentium induſtriam facile vicit Vir Excellentiſſ. *Franc. Carolus Conradi*, qui Vitam B. *Briſſonii* dedit in fronte novae ſuae editionis Operis *de Formulis ſollemnibus*, *Halae & Lipſ.* 1731. *fol.* Diligenter ſatis vir ille doctiſſimus excuſſit ſcriptores Gallicos, qui iſtorum temporum res deſcripſerunt. Habuit etiam in manu Relationem de obitu B. Briſſonii, Gallice ſcriptam (*b*), quam caeteri ne vidiſſe quidem videntur. Selectiora denique quaedam addidit Elogia, tam de ipſo Briſſonio, quam ſigillatim de Opere ejus formulario (*c*). Gratia ergo omnino viro celeberrimo eſt habenda pro labore, quem hac in re praeſtitit; venia vero danda, quod non pleniorem, ut talis vir merebatur, vitae deſcriptionem dederit, quia plura in ſcriptoribus fide dignis reperire non potuit. Sed non deſtitit Vir Excellentiſſimus ab eo uſque tempore colligere, quicquid ullo modo ad Briſſonium pertineat; & nunc (ut ipſe proxime elapſo anno literis humaniſſimis ad me datis teſtatus eſt) jam in eo eſt, ut multo accuratiorem & pleniorem Vitae Briſſonii deſcriptionem cum orbe erudito communicet; cui, praeter commemoratam Relationem de ejus morte, alia adjunget ſcripta rariſſima, quae huc pertinere videbuntur. Gaudemus ſane optimo hocce inſtituto, optamuſque ſerio, ut, remotis omnibus impedimentis, quam primum ad perfectionem ſuam poſſit perduci. Mihi vero nihil reſtat, quam ut quaſdam tantum de Vita Briſſonii literaria meditationes cum lectoribus communicem: deinceps vero ſcripta ejus, eorumque editiones & collectiones paullo accuratius recenſeam; tandemque commemorem, quid a me in hac nova Operum Minorum editione praeſtitum ſit, tam in genere, quam quod ad ſingula Opuſcula attinet.

In hiſtoria literaria non tam quaeri exiſtimo, quomodo ſe quis in re publica tanquam civis, vel in re domeſtica tanquam paterfamilias geſſerit: ſed quomodo aliquis tanquam eruditus, ratione ipſarum literarum, vitam ſuam egerit. Unde ad id inprimis animus intendendus eſt, quomodo aliquis ſtudia ſua literarum inſtituerit, a quibus fuerit inſtitutus, & per quos profecerit, quomodo tandem ad id eruditionis faſtigium, quod caeteri in

eo

(*a*) Excerpta quaedam ex iis reperiuntur in Additionibus ad *Taiſandi Vitas JCterum*, *pag.* 610. *ſeqq. ed. nov.*

(*b*) *Diſcours ſur la mort de Mr. le Preſident Briſſon, & les Arreſts donnez contre les Aſſaſins, à Paris par Claude de Montr'Oeil* & *Jean Richer*, 1595. 8°. Scriptum hoc eſt rariſſimum, & ante paucos annos in Belgio magno pretio emtum, ut fama tulit, Romam ad ipſum Maximum Pontificem transmiſſum fuit.

(*c*) Praeter illos, qui Vitae Briſſonii deſcriptionem dederunt, varia ejus Elogia collegerunt *Tobias Magirus*, ejuſque continuator *Chriſt. Wilb. Eybenius* in *Eponymologico critico*, *pag.* 148. *ſeq. ed. Francof.* 1687. nec non *Thomas Pope Blount* in *Cenſura celebrium auctorum*, *pag.* 791. *ſeqq. ed. Genev.* Vide praeterea luculentum elogium in *Jani Douſae Plautin. Explicat. lib.* IV. *cap.* 16. *pag.* 373. *ſeq.* & in *Jacobi Gutberii de veteri jure Pontificio*, *lib.* IV. *cap.* 20.

eo admirantur, pervenerit. Hoc enim in hiſtoria literaria non minus, quam in civili, ſalutare praecipue ac frugiferum eſt, omnis nos exempli documenta, in illuſtri poſita monumento, intueri, unde nobis, quod imitemur, capere queamus. Sed haec quidem omnia, quod maximopere dolendum eſt, in noſtro Briſſonio in obſcuro latent. Nihil hac de re ſcriptores fide digni, nihil ipſe commemoravit, niſi quod paucis & generalioribus verbis in *Praefatione lib.* II. *Select. Antiqq.* curam hac in re paternam laudet, ſeque in celeberrimis Galliae ſcholis inſtitutum fuiſſe teſtificetur. Neque enim alibi, vel obiter, ſive loca inſtitutionis, ſive praeceptores ſuos nominat, ut adeo haec omnia cum ignariſſimis ignoremus. Solus perſonatus *Clarmundus* narrat, Briſſonium, poſtquam ſtudia extra patriae limen protulerit, Flexiae primum ſcholam frequentaſſe, deinde vero in Academiam Aurelianenſem, tandemque Pariſienſem ſe contuliſſe. Enim vero unde haec hauſerit *Rudigerus*, (quod verum ejus nomen eſt) ego adhuc expiſcari non potui: neque tanta auctoritate vir eſt, ut magna ſolis ejus verbis fides ſit attribuenda. Quemadmodum vero de primo loco (quippe qui eo tempore non tam celebrem habuiſſe ſcholam videtur, ut exteros maximopere alliceret) valde dubito: ita non improbabile mihi fit, Briſſonium in Aurelianenſi potiſſimum Academia ſtudio juris operam navaſſe. Magna ſane iſtis temporibus erat aemulatio inter JCtos Academiae Bituricenſis & Aurelianenſis. Quamvis vero in priori Academia longe celebriores florerent Doctores (*a*), quam in poſterioris Academiae collegio juridico: Aurelianenſes tamen JCti Bituricenſes tanquam novaturientes traducebant, eoſque inprimis eo nomine accuſabant, quod nimio Critices ſtudio Jus Romanum non tam emendarent, quam potius everterent. Potuit igitur pater Briſſonii rationes haud parvas habuiſſe, cur filium ſuum maluerit JCtis Aurelianenſibus in diſciplinam tradere, licet hi cum JCtis Bituricenſibus quoad nominis celebritatem non eſſent comparandi. Et videtur ſane Briſſonius noſter, prout ubique ex ſedula ſcriptorum ejus lectione obſervavi, valde a nimio novandi & emendandi ſtudio abhorruiſſe, licet alias in eo maxime occupatus fuerit, ut Jurisprudentiam Romanam elegantiorum literarum lumine illuſtraret. Praeterea vix clarum aliquem praeceptorem habuiſſe videtur: alias enim fieri haud potuiſſet, quo minus ullam ejus in ſcriptis ſuis mentionem injecerit, quamvis in recentiorum ſcriptorum commemoratione ſit parciſſimus. Immo, ſi dicendum, quod res eſt, plus ſine dubio in Jurisprudentia propriae induſtriae, quam praeceptoribus ſuis debuit; ut adeo, quod ad Jurisprudentiam attinet, Briſſonius ex ſe ipſo magnus JCtus natus fuiſſe videatur. Quod vero brevi tem-

poris

(*a*) Florebant enim iſto circiter tempore, circa annum nimirum 1550. in Academia Bituricenſi tres potiſſimum clariſſimi nominis JCti, *Franc. Duarenus*, *Franc. Balduinus*, & *Hugo Donellus*: de quibus, ut & de tota hac celeberrima Academia, legi poteſt *Barthol. Anuli Jurisprudentia a primo & divino ſui ortu ad nobilem Biturigum Academiam deducta*, eleganti carmine expreſſa, quod legitur in V. Cel. *Franc. Caroli Conradi Parerg. lib.* IV. *num.* 4. *pag.* 556, *ſeqq.*

poris ſpatio etiam ſine praeſtanti aliquo praeceptore, tantos progreſſus in Juriſprudentia fecerit, id, ſi a vivida ejus indole diſceſſerimus, ideo inprimis ei contigit, quod non illotis, ut ajunt, manibus, ſed probe praeparatus ad divinam hanc diſciplinam acceſſerit. Ab ineunte enim aetate in literis illis, quae ab humanitate nomen habent, ſine dubio ſedulo fuit verſatus; inprimis vero in hiſtoria & antiquitatibus Romanis; & ita quidem, ut non in compendiaria cognitione; & in rivulis ſubſtiterit, ſed mature ad ipſos acceſſerit fontes. Ubique enim in ſcriptis ejus magna veterum, & Latinorum, & Graecorum, ſcriptorum lectio elucet. Qui vero ita praeparatus ad Juriſprudentiam accedit, is multo facilius, & multo minori temporis ſpatio, quam alii, quibus haec deſunt ſubſidia, maximos omnino progreſſus in illa facere poteſt. Hinc heroi noſtro togato id contigit, quod neſcio, an ulli, ut, exacto curriculo academico, uno ſtatim veluti ictu elaboratiſſimis ſcriptis tam multis tamque eruditis in republica literaria apparere potuerit, qualia alii vix pluribus elaborare poſſunt annis. Vigeſimo enim quarto circiter aetatis anno in publicum prodire juſſit *Libros* IV. *Selectarum Antiquitatum*, & interea *Libros* III. *de Solutionibus & Liberationibus;* paullo poſt vero *Librum ſingularem ad L. Juliam de Adulteriis*: ex quibus ſcriptis, intra anni & ſex menſium ſpatium emiſſis, maximam nominis celebritatem mox fuit conſecutus. Non quidem per ſe adeo mirandum eſt, aliquem iſta aetate talia edere ſpecimina, quum & noſtris temporibus non deſint exempla eorum, qui vel juniore aetate hiſce comparanda ſpecimina oſtenderint. Sed ſi conſideremus, partim juvenem hunc doctiſſimum intra tam breve temporis ſpatium tam multa edidiſſe ſcripta eruditiſſima; partim etiam tempora illa infelicia, quibus literarum ſtudia (antiquitates praeſertim Romanae) nondum ad tantum perducta erant faſtigium, quo hodie ſuperbiunt: mirabile utique eſt, eum illo jam tempore id praeſtare potuiſſe. Pleraque enim, quae in Selectis Antiquitatibus occurrunt, licet hodie ſint paene vulgaria, iſtis tamen temporibus plane erant nova, & a communi eruditorum cognitione remota. Quam difficile vero concipi poteſt, iſtis temporibus, quum Jus Romanum nondum tam methodice, ut hodie, ſed valde confuſe tractaretur, aliquem jam iſto aetatis anno cogitaſſe de jure in meliorem ordinem redigendo. Cogitavit vero ea de re ſerio Briſſonius noſter jam ante vigeſimum quartum aetatis annum, & eo ipſo aetatis anno jam tale ſpecimen, quale eſt Opus *de ſolutionibus & liberationibus*, in publicum edere potuit. Et quid de Commentario ejus *ad legem Juliam de Adulteriis* dicam, quum iſtis temporibus tales adhuc deeſſent Indices, quales *Labittus* aliique poſtea dederunt, & hoc artificium, ex diſperſis ſcilicet veterum JCtorum Commentariis veteres leges reſtituendi, quod noſtris demum temporibus ad ſuam perfectionem fuit perductum, nondum eſſet notum, ſed ab hoc doctiſſimo juvene primo omnium fere tentatum. Plane vero ſtupenda Briſſonii eruditio & induſtria, cum praecoci ingenio conjuncta, eſſet, ſi verum, quod quidam tradunt, eum eodem anno 1557. primam quoque

quoque operis diffuſi *de Verborum ſignificatione* editionem in publicum emiſiſſe. Sed quemadmodum hoc vix credo, & in medio potius relinquo: ita jam ſatis pro temporis iſtius ratione mirandum eſſe exiſtimo, quod priora, quae nominavi, opuſcula, tam matura aetate, & tam brevi temporis ſpatio cum orbe erudito communicaverit. Ex illis enim ſatis eluceſcit, eum mature admodum ad literarum ſtudia animum applicaſſe, & maxima diligentia in iis fuiſſe verſatum. Fieri enim prorſus nequit, ut talia opera uno anno, & uno quaſi ſpiritu elaborentur: ſed neceſſe omnino eſt, auctorem multis jam antea annis de iſtis cogitaſſe, & neceſſaria ſibi inſtrumenta ad illa comparaſſe. Quum ergo, ut dixi, literis illis, quae ab humanitate nomen ſortiuntur, probe praeparatus ad Jurisprudentiae ſtudium acceſſerit, mox ſine dubio animadvertit, Jus Romanum non tantum omnem amoenitatem, ſed & omnem ſuam lucem ex hiſce diſciplinis accipere debere. Hinc ſtatim, niſi omnino fallor, loca quaedam ex Jure Romano collegit, ab aliis nondum ſatis illuſtrata, quae lucem adhuc ex antiquitatibus inprimis deſiderarent, eaque pro ſua, quam ſibi in hoc ſtudiorum genere comparaverat, eruditione illuſtrare tentavit. Quum igitur horum locorum, ut credere par eſt, numerus quotidie in adverſariis ejus creverit, ex iſta ſua copia ſelectiora quaedam capita elegit, eaque ſub titulo *Selectarum Antiquitatum* pedetentim in lucem emiſit, *ratus*, ut ipſe loquitur in *Praefat. lib.* II. *hoc aptiſſimum & accommodatiſſimum efflorescentis aetatis ſcribendi eſſe argumentum.* Eodem modo, quum mature admodum, poſtquam animum ad Jurisprudentiam applicavit, animadverterit, quam confuſe (*a*) omnia a doctoribus in illa tractarentur, in eas ſimul incidit cogitationes, ut primo omnia, quae in Jure Romano occurrunt, ſub certis titulis generalibus recto ordine diſponerentur; deinde vero illa, quae ad unum pertinerent titulum, ad certa ſumma capita, juxta bonae methodi leges redigerentur; cujuſque denique quaeſtionis (ut ipſe loquitur in Praefatione) praecepta in certa genera cogerentur; ut hoc modo Jus Romanum aliquam artis formam conſequeretur. Ita igitur ſine dubio in toto jure fuit verſatus Briſſonius, primo quidem ad proprium tantum uſum, ut hac ſcilicet methodo ſibi ipſi faciliorem compararet viam, ad Jurisprudentiam ſolidiori paullo ratione, quam vulgo fit, addiſcendam. Quum vero, aliis deinde ſuadentibus & inſtigantibus, aliquod hujus rei ſpecimen in publicum uſum emittere conſtitueret, ut & aliorum de iſto inſtituto judicia experiretur, alioſque ad hoc idem perficiendum excitaret: ſelegit doctrinam utiliſſimam de Solutionibus & Liberationibus, quia eam fortaſſis prae aliis elaboratiorem in adverſariis ſuis reperit.

Neque etiam eum opinio ſua fefellit. Etenim non tantum maximo plauſu hoc opuſculum fuit ſuſceptum, ſed & occaſionem praebuit, ut

(*a*) De hac confuſione praeter auctorem noſtrum in *Praef.* ad *lib.* III. *de Solut. & Liberat.* graviter conqueritur M. *Anton. Muretus* in *Orat.* XVII. *Libri* I.

ut de Jure Romano in artem redigendo plures poſtea JCti ſerio cogitare inciperent. Et primus quidem Briſſonius oſtendiſſe videtur, quomodo utilia Juris Compendia & Syſtemata confici poſſint, quae ſubſequentibus temporibus maximo numero prodierunt, adeo, ut hodie vel copia eorum laboremus. Praeluſit etiam hocce inſtituto illis, qui Jus Romanum methodo demonſtrativa noſtris temporibus tradere vel ipſi voluerunt, vel aliis ſuaſerunt. Licet enim Briſſonii inſtitutum ab hocce valde adhuc ſit remotum: praecedere tamen illud omni jure huic debuit. Niſi enim JCti prius Jus Romanum in rectum ordinem, & in aliquam artis formam redegiſſent, nunquam ſane alii de methodo demonſtrativa in eo adhibenda cogitare potuiſſent. In Briſſonii inſtituto perinde fuit, quamnam ſpeciminis loco eligeret materiam: methodo vero demonſtrativa non facile haec de Solutionibus & Liberationibus doctrina tradi poterit, niſi prius tota de Obligationibus doctrina hac methodo tractata fuerit, quia exinde pleraque ſunt petenda principia. Sed haec obiter. Ex eodem Briſſonii inſtituto ſine dubio fluxit etiam Commentarius ejus ad Legem Juliam de Adulteriis. Quum enim ſerio cogitaret, quomodo omnia Juris Romani capita ad certas ſuas ſedes reducere poſſet, facile etiam animadvertit, veterum JCtorum Commentaria ad leges veteres non poſſe recte intelligi, niſi ipſae prius veterum Romanorum leges, quantum fieri poteſt, integritati ſuae reſtituerentur. Hujus vero laboris fructus aliquis ut etiam ad alios redundaret, ſpecimen hocce in publicum emiſit, occaſionem ſuppeditante ipſa illa lege, cujus uſus (ut in Praefatione teſtatur) eo potiſſimum tempore in Gallia reſtituebatur. Sine dubio vero in aliis etiam legibus ita fuit verſatus, quamvis ob inſequentia negotia maxima nullum amplius ſpecimen publicam in lucem emittere potuerit, niſi quod quaedam, ſed ſine Commentario, ſpecimina communicaverit in Opere *de Formulis;* & ſigillatim multa legis Juliae & Papiae Poppaeae capita illuſtrata dederit in libro *de jure Connubiorum.* Sui ſane temporis JCtos in hocce artificio vincit omnes: negandum tamen non eſt, ſubſequentibus temporibus ad majorem illud perfectionem fuiſſe perductum, a *Jacobo* inprimis *Gotbofredo*, *Jo. Gottl. Heineccio*, & *Jo. Guil. Hoffmanno*, quorum ultimus eandem hanc, quam Briſſonius illuſtravit, legem in manus reſumſit, & ea, quae ab illo omiſſa erant, ex fragmentis maximam partem poſtea demum repertis, ſupplevit; quae vero perperam ipſi tradita videbantur, emendavit; qua de re poſtea dicam. Sic etiam noſter Briſſonius, poſtquam ad Jurisprudentiam acceſſit, mature admodum de commodo aliquo Lexico juridico conficiendo cogitavit, in quo verborum, quae in Jure occurrunt, verae praecipue ſignificationes accurate & diſtincte traderentur. Facile enim animadvertit, magnum in Jurisprudentia momentum in ipſa recta verborum intelligentia ſitum eſſe. Poſtquam vero ipſi ſatis elaboratum illud viſum fuit, vel hoc ipſo tempore, vel haud ita multo poſt, id quoque cum eruditis communicavit. Et quamvis ipſi opus hocce nondum omnibus numeris perfectum eſſe videretur;

c

ſed

ſed illud potius ſecundis curis emendandum & ſupplendum ſibi reſervaverit: (id quod in ſequentibus etiam annis omnibus fecit, licet poſt fatum demum ejus cum novis illis acceſſionibus & emendationibus prodierit) ſtatim tamen ab omnibus magno fuit plauſu exceptum, & in exteris quoque regionibus aliquoties iterata editione repetitum. Quod vero ſubſequentibus temporibus non eodem modo in ſcriptis edendis pergere potuerit, ſed rarius ſcripta in lucem emiſerit: id non negligentiae, aut deſidiae; ſed maximis ejus occupationibus, quae eum ſtatim exceperunt, eſt tribuendum. Non enim ſubſtitit in ipſa Juris ſcientia; ſed eam, quam ſibi comparaverat, in vita quoque civili ad negotia obvenientia applicuit. Neque ſatis ei fuit, ut nomen ſuum eruditis tantum innoteſceret: ſed voluit etiam in foro & in ipſa reipublicae luce verſari: id quod ei tam feliciter & celeriter contigit, ut neſciam, an ulli. Non tardius enim in foro & in negotiis civilibus adminiſtrandis nomen fuit adeptus, quam antea inter eruditos. Hinc non modo privatis tantum innotuit, adeo, ut brevi temporis ſpatio pro primario cauſarum patrono haberetur: ſed ipſi etiam Regi nomen ejus non diu manſit obſcurum: unde mox civilibus negotiis in republica fuit implicitus, & maxima atque ardua conſecutus fuit publica officia, ita, ut gradatim ad ſummam tandem eveheretur dignitatem; quemadmodum omnes, qui de Briſſonio aliquid literis conſignarunt, abunde teſtantur. Quamvis vero talibus ac tantis negotiis fuerit obrutus, & in maxima conſtitutus eſſet dignitate: non tamen priores propterea delicias ſuas plane ſepoſuit, neque talia ſtudia infra dignitatem ſuam eſſe exiſtimavit; ſed ea potius, ut re vera ſunt, pro condimento & ornamento habuit, immo & pro optimo otio, ſi quando ferias agere dabatur; ut adeo vere de ſe dicere potuerit, quod Scipio quondam, nunquam ſe minus eſſe otioſum, quam quum eſſet otioſus. Hinc non tantum ad ſcripta ſua jam publicata novas ſubinde fecit acceſſiones: (ex quibus quaedam in editione Operum Pariſina poſt mortem ejus publicatae ſunt) ſed nova etiam interdum Opera, hujuſmodi condimentis refertiſſima, in publicum emittere non deſtitit: nempe A. 1563. *Comment. ad L. Dominico de Spectac.* nec non *lib.* II. *de Ritu Nuptiarum* & *de Jure Connubiorum.* Poſteriores libros, ut ipſe in Epiſtola dedicatoria fatetur, jam per multos annos habuit paratos: prius vero opus per ipſum feriarum tempus ſe elaboraſſe teſtatur. Sed veroſimile mihi fit, Briſſonium jam ante pedetentim, dum otium ſuppetebat, praecipuas collegiſſe materias, maxime quum in lectione veterum ſcriptorum eccleſiaſticorum, qui Patres vocari ſolent, verſaretur, quos ſedula admodum manu eum evolviſſe, ex hoc ipſo opere ſatis apparet: quod egregium utique ſpecimen pietatis ejus eſſe poteſt, quum JCti alias lectionem horum ſcriptorum plerumque negligere ſoleant. Diſcere tamen illi vel ex hoc opere poſſunt, ex Patribus hiſce, ut vocantur, multa etiam poſſe colligi, quae ad Juriſprudentiam ornandam & illuſtrandam adhiberi poſſunt. Praecipuum vero,

quod, quum jam in republica verſaretur, emiſit opus, eſt laborioſiſſimum illud *de Formulis ſollemnibus* P. R. ad quod tamen colligendum plurimos ſe jam antea annos impendiſſe, ipſe in Praefatione teſtatus eſt; adeo, ut mihi veroſimile fiat, eum jam in prima adoleſcentia de tali opere non tantum cogitaſſe, ſed etiam fundamenta ejus jeciſſe; ita tamen, ut ſemper deinceps, quando in veterum ſcriptorum lectione verſaretur, varia adderet & emendaret. Hoc quidem prorſus fieri haud potuit, ut iſtis demum temporibus, quum jam in foro & republica maximis eſſet negotiis obrutus, tale opus uno quaſi ſpiritu elaboraret. Hinc etiam ſunt, qui id partim ab *Aemaro Ranconeto* profectum volunt, partim a ſtudioſis, ſive librariis, non penitus indoctis, ſub ejus tantum directione & auſpiciis, collectum fuiſſe contendunt: quibus utriſque nulla fides eſt habenda. Facile enim ex ipſa operis inſpectione refelluntur, dummodo conſiderent tum ipſius operis aequalitatem, tum ejus cum aliis auctoris ſcriptis convenientiam. Neque enim ab aliis ſcripta & collecta ipſe ita in ſuum tam apte transformare potuiſſet ſtilum, & cum iis propria ſua tam convenienter conjungere, ut nulla inaequalitas appareret: neque ſtudioſi illi tanta ſolertia formulas, latentes plerumque, ex veterum ſcriptis eruere potuiſſent. Neceſſe ergo omnino eſt, ut, poſtquam animo conceperit ideam hujuſmodi operis, ipſe ſenſim, dum verſaretur in veterum lectione, formulas, tum apertas, tum latentes, maxima annotaverit diligentia & ſolertia. Id tamen fieri potuiſſe largior, ut, dum opus jam diſpoſuerit, & loca veterum notaverit, haec a ſcribis deinde verbotenus ſub ſua quaeque claſſe deſcriberentur. Sic etiam plane negare nolo, Briſſonium inordinatas & imperfectas quaſdam ſchedulas, ad hanc materiam pertinentes, in ſcriniis *Ranconeti*, qui idem forſitan ſaxum volvit, repeririſſe: ſed ex quibus parum tamen adjumenti acceperit. Si ergo, ut dixi, res ita concipiatur, ut a prima uſque adoleſcentia de hocce opere cogitaverit Briſſonius; ut frequenti veterum ſcriptorum lectione adſuefactus fuerit ad formulas iſtas quaſi ſubodorandas, & in veterum ſcriptis inveſtigandas, & eruendas; ut opus deinceps in certas claſſes diſpoſuerit, & formulas notatas ſub ſua quaſque claſſe deſcripſerit; ut deinceps horis ſemper ſubſecivis opus auxerit; ut denique loca veterum integra a ſtudioſis vel librariis deſcribi curaverit: tunc non adeo mirandum eſt, talem virum ejuſmodi opus, in maximis etiam negotiis & occupationibus, abſolvere & publicare potuiſſe. Eodem, ni fallor, modo res ſeſe habuit cum Opere *de Regio Perſarum Principatu*, quod ipſo obſidionis Pariſiorum tempore ex adverſariis ſuis excudi curavit. Quis enim putaverit, illud iſto demum tempore uno veluti ſpiritu & collectum & elaboratum fuiſſe: nonne omnino credibile potius eſt, auctorem per plures antea annos, in ipſa veterum ſcriptorum lectione, res eo pertinentes collegiſſe, ut ultimam tantum eo tempore manum huic operi admoverit.

Verum enim vero ſunt, qui omnino auctori noſtro exprobrant, illum

in

in tantis negotiis, & in tanta dignitate conſtitutum, talia opera (de Formulis praecipue, & de Regio Perſarum principatu) elaboraſſe, quae Grammaticum potius decent, quam virum iſto dignitatis gradu ornatum. Ita nemo ſine reprehenſione vivere poteſt! Si quis iſta ſtudia cum ipſa dignitate ſeponit, vapulat: ſi quis contra ea tractat adhuc in ipſa reipublicae luce conſtitutus, itidem vapulat. Sed quemadmodum tales reprehenſiones ipſe ſine dubio Briſſonius generoſo contemſit animo, ſi vivens audiverit: ita in iſtis calumniis refutandis non multum temporis eſt conſumendum. Nemo ſane Briſſonium eo nomine accuſare poteſt, quod graviſſima in foro vel republica negotia ob amoeniora iſta ſtudia neglexerit: ſed hiſce operam tantum innocuam impendit horis quibuſdam ſubſecivis, quas caeteri vel perdere, vel in delicias inutiles inſumere ſolent, ut ipſe recte monuit in Poëmate quodam, quod ſub titulo *Sermo* extat in *Deliciis Poëtarum Gallorum*, *Tom.* I. Sane ſi Julio Caeſari vitio non eſt vertendum, quod librum *de Analogia* ſcripſerit: quis hunc virum reprehendendum eſſe putabit, quod de Formulis veterum Romanorum, & de Regio Perſarum Principatu ſcripſerit. Merus utique Grammaticus ad haec opera ſcribenda non ſuffeciſſet. Quemadmodum enim ad illud accurata omnino Juris Romani cognitione opus eſt; ita hoc opuſculum ſine iſtis ſtudiis, quae ad reipublicae adminiſtrationem requiruntur, hoc modo perfici non potuiſſet; ſic in illo ubique prudentia quaedam, civilis maxime, elucet. Fortaſſis etiam regii imperii amorem per hocce opus clam inſtillare rurſus voluit civibus, illiſque, qui ejus acerbitatem cauſabantur, tacite ſimul ſignificare, quam moderatum illud apud nos ſit, ſi cum veteribus barbaricis regnis compararetur. Eodem modo aliae etiam calumniae, quae auctori noſtro a malevolis impinguntur, facili, quantum judico, negotio diſpelli poſſent, ſi neceſſaria modo documenta nobis ad manus eſſent. Sed quod quidem ad vitam ejus civilem, & ad reipublicae adminiſtrationem attinet, ego aliis relinquo, ut accuratiori cura inquirant, quid reprehenſionibus iſtis, quae de eo circumferuntur, tribuendum ſit, & quomodo ab iſtiuſmodi calumniis ſit liberandus. Mihi enim, qui Briſſonium tanquam Principem modo eruditorum nunc conſiderare conſtitui, ſufficere poteſt, quod Rex Henricus III. officiis ejus ſemper fuerit contentus, quodque eum non maximis tantum dignitatibus, ſed & invidendis plane elogiis ornaverit; quod deinde Rex quoque Henricus IV. mortem ejus indigniſſimam ſeveriſſima ultione vindicaverit: immo quod antea primarios caedis auctores ſeveriſſime puniverit Dux Meduanius; quo ipſo hic ſatis, ut opinor, refutavit calumniam iſtam, quae de eo divulgabatur, ac ſi miſerrima illa caedes vel ejus juſſu, vel bona ſaltem ejus voluntate facta fuerit. (a) Sed haec obiter. Sunt etiam

de

(a) Sic *Petr. Bertius* ad *Juſt. Lipſium*, in *Sylloge Epiſtoll.* quae ſub *Petri Burmanni* auſpiciis prodiit, *Tom.* I. *Epiſt.* 557. ſcribit: *Briſſonium certum eſt Mainii juſſu Lutetiae ſtrangulatum, quod regiis partibus nimium favere videbatur, Hiſpanis certe eſſet infenſior. O cladem, & vel hoc ſolo nomine funeſtam urbem! Quis jam de illo regno bene ſperet, unde virtus ipſa ſublata eſt*

&

de eloquentia ejus varia eruditorum judicia, quemadmodum ex Celeb. *Conradi vita Briſſonii pag.* 14. perſpicere poſſumus. Sed ſunt tamen plures, (*a*) qui eloquentiam ejus laudant, prae illis, qui eam vituperant; iſtorumque etiam judicium, prae horum calumnia, magis ſincerum & incorruptum eſſe videtur. Quemadmodum vero de ejus eloquentia, quum ſpecimina illius deſint, ipſi judicare non poſſumus; ita de ſtilo, quo in ſcriptis ſuis uſus fuit, vere dicere poſſumus, eum multos hac in parte JCtos viciſſe. Regnat ubique in ſcriptis ejus ſtilus purus, terſus & elegans. Et quamvis ſemper cum veteribus loqui ſtuduerit, non poteſt tamen accuſari, quod ſtilum nimis antiquum affectaverit. Equidem non reperio, quid in ſcribendi ejus ratione magnopere reprehendi queat, niſi quod interdum nimio brevitatis ſtudio paullo fiat obſcurior. Sed quemadmodum nemo ex omni parte perfectus eſſe poteſt, ita haec etiam prima facie apparens obſcuritas plerumque accurata, attenta & iterata lectione diſpelli poteſt: attentum enim lectorem ſcripta ejus omnino requirere certum eſt. Non vero in ſoluta tantum oratione ſtilum ſuum exercuit Briſſonius: ſed etiam in ligata; cujus rei pauca ſpecimina extant in *Deliciis Poëtarum Gallorum*, collectis ab *Ranutio Ghero*, (id eſt *Jano Grutero*) *Tom.* I. *pag.* 708. *ſeqq.* ex quibus ſatis apparet, illum ab hiſce quoque Muſis non fuiſſe alienum. Elucet ſane ex paucis iſtis ſpeciminibus ingenium ejus eximium, tam in ſeriis, quam in jocoſis. Quemadmodum enim maxime ſerium & grave eſt ejus Carmen *in Conventus Juridicos Pictavienſes*, & *de Pacis & Belli effectibus:* ita molle contra & jocoſum admodum eſt Carmen, quod inſcribitur *Pulex Catharinae des Roches.* Sane quum Pulex iſte eo tempore maxima Poëtarum Gallorum ingenia exercuerit: (ut ex Collectione laudata paſſim colligere poſſumus) Briſſonii utique verſus non infimum occuparunt locum, & ab aliis Poëtis paſſim laudantur. (*b*)

Me-

& juſtitia. Sed Bertius ſine dubio ſcripſit ex falſo & incerto rumore, quem ipſe Dux paullo poſt vindicta ſua refutavit. Ab Hiſpanica ſane factione, quae ab ipſo Duce eo tempore diſſentiebat, ſine dubio caedes iſta miſerrima facta eſt. Dux enim ille, ut & Briſſonius, aliique, non abhorrebant a Rége Navarrae Henrico IV. accipiendo, ſed deſiderabant tantum, ut patriam prius religiónem ejuraret. Alii contra regnum plane in manus regis Hiſpaniae tradere volebant. Obiter etiam obſervo, auctores necis illius omnibus bonis tam deteſtandos viſos fuiſſe, ut hocce odium ad ipſos etiam poſteros illorum redundaverit: ut videre poſſumus ex P. *Burmanni Sylloge Epiſtoll. Tom.* II. *pag.* 598. *ſeq.* & *Tom.* III. *pag.* 84.

(*a*) Illis, quos Cel. *Conradi* nominavit, addatur *Petrus Geſſius*, qui in *Deliciis Poëtar. Gallor. Tom.* I. *pag.* 932. ita de Briſſonio canit:

Auritas ornos traxiſſe, feraſque ſequentes,
Traditur Orpheae viſque ſonuſque lyrae.
At ſuadela tui cultrix, o Briſſo, leporis,
Nos quocunque rapit, cordaque ſaeva domat.
Durior arborea plebes eſt ſtirpe feriſque;
Sed qui molliat hanc Orpheus alter ades.

(*b*) Sic v. g. *Antonius Oiſelius* in *Deliciis Poëtar. Gall. Tom.* II. *pag.* 137. dum Pulicem Catharinae Rupellae eleganter celebrat, de Briſſoniano carmine ita canit:

Ecce ille eloquii Princeps, Juris Coryphaeus,
Graecorum & Latii vindex, atque aſſiduus praes,
Subripit excelſos animos a rebus agendis,
Fortunam Pulicis modulatis verſibus implens.

Mediocri quodammodo ſtilo & familiari incedit Carmen, cui auctor titulum fecit *Sermo*, cujus jam ſupra injeci mentionem. Non deſunt, qui plagii etiam literarii Briſſonium noſtrum reum faciunt, non tantum nomine *Aemari Ranconeti*: (cui Opus de Formulis ſurripuiſſe dicitur, quod ſupra jam profligavi) ſed etiam nomine *Andreae Tiraquelli* (*a*), gentilis & popularis, ut ipſe eum vocat. Verum quemadmodum ſola accuſatio non facit nocentem, ſed probatio criminis: ita nihil adhuc prolatum fuit a quoquam, ex quo hujus rei probatio peti poſſit: immo fateor, me, qui utriuſque ſcripta legi, nullum hujus criminis reperiſſe veſtigium. Ubicunque ſane in materiam aliquam incidit Briſſonius, quam Tiraquellus jam tractavit, lectores ad illum cum honorifica ſatis commemoratione ablegat, quamvis alias in ſcriptorum recentiorum laudatione ſit ubique parciſſimus: id quod ſane non invidiae, aut malevolentiae ejus eſt tribuendum, ſed quod ſemper ſolitus fuerit ex ipſis haurire fontibus, & quod tales plerumque tractet materias, quae ab aliis recentioribus ſcriptoribus adhuc eſſent omiſſae. Ubique etiam cum delectu verſatur in adducendis aliorum, veterum etiam ſcriptorum, teſtimoniis: qua in re (ut & in multis aliis, quemadmodum jam a nonnullis fuit animadverſum) Tiraquello longe fuit ſuperior. Unde quorundam etiam calumnia facile ex ipſa ſcriptorum Briſſonii lectione refellitur, quod ſine cauſa ſcilicet nimius fuerit in locis veterum ſcriptorum adducendis, ut molem tantum librorum ſuorum augeret. Sane qui ſcit, quomodo literae illae elegantiores, quae ex teſtimoniis veterum pendent, ſint tractandae, & quomodo variorum locorum collatio majorem ſemper lucem accendat: is non facile accuſabit Briſſonium, quod nimius ea in re fuerit. Quod enim *Joſephus Scaliger Epiſt.* 9. cauſatur, illum in libro *de Regio Perſarum Principatu* res etiam notiſſimas teſtimoniis comprobaſſe: ad id reſponderi facile poteſt, auctorem nimirum tales res connexionis quoque gratia adducere debuiſſe; teſtimonia vero eum adjeciſſe, non tam ob res ipſas, per ſe notas, ſed ob modum praecipue, ut ſcilicet cognoſcere poſſemus, quo ſe iſtae modo in regno veteri Perſarum habuerint. Reperiuntur etiam, qui putant, eundem *Scaligerum Epiſt.* 63. Briſſonio turpiſſimam furti notam inurere voluiſſe. Sed hoc tamen a Scaligeri, utut inimici, mente alienum fuiſſe puto. Dicit enim tantum, Briſſonium bonam librorum regiorum partem domum ſuam tranſtuliſſe. Sed hoc vel bona Regis venia factum fuit, vel ſaltem bona mente, ut in iſtis ſcilicet calamitatibus eo tutius ſervarentur. Si vidua poſt caſum ejus funeſtum libros illos regios vendidit, hoc ſine dubio fecit, vel ex ſumma neceſſitate, vel quod neſcivit, libros iſtos eſſe alienos. Utut vero de hoc ultimo momento contendere nolim: ita omnino cum veritate pugnat, talem virum libros regios clam ad uſus ſuos transferre potuiſſe, quum hocce furtum facile detegi potuiſſet. Caeterum de vita Briſſonii privata & domeſtica licet

non

(*a*) Vide e. g. *Pithoeana*, *pag.* 492. *ed. Amſtel.* 1740. ubi ita legitur: *Briſſon a compilé Tiraqueau. Ses Formules ſont de Ranconnet.*

** ** **

non plura commemorare mihi animus ſit, quam de vita ejus civili in republica: illud tamen, quod cum vita ejus literaria connexionem habet, negligere non debeo: eum ſcilicet cum praecipuis ſui temporis eruditis amicitiam coluiſſe. Quoſdam commemoravit Excell. *Conradi* in *Vita Briſſonii*, *pag.* 14. quibus ex Carmine illo, jam ſemel atque iterum laudato, quod *Sermo* inſcribitur, addere poſſumus *Renatum Choppinum*, *Anton. Oiſelium*, *Claudium Binetum*, qui etiam in Poëmatibus ſuis Briſſonii noſtri mentionem ſaepe fecerunt honorificam. Ex *Epiſtolis* praeterea *Mureti* perſpicimus, amicis ejus accenſeri debere *Renatum Pincaeum*, per quem ipſe etiam Muretus in illius amicitiam inſinuatus fuit. Conqueſtus nimirum erat Muretus apud Pincaeum, (vid. *lib.* IV. *Epiſt.* 60.) Briſſonium formulam aliquam, a ſe primum animadverſam, alteri (*Lipſio* forſan, niſi conjectura me fallit) tribuiſſe. Ut igitur tanti viri animum placaret Briſſonius noſter, pro ſua humanitate, epiſtolam ſcripſit ad Muretum, brevem illam quidem, plenam tamen amoris & amicitiae: ad quam cum mutui amoris & obſervantiae ſignificatione, eadem brevitate, ne tanti viri negotia interrumperet, reſpondit Muretus: quae utraeque in *Epiſtolis Mureti lib.* IV. *num.* 64. & 65. legi merentur. Num alias cum exteris magnum literarum commercium aluerit Briſſonius, id in dubio relinquere debemus, quum neque ipſius literae ſuperſint, neque aliorum ad ipſum, ſi duas paullo ante commemoratas excipiamus: unde non ſine ratione ſuſpicor, virum hunc ob maxima in republica negotia non multum temporis literis ſcribendis tribuere potuiſſe. Fuit tamen Briſſonius noſter omnibus ſui temporis eruditis & bonis, non tantum ob eruditionem, ſed & ob modeſtiam praeſertim ſuam, gratiſſimus, ſi unum *Joſ. Scaligerum*, erga alios plures iniquiſſimum, excipias. Neque eum unquam controverſias cum aliis eruditis aluiſſe reperio: quas facile evitavit, quum rariſſime, & non niſi modeſtiſſime alios refutare conſueverit. Non vero apud eruditos tantum, ſed & apud ſummos in republica homines in maxima fuit gratia. Neque enim Regibus tantum ſuis, ut notum, valde fuit carus & acceptus: ſed & praecipuis regiis miniſtris. In primis vero gratia floruit apud *Michaëlem Hoſpitalium*, principem Galliae virum, tam in civili, quam in literaria republica, per quem etiam commendatus fuit *Margaretae*, *Allobrogum* & *Biturigum Duci*, quae eo tempore commune literarum & literatorum praeſidium, ac veluti aſylum fuit, & per quam praecipue, quod ſupra jam tetigi, factum fuit, ut Jurisprudentia & literae elegantiores in antiquam in Gallia dignitatem reſtituerentur. Hae ſunt paucae meae de ipſo Briſſonio meditationes: pleniora enim & certiora a ſe exſpectare jubet *Franciſcus Carolus Conradi*.

Ad alterum igitur Praefationis hujus membrum accedo. Jam enim paucis quoque de Scriptis ſummi hujus viri, eorumque Editionibus, & collectionibus, eſt agendum. Nihil vero dicam de ſcopo, aut de fato horum ſcriptorum, quoniam praeter pauca illa, quae ex Praefationibus inno-

innoteſcunt, & ab unoquoque legi poſſunt, (quia omnes, quas reperire potui, huic editioni adjunxi,) nihil fere certi hac de re dici poteſt. Conjecturas vero meas, de eorum praeſertim elaboratione, jam antea aperui: & ſi qua adhuc de fatis eorum dicenda veniunt, ea infra, quum de mea ſingulis impenſa opera egero, addere non intermittam. Nunc enim nuda eorum recenſione contentus, ordinem potiſſimum chronologicum obſervabo.

I. Primum Briſſonii opus fuit: *Selectarum ex jure civili Antiquitatum lib.* IV. Et *libri* quidem *primi* Epiſtola Dedicatoria ad *Renatum Daillonium*, Epiſcopum Lucionenſem, data eſt *Lutetiae Pariſ. Prid. Kal. Jul.* 1556. *Lib.* II. *Epiſt. Ded.* ad Patrem ſuum, *Franciſcum Briſſonium*, Fontenajenſis Praefecturae Paredrum, *ibid. Kal. Jul. e. a. Libri* vero III. *Epiſt. Ded.* ad *Jacobum Fabrum*, Inquiſitoriarum claſſium in Senatu Pariſienſi Praeſidem, data eſt *ibid. Idib. Jun.* 1557. *Libri* denique IV. *Epiſt. Ded.* ad *Aegidium Bourdinum*, Regium in Senatu Pariſienſi Procuratorem, *ibid. Kal. Octob. e. a.* Sine dubio igitur *liber* I. & II. uno ſimul tempore, *A.* 1556. *Pariſiis*, ut credere par eſt, primum prodierunt; *liber* vero III. & IV. parvo intervallo ſecuti ſunt A. 1557. haſce tamen ſeparatas horum librorum editiones nuſquam commemoratas inveni. Prima omnium quatuor horum librorum editio, cujus mentionem reperi, *Lugd.* per *Jo. Tornaeſium* & *Guil. Gazejum*, 1558. 4. prodiit. Deinde cum aliis Auctoris Operibus lucem adſpexerunt *Antwerp.* 1585. 8. & *Francof.* 1587. *fol.* de quibus collectionibus infra dicam. Tum iterum ſoli prodiiſſe dicuntur *Hanov.* 1599. 8. Deinde cum auctoris acceſſionibus poſtumis (quas poſteriores editiones neglexerunt) primum locum occupavit in *Operum* ejus *variorum* editione *Pariſ.* 1606. 4. de qua infra. Poſtea ſeparatim iterum hi quatuor libri prodierunt *Helmſt.* 1663. 4. *Heidelb.* 1664. 8. *Lugd.* 1678. 8. Editio *Helmſt.* 1663. 4. typis & ſumptibus *Jo. Heitmulleri*, prodiit, ut ipſe titulus prae ſe fert, cura *Henr. Hahnii*, JCti & Anteceſſoris primarii. Enimvero in *Diſſ.* ſupra laudata de B. *Briſſonio*, quae ſub Praeſidio *Dan. Guil. Molleri Altorf.* 1696. habita fuit, ea §. 40. *ſeq.* curae *Jo. Goeſii*, *Weſtphali*, adſcribitur: proferuntur etiam inter *Elogia* §. 38. *num.* XXII. verba quaedam *Goeſii*, quae ad calcem hujus editionis legi dicuntur; in meo vero exemplo nuſquam comparent. Quum igitur credibile non ſit, hoc opus uno eodemque loco & anno, apud eundem typographum bis prodiiſſe: ſuſpicor, typographum, quum opus non tam celeriter, ut ſperabat, diſtraheretur, deleto nomine *Goeſii* obſcuriori, in novo titulo clariſſimum *Hahnii* nomen poſuiſſe. Si quis hocce dubium meliori ratione ſolverit, id mihi erit gratiſſimum. Poſtea hoc opuſculum additum fuit Operi majori *de Verborum ſignificatione*, ex *edit. Francof.* 1683. & 1697. nec non *Lipſ.* 1721. *fol.* Noviſſime ſeparatim hi IV. *Select. Antiqq.* libri, cum meis emendationibus & nonnullis annotationibus lucem adſpexerunt *Lipſ.* 1741. 4.

II. Inter

II. Inter priores & poſteriores duos Select. Antiqq. libros auctor abſolvit *Libros* III. *de Solutionibus & Liberationibus*, in quibus de omnibus obligationem tollendi modis egit, ut facile ex ipſa operis diſpoſitione apparet. Epiſtola Dedicatoria ad *Petr. Seguierium*, Pariſienſis Senatus Praeſidem, data eſt *Lutet. Pariſ. Non. Febr.* 1557. & probabile omnino eſt, hoc opuſculum eo anno primum Pariſiis prodiiſſe: nullam tamen antiquiorem editionem reperire potui, quam eam, quae *Lugd.* 1558. lucem adſpexit. Deinde duae commemorantur editiones *Pariſ.* 1579. & 1585. 8. (ad poſteriorem *Lipenii Bibl. Jurid.* addit: *cum Antiqq. Juris;* qua de re valde dubito) Cum aliis auctoris operibus prod. *Antwerp.* 1585. 8. & *Francof.* 1587. *fol.* tandemque inter *Opera varia*, *Pariſ.* 1606. 4. ſine ullis tamen acceſſionibus. Poſtea illud opuſculum prodiiſſe non reperi. Unde illud omnium fere Briſſonii eſt rariſſimum, in Germania praeſertim.

III. Paullo poſt abſolutos lib. IV. Select. Antiqq. lucem adſpexit ejus *liber ſingularis ad* L. *Juliam de Adulteriis*, in quo legem hanc ex fragmentis veterum JCtorum, quantum fieri potuit, integritati ſuae reſtituit, ſingulaque ejus capita Commentario illuſtravit. Abſolvit hoc opuſculum *Lutet. Pariſ. pr. Kal. Decembr.* 1557. ut ex ſubſcriptione Epiſtolae dedicatoriae ad *Chriſtoph. Thuanum Celium*, Pariſienſis Senatus Praeſidem, patet. Prodiit igitur *Pariſ.* 1557. 8. quam editionem multi memorant. Deinde aliis auctoris operibus junctum fuit *Antwerp.* 1585. 8. & *Francof.* 1587. *fol.* Separatim iterum lucem adſpexit *Hanov.* 1599. 8. Tum in *ed. Pariſ.* 1606. 4. *Operum variorum* cum nonnullis acceſſionibus poſtumis comparet: ſine quibus ſeparatim denuo prodiit *Heidelb.* 1664. 8. tandemque *Tomo* VIII. *Theſ. Antiqq. Graec.* a *Jacobo Gronovio* fuit inſertum.

IV. Maximum & praecipuum ſine dubio Briſſonii opus eſt *Lexicon* illud *Juris*, ſive *de Verborum ſignificatione*, quo iis, qui juri operam navant, omnibus non leve praeſtitit adjumentum. Sed mirandum eſt, incertum adhuc eſſe, quo anno hoc opus primum prodierit. Neſcio enim, quo fato contigerit, ut Epiſtola dedicatoria, prioribus editionibus praemiſſa, ad *Nicol. Pelleveum*, Ambianenſem Epiſcopum, & libellorum ſupplicum Magiſtrum, ſine die & conſule ubique legatur, contra auctoris conſuetudinem. Commemoratur quidem a variis editio *Francof.* 1557. Sed vix mihi veroſimile videtur, auctorem iſta jam aetate, & illo anno, quo tam multa jam eruditionis ſpecimina edidit, hoc quoque opus in publicum emiſiſſe. Accedit & hoc, vix probabile eſſe, illud in Germania prius, quam in Gallia prodiiſſe. Eſt ergo annus & locus primae editionis adhuc obſcurus. Mentionem praeterea reperi *edd. Francof.* 1578. (in *Praef.* Ill. *Boehmeri noviſſ. ed.* praemiſſa, perperam vitio typographi legitur 1558.) & 1583. Prima vero editio, cujus exiſtentiam certo affirmare poſſum, eſt ea, quae *Francof.* 1587. *fol.* cura *Franc. Modii*, *JCti Brug.* prodiit, cui non tantum alia auctoris

(

(ut infra indicabo) ſed & varia *Franc. Hotomanni* opuſcula (*de Verbis* ſcilicet *feudalibus; de Legibus Rom. de Vitis JCtorum; de Magiſtratibus & Senatu Rom. de Formulis & ſollemnibus P. R. verbis*) adjuncta ſunt. Poſtea opus hocce utiliſſimum, ab ipſo auctore recognitum, auctum & emendatum, prodiit paullo poſt fatum ejus acerbum *Pariſ.* 1596. *fol.* ſub ipſius Regis Henrici IV. auſpiciis. Haec deinceps editio repetita fuit tum *Genevae* 1615. tum *Francof.* 1657. *fol.* Paullo vero poſt cum Analectis *Jo. Ottonis Taboris*, noviſque Acceſſionibus *Jo. Itteri*, *Francof.* 1683. & 1697. nec non *Lipſ.* 1721. *fol.* quibus editionibus, praeter *Parerga*, *lib.* etiam IV. *Select. Antiq.* ſunt adjuncti. Quum vero hoc opus, licet utiliſſimum, novam adhuc emendationem, novaſque acceſſiones requirere videretur; operam hanc in ſe ſuſcepit Vir & eruditione, & dignitate, dum viveret, illuſtris, *Jo. Gottl. Heineccius*, eique ultimum fere vitae ſuae decennium impendit. Quumque huic labori, vix ultimam imponens manum, immortuus eſſet vir doctiſſimus & laborioſiſſimus, tandem hanc editionem in lucem emiſit Vir pariter illuſtri dignitate & doctrina conſpicuus, *Juſtus Henning. Boehmerus*, addita elegantiſſima Praefatione, *Halae Sax.* 1744. *fol.* cui editioni nulla alia auctoris opuſcula, praeter ſola *Parerga*, ſunt adjuncta.

V. De hiſce jam commemoratis *Parergis* non tantum dubitatur perinde, ac de opere antecedenti, quo anno primum prodierint: ſed & illud adhuc manet incertum, num ſeparatim unquam lucem adſpexerint. Equidem nullius editionis ſeparatae mentionem reperire potui: ſemper enim hoc opuſculum cum Opere de Verborum ſignificatione, quantum ſcio, conjunctim prodiit. Praeterea vero illud etiam comparet in *edit. Operum variorum Pariſ.* 1606.

VI. Jam ad alia pergo opera, de quorum primo editionis tempore certiora afferre poſſum. Sequatur ergo opuſculum, quod *Pariſ.* 1564. 8. prima vice, ſed ſine auctoris nomine, prodiit ſub titulo: *Obſervationes divini & humani juris, in quibus explicantur* L. *Dominico de Spectaculis in Cod. Theod. &* L. *omnes dies C. de Feriis. Unde ſumta occaſione de priſcis dierum appellationibus, ac praecipuis Chriſtianorum feſtivitatibus, nec non de vetuſti baptiſmi ritibus, & ſpectaculorum abrogata licentia, judicialibuſque praeterea feriis, multa ſcitu ac cognitione digna tractantur.* Dedicatoria tamen Epiſtola ad *Chriſtoph. Thuanum*, Pariſienſis curiae primicerium Praeſidem, ſacrique auditorii & conſiſtorii Conſiliarium, jam data eſt *Kal. Jan.* 1563. Haec deinde editio repetita fuit in Germania *Hanov.* 1600. 8. ſub titulo: B. *Briſſonii JC. & Conſiliarii Regii, Commentarius in* L. *Dominico de Spectaculis in C. Theod. & L. omnes dies C. de Feriis. Unde ſumta &c.* Commemoratur quidem apud quoſdam duplex editio *Hanov.* 1599. & 1600. Sed, ut taceam, vix probabile eſſe, intra tam breve temporis ſpatium hoc opuſculum uno in loco bis prodiiſſe, in editione etiam A. 1600. in fronte legitur: *Nunc primum in Germania in lucem editus.* Sine dubio igitur una eademque

editio eſt, quae ſub diverſis annis memoratur. Inſertum deinde hoc opuſculum quoque eſt *Operum variorum ed. Pariſ.* 1606. 4. ſed ſine ullis acceſſionibus poſtumis: nec non *Tom.* VIII. *Theſ. Antiq. Graec.* qui ſub auſpiciis *Jac. Gronovii* lucem adſpexit. Separatim deinde prodiiſſe dicitur *Goud.* 1697. 12. in *Biblioth. jurid. Lipenii*, tam in *Struvii*, quam in *Jenichii* editione: nec non *Lugd. Batav.* 1712. 12. cum aliis Briſſonii opuſculis, (neſcio quibus) in *Niceronis Commentariis hiſtoricis*, *Gallice editis*, *Tom.* IX.

VII. Eodem anno 1564. *Pariſ.* in 4. (quam rariſſimam editionem ſe vidiſſe teſtatus eſt literis amiciſſimis Nobiliſſ. *Gerard. Meermannus*) prodierunt *de Ritu Nuptiarum liber ſingularis: Item de Jure Connubiorum liber alter*, *ad Ampliſſimum Clariſſimumque Virum*, *Michaelem Hoſpitalium*, *Summum Galliae Cancellarium:* Epiſtola tamen dedicatoria jam *Pariſ. Cal. Mart.* 1563. data eſt, eamque, in recentioribus editionibus omiſſam, communicavit mecum laudatus *Meermannus*, unde illam in meam tranſtuli editionem. Quam avide vero haec duo excepta ſint Opuſcula, exinde apparet, quod eodem anno 1564. *Francoſ.* iterata editione ſunt repetita. Paullo poſt inſerta ſunt *Venet.* 1584. magnae illi Operum juridicorum Collectioni, quae ſub titulo *Tractatus Tractatuum* prodiit, *Tom.* IX. Lucem deinde cum aliis Briſſonii operibus adſpexerunt *Antwerp.* 1585. 8. & *Francoſ.* 1587. *fol.* Cum acceſſionibus vero poſtumis comparent in *ed. Operum variorum Pariſ.* 1606. 4. Deinceps ſaepenumero in Belgio cum *Ant.* & *Franc. Hotomannorum* ejuſdem argumenti libris (ſine poſtumis tamen acceſſionibus) prodierunt, veluti *Lugd. Bat.* 1641. 12. *Amſtel.* 1658. & 1662. 12. & ita quoque inſeruit *Tom.* VIII. *Theſ. Antiqq. Rom. Jo. Georg. Graevius.*

VIII. Sequuntur jam *Libri* VIII. *de Formulis & ſollemnibus Populi Romani verbis*, quorum prima editio certiſſime prodiit *Pariſ.* 1583. *fol.* Epiſtola vero dedicatoria ad Nobiliſſimum Clariſſimumque Virum, *Philippum Huraltum Chevernium*, Franciae Procancellarium, torquatum utriuſque Regis militiae Nomophylacem, Provinciarum Aurel. Carnut. Bleſenſ. Ambaciac. Juliadun. Rectorem, data eſt *Lutet. Pariſ. Non. Decembr.* 1582. Haec editio deinde in Germania repetita fuit *Francoſ.* 1592. & *Mogunt.* 1649. 4. quarum illam huic, quod ad accurationem, multo eſſe praeferendam teſtatur V. Excell. *Franc. Car. Conradi:* qui ipſe bono publico novam eamque emendatiorem longe (quoad loca praecipue veterum auctorum) editionem dedit *Halae & Lipſ.* 1731. *fol.* cui praeter *Praefationem* illius *novam*, accedunt *Vita & Elogia* B. *Briſſonii*, *conſpectus univerſi operis*, *auctorum*, *formularum*, *rerum & verborum Indices.* Promiſit etiam vir doctiſſimus, ſe in peculiari Obſervationum libro ea, quae huic operi adhuc deſint, aut quae perperam tradita videantur, ſuppleturum & emendaturum: quem ut primo quoque tempore, cum nova vitae Briſſonianae editione, cum orbe erudito com-

communicare velit, per ipſos Briſſonii noſtri manes rogo atque obteſtor.

IX. Quod nunc ſequitur opus laborioſiſſimum non tam propria voluntate, quam juſſu Regis perfecit. Corpus nimirum Juris Gallici, quod ſub Codicis Henriciani nomine notum eſt. (*Le Code du Roy Henry* III.) Prodiit illud primum *Pariſ.* 1587. *fol.* repetita deinde editione *Lugd.* 1599. & *Pariſ.* 1600. *fol.* Poſtea vero ſaepenumero cum variis variorum JCtorum augmentis & acceſſionibus, qua de re ſcriptores juris Gallici ſunt conſulendi.

X. Ultimum certe auctoris opus eſt illud, quod de veteri Regno Perſarum ſcripſit, quodque ipſo obſidionis tempore *Pariſ.* primum 1598. 8. prodiit ſub titulo: *De Regio Perſarum Principatu Libri tres, ex adverſariis* V. C. B. B. S. P. P. (Unde omnes illi, qui vel antea, vel poſtea demum illud prodiiſſe dicunt, in errore verſantur.) Hoc opuſculum poſtea in Germania (*Francoſ.* vel, ut alii volunt, *Heidelb.* quia locus in titulo non eſt expreſſus) 1595. 8. apud *Commelinos*, ex recenſione & cum notulis *Frid. Sylburgii*, lucem adſpexit ſub eodem titulo, expreſſo tamen integro auctoris nomine. Hanc editionem ſine ullis acceſſionibus poſtea repetierunt Pariſienſes in *ed. Operum variorum*, 1606. 4. in Germania vero noſtro ſeculo currente *Jo. Henr. Lederlinus*, *Argentor.* 1710. 8. additis novis obſervatiunculis.

XI. Praeter haec opera *Poëmata* quoque Briſſonii quaedam reperiuntur in *Deliciis Poëtarum Gallorum*, *Tom.* I. *pag.* 708. *ſeqq.* de quibus ſupra nonnulla dixi.

XII. *Notae* etiam in T. *Livium* nonnullae, ex operibus ejus excerptae, occurrunt in editione, quae cura *Franc. Modii* prodiit *Francoſ.* 1588. *fol.* quemadmodum in *Commentariis ſuis hiſtoricis* indicavit P. *Niceron.*

XIII. *Librorum* praeterea *Adverſariorum* mentionem fecit *Jo. Goës* in fine *ed.* ſuae *Select. Antiqq.* ex qua haec verba (in mea enim *ed. Helmſt.* quae *Habnii* nomen prae ſe fert, illa non leguntur) in *Diſſ.* quae de B. *Briſſonio* ſub Praeſidio *Dan. Guil. Molleri Altorſ.* 1696. prodiit, adducta ſunt: *Pleraque ſcripta Briſſonii, exceptis tribus hiſce*, 1. *Adverſariorum libris*, 2. *de Formulis* P. R. 3. *de Regno Perſarum*, *Francoſ.* 1587. *fol. cura Fr. Modii prodierunt.* Niſi vero opus nobis plane incognitum intelligat, neceſſe eſt, eum reſpicere ad *Comment. in* L. *Dominico de Spectaculis*, qui etiam ſub titulo *Obſervationum rerum divinarum & humanarum* prodiit: hoc enim opuſculum, cum duobus ſequentibus operibus commemoratis, ſolum deeſt in illa Modii collectione.

Haec ſunt Opera B. Briſſonii, quae exſtant, omnia. Jam etiam paucis quaſdam recenſebo collectiones Variorum Operum hujus auctoris, quae mihi innotuerunt.

I. Primo commemoranda venit parva collectio variorum opuſculorum, quae prodiit *Antwerp.* 1585. 8. in qua occurrunt: 1. *Lib.* IV. *Select. Antiq.* 2. *Ad legem Juliam de Adulteriis liber ſingularis.* 3. *de Solutio-*

nibus & Liberationibus lib. III. 4. *de Ritu Nuptiarum & de Jure Connubiorum libri ſingulares.*

II. Pro collectione etiam merito habetur *Franc. Modii* editio Operis *de Verborum Significatione*, quae *Francof.* 1587. *fol.* prodiit, quia huic pleraque auctoris noſtri opuſcula adjunxit. Nimirum: 1. Παρεργῶν *lib. ſing.* 2. *Select. Antiqq. lib.* IV. 3. *ad L. Juliam de Adulteriis. lib. ſing.* 4. *de Solut. & Liberat. lib.* III. 5. *de Ritu Nuptiar. lib. ſing.* 6. *de Jure Connub. lib. ſing.*

III. Denique copioſiſſima collectio prodiit *Pariſ.* 1606. 4. apud *Barthol. Macaeum*, ſub titulo: *Opera varia, multo quam ante hac emendatiora, & tertia amplius parte auctiora.* In hac collectione ſequentia occurrunt opuſcula: 1. *Selectarum ex jure civili Antiqq. lib.* IV. 2. *de Ritu Nuptiarum lib. ſing.* 3. *de Jure Connubiorum lib. ſing.* 4. *ad L. Juliam de Adulteriis. lib. ſing.* 5. *de Solut. & Liberat. lib.* III. 6. *Comment. in L. Dominico de Spectac. in C. Th. & L. omnes dies C. de Feriis.* 7. Παρεργῶν *lib. ſing.* 8. *de Regio Perſarum Principatu lib.* III.

Adhuc igitur editio haec Pariſina *Operum variorum* optima & locupletiſſima fuit Collectio Operum minorum Briſſonii, quae praeterea ſe etiam commendat ob varias acceſſiones auctoris poſtumas in nonnulla opuſcula, ut ſupra indicavi, quae non tantum in anterioribus editionibus deſunt omnibus, ſed in editionibus etiam inſequentibus ſunt neglectae, quia fortaſſis eam ob raritatem non viderunt editores, in exteris praeſertim regionibus. Nulla vero in hac collectione comparent opera *ante hunc diem nunquam edita;* quemadmodum typographus in Praefatiuncula ſua promittit: ſed omnia, quae in hoc reperiuntur faſciculo, opuſcula jam aliquoties antea lucem viderunt. Quaedam etiam tantum auctiora & locupletiora hic comparent, ut jam antea notavi, & infra ſigillatim indicabitur. Unde nimis magnifice in titulo dicitur: *tertia amplius parte auctiora;* & minus vere: *multo quam antehac emendatiora.* Optandum enim omnino eſſet, ut major in hac editione cura fuiſſet adhibita. Non enim tantum ſcatet variis mendis typographicis: ſed & poſtumae illae auctoris acceſſiones non ſemper accurato cum judicio, neque juſto ſemper loco poſitae ſunt. Etenim varia ſaepe auctores ad propria ſua opera annotant, non eum in finem, ut in novis editionibus typis ſint exprimenda: ſed ad proprium uſum, & ad certum tantum finem: neque de juſto ſemper loco notando adeo ſunt ſolliciti, in maximis praeſertim occupationibus: unde in talibus ſeligendis & diſponendis magna ſemper cautio, magnumque judicium eſt adhibendum. Verum enim vero editor hujus Collectionis omnia ſine judicio ex auctoris adverſariis, & adnotationibus in margine ſcriptis corraſit. Neque etiam in eo ſatis fuit diligens, ut omnia juſto poneret loco; unde factum fuit, ut novae interdum acceſſiones neque cum antecedentibus, neque cum conſequentibus bene cohaereant, ſed univerſam potius connexionem interrumpant. Exempla ſtatim praebet ipſum *cap.* 1. *lib.* 1. *Selectar.*

Antiqq.

Antiqq. Ibi enim *v. g. pag.* 1. *col.* 2. inter *poſſum* & *habitam* loca SENECAE & TACITI non bene poſita eſſe videntur. Conſidera quoque L. B. periodum *pag.* 2. *col.* 1. a verbis: *Certe* JUVENALIS, uſque ad verbum *Proferemus:* & ſtatim deprehendes, eam neque cum antecedentibus, neque cum conſequentibus bene cohaerere, adeoque non debito loco poſitam fuiſſe. Sic etiam *lib.* III. *Select. Antiqq. cap.* 15. *pag.* 80. *col.* 2. locus OVIDII ex *El.* IX. *lib.* IV. *de Ponto* non ſuo loco poſitus eſt, ſed poni debuiſſet *col.* 1. poſt locum ex *El.* V. *lib.* IV. *de Ponto.* Alia paſſim exempla in annotationibus meis notavi, unde hoc loco iis non eſt immorandum. Sunt praeterea ipſae etiam novae acceſſiones ſaepenumero mendoſae & mancae, adeo, ut nullus commodus ſenſus exinde elici poſſit: cujus rei exempla varia paſſim in notis obſervavi. (Vid. e. g. *lib.* I. *cap.* 2. *Select. Antiqq. not.* e.) Interdum quoque, quando auctor quaedam correxit in margine, editor utramque lectionem in textu repraeſentavit, cujus rei exemplum videre poſſumus *lib.* II. *Select. Antiqq. cap.* 6. *pag.* 42. *col.* 2. Praeterea ordo periodorum in hac quoque editione interdum fuit mutatus: quod num ſemper accurate ſecundum auctoris voluntatem factum fuerit, ego quidem valde dubito: nonnunquam certe vetus periodorum ordo recentiori videtur eſſe praeferendus. Haec ſunt praecipua hujus Collectionis vitia, quae quidem non omnia nunc tolli poſſunt. Nam ſphalmata quidem typographica ex aliis plerumque editionibus poſſunt emendari: quod ad acceſſiones vero poſtumas attinet, vitia earum hodie tolli amplius nequeunt, quum ipſa illa auctoris exemplaria, in quibus notatae ſunt, non amplius ſuperſint. Quia tamen in hiſce poſtumis auctoris acceſſionibus inter quisquilias omnino aurum quoque atque gemmae ſplendent; collectioni huic ob illas juſtum ſuum omnino pretium eſt ſtatuendum, quae praeterea raritate quoque ſua ſe commendat, quod vel exinde patet, quia ſummi etiam viri, veluti *Graevius* & *Gronovius*, (ut de aliis nihil dicam) quaedam opuſcula ſplendidis Theſauris inſerentes, hanc non conſuluerunt editionem, adeoque poſtumas haſce acceſſiones non exhibuerunt. Unde apud aequos judices venia ſine dubio mihi etiam parata erit, quod in mea Lipſienſi *Selectarum Antiqq.* editione hanc collectionem in textu non fuerim ſecutus. Nam poſt diligentem inveſtigationem, eam nuſquam in hac urbe reperire potui: neque exiſtimavi, eam eſſe auctiorem variis illis multo recentioribus editionibus, tam ſeparatim editis, quam Operi de Verborum ſignificatione adjunctis, quas eo tempore conſului. Poſtquam tamen laudatam collectionem ex liberalitate Viri Nobiliſſ. & Conſultiſſ. *Gerardi Meermanni* nactus fuerim, non contemnendas in illa reperi acceſſiones. Quum igitur haec *Operum Variorum* editio non facile his temporibus comparari poſſet; & magni tamen intereſſet eruditorum, ut haec Briſſonii opuſcula in eorum manibus frequentius verſarentur; jam diu multi fruſtra optarunt, ut bibliopola aliquis ſumtus ſubminiſtraret, ad opuſcula iſta recudenda. Non defuerunt

runt enim eruditi, qui operam ſuam eam in rem pollicerentur, quorum praecipuus *Franc. Carolus Conradi*, jam optime ob novam *Formularum* editionem de Briſſonio meritus. Sed in Germania quidem bibliopolae ſumtus reformidarunt. Bono ergo publico hoc conſilium cepit Vir integerrimus, *Joannes Arnoldus Langerak*, cui merito eruditi, JCti inprimis, eam ob rem gratias agere debent. Facile vero vidit, novam hanc Operum Briſſonii editionem parum utilitatis eſſe praeſtituram, niſi curam ejus in ſe ſuſciperet aliquis, qui & diligentiam ſummam, & aliqualem ſaltem eruditionem in emendando & illuſtrando textu adferret. Suadentibus igitur, pro ſua erga me amicitia, Viris Praeſtantiſſimis, *Gerardo Meermanno*, & *Davide Ruhnkenio*, curam hujus operis ad me, nihil tale cogitantem, detulit vir optimus. Suſcepi illam, impellentibus iiſdem viris amiciſſimis, tandemque, quantum per alias occupationes, corporiſque valetudinem admodum imbecillam, licuit, bono cum Deo opus perfeci. Quodſi omne illud temporis intervallum, ex quo labor hic mihi demandatus fuit, donec opus in tabernis librariis perfectum nunc comparet, computetur, triennii fere ſpatium intercedit: unde ſatis apparet, me non in nimia peccaſſe feſtinatione. Sin autem quibuſdam nimius videar cunctator, ii, quaeſo, cogitent, varia ſaepe impedimenta, & a mea, & a bibliopolae parte interceſſiſſe, quae opus ſubinde interrumperent, ut non aequali ſemper alacritate perfici potuerit. Equidem, ut de me pauca tantum dicam, praeter ipſam operis difficultatem, (ad quod perficiendum ſubſidia ex multis ſane fautorum & amicorum bibliothecis petere debui, quum ipſe exigua admodum bibliotheca ſim inſtructus) corporis, oculorum inprimis, imbecillitate, hiemali praeſertim tempore, ſaepiſſime laboravi. Acceſſit & ipſa locorum diſtantia, quae ſaepe in transmiſſionibus faſciculorum hinc inde maritimis aliquot menſium moras effecit. Jam igitur nihil reſtat, quam ut paucis quoque exponam, (quod tertium hujus Praefationis membrum erit) quid potiſſimum a me in hac nova *Operum Minorum Briſſonii* editione praeſtitum fuerit.

Pro fundamento mihi merito fuit laudata *Operum variorum* editio *Pariſ.* 1606. 4. quia eſt collectio minorum auctoris operum copioſiſſima, quaeque praeterea, ut dixi, ob acceſſiones maxime poſtumas ſeſe commendat. Omnia igitur Opuſcula, quae in illa reperiuntur editione, in hac etiam nova Collectione comparent, & quidem cum acceſſionibus poſtumis omnibus, iis etiam, quae vel commode potuiſſent praetermitti, vel alio loco debuiſſent poni. Malui enim ea de re, ubi neceſſe fuit, lectorem in annotationibus admonere, quam aliquid in textu mutare, vel praetermittere. In ipſo tamen Opuſculorum ordine hanc editionem deſerui. Quum enim editor illius Opuſcula, prout in manus ejus inciderunt, ſine certa aliqua regula collocavit: mihi, amicisque meis, quos conſului, placuit, ut ordine potius chronologico collocarentur, ſive ſecundum annos & menſes, quibus ab auctore abſoluta, &

in

in lucem primum emiſſa ſunt. Tempus vero illud optime colligi poteſt, ex ſubſcriptionibus Epiſtolarum dedicatoriarum, ut vocantur, quae ſingulis opuſculis ſunt praemiſſae. Ex hiſce apparet, auctorem *Anno* 1556. *Kal. Jul.* abſolviſſe *lib.* I. & II. *Selectar. Antiqq.* A. 1557. *Non. Febr. lib.* III. *de Solutionibus & Liberationibus*. Ejuſdem anni *Id. Jun. lib.* III. *Select. Antiqq.* & *Kal. Octobr. lib.* IV. & ultimum hujus Operis. Quia vero hi IV. *Selectarum Antiqq.* libri non temere erant ſejungendi: hinc *lib.* III. *de Solut. & Liberation.* poſt totum *Select. Antiqq.* opus collocandum eſſe duxi. Sequitur vero illos *liber ſingul. ad* L. *Juliam de Adulteriis*, quem auctor eodem anno *Prid. Kal. Decembr.* abſolvit. Poſtea ſub ipſum *anni* 1563. initium ultimam manum impoſuit *Commentario ad* L. *Dominico de Spectac.* & L. *omnes dies* C. *de Feriis;* & *Kal. Mart. e. a.* libris II. *de Ritu Nupt.* & *de Jure Connubiorum:* haec igitur opuſcula eodem quoque ordine in hac nova collectione ſequuntur. *Parerga* quando abſoluta, vel publicata primum fuerint, adhuc, ut ſupra indicatum eſt, expiſcari non potui: collocavi igitur ea poſt commemorata modo opuſcula, quia ante ſequens ſaltem opus, quod ultimum certe auctoris fuit, edita fuerunt. Ultimum ergo locum merito occupant *Lib.* III. *de Regia Perſarum Principatu*, qui in ipſa urbis Pariſiorum obſidione A. 1590. lucem adſpexerunt. Haec de ordine opuſculorum dicere omnino debui.

Praecipua vero cura eorum, qui aliorum, ſive veterum, ſive recentiorum, auctorum opera edunt, jure meritoque eſſe debet, ut textus ipſe quam accuratiſſime in nova editione typis exprimatur: id quod nonniſi ex collatione variorum, tum MSS. tum impreſſorum, exemplarium praeſtari poteſt. In recentiorum quidem auctorum operibus rariſſime adſunt MSS. & hinc variae tantum editiones, optimae & antiquiſſimae inprimis, in conſilium ſunt adhibendae: id quod, quantum fieri potuit, in Briſſonio etiam recenſendo praeſtiti; quum praeſertim, ut dixi, editio Operum Pariſina variis mendis typographicis eſſet refertiſſima. Quaſcunque igitur potui editiones nanciſci, eas conſului, & diligenter inter ſe contuli, ut ita, quantum fieri potuerit, menda tollerentur omnia, & textus ſecundum ipſam auctoris mentem in integrum reſtitueretur. Optandum quidem fuiſſet, ut primas ubique auctoris editiones inſpicere, & in conſilium adhibere potuiſſem: ſed harum defectu, alias tamen bonae notae editiones contuli, de quibus deinceps quod ad ſingula opuſcula ſigillatim dicam. Conjecturas rariſſime in ipſius textus recenſione admiſi, & non, niſi ubi & menda ipſa erant manifeſtiſſima, & correctio certiſſima: alias enim conjecturas meas in notis proponere malui. In ſignis diſtinctionum ponendis paullo plus mihi indulſi: quia enim auctorem ea in re non ſatis accuratum deprehendi, ego textum ſecundum meam ubique methodum diſtinguere malui: operam tamen ſimul dedi, ne hoc contra auctoris mentem fieret; ſed ut potius auctori, ob ſuam diſtinguendi rationem nonnunquam obſcuriori,

ſcuriori, nova ſubinde lux per ipſas diſtinctiones affulgeret. Doleo vero, typothetam non ſemper ea in re diligentiam meam ſecutum fuiſſe; quod nimis tamen operoſum & taedioſum fuiſſet, ad ſingula loca in addendis & emendandis admonere. Quod ad orthographiam attinet, (ut hoc etiam obiter addam) illi, qui huic editioni excudendae praefuerunt, neque Briſſonii, neque meam rationem; ſed communem potius Belgii uſum, qui etiam hac in parte tyrannus eſt, ſunt ſecuti.

Quia vero auctor noſter in omnibus ſuis ſcriptis copioſus praecipue eſt in veterum ſcriptorum, & Graecorum, & Latinorum, teſtimoniis allegandis: hinc neceſſe omnino fuit, ut loca iſta in optimis & recentiſſimis editionibus evolverentur. Hic autem labor quam difficilis, & quam taedioſus ſit, is demum optime aeſtimare poteſt, qui ipſe aliquando in eo fuit exercitatus. Teſtimonia ſane illa plerumque quam vitioſiſſime in omnibus auctoris noſtri editionibus adducta ſunt. Saepenumero non ſub alio tantum libro; non ſub alio tantum opere, quam in quo leguntur: ſed ſub alterius plane auctoris nomine proferuntur. Quando etiam fragmenta ſcriptoris alicujus deperditi, quae apud alios auctores leguntur, ſunt adducta, non ſemper additur, ubi illa ſint quaerenda. Quae omnia faciunt, ut quam ſaepiſſime aqua mihi haeſerit, & locus diu fruſtra cum magno temporis diſpendio fuerit quaerendus. Sed & in illis locis, quae recte quidem ab auctore adducuntur, pro temporum tamen illorum ratione, quum editiones nondum extarent, in minora ſegmenta diviſae, liber tantum indicatur, ut vel ſic ſatis difficultatis ſuperfuerit, ad locum illum inveniendum, in iis praeſertim auctoribus, qui bono Indice non ſunt inſtructi. Haſce vero difficultates cunctas, quantum fieri potuit, ſuperavi, & jam ita loca omnia (ſi pauca exceperis, quae nullo modo inveniri potuerunt) in nova hacce editione adducta ſunt, ut ab unoquoque facili negotio inveniri queant. Addidi enim omnes, vel minutiſſimas diviſiones, quae in noviſſimis inveniuntur editionibus: ubi vero editiones in diſtinctionibus differunt, ibi plures ſimul adduxi. Quando recentiores etiam editiones nondum in certa minora ſegmenta ſunt diviſa, tunc addidi paginas, & in fine Operis, poſt Indices, indicavi, quibuſnam horum ſcriptorum editionibus uſus fuerim. Quod deinde ad ipſam horum teſtimoniorum lectionem attinet, olim quidem in mea Lipſienſi *Selectarum Antiqq.* editione illam plerumque juxta optimas & recentiſſimas editiones correxi: ſed nunc alia prorſus mea eſt ſententia. Animadverti enim, auctorem noſtrum veteres & accuratas ſaepe editiones, fortaſſis etiam *Codd.* interdum *MSS.* ad manum habuiſſe, adeo, ut non temere lectio, quam profert, ſit rejicienda, quum praeſertim ea nonnunquam melior ſit, quam ipſa noviſſimarum editionum lectio, aut ita ſaltem comparata, ut cum hiſce conferri mereatur. Hinc, ubi non aderat vitium manifeſtiſſimum, non temere mutare conſtitui lectionem illam, quam auctor ex veteribus ſcriptoribus

toribus profert: docui tamen ſimul in annotationibus meis lectorem, quomodo locus in recentioribus, quas conſulere mihi licuit, editionibus legatur. Nonnunquam, ſed rarius, meam etiam de loci alicujus lectione ſententiam aperui. Eſt quidem hic labor admodum operoſus, & taedii plenus; ſed, ut ſpero, lectoribus utiliſſimus. Cui vero haec diligentia admodum obſcura, & uſu indigna videbitur: is breves haſce notulas negligere poteſt: cogitabit tamen, quaeſo, non omnibus eundem eſſe guſtum. Porro quia hodie Graeca lingua non ea cura, ut auctoris noſtri aetate, a pleriſque tractari ſolet: hinc noſtris temporibus neceſſe omnino eſt, ut Graecorum ſcriptorum teſtimoniis Latina addatur interpretatio: id quod etiam praeſtiti, ita quidem, ut optimos hac in re interpretes ſecutus fuerim, raro vero ipſe aliquid mutaverim. Id tamen plerumque obſervavi, ut Latinam locorum Graecorum interpretationem ita adducerem, ut extra connexionem etiam facile poſſet intelligi. Jam in legibus etiam ex jure Romano allatis eandem, quam in aliorum teſtimoniis auctorum, curam adhibui. Quum enim leges ab auctore noſtro, pro ſeculi ſui more, verbis tantum initialibus adducerentur, ego iis ubique numerum addidi, & quidem ex *Dionyſii Gothofredi* editione, quae hodie eſt receptiſſima; ex qua etiam correxi errores, praecipuaſque inſimul varias lectiones in notis attuli. In Codice vero Theodoſiano uſus ſum editione *Jacobi Gothofredi*, & ubique notas numerales addidi, non tantum legum, ſed etiam titulorum atque librorum, quia Codex ille non tam familiaris eſt JCtis, quam jus Juſtinianeum.

Hic quidem cura mea ſubſiſtere potuiſſet: ſed volui tamen, ut in *Selectis* olim *Antiquitatibus* feci, deſiderante id inprimis bibliopola, viro prudente & integerrimo, breviores annotationes ſubinde addere, in quibus quaedam emendarem, illuſtrarem atque ſupplerem, in eorum praeſertim gratiam, qui ad auctoris noſtri lectionem non omnia neceſſaria adferunt ſubſidia, quae ad eum recte intelligendum requiruntur. In hiſce igitur animadverſionibus non tam eruditionem aliquam oſtentare volui, quam quorumcunque potius lectorum commodis conſulere. Unde non ubique eodem modo verſatus fui: ſed mox brevioribus contentus annotationibus; mox prolixiores paullo addidi, prout neceſſe, vel commodum viſum fuerit, pro argumenti ſcilicet dignitate & conditione, ut diſtinctius infra exponam. Quae ſi forte alicui diſpliceant, aut ſupervacaneae, vel nimis interdum vulgares videantur, is pro ſuo arbitrio eas poteſt praetermittere, cogitare tamen ſimul, me omnis generis lectoribus conſulere, quantum potui, voluiſſe. Nuſquam tamen, quod ſciam, data opera congeſſi, vel anxie conquiſivi obſervationes vulgares: ſed tunc tantum breves addidi, quando vel connexio, vel apparens quaedam obſcuritas id ſuadebat. Saepe etiam, quod uni alterive vulgare, id aliis omnino obſervatione dignum videtur. Ea tamen ſpes me tenet, fore, ut unuſquiſque quaedam ſaltem ſit inventurus, quae ad ejus ſint palatum.

******** Quem-

Quemadmodum igitur nihil a me ſuit praetermiſſum, quod ad hanc editionem ornandam & utilem reddendam pertineret: ita etiam vir integerrimus, qui ſumtus ſubminiſtravit, a ſua parte nihil horum praetermiſit. Quod ad externum quidem cultum pertinet, nihil omiſſum ſuiſſe, ſtatim unumquemque ocularis docebit inſpectio. Sed praeterea eam quoque curam geſſit, ut opus, quantum fieri potuit, quam emendatiſſimum prodiret: & propterea, quum ipſe ob loci diſtantiam impreſſioni & correctioni praeeſſe non potuerim, nullis pepercit ſumtibus, ut idoneos ad id adhiberet homines. Directionem totius operis, & ultimam, quam vocant, reviſionem, benigne in ſe ſuſcepit Vir Clariſſimus, *David Ruhnkenius:* (cui eo nomine publice hic gratias ago) qui ob negotia tamen ſua non ad totius uſque operis finem Lugduni Batavorum adeſſe potuit, ſed partis dimidiae Operis de Regno Perſarum curam alii viro docto commiſit. Quia tamen fieri nequit, ut opus aliquod ſine ullis mendis excudatur, Lectorem benevolum, rogatum volo, ut ea, quae praeter exſpectationem irrepſerint, excuſet quam humaniſſime. Quaedam tamen, quae in perlectione, quam finito opere, ob Indices conficiendos, inſtitui, animadvertere potui, diligenter annotavi, iiſque novas etiam quaſdam obſervatiunculas addidi, quae durante operis impreſſione aliud agenti in mentem venerant: quae omnia in fine ſub titulo *Addendorum & Emendandorum* leguntur. Haec in genere de nova hac editione fuerunt dicenda: jam quaedam adhuc ſpecialia de ſingulis opuſculis ſunt notanda.

Primum, non tantum auctoris, ſed & in hac collectione opus, ſunt *libri* IV. *Selectarum Antiqq.* quos jam olim ante ſexennium mea cura emendatos, & annotationibus nonnullis illuſtratos *Lipſiae*, in gratiam potiſſimum cupidae legum juventutis, recudi curavi: quae editio ita avide excepta fuit, ut brevi temporis ſpatio a bibliopola, qui ſumtus ſubminiſtravit, quique jam ad plures abiit, omnia fuerint exempla diſtracta. Varias jam eo tempore, dum hanc meditabar editionem, contuli editiones; inter ſeparatas in primis *Helmſtadienſem* & *Heidelbergenſem:* praeterea vero noviſſimas Operis *de Verborum ſignificatione* editiones, quibus hoc opuſculum erat adjunctum; harumque ope plurima ſuſtuli menda. Nunc vero meam editionem iterum contuli cum editione *Operum Variorum* Pariſina, cujus ope non tantum latentia quaedam menda adhuc emendare; ſed & poſtumas auctoris acceſſiones, quas ceterae, utut poſteriores, neglexerunt editiones, addere potui. Praeterea animadverſiones meas hinc inde emendavi, & ad dimidiam paene partem auxi. Non enim occaſionem tantum novae illae acceſſiones ſuppeditarunt, ſed & in notis meis marginalibus, editioni illi Lipſienſi adſcriptis, copioſam reperi materiam: ſemper enim, ab eo uſque tempore, quo haec prodiit editio, ſolitus ſui in margine annotare, ſi quid eo pertinere videretur. Ex hiſce igitur varia ſelegi; & novae exinde annotationes, veterumque emendationes ortae ſunt. Unde illi, qui

in

in loco impreſſionis novae huic Collectioni praefuerunt, in ſpeciali *Selectarum* harum *Antiqq.* titulo poſuerunt: *cum annotationibus repetitae praelectionis*: quam locutionem nunc neque reprehendo, neque plane probo; eam a mea tamen manu non eſſe, indico, ne delicatuli quidam reprehendendi anſam arripiant. Ex prioris editionis annotationibus ſine neceſſitate rejicere nihil volui: in novis vero acceſſionibus meis eadem fui methodo verſatus: nonnulla tamen addidi, non tantum tironibus, ſed & aliis, non indoctis, ſine dubio profutura, quamquam ita, ut potiſſimum tironum, ſicut antea, rationem habuerim. Scripta etiam recentiorum auctorum, in quibus eaedem tractantur materiae, laudavi copioſius, ea praecipue, in quibus obiter tantum ejuſmodi occurrunt. Probe quidem ſcio, multo plura ſcripta excitari potuiſſe: (quemadmodum & ipſe in Addendis & Emendandis plura adhuc, quae, transmiſſo jam opere, aliud agendo reperi, adjeci) ſed quemadmodum nunquam promiſi, me omnia, quorum uſquam mentio fit, recenſere velle ſcripta, aliquo modo ad doctrinas, ab auctore traditas, pertinentia: (quod illis tantum incumbit, qui ipſi ex profeſſo materiam quandam pertractare volunt; non illis, qui data tantum occaſione ſcriptorem aliquem illuſtrant) ita illorum imitari nolui conſuetudinem, qui non tantum titulos ſcriptorum nunquam viſorum ex variis catalogis afferunt, verum de hiſce etiam judicare audent. Quod ſi hujuſmodi homines in eo gloriari velint, quando unum alterumve ſcriptum, a me praeteritum, proferunt, per me licebit, ſive modeſte ſe gerant, ſive modeſtiae limites transgrediantur: ſciant tamen, me eodem facile modo in eorum ſcriptis graſſari poſſe, niſi ſilentio me & contemtu, quam reſponſione, vindicare mallem. Non poſſumus tamen ſemper amicos, ſupra modum forſan officioſos, reprimere, qui nobis inſciis talia moliuntur. Sed ut ad ſcopum redeam, id quoque ſignificandum eſt, me Praefationem editionis Lipſienſis omittere noluiſſe, partim ne huic aliquid deeſſet editioni, quod in illa reperiatur; partim quia eam eruditis quibuſdam & bonis viris placuiſſe audivi: unde pauca etiam in notulis uberioris illuſtrationis gratia addidi. Denique illud etiam in gratiam eorum, qui vel hanc novam Operum editionem comparare ſibi facile non poſſunt, vel ſolis ſelectis Antiqq. contenti ſunt, annotare volui, (etſi id in notulis jam obſervaverim) *Dionyſium Gothofredum* omnia quatuor horum librorum capita contracta in notas ſuas ad Corpus Juris transtuliſſe, & plerumque quidem ad legem praecipuam, quam auctor illuſtravit, vel in qua praecipua doctrinae ſedes eſt; ita tamen, ut interdum etiam illa, quae uno hujus operis capite tractantur, diſtraxerit, & ad duas treſve leges transſcripſerit: adeo, ut hujus opuſculi defectum ex notulis illis ſupplere quodammodo poſſint Juris ſtudioſi, quibus res anguſta domi eſt, dummodo hanc Corporis juris editionem, ubivis obviam, mature familiarem ſibi reddiderint; id quod omnibus ſerio eſt ſuadendum, qui ſolidiori jurisprudentiae operam navare volunt. Quamvis enim inſignis compilator ſit Gothofredus iſte:

optimos tamen ſeculi XVI. quo Jurisprudentia elegantior effloreſcere coepit, JCtos, alioſque etiam philologos & antiquarios, excerpſit, adeo, ut optandum ſit, ut quis notas ejus ex hujus & prioris ſeculi auctoribus augeret.

Poſt Antiquitates ſelectas ſequitur Opus *de ſolutionibus & liberationibus*. Hoc in editione *Operum Variorum* Pariſina nullas exhibet acceſſiones, quia ſine dubio editor nullas in auctoris ſchedis reperit: cujus rei cauſam facile divinare poſſumus. Eſt enim veluti copioſum aliquod compendium, vel ſuccinctum hujus doctrinae ſyſtema: adeo, ut auctor illud pro ſpecimine tantum edere voluerit, qua methodo totum jus civile ex ejus ſententia tractari deberet; & hinc a quaeſtionibus etiam altioris indaginis, & de quibus controverſia adhuc eſt inter JCtos, quantum fieri potuit, conſulto abſtinuit. Quum ergo per ſe, pro auctoris ſcopo, opus ſit perfectum, non facile etiam acceſſiones admittit. Hoc quoque in cauſa fuit, cur in annotationibus addendis in hocce opuſculo fuerim parciſſimus; rariſſime etiam aliorum adduxerim ſcripta, ne contra auctoris ſcopum agerem. Laborat quidem interdum opuſculum hoc prae ceteris, ob ſuccinctiorem ejus tractationem, obſcuritate quadam: quae attenta tamen & iterata lectione optime poteſt diſpelli, quum praeſertim non facile aliquis ad lectionem ejus accedat, qui non antea ex compendiis ſaltem principia juris hauſerit. Equidem fateor, me, ſi omnia ſcripta huc ſpectantia excutere voluiſſem, largam habuiſſe multa annotandi materiam: ſed partim, ut dixi, nolui contra ſcopum auctoris agere; partim etiam ad id perficiendum tempore fui excluſus. Quaedam tamen, ut puto, in pauculis etiam hiſce notulis reperient JCti, quae attentiori conſideratione non indigna judicabunt, quo nova praecipue mea de Aquiliana acceptilatione hypotheſis ſpectat, de qua alio fortaſſis tempore pluribus agam. Id tamen inprimis doleo, opuſculum hocce in *ed. Pariſ. Opp.* variis mendis eſſe inquinatum, praecipue quum nullas alias ad manus habuerim editiones, cum quibus illam conferre potuerim. Quia enim illud, ut ſupra indicavi, non tam crebro, ut alia pleraque auctoris noſtri opera, fuit recuſum: hinc omnium ejus opuſculorum eſt rariſſimum. Hunc tamen defectum, ne lectoribus fraudi eſſet, ſupplerunt Viri amiciſſimi, *Meermannus*, & *Ruhnkenius*: quorum ille, meo rogatu, contulit editionem *Franciſci Modii*, ad calcem operis *de Verborum ſignificatione*, *Francof.* 1587. *fol.* extantem, quam in copioſiſſima ſua poſſidet bibliotheca; hic vero editionem *Antwerp.* 1585. 8. quarum ope plurima menda feliciter ſunt ſublata. Mea praecipua opera in legibus adductis evolvendis & emendandis verſata fuit, qua in re multum me laboris & taedii devoraſſe, quilibet facile perſpiciet.

Poſt hoc opuſculum comparet in hac noſtra collectione *Liber ſingularis ad* L. *Juliam de Adulteriis*. Hic praecipue a me collatus fuit cum editione *Jac. Gronovii*, quae reperitur *Tom.* VIII. *Theſ. Antiqq. Graec.* in

in quo ſatis quidem emendate legitur, ita, ut varia exinde menda in *ed. Pariſ. Opp.* tolli potuerint: ſed poſtumae tamen ibi deſunt additiones, quae in ſola hac *Pariſ.* editione reperiuntur, quam adeo ne vidiſſe quidem laudatum Gronovium liquet. Quod ad materiam attinet, contuli inprimis Viri, dum viveret, celeberrimi, & in Academia Viadrina amiciſſimi olim commilitonis, *Jo. Guil. Hoffmanni*, eruditiſſimum librum ad eandem legem, quem recens editum, in ipſo meo diſceſſu, ad ſui recordationem dono mihi obtulit. Mearum ergo partium eſſe exiſtimavi, ut praecipuas operis differentias in annotationibus oſtenderem. Et quemadmodum laudatus Hoffmannus ſaepenumero modeſte a Briſſonio diſſentit: ita ego eadem etiam modeſtia meum plerumque judicium interpoſui. Quod Hoffmannus in ipſo illo artificio, & in ipſa legis hujus diſpoſitione Briſſonium vincat, id non ſibi, ſed temporum noſtrorum felicitati, ipſe vir doctiſſimus pariter ac modeſtiſſimus tribuit: ſunt tamen quaedam momenta, in quibus Briſſonium nondum deſerendum eſſe exiſtimavi. Quemadmodum ergo in quibuſdam ſerias mihi fecit Hoffmannus, ita in multis aliis haud exiguam annotandi occaſionem praebuit vir laudatiſſimus.

Quod jam in hac collectione ſequitur opus, duplici inſignitur titulo, ut ſupra indicavi. Ego breviſſimum retinui titulum, qui in editione *Operum Variorum* Pariſina conſpicitur. Contuli hoc opuſculum cum editione *Hanov.* 1600. 8. (quam mecum communicavit Cel. *Meermannus*) nec non cum accurata ſatis editione, quam *Jac. Gronovius* dedit in *Tom.* VIII. *Theſ. Antiqq. Graec.* atque ex iis varia ſuſtuli menda in editione Pariſina. Nullas etiam in hac editione conſpicimus acceſſiones poſtumas, quia fortaſſis auctor, poſtquam horis ſubſecivis hocce ſcriptum elaboraverat, deinceps de illo augendo non amplius cogitavit. Quod ſi temporis, & ſtudiorum meorum ratio permiſiſſet, ut univerſam excuterem antiquitatem eccleſiaſticam, larga ſine dubio annotationum materia adfuiſſet: ſunt enim antiquitates eccleſiaſticae ſubſequentibus poſt auctoris obitum temporibus diligentius multo, quam antea, tractatae. Sed hoc lectorum, qui hujuſmodi ſtudiorum genere delectantur, propriae induſtriae relinquo: ego enim paucula tantum, ad loca praeſertim Patrum allegata, annotavi, quae tum ad horum faciliorem inventionem, tum ad rectam eorum lectionem ſpectant. Neque etiam prolixus eſſe volui in excitandis ſcriptoribus, (ſi paucos, eoſque recentiores, qui ſe ſtatim obtulerunt, exceperis) qui argumenta ab auctore tractata accuratius & diligentius excuſſerunt: poſſunt enim facili negotio in *Jo. Alb. Fabricii Bibliographia antiquaria* inveniri. *Jacobus* quoque *Gothofredus* in *Commentario* ſuo *Codicis Theod.* ad eandem legem, ob auctoris noſtri copiam, ſolito paullo eſt conciſior, ut adeo non multam annotandi anſam nobis praebuerit.

Progredior ad ſequens in hac Collectione opus duplex, quod inſcribitur: *de Ritu Nuptiarum lib. ſing.* & *de Jure Connubiorum lib. ſing.*

 qui

qui duo libri ſemper junctim prodierunt; unam etiam eandemque habent *Epiſt. dedicat.* quam in recentiſſimis editionibus omiſſam, ex vetuſtioribus reſtitui, quemadmodum eam mecum communicavit *Meermannus.* Accuratiſſima ſine dubio editio eſt, quae comparet in *Tomo* VIII. *Theſ. Antiqq. Rom.* cura *Jo. Georg. Graevii* editi. Hic enim vir doctiſſimus non tantum variarum editionum collatione opus emendatiſſimum exhibere ſtuduit: ſed & Graecorum ſcriptorum locis interpretationes addidit Latinas. Hinc juxta hanc potiſſimum editionem emendavi editionem *Operum Variorum* Pariſinam. Retinui etiam interpretationes Latinas in Graevii editione extantes. Licet enim ex melioribus interpretibus alias ſubſtituere potuiſſem, malui tamen illas retinere, & raro tantum, ubi neceſſitas cogebat, emendare. In ipſis tamen veterum ſcriptorum locis allegandis & emendandis eandem adhibui diligentiam, quam in ceteris opuſculis. Graevium praeterea ſaepe laudatam *Operum Variorum ed. Pariſ.* non vidiſſe, ſatis exinde perſpicitur, quod poſtumarum acceſſionum (quae variae & non contemnendae in hac occurrunt editione) nullam habuerit rationem. Haſce igitur in nova noſtra editione addere, nunquam intermiſi; ut adeo vel ob ſolas illas haec editio Graevianae longe ſit praeferenda. Addidi varias inſuper annotationes, ſatis prolixas interdum, in priori praecipue libro. Quia enim haec doctrina, ab auctoris uſque temporibus, a variis viris eruditis (quorum praecipuus mea quidem ſententia eſt Ampliſſ. *Ulr. Grupenius*) tractata eſt, viſum fuit, praecipua huc ſpectantia addere argumenta. In vulgaribus brevis tantum fui: ubi vero res aliqua ob eruditorum diſſenſum uberiorem merebatur diſquiſitionem, ibi meo non defui officio, &, quantum fieri potuit, perſpicue diverſas oſtendi opiniones, ita, ut plerumque meum interpoſuerim judicium, niſi ubi ipſa rei obſcuritas me coëgit, rem in medio relinquere. Ubique etiam praecipua indicavi ſcripta, in quibus plura de his legi poſſunt.

Parerga jam ſequuntur. Haec ſemper cum editionibus Operis majoris *de Verborum ſignificatione* prodierunt, adeo, ut dubitem, num unquam ſeparatim lucem adſpexerint. Praeterea vero conſpiciuntur etiam in editione *Operum Variorum* Pariſina, ſine ullis tamen acceſſionibus poſtumis. Itaque hanc editionem cum recentiſſimis operis illius *de Verb. Signif. edd.* noviſſima praecipue *Halenſi*, quae cum acceſſionibus *Jo. Gottl. Heineccii* prodiit, conferre debui. Diſtinctionem etiam paragraphorum, quae in hac conſpicitur editione, retinui, etiam in iis locis, ubi non ſatis eſſet accurata. Sic v. g. quum deficeret numerus 28. malui retinere numeros ſequentes, ut ibi inveni, quam aliquid corrigere. Qua in re meum tamen conſilium non ſecutus fuit typographus. Hic enim, quia ex conſilii mei ignorantia pro errato id habuit, ſequentes numeros mutavit omnes, unde factum fuit, ut inſequentes utriuſque editionis numeri unitate inter ſe differrent, ita, ut quum in hac editione §§. 137. tantum reperiantur, in Halenſi adſint §§. 138. id quod

cautio-

cautionis tantum gratia notare volui. Quodſi doctiſſimus *Heineccius* Parergis hiſce eandem adhibere curam voluiſſet, vel ob praematuram mortem potuiſſet, quam Operi *de Verb. Signif.* impendit, non fuiſſet forſan neceſſarium, ut haec opella in hac editione iterum repeteretur. Sed unuſquiſque facile videt, virum illum praeſtantiſſimum huic libello manus plane non admoviſſe. Permultis enim *Halenſis* editio mendis eſt inquinata, adeo, ut haec ſaepius ex Pariſina poſſit emendari, quam Pariſina ex Halenſi. Quaedam tamen & ex hac in illa menda ſuſtuli, quia diverſae plane editiones raro in uno eodemque mendo conſpirant. Quaedam etiam in legibus allegatis vitia ope ipſius Operis *de Verb. Signif.* feliciter ſuſtuli. Interdum tamen nulla arte divinare potui, quamnam legem auctor intellexerit. Jam paucis etiam indicandum erit, quomodo in annotationibus meis verſatus fuerim. Quidam fortaſſis hic requirent animadverſiones varias de Latinitate veterum JCtorum: ſed eae, ut puto, fuiſſent contra auctoris ſcopum. Non enim in hoc opuſculo in ipſam veterum JCtorum Latinitatem inquirere voluit, vel de ea judicare, quod aliis reliquit: (quorum ſcripta collegit, doctiſque annotationibus ornavit Vir Clar. *Car. Andr. Dukerus*, ex quibus abunde peti poſſunt, quae ad hanc rem pertinent) ſed voluit colligere tantum ſingularia, & quae in Pandectis Florentinis a communi & vulgari Latinitate remota viderentur, ſive in Orthographia, ſive in Grammatica, ſive in ipſis denique verbis. Hinc auctorem imitatus, in ipſis literarum apicibus verſari debui. Et primo quidem inquirendum fuit, quanam editione auctor uſus fuerit. Ego non dubito, quin omnium fideliſſimam *Laelii Taurelli* editionem prae oculis habuerit: ubique enim in ea ita legitur, ut auctor exhibet, pauciſſimis exceptis, in quibus forſan ipſe hallucinatus eſt. Operae pretium igitur omnino fuit, ut haec editio conferretur, & ubi diſcrepantia aliqua occurreret, ea ſedulo notaretur. Ubi igitur nullam indicavi diſſonantiam, ibi lector certo concludere poteſt, auctorem Taurelli editionem fideliter fuiſſe ſecutum. Quia tamen hodie *Taurelli* editio paullo rarior eſt; *Dionyſii Gothofredi* contra editiones omnium manibus terantur; hic vero prae ſe ferat, ac ſi Florentinas Pandectas exacte ſequatur: operae quoque pretium eſſe exiſtimavi, hanc itidem conferre editionem. Quum vero deprehenderim, Gothofredum ſaepenumero a Taurello diſcedere, non inutile fore exiſtimavi, ſi & hanc indicarem differentiam, inprimis quum & in aliis opuſculis diverſam ſemper editionis Gothofredi lectionem notaverim. Ubi igitur nihil notavi, id certum ſignum eſſe volui, Gothofredi editiones cum Taurello conſpirare. Intelligo vero hic praecipue veteres Gothofredi editiones, ante editionem *Simonis van Leuwen.* Hic quidem JCtus prae ſe fert, ac ſi Gothofredi potiſſimum editionem ſecutus fuerit, & menda tantum ſuſtulerit. Si quis tamen hanc cum Gothofredi & Taurelli editione contulerit, is deprehendet, *S. van Leuwen* crebrius a lectione editionis Taurelli abire, quam Gothofre-

 dum;

dum; interdum tamen eum, licet rarius, reſtituiſſe quoque lectionem Taurellianae editionis, quam Gothofredus deſeruit. Ubicunque ergo *S. van Leuwen* diſſentit a Gothofredo, id quoque ſigillatim annotavi, & Gothofredi editiones vocavi veteres, ad diſtinctionem editionis *S. van Leuwen*, & quae eam ſequuntur. Inter has vero editiones, quae prae ſe ferunt, ac ſi *S. van Leuwen* editionem potiſſimum ſequantur, ſunt duae *Lipſienſes* 1720. 4. & 1740. *fol.* Hae tamen editiones neque cum veteribus Gothofredi, neque cum S. van Leuwen editione exacte conſpirant: ſed interdum illas, interdum hanc, interdum neutram ſequuntur; & hoc caſu aliquando longius abeunt a lectione Taurellianae editionis, interdum, ſed raro, hujus editionis lectionem reſtituunt. Quum ergo & hae Lipſienſes editiones in multorum verſentur manibus, indicavi etiam, quando illae vel a Gothofredi, vel a S. van Leuwen editione abeant, & utrum Taurelli editionem ſequantur, vel minus. Quando vero ſolius Gothofredi editionis diſſenſum a Taurelli editione notavi, neque aliquid de ſequentibus editionibus addidi: tunc brevitatis cauſa ſub Gothofredianae editionis denominatione etiam S. van Leuwen & Lipſienſes editiones comprehendi: nam ſi hae a Gothofredi etiam editione diſſentiant, id ſigillatim ſemper notavi. Si cui hae notulae inutiles & nullius momenti videantur, is eas praetermittere poteſt: ſpero tamen, fore quoſdam, quibus haec minutiora non diſplicebunt. Eam ſaltem afferunt commoditatem, ut harum rerum cupientibus non amplius neceſſe ſit, diverſas haſce editiones conferre. Habent hic etiam ſpecimen JCti, ex quo diſcere poſſunt, quam ſaepe hae inter ſe editiones diſſentiant, quum ſint inter eos, qui has amice in omnibus conſpirare putant. Haec de annotationibus meis in Parerga paullo copioſius notare debui, ut eruditi methodum, quam in iis illuſtrandis ſecutus ſui, intelligerent.

Tandem ultimo in hac collectione loco comparet ultimum auctoris opus, quod jam in ipſo vitae diſcrimine conſtitutus, & non diu ante infeliciſſimum vitae ſuae exitum (unde illud nullas acceſſiones poſtumas habere facile intelligitur) in publicum emiſit: nimirum *Libri* III. *de Regio Perſarum Principatu*, in quo ſtatum praecipue veteris Perſarum regni, a Cyro, ad Darium uſque ultimum Regem, ab Alexandro M. devictum, deſcripſit, ita tamen, ut & ſubinde quaedam de Parthorum, & novo Perſarum regno, quod ſub Alexandro Severo, Rom. Imp. initium habuit, adſpergeret. In hoc igitur opere recenſendo & emendando ea uſus ſui felicitate, qua in nullo hujus auctoris alio, ut omnes nimirum ad manus habuerim editiones, quae hactenus comparuerint, & primam praecipue, quae vivo adhuc auctore prodiit, (quam beneficio Nobiliſſimi *Meermanni* nactus fui) quaeque praecipuam mihi attulit utilitatem, ut plurima ex illa menda tollere potuerim, & exinde fontes etiam errorum, qui in ſequentes irrepſerunt editiones, detegere. Primus, qui poſt auctoris fatum hoc opus emendatius dedit, eſt

Frid.

Frid. Sylburgius, vir Graecarum literarum adprime peritus. Et negandum quidem non eſt, eum in veterum ſcriptorum, Graecorum praeſertim, locis multa ſuſtuliſſe menda: ſed & id confitendum eſt, eum ingenio interdum ſuo nimis indulſiſſe, & ſine ſufficienti ratione editionis primae lectionem mutaſſe; eundem nonnunquam primae editionis appendices non recto ordine collocaſſe; varia denique menda typographica in hanc editionem irrepſiſſe. Nihilominus tamen editor editionis Pariſinae *Operum Variorum* coeco impetu ſecutus eſt Sylburgii editionem, & primam plane neglexit, adeo ut ne vitia quidem typographica correxerit, quorum numerus in hac potius editione auctus fuit, ita, ut nulla pars hujus Collectionis vitioſior ſit excuſa: hinc in hoc quidem opuſculo hac editione omnium minime uſus fui. Noſtro ſeculo hoc opus recenſuit, emendavit, & notulis illuſtravit *Jo. Henr. Lederlinus*, Profeſſor Orientalium linguarum in Academia Argentoratenſi haud incelebris (*a*).

Sed quamvis hic editionem ceteris accuratiorem dederit: non omnia tamen ipſius contextus menda tollere potuit, quia, ut ipſe in *Praef.* fatetur, nullam aliam, praeter Sylburgii, editionem ad manus habuit. Multa quidem veterum loca ex ipſa inſpectione correxit, quaedam etiam vero auctori & libro ſuo reſtituit: ſed plurima tamen non emendata reliquit. Ubi paginas interdum addidit, ibi rariſſime ſignificavit, qua editione uſus fuerit. In eo vero laudandus eſt, quod & Latinas Graecorum locorum interpretationes, licet non ſemper, ex optimis & recentiſſimis interpretibus, addiderit, & quod interdum, licet rarius, quam par erat, (perinde ut Sylburgius) haud contemnendas notulas adſperſerit, in quibus varias plerumque locorum ex veteribus ſcriptoribus adductorum lectiones, nonnunquam ſuam etiam de iis ſententiam indicavit. Quia igitur omnium optima, & ob haſce annotationes etiam locupletiſſima, hactenus haec editio fuit: hinc eam in hoc opere pro fundamento poſui, ad quam, additis meis ſubinde emendationibus & notulis, nova haec editio imprimeretur. Ante omnia vero in mea recenſione id curavi, ut textus a mendis, quantum fieri potuit omnibus repurgaretur, id quod diverſarum editionum ope, primae praeſertim, factum fuit. Deinde omnia denuo veterum loca in optimis editionibus evolvi, eaque quam accuratiſſime notavi ac deſignavi, perinde ut in praecedentibus opuſculis a me factum fuit. Vitia manifeſta in textu ſuſtuli; ceteras varias lectiones in notulis addidi. Graecorum vero locorum Latinam interpretationem conſulto retinui eam, quam Lederlinus dedit, & ſine ſumma neceſſitate nihil in iis mutavi, licet melior interdum dari potuiſſet. Denique paucos addidi notulas, quarum pleraeque ad loca veterum ſcriptorum pertinent: nonnunquam tamen in iis, licet rarius, quaedam ad ipſius etiam textus illuſtrationem attuli. Ipſe enim auctor

tam

(*a*) Vide de hoc viro, qui A. 1737. ſupremum diem obiit, *Acta Hiſtorica-Eccleſiaſtica, Part.* XIII. *Acta Erudit.* A. 1739. *menſ. Jul. Nova literaria Lipſienſia* A. 1738. *pag.* 405. *ſeqq.*

****

tam prolixus eſt in hoc opere, ut raro aliquid addi poſſit; rariſſime aliquid addi neceſſe ſit, quum hoc opuſculum cetera perſpicuitate ſuperet. Negare quidem nequeo, ſi quis omnia Orientalium populorum ſcripta; omnes praeterea ſacrae ſcripturae interpretes; omnia denique opera miſcellanea, Theologorum inprimis, evolvere velit, & poſſit: eum varia reperturum eſſe, quae ad hoc opus illuſtrandum & ſupplendum proferri poſſent. Sed quemadmodum ego neque iſta linguarum Orientalium cognitione inſtructus ſum, neque tantum mihi temporis ſupereſt, ut omnia hujuſmodi ſcripta perlegere queam: ita ſaepius optavi, ut Lederlino, cui plura ſubſidia ad manus fuerunt, plures addere annotationes placuiſſet. Sed quemadmodum illum hoc omittentem excuſamus; ita nemo hoc a me pro ſuo jure poſtulabit. Ceterum omnia, quae in Lederlini editione exhibentur, etiam in hac retinui, ut, praeter notas, Praefationem & Dedicationem ejus; nec non conſpectum operis, quem ille copioſiorem, quam ipſe auctor, dedit; notas denique numerorum, quos ſectionibus ab auctore factis bono conſilio praepoſuit, licet illae accuratius interdum notari potuiſſent. Antequam vero ad alia pergam, paucis calumniam *Julii Caeſaris Bulengeri*, qua in *Praef. Ecclog.* ad *Arnobium* Briſſonianum hocce opuſculum adſperſit, refutare operae pretium fuerit. Primo quidem accuſat Briſſonium, quod non ſimul etiam de Aſſyriis, Medis & Parthis egerit. Sed quis hac in parte alteri leges praeſcribere poteſt? Nonne Briſſonius ſaepe, ubi hi populi in ritibus cum Perſis conſpirant, accurate ſignificavit? Nonne talis mixtura confuſioni anſam facile praebere potuiſſet? Deinde reprehendit Bulengerus, quod Briſſonius multa omiſerit. *De religionibus*, inquit, *ac ceremoniis ſacrorum pauca delibavit, Babylonios, Chaldaeos, & Magos, ſacrorum antiſtites, ſilentio diſſimulavit, convivia deliciaſque Regum praeteriit.* Enimvero de Religione & de Magis pro ſuo inſtituto ſatis egit Briſſonius: (cetera enim magis ad hiſtoriam philoſophicam pertinent) de Babyloniis vero & Chaldaeis non neceſſe ei fuit ſpeciatim agere, quum de ſolo regno Perſarum commentari inſtituerit. Nonne vero aperta calumnia eſt, quae ex ipſa operis lectione ſtatim refutatur, quod convivia deliciaſque Regum praeterierit? Sed vellem, ut Bulengerus ſuppleviſſet, quae Briſſonium omiſiſſe criminatur. In *lib.* II. *Ecclog.* ad *Arnob.* praeter generalia, de Diis tantum Perſarum egit, ſatis more ſuo confuſe, in quibus optima tamen, quae affert, a Briſſonio etiam, brevius quidem, ſed longe clarius & diſtinctius, tradita fuerunt.

Haec de ſingulis Briſſonii ſcriptis, & de ratione, qua in iis emendandis & illuſtrandis uſus ſum, annotaſſe ſufficiat. Jam pauca de Indicibus addenda ſunt. Eam primo curam in ſe ſuſceperat Clar. *Rubnkenius.* Sed quum negotia ejus non amplius permitterent, ut Lugduni Batavorum moraretur, bibliopola, vir integerrimus, ſumma ope a me contendit, ut & hanc in me operam ſuſciperem. Et licet omni modo hunc declinaverim laborem, debui tamen voluntati ejus tandem bono publico

con-

concedere. Sed retardatio illa, quam nautae in adferendo opere fecerunt, in cauſa fuit, cur vel ſupra dimidii anni ſpatium tardius jam opus in publicum prodiret, quam alias factum fuiſſet; id quod animus jam antea praeſagivit. In ipſis Indicibus conficiendis eam ſecutus fui rationem, ut Indices opuſculorum, quae aliquo modo ad Jurisprudentiam illuſtrandam faciunt, ſeparaverim ab Indicibus operis de Regio Perſarum principatu. Priores Indices omnes mea methodo novos conficere debui. Poſteriorum vero Indicum primum & ſecundum ipſe tantum confeci: ceteros ex editione Lederlini retinui, quia jam ſatis ſuperque erant copioſi, & in paucis tantum correxi, ubique vero paginarum & columnarum numerum, (niſi ubi paginae in columnas non eſſent diſtinctae, aut res notata ad utramque pertineret columnam) ſecundum novam hanc Operum Briſſonii editionem addidi. Indicem Auctorum, tam ad Juridica opuſcula, quam ad ultimum de *R. P. P.* ſcriptum, copioſiſſimum & accuratiſſimum confeci, & utrumque quidem eadem methodo, quum in Lederlini Indice Auctorum maxima eſſet inaequalitas, neque is plenus ſatis eſſet & accuratus. Id quoque de hoc annotare debeo. Quando auctoris alicujus ſcripta non amplius extant, ſed fragmenta tantum ejus apud alios ſcriptores reperiuntur, tum in Indicibus illa notavi non ſub nomine ipſius auctoris, ſed ſub nomine illius, apud quem reperiuntur, ſi *Cteſiam* exceperis, cujus fragmenta ſub ipſius nomine allegavi, quia illa ſingulari cura in fine *Hiſtoriarum Herodoti* ab eruditis ſunt collecta. Diſtinxi vero ab locis auctorum laudatis ea, quae ſingulari cura vel emendata, vel illuſtrata ſunt. Cetera tamen loca obiter etiam haud raro vel emendantur, vel illuſtrantur: unde omnino operae pretium fuit, ut omnia annotarentur. Indicem autem Legum ad Opera Juridica non eodem modo confeci: nullius enim, ut puto, uſus fuiſſet, ſi omnes omnino leges, quae uſquam allegantur, in Indicem redegiſſem: ergo illarum tantum legum Indicem confeci, quae vel emendatae, vel illuſtratae ſunt. Recentiores auctores, quae vel ab ipſo auctore, (quod raro fit) vel in notis nominantur, in Indicem redigere nolui, quia id parum habuiſſet utilitatis: illos tamen, qui vel inſigni elogio ornantur, vel de quibus ſingulare aliquid obſervatur, vel quorum denique ſententiae ex profeſſo refutantur, ſive ab ipſo auctore, ſive in notis, in Indicem rerum & verborum retuli. Haec etiam de Indicibus dixiſſe ſufficiat. Jam igitur toto hoc exantlato labore, nihil reſtat, quam ut primo omnium Deo Optimo Maximo, pro praeſtito in eo auxilio, tabulam votivam ſuſpendam; deinde vero optem, ut L. B. plurimam exinde utilitatem capiat; denique etiam enixiſſime rogem, ut, ſi quid in hoc opere humanitus paſſus fuerim, pro ſua aequitate & humanitate me excuſatum habeat. Ita vale, L. B. mihique, omnibuſque meis conatibus, etiam in poſterum favere perge. Scribebam Hamburgi Idib. Jun. A. C. MDCCXLVII.

P R A E F A T I O
EDITIONI PARISINAE
OPERUM VARIORUM
PRAEMISSA.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Etſi varia B. BRISSONII *Opera typis excuſa ſint, certiſſima teſtimonia ſingularis ipſius doctrinae, tamen mors inexſpectata, nec unquam bonis omnibus non dolenda, meliorem eorum partem informem, nobis ſubripuit, eripuiſſetque totam; niſi meliori quodam fato in ejus bibliotheca, quam mihi comparavi, reperiſſem huc & illuc jacentia quaedam opera, colligique conſilio & hortatu Cl. V. Cl. Chriſtiani, Q. Septimii Florentis F. curaſſem. Quae quidem partim ante hunc diem nunquam edita, partim editis multo locupletiora & auctiora, in publicum jam prodire volui, non tantum, ut tanto labore & ſtudio utaris, fruaris, ſed etiam ut memoria Ampliſſimi Viri nunquam non colenda poſt mortem magis magiſque floreſcat atque vireſcat. His igitur conatibus noſtris pro benevolentia tua fave, hoſque labores noſtros aequi bonique conſulendo, quantum in te eſt, remunerare. Vale.*

BAR-

B. BRISSONII SELECTARUM EX JURE CIVILI ANTIQUITATUM

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

De modo & altitudine antiquorum aedificiorum, parietumque craſſitudine.

IMPERATORES SEVERUS ET ANTONINUS reſcripſere, aedificare cuique in ſuo, & ei balneum ſuperponere licere, dum ne uſitatum altitudinis modum excedat. *l. 1. C. de aedific. priv.* Eſt & apud ULPIANUM ſcriptum, ſi quid contra leges, edictave principum, quae ad modum aedificiorum facta ſunt, fiat, nuntiari novum opus poſſe. *l. 1. §. 17. nuntiamus. D. de oper. nov. nunt.* Ex quo perſpicue apparet, fuiſſe aliquem Romae aedificiorum altitudini praeſcriptum modum: qui qualis ante Imperatorum tempora fuerit, certo definire non poſſum. *Tanta*, inquit SENECA *lib.* II. *Controv.* IX. *altitudo eſt aedificiorum, tantaeque viarum anguſtiae. &c.* Cui etiam convenit TACITUS *lib.* XV. *Annal. cap.* 43. *Erant*, inquiens, *qui crederent, veterem illam formam ſalubritati magis conduxiſſe, quoniam anguſtiae itinerum & altitudo tectorum non perinde ſolis vapore perrumperentur.* Habitam certe de ea re a Rutilio, florenti & libera tum Republica, orationem fuiſſe reperio; (*a*) qua quid contineretur, ut intelligerem, nondum auctorum lectione ſum conſecutus.

BREVES OBSERVATIONES AD B. BRISSONII SELECTARUM EX JURE CIVILI ANTIQUITATUM LIBROS IV. AD LIBRUM I.

CAP. I. Confer ad hoc caput, praeter ſcriptores, qui in genere de urbe Roma, ejuſque aedificiis egerunt, *Jo. Gottl. Heineccii Syntagma Antiqq Rom. lib.* II. *tit.* 3. §. 7. Excell. *Ever. Ottonis lib. de Tutela viorum*, P. III. *cap.* 5. *pag.* 477. *ſeqq. Juſti Lipſii de magnit. Rom. lib.* III. *cap.* 4. *Jacobi Raevardi Conject. lib.* III. *cap.* 12. *Jo. Coraſii Miſcell lib.* III. *cap.* 24. *Henric. Salmuth Not. ad Pancirolli Rer. Memorab. lib.* 1. *cap.* 29. *pag.* 73. *Bened. Averani Diſſ.* XVII. *ad Virgilium, pag.* 146. *Tom.* II. *Opp.* inprimis vero Excell. *Jo. Georg. Eſtoris Obſervatt. de altitudine aedium Roman.* quae Germanice exſtant in ejus *Selectis ſcriptis minoribus*, *Part.* III. *num.* 1. ſeparatim vero lingua Latina prodierunt *Lipſ.* 1736. 4. opera & ſtudio Cel. *Jo. Frid. Jugleri*, qui ſuas quoque elegantes obſervationes addidit.

(*a*) REPERIO] Scilicet apud SUETONIUM in vita *Auguſti cap.* 89. Communis fere opinio eſt, auctorem hujus orationis fuiſſe P. Rutilium Rufum, celebrem JCtum & hiſtoricum, qui vir innocentiſſimus factione equitum Rom. in exilium pulſus fuit. Quicquid vero hujus ſit, mihi admodum probabile ſit, hanc orationem non niſi a Cenſore aliquo habitam fuiſſe: nam horum praecipue officium erat, ut luxum cohiberent. Num vero tempore liberae reipublicae lex quoque

hac

cutus. Quod ſi de Imperatorum Conſtitutionibus quaeratur, illud compertum habeo, ſeptuaginta pedibus altius aedes tolli non licuiſſe: eumque modum ab Auguſto primum conſtitutum, cum aedificiorum crebris ruinis, quibus urbis aſpectus deformabatur, ſubvenire vellet, quemadmodum a STRABONE *lib.* v. *Geograph. pag.* 359. (235.) ita ſcribitur: Πρὸς δὲ τὰς συμπτώσεις τὰ ὕψη τῶν καινῶν οἰκοδομημάτων καθελὼν, καὶ κωλύσας ἐξαίρειν ποδῶν ό τὸ πρὸς ταῖς ὁδοῖς ταῖς δημοσίαις. *Ruinis quoque ſubventurus, nimiam aedificiorum altitudinem ſuſtulit, vetuitque ad vicos publicos altius ſeptuaginta pedibus tollere.* Eaque ratione credo, eum principem integram illam Rutilii, cujus paullo ante memini, orationem in Senatu recitaſſe: quo magis (ipſa enim TRANQUILLI verba (*a*) ponam) perſuaderet, eam rem non a ſe primo animadverſam, ſed antiquis jam tunc curae fuiſſe. Secutus aliquo intervallo Auguſtum Nero, poſt repreſſum illud, quo bona pars urbis conflagravit, incendium, etiam aedificiorum altitudinem cohibuit, ſpatiaque dimenſus eſt, ut CORN. TACITUS *lib.* xv. *Annal. c.* 43. narrat. Sed quem in ea re modum ſervarit, nec Tacitus aperit, nec ego hariolari poſſum (*b*). Certe JUVENALIS ſuo tempore praealtam fuiſſe aedificiorum exſtructionem his verſibus demonſtrat: *Sat.* 3. *lib.* 1. *v.* 269.

Quod ſpatium tectis ſublimibus, unde cerebrum
Teſta ferit, quoties rimoſa, & curta feneſtris
Vaſa cadunt, quanto percuſſum pondere ſignent,
Et laedant ſilicem ——

Sed poſtea (*c*) tamen hanc aedificiorum altitudinem cohibitam fuiſſe oſtendit TACITUS *lib.* xv. *Annal. cap.* 43. in eo loco, quem mox proximo capite proferemus. Utut ſit, Auguſti conſtitutionem poſtea Trajanum renovaſſe, & ad pedes ſexaginta reduxiſſe, SEX. AURELIUS VICTOR *Epit.* XIII. auctor eſt. *Quibus omnibus*, ait, *Trajanus per exquiſita remedia plurimum opitulatus eſt, ſtatuens, ne domorum altitudo ſexaginta ſuperaret pedes, ob ruinas faciles, & ſumtus, ſi quando talia contingerent, exitioſos.* Atque haec quidem altitudo hiſce temporibus haberetur, ut eſt re vera, permaxima. Sed animadvertendum eſt, quod VITRUVIUS *lib.* II. *cap.* 9. refert, in majeſtate urbia & civium infinita frequentia innumeras habitationes explicari opus fuiſſe: & cum tantam multitudinem ad habitandum in urbe area plana recipere non poſſet, ad auxilium altitndinis aedificiorum rem ipſam coëgiſſe devenire, ut neceſſario pilis lapideis moenianisque ac contignationibus alto ſpatio coenacula multiplicarentur (*d*). Qua de re SENECA *lib.* II. *Controverſiar.* IX. conqueritur. *Tanta*, inquit, *altitudo eſt aedificiorum, tantaeque viarum anguſtiae, ut neque adverſus ignem praeſidium, neque ex ruinis ullum ullam in partem effugium ſit.* Sane SOLINUS *Polybiſt. cap.* 56. (*al.* 53.) de Taprobanae incolis ſeribit, ea modice ab humo tollere. Adde PLINIUM *lib.* III. *Hiſt. Nat. cap.* v. de Romae ambitu, & ſpatio, & viarum menſura, quam altitudinem (*e*) ait colligere paulo amplius, lxx. M. paſſuum. *Quod ſi quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto aeſtimationem concipiat, fateaturque, nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuiſſe ei comparari.* Conſtantinopoli vero licuit etiam centum pedes in altitudinem aedificia promovere, quemadmodum apparet ex Conſtitntione Graeca ZENONIS ad Amantium praefectum urbi. *l.* 12. *C. de aedific. priv.* Haec de aedium altitudine. Proximum eſt, ut de craſſitudine parietum adſcribam, quod VITRUVIUA *lib.* II. *c.* 8. legibus publicis vetitum fuiſſe commemorat, majores craſſitudines quam ſeſquipedales loco communi conſtitui: caeteros autem parietes, ne ſpatia anguſtiora fierent, eadem craſſitudine collocari. Latericios vero, niſi diſplinthii, aut triſplinthii fuiſſent, ſeſquipedales craſſitudine non potuiſſe plus quam unam ſuſtinere contignationem. Confirmat hoc & PLINIUS *lib.* XXXV. *cap.* 14. hia verbis: *Romae*, ait, *non fiunt talia aedifieia, quia ſeſquipedalis paries, non plus, quam unam contignationem tolerat: cautumque eſt, ne communis craſſior fiat, nec intergerinorum ratio patitur.* Itaque craſſior fieri non poterat paries communis; poterat anguſtior. Nam *l.* 52. *Si fratres.* §. 13. *Item Mela.* D. *pro ſocio* narratur, vicinos inter

hae de re jam lata fuerit, incertum eſt. Reperio tamen apud VALERIUM MAXIMUM *lib.* VIII. *cap.* 1. *ex. damn.* 7. populum M. Aemilium Porcinam, a L. Caſſio accuſatum crimine nimis ſublime cxſtructae villae in Alſienſi agro, gravi multa affeciſſe.

(*a*) VERBA] Quae loco laudato exſtant.

(*b*) POSSUM] Plurimi tamen ſentiunt, Neronem hac in re Auguſti veſtigiis inſtitiſſe. Vide Cel. *Eſtor. l. c.* §. 10.

(*c*) POSTEA] Videtur ergo auctor noſter eum multis aliis exiſtimaſſe, JUVENALEM jam ſub Nerone periiſſe. Plurimi tamen hodie, quod obiter moneo, exiſtimant, eum vel ſub Domitiano, vel ſub Hadriano demum vitam finiiſſe. Vide *Jo. Alb. Fabricii Bibl. Latin. lib.* II. *cap.* 18. Aſt, ſi verum dicendum eſt, totus hic locus a verbo *certe* uſque ad verbum *proferemus*, non bene cum antecedentibus & conſequentibus cohaeret, qua de re in *Praefatione* dixi.

(*d*) MULTIPLICARENTUR] Haec fuit una cauſa. Alteram praebuit luxus & magnificentia: unde ſcriptores de Luxu Romanorum hanc quoque rem non praetermiſerunt: v. g. *Jo. Meurſius cap.* 12. *pag.* 52. *ſeqq.* ſive *pag.* 1239. *ſeq. Tom.* VIII. *Theſ. Antiqq. Graev. Staniſlaus Kobierzykius lib.* II. *cap.* 7. *ib. pag.* 1358. *ſeq.*

(*e*) ALTITUDINEM] Haec vox videtur eſſe delenda.

inter ſe ſemipedem contuliſſe ad parietem craticinm aedificandum, ut onera utriuſque ſuſtineret.

CAP. II.

De legitimo inter vicinas aedes interjici ſolito ſpatio.

Superiori ſermoni ſubjicere placet de vicinarum inter ſe aedium intervallo nondum patefactum XII. Tabularum caput. Eſt autem a FESTO POMPEJO *lib.* I. *voc. ambitus*, & ab ISIDORO *lib.* XV. *Etymol. cap. ult.* traditum, inter vicinorum aedificia ſpatium, in latitudinem duos pedes & ſemiſſem patens, ad circumeundi facultatem, intermitti conſueviſſe: quod in ANTONINI & VERI reſcripto *L.* 14. *Imperatores D. de ſervit. praed. urban.* ſignificari *Jacobus Cujacius*, vir Jurisprudentiae in antiquam dignitatem reſtituendae natus, *lib.* I. *Obſervation. cap.* 4. adnotavit. (*a*) Hoc vero ſpatium *Ambitum* antiquitus appellatum iidem auctores ſcribunt. Quod vocabulum ex XII. Tab. manare ex eo dilucide colligitur, quod VARRO *lib.* IV. *de lingua Lat. c.* 4. *pag.* 9. XII. Tab. interpretes ambitum parietum, circuitum interpretari, refert: antiquo plane loquendi more, quo, *Am*, pro, *Circum*, oſurpatum aliis exemplis ex eodem *Varrone*, *Feſto*, & *Macrobio*, nt caeteros minorum gentium taceam, planum fieri poteſt. Et ita ambitum accipiendum conſtat apud CICERONEM in *Topic. c.* 4. cum ait: *Ut ſi ita reſpondeas: quoniam P. Scaevola id ſolum eſſe ambitus aedium dixerit*, *quantum* (*b*) *parietis communis tegendi cauſa tectum projiceretur.* Et apud VITRUVIUM *lib.* I. *cap.* I. in illo loco. *Jura quoque nota habeat oportet ea*, *quae neceſſaria ſunt aedificiis communibus parietum ad ambitum.* Sic & in inſcriptione Romae in Sadoleti hortis effoſſa:

INTER DUOS
PARIETES
AMBITUS PRIVAT.
FLAVI SABINI.

Jam duos pedes cum ſemiſſe, ſeſtertium pedem in XII. Tab. appellari, VOLUSIUS MAETIANUS in *lib. de Aſſe*, ſcribit, cujus verba in vulgatis codicibns corrupta facile quisque ſic emendanda eſſe videt. *Lex etiam* XII. *Tab. argumento eſt*, *in qua duo pedes & ſemis* SESTERTIUS PES *vocatur.* Quo verbo dupondium & ſemiſſem veteres intellexiſſe, PLINIUS quoque *lib.* XXXIII. *cap.* 3. cum FESTO *lib.* XVII. *voc. ſeſtertii* tradit: eadem forma, qua & Trientertium & Beſalterum dixiſſe eos idem FESTUS auctor eſt. Subductis itaque omnibus, ambitum XII. Tab. circumſcriptum fuiſſe relinquitur, verbis, ut mihi quidem veriſimile fit, ita conceptis: (*c*) AMBITUS PARIETUM SESTERTIUS PES ESTO. Caeterum ut recentiorum Imperatorum ad aedificiorum ambitum pertinentes Conſtitutiones non praetermittam, ab horreis publicis privatorum aedes centum pedibus; a caeteris vero publicis aedificiis XV. pedum ſpatio removeri CONSTANTINO primum placuit. *l.* 4. & *l.* 46. *de oper. publ.* in *C. Th. lib.* XV. *tit.* I. THEODOSIO deinde ſatis viſum, etiam ab horreis publicis privatorum aedificia XV. pedum intervallo disjungi. *l.* 9. *ſi cui. l.* II. *moeniana. C. de aedif. privat.* qui & hoc in *d. l. moeniana.* conſtituit, ut privatorum inter ſe moeniana, decem pedes; a publicis vero operibus, XV. diſtent. Quam, ut opinor, legem GUNDEBALDUS Rex in legibus Burgundionum intellexit, cum ita cavet: *De ſervitute luminis vel aëris ſimiliter conſtitutum*, *ut inter privatorum fabricas decem pedes; inter publicas*, XV. *dimittantur*, *ſecundum legem Theodoſii* (*d*). Porro hic mos aedificiorum intervallo quodam non contingenter extruendorum, Neronis tantum temporibus, propter frequentis incendii metum, (*e*) nimirum poſt prodigioſum illud urbis, quod ſub illo contigit, incendium. Sic enim ſcribit TACITUS *lib.* XV. *Annal. cap.* 43. de illo incendio agens: *Caeterum*, inquit, *urbis*, *quae domus ſupererant*, *non ut poſt Gallica incendia*, *nulla diſtinctione*, *nec paſſim erectae*, *ſed dimenſis vicorum ordinibus*, *& latis viarum ſpatiis*, *cohibita aedificiorum altitudine*, *ac patefactis areis*, *additisque porticibus*, *quae frontem inſularum protegerent.* Et paulo poſt: *Jam aqua privatorum licentia intercepta*, *quo largior & pluribus locis in publicum flueret*, *cuſtodes*, *& ſubſidia reprimendis ignibus in propatulo quiſque haberet: nec communione parietum*, *ſed propriis quaeque muris ambirentur. Ea ex utilitate accepta*, *decorem quoque novae urbi attulere. Erant tamen*, *qui crederent*, *veterem illam formam*

CAP. II. Confer ad hoc cap. *Jo. Gottl. Heineccii Synt. Antiqq. Rom. lib.* II. *tit.* 3. §. 4.

(*a*) ADNOTAVIT] Adde ejusdem *Obſervatt. lib.* XXIII. *cap.* 4. & *lib.* XIX. *cap.* 21.

(*b*) QUANTUM] In editionibus, quas ego vidi, legitur, *quod*, pro quo *Georg. d'Arnaud Conject. lib.* II. *cap.* 25. *quoad* legere mavult. Quomodocunque vero legas, locus adhuc obſcuritate laborat.

(*c*) CONCEPTIS] Eſt *Lex* I. *Tab.* VIII. juxta *Jac. Gothofredum*, quem vide, ut & alios ad hanc legem interpretes.

(*d*) THEODOSII] Confer *Jac. Gothofredi Commentarium od Cod. Theod. lib.* IV. *tit.* 24. & ad *lib.* XV. *tit.* I. paſſim.

(*e*) METUM] Periodus manca eſt, & ad ſenſum ſupplendum requiritur adhuc verbum aliquod, v. g. *renovatus* ſive *revocatus fuit*

mam ſalubritati magis conduxiſſe, quoniam anguſtiae itinerum & altitudo tectorum non perinde ſolis vapore perrumperentur: at nunc patulam latitudinem, & nulla umbra defenſam, graviore aeſtu ardeſcere. Qua de re vide & SUETONIUM in *Neron. cap.* XVI. & PLUTARCHUM in *Capitolino* (*a*). Idem certe probat LEO IMP. *Conſtitutione Graeca ultima.*

CAP. III.

Explicatur, quod Ulpianus ſcribit, multae animadverſionem hodie pecuniariam eſſe: & de modo aeſtimationeque multarum.

Multae & poenae differentias enumerans ULPIANUS, multam definit eſſe ſpecialis peccati coërcitionem: cujus animadverſio hodie pecuniaria ſit, *l.* 131. *aliud eſt fraus* §. 1. *D. de verb. ſign.* Quem locum accuratius intuens, deprehendi, non temere verbum, *Hodie*, adjectum eſſe, propterea, quod alia olim ſuerit multae animadverſio Nec enim pecuniaria ac numeraria primum, ſed, ut ISIDORUS (*b*) ex *lib.* II. M. TULLII *de Repub.* refert, olim multa ovium & boum erat, quod tunc eſſet res in pecore. Id quod a PLINIO quoque *lib.* XVIII. *cap.* 3. & *lib.* XXXIII. *cap.* 1. traditur, confirmaturque ex eo, quod PLUTARCHUS in *Publicola*, *pag.* 103. contumacibus, qui Conſulibus non paruiſſent, conſtitutam fuiſſe narrat ἀπειθείας ζημίαν, βοῶν πέντε καὶ δυοῖν προβάτοιν ἀξίαν, *inobedientiae multam quinque boum & duorum ovium.* Qua de re quae plenius ex bonorum auctorum libris didici, proferre non pigebit. Primum erit, quod ex *Varrone* GELLIUS *lib.* XI. *cap.* 1. commemorat, his verbis concipi ſolitam multae dictionem: *Marco Terentio, quando citatus neque reſpondit, neque excuſatus eſt, ego ei unum ovem multam dico.* Quae verba & apud NONIUM MARCELLUM in verbo, *Oves*, *lib.* III. *num.* 152. ſed cum vitio, quod ex *Gellio* facile tolli poſſit, referuntur. Atque ea ita ſollemnia verba erant, ut non aliter juſta multae dictio haberetur, niſi in qua ovis maſculino genere efferretur. Etiam illud, ſi bubus & ovibus ſimul multa dicebatur, obſervari ſolitum, PLINIUS in eo, de quo proxime memini, loco, docet, ut ne bovem prius quam ovem nominaret, qui indiceret multam: quanquam in infra ſcripto DIONYSII loco hoc non fuerit obſervatum, niſi vitium tranſpoſitionis in illo loco potius librarii, quam auctoris ipſius eſſe dixeris. Caeterum quod ad modum multarum attinet, ex SEX. POMP. FESTO *lib.* XI. *v. multam.* & *lib* XIV. *v. peculatus.* & GELLIO *loc. cit.* notandum eſt, non licuiſſe quondam pluribus quam XXX. bubus & duobus ovibus quemquam multare: legeque id ita Titum Menenium Lanatum, & Pub. Sextium Capitolinum Conſules ſanxiſſe. Quod & ab eodem auctore *lib.* XIII. *v. ovibus.* traditum fuiſſe conjicio, cujus verba hodie conciſa nullum bonum ſenſum habent, & ex aliis ſupra ſcriptis locis ſupplenda ſunt. Eſt & in hac parte non leve mendum apud DIONYSIUM HALICAR. *lib.* X. *pag.* 674. tranſpoſitione verborum commiſſum. Sic enim vulgo ſcriptum eſt: τὸ μέντοι τίμημα οὐκ ἐπ᾽ αὐτοῖς ζημιοῦσιν ὁπόσον εἶναι δοκεῖ κατέλιπον, ἀλλ᾽ αὐτοὶ τὴν ἀξίαν ὥρισαν, μέγιστον ἀποδείξαντες ὅρον ζημίας δύο βόας καὶ τριάκοντα πρόβατα. *Multae tamen modus non multantium arbitrio relictus eſt, ſed ab ipſis praefinitus, ne ſcilicet multa graviſſima duos boves & triginta oves excederet.* Cum tamen δύο πρόβατα καὶ τριάκοντα βόας, *duos oves & triginta boves*, ſcribendum eſſe nemo non ex FESTO, cui GELLIUS, *Varronis* auctoritate nixus, conſentit, intelligat. Plane *Feſto* HALICARNASSEUS in Conſulum nomine, qui multarum modum ſtatuerunt, refragatur: & forte Graecus homo (Latini enim, ejusque probatiſſimi auctoris apud me pluris eſt fides) in fraudem ex eo impulſus eſt, quod illi, quibus legem de modo multarum tribuit, Conſules legem de aeſtimatione multarum tuliſſe dicantur, bienniοque poſt eos Coſs. id eſt, anno ab Urbe condita circiter trecenteſimo, ut Capitolinus lapis probat, P. Seſtius Q. F. Vibi N. Capitolinus & Tit. Menenius Lanatus Conſulatum geſſere (*c*). Pecoralis vero multae aeſtimatio, poſtquam ſignato aere populus uti coepit,

(*a*) CAPITOLINO] Quemnam locum auctor intelligat, ego ne divinando quidem aſſequi potui.

CAP. III. Quaedam ad hoc cap. pertinentia affert auctor in *Opere de Form. Sollemn. l b.* V. *pag.* 462. (487. *ſeq.*)

(*b*) ISIDORUS] In libro X. *Origg.* ſive *Etymol.* voce *locuples:* qui locus paullum mendoſus ex NONIO *lib.* I. *num.* 198. ita reſtituendus eſt: *Locuples, quaſi locis plenus, & poſſeſſionum plurimarum poſſeſſor, quemadmodum docet* TULLIUS *in libro* II. *de republica: multaeque dictione ovium & boum, quod tunc erat res in pecoribus* (ſive *in pecore*) *& in locorum poſſeſſionibus, ex quo pecunioſi & locupletes vocabantur.* Hinc etiam peculatus crimen nomen accepiſſe, indicat VARRO *de lingua Lat. lib.* IV. *pag.* 27. his verbis: *Peculatum publicum furtum, ut quum pecore diceretur multa, & id eſſet coactum in publicum, ſi erat averſum.* Adde FESTUM *voc. peculatus.*

(*c*) GESSERE] Duae praecipue leges de multa latae ſunt, una de modo; altera de aeſtimatione multarum. Una vocatur *Menenia Sextia*, a T. Menenio & P. Sextio Coſs. qui conſulatum geſſerunt A. U. C. 302. Altera *Ateria Tarpeja*, ab A. Aterio & Sp. Tarpejo Coſs. qui A. U. C. 300. conſulatum geſſerunt ſecundum aeram Varronianam. Quaenam vero lex modum; quaenam aeſtimationem multarum praeſcripſerit, id ob veterum diſſenſum definiri haud facile poteſt. Legi ea de re poſſunt ſcriptores de legibus Romanorum & interpretes ad loca veterum laudats. Ad legem

coepit, facta eſt, ove denis aſſibus, bove centenis aeſtimato, quemadmodum FESTUS *lib.* I. *v. aeſtimata.* & *lib.* XI. & *lib.* XIII. & *lib.* XIV. *voc. cit.* tradit. PLUTARCHUS in *Valerio Public. pag.* 103. Ἦν δὲ τιμὴ μὲν προβάτου ὀβολοὶ δέκα, βοὸς δὲ ἑκατόν. οὔπω νομίσματι χρωμένων πολλῷ τότε Ῥωμαίων, ἀλλὰ προβατείαις καὶ κτηνοτροφίαις εὐθηνούντων. *Erat autem pretium ovis, oboli decem; bovis, centum. Nondum enim eo tempore in frequenti uſu apud Romanos erat pecunia, ſed pecoris & jumenti copia divites cenſebantur.* Conſtat autem hujusmodi aeſtimationem lege factam. De legis nomine video dubitari. Eam FESTUS Tarpejam, GELLIUS Ateriam vocat. Non dubito autem, quin a Spurio Tarpejo Montanea & A. Aterio Fontilena rogata ſit, quos ſimul Conſulatum geſſiſſe praeter LIVIUM *lib.* III. *c.* 31. Capitolinus lapis teſtatur (*a*). Quamquam, ut hoc obiter attingam, in alterius ex Coss. nomine edendo mira ſit inter antiquos auctores, ſcripturae vitio, ut exiſtimo, diſſenſio. Nam quem LIVIUS *l. c.* & PLINIUS *lib.* VII. *cap.* 28. A. Aeternium nominant, eundem GELLIUS *lib.* II. *cap.* II. & SOLINUS *Collectaneor. cap.* VI. (juxta *Salmaſ.* I.) A. Thermum appellant. HALICARNASSEUS autem A. Terminium. (hoc eſt Τερμίνιον) CASSIODORUS in *Chronico* Aternium. DIODORUS Ἀτέρνιον, vel potius Ἀσέριον corrupte (*b*). Quae omnia nomina falſa & mendoſa ſunt, eorumque loco verum & germanum Aterii nomen ex Capitolino lapide, quo certius monumentum nullum habemus, reponendum eſt. Unde legem Ateriam dixit GELLIUS; qui ea ratione in concordiam cum FESTO adducitur, quando ab utroque ex his Conſulibus, a quibus rogata eſt, legem nomen accipere nihil prohibeat. Plus negotii LIVIUS faceſſit, qui legem de multarum aeſtimatione a L. Papirio Craſſo, & L. Julio Coss. latam *lib.* IV. *c.* 30. tradit, niſi renovatores fuiſſe eos, non primos auctores dixerimus. Poſt eas certe leges ſuprema multa trium millium & XX. aſſium fuit, ut eſt a FESTO *lib.* XI. ſcriptum, cum antea X. millibus aeris & XV. millibus quosdam multatos apud HALICAR. *lib.* X. *pag.* 674. & LIVIUM *lib.* III. *cap.* 31. legamus. (*c*). Verum enim vero etiam aeſtimatione conſtituta non deſiit multa ovibus atque bubus ex vetere inſtituto dici: (*d*) quod ſuis etiamnum temporibus in uſu fuiſſe VARRO *lib.* II. *de re ruſtic. cap.* I. indicat. PLINIUS *lib.* XXXIII. *cap.* I. *Ex qua conſuetudine*, inquit, *multa legum antiquarum pecore conſtat etiam Romae.* Sed eſt paullatim vetuſtus mos deſuetudine obliteratus, obtinuitque multam pecunia ac nummis dici: ut bene ULPIANUS multae animadverſionem hodie pecuniariam eſſe ſcripſerit. Eodemque modo animadvertere eſt, aliis plerisque Pandectarum locis verbo, *Hodie*, vetuſti moris jurisque abrogationem ſignificari. Ut ecce in *l.* 13. *hodie. D. de poen. Hodie*, ait lex, *licet ei, qui extra ordinem de crimine cognoſcit, quam vult ſententiam ferre, vel graviorem, vel leviorem.* Merito, *Hodie.* Nam olim minuendae vel augendae poenae, quae lege impoſita eſſet, poteſtatem Quaeſitor non habebat. Verum hodie, ipſo veterum judiciorum ordine ſublato, poenae arbitrio cognitorum extra ordinem infliguntur. *l.* 4. §. I. *D. ad l. Jul. pecul. l.* 7. §. *ult. D. ad l. Jul. repet. l.* 15. *in ſenatuſconſultum.* §. I. *D. ad SC. Turpillian. l.* 8. *ordo. D. de public. judic.* Sic & in *l.* 32. *hodie D. ad l. Corn. de falſ.* & *l.* 3. *D. ad l. Jul. pecul.* & *l.* I. *D. ad l. Juliam amb.* & *l.* 3. §. *penult. ad l. Corn. de ſicar.* verbum *Hodie* accipi liquet. Similiter & in *l.* 7. §. 19. *D. de pact. Hodie tamen*, ait ULPIANUS, *ita demum pactio hujuſmodi creditoribus obeſt*, &c. *hodie*, id eſt, poſt reſcriptum D. Marci, de quo in *l.* 10. *reſcriptum. D. eod. tit.*

CAP.

legem Ateriam Tarpejam ſingularem Diſſertationem ſcripſit *Jo. Koolius*, *Ultraj.* 1698. quae *Tom.* V. *Theſ. Juris* inſerta legitur: contra quam nonnulla dubia movit *Georg. d'Arnaud Conjectur. lib.* I. *cap.* 16. Quaedam etiam de lege Ateria attulit *Jo. Georg. Wachterus* in *Archaeologia nummaria*, *ſect.* II. Ego hanc controverſiam alio tempore accuratius excutiam: illud interim hoc loco tantum addo, ne ipſum quidem *Dionyſium* ſibi ſatis conſtare; nam *lib.* IX. *pag.* 586. ad A. U. C. 278. Sp. Servilio & A. Virginio Coss. narrat, jam tum ovium ac boum numerum, ultra quem magiſtratibus non liceret a privatis multam exigere, fuiſſe definitum. Immo jam Valerium Poplicolam modum multis impoſuiſſe, ex loco *Plutarchi* ſupra laudato apparet: ut adeo varias hac de re leges apud Romanos exſtitiſſe, easque haud raro ab ipſis veteribus confuſas fuiſſe, omnino credibile ſit.

(*a*) TESTATUR] Sed in LIVII lectione Codices maxime variare, notant *h. l.* Interpretes: Lapidem vero Capitolinum in poſterioris Conſulis nomine mutilum eſſe, obſervat Vir Cel. *Car. Andr. Dukerus* in notis ad *Livium l. c. pag.* 965. *ed. Drakenb.*

(*b*) CORRUPTE] In editione H. *Stephani* A. 1559. *lib.* 12. *pag.* 293. nomina Conſulum ita leguntur: Σπόριον Ταρπήϊον ϗ Αὖλον Ἀσέριον Φοντῖνον.

(*c*) LEGAMUS] Immo & poſtea. Sed auctor confundit multas, quas magiſtratus jure ſuo irrogare potuerunt, cum multis ab ipſo populo irrogatis. Priores per leges ad certum modum; poſteriores vero ad nullum certum modum adſtrictae fuerunt: id quod etiam obſervaſſe *Georg. d'Arnaud Conjectur. lib.* I. *cap.* 16. poſtea perſpexi.

(*d*) DICI] In gratiam ſcilicet moris antiqui; licet non amplius in ipſis pecoribus, ſed per aeſtimationem potius praeſtarentur.

CAP IV.

Declaratur Ulpiani locus, & de diverſo matronarum meretricumque veſtitu.

ULPIANUS ſcribit, ſi quis virgines appellaſſet, ſi tamen ancillari veſte veſtitas, minus peccare videtur. Multo minus, ſi meretricia veſte feminae, non matrisfamilias veſtitae fuiſſent. *l.* 15. *item apud Labeonem.* §. 15. *ſi quis virgines. D. de injur.* Quae verba matronalem habitum a meretricio diverſum fuiſſe indicant, ut vel ſola veſtis differentia a meretricibus honeſtae matresfamilias diſcerni ac dignoſci poſſent. Id quod ad *Ulpiani* ſententiam accommodatiſſime TERTULLIANUS oſtendit in *lib. de Cultu Femin. c.* 12. his verbis: *Aut quid minus babent infeliciſſimae illae publicarum libidinum victimae, quas ſi quae leges a maritalibus & matronalibus decoramentis coërcebant, jam certe ſeculi improbitas quotidie inſurgens boneſtiſſimis quibusque feminis uſque ad errorem dignoſcendi coaequat.* Idem in *lib. de Pallio. c.* 4. *Converte*, ait, *ad feminas: babes ſpectare, quod Caecinna Severus graviter Senatui impreſſit, Matronas ſine ſtola in publico. Denique Lentuli Auguris conſultis, quae ita ſeſe exauctoraſſet, pro ſtupro erat poena: quoniam quidem indices cuſtodesque dignitatis babitus, velut lenocinii factitandi impedimenta, ſedulo quaedam deſuefecerant.* Sed jam ex antiquitatis veluti parietinis eruere tentemus, quod propoſitis locis aliquid lucis adferat. Invenio autem honeſtas mulieres ſtola & palla indutas fuiſſe, quemadmodum NONIUS MARCELLUS in *cap.* XIV. *de genere veſtim. num.* 6. 7. ſcribit: & ULPIANUS ſignificat in *l.* 23. *veſtis* §. 2. *muliebria. D. de auro arg. legat.* Unde *matronalem ſtolam* VALERIUS *lib.* VI. *cap.* 1. dixit, & *ſtolas atque ornatus matronales* VITRUVIUS *lib.* I. *cap.* I. conjunxit. Sed & FESTUS *lib.* XI. *matronas* tradit appellatas eas fere, *quibus ſtolas babendi jus eſſet* (*a*). Nam meretricibus, turpibusque & inhoneſtis mulieribus ſtolarum uſum legibus interdictum fuiſſe, ex eo *Tertulliani*, quem initio adſcripſi, loco conjici poteſt. Sed & ex hoc JUVENALIS loco è *Sat.* II. *v.* 68.

—— Eſt moecba Fabulla:
Damnetur etiam, ſi vis, Carpbinia! talem
Non ſumet damnata togam. ——

Quam-

CAP. IV. Ad hnc cap. praeter ſcriptores de veſtimenria veterum Romanorum, conferri inprimis poſſunt Auctoris *liber de Jure Connubii*, *pag.* 1066. *ſeqq. Tom.* VIII. *Tbeſ. Antiqq. Graev.* CASP. BARTHII *Adverſar. lib.* XLII. *cap.* 17. HENR. SALMUTH *Additamenta ad Pancirolli rerum memorab. ſive deperditarum lib.* 1. *tit.* 45. *pag.* 203. *ſeqq.* ALEXANORI ab ALEXANORO *Dier. Genial. lib.* V. *cap.* 18. *pag.* 215. *ſeqq.* ibique Inrernretes. JOSEPHI LAURENTII *Polymatb. Diſſert.* 25. & 37. (*Tom.* VIII. *Tbeſ. Antiqq. Gronov. pag.* 1403. *ſeqq.*) THOM. DEMPSTERI *Paralipom. ad Roſini Antiqq. lib.* V. *cap.* 32. *pag.* 902. *ſeqq. & cap.* 35. *pag.* 924. *ſeqq.* (*ed. Colon.* 1620. 4.) JUSTI LIPSII *Excurſ. ad Taciti Annal. lib.* 11. *lit.* O. JO. GOTL. HEINECCII *Syntagma Antiqq. Rom. lib.* IV. *tit.* 18. §. 53. *ſeqq.* STANISLAI SANTINELLI *Diſſertatio de Diſciplina & Moribus feminarum Romanarum, ed. cum aliis Opuſculis, Venet.* 1734. 4. in qua varia paſſim ad hujus capitis illuſtrationem pertinentia occurrunt. Ut vero hoc caput eo melius intelligatur, ego id tantum, in tyronum grariam, in praeſenti annotabo. *Meretrices* apud Romanos proprie omnes eas dictas eſſe, quae palam corpore quaeſtum faciebant, a merendo: (vide Lexica, & Auctoris *Opus de V. S. b. v.*) in ſenſu vero ſpecialiſſimo, ſive eminenriori, eas, quae a lenonibus proſtiruebantur: (vid. OVIDIUS *Amor. lib.* I. *El.* 10. *v.* 21. *ſeqq.*) immo & eas, quae a lenonibus ad turpem hunc quaeſtum habebantur, licet nondum pudicitiam profligaſſenr, (vid. SENECA *Controv.* I. *num.* 2. *Meretrix vocata es, in communi loco ſtetiſti, ſuperpoſitus eſt cellae tuae titulus.* PLAUTUS *Poen.* paſſim.) Turpius adhuc eſſe *proſtibuli*, quam *meretricis* nomen, indicar NONIUS *lib.* V. *n.* 8. Proſtibula enim, ut tradit, proprie dicta ſunt, quod ante ſtabulum ſtent, quaeſtus diurni & nocturni cauſa. Solebant enim miſerae iſtae mulierculae nudae in lupanari proſtare, in ſua quaeque cella, cui tirulus erat praeſcriptus, ut Auctor noſter *l. c.* docet, ubi plures alios ſcriptores laudabo. Omnes vero, quae impune turpem hunc quaeſtum exercere volebanr, nomen apud Aediles profiteri debebant. (vid. TACITUS *Annal. lib.* II. *cap.* 85. & conf. *Lipſius* & *Heineccius* locis indicatis.) Tolerabantur enim apud Romanos tanquam malum neceſſarium: unde eleganter AUGUSTINUS *de Ordine lib.* I. *c.* 12. *Auſer*, ait, *meretrices de rebus bumanis, & turbaveris omnia libidinibus.* Pro turpibus tamen perſonis babebanrur, (*L.* 3. *D. ſi a parente manumiſſ.*) adeoque jure ac dignitate matronali exſolvebantur, ut loquitur SUETONIUS in *Tiber. cap.* 35. Hinc meriro externo quoque habitu a matronis ſecernebantur. Notandum vero, non ſolas meretrices proprie ſic dictas a matronis, & quoad jus ac dignirarem, & quoad externum habitum, diſtinctas fuiſſe: ſed meretricibus hac in parte omnes turpes mulieres, in quas ſtuprum committi non poterat, & a quarum nuptiis omnes ingenuos homines arcebat lex Julia & Papia Poppaea, aequiparatas fuiſſe: quaenam vero illae ſint, docet *Jo. Gottl. Heineccius in Comment.* ad dictam legem, *lib.* II. *cap.* 1. §. 11. *p.* 130. *ſeqq.* Adde *Jo. Guil. Hoffmanni Comment. ad L. Jul. de Adult. cap.* 4. §. 3. *ſeqq. p.* 76. *ſeqq.*

(*a*) ESSET] Hoc loco *Matrona* ſumitur pro femina honeſta, ſive nupta, ſive innupta. Caeterum varias ſignificationes hanc vocem, ut & *Matrisfamilias*, admittere, notum eſt. Vide praeter *Hoffmannum l. c. Santinelli Diſſ. laud. cap.* 4. Ampl. *Ulrici Grupenii Tract. de Uxore Rom. cap.* 1. §. 5. *ſeqq.*

Quamobrem MARTIALIS *lib.* I. *Ep.* 36. *v.* 8. inquit:

Quis Floralia veſtit, & ſtolatum
Permittit meretricibus pudorem?

Erat vero ſtola oblonga, & ad talos uſque demittebatur, ut HORATIUS *lib.* I. *Sermon. ſat.* II. *v.* 29. & 99. indicat. Cujus etiam interpres ACRON illo verborum circuitu, quae eodem loco *v.* 28. leguntur.

—— *Sunt qui nolunt tetigiſſe, niſi illas,*
Quarum ſubſuta talos tegit inſtita veſte.

matronas deſignari ſcribit, quae ſtola utebantur ad imos pedes demiſſa, cujus infimam partem inſtita ambiebat. OVIDIUS *lib.* II. *de arte amandi: v.* 600.

Luditur in noſtris inſtita nulla jocis.

Atque in hoc ipſo vel maximum inter muliebres ſtolas & viriles togas diſcrimen intercedebat, quas prioribus oris infra genua paullum; poſterioribus uſque ad medios poplites perveniſſe QUINCTILIANUS *lib.* XI. *cap. ult.* declarat, illud quoque oratori cavendum monens, ne veſte longiore utatur, quoniam mulierum ſit longa veſte uti. Et hoc mollitiei crimine notabatur. SENECA *lib.* II. *Controverſ.* XIV. *Omnia a te vitia: quod unguento coma madet, tuum eſt: quod laxior uſque in pedes tunica demittitur, tuum eſt.* Praeterea vittis crines honeſtae matresfamilias, contra atque meretrices, coërcebant, ut a SERVIO in VII. *lib. Aeneid. v.* 403. notatur. PLAUTUS *Milite glor. Act.* III. *Sc.* I. *v.* 196. *de meretrice:*

Utique eam huc ornatam adducas matronarum modo,
Capite compto, crines vittaſque habeat. ——

Hinc OVIDIUS *lib.* I. *de Arte amand. v.* 31.

Eſte procul vittae tenues inſigne pudoris,
Quaeque tegis medios inſtita longa pedes.

Et *lib.* II. *Triſt. v.* 251.

Ecquid ab hac omnes rigide ſummovimus arte,
Quas ſtola contingi, ſumptaque vitta vetat?

Idem *lib.* III. *de Ponto, epiſt.* 3. *ad Maximum: v.* 51.

Scripſimus haec illis, quarum nec vitta ligatos.
Attingit crines, nec ſtola longa pedes.

Quod ille ad TIBULLI imitationem effinxiſſe videtur, eujus haec ſunt verba (*a*) *lib.* I. *Eleg.* VI. *v.* 73.

Sit modo caſta doce quamvis nec vitta ligatos
Impediat crines, nec ſtola longa pedes.

Igitur vittis crines redimitae, veſteque talari indutae, honeſtae mulieres in publicum procedebant. Succinctioribus contra, & quae ad viriles proxime accederent, meretrices utebantur: quemadmodum NONIUS *eodem capite* XIV. n. 26. ſentit. Quam veſtium matronalium & meretriciarum differentiam non obſcure HORATIUS *lib.* I. *Sermon. ſat.* II. *v.* 83. *ſeqq.* expreſſit, cum propter demiſſam ad talos veſtem in matronis facile crurum vitia tegi ait, quae in meretricibus latere non poſſunt ob veſtium brevitatem. Idem & JUVENALIS *Sat.* VI. *v.* 443. comprobat, eloquentiam matronis non eſſe adfectandam inquiens, meretricibusque relinquendam, quae cruretenus medio tunicas ſuccingant. ISIDORUS autem *lib.* XIX. *Etymol. cap.* XXV. meretriciae veſtis ſignum fuiſſe pallium lineum, quo & matronae in adulterio deprehenſae induerentur, ſcribit (*b*). Quod ut ego aliis defectus teſtimoniis pro certo adfirmare non poſſum, ita exploratum habeo, adulterii damnatas veſtem mutaſſe, depoſitaque ſtola togam, ut a matronis diſcernerentur, (*c*) ſumſiſſe. Hoc

(*a*) VERNA] Ad quem locum legi merentur elegantes *Jani Broukhuſii* annotationes. Eſt quoque elegans, qui notari meretur, locus apud OVIDIUM *Faſtor. lib.* IV. *v.* 133.

Rite Deam (Venerem) *colitis Latioe matresque nuruſque,*
Et vos, quis vittae longaque veſtis abeſt.

(*b*) SCRIBIT] Verba ejus ſunt: *Amiculum eſt meretricum pallium lineum. Hoc apud veteres matronae in adulterio deprehenſae induebantur, ut in tali amiculo potius, quam in ſtola polluerent pudicitiam. Erat enim hoc apud veteres ſignum meretriciae veſtis;* nunc in *Hiſpania honeſtatis.* Fortaſſis amiculum loco pallae; ſicuti togam loco ſtolae, geſtarunt meretrices.

(*c*) SUMSISSE] Quamvis enim antiquiſſimis temporibus *toga* commune utriusque ſexus eſſet veſtimentum: (vid. NONIUS *cap.* XIV. n. 24. ASCONIUS *ad* Ciceronis *Accuſat. in Verrem. lib.* I. *cap.* 44. *p.* 99. SERVIUS *ad* Virgilii *Aeneid.* I. *v.* 286.) poſtea tamen virile proprium factum eſt, & in ſequiori ſexu iis tantum relictum, quae matronalibus honoribus juribusque, adeoque etiam ſtolae jure, carebant. Quarum numero, ut ſupra indicavi, omnes illae, in quas ſtuprum non committebatur, & a quarum nuptiis ingenuos arcebat lex Papia Poppaea, cenſebantur. Ergo de adulterii damnatis ex lege Julia non eſt dubitandum, neque accedere poſſum opinioni *Hoffmanni* in *Comment. ad L. Juliam de adult. cap.* 4. §. 10. *p.* 92. qui hiſce Domitianum togae uſum primum injunxiſſe exiſtimat. Quamvis

Hoc me Acron (*a*) in illius *Horatiani* verſus interpretatione docuit, quo matronae, id eſt, honeſtae mulieri, togata, id eſt, impudica opponitur. Verſus ita habet: *lib.* I. *Sat.* 2. *v.* 63.

—— —— —— —— *quid inter-*
Eſt in matrona, ancilla, peccesve togata?

Unde Juvenalis adulteram perſtringens *Sat.* II. v. 70.

Non ſumet, ait, *damnata togam.*

Clarius hoc Martialis duobus locis demonſtrat. Unus eſt *lib.* II. *Epigr.* 39.

Coccina famoſae donas & janthina moechae.
Vis dare, quae meruit, munera? mitte togam.

Alter eſt *lib.* x. *Ep.* 52. in haec verba:

Thetin viderat in toga ſpadonem:
Damnatam Numa dixit eſſe moecham.

Hoc amplius, ut caeteras matronalis meretriciique ornatus differentias perſequar, ſellis lecticisque (*b*) honeſtiores matronae geſtabantur, quarum uſum probroſis feminis a Domitiano interdictum Tranquillus *in ejus vita. c.* 8. narrat (*c*). Dio *lib.* LX. *pag.* 665. Πρότερόν τε ἄρα ὅτε Αὔγουστος, καὶ ὁ Τιβέριος, ἄλλοι τέ τινες ἐν σκιμποδίοις, ὁποίοις αἱ γυναῖκες καὶ ἔτι νῦν νομίζουσιν, ἔστιν ὅτε ἐφέροντο. *Quum antea Auguſtus & Tiberius lecticis interdum ejusmodi geſtarentur, quibus adhuc noſtro tempore mulieres utuntur.* Idem alias *lib.* LVII. *p.* 612. Ἔν τε σκιμποδίῳ καταστέγῳ, ὁποίῳ αἱ τῶν βουλευτῶν γυναῖκες χρῶνται, ἐς τὴν γερουσίαν ἐσεκόμισε. *In lectica operta, cujusmodi ſenatorum uxoribus in uſu ſunt, in ſenatum inferri juſſit.* Isidorus *lib.* xx. *Etymologiarum*, ſive *Origg. cap.* XII. pilenta vel petorita contecta fuiſſe quatuor rotarum vehicula ſcribit, quibus niſi caſtae matronae uti non poterant, ſicut nec vittis (*d*). Seneca in *lib. de Remed. fortuit.* (*e*). *Quam in patente ſella circumlatam per urbem populus ab omni parte aeque ut maritus inſpexerit.* Apulejus *lib.* XI. *Metamorph.* ſive *de Aſino aur. pag.* 368. *Vidi & urſam manſuetam, quae cultu matronali ſella vehebatur.* Accedat etiam in argumentum *l.* 49. *item legato. D. de legat. lib.* III. Sed enim lapſis ad mollitiem moribus, de priſca pudoris & modeſtiae magiſtra ſeveritate multum conſuetudo deflexit. Jam Tertullianus in libro *de Pallio, cap.* 4. peſſum ire pudicitiam conquerebatur, quod ſtolis ſellisque ejeratis in publico mulieres verſarentur, quaſi in ſemet-

vis concedam, locum Horatii ab illo adductum (*lib.* 1. *Sat.* 2. *v.* 64.) non tam de adulterii condemnatis, quam de meretricibus, eſſe intelligendum: ut & *v.* 82. ejusdem *Sat.*

—— —— *atque etiam melius perſaepe togatae.*

Obiter etiam annotare volo, in craſſo errore verſari *Alexandrum ab Alexandro*, quando *Genial. Dier. lib.* v. *cap.* 18. ſcribit, ſtolam ſolas patricias feminas geſtaſſe, eamque plebejis, quamvis honeſtis, datam non fuiſſe. Commune enim honeſtarum feminarum fuit veſtimentum. Et hinc neceſſe quoque non eſt, ut cum *Godofr. Lengnichio in Diſſ. de poena adult. cap.* 3. *ſect.* 1. §. 9. ſtatuamus, meretricias togas colore etiam a caeterarum togis diſtinctas fuiſſe. Caeterum de toga meretricum confer etiam Interpretes ad *Ciceronis Philipp.* II. *cap.* 18.

(*a*) Acron] Verba ejus ſunt: *Matronae, quae a maritis ob adulterium repudiabantur, togam accipiebant, ſublata ſtola, propter ignominiam. Toga autem meretrici apta: ita enim proſtare ſolebant cum pullis togis, ut diſcernerentur a matronis: & ideo, quae adulterii damnatae fuerant, hac veſte utebantur.*

(*b*) Lecticisque] Sellae geſtatoriae & lecticae a recentioribus, Graecorum praeſertim ſcriptorum interpretibus, haud raro confunduntur, ut eleganter obſervavit *Juſtus Lipſius Elector. lib.* 1. *cap.* 19. qui utriusque differentias optime explicaſſe videtur: cui tamen jungendus *Valerius Chimentell. de honore biſellii, cap.* 24. (*Tom.* VII. *Theſ. Antiqq. Graev.*) & *Jo. Schefferus de re vehiculari, lib.* 2. *cap.* 4. *ſeq.* (*Tom.* V *Theſ. Antiqq. Poleni.*)

(*c*) Narrat] Jam Julium Caeſarem promiſcuum lecticarum uſum ſuſtuliſſe, ex eodem Suetonio in ejus vita, *cap.* 43. patet, & clarius adhuc ex Eusebii *Chronico* ad *Ann.* 1972. *pag.* 152. *ed. Scal.* ex quo perſpicimus, eo tempore ne omnibus quidem honeſtis feminis, nedum turpibus perſonis, lecticarum uſum permiſſum fuiſſe. Immo jam ante Domitiani tempora matronas ſolas lecticis uſas fuiſſe, haud obſcure colligi poteſt ex Horatio *Sat. lib.* 1. *ſat.* 2. *v.* 98. Domitianus ergo morem antiquum, ſeculi licentia corruptum, reſtituiſſe tantum videtur: quamvis aliter exiſtimet laudatus *Hoffmannus ad L. Jul. de adult. cap.* 9. §. 5. *p.* 174. Mecum tamen conſentit *Staniſl. Santinell. Diſſ. all. cap.* 8. *pag.* 135. *ſeq.* Confer etiam *Lengnichii Diſſ. de poen. adult. cap.* 3. *ſect.* 2. §. 2. & *Marcelli Donati Dilucidat.* ad *Sueton. pag.* 509. *Tom.* VI. *Theſ. Crit. Gruteri.*

(*d*) Vittis] Haec Isidorus, ut multa alia, hauſit ex Servio ad *Aeneid. lib.* VIII. *v.* 666. Pilentis Festus *h. v.* jungit Carpenta, cum quo confer Livium *lib.* v. *cap.* 25. Vide etiam, quae de Carpentorum uſu affert *Ezechiel Spanhemius de Uſu & Praeſt. Numiſm. Diſſ.* XI. *Tom.* II. *pag.* 278. Sequioribus temporibus Baſtarnae & Carrucae praecipue erant in uſu matronarum, de quibus omnibus vide *Jo. Schefferi Opus de re vehiculari, lib.* 1. *cap.* 18. *pag.* 1222. *ſeq. Tom.* v. *Theſ. Antiqq. Poleni:* & *lib.* II. *cap.* 4. *ſeqq. cap.* 17. *cap.* 25. & 27. nec non *Joſephi Averanii Interpr. Juris, lib.* 1. *cap.* 30.

(*e*) Fortuit.] Sunt haec excerpta, a ſtudioſis olim ex variis Senecae libris collecta, quae ad calcem plurimarum Senecae operum editionum leguntur.

metipſas lenocinantes, quo facilius de plano conveniri poſſent. (*a*) Idemque io *Apologetico cap.* 6. queritur, nullum jam inter matronas & proſtibulas de habitu diſcrimen relictum. Verſa etiam tandem eſt in faſtum, quae pro pudicitiae velamento conceſſa lectica fuerat. Hic ne caeterarum quoque gentium laudabilia inſtituta, quorum nobis ad imitandum exempla proponi utile eſt, praetereantur, admonendi ſumus, Spartae ſolis meretricibus floridas veſtes, & mundum aureum, ut CLEMENS ALEX. *lib.* II. *Poedag. cap.* 10. *pag.* 233. auctor eſt, geſtare licuiſſe. In matronis id vitio datum. Floridas plane veſtes etiam Athenienſium legibus fuiſſe meretricibus, quo a reliquis feminis dignoſcerentur, attributas, SUIDAS in verbo Ἑταιρῶν indicat (*b*) MACROBIUS in *Somn. Scip. lib.* I. *cap.* 11. *Viſa ſibi ipſas Eleuſinas Deas habitu meretricio ante apertum lupanar proſtantes.* Verum ut ad ULPIANUM tandem aliquando redeam, injuriarum poſtulari poſſe non videtur, qui meretricia veſte indutas matrooas blando ſermone adtemptavit, libidioiſve cauſa adfectatus eſt, quippe juſto errore lapſus, cujus ipſae injuriam paſſae mulieres cauſam praebuere, quae ſe cum ejusmodi ornatu cootra civitatis morem publico committere non debuerunt. Nec valde abſimilis, & ex eodem ſere fonte ducta illa quaeſtio eſt, quam QUINCTILIANUS *lib.* VII. *cap.* 3. proponit, an, qui in lupanari cum aliena uxore ſuerit deprehenſus, adulterii teneatur? Nam & hic juſti erroris excuſatione adulterii crimen deprecari poteſt. Sed & huc valde pertinet elegans AUSONII *epigramma num.* 104.

Delia, vos miramur: & eſt mirabile; quod tam
Diſſimiles eſtis, tuque, ſororque tua.
Haec habitu caſto, cum non ſit, caſta videtur:
Tu, praeter cultum, nil meretricis habes.

CAP. V.

De vetuſto bonorum, liberorumque profitendorum more.

Profeſſionum duo in libris noſtris genera memorantur, quae nobis initio hujus ſermonis, vitandae confuſionis cauſa diſtinguenda ſunt. Aliae enim Natales; (quas παιδογραφίας vocat MODESTINUS in *l.* 2. *§.* 1. *D. de excuſat.*) aliae Cenſuales profeſſiones appellantur. *l.* 6. *ſtatum. C. de fide inſtrum. l. ult. C. ſine cenſu vel reliq.* Illis natos ſibi liberos apud acta parentes profitebantur: (Siquidem aetas probari dicitur ἐκ τῶν παιδογραφιῶν in *l.* 2. *§.* 1. *D. de excuſat.* ſive ex tabulis profeſſionum *l.* 1. *C. ſi minor ſe maj. dix.* Atque etiam nativitates infaotium profitebantur appoſito die & conſule) his cenſum, patrimoniumque edebant. De priore ſpecie accipiendae ſunt *l.* 13. *cum de aetate l.* 16. *etiam. l.* 29. *Imperatores. §.* 1. *D. de probation. l.* 14. *non nudis. C. eod. titul. l.* 15. *nec omiſſa. l.* 22. *parentes. l.* 24. *interrogatam. l.* 39. *liberos. C. de liber. cauſ. l.* 5. *neque profeſſio C. de teſtamentis. l.* 1. *C. ſi minor ſe major.* Uti etiam accipe Tabulas ad natam filiam pertinentes in *l.* 9. *Si vicinis. C. de nuptiis.* Ad quod pertinet & illud, quod a *Probo Imp.* dicitur, neque matrimoniales, neque natales tabulas ad matrimonium pertinere *d. l.* 9. *ſi vicinis. C. de nupt.* Dicebantur enim etiam matrimoniales & nuptiales tabulae atque ita ſaepe vocat AUGUSTINUS *lib. de morib. Manich.* (*c*) *cap.* XVIII. *lib.* III. *contra Julianum Pelag. cap.* 21. *lib* I. *de nupt. & concup. cap.* 4. & *Sermone* 214. (*d*) Ex eoque vetere liberorum profitendorum more ductum eſt, quod *Scaevola* in *l.* 29. *Imperatores. §.* 1. *D. de probation.* refert, mulierem gravidam repudiatam filium abſente marito ut ſpurium in actis

(*a*) POSSENT] Ipſa verba, quae hic legi merentur, ſunt: *At nunc in ſemetipſas lenocinando, quo planius adeantur, & ſtolam & ſupparum, & crepidulam, & caliendrum, ipſas quoque jam lecticas & ſellas, queis in publico quoque domeſtice ac ſecrete habebantur, ejeravere.*

(*b*) INDICAT] Adde eundem *voc.* Ζάλευκος, ibique *Kuſteri notas*, ATHENAEUM *lib.* XII. *cap.* 4. *pag.* 521. & ARTEMIDORUM *lib.* II. *cap.* 3. Et confer praeterea de hoc ritu, qui etiam apud alios populos obtinuit, *Gisb. Cuperi Obſervatt. lib.* III. *cap.* 8. *Hadriani Junii Animadv. lib.* I. *cap.* 13. *Antonii Borremanſii Var. Lect. cap.* 10. *pag.* 94. *ſeq. Jo. Potteri Archaeologiam Graec. lib.* IV. *cap.* 12. ejusque *not.* ad *Clement. Alex. pag.* 195. *Samuel. Petiti Comm. ad Leges Attic. pag.* 476.

CAP. V. De natalium profeſſione confer JO. MEURSII *Synt. de Puerperio cap.* 4. *pag.* 1425. *Tom.* VIII. *Theſ. Antiqq. Gronov.* JOSEPHI LAURENTII *Exerc. de Natalitiis, cap.* I. *ibid. pag.* 1433. *ſeqq.* MARCELLI DONATI *Dilucid. ad Suetonium pag.* 554. *ſeq. Tom.* VI. *Theſ. Crit. Gruteri.* LAEVINI TORRENTII *notas ad Sueton. in Tib. cap.* 5. *pag* 493. *ed. Burmanni.* J. LIPSII *Excurſ. ad Taciti Annal. lib.* V. *lit.* A. HENR. DODWELLI *Praelectiones Camden. Prael.* 11. §. 10. *ſeqq.* JO. GOTTL. HEINECCII *Comment. ad L. Jul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 8. §. 6. *pag.* 213. *ſeqq.* Cel. C. H. TROTZ in *not. ad Herm. Hugonis lib. de prima ſcribendi origine, pag.* 343. *ſeqq.* De cenſuali profeſſione vide GUID. PANCIROLLI *Var. Lect. lib.* II. *cap.* 151. J. LIPSII *Excurſ. ad Taciti Annal. lib.* I. *lit.* K. HEINECCII *Synt. Antiqq. Rom. lib.* I. *tit.* 16. & *Append. ad lib.* I. §. 51. *ſeqq.* Cel. CHR. GOTTL. SCHWARTZII *Diſſert. de Jure Italico, cap.* I. §. 9.

(*c*) MANICH.] Sive *de Moribus Eccleſiae Catholicae & de Moribus Manichaeorum, lib.* II. (qui in ſpecie agit de Moribus Manichaeorum) *cap.* 18. Verba ſunt: *Nuptiae autem, ut ipſae nuptiales tabulae clamant, liberorum procreandorum cauſa marem feminamque conjungunt.*

(*d*) SERMONE 214.] Neſcio, quemnam *Sermonem* intelligat Auctor, aut juxta quam Diviſionem oumeraverit. *Tabulae Matrimoniales* com-

actis profeſſam eſſe. Hujuſmodi vero profeſſiones a Marco Antonino Philoſopho primum (*a*) inſtitutas JUL. CAPITOLINUS, *c.* 9. ita ſcribit: *Inter haec liberales cauſas ita munivit, ut primus juberet apud praefectos aerarii Saturni unumquemque civium natos ſibi liberos profiteri, intra diem triceſimum, nomine impoſito. Per provincias tabulariorum publicorum uſum inſtituit, apud quos de originibus idem fieret, quod Romae apud praefectos aerarii, ut ſi forte aliquis in provincia natus, cauſam liberalem diceret, teſtationes inde ferret.* Nec alio pertinet mentio inſtrumentorum ſtatus & ingenuitatis in *l.* 3. §. 5. *ſinge. D. de Carbon. edicto* & *l.* 2. *in fin. D. ſi libert. ingen. eſſe dicat.* Quamquam etiam ante Marci aetatem clarorum virorum ortus in acta publica relatos, ex SUETONIO in *Tiber. cap.* V. & in *Calig. cap.* VIII. intelligimus. Sed & hujuſmodi profeſſionum ſpeciem quandam Servius Tullius praemonſtraverat, qui in ſingulorum liberorum recens natorum capita aliquid Junonis Lucinae templo inferri, patresque in cenſu habendo, non facultates modo, ſed ſuum quoque, & uxoris, & liberorum nomen, aetatemque profiteri inſtituit; (*b*) quemadmodum DIONYSIUS HALICARNASS. *lib.* IV. *pag.* 220. *ſeqq.* auctor eſt. Quod vel maxime poſt leges Julias & Papias obſervatum fuit, ob eorum, qui liberos haberent, commoda, & caeterorum poenas. Ex Antonini vero conſtitutione apud praefectum aerarii fieri, actisque adſcribi liberorum profeſſiones conſueviſſe, idem ipſe CAPITOLINUS in *Gordian. c.* 4. indicat: *Jam illud,* inquit, *ſatis conſtat, quod filium Gordianum nomine Antonini & ſigno illuſtravit, cum apud praefectum aerarii more Romano profeſſus filium publicis actis nomen ejus inſereret.* APULEJUS *Apolog.* II. *pag.* 541. *Pater ejus natam ſibi filiam more caeterorum profeſſus eſt.* Tabulae ejus partim aerario publico, partim domo adſervantur. Cui adde quod SERVIUS in illud *Virgil. lib.* II. *Georgic. v.* 502.

> —— *aut populi tabularia vidit.*

In Templo Saturni (quod aerarii cuſtodiae attributum, & ut *Plutarchus* in *Problemat. num.* 42. *pag.* 275. ait, φυλακτήριον τῶν συμβολαίων erat (*c*)) ſolita reponi acta, ſcribit, quae parentes liberis ſuſceptis faciebant. Ex quo JUVENALIS *Sat.* IX. *v.* 84.

> *Tollis enim, & libris* (al. *titulis*) *actorum ſpargere gaudes*
> *Argumenta viri: foribus ſuſpende coronas.*
> *Jam pater es.* —— ——

ACTA enim libros illos & tabellas vocat, in quibus liberorum nomina ſcribebant parentes, quarum exemplar & privatim penes ſe retinebant, & aliud etiam publice aſſervari curabant, notato die & Conſule: & de illis quidem privatim aſſervatis tabulis intelligenda

memorantur in *Sermonibus de diverſis, num.* 45. & 63. qui in *nov. ed. Pariſ.* ſunt *Serm.* 37. & 51. Utraque loca, utpote notabilia, adſcribam. Prior ita ſonat, *cap.* 6. *Et unaquaeque conjux bona maritum ſuum dominum vocat. Prorſus nonſolum vocat, ſed hoc ſapit, hoc ſonat, hoc geſtat corde, hoc profitetur ore, tabulas matrimoniales inſtrumenta emtionis praeſcribit limes ille* LIBERORUM PROCREANDORUM CAUSA; *contra ipſas tabulas facit, quibus eam duxit uxorem. Recitantur tabulae, & recitantur in conſpectu omnium atteſtantium, & recitantur* LIBERORUM PROCREANDORUM CAUSA, *& vocantur tabulae matrimoniales.* Plura de tabulis nuptialibus affert Auctor noſter in Opere *de Formulis Sollemn. lib.* VI. *pag.* 517. *ſeq.* (542. *ſeq.*)

(*a*) PRIMUM] M. Antoninum non primum natalium profeſſionem introduxiſſe in aperto eſt, & paullo poſt ab ipſo auctore noſtro agnoſcitur. Quaeritur ergo, quid novi hic Imperator per legem ſuam introduxerit? PHILIPPUS RUBENIUS *Elect. lib.* 1. *cap.* 5. ſuſpicatur, Imperatorem aliquid circa diem luſtricum & nominis impoſitionem mutaſſe, quam opinionem recte refutavit *Heineccius* in *Comm. ad L. Jul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 14. *pag.* 266. LIPSIUS nihil certi definivit. MEURSIUS, DONATUS & TORRENTIUS putant, Imperatorem morem neglectum rurſus renovaſſe. DODWELLUS exiſtimat, Imperatorem primum diem triceſimum, a nominis impoſitione, (ita enim locum *Capitolini* interpretatur poſt *Salmaſium* & *Anton. Borremanſium* in *Veſperis Gorinchemenſibus, cap.* 2. *pag.* 27. *ſeq.* qui tamen legere mavult: *intra diem tertium,* ut jam olim legit *Alexander ab Alexandro Dier. Genial. lib.* II. *cap.* 25. ibique *Mercerus* in *not. pag.* 487.) tanquam certum terminum ad quem natalium profeſſioni praefixiſſe. HEINECCIUS denique putat, Imperatorem hanc profeſſionem primum liberalium cauſarum gratia fieri voluiſſe. Judicium ſit penes lectorem. Ego interim, omnibus expenſis, ſic ſtatuo: (1) Imperatorem morem receptum in legis neceſſitatem mutaſſe: (2) primum juſſiſſe, ut haec profeſſio apud aerarii praefectos fieret: & (3) quidem intra triceſimum a nativitate diem, poſtquam nomen infanti jam fuerit impoſitum, ut recte locum accipit *Heineccius l. c. pag.* 266. (4) Denique eum morem in urbe receptum ad provincias quoque tranſtuliſſe, & ad hunc uſum publica in provinciis tabularia inſtituiſſe.

(*b*) INSTITUIT] Prius Servii Tullii inſtitutum aliquo modo ad natalium profeſſionem referri poteſt: poſterius vero ad cenſualem potius profeſſionem pertinet. Nam ad res cujusque in cenſum deferendas pertinebant etiam ſervi, liberi, uxor, quae in manus convenerat.

(*c*) ERAT] Erat ergo Saturni templum apud Romanos pro Tabulario publico, ſive Archivo, ut hodie loquuntur. Confer *Tobiae Eckhardi Diſſert. de Tabulariis antiquis, Quedlingb.* 1717. 4. nec non ſcriptores de Archivis veterum, v. g. *Balth. Bonifacium* & *Alb. Bariſonum,* qui leguntur in *Jo. Poleni Suppl. Theſ. utriusque Antiqq. Tom.* 1.

ligenda videtur *l. 6. C. de fide inſtrum.* (*a*). Apulejus, qui ſub Antoninis floruit, *Apolog.* 11. *pag.* 541. *Pater ejus natam ſibi filiam more caeterorum profeſſus eſt. Tabulae ejus partim tabulario publico, partim domo adſervantur, quae tibi ob os objiciuntur. Porrige Aemiliano tabulas iſtas, lignum* (*b*) *conſideret, ſigna, quae impreſſa ſunt, recognoſcat, Conſules legat, annos computet, quos ſexaginta mulieri adſignabat, probet quinque & quinquaginta.* Ex quo loco haec ſimul intelligimus, nomina liberorum a parentibus in tabulas publicas redigi ſolere, & quaedam etiam eodem tenore privatas domi conſcribi & cuſtodiri, ſignis aliquot teſtium cum conſulum nomine impoſitis, eo ſere modo, qui in tabulis teſtamentariis ligneis caeteriſque obſervari ſolebat. Quod & aperte indicat Tertullianus *lib.* v. *adverſus Marcionem: cap.* 1. *Edas*, inquit, *velim nobis, quo ſymbolo ſuſceperis apoſtolum Paulum, quis illum tituli charactere percuſſerit, quis tranſmiſerit tibi, quis impoſuerit, ut poſſis eum conſtanter exponere, ne illius probetur, qui omnia apoſtolatus ejus inſtrumenta protulerit. Ipſe ſe*, inquit, *apoſtolum eſt profeſſus, & quidem non ab hominibus, nec per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum. Plane profiteri poteſt ſemetipſum quivis. Verum profeſſio ejus alterius auctoritate conficitur, alius ſcribit, alius ſubſcribit, alius obſignat, alius actis refert.* Caeterum quod Capitolinus *loc. laud.* ſcribit, M. Antoninum inſtituiſſe, unumquemque civium natos ſibi liberos profiteri intra diem trigeſimum, nomine impoſito, ſciendum eſt, Plutarchum *Quaeſt. Rom.* 100. (*al.* 102.) *pag.* 288. ſcribere, apud Romanos pueris multo citius nomina impoſita fuiſſe, nempe feminis octavo die; maſculis vero nono a nativitatis die. (*c*). Atque harum profeſſionum tabulis aetates probabantur, ut *l.* 1. C. *ſi minor ſe major. dix.* indicat. Apulejus etiam, in ſupra citato loco, Pudentillae annos hinc inde computat, & ex tali profeſſione natali probat, minorem natu eam, quam dicebatur. Venio nunc ad cenſuales profeſſiones, quae Romae jam inde a Servii Tullii temporibus ſingulis luſtris, ſive ſingulo quinquennio, fiebant, unoquoque cive Romano apud cenſores in campo Martio (*d*) declarante & profitente, quantum in bonis haberet. Quo pertinere videtur *l.* 64. *quae quiſque D. de adq. rer. dom.* Nec vero facultates ſolum, ſed & nomen ejus, qui cenſum profitebatur, deſcrebatur in cenſum, & in tabulis cenſualibus perſcribebatur. Unde cenſu manumitti, & cenſu fieri manumiſſio dicebatur, cum luſtrali cenſu Romae juſſu dominorum inter cives Romanos cenſum profitebantur manumiſſi auctore Ulpiano *Fragm. tit.* 1. §. 8. vel, ut Boethius *in Comm.* ad *Topic. Cicer. lib.* 1. *cap.* 2. definit, cum conſentiente, vel jubente domino, nomen in cenſum deferebant. De his mentio habetur in *l. ult.* §. 16. *D. de munerib. & honor.* & *l.* 7. *cenſualis. C. de donation. l. ult. C. ſine cenſu vel reliq.* & apud Siculum Flaccum in *lib. de Condition. agr.* & Hygenum in *lib. de Limitib. agror.* non uno loco. Earum vero forma aliquatenus exprimitur in *l.* 4. *forma cenſuali. D. de cenſib.* Ad quam adludens Apulejus *Apolog.* 1. *pag.* 441. *Quod ſi*, inquit, *haec exempla nihili putas, ac me non ad cauſam agendam, verum ad cenſum diſſerendum* (*e*) *vocaſti, ne quid tu rerum mearum neſcias, ſi tamen neſcias, profiteor mihi ac fratri meo relictum a patre* H. S. *vicies*, & quae ſequuntur. In cenſum porro una cum fortunis familiae quiſque ſuae capita deferebat. Erat enim cenſus καὶ τῶν κτισιῶν καὶ τῶν ἀνθρώπων ἀπογραφή. Etiam eorum, qui cenſebantur, aetas adſcribebatur, adeo, ut ex cenſualibus tabulis aetatum nonnunquam probationes peterentur. Plinius denique *lib.* vii. *c.* 48. ex cenſu longiſſima quorumdam vitae ſpatia exſcripta profert. Atque hoc modo Auguſti edicto totus orbis Romanus paullo ante Chriſti nativitatem deſcriptus, eique cenſui agendo in Judaea Quirinus, vel, ut alii appellant, Cyrenius praefuiſſe dicitur. (*f*). Quod a Beato Luca *Euangelii* ſui *ſecun-*

(*a*) Instrum.] Sed ſi publice aſſervatae tabulae adhuc ſuperfuiſſent, nullum potuiſſet dubium oriri: ergo lex de utriusque generis tabulis potius eſt intelligenda.

(*b*) Lignum] Pro *lignum* ſcribendum potius eſſe *linum* cenſet *J. Lipſius*, quod etiam approbat *Julianus Floridus*, qui hunc auctorem in uſum Delphini edidit.

(*c*) Die] Quo die etiam luſtrabantur infantes: unde & dies *luſtricus*, & *nominum* dies vocabatur. (*Nominalia* apud Tertullianum *de Idolol. cap.* 17.) Conf *Jo. Meurſii Synt. de Puerperio, cap.* 6. *pag.* 1426. *ſeq. Tom.* viii. *Theſ. Antiqq. Gronov. Joſephi Laurentii Exerc. de Natalitiis & Conviviis, cap.* 1, 2, 3. *ibid. pag.* 1434. *ſeqq. J. G. Heineccii Comm. ad L. Jul. & Pap. Popp. lib.* ii. *cap.* 14. *pag.* 265. *ſeq. Ph. Rubenii Elect. lib.* i. *cap.* 5. *Morcelli Donati Dilucidationes ad Sueton. pag.* 687. *ſeqq. Tom.* vi. *Theſ. Crit. Gruteri.*

(*d*) Martio] In Campo Martio proprie tantum Luſtrum condebatur: ipſe vero Cenſus plerumque in Foro Romano, interdum etiam in Villa publica agebatur.

(*e*) Disserendum] Si Codices quidam addicerent, ego libenter pro *diſſerendum* legerem *deferendum*. Sed judicent alii, quantum huic conjecturae ſit tribuendum.

(*f*) Dicitur] Difficultates, quae circa hunc cenſum occurrunt, optime expediviſſe videtur *Jacobus Perizonius* in peculiari Diſſertatione *de Auguſtea orbis terrarum deſcriptione*, quae inter ejus *Diſſert. Lugd. Bat.* 1740. 8. junctim editas *num.* iv. occurrit: cujus ſententiam probavit quoque Vir Cel. *Chriſtophorus Auguſtus Heumannus* in *Progr. de Cenſu Ante-Quiriniano, Gotting.* 1732.

ſecundo cap. & a Josippo *lib.* xviii. *Antiquit. Judaic. c.* i. & a Suida in verbo ἀπογραφὴ relatum eſt. Unde Tertullianus *lib.* iiii. *adverſus Marcion. cap. 7. Et tamen*, ait, *quomodo in Synagogam potuit admitti tam repentinus, tam ignotus, cujus nemo adhuc certus de tribu, de populo, de domo, de cenſu denique Auguſti, quem teſtem fideliſſimum dominicae nativitatis Romana archiva cuſtodiunt.* Et Justinus Martyr *Apolog. pro Chriſtian.* ii. *pag.* 75. (ſive *Apol.* i. *pag.* 55.) Chriſtum in Bethleem natum eſſe dicens, ὡς καὶ μαθεῖν δύνασθε ἐκ τῶν ἀπογραφῶν τῶν γενομένων ἐπὶ Κυρηνίου τοῦ ὑμετέρου ἐν Ἰουδαίᾳ πρώτου γενομένου ἐπιτρόπου. *Quemadmodum & ex deſcriptionibus cenſus, quae ſub Cyrenio, primo veſtro in Judaea procuratore, ſunt confectae, intelligere poteſtis.* Ea propter Julianus Apoſtata, ut Cyrillus Alexandr. *lib.* vi. *p.* 213. adverſus eum ſcribit, Chriſtianis objiciebat, quaſi probri loco, Chriſtum albo Caeſaris adſcriptum quaſi ſubditum, quippe quod una eum patre & matre ſub Cyrenio cenſus fuiſſet. Caeterum priſci illius profeſſionum natalium moris exemplum quoddam in Gallia optimus princeps Franciſcus conſtitutione anno m. d. xxxix. edita retulit.

CAP. VI.

Quorſum Paulus lanionis inſtrumento trutinam contineri dixit.

Mirantur nonnulli in lanionis inſtrumento pondera trutinasque a Paulo poni in *l.* 18. *cum de lanionis. D. de inſtruct. & inſtr. leg.* ignorantes nimirum, olim carnem pondere veniſſe, ut & in aliquibus Galliae partibus ad hunc diem manſit: ideoque lanionibus neceſſarias ad eam appendendam trutinas fuiſſe. Quod Lampridius in *Alexand. Sev. cap.* 22. perſpicue oſtendit: *Cum vilitatem*, ait, *populus Rom. ab eo peteret, non quidem vilitatem propoſuit, ſed juſſit, ne quis ſuminatam occideret, ne quis lactantem, ne quis vaccam, ne quis damalionem: Tantumque intra biennium, vel prope annum, porcinae carnis fuit & bubulae, ut cum fuiſſet octo minutalis libra, ad duos unumque utriusque carnis libra redigeretur* (*a*). Hoc idem apud Graecos factitatum Plutarchus *lib.* ii. *Sympoſiac. Quaeſt. ult. pag.* 643. indicat: Ἡ δὲ, inquit, εἰς μερίδας αὕτη κρεωδαισία, τὴν κοινωνίαν ἀναιροῦσα, πολλὰ δεῖπνα ποιεῖ, καὶ πολλοὺς δειπνοῦντας, οὐδένα δὲ σύνδειπνον οὐδενὸς, ὅταν ὥσπερ ἀπὸ κρεωπωλικῆς τραπέζης σταθμῷ λαβὼν ἕκαστος μοῖραν ἑαυτῷ πρόθηται. *At iſta carnium in portiones diviſio, ſublata communione, multas facit coenas, multos coenantes, neminem alterius convivam: quando veluti a lanii menſa pondere acceptam quivis partem ſibi proponit.* Atque ut caetera omnia omittam, belle hunc locum illuſtrabit promptum ex antiquis monumentis Edictum (*b*), quod Romae extat in haec verba:

ratio docuit, utilitate suadente, consuetudine micandi summota, sub exagio potius pecora vendere, quam digitis conludentibus tradere, et appenso pecore, capite, pedibus et sevo, lactante et subgulari lanio cedentibus, reliqua caro cum pelle et interraneis proficiat venditori, sub conspectu publico fide ponderis comprobata, ut quantum caro occisi pecoris appendat, et emtor norit, et venditor, commodis omnibus et praeda damnata, quam tribunus, officium, cancellarius et scriba, capere consueverant de pecuariis. Quae forma interdicti et dispositionis sub gladii periculo perpetuo custodienda mandatur.

Reſertur vero hoc in Inſcriptionibus Antiquis, titulo Edicti Aproniani. Et forte, nihil enim praeter conjecturam habeo, ab eo Aproniano propoſitum fuit, quem Valentiniano imperante Urbis praefecturam geſſiſſe Ammianus Marcellinus *lib.* xxvi. *cap.* 3. teſtis eſt. Conjecturam meam illa ratio adjuvat, quod cura carnis ad praefectum Urbis pertineret (*c*). *l.* 1. §. 11. *cura carnis. D. de offic. praefect. Urb.*

CAP.

(*a*) Rediceretur] Addi meretur & elegans locus Cassiodori *Variar. lib.* xi. *Epiſt.* 39. *Hinc enim fluit, ut mortuoſa Lucania ſues penderet; hinc ut Brutii boum pecus indigena ubertate praeſtarent. —— Erat quidem illis glorioſum, Romam paſcere: ſed quanto diſpendio videbatur poſſe conſtare, adducere tam multis itineribus, quae darentur ad pondus, dum quae probantur decreſcere, nullus poterat imputare? Reductum eſt ad pretium* &c.

(*b*) Edictum] Legi poteſt hoc edictum in Gruteri *Opere Inſcript pag.* dcxlvii. *n.* 6. & in Auctoris *Opere de Form. Soll. lib.* iii. *pag.* 270. *ſeq.* (291.) Egregie vero illuſtravit *Jo. Gottl. Heineccius* in *Diſſert. de jure princ. circa commerciorum libert. tuend.* §. 11. *p.* 23. & in *Hiſtoria Edictorum, lib.* 1. *cap.* 5. §. 6. *ſeq. pag.* 58. *ſeqq.* in *Opuſc. poſtumis.* Nec non *Car. Godofr. Winklerus* in peculiari Epiſtola, edita *Lipſiae* 1743. 4.

(*c*) Pertineret] Curam quoque ponderum ad Praefectum Urbis pertinuiſſe, perſpicimus ex Ammiano Marcellino *lib.* xxvii. *cap.* 9. Confer *Raphaelis Fabretti Inſcriptiones, pag.* 526. & 528. qui *pag.* 529. Inſcriptionem exhibet, ex qua perſpicere poſſumus, pondera quaedam, publica auctoritate exacta, fuiſſe quoque ad Macellum. Olim haec cura ad Aediles pertinuiſſe videtur, ſicut & poſtea adhuc in municipiis. Vide Excell. *Ever. Ottonis Tract. de Aedil. Colon. & Municip. cap.* 9. §. 3. *ſeqq.* Forte etiam ad Curatores civitatum: hi enim precia rerum moderabantur, teſte Cassiodoro *Var.* vii. *num.* 12. In provinciis ponderum, & men-

CAP. VII.

De mancipationis ſollemnibus.

Duo fuere proprii rerum abalienandarum jure Quiritum comparati modi (*a*), citra quos legitimum in accipientem dominium transferri non poterat, Mancipatio, & Ceſſio in jure. Nec enim vel a domino res (*b*) tradita, ſi neque mancipata, neque in jure ceſſa eſſet, accipientis ante ex jure Quiritum fiebat, quam per tempus lege ſtatutum poſſeſſa uſucaptaque eſſet (*c*). Uſucapione plane accedente, quae ipſa quoque, Horatio teſte (*d*), quaſdam res mancipat, quod traditioni deerat, ſupplebatur: interim in bonis tantum habere, qui rem ita acceperant, dicebantur (*e*), ut ab Ulpiano in *Inſtitution.* (*f*) *tit.* I. §. 16. exponitur. Hac de cauſa non res modo, quae mancipi erant, mancipatione alienari, ſed & liberorum emancipationes, adoptionesque, per imaginariam mancipationis ſollemnitatem expediri conſueverant (*g*): quemadmodum Cajus *lib.* I. *Inſtit. tit.* VI. §. 3. & Festus Pomp. *lib.* V. *v. emancipati.* & Gellius *lib.* V. *cap.* 19. tradunt. Ex quo Suetonii in *Auguſto cap.* 64. locus interpretationem accipit, in quo ita ſcriptum eſt: *Adoptavit & Lucium & Cajum domi emtos per aes* (*h*) *& libram a patre.* Hereditates quoque in heredes per mancipationem transferebantur (*i*). Eaque erant per aes & libram facta teſtamenta, quorum in Ulpiani, Justiniani*que Inſtitutionibus* fit mentio. Unde per aes & libram heres apud Ciceronem *lib.* II. *de Leg.* (*k*) qui & fami-

menſurarum curam etiam ad Praefectum praetorio pertinuiſſe, diſcimus ex Cassiodoro *Var. lib.* XI. *Epiſt.* 16. Ex cujus *Epiſt.* 11. *ſeq.* ejusdem libri Praefectum praetorio curam etiam habuiſſe, ut moderata rerum pretia eſſent, eumque contra ſtatuta delinquentes puniviſſe patet, ex quo etiam colligi poteſt, in pretiis determinandis cives uniuscujusque loci & epiſcopum in conſilium fuiſſe adhibitos.

CAP. VII. Ad totum hoc caput utiliter conferri poſſunt, quae dixi in *Tract.* mea *de Teſtamentifact. cap.* III. §. 8-21. *incl.* ubi copioſiſſime de mancipatione egi. Copioſius vero hoc argumentum poſtea pertractavit Vir Nobiliſſ. *Gerardus Meerman* in Diſſertatione elegantiſſima *de rebus mancipi & nec mancipi, earumque mancipatione, Lugd. Bat.* 1741. 4. qui in *Praefatione* omnes enumerat, qui antea aliquid hac de re litteris conſignarunt: quibus tamen addo Viri Cel. *Eucharii Gottlieb Rinck Diſſ. de nummo unico*, quae cum ejus *Lucubratione de veteris numiſmatis potentia & qualitate*, ſine auctoris nomine, prodiit *Lipſ.* & *Francof.* 1701. 4. Confer etiam Auctoris librum de *Formul. Soll.* VI. *pag.* 488. (513.)

(*a*) Modi] Res breviter ita concipienda eſt. Dominium erat vel *naturale*, ſive *bonitarium*; vel *civile*, ſive *Quiritarium*. Prius modis quibuscunque juſtis adquiri poterat: poſterius certis tantum modis jure civili praeſcriptis. Modi iſti erant vel *univerſales*, quibus univerſitas bonorum adquirebatur; vel *ſingulares*, quibus ſingulae res adquirebantur. Res vero erant vel *mancipi*, vel *nec mancipi*. Res *nec mancipi* etiam per nudam traditionem legitime adquiri poterant: res vero *mancipi* non: ſed quando ab uno in alium dominium plenum civile transferendum, tunc vel mancipatio, vel ceſſio in jure accedere debebat.

(*b*) Res] *Mancipi* ſcilicet. ut ex antea dictis apparet. Rerum enim *nec mancipi* legitimum & civile dominium per nudam traditionem adquiri potuiſſe, & in *Tract.* mea de *Teſtament.fact. cap.* III. §. 9. docui, & poſtea contra virorum doctorum objectiones latius probavi in Relationibus litterariis Hamburgenſibus, *Anni* 1740. *Num.* 20. & *Anni* 1742. *Num.* 1. quibus adhuc alia addam argumenta in *Selectis* meis *Antiquitatibus*.

(*c*) Esset] Nam uſucapio erat modus adquirendi dominium Quiritarium ſubſidiarius.

(*d*) Teste] Locus exſtat *Epiſtoll. lib.* II. *Ep.* 2. *v.* 158.

Si proprium eſt, quod quis libra mercatus & aere eſt,
Quaedam, conſultis ſic credas, mancipat uſus.

(*e*) Dicebantur] Alter vero retinebat *nudum jus Quiritum*, de quo infra *lib.* IV. *cap.* 22.

(*f*) Institution.] Per *Ulpiani Inſtitutiones* auctor intelligit Fragmenta illa ex *libro*, ut putant, *Regularum*, quae in *Schultingii Jurisprudentia Antejuſtinianea* exſtant: quod ſemel hic monuiſſe ſufficit.

(*g*) Consueverant:] Ratio eſt, quia liberi, in patria poteſtate conſtituti, perinde ac ſervi, rebus mancipi accenſebantur. Caeterum de *Emancipationibus* exſtant Diſſertationes duae elegantiſſimae Cel. *Gerl. Scheltinga, Franeq.* 1730. & 1731. De *Adoptionibus* Diſſertatio *Caſp. Anton. Conynenberg, Franeq.* 1728. quas vel ideo annoto, quia in Germania nondum, ut merentur, notae ſunt, & a noviſſimis etiam Bibliothecarum juridicarum editoribus praetereuntur.

(*h*) Aes] Omnes Codices MSS. habent *per aſſem*, quam lectionem recte defendit *Iſaacus Caſaubonus* in *notis*. Nam veteres aſſem adhibuerunt in mancipationibus, & hinc per *aes* intellexerunt aſſem, ut ex locis paulo poſt ab auctore adductis apparet. Unde & Graeci dixerunt: ζυγὰ ἢ ἀσσαρία. Quando vero addit deinde Caſaubonius: *Atque hic eſt, qui in veteribus mancupiis* aſſis Cajanus *dicebatur*: habet quidem multos conſentientes: ut & *Hadrianum Turnebum Adverſ. lib.* XX. *cap.* 32. niſi quod hic in ſpecie interpretetur de aſſe, qui adhibebatur in Coëmtione nuptiali. Ego vero ſubſiſto, ob defectum idonei veterum teſtimonii: nam in loco, quem laudant, Statii *Sylv. lib.* IV. *Carm.* 9. *v.* 22.

Emtum plus minus aſſe Cajano.

in genere potius vile aliquod pretium denotari exiſtimo.

(*i*) Transferebantur] Imaginariam ſcilicet, quae non ſtatim transferret dominium Quiritarium, ſed poſt mortem demum teſtatoris. Sed de hocce teſtamenti genere copioſe egi in *Tract.* mea *de Teſtamentifact. cap.* III.

(*k*) De Leg.] Intelligit auctor ſine dubio loca *cap.* 20. & 21. ubi tamen Cicero non familiae

familiae emtor appellabatur. Cujus rei cauſam cum Plutarchus non intelligeret (*a*), ſic in *lib. de ſera numin. vind. pag.* 550. de Romanis loquens ſcripſit: Ὅταν δὲ διαθήκας γράφωσιν, ἑτέρους μὲν ἀπολείπουσι κληρονόμους, ἑτέροις δὲ πωλοῦσι τὰς οὐσίας, ὃ δοκεῖ παράλογον εἶναι. *Quando vero teſtamenta condunt, alii ſcribuntur heredes, alteri vero vendunt bona; quod videtur a ratione alienum eſſe.* Mancipationis porro ſollemnia Boethius in *Topic. Ciceron. lib.* III. ex antiquorum Juriſconſultorum libris (*b*) ita exponit: *Mancipatio*, ait, *imaginaria quaedam venditio eſt, quod ipſum jus proprium Romanorum eſt civium. Eaque res ita agitur, adhibitis non minus quam quinque teſtibus, Civibus Romanis puberibus, & praeterea alio ejusdem conditionis, qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripens. Is, qui mancipio accipit, aes tenens ita dicit:* HUNC EGO HOMINEM EX JURE QUIRITUM MEUM ESSE DICO, ISQUE MIHI EMTUS EST HOC AERE AENEAQUE LIBRA. *Deinde aere percutit libram, idque aes dat ei, a quo mancipium accipit, quaſi pretii loco.* Quod poſterius a Varrone *lib.* VIII. *de lingua Lat. pag.* 118. praeſtringitur, cum ait: *Pro aſſibus nonnumquam aes dicebant antiqui: a quo dicimus aſſem tenentes:* HOC AERE AENEAQUE LIBRA. Ulpianus in *Inſtitutionib. tit.* XIX. §. 3. *Mancipatio propria ſpecies alienationis eſt & rerum mancipi, eaque fit certis verbis, libripende & quinque teſtibus praeſentibus.* Quod & Horatius ſignificat, cum ait: *lib.* II. *Epiſtol.* 2. *v.* 158.

> *Si proprium eſt, quod quis libra mercatus*
> *& aere eſt* (*c*).

Tertullianus *lib.* II. *adverſus Marcion. cap.* 6. *Ut ergo bonum jam ſuum haberet homo, emancipatum ſibi a Deo, & fieret proprietas jam boni in homine, & quodammodo natura, de inſtitutione, adſcripta eſt ei, quaſi libripens emancipati a Deo boni, libertas.* Ex quo & in emancipationibus, & in teſtamentis, quae per mancipationem familiae fiebant, quinque teſtes cives Romanos cum libripende adhibitos, ſupra poſiti auctorum loci memorant. Atque hanc librae adhibendae ſollemnitatem ab eo profectam eſſe nemo neſcit, quod veteres infectum argentum appendere, non numerare ſolerent (*d*). Livius *lib.* VI. *cap.* 14. *Ideo rem creditori palam populo ſolvit, libraque & aere liberatum emittit.* Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* III. *Populus Romanus ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum regem devictum uſus eſt. Libralis, unde etiam nunc Libella dicitur, & dupondius appendebatur aſſis. Quare Aeris gravis poena dicta, & adhuc Expenſa in rationibus dicuntur. Item impendia, & dependere. Quin & militum ſtipendiorum, hoc eſt, ſtipis ponderandae penſatores, Libripendes dicuntur. Qua conſuetudine & in his emtionibus, quae mancipi ſunt, etiam nunc libra interponitur.* Cujus rei veſtigium ad ſua uſque tempora in aede Saturni manſiſſe, Varro circa finem *lib.* IV. *de lingua Latina pag.* 43. ſcribit, in qua trutina propter penſuram poſita extabat. Porro adſcribi ſolita fuiſſe in veteribus mancupiis haec verba comperio: RAUDUSCULO LIBRAM FERITO. quibus monebatur emtor aſſe libram tangere. Varro *lib.* IV. *de lingua Latin. cap.* 34. *pag.* 39. Aes *Raudus dictum: ex eo in veteribus mancupiis ſcriptum:* RAUDUSCULO LIBRAM FERITO. Festus *lib.* XVI. *v. rodus.* in ejuſdem verbi explicatione, *Vulgus quidem*, ait, *in uſu habuit, non modo pro aere infecto, ut Lucilius, cum ait: Plumbi paxillum Rodus limina texam, ſed etiam pro ſignato: cum dicitur in mancipando:* RAUDUSCULO LIBRAM FERITO, *id eſt, aſſe tangito libram.* Rauduſculi autem verbo etiam Cicero *epiſt.* VIII. *lib.* IV. *ad Attic.* & *epiſt. penult. lib.* VI. & *epiſt.* II. *lib.* VII. uſus eſt. Valerius *lib.* V. *cap.* VI. *ex.* 3. *Cujus teſtandae rei gratia capitis effigies aereae portae, qua exceſſerat, concluſa eſt, dictaque Rauduſculana, quod olim Rauda aera dicebantur.* Portae vero Rauduſculanae etiam P. Victor meminit, ejuſque Vicum in XII. Urbis regione ponit.

CAP. VIII.

Quales olim emerentur venderenturque nummi.

Lege Cornelia de Falſis, quemadmodum Ulpianus ſcribit, exprimebatur, ne quis nummos ſtanneos, plumbeos emere, vendere dolo malo vellet. *l.* 9. §. 2. *D. ad legem*

liae emtorem (cujus ibi nulla mentio) vocat heredem per aes & libram: ſed ex jure pontificio docet, quomodo legatarius, qui ſacris adſtringi nolebat, per aes & libram iis liberari potuerit. Sed haec loca latius explicavi in *Appendice* ad *Tract.* meam *de Teſtamentifactione.* Adde Nobiliſſ. *Meerman Diſſ. laud.* §. 216. *pag.* 133

(*a*) Intelligeret] Plutarchum ab ignorantiae accuſatione vindicavit *Chriſt. Thomaſius* in *Diſſert. de ſenſu legis decemviral. teſtament.* §. 37. Adde Virum Ampl. *Zachar. Huber. lib.* II. *Diſſert.* V. *pag.* 345. *ed. Ultr.* 1740. Caeterum de familiae emtore copioſe egi in *Tract.* mea *de Teſtamentif. cap.* III. §. 29. *ſeqq.*

(*b*) Libris] Ex Caji ſcilicet *Inſtitutionum libro* I.

(*c*) Aere est] Ad quem locum Porphyrion ita commentatur: LIBRA ET AERE *Verba ſunt juris, quibus omnis emtio confirmatur, quum per libram expenſa pecunia; per aes ipſum pretium demonſtratur: unde & libripens hujusmodi teſtificationibus adhiberi ſolet.*

(*d*) Solerent] De hoc ritu multae elegantes obſervationes legi poſſunt in *Jacobi Perizonii* Diſſertatione *de aere gravi*, quae inter ejus *Diſſert. Lugd. Bat.* 1740. 8. junctim editas, *num.* V. occurrit.

CAP. VIII. Totum hoc caput more ſuo exſcripſit

legem Corneliam de falſis. Quod legis caput abſurdum ſcio pleriſque viſum iri, quibus novum videbitur nummos, quibus merx ipſa aeſtimatur, mercis vice fungi. Ego didici, hoc ad peregrinos nummos, Daricos puta, Philippos, tetradrachmum Atticum, ſiclos, & alios id genus eſſe referendum, quos caeterarum rerum exemplo in emtionem deduci ſolitos, VOLUS. MAETIANUS in *lib. de Aſſe & partibus ejus* indicat. *At peregrinus*, ait, *nummus loco mercis, ut nunc tetrachmum & drachma habebatur*. Hoc autem tetrachmum, ut hoc obiter addam, tetradrachmum a CASSIO *lib.* XII. *Epiſt. Ciceron. ad Famil. Ep.* 13. & a POLLUCE *lib.* IX. *Onomaſt. cap.* 6. *Segm.* 60. *pag.* 1028. appellatur. Similiter & victoriatum nummum, qui a victoriae ſigno impreſſo id nomen accepit, priuſquam lege Clodia percuſſus eſſet, ex Illyrico advectum, mercisque loco habitum, PLINIUS *lib.* XXXIII. *cap.* III. refert. Cujus nummi VARRO *lib.* VIII. *pag.* 118. & *lib.* IX. *pag.* 134. *de lingua Latin.* CICERO *pro M. Fontejo. c.* 5. QUINCTILIANUS *lib.* VI. *cap.* III. (*al.* IV.) TERTULLIANUS in *lib. de virginibus volandis, cap.* 13. & idem PLINIUS *lib.* XX. *cap. ult.* & *lib.* XXIII. *cap.* VI. meminere. Solidos quoque veterum Principum effigie formatos ſua aetate veniſſe CONSTANTINUS in *l.* 1. *C. de vet. numiſ. pot. lib.* XI. indicat. Sed & auctor libelli *de reb. bellic.* qui *Notitiae utriusque Imperii* ſubjunctus eſt, hoc demonſtrat: *Ementis*, ait, *eumdem Solidum fraudulenta calliditas, & vendentis damnoſa neceſſitas, difficultatem quamdam ipſis contractibus intulerunt, ne poſſit rebus ineſſe ſimplicitas.*

CAP. IX.

Notata in veterum cautionibus vox, Recte.

Veterum cautiones magna arte diligentiaque compoſitas, ut etiam ſupervacaneis multis clauſulis abundarent (*a*), facile eſt ex Aquiliana ſtipulatione, & ea, quae in Papiniani auditorio lecta eſt, cautione intelligere. Inter caetera autem uſitata earum verba dandi faciendique promiſſionibus vocem RECTE addere ſolitos obſervavi. Quod ego hoc capite exemplis planum faciam. SCAEVOLA in *l.* 122. *qui Romae.* §. 1. *Callimachus, D. de verb. oblig. Eaque recte ſibi dari fieri ſic interroganti Sticho ſervo L. Titii promiſit Callimachus.* PAPINIANUS in *l.* 11. *reos* §. 2. *D. de duob. re. Tot aureos recte dari ſtipulatus eſt Julius Carpus.* PAULUS in *l.* 40. *lecta. D. Si cert. pet. Eaque proba recte dari kalendis futuris ſtipulatus eſt, &c.* CATO *de Re Ruſt. cap.* CXXXXVI. *Recte haec dari fierique, ſatisque dari domino, aut cui juſſerit, promittito, ſatisque dato arbitratu domini.* VARRO etiam priſcam formulam recenſens *lib.* II. *de Re Ruſtic. cap.* 11. *Sanas recte eſſe, habereque recte licere, haec ſic recte fieri ſpondes?* Invenimus & haec verba in ſtipulationibus poſita: *Eam rem recte reſtitui*, ubi ut & in clauſula *Recte defendi*, verbum *Recte* pro viri boni arbitrio eſt: *l.* 73. *haec verba in ſtipulatione. D. de verb. ſign. l.* 5. *jam tamen.* §. 3. *nunc videamus. l.* 17. *ex clauſula. l.* 18. *vir bonus. D. judicatum ſolvi. l.* 63. *recte. D. de judiciis. l.* 5. *haec autem.* §. 3. *recte. D. Ex quib. cauſ. in poſſeſſionem.* Eſt & illa in libris noſtris cautio: *His rebus recte praeſtari. l.* 19. *ipſi quoque D. de rei vindication. l.* 21. *redhibere.* §. *pen. D. de Aedilicio edicto.* Cujus poteſtatem explicat ULPIANUS in *l.* 71. *aliud.* §. *ult. D. de verb. ſignif.* Ita *Recte cavere* in *l.* 2. *D. de uſufructu ear. rer.* & apud PLINIUM *lib.* X. *Epiſtol.* 62. Item *Recte promittere* in *l. penult. D. de transaction. Recte ire agere* in *l.* 20. *ſi mihi. D. de ſervitutib. ruſtic. praed. Palam recte pronuntiare* in *l.* 1. §. 1. & *l.* 58. *Aediles ajunt. D. de Aedilicio edicto.* Nec omittenda eſt & illa veteribus familiaris, & in re judiciaria perſaepe uſurpata locutio, *Recte atque ordine facere*, ut in Senatusconſulto Vellejano: *Recte atque ordine facturos, ad quos de ea re in jure aditum erit. l.* 2. *D. ad Senatusconſ. Vellejan.* quae duo etiam conjunguntur in *l.* 27. *divi.* §. 1. *recte. D. de liberali cauſ. l.* 4. *obſervare.* §. 4. *recte. D. de officio proconſ.* Et apud CICERONEM *pro Quinctio, cap.* 7. & *Philipp.* V. *cap.* 13. & in oratione Caeſaris, quae eſt apud SALLUSTIUM *in Catilinae bello, c.* 51. & alias perſaepe.

ſcripſit *Dionyſ. Gothofredus* ad *l.* 9. §. 2. *D. ad L. Cornel. de falſ.* quem totum fere hoc opuſculum contraxiſſe, & ita in notas ſuas ad Corpus juris tranſtuliſſe, animadverti, quod ſemel hic monuiſſe ſufficit. Confer etiam *Ezechielis Spanhemii Diſſ.* 1. *de Uſu & Praeſtantia Numiſmatum, pag.* 8. *ſeq. ed. Londin.*

CAP. IX. Ad hoc cap. conferri poteſt Auctoris Opus de *Form. Sollemn. lib.* VI. *pag.* 545. (571.) & *lib.* II. *pag.* 182. (197. *ſeq.*) & de *Verb. Signif. voc. recte:* ubi alia quoque exempla reperies.

(*a*) ABUNDARENT] Verum non ſemper ſupervacaneum eſt, quod nobis primo intuitu ita videtur: plerumque enim, ſi exacte examinaveris vocabula veterum ſollemnia, ea non inania eſſe deprehendes, ſed conſultiſſimam habere rationem. Enim vero auctorem noſtrum ita ſcripſiſſe non mirum eſt, quippe qui magis in colligendis veterum formulis, quam in iis, ſecundum vim ac poteſtatem earum, explicandis occupatus fuit. Confer interim *Cornelii van Bynkershoek lib. ad L. lecta. D. de reb. credit. in Opuſc. Tom.* I. *p.* 15. & *p.* 19. *ſeqq. ed. Halenſ.*

CAP. X.

De aqua equis ſpargi ſolita, & agitatoribus quaedam.

Scio quaeri, qui & quales ſint, quos Ulpianus ſcribit aquam equis ſpargere, in *l.* 4. *D. de His, qui notant. infam.* Nam plerique nodum in ſcirpo quaerentes, involucri aliquid illis verbis contineri exiſtimant, quod nobis antiquitatis ignoratio obſcurum reddat. Ego vero, quod & verba ipſa palam ſonant, eos ſignificari credo, qui Circenſibus deſervientes, equos curſu incaleſcentes frigida perfundebant, quo paullulum refocillati alacrius curſum repeterent (*a*). Cujus rei mihi indicium aliquod Sext. Pomp. Festus *lib.* xii. *voc. naſiterna*, facit, qui *Naſiternam* genus eſſe vaſis aquarii anſati & patentis ſcribit, quale eſt, quo equi perfundi ſolent. Hujus autem vaſis & Varro *lib.* 1. *de Re Ruſtic. c.* 22. & Non. Marcell. xv. 25. & Fulgentius in libello *de obſcuris vocibus ad Calcid. num.* 27. meminere (*b*). Adde locum Hieronymi in *Hilarionis vita* (*c*). Caeterum quod eodem loco Ulpianus ait, agitatores famoſos non eſſe, in dubitationem a Theophilo (*d*) adducitur, qui inter famoſas perſonas ἡνίοχον numerat, quem aurigam agitatoremve interpretari licet. Cui & συνηγέτην conjungit, eum, ut exiſtimo, intelligens, qui ludo venatorio operas ſuas locat, aut in arena honorari ſe patitur. *l.* 8. *aut damnum.* §. *pen. D. de poenis.* Quo modo & venatorem apud Vegetium *lib.* ii. *cap.* xxiv. interpretor. Nam qui virtutis cauſa, vel etiam mercede, feras extra arenam venatur, nota caret. *l.* 1. §. 6. *beſtias. D. de poſtul.* Sed quod ad aurigas attinet, in famoſis eos nemo Ulpiano repugnante jure numeraverit, cum & laudi virtutique duci hoc exercitationis genus ſolitum, hiſtoriarum monimenta teſtentur, & ex nobiliſſima quoque juventute ampliſſimoque ordine in circum nonnullos aurigas productos, Suetonius in *Auguſto cap.* 43. & in *Caligula cap.* 18. narret. Itaque ex eorum, quibus vixit, temporum moribus (*e*) potius, quam ex prudentum definitione aurigas Theophilus inter infames collocavit.

CAP. XI.

Explicata l. ult. C. de emancipation. & de veteri emancipationum manumiſſionumque ſollemnitate.

Diſplicere ſibi in emancipationibus vetuſtas imaginariarum venditionum & injurioſorum ῥαπισμάτων ſollemnitates, Justinianus profitetur in *l. ult. C. de emancipat.* Cujus

(*a*) Repeterent] Quod jam antea ſuſpicatus eſt *Alexander ab Alexandro Dier. Genial. lib.* iii. *cap.* 9. & *Deſiderius Eraſmus Roterodamus Adagiorum Chil.* 1. *Cent.* x. *num.* 51. *pag.* 335. *ed. Baſil.* 1559. *fol.* Quorum ſententiam approbant quoque *Andreas Alciatus Parerg. lib.* vi. *cap.* 3. (qui tamen addit: *Atqui, ſi divinandum eſt, non minus coloris habet noſtratium doctorum interpretatio, qui ſpargi aquam equis arbitrantur crurium abluendorum cauſa:*) *Jo. Coraſius Miſcell. lib.* iv. *cap.* 24. *Henr. Salmuth ad Panciroll. rer. memor. lib.* 1. *cap.* 19. *pag.* 55. Sed equos in ludis circenſibus, non refocillandi, ſed luſtrandi potius cauſa, aqua aſperſos fuiſſe, exiſtimant *Phil. Rubenius Elector. lib.* ii. *cap.* 18. & *Ger. Noodt* in *Comment.* ad *Pand. lib.* iii. *tit.* ii. *pag.* 76.

(*b*) Meminere] A Plauto vero in *Poenul. Act.* v. *Sc.* 5. *v.* 12. *Cortina* vocari videtur, ut cenſent Interpretes.

(*c*) Vita] Vita *Hilarionis* exſtat in recentiſſima Operum Hieronymi editione *Benedict. Pariſ. Tom.* iv. *Part.* ii. *pag.* 74. *ſeqq.* Auctor vero ſine dubio reſpicit ad locum *pag.* 80. ubi narrat, Italicum quendam Chriſtianum, qui equos circenſes nutriebat, adverſus magicas adverſarii ſui ethnici incantationes auxilium ab Hilarione petiiſſe. *Rogatus ergo*, ait Hieronymus, de Hilarione loquens, *a fratribus, qui aderant, ſcyphum fictilem, quo bibere conſueverat, aqua juſſit impleri, eique tradi. Quem quum accepiſſet Italicus, & ſtabulum, & equos, & aurigas ſuos, rhedam, carcerumque repagula aſperſit.* Quo facto eum victoriam reportaſſe, in ſequentibus narrat. Quia vero hoc extraordinarium quoddam fuit, non multum hic locus ad capitis hujus illuſtrationem facit. Patet vero ex hoc eodem loco, ubi narratur, Hilarionem hortatum fuiſſe iſtum hominem, ut equos venderet, ludos illos non fuiſſe in aliquo pretio apud Chriſtianos. Sic etiam idem Hilarion *pag.* 79. aurigam quendam, antequam eum ſanaret, hortatur, ut arti ſuae renunciaret.

(*d*) Theophilo] Auctor ſine dubio reſpexit ad §. 1. *Inſtit. de inoffic. teſtam.* ubi etiam propterea a Scholiaſte notatur in *ed. Fabrotti noviſſ. pag.* 298. *ſeq.* Ipſe *Fabrottus* addit: *Sed videtur* Theophilus *reſpexiſſe ad l.* 4. *C. de ſpectac. quae agitatores famoſos & inhoneſtos facit*, ut & Harmenopulus *lib.* v. *tit.* 2. & 6. Ego tamen dicere mallem, Theophilum *h. l.* agitatores proprie non inter infames collocare, ſed tantum in genere inter perſonas turpes, & levis notae macula laborantes, qui fratribus & ſororibus in teſtamento praeferri non poſſunt. Notum enim eſt, juxta *l.* 27. *C. de inoffic. teſtam.* fratribus etiam concedi querelam inofficioſi teſtamenti, ſi perſonae inſtitutae levis notae macula laborarent: de qua *levis notae macula* ſingularem *Diſſert.* ſcripſit *Jo. Gottl. Heineccius*, quae in *Sylloge* ejus *Opuſculorum variorum*, *num.* vii. occurrit.

(*e*) Moribus] Poſt introductam ſcilicet religionem Chriſtianam ſpectaculorum iſtorum honorem eviluiſſe auctor ſine dubio indicare voluit, ut patet ex *l.* 4. *C. de ſpectacul.* Conf. *Jo. Gottl. Heineccii Comm. ad L. Jul. & Pap. Popp. lib.* ii. *cap.* 1. §. 7. *p.* 122. & *Caroli du Freſne Gloſſarium mediae & infimae Latinitatis*, *voc. agitatores.*

CAP. XI. Quae ad hoc caput dici poſſunt, omnia jam ſunt vulgaria, & vel ex compendiis antiquitatum ſatis nota. Legi praecipue a tyronibus poteſt *Jo. Gottl. Heineccii Synt. Antiqq. lib.* 1. *tit.* 5. & *tit.* 12. De *Emancipationibus* Diſſerta-

Cujus ritus etiam meminit idem Imperator Nov. lxxxi. quae vulgo inſcribitur: *Conſtitutio quae dignitatibus & epiſcopatu filium liberat patria poteſtate.* Εἰ γὰρ ἡ τῆς emancipationis πρᾶξις, πάλαι μὲν ὑπὸ τὰς καλουμένας legis actiones γινομένη, μεθ' ὕβρεων καὶ ῥαπισμάτων ἀπήλλαττεν αὐτὰς τῶν τοιούτων δεσμῶν. *Nam ſi actus emancipationis, qui olim inter legis actiones erat, eos contumelia & alapis ab ejusmodi vinculis liberavit* (*a*). Cornutus in V. *Satyr. Perſii. v.* 75. *Quia quoties manumittebant eos*, ait, *alapa percuſſos circumagebant, & liberos confirmabant.* Quod quemadmodum olim ſe haberet, intelligi nihilominus attinet. Tam enim antiquum jus in haec ſtudia incumbentibus, quam novum tenendum eſt. Sciendum eſt autem, inſtar ſervorum filiosfamilias venundari maoumittique ſolitos, oec ſemel tantum, ſed & iterum ac tertio, quemadmodum Cajus *lib.* i. *Inſtitution. tit.* vi. §. 3. tradit (*b*), adumbrata venditionis ſpecie, fiduciario patri mancipari, quo ſcilicet patriae poteſtatis nexu penitus liberarentur, a qua poſt trinam demum venditionem abſolutio ex regiis legibus (*c*) contingebat. Hoc modo cum in imaginariam ſervilem cauſam (*d*), ut & a Paulo io *l.* 3. §. 1. *D. de cap. deminut.* ſcriptum eſt, deducerentur, qui per emancipationem patris poteſtate exibant, minime mirum videri debet, ſi inter capitis minutiones emancipatio numeretur (*e*). Colaphis quoque praeterea in ea ſollemnitate peragenda caedebantur, quod in *d. l. ult.* & in *Novel. Conſtitution.* lxxxi. *praefat.* Justinianus ſignificat. [(*f*) Liberti quoque manumiſſione accepta alba veſte (*g*) decorabantur. Tertullianus *de reſurrect. carnis cap.* 57. *Si famulum tuum libertate mutaveris, — & veſtis albae nitore, & aurei annuli honore, & patroni nomine, ac tribu, menſaque honoratur.* Idem & *adverſus Marcionem lib.* v. (*h*) probat.] Nam & hoc in ſervorum manumiſſione factum Isidorus ex quopiam bono auctore *lib.* ix. *Etymolog. cap.* iv. refert (*i*). Et aperte Gregorius Nyssenus *orat.* iii. *de reſurrectione Chriſti pag.* 852. ſignificat. *Hoc die nexi ſolvuntur, debitor dimittitur, ſervus bono & humano praeconio atque edicto Eccleſiae manumittitur, nec tamen alapis foede os ejus caeditur, plagiſque a plaga liberatur.* Basilius Magnus in *homilia exhortatoria ad baptiſmum:* (*Tom.* ii. *Opp. pag.* 116.) Εἰ δοῦλος ἀνθρώπων ἦσθα,

ſertationes doctiſſimas Cel. *Gerl. Scheltinga* jam ſupra *cap.* vii. laudavi Adde *Jo. Balth. Wernheri Progr. de rebus mancipi & nec mancipi, Witteb.* 1722. De *Manumiſſione* notus eſt liber *Wilhelmi a Loon*, qui recuſus eſt in *Jo. Poleni Suppl. Theſ.* utriusque *Antiqq. Tom.* iii. Varia quoque hac de re afferuot *Alexander ab Alex. Dier. Gen. lib.* iv. *cap.* 10. *Andr. Alciatus Parerg. lib.* i. *cap.* 16. *Joſeph. Laurentius Polymath. lib.* ii. *diſſ.* 2. *Ezech. Spanhemius* in *Orbe Rom. Ex.* i. *c.* 3. & *Ex.* ii. *c.* 5. Manumiſſioois iconem, ut putatur, exhibet & illuſtrat *Jo. Frid. Chriſtius Noct. Academ. Spec.* ii. Mihi tamen oondum de veritate hujus explicatioois liquet.

(*a*) Liberavit] Dedi hujus loci interpretationem Viri Cel. *Jo. Frid. Hombergii* utpote accuratiorem vulgari, quae ex ipſo Corporis Juris textu facile peti poteſt, ſi deſideretur.

(*b*) Tradit] Quem locum tamen Anianus, jus Gothorum cum Romanorum jure miſcens, miſere interpolavit: ut a me notatum eſt in *Tract.* de *Teſtamentif. cap.* iii. §. 14. *p.* 90. *ſeq.*

(*c*) Legibus] In XII. *Tabb.* poſtea relatis: vid. *Dionyſ. Hal. lib.* ii. *pag.* 97. & *Tab.* iv. apud *Jac. Gothofredum* in iv. *Fontibus juris*, alioſque XII. Tabb. Interpretes. Haec vero lex regia, licet quoad verba de veris venditionibus eſſet intelligenda, anſam tameo praebuit JCtis, ad inveoiendas anxias illas ſollemnitates, quae in emancipatiooibus & adoptiooibus intercedere debebaot, ut breviter & eleganter oſtendit *Jo. Gottl. Heineccius* io *Orat.* de *Juriſpr. formul. pag.* 446. *in Syllog. Opuſc.*

(*d*) Causam] Eleganter Paulus vocat *imaginariam ſervilem cauſam*: non enim venditus ille fiebat ſervus: ſed actus hic ſpeciem praebebat, quaſi ſervus fieret. Quem elegantem vocis *cauſa* uſum ootavit *Jo. Gottl. Heineccius* in *Comm.* ad *L. Jul. & Pap. Popp. lib.* iii. *cap.* 5. *pag.* 398.

(*e*) Numeretur] Emancipatiooem eſſe minimam capitis deminutionem, certom eſt: ſed de ratione adhuc diſputatur. Mihi duplex ratio, altera proxima; remota altera, reddenda videtur. Proxima eſt, quia jura familiae per eam amittuntur, dum liberi exeunt ex patris poteſtate: remota eſt imaginaria illa ſervilis cauſa, per quam ſcilicet ex patris poteſtate exeunt. Sed ea de re alibi latius diſſerendi locus erit. Confer interim Viri Cel. *Franc. Caroli Conradi Parerga Part.* ii. *n.* 2.

(*f*) Liberti — probat] Haec verba non recto loco poſita eſſe, quilibet facile videt. Ego quum tranſponere ea non auderem, uncis tamen incluſi, ne ſenſum turbent.

(*g*) Veste] Toga ſcilicet recenti, quam tunc ut novi cives accipiebant.

(*h*) Lib. v.] Ego in totu hoc libro nihil reperi, quod huc pertineret.

(*i*) Refert] His quidem verbis: *Manumiſſus dicitur, quaſi manu emiſſus. Apud veteres enim, quando manu mittebant, alapa percuſſos circumagebant, & liberos confirmabant: unde & manumiſſi dicti, eo quod de manu mitterentur.* Quae deſumta ſunt ex veteri Persii ſcholiaſte, qui vulgo *Cornutus* vocatur, (ex quo & alia quaedam illum hauſiſſe animadverti) ad *Sat.* v. *v.* 75. ubi verba: *quibus una Quiritem vertigo facit*, ita explicat: *Quia quoties manumittebant eos, alapa percuſſos circumagebant, & liberos confirmabant, unde manumiſſio dicta, quod manu ejus mitteretur.* Hinc elegans jocus Tiberii Imp. ad atrienſem ſuum, apud Phaedrum *lib.* ii. *Fab.* 5. in fine: *Non multum egiſti, & opera nequicquam perit: Multo majores alapae mecum veneunt.* Confer *Jacobi Nicolai Loënſis Miſcellan. Epiph. lib.* v. *cap.* ii. *Jacobi Cujacii Obſervatt. lib.* v. *cap.* 13. & *lib.* xiv. *cap.* 27. *Caſp. Barthii not.* ad *Guiliel. Briton. Philipp. pag.* 406. *Caroli du Freſne Gloſſar. mediae & infimae Latin. voc. alapa militaris.*

ᾔσθου, προεγράφη δὲ δούλοις ἐλευθερία, οὐκ ἂν ἐπὶ τὴν κυρίαν ἀπήντησας, συνηγόρους μισθούμενος, καὶ δικαστὰς παρακαλῶν, ὥστε πάσῃ μηχανῇ πρὸς ἐλευθερίαν ἐξαιρεθῆναι, ὅπου καὶ ῥάπισμα, τὴν τελευταίαν τῶν δούλων πληγὴν, ὑπὲρ τῆς μετὰ ταῦτα τῶν αἰκισμῶν ἀπαλλαγῆς κατεδέχου. *Servus hominum ſi eſſes ſerviſque fuiſſet propoſita libertas, nonne occurriſſes ad ſtatam diem, conducens patronos, judiceſque rogans, ut omni opera aſſereris in libertatem? Quin & alapam, poſtremam ſervorum poenam, perferres, ut in poſterum a verberibus liber fieres & immunis.* Quibus & illud adde, ut reliqua manumiſſionum ſollemnia complectar, quod SEX. POMPEJUS FESTUS *lib.* XI. *v. manumitti.* ſcribit, dominum ejus ſervi, quem ad libertatem perducere volebat, caput aut aliud membrum tenentem dixiſſe: *hunc hominem liberum eſſe volo*, ſtatimque eum manumiſiſſe. Quo pertinent hi MARTIALIS verſus *lib.* IX. *Epigr.* 89. *v.* 3.

> *Affers neſcio quas mihi tabellas,*
> *Et dicis: Modo liberum eſſe juſſi,*
> *Zenas ſervulus eſt mihi paternus,*
> *Signa.* ——

Quae forte verba HERMOGENIANUS intelligit in *l.* 23. *manumiſſio. D. de manum. vind.* Niſi ea magis placeat intelligi, quae a lictore proferri ſolita (*a*) oſtendit BOETHIUS *lib.* I. in *Top. Ciceron. cap.* 2. eum ait: *Vindicta eſt virgula quaedam, quam lictor capiti ſervi manumittendi imponens, eundem ſervum in libertatem vindicabat, dicens quaedam verba ſollemnia.* Quae cum effari & proferre mutus non poſſet, idcirco nec vindicta ſervum olim liberare poterat, (*b*) auctore PAULO *lib.* IV. *Sent. tit.* XII. §. 2. Praeterea vero eis, quibus plena libertas dabatur, vindictam, lictoris virgam, imponi ſolitam PLUTARCHUS in *lib. de ſera numinis vindicta, pag.* 550. & PERSIUS *Satyra* V. *v.* 88. ſignificant, ſine cujus impoſitione Imperatorem ex lege Auguſti (*c*) ſolo verbo liberum facere eum, quem manumittit, a PAULO traditur in *l.* 14. *apud eum.* §. I. *D. de manum.* Circumagebantur deinde & vertebantur ſervi, quod & eadem ſatyra PERSIUS, *v.* 77. & SENECA Epiſtola VIII. *lib.* I. *ad Lucilium*, & *lib.* II. *Controverſiarum* oſtendunt, ac denique raſo capite pileum accipiebant. (*d*) JUVENALIS *Sat.* V. *v.* 171.

> —— *pulſandum vertice raſa*
> *Praebebis quandoque caput.* ——

LIVIUS *lib.* XXXIV. *cap.* 51. *Praebuerunt tamen ſpeciem triumpho capitibus raſis ſecuti, qui ſervitute exempti fuerant* (*e*). Id quod ad exemplum eorum, qui nave fracta ſalvi evaſerant, NONIO MARCELLO *lib.* XII. *num.* 38. inſtitutum placet. ARTEMIDORUS *lib.* I. *de Somn. Interpr. cap.* XXIII. Ναυαγήσαντες μὲν γὰρ καὶ ἐκ μεγάλης σωθέντες νόσου ξυρῶνται οἱ ἄνθρωποι. *Nam homines, qui ex naufragio, vel magno morbo, ſervati ſunt, tonduntur.* Mihi, an ab hoc more mos ille ductus ſit, dubitanti, probabilis illius inſtitutionis ratio reddi poſſe videtur, quod qui libertate mutabantur, tanquam novi homines fierent, ita crinem mutabant, quod apud Athenienſes quoque ſervatum SUIDAS in verbo ἀνδραποδώδη τρίχα memorat. Extremum illud erit, libertate donatos novum patroni nomen aſſumſiſſe, ſuoque, quod unicum antea habuiſſe eos *lex* 9. *Cum precum. C. de liberali cauſa*, indicat, una cum praenomine, adjunxiſſe. (*f*) Quo alludens PERSIUS *Sat. ead. v.* 77.

> *Verterit*, ait, *hunc dominus, momento turbinis, exit*
> *Marcus Dama.* Sed haec hactenus.

CAP.

(*a*) SOLITA] Immo ex contextu apparet, HERMOGENIANUM intelligere magis verba ſollemnia, quae dominus proferre ſolebat. Olim ergo, & dominus, & praetor & lictor verba quaedam ſollemnia proferre debebant: poſtea vero ſufficiebat, ſi ſolus lictor carmen ſuum enunciaret. Caeterum de verbis ſollemnibus, in manumiſſionibus olim adhiberi ſolitis, vide *Jacobi Oiſelii notas* ad CAJI *Inſt. lib.* I. *tit.* I. *pag.* II. *ſeq.* in *Juriſpr. antejuſt. Jacob. Raevard. Var. lib.* IV. *cap.* 9. Auctoris Opus de *Formul. Sollemn. lib.* VIII. *pag.* 702. *ſeq.* (734. *ſeq.*)

(*b*) POTERAT] Uti nec Surdus, quia verba ſollemnia, vel Praetoris, vel lictoris, exaudire non poterat. Vide *Interpp.* ad *Paulum. l. c. pag.* 423. in *Juriſpr. antejuſt.*

(*c*) AUGUSTI] Per legem Auguſti intelligo notiſſimam illam legem regiam, quae & *auguſtum privilegium*, & *lex imperii* vocatur in L. *un.* §. 14. *C. de caduc. toll.* & *l.* 3. *C. de teſtam.* id quod etiam obſervaſſe *Georg. d'Arnaud Conject. lib.* II. *cap.* 12. *pag.* 304. poſtea vidi: qui tamen legere mavult: *lex Auguſta:* quae emendatio, neque improbabilis plane, neque neceſſaria eſt. Non ergo peculiaris aliqua lex Julia, ab Auguſto lata, hac de re exſtitit, ut putavit *Carolus Sigonius de antiquo jure civium Rom. lib.* II. *cap.* 14. & *Wilh. a Loon de Manumiſſ. lib.* I. *cap.* 6.

(*d*) ACCIPIEBANT] Idque plerumque in templo Feroniae, ut teſtatur SERVIUS ad *Virg. Aen. lib.* VIII. *v.* 564.

(*e*) FUERANT] Haec duo loca proprie huc non pertinent. Nam JUVENALIS loquitur de Paraſitis: LIVIUS vero de civibus, ex hoſtium captivitate liberatis.

(*f*) ADJUNXISSE] Auctor paullo obſcurius loquitur. Liberti plerumque patroni praenomen & nomen gentilitium adſumebant; vetuſtum vero ſervile nomen tanquam cognomen adjiciebant: cujus rei exemplum praebet notiſſimus ille Ciceronis ſervus, *Tiro*, qui manumiſſus vocabatur *M. Tullius Tiro.* Conf. infra *lib.* II. *cap.* 14.

CAP. XII.

Vetus de adſeſſoribus conſtitutio cum aliquot ad eam pertinentibus locis explicata.

A principibus magiſtratibusque olim in conſilium juria ſtudioſi adhibebantur. *l.* 29. *D. de legat.* 2. *l.* 5. *an manumittere. D. de man. vind. l.* 3. §. 1. *D. de minor.* XXV. *an. l.* 1. *D. de offic. adſeſſ.* & hoc *adſidere* appellabant. *l.* 9. *metum* §. 3. *ſed ex facto. D. Quod metus cauſa.* JOSEPHUS *contra Appion. lib.* II. (*ſegm.* 18. *pag.* 484. *ed. Haverk.*) Ὅτι τὰς μεγίστας καὶ κυριωτάτας παρ' αὐτοῖς ἀρχὰς διοικοῦντες ὁμολογοῦσι τὴν ἄγνοιαν. ἐπιστάτας γὰρ παρακαθίσαντες τῆς τῶν πραγμάτων οἰκονομίας, τοὺς ἐμπειρίαν ἔχειν τῶν νόμων ὑπισχνουμένους. *Quam ignorantiam ſummi quoque & principes eorum magiſtratus confitentur, dum eos rerum adminiſtrationi praeeſſe potiſſimum, ac ſibi adſidere volunt, qui praecipuam quandam legum peritiam prae ſe ferant.* Adde SENECAM in *lib. de tranquillitate vitae, cap.* 3. *An ille plus praeſtat, qui inter peregrinos & cives, aut Urbanus praetor, adeuntibus & ad-*

CAP. XII. De adſeſſoribus tum ſcriptores *de Juriſdictione & Judiciis Rom.* nec non *de officiis domus Auguſtae:* tum interpretes ad *tit.* D. & C. utriuſque *de adſeſſoribus* conſuli poſſunt. Copioſiſſimus in hoc argumento eſt *Auguſtinus Campianus* in libro *de efficio & poteſtate Magiſtratuum Rom. cap.* 137 - 143. *pag.* 458 - 489. Praeterea confer etiam *Georg. d'Arnaud Comment. de Diis* Ππαρέδροις, (in *Poleni Theſ. Antiqq.* Tom. II.) *cap.* 8. *Cornelii van Bynkershoek Obſervatt. lib* VI. *cap.* 3. *Petri Burgii Elect. lib.* I. *cap.* 9. *Deſid. Heraldi de rerum judicatarum auctoritate, lib.* I. *cap.* 8. *Antonii Schultingii Diſſ. de Recuſatione Judicis, cap.* 6. Operae tamen pretium erit, ut pauca quaedam de iis generalia hoc loco annotemus. Primo quidem ſciendum eſt, conſuetudinem fuiſſe apud Romanos, ut omnes illi, qui jus dicerent, vel judicarent, ſive id publica, ſive privata auctoritate facerent, adhiberent aliquos in conſilium, ex quorum ſententia cauſa cognita deinde pronuntiarent. (Hinc *cognitio & ſententia ſine conſilio* tanquam res iniquiſſima proponitur a CICERONE *de lege agrar.* II. *cap.* 13. & *lib.* V. *in Verrem cap.* 9.) Hoc faciebant patres familias, quando tanquam judices aut magiſtratus domeſtici (ut eos vocat SENECA *Controv.* II. 3. & *de Benefic. lib.* III. *cap.* II.) de ſervis, liberis & uxore cognoſcerent. (vid. DIONYSIUS HALICARN. *lib.* II. *pag.* 95. *ſeq.* VALERIUS MAX. *lib.* V. *cap.* 8. & 9. SENECA *de Clement. lib.* I. *cap.* 15. GELLIUS *lib.* X. *cap.* 23. TACITUS *Annal. lib.* XIII. *cap.* 32.) Hoc etiam faciebant arbitri privati, ſive, ut eos vocat CICERO *pro Caec. cap.* 2. diſceptatores domeſtici: cujus rei elegans exemplum vide apud PLINIUM *lib.* V. *Epiſtol.* I. Hoc olim jam (ut ad publicas perſonas tranſeam) feciſſe Reges in judicando nullus dubito, & haud obſcure quoque indicat LIVIUS *lib.* I. *cap.* 49. (conf. *Georg. d'Arnaud Conject. lib.* I. *cap.* 17.) Quid ergo mirandum, ſi idem inſtitutum poſtea ſequerentur magiſtratus judicesve? Notandum vero porro eſt, eos, qui magiſtratibus in jure dicundo aderant, duplicis generis fuiſſe. Alii enim publica auctoritate tanquam ordinarii eorum adſeſſores erant conſtituti, qui non nudum dabant conſilium, ſed ſimul judiciaria quodammodo poteſtate erant inſtructi: in urbe ſcilicet decemviri ſtlitibus judicandis; in provinciis viginti recuperatores. (vid. ULPIAN. *Fragm. tit.* I. §. 13. & conf. *Jo. Gottl. Heineccii Synt. Antiqq. lib.* IV. *tit.* 6. §. 9.) Alii erant privati, JCti ſcilicet, (vid. CICERO *Topic. cap.* 17.) ſive juris ſtudioſi, ut vocantur in *l.* I. *D. de adſeſſ.* De his tantum, non de prioribus, hoc loco ſermo eſt. Vocantur hi plerumque *Adſeſſores*; item *Conſeſſores:* (vid. CICERO *de Finib. lib.* II. *cap.* 19.) nec non *Conſiliarii.* (vid. SPARTIANUS in *Peſcennino Nigro cap.* 7. *l.* 11. §. 2. *D. de minorib.*) Dicebantur *adſidere*; nec non *in conſilio eſſe*, vel *ſedere*, aut *adeſſe*, CICERO *pro Roſcio Com. cap.* 4. & *pro Quinctio cap.* I. ſive *adhiberi.* (vid. PLINIUS *lib.* I. *Epiſt.* 20. & *lib.* VI. *Epiſt.* 11. & 22.) Tales adſeſſores non tantum omnibus aderant Magiſtratibus jus dicentibus: (non in ordinariis ſolum, verum & extraordinariis cauſis. Vid. CICERO *in Verrem lib.* III. *cap.* 7.) ſed etiam judicibus pedaneis. (vid. GELLIUS *lib.* XIV. *cap.* 2. VALERIUS MAXIMUS *lib.* VIII. *cap.* 2. *ex.* 2. CICERO *Orat. pro Quinctio cap.* I. SUETONIUS in *Domit. cap.* 8.) Immo cum ipſi Imperatores ſaepe de graviſſimis rebus, maxime per appellationem ad ſe delatis, judicarent, etiam hi in conſilio habebant ſuos adſeſſores & conſiliarios: quem morem Auguſtus primum ex conſilio Maecenatis inſtituit, quemque ſub Tiberio & Cajo intermiſſum, renovavit Claudius. (vid. DIO CASS. *lib.* LII. *pag.* 487. & *lib.* LIII. *pag.* 511. & *lib.* LVI. *pag.* 588. & *lib.* LX. *pag.* 667. SUETONIUS in *Aug. cap.* 35. & *Tib. cap.* 55. SPARTIANUS *in Hadriano cap.* 8. 18. & 22.) Hi etiam *Amici & Comites* Principis ſive Auguſti vocabantur. (Vide *Salmaſii notas* ad *Spartiani Hadrian. cap.* 18. *Ezech. Spanhem. de Praeſtant. & Uſu Numiſm. Diſſ.* VIII. *pag.* 525. *ed. Londin. Jac. Gotbofredi Comm.* ad *l.* 4. *de accuſat. & inſc.* in *Cod. Theod. lib.* IX. *tit.* I.) Eſt & id adhuc notandum, ipſos aliquando Principes ſe Magiſtratibus in conſilium, tanquam adſeſſores, praebuiſſe: (exempla vide apud SUETONIUM in *Tib. cap.* 33. & in *Claud. cap.* 12. TACITUM *Annal. lib.* I. *cap.* 75. DIONEM CASSIUM *lib.* LVII. *pag* 606.) quod ideo ſine dubio fecerunt, ut popularitatis quadam ſpecie magiſtratuum ſenſim poteſtatem infringerent. Horum, de quibus hactenus ſermo, adſeſſorum praecipuum officium erat, ut conſilio ſuo adjuvarent in jure dicundo judicandove, & de jure inſtruerent eos, a quibus adhibebantur. Magiſtratus enim & judices apud Romanos ſaepiſſime juris civilis ſcientia deſtituebantur, ut praeter JOSEPHUM loco ab auctore laudato, docent CICERO *pro Planc. cap.* 25. AMMIANUS MARCELLINUS *lib.* XXVI. *cap.* 6. Unde non tantum viri prudentes, ſed & juris periti ad hoc munus eligebantur. (vid. GELLIUS *lib.* XII. *cap.* 13.) Hinc denique venit, ut culpam praeſtare tenerentur, ſi ex eorum conſilio male judicatum ſit. (vid. *l.* 2. *D. quod quisque juris.* & confer *Jacobi Cujacii Obſervatt. lib.* XXIII. *cap.* 40.)

& adſeſſoris verba pronuntiat. (*a*) SUETONIUS in *Tiberio cap.* XXXIII. *Magiſtratibus pro tribunali cognoſcentibus plerumque ſe offerebat conſiliarium, adſidebatque mixtim, vel ex adverſo in parte primori.* Nec urbanis modo magiſtratibus, ſed & provinciarum rectoribus, ut ex LAMPRIDIO in *Alexandro Sev. cap.* 46. apparet, ſui erant adſeſſores (*b*): de quibus, quo ſanctius integriuſque jus diceretur, antiquitus conſtitutum fuiſſe traditur, ut ne cui in ſua provincia ultra quatuor menſes ſine ſpeciali Principis beneficio liceret adſidere. Cujus conſtitutionis ſanciendae auctorem SPARTIANUS a *Peſcenninum Nigrum* in cjus vita, *cap.* 7. memorat, qui cum Marco Antonino & Commodo Imperatoribus in Repub. floruerit, facile conjectura capi poteſt, ab illis Principibus hanc eſſe conſtitutionem ſacratam. A quo non longe abhorret quod XIPHILINUS & ZONARAS a Marco conſtitutum fuiſſe referunt, ut ne quis patriae ſuae praeeſſet. Ἐνομοθετήθη, ajunt (*c*), τότε μηδένα τοῦ ἔθνους ἄρχειν, ὅθεν ἐγένετο, ὅτι ὁ Κάσσιος ἐν τῇ Συρίᾳ ἡγεμονεύων, ὅπου καὶ ἡ πατρὶς αὐτοῦ ἦν, ἐνεόχμωσεν. *Tunc lex lata eſt, ne quis ei provinciae praeeſſet, e qua natus eſſet, propterea, quod Caſſius, Syriae Praeſes, in qua patriam habebat, regnum affectaverat.* Illam vero conſtitutionem iiſdem, quas poſui, exceptionibus, conditionibuſque temperatam, DIOCLETIANUS (*d*) protulit in *l.* 10. *in conſiliariis. C. de adſeſſ.* ex qua interpretationem accipit *l.* 37. *hi qui.* & *l.* 38. *ſi cui in provincia. D. Ex quib. cauſ. major.* Eoque referendum eſt, quod MACER ſcribit, Si eadem provincia poſtea diviſa ſub duobus praeſidibus conſtituta ſit, ſine conſtitutionis offenſa ex altera ortum in altera adſeſſurum, cum in ſua provincia non videatur adſidere, quae ad alterius praeſidis adminiſtrationem pertineat. *l.* 3. *D. de offic. adſeſſ.* PAULUS *lib.* V. *Sent. tit.* XII. §. 5. *In ea provincia, ex qua quis originem ducit, officium fiſcale adminiſtrare prohibetur, ne aut gratioſus, aut calumnioſus apud ſuos eſſe videatur.* Verum enim vero ſic ea conſtitutio accepta eſt, ut in his dumtaxat, qui publico ſalario fruerentur, id eſt, qui praeſidibus, rectoribuſque provinciarum adſiderent, locum haberet, quibus e publico ſalaria ab eodem *Peſcennino* addita, ac deinde ab *Alexandro* conſtituta, SPARTIANUS, LAMPRIDIUSque *ll. cc.* referunt. Ex quo cum PAPINIANO efficiemus, in conſilium curatoris Reipub. virum ejuſdem civitatis adſidere non prohiberi, quippe qui publico ſalario non fruatur. *l. ult. D. de offic. adſeſſ.* Non de nihilo igitur in *Diocletiani* reſcripto additum eſt: MODERATORIBUS ADSEOERIT. Caeterum extat generalior VALENTINIANI & THEODOSII Conſtitutio, quae diſtricte prohibet aliquod adminiſtrationis officium intra eam provinciam, in qua provincialis & civis habetur, quem affectare, eumque, qui contra fecerit, adverſus leges feciſſe, & ſacrilegii (*e*), id eſt, legum violatarum crimine teneri, indicat. *l. ult. C. de crimin. ſacril.* Ac ne apparitorem quidem, vel ſtatorem, vel protectorem, vel agentem in rebus in ea provincia, in qua natus eſt, vel domicilium habet, quemquam ferendum JULIANUS ſanxit in *l.* III. *C. de diverſ. off. lib.* XII. Uſque adeo carere ſuſpicione voluere Imperatores eos, qui aliquam in provinciis poteſtatem obtinerent.

CAP. XIII.

Quid ſit ad peregrinitatem redigi, & de Romanae civitatis jure.

Promendum ex antiquitate eſt, quid hoc valeat, quod apud ULPIANUM legimus, ad peregrinitatem redigi deportatos. *l.* 10. *ſed ſi hac lege.* §. 6. *ſed ſi per poenam. D. de in jus*

jus

(*a*) PRONUNTIAT] Locus hic varie legitur. Olim vulgo legebatur: *adeuntibus adſeſſoribus*: quae lectio a *Jac. Cujacio Obſerv. lib.* XXIII. *cap.* 40. & *Juſto Lipſio* in *not.* fuit exploſa, qui ex bonae notae libro ſubſtituerunt: *adſeſſoris*: quam lectionem & auctor noſter probaſſe videtur: nam otioſa particula & forſan praeter ejus mentem a typotheta fuit intruſa. Licet vero haec lectio non ſit contemnenda, mihi tamen magis arridet lectio, elegans ſane, quam *Andr. Schottus* in ſua *ed. Colon. Allobr.* 1613. 8°. exhibuit: *praeeuntibus adſeſſoribus, tria verba* (id eſt NO, DICO, AODICO) *pronuntiat.* Si haec lectio certa eſſet, exinde non improbabiliter poſſet concludi, (qua de re tamen a pleriſque adhuc dubitatur) Praetorem Peregrinum, non minus quam Urbanum, habuiſſe legis actionem, id quod obiter tantum monere volui.

(*b*) ADSESSORES] Idque non tantum in pace, ſed & in bello. Nam & Imperatores & Duces nihil magni momenti in bello ſine Conſilio faciebant. (Vid. SALLUSTIUS *de Bello Jugurth. cap.* 29. & 62. SUETONIUS in *Tib. cap.* 18. & conſ. *Juſt. Lipſius de Militia Rom. lib.* II. *Dial.* 8.) Hinc contra tanquam facinus crudele notat LACTANTIUS *de Mortib. Perſecut. cap.* 22. Judices militares, humanitatis litterarum rudes, ſine adſeſſoribus in provincias miſſos fuiſſe.

(*c*) AJUNT] Locus quoad ſenſum exſtat apud XIPHILINUM *lib.* LXXI. *pag.* 813. quoad ipſa vero verba apud ZONARAM *lib.* XII. *pag.* 596.

(*d*) DIOCLETIANUS] Auctor hujus Conſtitutionis non eſt Diocletianus: ſed Theodoſius & Valentinianus AA. auctores in inſcriptione perhibentur: & recte quidem, ut ex ſubſcriptione patet.

(*e*) SACRILEGII] De hac hujus vocis ſignificatione vide *Jacobi Gothofredi Comment.* ad *l.* 2. *ut dignitat. ordo ſervet.* in C. *Theod. lib.* VI *tit.* 5. *Tom.* II. *pag.* 71.

CAP. XIII. Quia auctor magni momenti hoc capite argumentum breviter tantum perſtrinxit: ad uberiorem illuſtrationem legendi ſunt ſcriptores, qui ex inſtituto de juribus civitatis Romanae egerunt. Tyronibus ſufficere poſſunt, quae

attulit

jus voc. Quo genere dicendi etiam TRANQUILLUS in *Claudio c. 16.* utitur. *Splendidum*, ait, *virum*, *Graeciae principem*, *verum Latini ſermonis ignarum*, *non modo albo judicum eraſit*, *ſed etiam in peregrinitatem redegit.* Ad peregrinitatem redigi eſt peregrinae conditionis effici: qua conditione cenſebantur deportati, & hi, quibus aqua & igni interdictum erat. Nam & togae uſu carebant, ut PLINIUS *Epiſt. lib.* IV. *ep.* II. ſcribit. Peregrini plane dicebantur, qui cives Romani non erant (*a*). *l.* 6. *ſed ſi.* §. 2. *ſolemus. D. de hered. inſt.* quos a veteribus primum hoſtes appellatos, ab eo, quod pari cum civibus jure viverent (*b*), notius eſt, quam ut probatione egeat (*c*). Et aequabantur quidem hi in jure reddendo civibus, quod eis per Praetorem, cui ea juriſdictio evenerat (*d*), dicebatur. Caeterum civitatis Romanae commodis non fruebantur (*e*), quae fuiſſe permaxima, & ſummi beneficii loco exteris tributa (*f*) accepimus. Ex civium enim Romanorum teſtamentis ſoli cives capiebant, nec erat cum peregrinis teſtamenti factio. *l.* I. *C. de hered. inſtit.* Itaque ut a civili more degeneraſſe Antonium Auguſtus probaret, teſtamentum, quod is Romae, etiam Cleopatrae liberis inter heredes nuncupatis, reliquerat, aperiendum recitandumque pro concione curavit. Civiumque dumtaxat Romae rata habebantur teſtamenta (*g*). Idcirco in lege Falcidia non ſine ratione ſcriptum eſt: QUICUMQUE CIVIS ROMANUS POST HANC LEGEM ROGATAM TESTAMENTUM FACIET, IS QUANTAM CUIQUE CIVI ROMANO PECUNIAM PUBLICO JURE DARE VOLET, &c. *l.* I *D. ad Leg. Falcid.* Inter ſolos cives etiam Romae juſtae nuptiae (*h*) contrahebantur. §. I. *Inſt. de nupt.* Propriumque eorum erat, quod in liberos habebant patriae poteſtatis jus (*i*). §. I. *Inſt. de patr. poteſt.* Verberibus etiam caedi cives, aut in crucem agi, aut injuſſu populi in eos animadverti fas non erat (*k*). In legionibus quoque non alii, quam qui civitatem accepiſſent, militabant (*l*). Hoc amplius, inter ſolos cives ſollemnes per nexum abalienationes locum habuiſſe, CICERO *in Topicis* (*m*) oſtendit. Eademque ante Juſtiniani conſtitutionem uſucapionum (*n*) cauſa fuit. Quae cum jure civili, id eſt, lege XII. Tabu-

attulit *Jo. Gottl. Heineccius* in *Syntagm. Antiqq. Append.* ad *lib.* I. Legi etiam meretur *Jo. Schilteri Diſſ. de jure peregrinorum*, in *Exercit. ad Pand. Tom.* I. Varia quoque huc ſpectantia occurrunt in meis *Selectis Antiquitatibus*, quarum *Pars prima* nuper prodiit, inprimis *cap.* IV. Ergo in praeſenti pauca tantum, quae ad illuſtrationem hujus capitis neceſſaria eſſe videbuntur, delibabimus.

(*a*) NON ERANT] Scilicet liberi homines, (nam ſervi ſub hac denominatione proprie non comprehendebantur) qui ratione ſtatus civitatis dividebantur apud Romanos in cives & peregrinos. Conf. *Heinecc. l. c.* §. 134. Caeterum quia Peregrinorum denominatio non ſemper uno eodemque ſenſu accipitur: de varia hujus vocis ſignificatione vide *Ezech. Spanhemii Orb. Rom. Exercit.* II. *cap.* 22.

(*b*) VIVERENT] Scilicet ſecundum naturalem aequitatem, ſive ſecundum jus naturae & gentium.

(*c*) EGEAT] Vide interim Lexicographos & inprimis FESTUM *voc. hoſtis*, & *ſtatus dies*, quaeque ibi viri docti notarunt.

(*d*) EVENERAT] Qui hinc quoque *Praetor peregrinus* appellatus fuit: de quo copioſiſſime egerunt viri doctiſſimi, *Jo. Henr. Mylius* & *Franc. Carolus Conradi*, ille ſingulari *Diſſertatione*, quae in ejus *Opuſculis* recuſa; hic in *Parergis*, *Parte* I.

(*e*) FRUEBANTUR] Peregrini ea tantum habebant, quae ſunt juris gentium: non vero beneficia, quae ex legibus Romanis deſcendebant. *L.* 17. §. I. *D. de poenis*. Conf. *Tract.* meam de *Teſtament. cap.* III. §. 4. *p.* 59. *ſeq.* & *Select.* meas *Antiqq. cap.* 4. §. 6.

(*f*) TRIBUTA] Externis non modo ipſum jus civitatis Romanae aliquando ſummi beneficii loco tribuebatur: (LIVIUS *lib.* XXIII. *cap.* 5.) ſed & cum peregrinis interdum per privilegium una tantum alterave juris Quiritum ſpecies communicabatur. vid. *Heinecc. l. c.* §. 138. & *Tract.* meam de *Teſtament. cap.* III. §. 12. *p.* 85. & §. 68. *p.* 218.

(*g*) TESTAMENTA] Juris ſcilicet Romani. vid. *Heinecc. l. c.* & *Tract.* meam *cit. cap.* III. §. 62. *p.* 204.

(*h*) NUPTIAE] Quia ſoli cives habebant jus connubii, ut ab auctore noſtro, aliisque, qui de jure connubii ſcripſerunt, ſatis eſt expoſitum. Inter peregrinos tamen erat matrimonium juris gentium: inter ſervos vero tantum contubernium. vid. *Heinecc. Elem. juris civ. ſec. ord. Inſtit.* §. 150.

(*i*) POTESTATIS JUS] Nempe ſingulare illud atque eminens jus, quod ſoli cives Romani in liberos haberent. vid. *Heinecc. Syntagm. lib.* I. *tit.* 9.

(*k*) NON ERAT] Quod tamen in peregrinos licebat. vid. *Heinecc. Append.* ad *lib.* I. *Synt. Antiqq.* §. 25. *ſeqq.* & §. 85. & Viri Cl. *Caroli Henrici Langii Diſſert. de immunitate civis Romani a certis poenis*, ed. *Jenae* 1728. & recuſ. in ejus *Obſervationibus Sacris*, *Lub.* 1737.

(*l*) MILITABANT] Quod tamen ſub Imperatoribus non ſemper fuit obſervatum. Vid. *Ezech. Spanhem. Orb. Rom. Exercit.* II. *cap.* 21.

(*m*) IN TOPICIS] Intelligit ſine dubio locum *cap.* 5. ubi id quidem implicite dicitur: ſed diſertis verbis tradit hoc CAJUS in *Commentario Boëthii* ad hunc locum, Conf. *Tract.* meam de *Teſtam. cap.* III. §. 12. *p.* 85.

(*n*) USUCAPIONUM] Uſucapio (1) quoad perſonas ſolis competebat civibus Romanis: (2) quoad res ea locum tantum habebat in ſolo Italico. (3) Jus uſucapionis per Conſtitutionem Antonini Caracallae cum omnibus hominibus in orbe Romano ingenuis; per Juſtinianum cum omnibus etiam libertinae conditionis hominibus fuit communicatum. (4) Quoad res primus inter ſolum Italicum & provinciale diſcrimen ſuſtulit Juſtinianus. Confer. *Ezech. Spanhemii Orb. Rom. Exerc.* II. *cap. ult.* qui tamen non ſatis diſtincte rem expoſuit; ſicuti nec *Heineccius* in *Praefatione*, dum dicit: *Quamvis enim Spanhemio jus uſucapionis etiam ad provinciales porrectum eſſe videatur*:

Tabularum introductae eſſent, Italici ſoli finibus continebantur, idque ipſum nominatim lege cavebatur, adverſus hoſtem aeternam auctoritatem eſſe, ut idem CICERO *lib.* I. *Offic. c.* 12. notat. Adde & honores Romae gerere, ſuffragium ferre, ſed & toga uti dumtaxat civibus licuiſſe. Fuit enim, ut priora duo, quae in promtu ſunt omnibus, omittam, toga Romani hominis certiſſimum inſigne. *l.* 32. *ſed ſi accepto. D. de jur. fiſc.* Nec ſine crimine aliam Romano homini, vel in media Aſia veſtem ſumere licebat. Itaque apud LIVIUM *lib.* XXIX. *cap.* 19. a Q. Fabiu in invidiam P. Scipio eo nomine adducitur, quod in Sicilia palliatus fuiſſet. Idemque cum Rabirio Poſthumo ab adverſariis objectum eſſet, accuratam in eo facto purgando orationem CICERO conſumit (*a*). Quorum omnium, quae Quiritium peculiaria ac propria fuiſſe docuimus, peregrini expertes erant. Nam neque teſtamenti factio (*b*) cum his, ut ULPIANUS in *Inſtitut. tit.* XVII. §. I. *& tit.* XXII. §. 2. & in *d.* §. *ſolemus* (*c*) tradit, neque connubium (*d*) erat, quemadmodum idem auctor *Inſtit. tit.* V. §. 4. indicat his verbis: *Connubium habent cives Romani cum civibus Romanis, cum Latinis autem & peregrinis ita. ſi conceſſum ſit.* Quod & BOETHIUS ad *Topica Ciceronis lib.* II. *ad cap.* 4. in *loco a Conſequentibus* tradit. Hinc SENECA *lib.* IV. *de Benef. cap.* XXXV. *Promiſi tibi filiam in matrimonium, poſtea peregrinus apparuiſti, non eſt mihi cum extraneo connubium.* Itaque nec peregrinis eadem, quae civibus, in liberos poteſtas erat. Sed & omnis ad honores aditus peregrinis interclusus erat, ſuffragiorum in urbe jus nullum. Ad haec togae uſus interdictus (*e*). PLINIUS *lib.* IV. *epiſtol.* II. ad *Minut. Idem cum Graeco pallio amictus intraſſet (carent enim togae jure, quibus igni & aqua interdictum eſt) poſtquam ſe compoſuit circumſpexitque habitum ſuum, Latine, inquit, declamaturus ſum.* SUETONIUS in *Claud. cap.* XV. *Peregrinitatis reum orta inter advocatos levi contentione, togatumne, an palliatum dicere cauſam oporteret, quaſi aequitatem integram oſtentans, mutare habitum, prout accuſaretur, defendereturve juſſit.* Eam ob rem togae jure amicos populos a Romanis donatos Hiſtoriarum monumentis proditum eſt, idque & novae Carthagini conceſſum TERTULLIANUS in *lib. de Pallio, cap.* I. ſignificat. Inde togatae Galliae nomen, quam & ad honores adſpiraſſe TACITUS *lib.* XI. (*f*) & ſuffragiorum jus in urbe habuiſſe memorat, & *Paulus Manutius* non dubiis argumentis in *Epiſt. ad Atticum* confirmat. Sic & Hiſpaniae populos quoſdam juris Italici factos, togatos ſtolatoſque appellatos STRABO *lib.* III. *Geographiae* p. 226. (151.) ſcribit. Ex hoc more etiam regibus, quos amicos & ſocios appellabant, inter caetera togam muneri mittebant (*g*), cujus rei apud CORNELIUM TACITUM *lib.* IV. *Annal. c.* 26. exemplum extat. Nec vero virilium togarum tantum, ſed & praetextarum jure peregrinos caruiſſe (*h*), ex MACROBIO *lib.* I. *cap.* VI. colligitur. Ad haec praenominibus peregrini non utebantur, quae tum demum, cum in civitatem eſſent adlecti, aſſumſiſſe (*i*) eos CICE-

deatur: alia omnia tamen colligi poſſunt ex l. un. C. de uſucap. transf. & l. un. C. de jure Quirit. toll. ex quibus manifeſtum eſt, Juſtinianum demum hoc diſcrimen rerum ſoli Italici & provinciarum ſuſtuliſſe. Recte quidem dicit, Juſtinianum demum diſcrimen inter res ſoli Italici & provinciarum ſuſtuliſſe: ſed & recte *Spanhemius* docuit, jus uſucapionis per Conſtitutionem Antonini Caracallae cum Provincialibus (hominibus nimirum, non rebus) fuiſſe communicatum: ut adeo nulla inter eos pugna ſit, ſi modo recte intelligantur.

(*a*) CONSUMIT] Vide ejus *Orat. pro C. Rabirio Poſtumo, cap.* 9. *ſeqq.*

(*b*) TESTAMENTI FACTIO] Neque activa, neque paſſiva, ut practici loquuntur: quas locutiones explicavi in *Tract.* mea de *Teſtament. cap.* III. §. 60. *p.* 198. *ſeqq.*

(*c*) §. SOLEMUS] Intelligit auctor *l.* 6. §. 2. *D. de hered. inſtit.*

(*d*) CONNUBIUM] Connubium enim eſt vocabulum juris civilis: quemadmodum matrimonium juris gentium, ut ſupra jam notavi.

(*e*) INTERDICTUS] Confer *Heinecc. App.* ad *lib.* I. *Synt. Antiqq.* § 139.

(*f*) LIB. XI.] Togatae Galliae jam plenum civitatis jus conceſſerat C. Julius Caeſar: (vid. *Heinecc. l. c.* §. 10.) TACITUS vero *Annal. lib.* XI. *cap.* 23. loquitur de Gallia comata.

(*g*) MITTEBANT] Nota tamen: Quando exteris regibus toga mittebatur, tunc id fiebat honoris tantum cauſa, neque propterea jus civitatis Romanae cum illis communicabatur. Neque etiam illis unquam ſimplicem togam miſſam fuiſſe reperio: ſed mittebatur potius illis toga picta cum tunica palmata, inſigne nempe triumphantium: cujus rei illuſtre exemplum vide apud LIVIUM *lib.* XXX. *cap.* 15. Quando vero privatis hominibus, peregrinae conditionis, Romae degentibus, jus togae concedebatur, tunc eo ipſo jus civitatis Romanae ſimul conceſſum fuiſſe cenſebatur. Vide *l.* 32. *D. de jure fiſci.* (ubi quae *Dionyſ. Gothofredus* in *notis* affert, omnia ex hoc capite deſumta ſunt). Conf. etiam *Ezech. Spanhemii Orb. Rom. Exerc.* II. *cap.* 6. *pag.* 164. *ſeqq.* & *Select.* meas *Antiqq. cap.* III. §. 40.

(*h*) CARUISSE] Pueros ſcilicet: nam praetexta, quatenus inſigne magiſtratuum, caruiſſe peregrinos, per ſe facile intelligitur.

(*i*) ASSUMSISSE] Peregrini, jus civitatis Romanae adepti, ejus, cujus beneficio id impetraverant, nomen gentilitium (interdum & cognomen) & praenomen aſſumere ſolebant: veteri vero nomine ſuo poſtea plerumque pro cognomine utebantur. Praeter exemplum ab auctore adductum, alia reperire potes apud CICERONEM *Famil. lib.* XIII. *Epiſt.* 35. & *Accuſat. in Verrem lib.* II. *cap.* 7. & 8. & *lib.* IV. *cap.* 17. & apud CAESAREM *de bello Gall. l.* I. *c.* 47. Hinc tempore Claudii multi ab eo civitate donati ideo accuſati ſunt, quod nomine ejus non uterentur, teſte DIONE CASS. *lib.* LX. *pag.* 676. Confer *Andr. Alciat. Parerg. lib.* IX. *cap.* 16. (qui

Cicero *lib.* XIII. *Epiſt.* 36. ad *Acilium procoſ.* oſtendit. *Cum Demetrio*, ait, *Mega mihi vetuſtiſſimum hoſpitium eſt: familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo civitatem a Caeſare impetravit, qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur.* Gentilicia plane Romanorum nomina, quemadmodum a Tranquillo (*in vita Claud. c.* 24.) ſcriptum eſt, peregrinae conditionis homines uſurpare, Claudius Caeſar vetuit: permagni intereſſe ad civitatis decus ornamentumque exiſtimans, ne nominum quidem ſocietate peregrinis cives Romanos conjungi. Peregrini porro etiam in urbe habebantur, qui dedititiorum numero erant, (*a*) ut Ulpianus in *Inſtitut. tit.* XXII. §. 2. ſcribit, idemque ejuſdem libri *titul.* X. §. 3. auctor eſt, & eos peregrinos effici, quibus aqua & igni interdicebatur. Cujus in poenae locum cum hodie deportatio ſucceſſerit, (*b*) conſequens eſt, quod a nobis initio poſitum eſt, per deportationis poenam in peregrinorum ſtatum conditionemque cives redigi, id eſt, ut cum ipſis Jureconſultis loquar, ἀπόλιδας effici. (*c*) *l.* 17. *ſunt quidam* §. 1. *D. de poen. l.* 1. §. 2. *hi quibus D. de legat.* III. Proinde hereditatum quoque capiendarum, & teſtamenti faciendi, & patriae poteſtatis, & alia omnino Quiritum jura amittere. *l.* 1. *C. de heredibus inſtituend. l.* 8. *ejus qui* §. 1. *D. de teſtamentis.* §. 1. *cum autem. Inſtitut. quib. mod. jus patr. pot.* Cajus etiam *Inſtit. lib.* 1. *tit.* VI. §. 1. *Item de poteſtate patris exeunt filii, ſi pater eorum in exilium miſſus fuerit, quia non poteſt filium civem Romanum in poteſtate habere homo peregrinae condicionis effectus.*

CAP. XIV.

Collegia illicita quibus Legibus, Senatusconſultis, Conſtitutionibusque coërceantur.

Conſtans omnium ſententia eſt, nullam illicitis coetibus capitaliorem Reipub. peſtem eſſe. Itaque neque ſocietatem, neque collegium, neque hujuſmodi corpus paſſim omnibus habere Romae, quantum ab ultima antiquitate repeto, concedebatur, eamque rem & legibus, & ſenatuſconſultis, & conſtitutionibus, mandatisque Principum coërcitam, collegiaque, praeter pauca & certa publica aucturitate confirmata, quae utilitas civitatis deſideraſſet, ſublata, Asconius in *Cornelia Cicer. p.* 137. & noſtri auctores in *l.* 1. *D. Quod cujusque univer.* & *l.* 1. & *l.* 3. *D. de colleg. & corp.* ſcribunt. Leges in eam rem latas inveſtiganti mihi regia Tarquinii lege vetuſtior nulla occurrit, qua, praeter collegia a Numa inſtituta (*d*) reliqua omnia

(qui primus hoc obſervaſſe videtur) *Raph. Fabretti Inſcript. pag.* 438. *ſeqq.* & 478. *ſeqq.* (ubi multa huc ſpectantia congeſſit) *Jo. Arntzenii Diſſ. de civitate Paulli Apoſtoli, cap.* 3. §. 8. qui plures hac de re ſcriptores laudat.

(*a*) Numero erant] Intellige libertos dedititiae conditionis: de quibus vide *Heineccii Synt. Antiqq. lib.* 1. *tit.* 4. 5. §. 11. 15.

(*b*) Successerit] Proprie deportatio addita fuit aquae & ignis interdictioni. Sed de aquae & ignis interdictione, & de deportatione, infra diſſerendi locus erit *lib.* III. *cap.* 5.

(*c*) Effici] Tales peregrinos ab aliis, qui certae alicujus civitatis cives erant, multis modis differre, notavit *Anton. Schulting.* ad *Ulpianum Fragm. tit.* XX. §. 14. *pag.* 631. in *Juriſpr. antejuſt.* & ego quoque in *Select. Antiqq. cap.* IV. in fine.

CAP. XIV. Confer cum hoc capite *Jo. Gottl. Heineccii* Diſſertationem *de collegiis & corporibus opificum:* quae occurrit in *Opuſculis* ejus, *num.* IX. in qua *cap.* 1. haec doctrina egregie ex antiquitatibus illuſtratur. Breviter quoque hac de re egerunt Viri Cel. *Chriſt. Gottl. Schwartzius* in *Diſſ. de Collegio Utriculariorum, Altorf.* 1714. *Jac. Cujacius Obſerv. lib.* VII. *cap.* 30. *Auguſtin. Campianus de officio & poteſtate Magiſtratuum, cap.* 58. *pag.* 192. *ſeqq.* Legi etiam meretur *Ulrici Huberi Tract. de Jure civitatis, lib.* II. *ſect.* 3. *cap.* 4. §. 7. *ſeqq.*

(*d*) Instituta] Quaenam illa ſint, ſatis diligenter ex Plutarcho explicavit *Heineccius Diſſ. all.* §. 4. *ſeqq.* Tarquinium vero Superbum illa non ſalva reliquiſſe, ſed omnia omnino collegia ſuſtuliſſe, partim ex verbis Dionysii, partim ex tyrannico Tarquinii ingenio colligunt eruditi. Quamvis fatendum ſit, Dionysium nullam diſerte collegiorum opificum mentionem feciſſe: ſed narrare tantum, Tarquinium ſuſtuliſſe conventus curialium, vicinorum & paganorum, qui communium ſacrorum cauſa fiebant, ex inſtituto Servii Tullii: (vid. Dionysius *lib.* IV. *pag.* 219. *ſeq.*) quos deinde ſtatim, exactis regibus, denuo inſtituerunt primi Conſules, ut idem auctor *lib.* V. *p.* 278. teſtatur. Libera deinde republica non tantum vetera collegia reſtituta, ſed & nova ſubinde inſtituta fuiſſe, probatur in *Heineccii Diſſ. all.* §. 10. & 12. Quamvis vero leges XII. Tabularum collegia licita approbaſſe videntur: (uti ex *l. ult. D. de colleg. & corp.* colligit *Heineccius l. c.*) eaedem tamen leges illicitos coetus, maxime nocturnos, ſub graviſſimae poenae comminatione, prohibuerunt: id quod lex Gabinia poſtea confirmavit. (Vid. Porcii Latronis *Declamat. adverſ. Catilin. cap.* 19. ibique *Gottl. Cortii* notas, qui de harum legum exiſtentia dubitat, quia praeter hunc Declamatorem nemo veterum earum mentionem fecit). Semper quoque Senatui Magiſtratibusque curae fuit, ne coetus collegiave contra rempublicam orirentur. (Vid. Livius *lib.* II. *cap.* 28.) Ex Magiſtratibus haec cura praecipue Aedilibus incubuiſſe videtur, quorum vices noctu tenebant triumviri nocturni: Senatum vero per varia decreta huic rei medelam adhibuiſſe in hiſtoria Romana deprehendimus. Quatenus in ſpecie religionis cauſa apud Romanos coire licuerit, vel non, diſquirit *Cornelius van Bynkershoek* in Diſſertatione *de cultu religionis peregrinae*, quae exſtat *Tom.* II. *Opuſculorum.* Adde *S. H. van Idſinga Var. J. C. cap.* 1.

nia diſſolvit, quemadmodum DIONYSIUS HALICARNASS. *lib.* IV. *p.* 246. his verbis refert: Συνόδους τε συμπάσας, ὅσαι πρότερον ἐγίνοντο, κωμητῶν, ἢ φρατριαστῶν, ἢ γειτόνων, ἔντε τῇ πόλει καὶ ἐπὶ τῶν ἀγρῶν, ἐφ' ἱερὰ καὶ θυσίας, πάσαις κοινῇ προεῖπε μηκέτι συντελεῖν, ἵνα μὴ συνιόντες εἰς τὸ αὐτὸ πολλοὶ βουλὰς ἀπορρήτους μετ' ἀλλήλων ποιῶνται περὶ καταλύσεως τῆς ἀρχῆς. *Praeterea coetus omnes paganorum, curialium, vicinorum, vel in agris, vel in urbe, antea ſacrorum cauſa fieri ſolitos, uno edicto in poſterum vetuit, ne multis in unum locum convenientibus, arcana de convellenda tyrannide inirentur conſilia.* Senatuſconſulta vero, quibus collegia, quae contra leges inſtituta eſſe videbantur, ſublata ſunt, tria memorantur: unum a PAEDIANO in *Piſonian. p.* 158. *ſeq.* quod L. Caecilio & Q. Martio Coss. (*a*) factum eſt. Alterum a CICERONE *lib.* II. *epiſt.* 3. ad *Q. Fratrem*, quod Lentulo & Metello Coss. (*b*) Tertium a TACITO *lib.* XIV. *Annal. cap.* 17. Neronianis temporibus factum, cum de contentione inter colonos Nucerinos Pompejanosque orta ad Senatum relatum eſſet. Principum de eadem re Conſtitutiones a Julio Caeſare repetemus, quem bellis civilibus compoſitis collegia cuncta, praeter antiquitus conſtituta & legitima, diſſolviſſe SUETONIUS in ejus vita *cap.* 42. refert. Quod ipſum & ab Auguſto poſtea factum, (*c*) cum plurimae factiones titulo collegii novi ad nullius non facinoris ſocietatem coiſſent, idem auctor in *Auguſt. cap.* 32. ſcribit. Mandatis quin etiam principalibus, quae Praeſidibus dabantur, caput hoc inſertum accepimus, ut ne collegia ſodalitiave eſſe Praeſides provinciarum paterentur, neve milites collegia in caſtris haberent. Idque non tantum in urbe, ſed in Italia & in provinciis locum habere, Divus quoque Severus reſcripſit *l.* 1. *D. de colleg. & corp.* Unde TERTULLIANUS in *lib. de Jejunio: cap.* 13. *Niſi forte in ſenatuſconſulta & in principum mandata coitionibus oppoſita delinquimus.* Qua de cauſa etiam Judaeorum (*d*) religionis cauſa conventus in provinciis praeſides proconſulesque inhibebant, quoad illis ſacrorum ſuorum cauſa coire Auguſtus epiſtola ad Norbanum Flaccum Aſiae Proconſulem praeſidesque provinciarum miſſa permiſit, quemadmodum PHILO in *Oratione* ad *C. Caeſarem*, *pag.* 1035. *ſeq.* refert, qui & ab eo Principe, uti collegium Judaeorum eſſe pateretur, impetravit, quod tamen ſtare poſtea Claudius paſſus non eſt, qui omnes Judaeorum ſocietates univerſitatesque, & inſtituta a Caligula conciliabula, ut DION *lib.* LX. *pag.* 669. auctor eſt, diſſolvit, poſt quem deinde Antoninus Judaeorum univerſitati, velut publice improbatae, legari nihil poſſe reſcripſit, *l.* 1. *C. de Judaeis.* Ut enim legitimis approbatisque collegiis & hereditates & legata dari reſtituique (*e*) Senatuſconſultis Marci, ut opinor, temporibus factis, concedebatur. *l.* 20. *cum ſenatus D. de rebus dub. l.* 26. *omnibus. D. ad SC. Trebellian.* ita illicitis atque illegitimis collegiis nihil jure relinqui poterat. *l.* 8. *collegium. C. de bered. inſtituend.* Licita porro & legitima collegia ea demum habebantur, quibus coëundi jus lege, vel Senatuſconſulto permiſſum eſſet. *l.* 5. *ſemper.* §. 12. *quibuſdam. D. de jure immunit. l.* 1. *D. Quod cujuſ. univerſ.* Collegia primus Numa conſtituit artificum, αὐλητῶν, χρυσοχόων, τεκτόνων, βαφέων, σκυτοτόμων, σκυτοδεψῶν, χαλκέων, κεραμέων. τὰς δὲ λοιπὰς τέχνας εἰς ταὐτὸ συναγαγὼν, ἓν αὐτῶν ἐκ πασῶν ἀπέδειξε σύστημα. *Tibicinum nempe, Aurificum, Fabrum, Tinctorum, Sutorum, Coriariorum, Aerariorum, Figulorum. Reliquas artes in unum coëgit, fecitque ex omnibus corpus unum.* Hoc PLUTARCHUS in *Numa*, *pag.* 71. (*p.* 246.) Quo in genere ſingulorum, fabrorum aerariorum, piſtorum, tibicinum, aurificum, cerdonum, coriariorum, lictorum, viatorum, publicanorum, naviculariorum, & eorum, qui annonae urbis ſerviebant, collegia in veterum libris recenſentur (*f*). Invenio & in Antiquis Inſcriptionibus, & in *Cod. Theodoſ.* centonariorum

(*a*) MARTIO COSS.] Nimirum A. U. C. 686. (juxta aeram *Varron.*) quod ipſum illud SC. eſt, cujus idem auctor in *Orat. Cicer. pro Corn. p.* 137. mentionem facit. Confer *Heinecc. Diſſ. all.* §. 14.

(*b*) METELLO COSS.] Nempe A. U. C. 697. cui Clodii factiones occaſionem dederunt. Vide *Heinecc. Diſſ. all.* §. 15.

(*c*) FACTUM] Idque eo conſilio forte Maecenatis apud DIONEM CASSIUM *lib.* LII. *pag.* 484.

(*d*) JUDAEORUM] Late hac de re egerunt *Corn. van Bynkersboek* in *Diſſ. all. pag.* 190. *ſeqq.* & *Jo. Gottl. Heineccius* in *Diſſ. all.* §. 17.

(*e*) RESTITUIQUE] Collegia & corpora omnia, ſi vel maxime licita, utpote perſonae incertae, olim non poterant heredes inſtitui, neque legata capere: poſtea SC. permiſſum, ut iis legata & fideicommiſſa relinquerentur. Leo vero Imp. demum permiſit in *l.* 12. *C. de bered. inſtit.* ut & directe heredes inſtituerentur. Vid. *Heinecc. Diſſ. cit.* §. 27. *ſeq.* & *Tract.* meam de *Teſtament. cap.* III. §. 67. *p.* 217. *ſeq.*

(*f*) RECENSENTUR] De his multisque aliis, praeter *Heinecc. Diſſert. all.* & *Interpp.* ad *tit. Cod.* utriusque *de excuſat. artific.* & ad *l. ult. D. de jure immunit.* conferri poteſt *Guidonis Pancirolli* Tractatus *de corporibus artificum*, qui tum ad calcem *Notitiae ejus utriusque Imperii*, tum *Tom.* III. *Theſauri Antiqq. Rom. Graev.* reperitur. Praeterea quoque *Indices* ad *Collectiones Inſcriptionum* conſuli poſſunt. Hujusmodi vero corpora & collegia non tantum in ipſa urbe Roma, ſed & in Coloniis & Municipiis fuiſſe probat *Marcus Velſerus Rer. Auguſto-Vindelic. lib.* V. *pag.* 276. *ſeq.* Eſt & id adhuc notandum, in collegiis artificum & opificum etiam ſervos eſſe potuiſſe. Vid. CICERO *poſt Redit. in Sen. cap.* 13. & *pro Sextio cap.* 15. & *in Piſon. cap.* 4. ibique Interpretes.

riorum ac dendrophororum (*a*) corpus: menſorum item frumenti, in *l.* 10. *ab his.* §. 1. *D. de vacat. mun.* Item vinariorum, lupinariorum, & caligariorum apud Lampridium in *Alexandro c.* 33. a quo principe omnium artium corpora inſtituta, hisque ex ſeipſis defenſores datos idem auctor ſcribit, defenſores appellans, quos & ſyndicos dicimus, quemadmodum in *l.* 1. §. 13. *tutores. D. Quand. appell. ſit. l.* 2. & 16. §. *ult.* & *l. ult. D. de munerib. & honor.* Praeter quos etiam patronum ſibi aliquem collegia quaeque conſtituebant, cujus rei in inſcriptionibus antiquis teſtimonia reperiuntur (*b*). Hujuſmodi vero collegiis arcae communis habendae, pecuniaeque in commune cogendae jus competebat. Manumittendorum quoque ſervorum poteſtatem his conceſſiſſe Marcus dicitur. *l.* 1. *D. de libert. univerſit.* Quorum omnium nihil illicitis collegiis tribuebatur. Illicita autem exiſtimabantur utique omnia, quae non ex Senatus Principiſve auctoritate coiſſent. Aliter enim nova collegia jure inſtitui non potuiſſe argumento eſt, quod Bithyniam Proconſule regens Plinius, cum e re Nicomedenſium civitatis exiſtimaret, fabrorum collegium inſtitui, id, ut facere ſibi liceret, a Trajano per litteras, *lib.* x. *n.* 42. *Epiſtol. ſuarum* petit: Cujus tamen petitioni Trajanus adſenſus non eſt, veritus, ne, quod alias acciderat, collegiorum factionibus ea civitas vexaretur. (*Ep.* 43. *ap. Plin.*) Caeterum qui illicitum collegium coiſſe dicebantur, Romae apud Praefectum urbi accuſabantur (*c*). *l.* 1. §. *ult. D. de offic. praefect. urbi.*

CAP. XV.

De jure nundinarum.

Collegiis nundinas adjungamus, quas ne in privatis quidem praediis ad arbitrium inſtituere cuique permittebatur, ſed accedere Principis vel Senatus auctoritatem neceſſe erat. A Principe peti ſolitum nundinarum habendarum jus, indicio eſt *l.* 1. *D. de nundin.* in qua ita eſt: *Nundinis a Principe impetratis, non utendo qui meruit, decennii tempore uſum amittit.* A Senatu vero impetratum jus hoc quoque fuiſſe, Plinius *lib.* v. *Epiſtol.* 4. ad *Valerianum* oſtendit. *Solers*, ait, *vir praetorius a ſenatu petiit, ut ſibi inſtituere in agris ſuis nundinas permitteretur. Contradixerunt Vicentinorum legati.* Atque ita Claudium Imperatorem, legibus publicis ſeipſum ſubjicientem, jus nundinarum in ſua praedia a Conſulibus (*d*) petiiſſe accepimus, ut eſt a Suetonio in ejus vita *cap.* 12. relatum.

CAP. XVI.

De Principum orationibus.

Ampliſſimi ordinis auctoritas, ex quo unius dominatu omnia teneri coepere, valde fracta & imminuta eſt (*e*): a bonis tamen Principibus aliquatenus in eo retenta, quod, quae conſtituturi eſſent, orationibus complexi (*f*), de his cenſendi arbitrium Senatui relin-

(*a*) Dendrophororum] De hiſce doctiſſime egit Vir Cel. *Franc. Car. Conradi* in *Parergis Part.* 1. *n.* 2.

(*b*) Reperiuntur] Vide *Indices* ad *Collectiones Inſcriptionum*, & confer *Henr. Noriſii Cenotaphia Piſana, Diſſ.* II. *cap.* VII. *Philippi a Turre Monumenta veteris Antii Part.* 1. *cap.* XI. *Marcelli Donati Dilucid.* ad *Sueton. pag.* 555. *ſeqq. Tom.* VI. *Theſ. Crit. Grut.* Praeterea notandum, Collegia & corpora ſuos etiam habuiſſe Praefectos, Magiſtros, Decuriones, ut probarunt *Marc. Velſerus l. c.* & *Sertorius Urſatus* in *Op.* de *Notis Rom.* paſſim.

(*c*) Accusabantur] Referebatur hoc delictum ad crimen laeſae majeſtatis, & hinc quoque eadem poena ei erat impoſita. Vid. *Heinecc. Diſſ. ill.* §. 22.

CAP. XV. Confer ad hoc caput *Marcelli Donati Dilucidationes* ad *Suetonium pag.* 644. *ſeqq. Tom.* V. *Theſ. Crit. Gruteri. Petri Gregorii Tholoſani Synt. Juris lib.* XXV. *cap.* 3. quod inſertum eſt *Tom.* VIII. *Theſ. Antiqq. Graec.*

(*d*) Consulibus] Ut illi ſcilicet hac de re ad Senatum referrent: nam propria auctoritate Conſules hoc concedere potuiſſe, prorſus non eſt probabile.

CAP. XVI. Ad hoc ſequensque caput, praeter ſcriptores hiſtoriae juris, conſulenda *Chriſt. Otton. a Boeckelen* Diſſertatio *de Orationibus Principum*, quae occurrit in *Opuſc. de ſectis & philoſophia JCtorum, editis a Gottl. Slevogt, Jenae* 1724. 8vo. Legi etiam meretur *Praelectio* X. in *Henr. Dodwelli Praelect. Camden. ed. Oxon.* 1692. 8vo.

(*e*) Imminuta est] In ſpeciem quidem Senatus auctoritas aucta eſt ſub Imperatoribus, poſtquam ſcilicet a Tiberii usque tempore, comitiis ex campo in curiam translatis, (vid. Tacitus *Annal. lib.* 1. *cap.* 15.) omnia, quae olim per populum fiebant, ſenatus arbitrio peragebantur. Sed hoc fuit tantum ſimulacrum libertatis: Senatus enim in ſententiis ferendis totus a Principis arbitrio dependebat: (Vid. Plinius *lib.* III. *Epiſt.* 20.) immo & ipſa SCta a Principe confirmari debebant. Hinc non audebant Conſules relationem de aliqua re ignaro Principe inſtituere: (vid. Tacitus *Annal. lib.* XIII. *cap.* 26.) neque Senatusconſultum perficere, antequam Principis ſententiam exploraſſent: ſed perſcribebant tantum conſenſum Senatus. (vid. Tacitus *Annal. lib.* XIV. *cap.* 49. & *lib.* XV. *cap.* 22.) Confer *Chriſt. Gothofr. Hoffmanni Hiſtor. Jur. Tom.* 1. *pag.* 288. *ſeq. Petri Burmanni Diſſert. de vectigalibus populi Rom. cap.* VI. *pag.* 85. *ſeqq. ed. novae: Jo. Gottl. Heineccii Synt. Antiqq. Rom. lib.* 1. *tit.* 2. §. 45. ejusque *Hiſtoriam Edictorum lib.* 1. *cap.* 9. in *Opuſc. poſt. Tom.* 1.

(*f*) Complexi] Ita Auguſtus, teſte Suetonio in ejus vita, *cap.* 84. nunquam in Senatu (quemadmodum etiam apud populum atque milites.) niſi meditata & compoſita oratione locu-

tus

relinqnebant. Cujuſmodi multae libris noſtris memorantur in ſenatu recitatae Principum orationes, *l.* 1. & *l.* 2. *D. de feriis. l.* 2. *D. de fugit. l.* 32. *cum hic ſtatus D. de donation. inter vir. l.* 8. *cum hi. D. de transact. l.* 16. *oratio. D. de ſponſal. l.* 1. §. 1. *D. Ne de ſtat. defunct. l.* 4. *D. ſi libert. ingen. eſſe dic.* Eas vero orationes patrum conſultum, quemadmodum *lex* 16. *oratione. D. de ritu nupt.* indicat, ſtatim ſubſequebatur. Tacitua *lib.* xi. *Annal. c.* 25. *Orationem Principis ſecuto Patrum conſulto, primi Hedui ſenatorum in Urbe jus adepti ſunt.* Exemplo erit Senatusconſultum de petitione hereditatis, quod ad orationem Hadriani factum, ex *l.* 20. *item veniunt.* §. 6. *praeter. l.* 40. *illud. l.* 22. *ſi & rem D. de petit. heredit.* & *l.* 1. *C. eodem tit.* perſpicue intelligimus. Atque hinc fit, ut quod uno in loco oratione inductum traditur, id alias Senatusconſulto citra ullam plane pugnam atque diſcordiam triboatur. Ut ecce, de alimentis teſtamento relictis ſine Praetoris auctoritate tranſigi interdum oratione, interdum Senatuſconſulto prohibitum dicitur. *l.* 8. *cum hi. D. de tranſact. l.* 23. *eleganter.* §. 2. *D. de condict. indeb.* Alienatio rerum minoris oratione & Senatusconſulto interdicta promiſcue dicitur. *l.* 1. & *l.* 12. *non fit D. de rebus eor. l.* 1. *l.* 7. *ſi ad reſolvendam. C. de praed. min. l.* 2. *C. ſi quis ignor. rem minor.* Et quod Senatusconſulto Orphitiano plerumque vindicatur, oratione Imperatorum Antonini & Commodi in Senatu recitata factum, *Ulpianus* in *Inſt. tit.* xxvi. §. 7. & *Cajus* in *l. penult. D. ad Senatusc. Tertyllian.* ſcribunt. Amplius quod Senatusconſulto cautum conſtitutumque crebro legimus, ne tutor pupillam vel ſibi, vel filio ſuo, nuptum collocet. *l.* 1. *C. de interd. matrim. l.* 4. *ampliſſimi. C. de excuſ. tut. l.* 59. *Senatusconſulta. l.* 64. *libertum.* §. 1. *D. de rit. nup. l. ult. D. de legat.* 1. *l.* 2. *D. de his, quae ut indign. l.* 7. *D. ad l. Jul. de adult.* id orationi D. Marci adſcribitur in *l.* 60. *ſi quis tutor.* §. 5. *quamvis. & l.* 67. *non ſolum.* §. 2. *ſed etſi filiusfam. D. de rit. nupt. l.* 17. *D. de excuſat. tutor.* Quae omnia ea ratione non eſſe contraria defendetur, quod Senatui eorum cenſendorum orationibua in Senatu recitatis Imperatores auctores fuerint. (*a*).

CAP. XVII.

De Quaeſtorum ſub Imperatoribus munere.

Movet me proxime habitus de Orationibus Principum ſermo, ut de Quaeſtorum officio, per quoa eae plerumque recitabantur, quae legendo adnotavi, in medium adferam, eoque magis, quod inde *lex unica D. de offic. Quaeſtoris*, illuſtrabitur, in qua Quaeſtores libria Principalibus epiſtolisque in Senatu legendis vacaſſe, & *Candidatos Principis* (*b*) appellatos Ulpianus ſcribit: quo ſenſu

tus eſt: & ne periculum memoriae adiret, aut in ediſcendo tempus abſumeret, recitare omnia inſtituit. Quod quidem a vetere conſuetudine non abhorret. Nam & libera republica Conſules aliive magiſtratus, qui ad Senatum referebant, prolixam ſaepenumero praemittere ſolebant orationem, ut cuivis ex veterum ſcriptis obvium eſt. Nec morem e ſcripto recitandi incognitum plane antea fuiſſe, patet ex Cicerone *Philipp.* x. *cap.* 2. & *Famil. lib.* x. *Epiſt.* 13. Quamvis negandum non ſit, morem hunc ab Auguſti demum temporibus frequentiorem multo factum fuiſſe: quemadmodum & Auguſtus primum inſtituiſſe videtur morem illum per alium recitandi: non tantum in Senatu, ſed & apud populum, (vid. Suetonius in *Aug. cap.* 84.) & apud milites: (vid. idem in *Ner. cap.* 25.) quae omnia ad Principis majeſtatem augendam comparata fuiſſe, facile perſpicitur.

(*a*) Fuerint] Hinc Orationes Principum, ut & ipſa Senatusconſulta, interdum etiam Leges vocantur. Vide *Gerardi Noodt Comm.* ad *Pandect. pag.* 62. *Georg. d'Arnaud Conject. lib.* 11. *cap.* 20. Hinc denique Principum Orationes plerumque in aes quoque incidebantur. Vide *Juſti Lipſii notas* ad *Taciti Annal. lib.* xiii. *cap.* 4. Obiter adhuc notandum eſt, Orationes proprie dictas fuiſſe, quae Principe praeſente in Senatu recitabantur; Libellos vero, ſive Epiſtolas, quae ab illo abſente ad Senatum mittebantur, ut per Quaeſtorem recitarentur: licet hoc diſcrimen non ſemper fuerit obſervatum. Vid. *Jac. Guther. de Offic. dom. Aug. lib.* 1. *cap.* 30. *Iſaac. Caſaub. not.* ad *Suet.* in *Tib. c.* 65. *Jo. Gottl. Heinecc.* ad *Edict. perp. pag.* 451. *ſeq. Opuſc. poſt.*

CAP. XVII. Ad hoc caput praeter ſcriptores de Magiſtratibus & de officiis domus auguſtae, confer praecipue *Jo. Frid. Mageri Diſſert. de Candidatis Principis, Lipſ.* 1733. *Marcelli Donati Dilucidationes ad Sueton. pag.* 700. *ſeqq. Tom.* vi. *Theſ. Crit. Grut. Theodori Marcilii Comm.* ad *Sueton. Tit. cap.* 6. *Valeſii notas* ad *Ammian. Marcell. lib.* xv. *cap.* 5. *Giſb. Cuperi* & *Otton. Sperlingii Epiſtolas mutuas*, in *Jo. Poleni Suppl. Theſ. utriusque Antiqq. Tom.* iv. *pag.* 151, 154, 160, 162, 167, 171, 176, 178, 197, 200, 204.

(*b*) Candidatos Principis] Candidati Principis in genere appellabantur omnes ii, quos Princeps in magiſtratus petitione populo primum, & deinde, comitiis ex campo in curiam translatis, ſenatui commendabat. (Vid. Suetonius in *Auguſto cap.* 56. Tacitua *Annal. lib.* i. *cap.* 15.) In ſpecie vero Quaeſtores illi, qui libellos, orationes, epiſtolasque Principis in ſenatu recitabant, quia hoc munus auſpicium veluti majorum honorum erat, & quia exacto hoc munere majores ſtatim magiſtratus, praeturam plerumque, Principis commendatione accipiebant, idque ſine ulteriore petitione. Hi enim per ipſum munus quaeſtorium aſſequebantur, quod alii per petitionem: hinc eos in ipſo hoc munere candidam togam geſtaſſe, opinor. Lampridius in Alexandro Severo, *cap.* 43. *Quaeſtores*, inquit, *Candidatos ex ſua pecunia juſſit munera populo dare, ſed ut poſt quaeſturam praeturas acciperent, & inde provincias regerent.* Hinc ſaepe in Inſcriptio-

Digitized by Google

ſenſu Candidati nomen apud VELLEJUM PATERCULUM *lib. poſteriore c.* 124. accipiendum cenſeo, (*a*) cum ita ſit: *Quo tempore mihi fratrique meo Candidatis Caeſaris proxime a nobiliſſimis ac ſacerdotibus viris deſtinari Praetoribus contigit.* Fuiſſe vero hoc Quaeſtorum ſub Caeſaribus munus; (*b*) ut orationes Caeſarum recitarent, multa declarant: illud inprimis, quod SUETONIUS *in vita Ner. c.* 15. Neronem refert praeterito Quaeſtoris officio per Conſules plerumque recitaſſe. Cujus & illud eſt in *Tito cap. 6. Recepta ad ſe prope omnium officiorum cura, cum patris nomine & ipſe epiſtolas dictaret, & edicta conſcriberet, orationesque in Senatu recitaret etiam Quaeſtoris vice, Praefecturam quoque praetorii ſuſcepit.* TACITUS *lib.* XVI. *Annal. c.* 27. *Inter quorum aſpectus & minas ingreſſi curiam ſenatores, & oratio Principis per Quaeſtorem ejus audita eſt.* DIO *lib.* LIV. *pag.* 539. Συναγαγὼν δὲ ἐκ τούτου τὸ βουλευτήριον, αὐτὸς μὲν οὐδὲν εἶπεν ὑπὸ βράγχου, τὸ δὲ δὴ βιβλίον τῷ ταμιείῳ ἀναγνῶναι δοὺς, τά τε πεπραγμένα οἱ κατηριθμήσατο. *Deinde convocato ſenatu, ipſe gravedine laborans nihil locutus, Quaeſtori libellum recitandum dedit, quo res ab eo geſtae recenſebantur.* Idem *lib.* LX. *pag.* 665. de Claudio. Καὶ οὐ πάντα, ὅσα ἐς τὸ συνέδριον εἰσέφερεν, αὐτὸς ἀνεγίνωσκεν, ἀλλὰ τῷ ταμιείῳ τήν γε πρώτην καὶ παρὼν ὡς γε πλῆθει ἀναλέγεσθαι ἐδίδου. *Itaque non omnia ipſe ſua voce pronunciabat, de quibus in ſenatu referret, ſed recitanda fere Quaeſtori, idque praeſens ipſe initio dabat.* Apud CASSIODORUM *lib.* VI. *hiſtor. tripart. cap.* I. ex Socrate traditur, ſolum Julianum a Julio Caeſare in curia ſenatui orationes recitaſſe: ſed haec verba Graeco Codice SOCRATIS non habentur, (*c*) ſed haec dumtaxat *Hiſtor. Eccleſ. lib.* III. *cap.* I. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ διὰ νυκτερινῶν λόγους συνέγραφε, καὶ τούτους καθιεὶς εἰς τὴν συγκλήτου βουλὴν λόγους ἐπεδείκνυτο. *Porro noctu vigilans, orationes ſcribebat, easque poſtea procedens ex palatio in Senatu recitabat.* Nec vero ad orationes modo recitandas, ſed ad caetera omnia, quae vel abſentea, vel praeſentes, ſi laborem recitandi fugiebant, Senatui nota facere vellent, Quaeſtorum opera Principea utebantur, ut ex his SUETONII verbis apparet, quae ſunt in *Auguſto, cap. 65. De filia abſens, ac libello per Quaeſtorem recitato, notum Senatui fecit.*

CAP. XVIII.

Obſervata quaedam de uxorum ad viros deductione.

Poſſunt de antiquo nuptiarum ritu ex Pandectis nonnulla colligi: ne id quidem negligendum duxi, qui minuta quaeque Antiquitatis veſtigia ſtudioſe perſequor, quod ſaepe inter legendum occurrit, uxorem mariti domum deductam. *l.* 13. *ſi uxor.* §. 8. *ſi minor. D. ad leg. Jul. de adult. l.* 9. *quaeſitum. D. de ſponſal. l.* 2. *in fine. D. de privileg. credit. l.* 10. *haec conditio D. de condit. & demonſt. l.* 5. *ſi ut certo.* §. 10. *interdum. D. commod. l.* 68. *dotis promiſſio. l.* 69. *cum poſt.* §. 3. *in domum. D. de jur. dot. l.* 32. *cum hic ſtatus.* §. 27. *ſi quis ſponſam. D. de donat. inter vir. l.* 2. *D. de his, quae ut indign.* Quibus omnibua vetus Romanorum mos in mariti domum novas nuptas traducendi demonſtratur, qui etiam *l.* 15. *cum fuerit. D. de condit. & demonſtrat.* & *l. penult. D. de donat. int. vir.*

ſcriptionibus occurrit QUAESTOR KANDIDATUS. Vid. *Heinecc. Synt. Antiqq. lib.* I. *tit.* 2. §. 45. Utriusque generis Candidati Principis haud raro confunduntur a ſcriptoribua etiam doctiſſimis: v. g. a *Petro Burmanno*, dum in *notis* ad *Quinctil. lib.* VI. *cap.* 3. *pag.* 547. ita loquitur: *Sublatis deinde populi comitiis, candidati Caeſaris vel Principis dicti Quaeſtores.*

(*a*) CENSEO] Ego vero cum *Schegkia* in notis ad *h. l.* Paterculum cum fratre Candidatum Caeſaris in ſenſu generaliori tantum fuiſſe exiſtimo: noſtrum ſane Vellejum non Quaeſtorem Candidatum fuiſſe liquet ex *cap.* CXI.

(*b*) MUNUS] Quaeſtoribus vero ideo hoc munus demandatum fuiſſe videtur, quia & libera republica non tantum Quaeſtura primus honoris gradus, ſententiaeque in ſenatu dicendae, habebatur: (vid. CICERO. *Provem. Act. in Verr. cap.* 4. ASCON. in *Ciceron. Divin. cap.* 10. *pag.* 29. *L. unic.* §. 3. *D. de offic. quaeſt.*) ſed quia Quaeſtores etiam veluti majorum magiſtratuum adminiſtri erant. Hinc Principes hoſce Quaeſtores tanquam proprios ſuos adminiſtros ſibi adſumebant, & ideo quoque *Quaeſtores Principis, Caeſaris, Auguſti, Imperatoris* vocantur. Quod eo minus mirandum, quum jam tempore triumviratus A. U. C. 716. inſtitutum fuerit, ut ſinguli Conſules, etiam in urbe, duos ſibi Quaeſtores adjunctos haberent, teſte DIONE CASS. *lib.* XLVIII, *pag.* 383. De his *Quaeſtoribus Conſulum* conferri poſſunt *Henr. Dodwelli Praelect. Camden. Pr.* XI. §. 2. & *Jo. Maſſoni Vita Plinii Jun. pag.* 51. *ſeqq.*

(*c*) HABENTUR] Sed poſt verba ab auctore adducta ſtatim ſequuntur apud SOCRATEM verba illa, quae *Caſſiodorus* prae oculis habuit: Μόνος γὰρ βασιλέων ἀπὸ Ἰουλίου Καίσαρος πρῶτος εἰς τὴν τῆς συγκλήτου βουλὴν λόγους ἐπεδείκνυτο. *Quippe ex Imperatoribus, qui a Julio Caeſare ad noſtram usque aetatem regnarunt, ſolus hic & primus orationes in curia recitavit.* Neſcio ergo, num auctor mancum forte exemplar prae oculis habuerit; an vero per ſimilitudinem clauſulae utriusque periodi deceptus fuerit.

CAP. XVIII. De jure connubii & ritu nuptiarum quum ipſe auctor, tum multi alii ex inſtituto ſcripſerunt. In hoc capite quaedam tantum, quae ad ſollemnem domum deductionem pertinent, delibantur, quorum uberior illuſtratio quum ex ſcriptis illis cuivis obviis facile peti poſſit, nos non erimus hoc loco prolixiores. Confer interim *Alexandri ab Alexandro Dier. Genial. lib.* II. *cap.* 5. ibique virorum doctorum notas.

vir. & hiſce, quos ſubjeci, locis perſpicue comprobatur. TACITUS *lib.* XII. *Annal. c.* 5. *Nullo exemplo deducta in domum patrui fratris filia.* Idem *lib.* XIV. *Annal. cap.* 63. *Huic primus nuptiarum dies loco funeris fuit, deductae in domum, in qua nihil niſi luctuoſum haberet.* SENECA *lib.* III. *Controverſiarum*, *num.* 21. *Cum infelici face ad dotalem ſuum nova nupta deduceretur, ſi qua fides eſt, exhorrui.* SIDONIUS APOLLINARIS *lib.* I. *Epiſt.* 5. *Et nondum tamen cuncta thalamorum pompa defremuit: quia necdum ad mariti domum nova nupta migravit.* AUGUSTINUS *lib.* VI. *de Civitate Dei*, *cap.* IX. *Sed domum ducenda eſt, quae nubit, adhibetur Deus Domiducus.* Sic enim eum deum, qui ei ſollemni deductioni praeerat, appellabant, ejuſmodique epitheto MARCIANUS CAPELLA *lib.* II. *de Nup. Philologiae*, *pag.* 47. Junonem ornat. (*a*) Ab hoc autem more manavit, quod dicimus *uxorem ducere:* nam id praeciſe dicitur: etenim cum dicimus, *uxorem ducere*, deeſt, *domum.* Plene autem ac perfecte ſic enuntiatur: *Uxorem domum ducere.* TERENTIUS *Hecyr. Act.* I. *Sc.* I. *v.* 5.

Nunquam ſe illa viva uxorem ducturum domum.

Et alias, *ead. Act.* I. *ſc.* 2. *v.* 60.

Ut ad pauca redeam, uxorem deducit domum.

Idem *Phormion. Act.* IV. *ſc.* 4. *v.* 12.

Dotem ſi accipiet, uxor ducenda eſt domum.

PLAUTUS *Aulular. Act.* II. *ſc.* I. *v.* 28.

Volo te uxorem domum ducere.

Et alio ejuſdem Comoediae loco, *Act.* III. *ſc.* 5. *v.* 6.

Ut indotatas ducant uxores domum.

Eodemque modo Graeci *ἄγειν γυναῖκα* imminute dicunt, apud quos iſta quoque deductio in uſu fuit. LYSIAS in *orat. de Eratoſthenis caede: pag.* 4. (92. *al.* 86.) Ἐπειδὴ ἔδοξέ μοι γῆμαι, καὶ γυναῖκα ἠγαγόμην εἰς τὴν οἰκίαν. *Ubi mihi in animo ſtatutum erat nuptias contrahere, & uxorem domum duxeram.* POLLUX *lib.* III. *Onomaſt. cap.* 3. *ſect.* 41. *pag.* 286. Ὁ δὲ ἄγων τὴν νύμφην ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οἰκίας, νυμφαγωγὸς, ὁπότε μὴ ὁ νυμφίος μετίοι· οὐ νενόμιστο δὲ μετιέναι τοὺς δευτερογαμοῦντας. *Qui vero ſponſam ex patris aedibus ducit, ſponſae ductor dicitur, quando ſcilicet ſponſus ipſe ſponſam non arceſſit: non ſolent autem ipſi ſponſam traducere bigami.* Ab eadem etiam conſuetudine & illud profectum eſt, quod NONIUS MARCELL. *lib.* II. *n.* 432. notat, *innubere* a veteribus dictum pro *tranſire*, quod, quae nuberent, ad maritorum domus tranſirent. Atque hac de cauſa abſenti per litteras vel nuntium poſſe mulierem utiliter nubere, noſtris placet, ſi in domum ejus deducatur. Abſentem vero mulierem ex litteris ſuis vel nuntio ſuo duci non poſſe, quia deductione in mariti domum quaſi in domicilium matrimonii opus eſſet (*b*). *l.* 5. *mulierem. D. de rit. nupt. l.* 69. *cum poſt.* §. 3. *in domum. D. de jur. dot. Vir abſens*, ait PAULUS *lib.* II. *Sent. tit.* XIX. §. 8. *uxorem ducere poteſt, femina abſens nubere non poteſt.* Cujus differentiae hanc interpres rationem adfert, quod in abſentis domum, uxore a parentibus ejus vel amicis deducta, nuptiae celebrari poſſunt. Quod idem fieri non poteſt, ubi a viri domo uxor abeſt, quemadmodum a CONSTANTINO HARMENOPULO *lib.* IV. *Procb. Tit.* IV. §. 5. belle explicatur. Caeterum veſpere in maritorum domum uxores transferebantur, taedis ac facibus praeeuntibus. Noctu enim nubebant, quemadmodum SEX. POMP. FESTUS *lib.* XIV. *voc. patrimi* notat. Eaque ratio eſt, cur CATULLI *epithalamio* (*c*) noctem imminere pueri puellaeque moneant. Velatae (*d*) item domum deducebantur, ut TERTULLIANUS in *lib. de virginib. veland. cap.* XI. tradit, ingredientesque domus poſtes inungebant. Ex quo & uxorum nomen fluxiſſe DONATUS in *Terentium Hecyr. Act.* I. *ſc.* 2. *v.* 60. credit, & ISIDORUS *lib.* IX. *Etym. cap. ult.* probat (*e*). Sed haec alias.

CAP.

(*a*) ORNAT] Immo ipſe quoque AUGUSTINUS *de Civit. Dei*, *lib.* VII. *cap.* 3. Junonem *Domiducam* fuiſſe vocatam tradit: quod nullam involvit contradictionem: nam a parte ſponſi *Deus Domiducus*; a parte ſponſae *Juno Domiduca* huic actui praeerat. Juno enim communis omnium feminarum Dea erat tutrix: (vide FESTUM *voc. ſupercilia.*) & praeterea etiam nuptiarum praeſes, ut ab auctore noſtro in libro de *Ritu nuptiarum* abunde fuit probatum.

(*b*) OPUS ESSET] Solus quidem conſenſus facit nuptias: (*l.* 30. *D. de R. J. l.* 22. *C. de nupt.*) ad implementum tamen juſtarum nuptiarum domum deductio neceſſaria eſſe videbatur, ob religionem praeſertim Deorum Penatium, & quia uxor ſacrorum domeſticorum veteri jure particeps fiebat. (SENECA *Controv. lib.* III. *num.* 21. *Cui ſacra aliqua & penetralia, in quae deducatur uxor*) vid. *Jo. Gottl. Heineccii Elementa Juris civ. ſec. ord. Inſtit.* §. 148. & *Synt. Antiqq. lib.* I. *tit.* X. §. 4. Alias adhuc hujus ritus rationes ſuppeditavit *Jac. Gothofredus* in *Comm.* ad *l.* 6. *C. Theod. de tyronib. Tom.* II. *pag.* 377.

(*c*) EPITHALAMIO] Eſt Carmen LIX. juxta editionem *Scaligeri*, cujus initium: *Veſper adeſt. &c.*

(*d*) VELATAE] Velabantur enim Flammeo, teſte FESTO *voc. flameo*, & *voc. nuptias.*

(*e*) PROBAT] Adde SERVIUM ad *Aeneid. lib.* IV. *v.* 458.

CAP. XIX.

Exemplis demonſtrata antiqua ſervitutum recipiendarum formula.

In legibus mancipiorum (*a*) qualiter olim ſervitutum receptio (*b*) fieret, ſcitu ac cognitione dignum eſt. Id quod ego aliquot exemplis planum faciam. Unum ſumetur ex *l. 69. qui libertatis. §. 5. in fine. D. de evict.* ITINERA, ACTUS, QUIBUS SUNT, UTIQUE SUNT. Alterum ex *l.* 23. *ſi ſervitus. D. de ſervit. urb. praed.* quae ſervitutem luminum ita recipi ſolitam indicat: LUMINA UTI NUNC SUNT, ITA SINT. Quod in CICERONE quoque *lib.* 1. *de Orat. cap.* 39. obſervari poteſt. *Quo quidem*, ait, *in genere, familiaris noſter M. Bucculejus, homo neque meo judicio ſtultus, & ſuo valde ſapiens, & a Juris ſtudio non abhorrens, ſimili in re quodammodo nuper erravit. Nam cum aedes L. Fuſio venderet, in mancipio lumina uti tum erant, ita recepit.* Aliud promemus ex *l.* 17. *ſi arborem. §.* 3. *haec lex traditionis. D. de ſervit. urban.* de ſtillicidii ſervitute. STILLICIDIA UTI NUNC SUNT, ITA SINT. & ex *l.* 33. *cum in lege D. de contrab. emp.* FLUMINA, STILLICIDIA, UTI NUNC SUNT, UT ITA SINT. Quod etiam a VARRONE *lib.* IV. *de lingua Lat. c.* 5. *p.* 12. notatur. *Fluvius*, ait, *quod fluit, item flumen, a quo lege praediorum urbanorum ſcribitur:* STILLICIDIA FLUMINAQUE, UT ITA FLUANT CADANTQUE. Poſtremum nobis ſuppeditat *l.* 33. *cum debere. D. de ſervitutib. urb. praed.* PARIES ONERI FERUNDO UTI NUNC EST ITA SIT. CONSTANTINUS HARMENOPULUS. *lib.* 1. *Epit. tit.* IX. *in Schol.* §. 23. exemplum hujus formulae hujuſmodi Graece profert: Οἱ σταλαγμοὶ τῶν κεραμῶν, καὶ αἱ παράθυροι ὡς εἰσὶν σήμερον, ἔστωσαν· *Stillicidia tegularum & feneſtrae, ut hodie ſunt, permaneant.* Generalem vero receptionem HERENNIUS MODESTINUS in *l.* 39. *quaero. D. de act. empt.* ita conceptam profert: SERVITUTES SI QUAE DEBENTUR DEBEBUNTUR. quam ULPIANUS ita concipit: QUIBUS EST SERVITUS UTIQUE EST. *l.* 10. *quidquid. D. commun. praed.* Et de his ſervitutum exceptionibus accipiendum eſt illud SICULI FLACCI, in libro *de condition. agrorum. pag.* 10. *Privatae itaque*, ait, *viae ad finitiones agrorum non pertinent, ſed ad itinera eis praeſtanda, quae ſub exceptione nominari in emtionibus agrorum ſolent.*

CAP. XX.

Explicatur Pomponii in l. 2. de origine juris locus

Jus Civile per multa ſaecola inter ſacra ceremoniasque Deorum abditum, ſolisque Pontificibus notum fuiſſe (*c*), CICERO *pro Muraena, cap.* 11. & VALERIUS MAXIMUS *lib.* II. *cap.* 5. *ex.* 2. ſcribunt. *Ex quibus*, quemadmodum noſter POMPONIUS in *l.* 11. *§. 6. deinde ex his. D. de orig. jur.* ait, *conſtituebatur, quis quoquo anno praeeſſet privatis:* quae verba nondum quiſquam ex animi mei ſententia interpretatus eſt. Nam male, qui verbi *praeeſſe* vim cognitam non habebant, pro *privatis*, *privatus*, emendarunt. Uſus eſt vero eo vocabulo & idem auctor aliquot poſt interjectis verſibus, §. 7. *Augeſcente*, inquit, *civitate, & qui praeerant, genera agendi compoſuerunt* (*d*). Ego autem *praeeſſe*, juri dicundo praeeſſe, actionesque & judicia dare (*e*) interpretor, & ita quoque

acci-

CAP. XIX. Confer cum hoc capite Auctoris Opus de *Form. Sollemn. lib.* VI. *pag.* 475. & *pag.* 477. *ſeq.* (502. *ſeq.*) (500.)

(*a*) MANCIPIORUM] Qui praedium aliquod, ſive ruſticum, ſive urbanum, in alium rite per mancipationem transferre volebat, is in legibus adjici ſolitis omnia rei commoda & incommoda, adeoque etiam jura & ſervitutes, indicare tenebatur. Vide CICERONEM *de Offic. lib.* III. *cop.* 16. *ſeqq.* & *de Orat. lib.* 1. *cop.* 39. & confer *Tract.* meam *de Teſtament. cap.* III. §. 21. *p.* 114.

(*b*) RECEPTIO] *Recipere* in jure ſignificat partim *excipere*, partim *promittere* & in ſe *ſuſcipere*, (Vid. *Guil. Budaei Annot.* ad *Pand.* ad *l.* 5. *commun. praed. fol.* 115. *ſeq.*) Utraque hujus vocis ſignificatio hic locum habet.

CAP. XX. Ad hujus capitis illuſtrationem conferendi ſunt ſcriptores hiſtoriae juris & interpretes ad POMPONII Enchiridion. Quaedam etiam huc ſpectantia attulit *Jo. Hieron. Stenger* in *Diſſ. de jure formulario Rom. ſive de legis actionibus ex* XII. *Tabb. deſcendentibus*, *Lipſ.* 1709. qui quidem in hoc Pomponii loco explicando cum auctore conſentit, in eo vero fallitur, dum Pontificibus adſcribit jus legum ferendarum & comitiorum habendorum, nec non imperium & poteſtatem judiciariam: quorum nihil illis competiiſſe, certum eſt.

(*c*) FUISSE] Sive *repoſitum in penetralibus Pontificum*, ut loquitur LIVIUS *lib.* IX. *cop.* 46. Quamvis enim ad Pontifices proprie jus civile non pertineret, niſi quatenus cum religione eſſet conjunctum: (ut loquitur CICERO *de Legg. lib.* II. *cap.* 19.) videtur tameo antiquitus haec ſcientia apud ſolos Pontifices delituiſſe. Pontifices ergo ſoli illoc temporis ſimul fuerunt JCti, unde etiam poſterioribus temporibus, evulgatis jam hiſce myſteriis, permanſit principium illud, Pontificem neminem bonum eſſe, niſi qui jus civile cognoſſet. (Vide locum *Ciceronis* laudatum) Hinc ex hiſtoria juris perſpicere quoque poſſumus, maximos ſemper apud Romanos JCtos ſimul fuiſſe Pontifices. Confer infra *lib.* IV. *cap.* 16. quaeque ibi annotavimus.

(*d*) COMPOSUERUNT] Sed hanc lectionem, ab *Haloandro* excogitatam, jam alii ſatis exploſerunt. Optima lectio eſt: *augeſcente civitate, quia deerant quaedam genera agendi, &c.* vid. *Cornelii van Bynckershoek Praetermiſſa ad h.* §.

(*e*) JUDICIA DARE] Sed hoc pertinet ad magiſtratus, non ad juris interpretes, quales Pontifices

accipi contendo apud CICERONEM *lib.* 1. *de Oratore cap.* 10. in eo Craſſi (*a*) ſermone, qui, ut ab homine juriſperito, ex medio ſore petitis verbis contexitur. *Multisque praeeſſem*, inquit, *qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex jure manu conſertum vocarent.* Quod ita accipio, ut philoſophorum artem cum juris civilis ſcientia non eſſe conſerendam aequandamque ſentiens, de ea re ſi controverſia incidat, multis ſe judicia conſtituturum ſignificet, qui actione vel interdicto cum iis congredi non dubitent. Et ea quidem verba ſic a pleriſque intelligi audio, quaſi patrocinio ſuo deſenſurum ſe, conſilioque inſtructurum in eam contentionem deſcendentes, Craſſus ſentiat, quam illi eſſe verbi *praeeſſe* vim exiſtimant: cui quantum ex antiqua Latine loquendi conſuetudine conjicere ac meminiſſe poſſum, in hac ſententia locus non eſt: tam enim cauſarum actores, quam conſultos, qui litigantibus juris ſui perſequendi vias tradebant, & jus cauſarum actoribus, ut cum ASCONIO *ad Divinat. Cic. c.* 4. *pag.* 20. loquar, ſuggerebant, *adeſſe*, non *praeeſſe* dicebantur (*b*). Poſſunt innumerabilia de hac ſignificatione auctorum loca proſerri (*c*), illuſtriora aliquot, ex quibus hoc aperte oſtendatur, propoſuiſſe contentus ero. CICERO *pro Caecinna c.* 27. *Hoc loco percommode accidit, quod non adeſt is, qui paulo ante adfuit, & adeſſe nobis frequenter in hac cauſa ſolet, vir ornatiſſimus Caſus Aquilius.* Idem in *Topicis*, *c.* 17. *Privata judicia maximarum quidem rerum in Jureconſultorum mihi videntur eſſe prudentia, nam & adſunt multum, & adhibentur in conſilio, & patronis diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus haſtas miniſtrant.* QUINCTILIANUS *lib. ultimi cap.* 3. *Quid ſi forte juriſperitus illi non aderit?* Adde quod in Pomponio ea, quae Ciceroni adſtruitur, ferri interpretatio non poteſt: nec enim veriſimile eſt, Pontifices tela agentibus ſubminiſtraſſe, aut judicio contendentibus adſuiſſe (*d*). Et noſtram interpretationem hae quoque phraſes comprobant, quae in Cicerone noſtrisque auctoribus crebro occurrunt: *Quaeſtioni, judicio, juriſdictioni praeeſſe. l.* 10. *qui juriſdictioni. D. de juriſdict. l.* 81. *qui neque. D. de judic. l.* 1. *§.* 2. *poſtulare. D. de poſtul. l. ult. D. de aq. & aq. pluvia.*

tifices ſecundum Pomponium noſtrum. Si ergo fides quaedam hiſce Pomponii verbis habenda eſt, ita explicari debent, Pontifices unum quotannis ex collegio ſuo conſtituiſſe, qui interpretationi juris praeeſſet, adeoque & de jure publice reſponderet, ut poſtea omoes promiſcue fecerunt JCti. Sic etiam in explicatione hujus loci non ſatis caute locutus eſt *Jac. Raevardus Pro tribunal. cap.* 19. dum ait: *ut privatis in reddendo jure praeficeretur*: nam *jus reddere* ad magiſtratus pertinet: melius ergo dixiſſet: *in jure interpretando, & de jure reſpondendo.*

(*a*) CRASSI] CICERO eo loco non *Craſſum*, ſed *Scaevolam* loquentem introducit. *Praeeſſem* in illo loco idem eſt ac *auctor fuaſórque eſſem*: & ſic locus ſatis eſt planus, quem auctor verboſa ſua interpretatione obſcuriorem reddit. Confer de *h. l. Raevard. l. c. Adriani Turnebi Comm.* ad *Cic. de legg. lib.* 1. *cap.* 4. *pag.* 265. *ed. Daviſ. Benedicti Averanii Diſſ.* XL. ad *Ciceronem pag.* 280. *ſeq. Tom.* II. *opp.* qui tamen fallitur, dum legere mavult: *praeiſſem.*

(*b*) DICEBANTUR] JCti, quatenus partibus adſiſtebaot in jure judiciove, *adeſſe* dicebantur: quatenus jura interpretabantur, *praeeſſe* juris civilis ſcientiae, ſive juris interpretationi, recte dici poſſunt. Sic enim CICERO *lib.* 1. *de Oratore, cap.* 41. loquitur: *Primum, quia veteres illi, qui huic ſcientiae praefuerunt, obtinendae atque agendae potentiae ſuae cauſa, pervulgari artem ſuam noluerunt.* Ibidem *cap.* 45. *Jam vero ipſa* (juris nempe cognitio) *per ſeſe quantum adferat iis, qui ei praeſunt, honoris, gratiae, dignitatis, quis ignorat?* Idem *de Invent. lib.* 1. *cap.* 11. *Cui diligentiae praeeſſe apud nos juriſconſulti exiſtimantur.* Idem *de Legib. lib.* 1. *cap.* 4. *Nec vero eot, qui ei muneri praefuerunt.* &c.

(*c*) PROFERRI] Locus claſſicus eſt apud DONATUM ad *Terent. Phorm. Act.* II. *Sc.* 2. *v.* 3. *Adeſſe enim cauſae proprie dicuntur patroni & amici.* Adde eundem ad *Andr. Prol. v.* 24. plura loca dabit *Thomas Crenius* in *Animadverſ. Philol. & Hiſtor. Part.* XII. *pag.* 222. *ſeq.* Hinc eleganter advocati vocantur *qui aderant* apud LIVIUM *lib.* III. *cap.* 44. ut ibi docet *Gronovius* in *not. pag.* 721. *ed. Drakenb.* Praeterea vero etiam *Supereſſe* dicuntur apud GELLIUM *lib.* I. *cap.* 22. SUETONIUM in *Aug. cap.* 56. aliosque. Conf. *Caſpar. Barthii Adverſ. lib.* XX. *cap.* 12. *Jac. Mellerii Palmerii Spicil. pag.* 685. in *Theſ. Crit. Grut. Tom.* IV. *Jani Guilielmi Veroſim. lib.* II. *cap.* 4. *Jani Rutgerſii Lectiones Venuſ. cap.* 19. *Franc. Polleti Hiſtor. Fori Rom. lib.* II. *cap.* 1. (in *Jo. Poleni Theſ. Antiqq. Tom.* I.)

(*d*) ADFUISSE] Sed ſi verum eſt, ſolos olim Pontifices fuiſſe JCtos, nihil prohibet, quominus eos hanc operam litigantibus eo tempore praeſtitiſſe ſtatuamus. Neque enim illo tempore hoc munus vilius habebatur, quam poſtea, quum praeclariſſimi viri, qui ſummis magiſtratibus ac ſacerdotiis fungebantur, illi ſe addicere non dubitaverint. Et ſi etiam liberaliter dare vellemus, Pontifices eo tempore in ipſo judicio non adfuiſſe: (quod olim ex Romuli inſtituto proprie patronorum officium erat, adeoque a JCtorum munere antiquiſſimis iſtis temporibus forte fuit diſtinctum) potuerunt tamen domi, in ſolio ſedentes, conſulentibus de jure reſpondere. De quo ſolio JCtorum nonnulla haud contemnenda attulit V. Cl. *Jo. Gottfr. Hauptmann* in *Progr.* quod *Gerae* 1738. prodiit ſub titulo: Θρόνος Σοφιστικός.

F I N I S.

FRAN-

FRANCISCO BRISSONIO P.

FONTENAJENSIS

PRAEFECTURAE PAREDRO

B. BRISSONIUS. F. S.

Semper mihi curae fuit, Pater, juris civilis ſcientiam, ad quam ab ineunte paene aetate animi quadam inductione ſum delatus, cum optimarum artium ſtudiis conjungere, & adſcitis undique ornamentis illuſtrare. Hoc cum mihi bene ac feliciter eveniſſe ſentiam, idem aliis, ut faciant, auctor eſſe non dubitabo. Itaque aptiſſimum hoc & accommodatiſſimum eſfloreſcenti noſtrae aetati ſcribendi argumentum ratus, feci non invitus, ut ex his, quae a me in eo genere obiter notata erant, paucula quaedam capita ſubſecivis horis delibarem. Quae cum doctiſſimis hominibus, quorum apud me plurimum auctoritas valet, non indigna viderentur, quae exirent, nihil putavi alienum me a meo pudore facturum, ſi meum in ornando jure civili ſtudium divulgato libello profiterer. Idque eo feci libentius, quod apud te, cui non negotii tantum, ſed & otii noſtri rationem conſtare volo, teſtatum relinquere cuperem, quibus in ſtudiis, quod a forenſibus exercitationibus datur, tempus conſumam. Hoc conſilio tibi iſtae noſtrorum ſcriptorum primitiae offeruntur: quas etiam abſque ulla nuncupatione noſtra recte vindicares, cujus ſumtu, cura, diligentia a prima pueritia liberaliter educatus, & in celeberrimis Galliae ſcholis inſtitutus, ſi quid ſim adſecutus, (quod perexiguum eſſe non diffiteor) ejus tu fructum a me repetere tuo jure potes. Quod ego ita eſſe plane adgnoſco: nec jam obſcure diſſimulo, ſed aperte prae me fero, cupiiſſe me aliquod meae in te obſervantiae fixum ad memoriam ſempiternam monumentum extare. Eaque res facit, ut, ſi minus ex his ſcriptis ingenii laudem, pii certe animi & officioſae voluntatis praedicationem, ab aequis aeſtimatoribus me conſecuturum non deſperem. Vale. Lutetiae Pariſiorum Kalend. Jul. M. D. LVI.

B. BRISSONII SELECTARUM EX JURE CIVILI ANTIQUITATUM LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De ordine exercendorum publicorum judiciorum.

Ordinem exercendorum publicorum judiciorum capitalium in uſu eſſe deſiiſſe, hodieque de criminibus publicis extra ordinem quaeri, non ſemel Jureconſulti ſcribunt. *l.* 8. *ordo. D. de publ. jud. l.* 15. *in ſenatusconſultum.* §. 1. *D. ad SC. Turpill. l.* 1. §. *ult. l.* 13. *hodie. D. de poen.* Inde admonitus veterem capitalium quaeſtionum exercendarum formam exponere inſtitui: rem mehercle ancipitem ac dubiam, maximisque tenebris involutam: ſed cujus cognitio non minus utilis, quam jucunda futura eſt. Primum autem ad Quaeſitorem (*a*), cui judicii exercitio obtigiſſet, rei nomen deferebat is, qui accu-

CAP. I. Ad uberiorem hujus capitis illuſtrationem conferendi ſunt ſcriptores, qui de Judiciis Romanorum ex inſtituto egerunt. Tyronibus ſufficere poſſunt, quae attulit *Jo. Gottl. Heineccius* in *Syntag. Antiqq. Rom. lib.* IV. *tit. ult.* Multa etiam huc ſpectantia reperies apud Auctorem ipſum in Opere de *Form. Sollemn. lib.* V. *pag.* 441. *ſeq.* (467. *ſeqq.*) Confer quoque *Cujacii Obſervatt. lib.* VIII. *cap.* 33. & *lib.* XX. *cap.* 21. Caeterum notandum, Judicia publica hic in ſenſu ſtricto eſſe accipienda: in ſenſu enim generaliori judicia etiam extraordinaria, quin & judicia populi, ſub publicis comprehenduntur: quae quomodo inter ſe differant, ex ſcriptoribus laudatis eſt diſcendum.

(*a*) QUAESITOREM] Quaeſitor, ſive Quaeſtor, in genere a quaerendo nomen habet, & ratione originis unum idemque ſignificat. VARRO *de lingua Lat. lib.* IV. *cap.* 14. *p.* 22. *Quaeſtores*, ait, *a quaerendo, qui conquirerent publicas pecunias, & maleficia, quae triumviri capitales nunc conquirunt: ab his poſtea, qui quaeſtionum judicia exercent, Quaeſtores dicti.* Duplicis ergo praecipue generis erant Quaeſtores. Alii enim conſtituebantur ad pecuniam publicam, ſive in urbe, ſive in provinciis, conquirendam, qui κατ' ἐξοχὴν dicebantur *Quaeſtores:* (*L.* 2. §. 22. D. de O. J.) & *Quaeſtores aerarii.* (Vide TACITUM *Annal. lib.* XIII. *cap.* 28. & Inſcriptiones.) Alii vero in crimina publica inquirebant, qui *Quaeſitores*, ſive *Quaeſtores paricidi* dicebantur, (vid. FESTUS *voc. quaeſtores* & *parici*, & L. 2. §. 23. D. de O. J.) & ſimpliciter etiam *Quaeſitores.* ASCONIUS PED. ad *Prooem. Action. in Verr. cap.* 10. *p.* 55. *Proprie*, ait, *Quaeſitores dicuntur criminalium quaeſtionum.* Hinc primario Praetores illi, qui quaeſtionem aliquam exercebant, dicebantur *Quaeſitores.* Unde ASCONIUS *loc. cit.* vocem *Quaeſitor* apud CICERONEM in *Prooem. Act. in Verr. cap.* 10. explicat: *Praetor de pecuniis repetundis quaeſtionem exercens.* Et ISIDORUS *Origg. lib* IX. *cap.* 4. *Iidem* (ſcilicet Praetores) *& quaeſtores* (ſcilicet appellantur) *quaſi quaeſitores, eo quod quaeſtionibus praeſunt.* Aderat tamen praeterea aliquis, qui Praetori in quaeſtione exercenda adſiſtebat, qui *Judex quaeſtionis* plerumque quidem dicebatur, ſed & interdum quoque *Quaeſitor* non minus appellatus eſt. Et hinc ASCONIUS eodem *loc. cit.* paullo poſt Quaeſitorem a Praetore diſtinguit his verbis: *Junius Quaeſitor fuit*

Google

accuſare (*a*) paratus erat, idque recipi poſtulabat, & qua lege reum faceret, profitebatur. Subſcribebat deinde in crimen, id eſt, ut PAULUS in *l.* 3. §. 2. *item ſubſcribere. D. de accuſat.* interpretatur, libello ſubſcribebat ſe profeſſum eſſe. Quae res eum ſimilitudine ſupplicii obſtringebat. Hacc SENECA paucis comprehendit in libro *de Morte Claudii: Ducit*, ait, *illum ante tribunal Aeaci. Is lege Cornelia, quae de ſicariis lata eſt, quaerebat. poſtulat nomen rei recipi. edit ſubſcriptionem.* Subſcribebant vero cum accuſatoribus & alii, (*b*) ut ex ASCONIO ad *fin. Milonianae pag.* 205. & *in Argum. Cornelianae, pag.* 124. & ex ipſo CICERONE in *Divination. cap.* 15. 16. liquet. Sic PATERCULUS *libro poſter. c.* 69. *Quo tempore Capito patruus meus Agrippae in Caſſium ſubſcripſit.* CAELIUS *lib.* VIII. *Epiſt. Cicer. ep.* 8. *Itaque ſine ullo ſubſcriptore deſcendit, & Tuccium reum fecit.* TACITUS *lib.* I. *Annal. c.* 74. *Nec multo poſt Granium Marcellum Quaeſtorem Bithyniae Quaeſtor ipſius Cepio Criſpinus majeſtatis poſtulavit, ſubſcribente Romano Hiſpone.* SUETONIUS *in lib. de clar. Rhetorib. cap.* 3. *Donec ob ingenium ac ſtudium litterarum manumiſſus, accuſanti patrono ſubſcripſit.* Auctor (*c*) vitae Attici, *cap.* 6. *Neminem, neque ſuo nomine, neque ſubſcribens, accuſavit.* Reo autem ad Praetorem tracto, ita accuſatio, ASCONIO *in* II. *Verrin.* (*d*) auctore, inſtituebatur, accuſatore verbi gratia ita dicente: AJO TE SICULOS SPOLIASSE. AJO TE CLODIUM OCCIDISSE. Quod ſi reus ſilentio ac taciturnitate excipiebat, nec quicquam contradicebat, lis aeſtimabatur ut victo: ſin negabat, a magiſtratu dies inquirendorum criminum petebatur. Et hoc modo reus legibus interrogari dicebatur. CICERO *pro domo ſua. c.* 29. *Quis me unquam ulla lege interrogavit, quis poſtulavit, quis diem dixit?* SALLUSTIUS *in Catil. conjurat. c.* 18. *P. Autronius & Pub. Sylla deſignati Coſſ. legibus ambitus interrogati ſunt.* Interrogatio enim non ad magiſtratum, ſed ad accuſatorem refertur, ut idem SALLUSTIUS alio ejuſdem libri loco *c.* 31. indicat. *Ipſe*, ait, *Plautia lege interrogatus erat ab L. Paulo.* LIVIUS *lib.* XLV. *cap.* 37. *Sed poſtero die, quam triumphatum eſt, privatum cum viſurus eſſet, nomen deferret, & legibus interrogaret.* TACITUS *lib.* XIV. *Annal. c.* 46. *Damnatus iiſdem Coſſ. Tarquitius Priſcus, Bithynis interrogantibus.* Idem *lib.* XVI. *Annal. c.* 21. *Quae obliterari non ſinebat Capito Coſſutianus, praeter animum ad flagitia praecipitem, inimicus Thraſeae, quod auctoritate ejus concidiſſet, juvantis Cilicum legatos, dum Capitonem repetundarum interrogant.* Poſt eam vero interrogationem in reatu reus conſtitutus dicebatur, ſi ASCONIO (*e*) credimus, qui Reum fieri nihil

fuit (id eſt Judex quaeſtionis) *in Cluentii cauſa, Verre praetore.* Quod ad confuſionem evitandam probe obſervandum eſt: caetera, quae de Quaeſitore & Judice quaeſtionis adhuc notare poſſem, conſulto praetermitto. Legi interim ea de re poſſunt *Ger. Noodt de Juriſd. & Imp. lib.* II. *cap.* 5. *Anton. Schulting. Juriſpr. antejuſt. pag.* 728. *Alex. ab Alexandro Dier. Geniol. lib.* II. *cap.* 2. *Interpp.* ad *Cic. pro Roſc. Amer. cap.* 4. in fine.

(*a*) ACCUSARE] Sine accuſatore enim apud Romanos ordinarie nullum judicium publicum inſtituebatur, in urbe ſaltem contra cives: (vid. CICERO pro *Roſcio Amer. cap.* 20.) licet id extra ordinem, in provinciis maxime, contra peregrinos, aut in militia, factum fuiſſe non negem. Minus recte ergo ipſam regulam in dubium vocavit *Guil. Goeſius* in *notis* ad *Sueton. in Caeſ. cap.* 68.

(*b*) ALII] Qui ideo *Subſcriptores* vocabantur, & accuſatorem adjuvabant, teſte ASCONIO ad *Cic. Divin. cap.* 15. *pag.* 33. Unus enim tantum *Accuſator* vocabatur; licet omnes, qui reum defendebant, vocarentur *Defenſores* ſive *Patroni*, ut recte notavit *Paul. Manutius* ad *Cic. Divin. cap.* 15. qui bene quoque ibidem obſervavit; Subſcriptores non fuiſſe neceſſarios. Saepe enim unus ſine Subſcriptoribus accuſabat: immo non facile Subſcriptores invito Accuſatore admiſſos fuiſſe colligo ex CICERONIS *Divin. cap.* 16. (Subſcriptio enim poſtulari debebat, & interdum denegabatur, ut patet ex CICERONE in *Verr. lib.* I. *cap.* 6.) niſi accuſator de praevaricatione eſſet ſuſpectus; tunc enim Subſcriptores ſimul ut *Cuſtodes* ei appoſitos fuiſſe, perſpici poteſt ex ASCONIO ad *Cic. Divin. cap.* 16. *pag.* 36. Qui tamen ideo non confundendi ſunt cum *Cuſtodibus*, qui interdum ab ipſo reo apponebantur accuſatoribus, ne quid mala fide ageret, ut facit *Franc. Hotomannus* in *notis* ad *Aſcon. l. c. pag.* 214. qui etiam ibidem Subſcriptores cum Patronis confundit. Caetera, quae de numero Subſcriptorum *Manutius* & *Hotomannus ll. cc.* afferunt, ſunt incerta: mihi enim nullus ſollemnis ſubſcriptorum numerus fuiſſe videtur.

(*c*) AUCTOR] Quem CORNELIUM NEPOTEM eſſe, hodie apud omnes in confeſſo eſt.

(*d*) IN II. VERRIN.] Sive in *Prooem. Action. in Verr. cap.* 2. *pag.* 44. Vario enim modo Orationes Ciceronis in Verrem numerantur. Auctor plerumque ab ipſa Divinatione incipiens, continuo numero omnes in Verris cauſa habitas Orationes computat. Ego vero ſeparatim Divinationem, & deinde Prooemium Actionis in Verrem, ſive Actionem I. tandemque quinque illas Orationes principales, ſive Accuſationes, vel Actionis II. libros V. ſuo ordine numerare ſoleo. Quod ſemel hic monuiſſe juvat. Confer interim, quae hac de re monuit *Franc. Hotomannus* in *Proleg.* ad *Divinationem.*

(*e*) ASCONIO] Loco paullo ante citato. Accurate ergo loquendo *legibus interrogari* ab *accuſatione* differt: ſtatim enim, poſtquam nomen alicujus erat delatum, illudque receptum, reus *legibus interrogari* dicebatur: eam vero interrogationem poſtea ſollemnis ſequebatur *accuſatio*. Unde idem ASCONIUS *Accuſat. in Verr. lib.* II. *cap.* 3. *pag.* 113. *Quia Lepidus legibus tantum interrogatus, nec dum etiam coeperat accuſari.* Hinc *Legibus interrogationem* in publicis judiciis ſimilem eſſe litis conteſtationi in privatis, *Franc. Polletus* in *Hiſtoria Fori Romani, lib.* IV. *cap.* 8. obſervavit. Tunc etiam Rei nomen ſine dubio

 ſtatim

nihil alind eſſe ait, quam apud praetorem legibus interrogari. Incidebat vero nonnumquam de accuſatore conſtituendo contentio, pluribus certatim ad accuſationem, cuilibet e populo patentem, vel praemii ſpe, vel laudis ſtudio, vel privatarum inimicitiarum cauſa proſilientibus. Cujusmodi in accuſatione Verris inter Ciceronem & Caecilium controverſia extitit. Super ea re judicium, ipſis quaeſtionem judicibus cognoſcentibus, reddebatur, quod divinationem, QUINCTILIANO GELLIOQUE teſtibus (*a*), appellabant. Et hoc quoque ipſis publicorum judiciorum legibus cautum fuiſſe, auctor *Rhetarie. ad Herenn. lib.* I. *c.* 12. declarat, ut ſi reo commodum eſſet, judicium de accuſatore fieret, utrum illi accuſare liceret. Rei nomine recepto, die plerumque decimo, utrumque & accuſatorem & reum, quantum ex ASCONIO *in Argument. Cornelian. pag.* 124. colligo, adeſſe Praetor jubebat: & ſpatium accuſatori ad probationes conquirendas dabat (*b*), quemadmodum in Verris accuſatione factum in CICERONE legimus. TACITUS *lib.* XIII. *Annal. c.* 52. *Sylvanum magna pars accuſatorum circumſteterat, poſcebatque tempus evocandarum teſtium.* PLINIUS *lib.* III. *epiſt.* 9. *ad Minut. Socios miniſtrosque Claſſici detulerunt, nominatimque in eos inquiſitionem poſtularunt.* Interdum autem ipſi reo inquiſitio permittebatur (*c*). Patet hoc ex eo, quod TACITUS *lib.* XIII. *Annal. c.* 43. Suillium repetundarum poſtulatum annuam inquiſitionem impetraſſe dicit, & quod PLINIUS *lib.* VI. *epiſt.* 5. *ad Urſum* in Senatu actum refert, ſub exemplo Legis ambitus, an in futurum ad legem repetundarum adjiceretur, ut, ſicut accuſatoribus inquirendi denuntiandique teſtibus poteſtas ea lege eſſet, ita reis quoque fieret Jam quod ad judices attinet, eos praetor ex decuriis (*d*) conſcribebat, eorumque nomina in urnam mittebat, & ex his numerum neceſſarium ſortiebatur. Ex eo numero accuſatori reoque integrum erat rejicere, quos ex aliqua cauſa ſuſpectos haberent. In rejectorum locum alios praetor ſubſortiebatur, quo legitimus numerus (qui legibus quibuſdam ampliſſimus definiebatur) conficeretur. His perfectis jurejurando conſcripti judices, ut DIONYSIUS HALIC. *lib.* VII. *pag.* 447. & 453. oſtendit, adigebantur, jurabantque omnes in leges praeter ipſum Praetorem (*e*). Juratorum nomina libellia conſignabantur, & ubique habebantur: ſed & in arca reponebantur, ne ſelectorum vice aliis corruptis ſuppoſitis fraus aliqua fieri poſſet. Quae omnia ab ASCONIO accurate *in* II. *Orat. in Verr.* (*f*) exponuntur. Die vero cognitionis judices, accuſatores, & reos, & patronos a praecone citari moris fuiſſe, idem auctor *in* III. *Verr.* (*g*) cum FESTO POMP. *lib.* XVI. *v. reus.* ſcribit. APULEJUS *lib.* III. *pag.* 73. *Metamorph.* ſive *de aſina aur. Sic rurſum praeconis amplo boatu citatus accuſator quidam ſenior exſurgit.* VALERIUS MAXIMUS *lib.* VI. *cap.* I. *ex.* 7. *Citatus itaque Scantinius reus, una teſte, qui tentatus erat, damnatus eſt.* Quod ſi citatus accuſator neque reſpondiſſet, neque excuſatus eſſet, accuſatus e reis eximebatur, quemadmodum diſerte CICERO IV. *in Verr. orat.* & PEDIANUS *in Corn.* ſignificant. (*h*) Sin judicio utraque pars aderat, oratoribus

ſtatim ad aerarium deferebatur: (vid. SUETONIUS in *Domit. cap.* 9.) ejusque domus, & clauſa omnia, (ut loquitur ASCONIUS *Accuſ. in Verr. lib.* I. *cap.* 19. *pag.* 83.) ab accuſatore plerumque obſignabantur.

(*a*) TESTIBUS] Vide QUINCTILIANI *Inſtitutiones Orat. lib.* III. *cap.* 10. (*al.* 12.) & *lib.* VII. *cap.* 4. (*al.* 5.) & GELLII *Noct. Attic. lib.* II. *cap.* 4. Adde ASCONII PED. *Argumentum in Ciceronis Divinationem.*

(*b*) DABAT] Pro ratione ſcilicet cauſae, modo longius, modo brevius. Praecipue vero in cauſis repetundarum accuſatori longius ſpatium indulgendum erat ad cauſam inſtruendam, quia probationes plerumque ex provinciis remotis erant petendae. (Vide CICERONIS *Orat. in Vatin. cap.* 14. ASCONII PED. *Argumentum Prooem. Act. in Verrem pag.* 40. & *Comment. ad Action.* II. *lib.* I. *cap.* II. *pag.* 77. *ſeq.*) Hinc accuſatores ipſi eam ob cauſam in provinciam, cui reus praefuerat, proficiſcebantur, multis plerumque comitibus inſtructi: quorum tamen numerus legibus poſtea fuit coartatus. (Vid. CICERO *pro Flacco cap.* 6.)

(*c*) PERMITTEBATUR] Quid ſit inquiſitionem reo permittere, ego quidem non intelligo. Sed auctor noſter, ut & alii, (v. g. *Franc. Polletus* in *Hiſtoria Fori Rom. lib.* IV. *cap.* 9.) vitioſa TACITI lectione decepti ſunt, quae olim in omnibus editionibus recepta erat: *Mox inquiſitionem annuam impetraverat*: (ſcilicet reus) hodie vero ex Codice Florentino viri docti emendarunt: *impetraverant* ſcilicet accuſatores. (Vide *Curtii Pichenae* & *Jo. Frid. Gronovii* notas ad *h. l.*)

(*d*) DECURIIS] De Judicum Decuriis confer *Franc. Hotomanni* & *Jo. Georg. Graevii* notas ad *Cic. Accuſ. in Verrem lib.* I. *cap.* 61. *Iſaaci Caſauboni* notas ad *Sueton. Auguſt. cap.* 32. *Henrici Dodwelli Praelect. Camden. Append. pag.* 717. *ſeqq. Jac. Cujacii Obſerv. lib.* XXI. *cap.* 31. Id tamen ex loco PLINII allato patet, & reo aliquando, non minus quam accuſatori, permiſſum fuiſſe, ut teſtes ad ſuam defenſionem produceret evocaretque. Adde PLINII *lib.* V. *Epiſt.* 20.

(*e*) PRAETOREM] Quia is ſcilicet jam initio magiſtratus in leges juraverat.

(*f*) IN II. ORAT. IN VERR.] Sive in *Comment. ad Prooem. Actionis in Verrem, cap.* 6. *pag.* 47. *ſeq.*

(*g*) IN III. VERR.] Sive in *Comm. ad Accuſat. in Verrem lib.* I. *cap.* I. *pag.* 69.

(*h*) SIGNIFICANT] Vide CICERONIS *Accuſat. in Verrem lib.* II. *cap.* 40. & ASCONII *Argumentum in Orat. pro Cornelia, pag.* 124. Quid ſi vero reus non adeſſet? Tunc abſens condemnabatur, juxta ASCONIUM in *Comm. ad Orat. pro Milone, in fine, pag.* 205. *ſeqq.* Quod Auguſtum demum conſtituiſſe, teſtatur DIO CASS. *lib.* LIV. *pag.* 523.

ribus dicendi poteſtas fiebat: citabantur teſtes, palamque ac publice interrogabantur, eorum quoque dicta in promtu refellebantur. Certa autem horarum momenta utrique pro agenda cauſa legibus quibusdam definita erant. Cauſa utrinque perorata, praeco dixiſſe oratores pronunciabat, ut a QUINCTILIANO *lib.* I. *cap.* 5. & ASCONIO *in* II. *Verrin.* (*a*) ſcribitur: apud quem tamen pro *praecone* perperam, ut exiſtimo, *praetor* ſubditus eſt (*b*). Tum in conſilium judices mittebantur, & ad (*c*) ſententiam dicendam dimittebantur. Tabellas autem accipiebant judices abſolutionis, condemnationis, & ampliationis litteris (*d*) inſcriptas ac ſignatas, earumque aliquam, cum in conſilium miſſi fuerant, in ciſtam conjicere neceſſe habebant, antequam eis lege Glaucia comperendinandi data eſt poteſtas (*e*). Atque ex hoc ſollemni ordine nonnihil Pompeja lex immutavit. Ea enim, ASCONIO *in Argument. orat. Milonian. p.* 187. & 191. auctore, teſtes, priuſquam cauſa ageretur, per triduum audiri, dictaque eorum a judicibus conſignari juſſit: quarta dein die omnes in poſterum adeſſe juberi, ac coram accuſatore & reo pilas, in quibus judicum nomina inſcripta eſſent, aequari: poſtera rurſus die ſortitionem judicum fieri unius & octoginta, qui numerus cum ſorte obtigiſſet, ipſi protinus ſeſſum irent, accuſatorique duae ad dicendum horae, reo tres darentur: illoque ipſo die reus judicaretur. Ita tamen, ut priuſquam ſententiae ferrentur, quinos ex ſingulis ordinibus accuſatori, totidem reo rejicere liceret. De hac lege illud accipiendum eſt, quod initio *lib.* IV. *de Finib.* CICERO ita ſcribit: *Cum ego te hac nova lege videam eodem die accuſatori reſpondere, & tribus horis perorare.* Meminit & hujus legis in *Bruto*, *c.* 94. *Quum lege Pompeja ternis horis ad dicendum datis, ad cauſas ſimillimas inter ſe, vel potius eaſdem, novi veniebamus quotidie.* Qua veluti frenos eloquentiae impoſitos TACITUS *in lib. de Oratorib. c.* 38. dixit, ob concluſam tam exiguo temporis ſpatio cauſarum actionem. Quam obſervationem poſterioribus temporibus neglectam reperio. Nam & PLINIUS *lib.* II. *epiſtol.* II. Arriano, horis paene quinque egiſſe ſe narrat. Sed & antiqua illa omnis judiciorum ſollemnitas, occupata & everſa ab Imperatoribus populi libertate, ex uſu exceſſit.

CAP. II.

Obſervata veterum in concipiendis ſententiis verba.

Veteribus uſitatum in concipiendis & ferendis, ſive recitandis ſententiis morem hunc fuiſſe, quae jurati judices cognoviſſent, ea non ut eſſe facta, data, promiſſa; ſed facta, data, promiſſave VIDERI pronuntiarent. BUDAEUS *ex Cicerone Acad.* IV. *c.* 47. & *Plinio lib.* XIV. *cap.* 13. & *l.* 1. §. 1. *D. ad. SC. Turpillian.* obſervavit. Quod ego aliis Jureconſultorum aliorumque auctorum locis confirmabo. PAPINIANUS in *l.* 20. *ob haec. D. de his, qui notant. infam. Ob haec verba*, ait, *ſententiae praeſidis:* CALLIDO COMMENTO VIDERIS ACCUSATIONIS INSTIGATOR FUISSE. Refertur & in *l.* 3. *proxime. D. de his, quae in teſt. delent.* ſententia Prudente & Pollione Coss. ab Antonino Aug. dicta, in haec verba: *Cum Valerius Nepos mutata voluntate inciderit teſtamentum ſuum, & heredum nomina induxerit, hereditas ejus ſecundum Divi patris mei conſtitutionem ad eos, qui ſcripti ſunt, pertinere non videtur.* CICERO IV. *in Verr. Action.* ſive *Accuſat. lib.* II. *cap.* 38. *Vix hoc ille dixerat, cum iſte pronuntiavit: Sthenium litteras publicas corrupiſſe videri.* Et paulo poſt *cap.* 41. *Omnium ſententia pronuntiatum eſt; Non videri Sthenium impediri edicto.* SALLUSTIUS *in Catilin. conjurat. c.* 48. *Conſulente Cicerone frequens Senatus decrevit: Tarquinii judicium falſum videri.* TACITUS *lib.* XIV. *Annal. c.* 43. *Pro-*

(*a*) IN II. VERRIN.] Sive in *Comm. ad Prooem. Action. in Verr. in fine*, *pag.* 65. Adde QUINCTILIANUM *lib.* VI. *cap.* 4. (*al.* 5.)

(*b*) SUBDITUS EST] Vide *Franc. Hotomanni* notas ad hunc locum, *pag.* 229.

(*c*) MITTEBANTUR, ET AD] Rectius ſcripſiſſet auctor: *Tum in conſilium judices mittebantur, id eſt, ad ſententiam dicendam dimittebantur.* Poſterior enim phraſis prioris eſt interpretatio, ut docet nos ASCONIUS in *Comm. ad Accuſat. in Verr. lib.* I. *cap.* 9. *pag.* 77. his verbis: *Nam mittere judices in conſilium, eſt dimittere judices ad ſententiam dicendam, ubi allegatis omnibus argumentis, orator dixerit:* DIXI. Sortiebantur vero judices, quo ordine ſententiam ferrent. (Vid. CICERO *pro Cluent. cap.* 28.) In quibusdam cauſis in rei arbitrio poſitum erat, utrum clam, an palam de ſe ſententiam ferri vellet. (Vid. CICERO *pro Cluent. cap.* 20. & 27.)

(*d*) LITTERIS] Nimirum A. id eſt, *abſolvo*; C. id eſt, *condemno*; NL. id eſt, *non liquet*, quae nota ampliationis.

(*e*) POTESTAS] Lege hic inprimis ASCONIUM PED. in *Comm. ad Accuſat. in Verrem lib.* I. *cap.* 9. *pag.* 75. *ſeq.* & confer praeterea *Franc. Robortelli Annotat.* ſive *Emendat. lib.* II. *cap.* 25. *ſeqq.* (*Tom.* II. *Theſ. Crit. Grut.*) *Adriani Turnebi Adverſar. lib.* I. *cap.* 3. *Marcelli Donati Dilucidat.* ad *Livium*, *pag.* 105. *ſeq. Tom.* VI. *Theſ. Crit. Grut. Andr. Dacerii* notas ad *Feſtum* voce *res comperendinata*, *pag.* 442. *ed. Amſtel. Jo. Alb. Spies Diſſ. de Comperendinatione*, *Lipſ.* 1728.

CAP. II. Cum hoc capite conferri poteſt Auctoris Opus de *Form. Sollemn. lib.* V. paſſim, inprimis *pag.* 454. *ſeqq.* (480. *ſeqq.*) nec non Conſultiſſimi *Jo. Henrici Raſſovii* Commentarius ad *Georgii Obrechti Exercitium juris antiqui*, (*ed. Hamb.* 1726. 8.) *pag.* 348. *ſeqq.*

Pronuntiemus ultro, dominum jure caeſum videri. Festus etiam *lib.* xv. *v. parum*, ita veteres, cum capitis condemnabant, pronuntiaſſe tradit: Parum caviſſe videri. Centumviralem quoque in querela inofficioſi teſtamenti pronuntiationem, ex Plinio *lib.* v. *Epiſt.* 1. *ad Sever.* hoc modo conceptam fuiſſe intelligimus: Videri patrem juſtas iraſcendi filio cauſas habuiſſe. Idem in ſenatuſconſultis, augurumque ac pontificum decretis ſervatum Livius *lib.* xxiii. *c.* 31. & *lib.* xxv. *c.* 7. & Cicero *lib.* iv. *Epiſt.* 2. *ad Attic.* & auctor *Rhetoric. ad Herenn. l.* 1. *c.* 12. demonſtrant. Interdum tamen aliter quoque pronuntiaſſe judices invenio. Attilium namque Calatinum inter Valerium & Luctatium judicem ſumtum ita pronuntiaſſe Valerius Max. *lib.* ii. *cap.* 8. *ex.* 2. refert: *Itaque, Luctati, quamvis adhuc tacueris, ſecundum te litem do.* Seneca *in praefat. lib.* vii. *ſive* iii. *Declamat. Summa rei haec fuit. Centumviri dixerunt, dare ipſos ſecundum adverſarium Albutii, ſi juraſſet.* Macer in *l.* 1. §. 1. *D. Quae ſentent. ſine appell. reſcin.* Si judex, ait, ita pronuntiaverit: *Cum conſtet Titium Sejo ex illa ſpecie quinquaginta, item ex illa* xxv. *debere, idcirco L. Titium Sejo centum condemno.* Ulpianus in *l.* 59. *in ſententiis. D. de re jud.* Si tamen, inquit, is, qui petit, ſummam expreſſerit, & judex ait: *Solve, quod petitum eſt*, vel *quantum petitum eſt*, valere ſententiam. Itemque in *l.* 12. *quid tamen.* §. 3. *Pomponius. D. de recept. qui arbitr.* incertae ſententiae haec exempla profert: *Quantum ei debes, redde: Diviſioni veſtrae ſtari placet, pro ea parte, quam ſolviſti creditoribus, accipe.* Proponitur & in *l.* 32. *ſi praeſes D. de poen.* Ita interlocutus praeſes: *Vim feciſti.* Eſt & haec irrogandae relegationis expreſſa forma: *Illum provincia illa, inſulisque illis relego.* Excedereque debebit intra illum diem. Quo alludens Auctor libelli jocularis de morte Claudii: *Placet*, ait, *mihi in eum ſevere animadverti, nec illi rerum judicandarum vacationem dari, eumque quam primum exportari, & coelo intra dies* xxx. *excedere, olympo intra diem tertium.*

CAP. III.

Unde originem habuerit Medicis conceſſa immunitas.

Vix & ſero, nempe ultra ſexcenteſimum annum ab urbe admodum condita, ſi Pli-

CAP. III. Duo potiſſimum argumenta in hoc capite attinguntur magis, quam pertractantur: de Medicorum ſcilicet apud veteres Romanos, tempore potiſſimum liberae reipublicae, conditione; & de honoribus ac praemiis Medicorum, tempore Imperatorum. Prius argumentum maximas inter eruditos lites peperit, a renatis uſque litteris ad noſtra tempora, quia plurimi ex partium magis ſtudio, quam ex veritatis amore hac de re ſcripſerunt. Lites haſce ſuccincte recenſuit V. Cl. *Julius Carolus Schlaegerus* in peculiari ſchediaſmate, *ed. Helmſt.* 1740. 4. ſub titulo: *Hiſtoria litis de medicorum apud veteres Romanos degentium conditione.* Cujus potiſſimum veſtigiis inſiſtentes, pauca ex propria penu addemus. Auctor noſter, ni fallor, poſt renatas litteras primus fuit, qui docuerit, Medicos apud veteres Romanos ſervos fuiſſe: qui tamen, vel ob dignitatem, vel ob modeſtiam ſuam, nullum exinde adverſarium paſſus fuit. Paullo vero poſt, quum idem affirmarent *Franc. Robortellus* in *Annotat. ad veteres auctores, lib.* 1. *cap.* 21. *Laevin. Torrentius* in not. ad *Sueton. Caeſ. cap.* 4. *Fulv. Urſinus* in not. *ad varios auct.* ſubjunctis *Anton. Auguſtini Fragment. Hiſtor. vet. pag.* 464. gravem adverſarium nacti ſunt *Iſaac. Caſaubonum* in not. ad *Sueton. l. c. pag.* 14. *ſeq. ed. Burman.* qui quidem ſervos medicos fuiſſe fatetur: id tamen de omnibus dici poſſe negat, probatque eos apud veteres Romanos inter magnatum quoque amicos fuiſſe. Initio prioris ſeculi de ſervili Medicorum conditione apud veteres Romanos quaedam litteris conſignarunt *Thomas Dempſterus* in *Paralip.* ad *Roſin. Antiqq. Rom. lib.* ii. *cap.* 17. *pag.* 374. *ſeq. ed. Colon.* 1620. *Laurent. Pignorius* in *Comment. de Servis, pag.* 1156. *ſeqq. Tom.* iii. *Theſ. Antiqq. Poleni.* Circa medium vero ſeculi Medicos aliquo modo defendit *Joſeph. Laurentius* in *Polymath. lib.* ii. *Diſſ.* 22. Gravior hac de re lis orta eſt in Belgio A. 1671. Quum enim *Frid. Boeckelmanno* JC. in Oratione inaugurali verba quaedam excidiſſent, quae non placerent Medicis, ſtatim eodem anno prodiit *Lugd. Bat.* in 12. *Caroli Drelincurtii Apologia Medica, qua vetus illa depellitur calumnia, Medicos ſexcentis annis Roma exulaſſe.* quae ſequenti anno cum nova *Praefat.* recuſa fuit. Contra hanc prodiiſſe *Lepidi Pacifici Saxoferratenſis Reſponſionem ad Epiſtolam Bibliopolae Graeco-Latini, de exilio Medicorum Romanorum, deque abſurdis libellis Drelincurtianis. Lugd. Bat.* in 12. reperi, cujus tamen Cl. *Schlaegerus* nullam fecit mentionem. Eodem anno 1671. *Lugd. Bat.* in 12. prodiit Opuſculum, cujus auctor laudatus *Boeckelmannus* creditur, ſub titulo: *Medicus Romanorum ſervus ſexaginta ſolidis aeſtimatus:* quod recuſum fuit *ibid.* 1681. 12. & noviſſime ob raritatem *Lipſ.* 1741. 8. cum V. Cl. *Jo. Frid. Jugleri* Opere, quod inſcribitur: Ἀνδραποδοκάπηλος, *ſive de nundinatione ſervorum apud veteres liber ſingularis.* (Vide *Acta Erud.* A. 1742. *pag.* 93.) Eodem fere tempore ſententiam ſuam hac de re dixit *Anton. Borremanſius* in *Var. Lection. cap.* 15. qui tamen media quodammodo via incedit. Paullo poſt Medicos data opera, ex veteribus inprimis Inſcriptionibus, defendit *Jacobus Sponius*, tum in Diſſertationibus Gallice editis ſub titulo *Recherches d' Antiquité, diſſ.* xxvii. tum in *Miſcellaneis Erud. Antiq. Sect.* iv. *pag.* 929. *Tom.* iv. *Theſ. Antiqq. Poleni.* Licet enim eruditiſſimus hic medicus diffiteri nequeat, quoſdam inter medicos fuiſſe ſervilis conditionis: probare tamen vult ex marmoribus, plurimos vel ingenuos, vel libertinos ſaltem fuiſſe. Contra hunc nonnulla monuit hoc ſeculo *Juſtus Fontaninus* in *Antiqq. Hortae, lib.* 1. *cap.* 9. §. 2. Acerrima vero lis noſtris temporibus orta fuit in Anglia. Quum enim A. 1724. *Lond.* in 4. prodiret

Plinio (*a*) & Dioscoridi fidem habeamus, Romae medicina coli, & in aliquo pretio haberi coepit, quam expertam etiam populum damnaſſe ait Plinius. Diu, ut ingenuo homine indigna, neglecta, & ad ſervos libertinosque ablegata eſt, quos ſolos fere medicinam factitaſſe exemplis prope infinitis demonſtrari poteſt. Ex quibus notiora & illuſtriora ſeligam. Suetonius in *Nerone*, c. 2. *In deſperatione rerum*, ait, *mortem timore appetitam ita expavit, ut hauſtum venenum poenitentia evomuerit, medicumque manumiſerit, quod minus noxium temperaſſet.* Quinctilianus *lib.* vii. *cap.* 2. *Pallio*, inquit, *contra ſerviſſe eum Piſauri dominis duobus, medicinam factitaſſe, manumiſſum alienae ſe familiae immiſcuiſſe.* Seneca *lib.* iii. *de Benefic. cap.* 24. *Tenebatur incluſus Domitius, imperavit medico, eidemque ſervo ſuo, ut ſibi venenum daret.* Cicero denique in *Orat. pro rege Dejot.* Philippum medicum ſervum fuiſſe non uno loco indicat. Dioscorides auctoritate Catonis ſcribit (*b*), populum Romanum ſexcentis fere annis medicina braſſicae

diret *Richardi Mead Oratia anniverſaria Harvejana in Theatro Regii Medicorum Londinenſium Collegii habita d.* 18. *Octobr.* 1723. *Adjecta eſt Diſſertatio de Nummis quibuſdam a Smyrnaeis in honorem Medicorum percuſſis*: (recuſa *Lugd. Bat.* 1725. 8. Vid. *Biblioth. Angloiſe*, *Tom.* xii. *Part.* 2. *Acta Erud.* 1726. *pag.* 166. *Memoires de Trevoux.* A. 1729. *Menſ. May*, & *Novembr.* ubi copioſe de tota hac lite agitur) calamum ſtrinxit *Congerſius Middleton*, cujus *de Medicorum apud veteres Romanos degentium conditione Diſſertatio* prodiit *Cantabrig.* 1726. 4. (Vid. *Acta Erud.* A. 1727. *pag.* 126.) Fieri non potuit, quin ſtatim contra hanc Diſſertationem prodirent in Anglia varia ſcripta minora apologetica, quae omnia uno opere refutavit laudatus *Middleton* ſub titulo: *Diſſertationis de Medicorum Romae degentium conditione ignobili & ſervili, contra Anonymos quoſdam, Notarum brevium, Reſponſionis, atque Animadverſionis Auctores, Defenſio, Auctore Congers Middleton. Pars* 1. *Cantabrig.* 1727. 4. (Vid. *Acta Erud.* A. 1728. *pag.* 182.) Num altera hujus Defenſionis pars; item *Jo. Ward Examen* Defenſionis hujus (cujus mentio fit in *Novis litter. Lipſ.* A. 1728. *pag.* 606.) lucem unquam adſpexerit, merito dubitat Cl. *Schlaegerus*. Pacem interim tamen conciliare tentavit *Carolus de la Motte* in Opere Anglica lingua ſcripto ſub titulo: *An Eſſay upon the ſtate & condition of Phyſicians amoug the antients: occaſioned by a late Diſſertation of the Reverend. D. Middleton, aſſerting that Phyſick was ſervile & diſhonourable amoug the old Romans, & only practis d by ſlaves, & the meaneſt of the people. By Charles la Motte* A. M. *Chapelain of the Duke of Montagu.* F. R. S. *& membre of Society of antiquaries in London. Lond.* 1728. 8. (Vid. *Biblioth. Angloiſe*, *Tom.* xv. *Part.* 2. *pag.* 505. *ſeqq.*) Subſequentibus vero temporibus in aliis quoque regionibus Medicorum defenſores orti ſunt, quorum duo praecipui, a Cl. *Schlaegero* quoque laudati: *Daniel Vinck*, cujus *Amoenitates philologico-medicae, in quibus Medicina a ſervitute liberatur*, prodierunt *Ultraj.* 1730. 8. (Vid. *Acta Erud.* A. 1732. *pag.* 529. *Journal litteraire*, *Tom.* xviii. *P.* 1. *Biblioth. raiſonné*, *Tom.* vi. *P.* 1.) & *Jo. Henr. Schultzius*, cujus inprimis lectu digna *Excurſio in Antiquitates ad ſervi medici apud Graecos & Romanos conditionem eruendam*, prodiit *Halae* 1733. 4. Attigit etiam noviſſime hanc rem *Jo. Sam Carl* in *Medicina Aulica*, *ed. Altonav.* 1740. 8. *cap.* xv. & ex Theologis *Petrus Zornius* in *Epiſtola*, quae inſerta eſt ejus *Opuſculis ſacris*, *Tom.* 1. *pag.* 335. *ſeqq.* Tantum de primo argumento. De altero multa exſtant ſcripta ſingularia, quae reperiri poſſunt in *Bibliotheca Juridica Lipenio-Jenichiana*, ejuſque *Supplementis*, ſub titulo: *Medicus*, quaeque ideo hic repetere nolo, ſed iis tantum addere: *Chriſt. Wollii*, *Reſp. Polycarpi Frid. Schacheri*, *Diſſ. de Honoribus Medicorum apud veteres*, *Lipſ.* 1732. *Jo. Jac. Baier Orat. de honorariis ac praemiis Medicorum*, quae exſtat in *Faſcic. Oratt. varii argumenti*, *ed. Altorf.* 1727. 4. Ex iis vero, qui in aliis ſcriptis hanc rem attigerunt, nominandi ſunt; *Jo. Mich. Dilherus* in *Diſput. Academ. Tom.* ii. *pag.* 68. *ſeqq.* *Marſilius Cognatus Var. Obſ. lib.* ii. *cap.* 15. *Hieron. Mercurialis Var. lib.* iv. *cap.* 1. *Marquardus Freherus Parerg. lib.* ii. *cap.* 16. *Aegidius Menagius Amoenit.* J. C. *cap.* 35. Vir Excell. *Everard. Otto in Libro de Aedilib. Colon. & Municip. cap.* 6. §. 7. *pag.* 161. *ſeqq.* Legi etiam poſſunt Interpretes ad *Tit. Cod.* utriuſque *de Medicis & Profeſſoribus*, nec non *de Comitibus & Archiatris ſacri Palatii. Jo. Henr. Meibomii Comment. ad Caſſiodori Formulam Comitis Archiatrorum.* Ad utrumque praeterea argumentum, praeter *Dan. Vinck* Opus laudatum, conferri adhuc poſſunt *Andr. Tiraquellus* in *Opere de Nobilitate*, *cap.* 31. & *Jo. Gottl. Heineccius* in *Syntagm. Antiqq. lib.* 1. *tit.* 25. §. 19. & Scriptores Hiſtoriae Medicae, aliique, qui hanc rem obiter tantum attigerunt.

(*a*) Plinio] Auctor intelligit locum notabilem Plinii in *Hiſtoria Nat. lib.* xxix. *cap.* 1. ex quo diſcimus, A. U. C. 535. M. Livio Salinatore & L. Aemilio Paulo Coss. primum quidem medicum, nomine *Archagathum*, ex Graecia Romam veniſſe, eique jus Quiritium datum fuiſſe: ſed quum ille ſecandi urendique ſaevitia medicos odioſos reddidiſſet, deinceps ultra annum 600. ab U. C. ſine medicis vixiſſe Romanos. Poſtea ergo ſine dubio primi medici Romae fuerunt ſervi, ex Graecia in Italiam aſportati: quos Romani, creſcente indies luxu, maximo ſaepe pretio, ut alios artifices, emere ſolebant: quique deinde manumiſſi pro certa quoque mercede Romae medicinam exercuerunt. Subſequentibus vero temporibus, poſtquam Romae Medicina, Italiae Graecorum artes, jam in aliquo pretio eſſe coeperunt, liberi quoque homines ad medicinam exercendam ex Graecia Romam venerunt, qui ſub Imperatoribus non modo civitate donati, ſed & maximis praemiis aucti ſunt. Teſtatur tamen Plinius de ſuis adhuc temporibus, pauciſſimos Romanorum (quod de civibus originariis & ingenuis intelligo) hanc artem attingere. Haec paucis mea eſt ſententia, quae ad diſſentientes in concordiam redigendam fortaſſis haud erit inepta.

(*b*) Scribit] Locum hunc in Dioscoridis Operibus, licet ſedulo quaeſiverim, reperire non potui. Vide interim Plinium *Hiſt. Nat. lib.* xx. *cap.* 9.

cae uſum fuiſſe, cum non diu ad urbem conveniſſent medici, qui peregrina pigmenta ſecum attuliſſent, ſed ea tempeſtate militares viros glorioſos cicatrices gratuito olere curaſſe. Et ne noſtris omiſſis aliena laborioſius conſecter, hujus quoque rei non obſcura dant indicia *l.* 25. *patronus* §. 2. *l.* 26. *medicus. D. de oper. libert. l.* 16. *alimenta.* §. 1. *D. de alim. leg. l.* 10. *Sejo* §. *ult. D. de annuis leg. l.* 41. *Thais.* §. 6. *Lucius. D. de fideic. libert. l.* 1. §. 5. *ſin autem. C. de con. ſer. man.* Itaque & in familia medicos ſervos artificum numero locoque habitos ex Varrone *lib.* 1. *de re ruſt. cap.* 16. *&* Galeno *in lib. de curation. per ſang. miſſion. cap.* 17. *pag.* 39. *Cl.* VI. *ed. Lat.* patet. Hinc eſt, quod medico imperare dicantur aegroti in *d. l.* 26. *medicus D. de oper. libert.* & ſupra citato Senecae loco, quibus adde alium ejuſdem Senecae *lib.* VI. *de benef. cap.* 16. & alterùm Ciceronis in *Piſon. cap.* 34. *Sed & ei medico, quem tecum duxeras, imperaſti, ut venas hominis incideret.* Primus, quemadmodum Tranquilli *in Julii Caeſ. c.* 42. auctoritate adductus, exiſtimo, Julius Caeſar medicinam profeſſos Romae civitate donavit. Auguſtus deinde, cum Antonii Muſae (*a*) liberti opera gravi ac perículoſo morbo afflictam valetudinem recuperaſſet, in beneficii praemium, laboriſque eximii mercedem, Muſae ipſi praeter magnam pecuniarum vim, aureorum annulorum jus; univerſo vero medicorum ordini a muneribus civilibus immunitatem dedit. Quod Dio *lib.* LIII. *pag.* 517. his verbis retulit: Καὶ διὰ τοῦτο καὶ χρήματα παρά τε τοῦ Αὐγούστου καὶ παρὰ τῆς βουλῆς πολλά, καὶ τὸ χρυσοῖς δακτυλίοις (ἀπελεύθερος γὰρ ἦν) χρῆσθαι, τήν τε ἀτέλειαν καὶ ἑαυτῷ καὶ τοῖς ὁμοτέχνοις, οὐχ ὅτι τοῖς τότε οὖσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔπειτα ἐσομένοις ἔλαβεν. *Quamobrem & ab Auguſto, & a ſenatu, pecuniam multam accepit, juſque aureorum annulorum, (libertus enim erat) praetereaque immunitas, non ipſi tantum, ſed omnibus eandem artem & nunc, & in poſterum exercentibus, conceſſa eſt.* Hoc amplius, ſtatuam ei patres aere collato juxta ſignum Aeſculapii ſtatuiſſe Tranquillus *in vita Auguſt. c.* 59. auctor eſt, cujus beneficio Auguſtum conſervatum Plinius quoque *lib.* XIX. *cap.* 8. *& lib.* XXV. *cap.* 7. *& lib.* XXIX. *cap.* 1. memorat. Atque hiſce in Muſam collatis honoribus ornata medicina, paullatim ad aliquem amplitudinis gradum pervenit. Confirmata enim eſt Veſpaſiani, Hadriani, aliorumque Imperatorum reſcriptis, medicis data ab Auguſto immunitas, *l. ult. in fin. D. de munerib. & honorib.* Tandemque ad certum numerum revocata, verentibus Imperatoribus, ne eo propoſito praemio ad medicinam quiſque civilium munerum evitandorum cauſa animum adjungeret. Inde eſt, quod Galenus *lib.* IX. *de placitis Hippocrat. & Platon. cap.* 5. *pag.* 565. *Cl.* I. *ed. Lat.* quoſdam medicinam factitare ſcribit (*b*) immunitatem & vacationem munerum eo nomine conſequebantur vel habebant. Itaque in ſingulis civitatibus medicorum, qui immunitate fruerentur, numerum definiri placuit, qui & decreto ordinis probarentur: eaque de re Modestinus epiſtolam Antonini Pii refert in *l.* 6. §. 2. *D. de excuſat. tut.* ejuſque ſtatuti numeri meminere *l.* 1. *D. de decret. ab ord. fac. l.* 1. *& l.* 5. *de Profeſſorib. & Med. l.* X. *C.* Nec tamen intra eum numerum, qui erant ordine invito, ut a Diocletiano ſaepius reſcriptum dicitur, immunitatem habebant. *l.* 5. *nec intra. C. de Profeſſorib. lib.* X. *C.* Quod argumento eſt, decreto decurionum vel iis, qui ſtatuto numero continebantur, immunitatem tributam fuiſſe. Caeterum valde artis ſuae decus Commodi temporibus Claudius Galenus auxit, cui ſummos Romae honores habitos, ſtatuamque publice poſitam ferunt. Sub Alexandro plane medicus unus Palatinus ſalarium accepit, ut Lampridius in ejus vita *cap.* 42. teſtatur: ceteri omnes, qui uſque ad ſex fuerunt, annonas binas aut ternas accipiebant. Sed & data medicis a ſuperioribus principibus beneficia *Impp. Conſtantinus, Honor. & Theod.* confirmarunt, quorum in Juſtinianeo Theodoſianoque Codice etiamnum conſtitutiones extant. (*Tit. de Medicis & Profeſſoribus.*) Quorum omnium veſtigiis inſiſtens Julianus, oneribus municipalibus medicos Graeca conſtitutione liberavit, quam ex ejus Epiſtolis (*c*) quod ad rem faciat, huc tranſſcribere dignum putavi. Τὴν ἰατρικὴν ἐπιστήμην σωτηριώδη τοῖς ἀνθρώποις τυγχάνειν τὸ ἐναργὲς τῆς χρείας μαρτυρεῖ. διὸ καὶ ταύτην ἐξ οὐρανοῦ πεφοιτηκέναι δικαίως φιλοσόφων παῖδες κηρύττουσι. τὸ γὰρ ἀσθενὲς τῆς ἡμετέρας φύσεως, καὶ τὸ τῶν ἐπισυμβαινόντων ἀρρωστημάτων ἐπανορθοῦται διὰ ταύτης. καὶ γὰρ κατὰ τὸν τοῦ δικαίου λογισμόν, συνῳδὰ τοῖς ἄνωθεν βασιλεῦσι θεσπίζοντες, ἡμετέρᾳ φιλανθρωπίᾳ κελεύομεν, τῶν βουλευτικῶν λειτουργημάτων ἀνενοχλήτους ὑμᾶς τοὺς λοιποὺς χρόνους διάγειν. *Artem medicam hominibus ſalutarem eſſe, uſus ipſe demonſtrat. Quare eam e coelo delapſam, non immerito philoſophi praedicant. Etenim naturae*

(*a*) Musae] De Antonio Muſa, Auguſti Medico, *Diſſ.* ſingularis, Praeſ. *Lud. Chriſt. Crellii*, & Reſp. *Jo. Frid. Crellii*, prodiit *Lipſ.* 1725.

(*b*) Scribit] Periodus manca eſt, & hinc inferenda particula *quia*: vel legendum: *ut imm. & v. m. e. v. conſequerentur vel haberent.* Locus ipſe Galeni in *ed. Lat.* ita legitur: *Quippe quum nonnulli lucri cauſa medicinam exerceant, quidam ob ſibi legibus conceſſam immunitatem, ac reipublicae vacationem.*

(*c*) Epistolis] In editione *Ezech. Spanhemii* legitur inter *Epiſt.* 25. & 26. *pag.* 398. ſub titulo: Ἰουλιανοῦ νόμος περὶ τῶν ἰατρῶν, *Juliani lex de Medicis.*

turae noſtrae infirmitas, & valetudinis offenſiones, quae quotidie incidunt, per hanc corriguntur. Quamobrem, ſicut aequitatis ratio poſtulat, nos ſuperiorum Imperatorum auctoritatem & vocem ſecuti, pro noſtra humanitate jubemus, vos ſenatoriis muneribus liberos in poſterum vivere. Quae conſtitutio etiam Latine reddita extat in *l.* 4. *ratio aequitatis. de Medic. & Profeſſ. in Cod. Theod. lib.* XIII. *tit.* 3. his verbis: *Ratio aequitatis expoſcit, ut veterum privilegia principum circa vos cenſeamus eſſe firmanda. Proinde noſtrae manſuetudinis ſanctione ſubnixi, ſecuri a moleſtiis munerum omnium publicorum, reliquum tempus aetatis jugiter agitabitis.* Haec conſtitutio Latina ad Archiatros ſcribitur; illa Graeca inſcribitur: νόμος περὶ ἰατρῶν. Non eſt ergo, quod quemquam offendant haec Jureconſulti verba in *d. l.* 26. *medicus D. de oper. libert. cum multos haberet imperantes ſibi* (*a*). VARRO *lib.* 1. *de re ruſt. cap.* XVI. *Itaque in hoc genus coloni potius anniverſarios habent vicinos, quibus imperant* (*b*) *medicos, fullones, fabros, quam in villa ſuos habeant, quorum nonnunquam unius artificis mors tollit fundi fructum.*

CAP IV.

Medicos olim χειρούργους *fuiſſe demonſtratur.*

Quoniam in Medicorum ſermonem venimus, praetermittendum non puto, idcirco ignobilius medicorum munus fuiſſe, quod ipſimet manibus ſuis olim venas inciderent, medicamenta praeberent, clyſteres, emplaſtra, collyria admoverent, iiſdemque omnibus, quibus hodie chirurgi, partibus fungerentur (*c*). Cujus rei ex libris quoque noſtris non dubia argumenta promi poſſunt: vel illud inprimis, quod adverſus medicum, qui imperite ſervum ſecuerit, ex locato, vel ex l. Aquilia actionem dari, traditur in *l.* 7. *qua actione.* §. *ult.* & *l.* 8. *idem juris. D. ad Leg. Aquil.* Et quod in inſtrumento medici collyria, emplaſtra, ferramenta a PAULO poni legimus, in *l.* 18. *cum de lanionis.* §. 10. *in inſtrumento. D. de inſtruc. & inſtr. & lib.* III. *Sentent. titul.* VI. §. 62. Hoc idem aliorum quoque auctorum teſtimoniis perſpicue comprobatur, quorum me multitudo ipſa pene obruit. CICERO *in Piſon. c.* 34. *Sed ei medico, quem tecum duxeras, imperaſti, ut venas hominis incideret.* DIO *lib.* LII. *pag.* 482. Ὥσπερ οὐδὲ ὁ ἰατρὸς, καύσας τινὰ καὶ τεμών. *Quemadmodum neque medicus,* (peccat) *qui urit atque ſecat.* LAMPRIDIUS *in Commodo, cap.* 11. *Imitatus eſt & medicum, ut ſanguinem hominibus mitteret ſcalpris feralibus.* CAPITOLINUS in *Marco Anton. Phil. cap.* 15. *Vel certe per medicum Poſidippum, qui ei ſanguinem intempeſtive dicitur emiſiſſe.* B. AUGUSTINUS *lib.* 1. *Muſicae. cap.* 4. in fine: *Nam & medicos audire ſoleo, doctiſſimos viros, ſaepe in ſecandis, vel quoquomodo comprimendis membris, in eo, quod manu ac ferro fiat, ab imperitioribus antecedi. Quod genus curandi chirurgiam nominant, quo vocabulo ſatis ſignificatur operaria quaedam in manibus medendi conſuetudo.* ARRIANUS *lib.* 3. *Diſſertat. Epict. cap.* 23. [*p.* 21.] ἰατρεῖα, id eſt, *tabernae*

(*a*) SINT] Confer de hac lege *Marci Lycklamae Membr. lib.* 11. *cap.* 19. *Corn. van Bynkershoek Obſerv. lib.* III. *cap.* 7. *pag.* 164. *ſeq.*

(*b*) IMPERANT] Ita etiam edidit Cel. *Jo. Matth. Geſnerus*: quidam tamen codd. exhibent: *imperent*; quos ſequitur editio *Amſtel.* 1623. *Opp. Varronis.* Quia vero locus paulo eſt obſcurior, non inutile erit, ſi hic apponam interpretationem laudati Geſneri. *Talium*, inquit, *praediorum domini, qui viciniam habent copioſam, potius in ſingulos annos mercede ſibi conducunt a vicino operas medicas, fullonias, fabriles, quam ut ſua pecunia paratos id genus homines ſuo ſumtu alant, cum periculo, ne mancipii ejusmodi pretioſi morte damnum fiat aequale fructui fundi.* Ex hiſce ergo judicari poterit, num locus hic Varronis ad interpretationem *leg. cit.* commode ab auctore adductus ſit, nec ne: id tamen ſaltem exinde patet, quod auctor ſupra recte ex eo probavit, divites Romanos in familia ſua ſervos medicos artificum loco habuiſſe: quamvis hic ſine dubio non ſoli hominum, ſed & pecudum medici intelligantur.

(*c*) FUNGERENTUR] Aſt non omnes tamen promiſcue hoc fecerunt. Quemadmodum enim jam antiquitus Medicina ipſa in tres partes diviſa fuit, διαιτητικὴν ſcilicet, φαρμακευτικὴν, & χειρουργικήν: ita etiam Medicorum alii hanc, alii aliam tantum partem profeſſi ſunt, ut ex CELSI Praefatione ad *lib.* I. & VII. *de re medica* apparet. Immo juxta *L.* 1. §. 3. *D. de extraord. cognit.* fuerunt etiam, qui alicujus tantum corporis partis, vel certi doloris ſanitatem pollicerentur. (Adde CICERONEM *de Orat. lib.* III. *cap.* 33.) Hinc in antiquis monumentis crebro occurrunt Medici vulnerarii, ſive chirurgi, clinici, ocularii, jatraliptae, mulomedici, &c. (Vide e. g. *Raph. Fabretti Inſcript. pag.* 299. *ſeqq.*) Omnes tamen ſub communi medicorum appellatione comprehendebantur, ut adeo Medici nomen apud Romanos tam late patuerit, ut apud Germanos denominatio *Artz*: habemus enim apud nos v. g. *Wund-Aertze*, *Pferde-Aertze*. Neque etiam conſtans & ſolida ſatis eſt obſervatio *Raph. Fabretti*, qui *l. c. pag.* 301. ſcribit, Medicos abſolute & ſine appoſitione eos tantum dictos fuiſſe, qui omnium morborum remedia cognoverant. Aſſentior potius SCRIBONIO LARGO *de Compoſ. Med. cap.* 120. dum ſcribit: *Multos itaque animadvertimus unius partis ſanandi ſcientia medici plenum nomen conſecutos.* (Vide ibi *Jo. Rhodii notas.*) Appoſite ergo & eleganter *Jac. Raevardus* in *Comm.* ad *L.* 132. *D. de R. J. pag.* 287. ita pronuntiat: *Verius exiſtimo dici poſſe, omnes chirurgos Medicos appellari, quam Medicos omnes Chirurgos fuiſſe.* Haec vel ideo probe ſunt notanda, ne tota illa, utrum medici olim ſimul fuerint chirurgi, diſputatio in logomachiam evadat. Confer interea Scriptores Hiſtoriae Medicae, & *Jo. Brodaei Miſcell. lib.* X. *cap.* 10. nec non Scripta criſtica *Middletoni* adverſariorumque illius.

nae *ſive officinae medicae*) meminit, quo nonnulli humero luxato atque apoſtemate laborantes accedebant (*a*). Galenus *lib.* v. Θεραπευτικῆς Μεθόδου, *de medendi ration. cap.* 7. *pag.* 87. *Tom.* iv. *Opp.* (*pag.* 63. *Cl.* vii. *ed. Lat.*) Θεραπευτῇ (*b*) μεθυδιώσαντες, ait, τὸν βραχίονα τοῦ μέλλοντος αὐτὸν φλεβοτομεῖν ἰατροῦ, συνέβη κυρτωθῆναι τὴν ἀρτηρίαν. *Quum enim Medicus, qui venam inciſurus erat, brachium hominis deligaſſet, contigit attolli velut in gibbum arteriam.* Et mox; Ὁ μὲν οὖν ἰατρὸς, ἦν δὲ πάνυ νέος, καὶ ἄπειρος τῆς τέχνης τῶν ἔργων, ὥστε διῃρηκέναι τὴν φλέβα. *Ac medicus quidem, uti erat admodum juvenis, & operum artis parum peritus, venam ſe incidiſſe putabat.* Idem *lib.* vi. ad fin. *pag.* 106. (84.) Διατρίψας δ' ἐν Ῥώμῃ τὰ πλεῖστα τῷ τῆς πόλεως ἔθει συνηκολούθησα. παραχωρήσας τοῖς χειρουργοῖς καλουμένοις, τὰ πλεῖστα τῶν τοιούτων ἔργων (*c*). *Sed quum Romae plurimum agerem, civitatis morem ſum ſecutus, permiſſa iis, quos Chirurgos vocant, maxima ejusmodi operum parte.* Seneca *lib.* vii. *epiſt.* 52. *Numquid aeger laudat medicum ſecantem?* Accedat & Suetonii *in Ner. cap.* xxxvii. locus, & quod Plinius *lib.* xxix. *cap.* 1. ſcribit, Artagathum medicum a ſaevitia ſecandi urendique in carnificem tranſiiſſe. Galenus plane ipſe in *lib. de curation. per ſanguin. miſſion.* venas ſe aperuiſſe aliquotiens narrat. Hinc & ſorcipes ſecandi cauſa medicis a Soſipatro Charisio *Inſtit. Grammat. lib.* 1. *pag.* 74. *ed. Putſch.* tribuuntur, quos praeterea vulneribus manus attuliſſe, & inunxiſſe, virilitatem excidiſſe, aliaque omnia per ſe expleviſſe, ad quae aliena nunc opera utuntur, ut aliquem modum ſaciam, Plinius *lib.* vii. *cap.* 3. Seneca *lib.* iii. *de ira.* (*d*) Gellius *lib.* xii. *cap.* 5. Paulus *lib.* v. *Sent. titul.* xxii. §. 3. Ulpianus *in l.* 4. §. *ult. D. ad Legem Cornel. de ſic.* probant.

CAP. V.

Qui ſint caligati milites, & unde appellentur.

Parum liquet, quo ſenſu caligati milites appellentur in *l. 2. pr. D. de his, qui not. infam. l. 21. a caligato. C. de nup. l. 9. de militibus. D. de cuſtod. reor. l. 6. omne.* §. 5. *D. de re milit.* Idque in controverſiam a plerisque vocari ſcio. Justinianus certe in *Nov.* lxxiv. *Quib. mod. natur. efficiant. legit. c.* 4. §. 3. caligatos viliores, & obſcuriores, & quos gregarios (*e*) dicimus, milites interpretatur. Quam interpretationem Suetonii verba haec in *Auguſto*, *c.* 25. comprobant: *Murales coronas quam parciſſime & ſine ambitione etiam caligatis tribuit.* Idem in *Caligula*, *cap.* 9. & in *Vitellio*, *c.* 7. *Veterem de ſe perſuaſionem Vitellius recentibus etiam de ſe experimentis auxerat, tota via caligatorum quoque militum obvios exoſculans.* Nec appellationis hujus ratio obſcura eſt. A caliga enim nomen ductum eſt, quod vulgare fuiſſe conſtat vel infimi ordinis militum calceamentum. Unde & Imperatori Cajo *Caligulae* cognomen tributum Tacitus *lib.* 1. *Annal. c.* 41. & Dio *lib.* lvii. *pag.* 605. (ubi caligas ὑποδήματα στρατιωτικὰ vocat) tradunt, quod in caſtris genitus, & contubernio legionum eductus, plerumque ad concilianda vulgi ſtudia eo tegmine pedum uteretur (*f*). Sic Ventidium Baſſum juventam inopem in caliga militari toleraſſe: & ſic a caliga Marium ad conſulatum perductum Seneca *lib.* v. *de Beneſic. cap.* 16. & Plinius *lib.* vii. *cap.* 43. ſcribunt. Nec tamen gregarios ſolum, ſed & ipſos centuriones, ducesque in caſtris caligatos fuiſſe indicio eſt, quod Julianum centurionem, caligas creberrimis atque acutis clavis ceterorum militum more fixas geſtantem, dum ſtrato ſaxeis cruſtis ſolo curreret, lapſum Josippus *lib.* vii. *de bello Jud. cap.* 3. (al. *lib.* vi. *cap.* 1.) refert. Ex quo conjicio, commune omnium, qui in caſtris verſabantur, id calceamentum fuiſſe, quod & a Dione στρατιωτικὸν ὑπόδημα appellatur *lib.* xlviii. *pag.* 363. Sed enim in caligarum ornatu facile potuit elucere gregariorum & clariorum militum differentia. Clavis enim caligae figebantur, iisque vel ferreis, vel argenteis, vel aureis, ut quiſque luxu atque opibus diffluebat. Atque in exercitu quidem Antiochi Syriae regis tantum auri argentique fuiſſe, memoriae a Valerio *lib.* ix. *cap.* 1. *ex.* 4. & Justino *lib.* xxxviii. *c.* 10. proditum eſt; ut

(*a*) Accedebant] Eſt locus elegans, qui legi meretur, quo ſcholam philoſophorum cum taberna ſive officina medica comparat.

(*b*) Θεραπευτῇ] Hoc vocabulum in ea, qua uſus ſum, editione non legitur: & pro μεθυδιώσαντες legitur: ζώσαντες

(*c*) Ἔργων] Ex hoc loco, quod obiter noto, clariſſime patet, Romae Galeni ſaltem temporibus Chirurgos a caeteris Medicis fuiſſe ſeparatos.

(*d*) De ira] *Cap.* 39. Adde ejusdem *lib.* 1. *de ira*, *cap.* 5. *Conſolat. ad Marc. cap.* 22. & *Epiſtolam* 95.

CAP. V. Ad hoc & duo ſequentia capita conferendi ſunt ſcriptores de militia Romanorum: in ſpecie vero ad hoc caput ſcriptores de calceis veterum Romanorum, inprimis *Julii Nigronii* liber *de caliga*, legi utiliter poſſunt. Confer praeterea *Laevini Torrentii* notas ad *Sueton. Aug. cap.* 25. *Marcelli Donati Dilucid.* ad *Sueton. pag.* 312. *Tom.* vi *Theſ. Crit. Grut. Juſti Lipſii* notas ad *Tacit. Annal. lib.* 1. *cap.* 41. *Joſephi Caſtalionis Obſervatt. Dec.* ii. *cap.* 4. *Joſephi Laurentii Polymath. lib.* 1. *diſſ.* 6. *Henrici Salmuth Annot.* ad *Guid. Pancirolli Rer. Memorab. lib.* 1. *cap.* 44. *pag.* 170. *ſeq.*

(*e*) Gregarios] Dicuntur etiam Manipularii, ſive Manipulares. (Vid. Suetonius in *Aug. cap.* 24.) Eodem ſenſu Caligati vocabulum occurrit apud Quinctilianum *Declam.* iii. *cap.* 15. & 19.

(*f*) Uteretur] Sic etiam Suetonius in

ut etiam gregarii milites caligas auro figerent. Caligares (*a*) inde clavi a Plinio *Hiſt. Nat. lib.* ix. *cap.* 18. *lib.* xxii. *cap.* 22. & *lib.* xxxiv. *cap.* 14. & a Sosipatro Chariſio *lib.* 1. *Inſtit. Grammat. pag.* 59. *ed. Putſch.* & ab Isidoro *lib.* xvi. *cap.* 20. memorantur: eoque pertinere Juvenalis iſte verſus creditur: (*Sat.* iii. *v.* 248.)

—— *Et in digito clavus mihi militis haeret.*

Et alibi (*Sat.* xvi. *v.* 25.) *Millia clavorum* dicit.

Ab urbe autem in caſtra tranſiiſſe eam auratorum clavorum luxuriam, credibile eſt. Nam & urbana calceamenta ejuſmodi clavis ſuffigi ſolita, Plinius *lib.* xxxiii. *cap.* 3. Festus *lib.* iii. *v. clavata.* & Isidorus *lib.* xix. *Etymol. cap. ult.* indicant. D. Augustinus *Tractatu* x. *in Epiſtolam B. Joannis, cap.* 8. *Tanquam ſi velit tibi aliquis oſculari caput, & calcare tuos pedes, forte caligis clavatis contereret pedes tuos.* Et in Graecia quoque eundem luxum viguiſſe ex eo apparet, quod Agnonem Tejum Alexandri Magni praefectum aureis clavis crepidas ſuffigere ſolitum Plinius *lib.* xxxiii. *cap.* 3. ſcribit (*b*).

CAP. VI.

De veteri Militaris Ordinis conferendi ritu.

Eos, qui militiae nomen dabant, non prius militum numero habitos, quam jurejurando adacti, cincti, & in numeros relati eſſent, librorum noſtrorum auctoritate comprobatur. Sacramenti certe militaris meminit *l.* 2. *D. de privileg. veter. l.* 11. *miles. D. ad l. Jul. de adult. l.* 13. *milites.* §. 3. *miſſionum. l. ult. D. de re milit. l.* 2. §. 3. *D. de his, qui not. infam.* Milites enim ſacramento rogati in Rempublicam jurare ſolebant, ut plenam militiam haberent: cujus quidem ſacramenti fide rupta, militis nomen amitti docet *l.* 11. *ex militari. D. de milit. teſt.* Herodianus *lib. ult. cap.* 19. Maximus milites ita affatur: Καὶ νῦν φυλάσσοντες τὸν στρατιωτικὸν ὅρκον, ὅς ἐστι τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς σεμνὸν μυστήριον. *Servato etiam militari jurejurando; quod eſt unum Romani principatus myſterium ſanctiſſimum.* Hoc vero primum militiae vinculum Seneca *lib.* xv. *Epiſt.* 95. merito appellat, quo qui nondum obſtricti, aut etiam qui ſoluti eſſent, jure cum hoſtibus, quemadmodum *Catonis* ad Popillium epiſtola a Cicerone *lib.* 1. *Officior. c.* 11. & a Plutarcho *in Problemat. n.* 38. (*al.* 39.) *pag.* 273. *ſeq.* relata indicat, pugnare poſſe non videbantur. Servius in viii. *Aen. v.* 1. *Sacramentum*, inquit, *legitima erat militia, cum ſinguli milites jurabant.* Primum autem jurejurando milites fieri L. Flacco & Varrone Coſs. coepere (*c*). *Ante ea enim*, ait Frontinus *lib.* iv. *Stratagemat. cap.* 1. *num.* 4. *ſacramento tantummodo a Tribunis rogabantur: caeterum ipſi inter ſe conjurabant, ſe fugae atque formidinis cauſa non abituros, neque ex ordine receſſuros, niſi teli petendi, feriendive hoſtis, aut civis ſervandi cauſa.* Livius *lib.* xxii. *c.* 38. *Milites tunc, quod nunquam antea factum erat, jurejurando a Tribunis militum adacti, juſſu Coſs. conventuros neque injuſſu abituros. Nam ad eam diem nihil praeter ſacramentum fuerat*, id eſt, Conſulibus & ſenatui praeſtitum (*d*): de quo Dionysius Halicar. *lib.* x. *pag.* 644. *ſeq.* verba accipienda ſunt: Συναγαγὼν τὸ πλῆθος εἰς ἐκκλησίαν, εἶπεν ὅτι πάντες ὀμωμόκασι τὸν στρατιωτικὸν ὅρκον, ἀκολουθήσειν τοῖς ὑπάτοις ἐφ' οὓς ἂν καλῶνται

in vita *Calig. cap.* 9. *Caligulae cognomen*, ait, *caſtrenſi joco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur.*

(*a*) Caligares] ſive *caligarii clavi*: ita enim promiſcue vocantur.

(*b*) Scribit] Adde Aelianum *Var. Hiſtor. lib.* ix. *cap.* 3. Athenaeum *Deipnoſoph. lib.* xii. *cap.* 9. *pag.* 539. Plutarchum in Vita *Alexandri M. pag.* 688.

CAP. VI. Ad hoc caput inprimis conferendi ſunt auctores, qui de ſacramento militari ſcripſerunt. Vide etiam Auctoris *librum* iv. *de Form. Sollemn. init. pag.* 316. *ſeqq.* (337. *ſeqq.*) *Alexandrum ab Alexandro Dier. Genial. lib.* 1. *cap.* 20. *Marcellum Donatum in Dilucidat.* ad *Sueton. pag.* 751. *Tom.* vi. *Theſaur. Crit. Gruteri.*

(*c*) Coepere] Ita Frontinus, cujus verba ſunt: *L. Flacco & C. Varrone Coſſ. milites primo jurejurando facti ſunt.* Sed in prioris Conſulis nomine vel auctor errat, vel codices depravati ſunt: nam ex aliis fide dignis auctoribus conſtat, hoc factum fuiſſe L. Aemilio Paulo & C. Terentio Varrone Coſſ. A. U. C. 538. ſecundum aeram Varronianam. (Confer *Interpp.* ad *h. l.*) Suſpicatur quidem *Theod. Janſonius ab Almeloveen* in *Faſtis Conſul.* ad *h. a.* L. Flaccum forte fuiſſe Conſulem ſuffectum, occiſo in praelio Cannenſi L. Aemilio Paulo. Sed, praeterquam quod hoc ſine dubio jam ante pugnam Cannenſem factum fuerit, nuſquam etiam legimus, alium poſtea Conſulem ſuffectum fuiſſe, quod etiam minus erat neceſſarium, quum in reliquam anni partem Dictator diceretur a Varrone.

(*d*) Praestitum] Ex hiſce quidem locis ſatis apparet, fuiſſe olim quoque ſacramentum aliquod ſine jurejurando: poſtea vero illud cum jurejurando fuiſſe conjunctum. Differentiam tamen inter utrumque, licet a multis ſit tentatum, in ſilentio veterum, non poſſe exacte definiri exiſtimo.

ται πολέμους, καὶ μήτε ἀπολείψειν τὰ σημεῖα, μήτε ἄλλο πρᾶξαι μηδὲν ἐναντίον τοῦ δήμου. *Advocata concione, commonefecit omnes militaris ſacramenti, quo ſinguli promiſiſſent, ſecuturos ſe conſules, ad quodcunque vocarentur bellum, nec deſerturos ſigna, nec quicquam contra populi majeſtatem commiſſuros.* Jurejurando vero ſcripti milites a Tribuno militari adactos fuiſſe in verba haec GELLIUS *lib.* XVI. *cap.* 4. retulit: *In magiſtratu C. Laelii C. Filii Coſ. L. Cornelii P. Filii Cos. In exercitu, decemque millia paſſuum prope furtum non facies, &c.* Atque hoc in legitima militia ſervabatur: in tumultu enim ſinguli milites ſacramento propter imminentis periculi celeritatem non rogabantur, ut a SERVIO *in Virgil. Aeneid.* traditur (*a*). Caeterum ſub Chriſtianis Imperatoribus ita conceptam jurisjurandi militaris formulam VEGETIUS *lib.* II. *cap.* 5. oſtendit, ut jurarent milites per Deum, Chriſtum, & Spiritum Sanctum, & per majeſtatem Imperatoris, omnia ſe facturos, quae praeciperet Imperator, numquam deſerturos militiam, nec mortem recuſaturos pro Rom. Republica. Addit ISIDORUS *lib.* IX. *Etymol. cap.* 3. juraſſe eos, militia ſe niſi poſt completa ſtipendia non receſſuros, id eſt, poſt impleta legitima militiae tempora, quae idem auctor XXV. annorum ſpatio definita ſcribit, ſecutus, credo, SERVIUM, qui in *Aeneid. Virgilii* idem tradit (*b*). Qua tamen in re variatum eſt. Auguſtum, TRANQUILLUS *in ejus vita c.* 49. auctor eſt, ad certam ſtipendiorum praemiorumque formulam milites adſtrinxiſſe, definitis pro gradu cujuſque & temporibus militiae, & commodis miſſionum. Tempora ea fuiſſe DION *lib.* LIV. *pag.* 539. exponit, ut XII. annis Praetoriani milites, reliqui ſexdecim militiae obſtricti tenerentur (*c*). Praetorias tamen cohortes Tiberio imperante poſt impleta demum ſexdecim ſtipendia miſſionem impetraſſe, & commoda finitae militiae accepiſſe, TACITUS *lib.* I. *Annal. c.* 17. teſtatur. Quod beneficium etiam Pannonicis Germanicisque legionibus tumultus ſedandi cauſa ab eodem Tiberio conceſſum, in poſterum vero conſtitutum, ut, qui extra Italiam mererent, non niſi per viginti annos emerita ſtipendia miſſis daretur. Cum reliquis extra Italiam militantibus non niſi poſt XX. annorum militiam miſſio daretur, DION *lib.* LVII. *pag.* 606. refert (*d*). TACITUS *lib.* I. *Annal. cap.* 78. *Simul imparem oneri Remp. niſi viceſimo militiae anno veterani dimitterentur. Ita proximae ſeditionis male conſulta, quibus* XVI. *ſtipendiorum finem expreſſerant, abolita in poſterum.* Quod & manſiſſe credo, quando idem tempus ſequentibus Imperatoribus probari video, quibus poſt XX. annorum ſtipendia non ex cauſa ignominiae miſſos veteranorum privilegiis frui placet. *l.* 1. *C. de excuſ. veter. l.* 2. *de re milit. lib.* XII. *C. l.* 9. *veteranis. C. Quando provoc. non eſt nec. l. ult. C. de his, qui non implet. ſtip. lib.* X. Sacramento porro milites etiam ante decurſa ſtipendia honeſte plerumque ſolvebantur, valetudinis, vel aetatis jam ingraveſcentis cauſa, ex Imperatoris indulgentia miſſi facti. *l.* 2. *D. de privil. veter. l.* 2. §. 2. *ignominiae. D. de his, qui not. infam.*

CAP. VII.

De Militum cingendorum & diſcingendorum ratione.

Expoſito militaris ſacramenti ritu, conſequens eſt, ut reliqua militiae ſollemnia, a me initio hujus ſermonis propoſita, exequar. Cingi vero conſuevisse eos, qui inter milites recipiebantur, ex *l.* 43. *filiusfam. & l.* 25. *Titius. & l.* 38. *quod dicitur.* §. 1. *D. de mil. teſt.* facile colligi poteſt. Id quod in his quoque, qui Praefectura ornabantur, obſervatum fuiſſe, indicio eſt, quod XIPHILINUS de Trajano *lib.* LXVIII. *pag.* 778. ita ſcribit: Τῷ μέλλοντι τῶν δορυφόρων ἐπάρξειν, τὸ

(*a*) TRADITUR] Loca huc ſpectantia ſunt: ad *Aeneid.* II. *v.* 157. & ad *lib.* VII. *v.* 614. & ad *lib.* VIII. *v.* 1. Adde DONATUM ad *Terentii Eunuch. Act.* IV. *ſc.* 7. *v.* 2. & ISIDORUM Origg. *lib.* IX. *cap.* 3.

(*b*) IDEM TRADIT] Vide loca in nota praecedenti indicata.

(*c*) TENERENTUR] Id quod tamen haud diu obſervatum fuiſſe neceſſe eſt: nam paullo poſt, ſub ipſo Auguſto, ut narrat DIO *lib.* LV. *pag.* 563. conſtitutum fuit, ut Praetorianis exactis annis ſexdecim militiae viritim vicena millia numum; reliquis exactis demum viginti militiae annis duodena darentur. Ex quo intelligitur, neque DIONEM cum TACITO pugnare, ceu *J. Lipſius* in *Opere de Militia Rom.* putavit; (qui poſtea tamen veritatem quodammodo agnovit in *notis* ad *Tacit. Annal. lib.* I. *cap.* 17.) neque ex TACITI loco verba quaedam exciſiſſe, ceu ſuſpicatur Summus, dum viveret, Criticus, *Petr. Burmannus in Tract. de vectigalibus populi Rom. cap.* IX. *pag.* 149. *ed. novae.*

(*d*) REFERT] Senſum hujus periodi quilibet facile quidem perſpicere poteſt; verba tamen valde ſunt intricata, quod exinde venit, quia verba: *in poſterum —— miſſis daretur*, quae in editione tantum Pariſina Operum leguntur, ſine dubio ex auctoris annotationibus marginalibus deſumta ſunt, & correctionem ſequentium continere debent, quae tamen ab editore ſimul ſunt retenta.

CAP. VII. Praeter ſcriptores de militia Romanorum, conferri poteſt Tractatio mea *de Teſtamentifactione*, *Cap.* II. §. 20. ubi occaſione teſtamenti in procinctu quaedam de veteri ac recentiori cinctura militari admonui. Quaedam etiam huc ſpectantia attulit *Jo. Gottfr. Unger* in *Analectis antiquario-ſacris*, (editis *Lipſ.* 1740. 8.) *Sect.* I. *cap.* 6.

τὸ ξίφος, ὃ περιζώννυσθαι αὐτὸν ἐχρῆν, ὤρεξεν, ἐγύμνωσέ τε αὐτό. *Quum Praefecti praetorio munere functura gladium, quo cingendus erat, porrigeret, nudavit illum, &c.* Ammianus Marcellinus *lib.* xxvi. *cap.* 5. *Serenianus olim ſacramento digreſſus, recinctus eſt, ut Pannonius, ſociatusque Valenti domeſticorum praefuit ſcholae.* Fluxit autem mos iſte ex eo, quod, qui militabant, omnes cincti erant, quemadmodum Servius *in Aeneid. Virg.* tradit. (*a*) Ex quo (*b*) in procinctu facta teſtamenta, Festo interprete, dicebantur, quae milites pugnaturi, vel, ut planius Plutarchus, (*c*) ὅταν περιζώννυσθαι ἔμελλον, praeſentibus commilitonibus nuncupabant: de quibus Cicero *lib.* i. *de Orat. c.* 53. *& lib.* ii. *de Natur. Deor. c.* 3. & Vellejus Paterc. *lib. poſteriore*, *c.* 5. ut alios notiores omittam, meminere. Nec vero in caſtris diſcinctus quis ſine nota verſabatur: quinimo hoc grande ſcelus, morteque piandum militaris diſciplinae ſeveri cenſores credebant, ſi quis ambulaſſet, aut vallum ſubiiſſet diſcinctus. Exemplum Tacitus *lib.* xi. *Annal. c.* 18. praebet. Cui adde ignominiae militaris genus fuiſſe, ut diſcincti vel ſtare, vel opus facere milites cogerentur. Qua ignominia plerumque milites ſuos adfeciſſe Auguſtum, item & Marcellum ſuos, Tranquillus *in vita Aug. c.* 24. narrat, & Plutarchus in *Lucullo*. (*d*) Eademque ante eum coërcitione M. Curionem, & Marcellum uſos Frontinus *lib.* iv. *c.* i. *num.* 43. *Stratagemat.* cum Livio *lib.* xxvii. *c.* 15. prodidit. Itaque & eos, qui ſub jugum mittebantur, diſcinctos fuiſſe, Festus *lib.* ix. *v. jugum* adnotat. Denique quemadmodum cingi, qui ad aliquam militiam promovebant, ita diſcingi, qui exauctorabantur, conſueverant. Quod Herodianus *lib.* ii. *c.* 44. demonſtrat, cum praetorianis militibus ob Pertinacis caedem irrogatam poenam explicat: & Impp. recentiorum conſtitutiones ſatis docent, quae cinguli ademptione militares viros ſaepe multant. Poſtremo, in numeros milites referri debebant. Nam qui nondum in numeris erant, etiamſi lecti tirones eſſent, & publicis expenſis iter facerent (*e*), nondum tamen milites habebantur. *l.* 42. *ex eo. D. de milit. teſtam*

CAP

(*a*) Tradit] Ad librum ſcilicet *Aeneid.* viii. *v.* 724. Nempe antiquitus, quum adhuc togas geſtarent milites, ipſa togae lacinia cingere ſe ſolebant, & tunc in *cinctu Gabino* eſſe dicebantur, quia ritus iſte cingendi a *Gabiis* originem habuiſſe traditur. (vid. Festus *voc. endo procinctu*, & *procincta claſſis*: Servius ad *Aeneid.* vii. *v.* 612. Isidorus *Origg. lib.* xix. *cap.* 24.) Poſtea vero, quamvis togae loco ſaga ſumerent, nihilominus tamen peculiari cingulo utebantur milites, ut eo eſſent expeditiores: idque adeo proprium fuit militibus, ut cingulum, tanquam militiae ſignum, pro ipſa ſaepe militia a veteribus ponatur, ut vel ex lexicis notum. Conf. *Godeſchalci Stewechii Comment.* ad *Vegetium lib.* ii. *cap.* 3. *Auguſti Buchneri notas* ad *Plinium lib.* vii. *Epiſt.* 25. De cinctu vero Gabino conf. *Adriani Turnebi Adverſ. lib.* xxii. *cap.* 20. & *Henrici Noriſii Cenotaph. Piſan. Diſſ.* iii. *cap.* 7. *pag.* 637. *ſeqq. Tom.* iii. *Opp.*

(*b*) Ex quo] Nempe antiquitus milites, quum in eo eſſent, ut in hoſtem irruerent, ritu Gabinio cincti endo procinctu, id eſt, *in procinctu* eſſe dicebantur. (vid. Festus & Servius locis antea citatis.) Quando ergo hoc habitu, (qui pro religioſo apud Romanos habebatur) commilitonum quibusdam praeſentibus, ultimam ſuam voluntatem enunciarent, in procinctu teſtari, & teſtamentum hoc modo factum *in procinctu* dicebatur: de quo ex inſtituto egi in *Tract.* mea *de Teſtament. cap.* ii. §. 19. *ſeqq. p.* 45. *ſeqq.* ubi integra quoque veterum loca huc ſpectantia adduxi. Duo tamen Festi, quae tunc praeterii, hoc loco adſcribam, quia ea auctor ſine dubio, dum haec ſcriberet, in mente habuit. Primus eſto *voc. procincta claſſis*, qui ex eruditorum emendatione hodie ita legitur: *Procincta claſſis dicebatur, exercitus ad praelium inſtructus & paratus: quem Diali Flamini videre non licet: antiqui enim procinctum militem dixerunt, ut nunc quoque, cum exercitus inſtructus eſt. Procincta autem ideo, quod togis incincti ad pugnam ire ſoliti fuerint. Unde & teſtamenta in procinctu fieri dicta, quod faciunt ad pugnam ituri.* Quem locum Paulus in Epitome non male ita expreſſit: *Procincta claſſis dicebatur, quum exercitus cinctus erat Gabino cinctu confeſtim pugnaturus.* Alter locus, qui *voc. in procinctu* exſtat, eſto: *In procinctu factum teſtamentum dicitur, quod miles pugnaturus nuncupat, praeſentibus commilitonibus.*

(*c*) Plutarchus] Auctor intelligit locum *in vita Coriolani*, *pag.* 217. quem integrum exhibui in *Tract. mea cit. pag.* 45. qui tamen hic quoque legi meretur, quia auctor memoriae vitio, ut credo, verba non recte adduxit. Ἦν δὲ τότε τοῖς Ῥωμαίοις ἔθος, εἰς τάξιν καθισταμένοις, καὶ μέλλουσι τοὺς θυρεοὺς ἀναλαμβάνειν, καὶ περιζώννυσθαι τὴν τήβεννον, ἅμα καὶ (alii legunt ἢ) διαθήκας ἀγράφους τίθεσθαι, τριῶν καὶ (alii legunt ἢ) τεττάρων ἐπακουόντων, ὀνομάζοντας τὸν κληρονόμον. Quem locum ita verto: *Mos erat Romanis eo tempore, ut in ipſa acie ſtantes, quum jam ſumturi ſcuta eſſent, togamque praecincturi, ſimul teſtamenta ſua non ſcripta facerent, heredem ſuum, tribus aut quatuor audientibus, clare nuncupantes.*

(*d*) Lucullo] Plutarchus in vita *Luculli*, *pag.* 501. hoc quidem de Lucullo narrat; non vero de Auguſto, neque de Marcello. Auctor ergo fortaſſis pro *Marcellum* ſcribere voluit *Lucullum*, quum praeſertim de Marcello paullo poſt iterum ſermonem faciat.

(*e*) Facerent] Immo, etiamſi jam ſacramento eſſent rogati. Vid. Plinius *lib.* x. *Epiſt.* 38. *ſeq.*

CAP. VIII.

De incendiorum cura apud Rom. & inſtrumentis ad arcenda incendia comparatis.

Urbem Romam incendiis obnoxiam fuiſſe, nemo eſt in hiſtoricorum libris vel mediocriter verſatus, qui neſciat. Eoque nomine a *Martiali ep. lib. incendium* hoc verbum ambitu *nimium caſus in urbe frequens* (*a*). His arcendis, apud vetuſtiores, quemadmodum PAULUS in *lib. 1. D. de offic. praef. vig.* ſcribit, Triumviri praeerant, qui ab eo, quod excubias agerent, nocturni (*b*) ſunt appellati. Quorum muneri id incubuiſſe, ut noctu oborta incendia, ne latius pervagarentur, reſtinguerent, ex eo perſpicue apparet, quod a VALERIO MAX. *lib.* VIII. *cap.* 1. *ex. damn.* 5. 6. relatum eſt, M. Miltium (*c*) Cn. Lollium & L. Sextilium Triumviros, quod ad extinguendum ſacra via incendium tardius venerant; nec non Publium Villium Triumvirum nocturnum, quod vigilias negligentius circumierat, a Trib. pleb. die dicta ad populum damnatos eſſe. Sed & hoc perſpicue LIVIUS indicat (*d*) *lib.* XXXIX. *cap.* 14. his verbis: *Triumviris*, ait, *capitalibus mandatum eſt, ut vigilias diſponerent per urbem, ſervarentque, ne qui nocturni coetus fierent, utque ab incendiis caveretur.* De quibus etiam accipienda ſunt haec ejuſdem auctoris verba, ex eodem *lib. cap.* 16. *Vigiliarum nocturnarum curam per urbem minoribus magiſtratibus mandavimus.* Unde Triumviratus nocturnus apud eumdem LIVIUM *lib.* IX. *ad fin.* Interveniſſe etiam nonnumquam Aediles (*e*), idem PAULUS auctor eſt. Idque negotii eis non ſemel ab Auguſto datum, addita etiam ſexcentorum ſervorum ad eam rem curandam ſamilia, in DIONE legimus. (*f*) Verba ejus *lib.* LIII. *pag.* 513. haec ſunt: Τοῖς δ' ἀγορανόμοις παρεχέημα ἐπιμεληθῆναί τε, ὅπως μηδὲν ἐμπιπρῆσθαι, κἂν ἄρα τι τοιοῦτον συμβῇ, κατασβεννύειν τὸ πῦρ προσέταξε. *Tunc Aedilibus mandavit, ut caverent, ne qua incendia exiſterent, aut ſi exſtitiſſent, ignis reſtinguendi curam gererent.* Et *lib.* LIV. *pag.* 522. Τοῖς δ' ἀγορανόμοις τοῖς κουρουλίοις τὴν τῶν ἐμπρησμένων κατάσβεσιν ἐγχειρίσας, ἑξακοσίους σφίσι βοηθοὺς δούλους δούς. *Aedilibus curulibus incendia exſtinguenda mandavit, ſexcentis ſervis, quorum ad haec uterentur opera, datis.* VELLEJUS quoque PATERCULUS *lib. poſteriore c.* 91. Egnatium Rufum magnam in Aedilitate extinguendis privata familia (*g*) incendiis populi gratiam collegiſſe ſcribit. Vetum enim vero

pluti-

CAP. VIII. Confer cum hoc capite Viri Cel. *Chriſt. Falſteri Amoenitates philologicas, Tom.* 1. *num.* 53. *Gabriel Chriſtoph. Marquardi Diſſ. de cura Romanorum circa incendia, ed. Lipſ.* 1689. & inprimis *Laur. Andr. Hambergeri Diſſertationes duas de Incendiis*, quae inter Opuſcula Juridica V. Cl. *Jenae* 1740. edita primum locum occupant.

(*a*) FREQUENS] Auctor fortaſſis ſcripſit, aut ſcribere voluit: *hoc verborum ambitu deſcribitur.* Fateor tamen, me, quem MARTIALIS locum in animo habuerit, ne divinando quidem aſſequi potuiſſe.

(*b*) NOCTURNI] Quando primum inſtituti fuerint, incertum eſt. Antiquiſſimus, quem hactenus a veteribus memoratum invenire potui, eſt Cn. Flavius apud LIVIUM *lib.* IX. *cap.* 46.

(*c*) MILTIUM] Hoc nomen varie legitur in MSS. & impreſſis Codd. ut in notis ad *ed. noviſſ.* indicavit *Abraham. Torrenius, pag.* 706.

(*d*) INDICAT] Immo LIVIUS iſto in loco non Triumviris Nocturnis; ſed de Triumviris Capitalibus ſermonem facit, qui iſto de tempore (ut ego hiſtoriam interpretor) extra ordinem hac in parte Triumviris Nocturnis additi ſunt. Quumque hi utriusque generis Triumviri periculoſiſſimis hiſce temporibus nondum ad Urbis tutelam ſufficere viderentur, adjutores iis Quinque viri dati ſunt, *ut cis Tiberim ſuae quisque regionis aedificiis praeeſſent.* Ita LIVIUS. Num vero hi Quinque viri iidem ſint cum iſtis, quos POMPONIUS *l.* 2. §. 31. *D. de O. J.* commemorat, ut viris doctis placere video, mihi nondum ſatis liquet. Id interim certum eſt, hoſce omnes conjunctim per *Minores Magiſtratus* ſignificari a LIVIO in loco paullo poſt ab auctore laudato.

(*e*) AEDILES] Quia hi erant Curatores urbis, teſte CICERONE *de Legib. lib.* III. *cap.* 3. Triumviri ergo nocturni noctu Aedilium vicem geſſiſſe videntur, quia majoribus magiſtratibus veſpertinis temporibus in publico eſſe inconveniens erat, ut loquitur POMPONIUS in *L.* 2. §. 31. *D. de O. J.* Tribunos plebis etiam nonnunquam (extra ordinem tamen, ut puto) interveniſſe in *L.* 1. *D. de offic. praef. vig.* legitur. Sic in majoribus ſaltem incendiis, & ubi periculum majus aliquod imperium requirere videbatur, Conſules quoque intervenire ſolitos fuiſſe, docet CICERO *Orat. in Piſon. cap.* 11. Eodem modo poſtea Imperatores quoque ipſi, immo & Imperatrices, adeſſe ſolebant, ut ex SUETONIO in *Claud. cap.* 18. & in *Tib. cap.* 50. perſpicere poſſumus.

(*f*) LEGIMUS] Nun, quod antea haec cura iis non incubuerit: ſed partim, quia Aediles ante Egnatium illum Rufum hac in parte negligentiores fuiſſe videntur; partim ut illum doceret, ne quid praeter caeteros ſibi ſumeret. Vide DIONEM *lib.* LIII. *pag.* 513.

(*g*) PRIVATA FAMILIA] In quo praecipue ejus meritum conſiſtebat: nam erat & publica familia circa portas & muros ad id diſpoſita, ut loquitur PAULUS in *L.* 1. *D. de offic. praef. vig.* Quae verba de Collegiis Fabrorum, ob hanc cauſam inſtitutis, explicat *Samuel Petitus Miſcell. lib.* III. *cap.* 21. quam vere, videant alii; mihi interim ea de ſervis publicis (de quibus etiam loquitur DIO *l. c.*) intelligenda eſſe videntur, in quibus tamen fabros etiam fuiſſe non nego. Caeterum loco VELLEJI PATERCULI citato abuti *Briſſonium* putat *Cl. Hambergerus Diſſ. priori de Incendiis pag.* 29. *lit. e. in not.* eumque ſic accipiendum, ut Egnatius Rufus privata familia incendiis extinguendis uſus fuerit non ex officio ſuo Aedilitio, quippe ex quo ſervos publicos adhibere debebat, verum ut privatus; perinde atque plures privatae familiae erant, quae incendia vel mercede, vel gratia exſtinguerent, ſecundum ea, quae PAULUS ſcribit *d. l.* 1. *D. de offic. praef. vigil.*

pluribus ſimul excitatis incendiis, cum ei oneri Aediles non ſufficerent (*a*), majori multitudine opus eſſe Augustus videns, (*b*) ſeptem vigilum cohortes inſtituit, qui per urbis regiones diſpoſiti (*c*), excubantesque diurna nocturnaque incendia arcerent, ut idem Paulus *in l.* 3. *D. de offic. praef. vig.* & Suetonius *in Aug. cap.* xxv. & xxx. & Strabo *lib.* v. *Geogr.* referunt. Incendiorum namque vigiles curam geſſiſſe docent haec Senecae verba *epiſt.* lxiv. *lib.* viii. *Intervenerant quidam amici, propter quos major fumus fieret, non hic, qui erumpere ex lautiorum culinis, & vigiles terrere ſolet.* Atque has adverſus incendia vigilum cohortes ex libertinis conſcriptas, dato ex Equeſtri ordine praefecto (*d*), Dion *lib.* lv. *pag.* 566. commemorat. Ἐπειδὴ, ait, ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ πολλὰ τῆς πόλεως πυρὶ διεφθάρη, ἄνδρας τε ἐξελευθέρους ἑπταχῇ πρὸς τὰς ἐπικουρίας αὐτῆς κατελέξατο, καὶ ἄρχοντα ἱππέα αὐτοῖς προσέταξεν, ὡς καὶ δι' ὀλίγου σφᾶς διαλύσων, οὐ μέντοι καὶ ἐποίησε τοῦτο. *Quum eo tempore multa in urbe incendiis eſſent vaſtata, libertinos ſeptem locis ad ea curanda conſtituit, eisque equitem praefecit: quos etſi brevi tempore dimittere ſtatuerat, tamen hoc non perfecit.* Strabo *lib.* v. *Geograph. pag.* 359. (235.) Ἐπεμελήθη μὲν οὖν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ τῶν τοιούτων ἐλαττωμάτων τῆς πόλεως, πρὸς μὲν τὰς ἐμπρήσεις συντάξας στρατιωτικὸν ἐκ τῶν ἀπελευθέρων τὸ βοηθῆσον. *Auguſtus Caeſar igitur ad ejusmodi urbis defectus emendandos praecipuam curam adhibuit, inſtitutis e libertinorum numero militibus, qui adverſus incendia ferrent opem.* Nec vero libertino milite alias temere uſum Auguſtum, Tranquillus *in ejus vita, c.* 25. adnotavit. Sed enim haec, quamvis urbana, gravis tamen ac dura libertinis viſa militia eſt: quam cum plerique omnes detrectarent, eorum alliciendorum continendorumque cauſa, Latinis (*e*), qui ſex annis in cohorte vigilum militaſſent, pro praemio jus Quiritum lege Viſellia (*f*) propoſitum fuit, poſtea etiam, cum longius ſexennii tempus exiſtimaretur, Senatuſconſulto ad triennium redactum eſt, quemadmodum Ulpianus *in Inſtitut. tit.* iii. §. 5. ſcribit. Oberraſſe autem per urbem praefectum vigilum calceatum cum hamis & dolabris, ſupra citata *l.* 3. §. 3. *ſciendum.* (*g*) continetur: quae fuiſſe inſtrumenta incendiis arcendis accommodata, facile omnes conjiciunt, cum ex illo Pauli loco, tum ex Plinii *epiſtola*, quam ad *Trajanum* de Nicomedienſi incendio mittit, *lib.* x. *Ep.* 42. & ex *l.* 12. *quaeſitum.* §. 18. *acetum. D. de inſtruct. vel inſtrum.* Eoque procul dubio pertinet, quod eſt apud Juvenalem *Sat.* xiv. *v.* 305.

> *Diſpoſitis praedives hamis vigilare cohortem*
> *Servorum noctu Licinus jubet.* (*h*) ——

Sed

(*a*) Sufficerent] Hinc Auguſtus eam quoque curam Vicomagiſtris demandaverat, teſte Dione *lib.* lv. *pag.* 554.

(*b*) Videns] Quippe qui poſt bella civilia munia magiſtratuum paullatim in ſe trahere coepit, ut obſervavit Tacitus *Annal. lib.* 1. *cap.* 2. Idque etiam innuere videtur Paulus in *L.* 1. *D. de offic. praef. vig.* his verbis: *Deinde Divus Auguſtus maluit per ſe huic rei conſuli.* Salutem ergo reipublicae tanquam colorem huic rei praetexens, (vid. *L.* 3. *pr. D. eod.*) curam hanc in ſe ſuſcepit ipſe Auguſtus, partim quia facile per eam vulgi favorem adquiri poſſe didicerat Egnatii exemplo, partim quia vigilum ſibi obnoxiorum manu pro inſtrumento quoque dominationis, ad nocturnos praeſertim coetus & tumultus compeſcendos, uti poterat.

(*c*) Dispositi] Quum ergo urbs in quatuordecim regiones ab Auguſto eſſet diviſa, ſequitur, in unaquaque regione dimidiam cohortem excubaſſe. Vide, quae de hiſce cohortibus diſſerunt *Famianus Nardinus in Roma antiqua, lib.* iii. *cap.* 7. *Raphael Fabrettus* in *Inſcriptt. pag.* 259. *ſeqq.* Adde *Anton. Franc. Gorii Inſcript. Antiq. Etruriae urbium, P.* 1. *pag.* 125. *n.* 13. & *pag.* 129. *n.* 14. ejuſque *Deſcript. Monumenti ſive Columbarii Libertorum & Servorum Liviae Auguſtae & Caeſarum, pag.* 70. *Tom.* III. *Theſ. Antiqq. Poleni.*

(*d*) Praefecto] Qui ideo Praefectus vigilum vocatur, quem Auguſtus ex conſilio Maecenatis inſtituit, juxta Dionem *lib.* lii. *pag.* 480. Formulam ejus vide apud Cassiodorum *Var. lib.* vii. *num.* 7. *ſeq.* ex quo ſimul diſcimus, ad imitationem Romae poſtea quoque in aliis majoribus urbibus Praefectum vigilum inſtitutum fuiſſe. Conf. praeterea de hoc praefecto *Auguſtini Campiani* Opus *de officio & poteſtate Magiſtratuum, cap.* 77. *ſeqq. pag.* 239. *ſeqq.* & Cl. *Hambergeri Diſſert. priorem de Incendiis pag.* 31. *ad* 38. Sed praeterea unicuique quoque cohorti ſuus praeerat Tribunus. (vid. Paulus *in L.* 3. *pr. D. eod.*). Quumque unaquaeque cohors in ſeptem rurſus Centurias eſſet diviſa, ſingulis centuriis ſui praeerant centuriones, ut annotavit *Raph. Fabrettus in Inſcript. p.* 266.

(*e*) Latinis] Latini quidem liberti, qui & Latini Juniani vocari ſolent, praecipue hic intelliguntur: Latinos tamen colonarios non excluſos fuiſſe exiſtimo. Conf. *Selectas* meas *Antiquitates, Part.* 1. *cap.* 3. §. 57.

(*f*) Visellia] Vide de hac lege Interpretes ad *Ulpianum* loco ab auctore adducto, & *Chriſt. Gothofredi Hoffmanni Hiſtoriam Juris, Tom.* 1. *pag.* 199. Peculiari vero *Diſſertatione* hanc legem illuſtrarunt VV. CC. *Andreas Florens Rivinus*, Praeſes, & *Jo. Gottfr. Richter*, Reſpondens, *Lipſ.* 1736.

(*g*) Sciendum] Vulgatam hujus paragraphi lectionem contra intempeſtivas emendationes vindicavit *Cornelius van Bynkershoek Obſerv. lib.* viii. *cap.* 25. §. 3. *pag.* 371. *ſeq. ed. Halenſ.*

(*h*) Jubet] Servi enim excubias agere ſolebant in divitum domibus. (Vid. Quinctilianus *Declam.* 1. *cap.* 3.) Hinc bene ad hunc locum vetus *Scholiaſtes* ita commentatus eſt: *Per tranſlationem diſciplinae militaris Sparteolorum* (id eſt, vigilum, qui per contemtum ab aliis militibus *Sparteoli* vocati fuiſſe videntur. Vide *Caſauboni*

&

Sed qualis tandem *hama* fuerit, non ſatis conſtat. Ἄμη certe a POLLUCE (*a*) *lib.* I. *Onom. cap.* 12. *ſegm.* 245. *pag.* 143. ut & a CATONE (*b*) *de re ruſt. cap.* CXXXV. inter ἐργαλεῖα γεωργικά, a SUIDA (*c*) vero inter οἰκοδομικὰ καὶ τεκτονικὰ ponitur: Et veriſimile eſt, diſturbandis aedibus aptum, ut & dolabram, inſtrumentum fuiſſe. Quod etiam conjiciendum his AESCHINIS verbis, quae ſunt in *Orat. contra Cteſiphont. pag.* 291. relinquitur. Δελφῶν ὅσοι ἐπὶ διετὲς ἡβῶσι, καὶ δοῦλοι καὶ ἐλεύθεροι, ἥκειν ἅμα τῇ ἡμέρᾳ, ἔχοντας ἄμας καὶ δικέλλας. *Delphi, qui decimum ſextum aetatis annum expleverunt, tam ſervi, quam liberi ſtatim, ubi diluxerit, adſint cum falcibus & ligonibus.* CONSTANTINUS HARMENOPULUS *lib.* II. *Epitom. Tit.* 4. §. 30. Ὑελουργοὺς καὶ σιδηρουργοὺς τοὺς ἐργαζομένους τὰς ἀξίνας καὶ τὰς ἄμας καὶ τὰ τοιαῦτα μεγάλα ὄργανα *Vitriarios, & fabros ferrarios, qui bipennes, falces, ac ejusmodi magna organa faciunt.* Sed & ex hoc APULEJI loco ex *Apol.* I. *pag.* 454. deſumpto: *Nec falcibus metenda, ſed hamis* (*d*) *inuncanda.* Sic enim legendum eſt, non, ut PITHOEUS voluit, *ineſcanda.* Poſſumus etiam (nam in re obſcura hariolari quid vetat?) hamas ſuſpicari vaſa majora fuiſſe, quae aqua vel aceto plena reſtinguendi ignis cauſa circumferrentur. Conjectura haec illo argumento nititur, quod ὑποκοριστικῶς *hamula* pro ampulla a COLUMELLA *lib.* X. *v.* 387. & APITIO vſurpetur. Atque ita etiam videtur *Turnebo lib.* XIX. *adverſ. cap.* XXIII. & *Paulo Leopardo lib.* IX. *emendat. cap.* XXII. ex hoc JUVENALIS loco e *Sat.* XIV. *v.* 305.

Diſpoſitis praedives hamis ——

Prior tamen interpretatio plane probabilior fit adjuncto dolabrae verbo, cujus & in re ruſtica ad praefractas ſtirpes ſummasque radices, quibus ager arbuſto conſitus implicabatur, refodiendas, & in re bellica ad urbium expugnationem uſum fuiſſe COLUMELLA *lib.* II. *cap.* 2. *in fine*, & TACITUS *lib.* XIX. ſive *lib.* III. *Hiſtoriar. cap.* 20. & 27. ſignificant (*e*). His & ſiſones (*f*) adde, quae in genere incendiariorum inſtrumentorum habentur, hamisque a PLINIO in ea ad Trajan. epiſtola, de qua proxime memini, & ab ULPIANO *in l.* 12. *quaeſitum.* §. 18. *acetum. D. de inſtrum. & inſtr.* adjunguntur. Siſones autem ISIDORUS *lib. ult. Etymolog. cap.* VI. vaſa appellata ſcribit, quae aquas ſufflando funderent, quibus adverſus incendia Orientales populi utebantur. Meminit ſiſonis COLUMELLA *lib.* III. *cap.* X. & SENECA *lib.* II. *natur. quaeſtion. c.* 16. *Solemus*, inquit, *duabus manibus inter ſe junctis aquam concipere, & compreſſa utrinque palma in modum ſiſonis exprimere.* Paſſim autem in aedibus ſiſones fuiſſe, qui ſubterraneis meatibus ductam aquam exprimerent, STRABO *lib.* V. *Geograph. pag.* 360. (235.) teſtis eſt. Τοσοῦτον δ' ἐστί, ait, τὸ εἰσαγώγιμον ὕδωρ διὰ τῶν ὑδραγωγείων, ὥστε ποταμοὺς διὰ τῆς πόλεως καὶ τῶν ὑπονόμων ῥεῖν, ἅπασαν δ' οἰκίαν σχεδὸν δεξαμενὰς καὶ σίφωνας καὶ κρουνοὺς ἔχειν ἀφθόνους. *Tanta autem per aquaeductus aquarum ubertas influit, ut per urbem atque cloacas omnes inundare videantur, & univerſae propemodum aedes ſubterraneos meatus, ſiphones ac fiſtulas undoſas habeant.* Acetum quoque ignis exſtinguendi cauſa parari & haberi olim conſueverat (*g*). *l.* 12. *quaeſitum.* §. 18. *acetum. D. de inſtrum. vel inſtr. l.* 3. §. 5. *penori. D. de penu leg.* Cui rei aptiſſimum id eſſe, etiam LUITPRANDUS *lib.* III. *hiſtoriae* ſuae *cap.* VI. oſtendit, qui Graecum ignem (*h*) nullo praeterquam aceti liquore exſtingui ait. Atque haec ſuere reprimendis ignibus ſubſidia, quae ut in propatulo quisque haberet, Nero conſtituit: quemadmodum a TACITO *lib.* XV. *Annal. c.* 43. ſcriptum eſt.

CAP.

& *Berneggeri notas* ad SUETONII *Auguſt. cap.* 30. *Caroli du Freſne Gloſſar. mediae & infimae Latinitatis h. v.*) *Romae, quorum cohortes in tutelam urbis cum hamis & cum aqua vigilias curare conſuerunt vicinis.* (ſive *vicibus*, ut emendat *Lipſius* ad *Tacit. Hiſt. lib.* III. *cap.* 64.)

(*a*) POLLUCE] Adde *lib.* X. *cap.* 29. *ſegm.* 129. *pag.* 1309. Utrobique vero in optimis Codd. legitur ἄμη, & ab interprete redditur: *falx meſſoria.*

(*b*) CATONE] Immo hic auctor hamas inter vaſa aquaria referre videtur, ut notavit *Auſonius Popma* in *notis* ad *l. c.*

(*c*) SUIDA] Apud hunc auctorem in *ed. noviſſ.* ita legitur: Ἄμη τεκτονικὸν ἐργαλεῖον, ὃ ἡμεῖς πτυάριον λέγομεν οὐκ ὀρθῶς. *Fabrile inſtrumentum, quod nos non recte* πτυάριον *vocamus.*

(*d*) HAMIS] Hic APULEJI locus huc non pertinere videtur. *Hamis* enim in hoc loco, meo quidem judicio, non eſt ab *hama*: ſed a vocabulo notiſſimo *hamus.*

(*e*) SIGNIFICANT] Caeterum praeter Graecos Latinosque Lexicographos & Gloſſaria, legi poſſunt, quae de hac voce diſputant *Paulus Leopardus* in *Miſcell. lib.* IX. *cap.* 22. *Adrianus Turnebus* in *Adverſar. lib.* II. *cap.* 29. & *lib.* XIX. *cap.* 23. *Jo. Brodaeus* in *Miſcell. lib.* X. *cap.* 17. *Iſaacus Grangaeus* in *Comment.* ad *Juvenal. l. c. Claudius Salmaſius* ad *Trebell. Pollion. in vita Claud. cap.* 14. *Lucas Holſtenius* in *notis* ad *Paſſionem SS. Perpetuae & Felicitatis. Hieronymus Elenus lib.* II. *Diatrib. cap.* 10. *Auguſtinus Leyſerus* in *Meditationibus ad Pandectas, Vol.* VIII. *Specim.* 541.

(*f*) SIFONES] Rectius ſcribitur *ſipo*, ſive *ſipho*, a Graeco σίφων.

(*g*) CONSUEVERAT] Rationem reddit MACROBIUS *Saturn. lib.* VII. *cap.* 6. his verbis: *Solum enim hoc ex omnibus humoribus creſcentem flammam violenter exſtinguit, dum per frigus ſuum calorem vincit elementi.*

(*h*) IGNEM] De igne Graeco vide *Balth. Bonifacii hiſtor. ludicr. lib.* II. *cap.* 36. *Caroli du Freſne Gloſſar. med. & inf. Latin. voc. ignis. Jo. Leonh. Friſch Lexicon Germanico-Latinum, Tom.* I. *pag.* 372. *col.* 2. *Bibliothecam miſcellaneam Hamburg. Tom.* II. *pag.* 172. *ſeq.* & 348. *ſeq.*

CAP. IX.

De ſervis compeditis, deque ergaſtulis.

Placet veterum in cuſtodiendis mancipiis morem referre, qui malos ſervos, & quos fugae ſuſpectos habebant, nervo ac compedibus coërcere, vinctoſque continere conſueverant. (*a*) Cujus rei in libris noſtris veſtigia quaedam adgnoſci poſſunt. *l.* 7. *& eleganter.* §. 7. *item Labeo. D. de dolo. l.* 1. §. *antepen. l. ſed & ſi ſervo.* (*b*) *D. de injur. l.* 5. *ſi ut certo.* §. 6. *cuſtodiam. D. commod.* §. *ult. Inſtit. de l. Aquil.* §. 7. *poena autem. Inſt. de injur.* Ac fugitivis quidem compedes necti conſueviſſe indicat PLINIANUS jocus ad Romanum, *lib.* IX. *Epiſt.* 28. *Polliceris in fine, quum certus de vitae noſtrae ordinatione aliquid audieris, futurum te fugitivum rei familiaris, ſtatimque ad nos evolaturum, qui jam tibi compedes nectimus, quas perfringere nullo modo poſſis.* Ac janitores quidem & hoſtiarii more antiquo in catena erant, (*c*) ut a SUETONIO *in lib. de claris Rhetorib. c.* 3. traditur. Unde OVIDIUS *lib.* 1. *Amor. Eleg.* VI. *v.* 1.

Janitor indigne dura religate catena,
Difficilem moto cardine pande forem.

Et poſtea, *v.* 25.

Excute, ſic nunquam dura religere catena,
Nec tibi perpetuo ſerva bibatur aqua.

COLUMELL. in *praef.* librorum de re ruſtica: §. 10. *An putem fortunatius a catenato repulſum janitore ſaepe nocte ſera foribus ingratis adjacere.* Idem *lib.* XI. *cap.* 1. §. 22. *Itaque mancipia vincta, quae ſunt ergaſtulis,* (*d*) *per nomina quotidie citare debebit, atque explorare, ut ſint compedibus diligenter innexa: tum etiam cuſtodiae ſedes an tuta & recte munita ſit.* Sed alii quoque opus ruri facere vincti cogebantur: adeoque alligatis mancipiis rura fere omnia colebantur, quemadmodum COLUMELLA *lib.* 1. *cap. ult.* §. 4 oſtendit, ex quo illa apud PLINIUM *lib.* XVIII. *cap.* 3. de imminuta agriculturae dignitate querela. *At nunc*, ait, *eadem illa vincti pedes, damnatae manus, inſcripti vultus exercent.* SENECA *lib.* VII. *de Benef. cap.* 10. *O miſerum, ſi quem delectat ſui patrimonii liber magnus, & vaſta ſpatia terrarum colenda per vinctos.* Hinc etiam OVIDIUS in *lib.* 1. *de Ponto*, *Eleg.* 7. *ad Graecin.* de ſpe loquens: (*v.* 31.)

Haec facit ut vivat foſſor quoque compede vinctus,
Liberaque a ferro crura futura putet.

Idem *lib.* IV. *Triſt. Eleg.* I. *v.* 5.

Hoc eſt, cur cantet vinctus quoque compede foſſor,
Indocili numero cum grave mollit opus.

TIBULLUS *lib.* II. *Eleg.* VII. *v.* 7.

Spes etiam valida ſolatur compede vinctum:
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.

LUCANUS *Pharſal. lib.* VII. *v.* 402.

—— Vincto foſſore coluntur
Heſperiae ſegetes. ——

Et JUVENALIS *Sat.* XI. *v.* 79.

Ipſe focis brevibus ponebat oluſcula, quae nunc
Squallidus in magna faſtidit compede foſſor.

Ean-

CAP. IX. Ad hoc caput, praeter ſcriptores de ſervis (quorum recentiſſimus *Georg. d'Arnoud*, ex cujus *Diſſert.* ſub praeſidio *Abrab. Wielingii* defenſa, *de jure ſervorum, cap.* 9. huc ſpectat) & poenis Romanorum, conferri poſſunt, quae ſcripſit JUSTUS LIPSIUS *Electorum lib.* II. *cap.* 15. JAC. DURANTIUS CASELLIUS *Var. lib.* I. *cap.* 14. LUD. COELIUS RHODIGINUS *Lect. Antiq. lib.* VII. *cap.* 31. MARCELLUS DONATUS in *Dilucid.* ad *Sueton. pag.* 567. *Tom.* VI. *Theſ. Crit. Grut.* & in *notis* ad *Livium lib.* XXIX. *cap.* 18. *pag.* 340. *ſeq. Tom.* IV. *ed. Drakenborch.* & *pag.* 45. *ſeqq.* apud *Grut. l. c.* ANTONIUS BOMBARDINUS in *Tract. de Carcere, cap.* 15. PETRUS A SCARIN in *Diſſert. de Ergaſtulis, eorumque moralitate, ed. Abo.* 1732. 8. FRID. LEBRECHT GOETZIUS in *Tract. de Piſtrinis veterum, ed. Cygneae* 1730. 8. *cap.* 4. ubi notat, piſtrinum ſaepenumero ſervis ergaſtuli inſtar fuiſſe.

(*a*) CONSUEVERANT] Dominum enim apud Romanos tanquam magiſtratum domeſticum in ſervos exercuiſſe ſummum vitae neciſque jus, adeoque multo magis quoque jus coërcendi, omnibus eſt notiſſimum.

(*b*) SERVO] Auctorem forſan in mente habuiſſe *L.* 15. §. 44. *D. de injur.* exiſtimo: nulla enim lex in toto corpore juris ita incipit: *ſed & ſi ſervo.*

(*c*) ERANT] De hoc ritu, praeter ſcriptores antea indicatos, confer *M. Antonii Mureti Var. Lect. lib.* XVI. *cap.* 10. *Jo. Brodaei Miſcell. lib.* IV. *cap.* 3. *Joc. Raevardi Var. lib.* V. *cap.* 20. *Caſp. Sagittarii Tr. de Januis vet. cap.* 16. §. 19. *ſeq. Caſp. Barthii Adverſ. lib.* LV. *cap.* 1. *Petri Fabri Semeſtria, lib.* II. *cap.* 12.

(*d*) ERGASTULIS] *Ergaſtuli* legitur in noviſſima editione ſcriptorum rei ruſticae, quam lectionem tuetur Cel. Editor, *Jo. Matth. Geſnerus.* Caeterum totus hic locus huc non pertinet, ubi de janitoribus ſermo eſt, ſed ad ea ſpectat, quae infra *h. c.* ab auctore de ergaſtulis differuntur.

Eandem rationem habet, quod à MARTIALE *lib.* IX. *Epigram.* 23. *v.* 3. ita ſcribitur:

Ut Setina meos conſumat gleba ligones,
Et ſonet innumera compede Tuſcus ager.

Caeterum vincti hi ſervi villarum ac poſſeſſionum ergaſtulis continebantur (*a*). Ac proinde JUVENALIS ergaſtula *carcerem ruſticum* vocat *Sat.* XIV. *v.* 24. Unde PLINIUS μετωνυμικῶς coli rura ergaſtulis peſſimum eſſe *lib.* XVIII. *cap.* 6. pronuntiat. Et SENECA *lib.* II. *controverſiar.* IX. ſonantia laxi ruris ergaſtula dicit. Ideoque COLUMELLA circumſpectis patribusfam. diligenter recognoſcenda ergaſtula, *lib.* 1. *cap.* 8. §. 16. praecipit, ut explorent, an diligenter vincta ſint mancipia, an ipſae ſedes cuſtodiae ſatis tutae ac munitae. Adde locum ejuſdem COLUMELLAE *lib.* 3. *in fin.* (*b*) In cellis ſervos habitaſſe, patet ex hoc CICERONIS loco, qui eſt *Philipp.* II. *cap.* 27. *Conchyliatis Cn. Pompeji periſtromatis ſervorum in cellis ſtratos lectos videres.* HORATIUS *Sat.* VIII. *lib.* I. *v.* 8.

Huc prius anguſtis ejecta cadavera cellis
Conſervus vili portanda locabat in arca.

Erant vero eae ſerviles cellae (*c*) obſcurae, & quantum ex eodem COLUMELLA & CATONE (*d*) conjicio, ſubterraneae, quibus plerumque indigniſſime liberi quoque homines ſupprimebantur. Eaque de cauſa *Auguſtum* primum, mox & *Tiberium*, recognoſcendorum repurgandorumque ergaſtulorum curam ſuſcepiſſe, SUETONIUS *in eorum vita* narrat (*e*), cum iis raptos per agros viatores, ſine diſcrimine liberos ſervosque, ſuppreſſos iuuſta ſervitute detineri, fama diſtuliſſet. Atque haec qui ſecum reputabit omnia, minus mirabitur a SALLUSTIO *in prooemio Conjurat. Cat. c.* 4. agriculturam ſervile officium appellari (*f*), cum rura jam, vel frugi ſervis, (quales ſe omnes habere in praediis ſuis PLINIUS *Rufo*, *lib.* III. *Epiſt.* 19. ſcribit) vel vinctis colerentur (*g*). Qua de re querens COLUMELLA ita conqueritur in *praefatione* librorum de re ruſtica: §. 3. *Nec poſt haec reor intemperantia coeli nobis iſta, ſed noſtro potius accidere vitio, qui rem ruſticam peſſimo cuique ſervorum velut carnifici noxiae (al. noxae) dedimus, quam majorum noſtrorum optimus quisque optime tractaverit.* Et poſtea: §. 12. *Nunc & ipſi praedia noſtra colere dedignamur, & nullius momenti ducimus peritiſſimum quemque villicum facere. Sed*, ut mox ſubjungit, *ſive fundum locuples mercatus eſt, e turba pediſſequorum, lecticariorumque defectiſſimum annis & viribus in agrum relegat,* —— *ſive mediarum*

(*a*) CONTINEBANTUR] Hoc clariſſime docet nos vetus *Scholiaſtes* JUVENALIS ad *Satyr.* VI. *v.* 150. ubi ad verba illa:

—— —— —— Pueros omnes, ergaſtula tota,
Quodque domi non eſt, & habet vicinus, ematur.

ita commentatur: *Ergaſtula proprie dicuntur loca, in quibus ad poenam vincti opus faciunt. Hic ergo ergaſtula dixit ruſticorum ſervientium multitudinem.* Vide etiam recentiores ad *h. l.* Interpretes.

(*b*) FIN.] Nihil ibi reperitur, quod huc ſpectet. Auctor forſan prae oculis habuit locum *lib.* I. *cap.* 3. *in fine:* ubi de illis, qui plus poſſidere volunt, quam commode poſſunt tueri: *aut*, ait, *occupatos nexu civium, & ergaſtulis tenent.* Aut adſcribere voluit locum *lib.* XI. *cap.* I. §. 22. qui ſupra alieno loco ab editore poſitus eſt.

(*c*) CELLAE] Cellae ſerviles aliae erant urbanae, aliae ruſticae. Utriusque generis cellae rurſus pro diverſa ſervorum conditione differebant. Hic tantum de iis cellis ruſticis loquitur auctor, quae pro ergaſtulis erant. Caeterum de cellis ſervorum qui plura loca veterum deſiderat, is evolvere poteſt VITRUVIUM *lib.* VI. *cap.* 10. SENECAM *de Tranquill. animi*, *cap.* 8. SUETONIUM in *Calig. cap.* 57. VALERIUM MAXIMUM *lib.* VII. *cap.* 6. *ex.* 1 Legi etiam de veterum cellis poteſt *Guido Pancirollus Rer. Memorab. lib.* 1. *cap.* 25. ibique notae *Henr. Salmuth.*

(*d*) CATONE] In CATONE nihil reperire potui, quod huc magnopere ſpectaret: niſi quod *cap.* 14. cellarum familiae mentionem faciat. Ex COLUMELLA vero huc pertinet locus egregius *lib.* 1. *cap.* 6. §. 3. *Optime ſolutis ſervis cellae meridiem aequinoctialem ſpectantes fient: vinctis quam ſaluberrimum ſubterraneum ergaſtulum, plurimis, idque anguſtis illuſtratum feneſtris, atque a terra ſic editis, ne manu contingi poſſint.*

(*e*) VITA] Et quidem in vita *Auguſti*, *cap.* 32. in *vita* autem *Tiberii*, *cap.* 8. Adde SPARTIANUM in *vita Hadriani*, *c.* 18. & conſule ad haec loca interpretes. De ultimo SPARTIANI loco vide praeterea *Georg. d'Arnaud Diſſ.* ſupra laudatam *de jure ſervorum*, *cap.* 9. *pag.* 53. *ſeqq.* ubi probat, etiam poſt Hadriani tempora ergaſtula ſervorum fuiſſe. Hinc Cel. *Wielingius* putat, *tulit h. l.* idem eſſe ac *toleravit*: *d'Arnaud* vero hoc verbum ejicere mavult, & ita legere: *ergaſtula ſervorum & liberorum; lavacra pro ſexibus ſeparavit.* Cui utrumque diſplicet, is dicere poteſt, locum hunc non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ut loquuntur, eſſe intelligendum.

(*f*) APPELLARI] Vide de hoc loco Interpretes. Singularis vero de illo *Diſſertatio*, Gallica lingua ſcripta, reperitur in SALLUSTII verſione Gallica, quae cura M. *l'Abbé Thyvon* prodiit *Pariſ.* 1730. 2 *Tomis* in 8.

(*g*) COLERENTUR] Originem & cauſam hujus ritus late exponit APPIANUS *Bell. Civil. lib.* I. *pag.* 604. *ſeq.* (353.) Originem nempe praebuit divitum ſtudium latifundia adquirendi. Cauſam vero, cur ſervos ad agros colendos adhibere maluerint, quam liberos homines, in eo ponit, quod hi frequenter ad militiam avocarentur, quod in illis non erat metuendum. Adde PLUTARCHUM in *Tib. Gracch.*, *pag.* 827. DIODORUM in *Excerptis Valeſ. pag.* 362. & 365. FLORUM *lib.* III. *cap.* 19. §. 3. ibique Interpretes.

diarum facultatum dominus, ex mercenariis aliquem jam recuſantem quotidianum illud tributum, qui vectigalis eſſe non poſſit, iguarum rei, cui praefuturus eſt, magiſtrum fieri jubet. Nec alio apud Graecos loco agricultura fuit, qui ſervis ad rura exercenda utebantur, quos Lacedaemonii εἵλωτας, Theſſali πενέστας, Cretes (*a*) κλαρώτας, Syracuſii καλλικυρίους appellabant, ut ab ARISTOTELE *lib.* II. *Politic. cap.* 7. & 8. (*al.* 9. & 10.) *&* POLLUCE (*b*) *lib.* III. *Onomaſt. cap.* 8. *ſegm.* 83. *pag.* 307. & ab AEMILIO PROBO (*c*) *in Pauſan. cap.* 3. *&* SUIDA (*d*) ſcriptum eſt. Quibus, vel ipſius DIONYSII HALICARNASSEI *lib.* II. *Antiquit. Rom. pag.* 84. teſtimonio haud multum abſimiles erant, eaſdem certe operas praeſtantes, qui ab Athenienſibus θῆτες appellabantur (*e*). Quinetiam vinciendorum ſervorum uſitatum Perſis morem fuiſſe XENOPHON *lib.* I. παιδ. Κύρ. ſive *de inſtitutione Cyri*, *pag.* 16. ſubindicat (*f*). Sed nihil haec ad libri inſtitutum. Illud propoſito congruit, admonere, deteriorem longe in manumiſſione fuiſſe vinctorum (*g*), quam ſolutorum ſervorum conditionem. Illi enim manumiſſione vel plenam ſtatim libertatem civitatemque Romanam, vel Latinorum jus cum ſpe civitatis multis ex cauſis obtinendae conſequebantur. Illi manumiſſione dediticii efficiebantur, imaginariamque duntaxat libertatem, ſine ulla civitatis quandoque adipiſcendae ſpe, nanciſcebantur, quemadmodum ULPIANUS & CAJUS *in Inſtit. tit.* I. *&* JUSTINIANUS *in l. un. C. de deditic. libert. toll. & Inſtitut. tit. de libertin.* §. *ult.* ſignificant. Id quod lege Aelia (*h*) introductum, & ULPIANUS *l. c.* §. II. & THEOPHILUS ad *Inſtitut. tit. cit.* conſentiunt, quam ut auctore Auguſto latam exiſtimem, SUETONII *in Aug. cap.* 40. verba faciunt. *Hoc quoque*, ait, *adjecit, ne vinctus unquam, tortusve quis ullo libertatis genere civitatem adipiſceretur.*

CAP. X.

Expoſitum Marcelli reſponſum, & de unionum diſſolutione.

In explicatione legum non raro ab interpretibus verborum ignoratione peccatur. Unum ego ex multis exemplum proponam: MARCELLUS ſpeciem hujusmodi refert in *l. 6. Seja. D. de auro arg.* Seja unionem cum hyacinthis legavit, poſtea unionem ſolvit, nec ullum mortis tempore inter ornamenta ſua unionem reliquit. Quaeſitum eſt, an heres aeſtimationem rei, quae in hereditate non eſt, praeſtare debeat. Haec verba *Accurſius*, qui in errorem reliquos induxit, ſic accepit, quaſi a teſtatrice, dum viveret, legatario uniones praeſtiti ſolutique fuerint. Quae interpretatio a Marcelli mente abhorret, quem de re tam ridicula, & aperta, conſultum, nemini ſano veriſimile fiet. Probabilius vero eſt, & ad ſequentia accommodatius, de diſſolutione unionis propoſitam fuiſſe quaeſtionem: quam ſic accipere poſſumus, ut detractus & demtus de linea unio fuerit, veluti in *l. 25. argumento.* §. II. *margarita. D. de auro argent.* Vel ſic, ut aceto diſſolutus ac liqueſactus ſit. Conſtat enim aceti aſperitatem uſque in tabem margaritas reſolvere. VITRUVIUS *lib.* VIII. *cap.* 3. *Item margarita, non minus ſaxa ſilicea, quae neque ferrum, neque ignis poteſt per ſe diſſolvere, cum ab igni ſunt percalefacta, aceto ſparſo diſſiliunt, & perſolvuntur.* Vitruvio PLINIUS *lib.* XXIII. *cap.* I. conſentit. Atque ita Cleopatram, in illa

(*a*) CRETES] Cretenſium agricolas περιοίκους vocat ARISTOTELES *ll. cc.*

(*b*) POLLUCE] Hic quidem auctor omnes hoſce, ab auctore nominatos, non tanquam ſervos, ſed tanquam medios inter liberos & ſervos deſcribit.

(*c*) AEMILIO PROBO] Sive potius CORNELIO NEPOTE, quem verum elegantiſſimi *de vita excellentium Imperatorum* libri auctorem eſſe, hodie inter omnes conſtat.

(*d*) SUIDA] Qui quidem, ſub vocibus ab auctore indicatis, hos omnes ſervilis conditionis fuiſſe ſignificat: de opera vero eorum ad agriculturam adhibita, plane tacet. Caeterum de hiſce omnibus, praeter ſcriptores Antiquitatum Graecarum, conf. *Lud. Coelii Rhodigini Antiqq. Lect. lib.* XXV. *cap.* 24. *Henrici Stephani Schediaſma* IV. *cap.* 14. *ſeqq. pag.* 146. *ſeqq. Tom.* V. *Theſ. Crit. Grut. De Helotibus* ſingularis Diſſertatio prodiit *Helmſt.* 1730. auctore V. Cl. *Julio Carolo Schlaegero.*

(*e*) APPELLABANTUR] De quibus SUIDAS *h. v.* dicit: Οἱ τροφῆς ἕνεκα δουλεύοντες. *Qui victus gratia operam ſuam aliis locant.* Ex quo patet, minus accurate hos a DIONYSIO cum Romanorum clientibus comparari, id quod jam notavit *Henricus Stephanus l. c.*

(*f*) SUBINDICAT] Idem & de veteribus Germanis obſervare poſſumus ex TACITO *de Mor. Germ. cap.* 24. & 25. Immo fuit conſuetudo fere univerſalis, apud omnes populos, in quibus ſervitus veri nominis fuit introducta, quia ſine illa diſciplinam domeſticam vix tueri poterant.

(*g*) VINCTORUM] Non omnium tamen promiſcue, ſed eorum tantum, qui ob ſcelera in poenam vincti fuerant, ut bene obſervavit *Petrus Pithoeus Adverſ. Subceſ. lib.* II. *cap.* 9. & *Anton. Schultingius* in *Jurispr. Antejuſt. pag.* 565. Adde *Selectas* meas *Antiquitates*, *Part.* I. *cap.* 3. §. 15.

(*h*) AELIA] Sive potius Aelia Sentia: de qua lege confer omnino *Jo. Gottl. Heineccii Syntagma Antiqq. Rom. lib.* I. *tit.* 6.

CAP. X. Cum hoc capite conferri merentur ea, quae diſputavit *Radulphus Fornerius Rerum Quotidianarum lib.* I. *cap.* II. & 12. *Henricus Salmuth* in *notis* ad *Guid. Pancirolli Rer. Memorab. lib.* I. *cap.* 7. *pag.* 25. *ſeq. Oſwaldus Hilliger* ad *Donellum*, *lib.* VIII. *cap.* 17. *lit.* E. *Balth. Boniſacius hiſt. ludicr. lib.* III. *cap.* 12.

illa celebratiſſima coena, unionem aure detractum aceto merſiſſe, & liquefactum abſorbuiſſe, idem PLINIUS *lib.* IX. *cap.* XXXV. & MACROBIUS *lib.* III. *Saturnal. cap.* VII. referunt. Aeſopi quoque tragoedi filium aceto liquatos magnae ſummae uniones potionibus aſpergere ſolitum, VALERIUS MAX. *lib.* IX. *cap.* 1. *ex.* 2. auctor eſt. Quod & HORATIUS his verſibus ſignificat, qui ſunt *lib.* II. *ſerm. Sat.* III. *v.* 239.

Filius Aeſopi detractam ex aure Metellae,
(Scilicet ut decies ſolidum exorberet) aceto
Diluit inſignem baccam. ——

Idem & de Caligula narratur a SUETONIO in ejus vita *c.* 37. his verbis: *Nepotinis ſumtibus omnium prodigorum ingenia ſuperavit, commentus novum balnearum uſum, portentoſiſſima genera ciborum atque coenarum, ut calidis, frigidisque unguentis lavaretur, pretioſiſſimas margaritas aceto liquefactas ſorberet.* Sed ut ad Marcelli reſponſum veniam, ſive hanc ſive illam diſſolutionem intellexiſſe eum dicamus, verum eſt, unionis legatum utroque modo, ceu claro mutatae voluntatis indicio dato, exſtingui.

CAP. XI.

Unde ſicariorum nomen, & de ſicae forma.

Lege Cornelia, quam de ſicariis L. Cornelius Sylla Dictator tulit, caedes quocumque telo factae vindicantur. Sicarios enim per abuſionem omnes dici, qui caedem quocumque telo commiſiſſent, obtinuiſſe, QUINCTILIANUS *lib.* X. *Inſtit. Orat. cap.* 1. tradit, cum proprie ad eos tantum, qui ſica occiderint, appellatio ea pertineat. De qua, quod compluries in auctoribus ſermonem fieri videam, non inutile putavi, quae de ejus forma obſervaverim, ſubjicere. Nam ex Grammaticis quidem ſicam a ſecando (*a*) dictam; ex noſtro etiam JUSTINIANO in §. 5. *item lex Cornelia. Inſtitut. de publ. judic.* ſicam ferreum cultrum eſſe, quisque intelliget. Qualis vero ſica fuerit, nemo tam ſagax eſt, ut ex eo eruere poſſit. Quod tamen latere JOSIPPUS non patitur, qui ſicam breviſſimum fuiſſe cultrum, recurvum & inflexum, Perſici acinacis longitudine, *lib.* XX. *Antiq. Jud. c.* 7. (*al.* 8.) docet his verbis: Καὶ οἱ σικάριοι δὲ καλούμενοι (λῃσταὶ δ' εἰσὶν οὗτοι) τότε μάλιστα ἐπλήθυνον, χρώμενοι ξιφιδίοις παραπλησίοις μὲν τὸ μέγεθος τοῖς τῶν Περσῶν ἀκινάκαις, ἐπικαμπέσι δὲ καὶ παραπλησίοις ταῖς ὑπὸ Ῥωμαίων σίκαις καλουμέναις, ἀφ' ὧν καὶ τὴν προσηγορίαν οἱ λῃστεύοντες ἔλαβον. *Et tunc quidem ii, qui ſicarii appellati erant, (iſti enim latronum genus) ad maximum numerum excreverant, enſibus parvis utentes, magnitudine haud multum a Perſarum acinace diverſis, ſed incurvis paullulum inflexisque, quales ſunt, quae Romanis appellantur ſicae, unde & nomen ipſis latronibus inditum eſt.* Cui SUIDAE interpretatio *v.* Σικάριοι concordat, (*b*) qui ſicas a Romanis τὰ ἐπικαμπῆ ξίφη, *incurvos gladios*, appellari dicit. Quod etiam comprobat ISIDORUS *lib.* XVIII. *Etymolog. cap.* VI. cujus verba ipſa, quia in impreſſis codicibus corrupta ſunt, ex ſcriptis reſtituta ſubjeci: *Sica*, ait ille, *a ſecando dicta: eſt enim gladius brevis, quo maxime utuntur, qui apud Italos latrocinia exercent, a quo & Sicarii dicti ſunt. Tranquillus autem dicit: Dum cujuſdam gladiatoris in ludum emiſſi gladius curvatus fuiſſet ex acie recta, procucurrit unus ad eum corrigendum, tumque a pugnante reſponſum: ſic hac* (*c*) *pugnabo. Inde ſicae nomen datum.* Breviſſimam autem ſicam fuiſſe, indicio eſt, quod vel a pueris, ut CICERO *in Catilin.* (*d*) ſignificat, vibraretur: ac proinde caedibus media in turba perpetrandis aptiſſima erat, cum veſte tecta ea, & aut ſinu occultata, (*e*) nec ſic opinantes confoderentur. (*f*) Quod JOSIPPUS non uno loco oſtendit, cujus

(*a*) A SECANDO] Confer *Mengii Amoenitates Juris Civilis, cap.* 39. voc. *ſicarius*, ubi de hac etymologia crudite, ut ſolet, diſputat. Obiter obſervo, PLINIUM *Hiſt. Nat. lib.* XVIII. *cap.* 1. dentes aprorum eleganter vocare *dentium ſicas*.

(*b*) CONCORDAT] Immo SUIDAM plane ſua ex JOSEPHO hauſiſſe notat *Kuſterus* in *notis*.

(*c*) SIC HAC] In editionibus, quas ego vidi, legitur: *Sica pugnabo.* Lectio tamen, quam auctor ſuppeditat, ſive eam ex MSS. vel impreſſis Codd. ſive ex ingenio hauſerit, non eſt improbabilis. TRANQUILLUS enim ſine dubio indicare voluit, ex contractione duorum verborum, *ſic hac*, ortum fuiſſe ſicae nomen: id quod tamen pro luſu potius, quam pro vera etymologia eſt habendum.

(*d*) CATILIN.] Auctor ſine dubio prae oculis habuit locum in *Orat.* II. *contra Catilin. cap.* 10. ex quo tamen minus accurate colligit, breviſſimam ſicam fuiſſe: non enim ibi intelliguntur pueri parvi & praetextati: ſed majores & plene puberes, utpote qui jam, ut ibi indicat, amare didicerant.

(*e*) OCCULTATA] Quia enim publice telum intra urbem geſtare vetitum erat: hinc iſte ſicarum uſus invaluit.

(*f*) CONFODERENTUR] Quod breviter vetus quidam *Scholiaſtes* HORATII ad *Sermon. lib.* 1. *ſat.* 4. ita expreſſit; *Sica gladius eſt permodicus, quem ſolebant malefici in baculis* (legi forſan haud incommode poſſet: *ſacculis*: ſed ſine Codd. MSS. ope nihil temere eſt mutandum, quum praeſertim vulgata lectio commodum ſenſum habere poſſit, ſi per baculos intelligamus dolones, quos ita deſcribit ISIDORUS *Origg. lib.* XVIII. *cap.* 9. *Dolones ſunt vaginae ligneae, inter quas latet pugio, ſub baculi ſpecie.*) *geſtare, ut ex inſidiis aliquem interficerent, unde dicti ſunt ſicarii.* Exemplum hujusmodi facinoris legi poteſt apud VARRONEM *de re ruſt. lib.* 1. *cap. ult.*

jus verba, uti ſunt a Rufino Latine reddita facilioris intelligentiae cauſa ſubjeci. Sic autem *lib.* II. *de bello Jud. cap.* 12. (*al.* 13.) ſcribit: *Regione purgata, aliud genus latrocinantium in Hieroſolymis oriebatur. Hi autem ſicarii vocabantur, die claro & in media civitate paſſim quoſque interficientes: potiſſimum vero diebus ſollemnitate feſtivis immiſcebantur uulgo, ſicas ſub veſte geſtantes. His inimicos interficiebant, ac deinceps collapſis hominibus illi inter reliquos de ſcelere conquerebantur.* Idem *ejuſdem lib. cap.* 17. *Inter infirmiorem autem vulgum irrumpentes multi ſicariorum (ſic enim vocant latrones gladios in ſinibus geſtantes)* recepti, *audaciſſime proſequebantur opus, quod adorti erant.* Sed & *lib.* XX. *Antiquit. Jud. cap.* 6. & 7. (*al.* 8.) multos a ſicariis, gladios ſub veſte portantibus, & plebi permixtis, in turba occiſos refert. Qua de cauſa ſummo hoc hominum genus odio habebatur.

CAP. XII.

De veritate lectionis l. Fulcinius. §. illud ſciendum. verſic. denique. Ex quibus cauſ. in poſſeſſ. eat. & de ſtationibus ac tabernis in foro.

Eum, qui in foro eodem agit, ſi circa columnas vel ſtationes ſe occultet, latitare videri, veteres reſponderunt. *l.* 7. *Fulcinius.* §. 13. *denique. D. Ex quib. cauſ. in poſſ. eat.* Quod etiam confirmat *l.* 36. *eum qui. D. de rebus auctorit. jud. poſſid.* Nec ullam habet ea ſententia obſcuram definitionem: poteſtque illuſtrari eleganti BASILII MAGNI loco *Homilia contra foeneratores*: ſive in *Pſalm.* XIV. *pag.* III. *Tom.* I. *Opp.* Οὐδεὶς πύκτης ὕτω τὰς πληγὰς τῦ ἀνταγωνιςῦ ὑποφεύγει, ὡς ὁ δανεισάμενος τῦ χρεώςυ (*ſive melius* χρήςυ) τὰς συντυχίας, πρὸς κίονας ϗ τοίχυς ἀποσκιάζων τὴν κεφαλήν. *Pugil nullus aeque adverſarii plagas ſubterfugit, ac debitor creditoris occurſum occultato pone columnas ac muros capite.* Tantum quod ad verba attinet, videndum eſſe, vir quidam doctiſſimus mihique multis de cauſis conjunctiſſimus, cui ego tantum, quantum alii nulli tribuo, (*a*) admonuit, ne in §. *denique.* ſtationum pro *ſtatuis*, nomen irrepſerit. Quod ego uti omnino improbare fas mihi non puto, (*b*) ita omnium codicum fide comprobatam lectionem non temere rejiciendam cenſeo: quae & ferri poteſt, & idoneum, meo judicio, ſenſum habet. In foro enim Romano ad tabernas ſtationes (*c*) aliis quoque locis memorari animadverti. SUETONIUS *in Neron. c.* XXXVII. *Salvidieno*, ait, *Orphito objectum eſt, quod tabernas tres de domo ſua circa forum civitatibus ad ſtationem locaſſet.* Erant enim municipiorum ſtationes circa forum, ut PLINIUS *lib.* XVI. *hiſt. natur. cap.* 44. Idem *lib.* VII. *cap.* 53. *C. Servilius*, ait, *Panſa cum ſtaret in foro ad tabernam hora diei ſecunda in P. Panſam fratrem innixus.* Id ipſum & *l. penult. C. de operib. publ.* comprobat, in qua ſtationes in aliqua baſilicae parte, tabulato opere, conſtitui Impp. prohibent. Dicebantur & artificum ſtationes ACRON (*d*) in illum *Horatii* verſum *lib.* I. *Sermon. ſatyr.* IV. *v.* 71.

Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos.

Haec, ait, *poſuit pro bibliopolae ſtatione, qui armaria circa pilas vel columnas habebant.* Quo verbo & in hanc ſententiam CORNUTUS (*e*) *in* I. *ſatyr. Perſii v.* 128. uſus eſt. *Mos*, ait, *erat, ut tabernarii cupientes terrere pueros, ne mingerent per ſtationum ſuarum angulos, pingerent ſupra duos angues.* In lexico B. Germani: *Officina*, συνέδριον, ἐργαςήριον, ςάσιον, πρα-ποίησις, ἐργασία. JUSTINIANUS *Nov.* 44. *de tabellionibus, cap.* I. §. I. Γινωσκόντων ὡς εἰ ςάδιῳ

(*a*) TRIBUO] Intelligit forſan auctor *Jacobum Cujacium*, qui hanc ſententiam defendit in *Obſervatt. lib.* I. *cap.* 13. & *lib.* II. *cap.* 40. cum quo *Dionyſius Gothofredus* in *not.* ad *h. l.* conjungit *Andr. Alciatum* in *Parerg. lib.* IV. *cap.* 27. in quo loco tamen ego illud non reperi: diſſerit enim ibi de columnis tantum in foro.

(*b*) PUTO] Nam in foro Romano frequentes etiam erant ſtatuae, de quibus, praeter *Cujacium. ll. cc.* vide *Thomae Dempſteri Paralip.* ad *Roſini Antiqq. lib.* IX. *cap.* 7. *Ludovici Coelii Rhodigini Antiqq. Lect. lib.* XXVIII. *cap.* 12. *Guid. Pancirolli Rer. Memor. lib.* I. *cap.* 20. ibique *Henr. Salmuth* notas. *Emundi Figrelii libr. de Statuis, cap.* 23.

(*c*) STATIONES] Confer de hiſce Stationibus *Caſp. Barthii Adverſ. lib.* II. *cap.* 22. Interpretes ad PLINIUM *lib.* I. *Epiſt.* 13. & *lib.* II. *Epiſt.* 9.

(*d*) ACRON] Locus integer in editione *Baſil.* A. 1580. *fol.* ita legitur: *Negat ſe libros ſuos edere bibliopolis, ne in imperitum turbam incidant, qualis eſt Hermogenes Tigellius. Plerumque enim in pilis, vel in columnis, epigrammata ſcribebant poëtae, vel bibliopolis tradebant. Hoc ideo poſuit, quia bibliopolae ſtationes, vel armaria, circa pilas, vel columnas, habebant, ac per hoc oſtendit, ſe non temere cuiquam libellos ſuos edere, niſi nobiliſſimis perſonis.* Ad eundem locum alter ſcholiaſtes PORPHYRION ita commentatur: *Negat ſe libellos ſuos edere bibliopolis, qui vel tabernas habent, vel armaria, quae ſunt apud pilas, ne in ſordidos, qualis eſt Tigellius Hermogenes, incidant.*

(*e*) CORNUTUS] Locum hunc quoque integrum adſcribam: *Mos erat, ut tabernarii cupientes terrere pueros, ne mingerent per ſtationum ſuarum angulos, pingerent ſupra duos angues: deinde interdicerent micturientibus, oſtendentes religionem loci, per quod deſignat ſat ſacrum: quoniam, inquit, pueri, ſi videant pictos dracones, ſacrum locum exiſtimantes, mingere illic ceſſabunt.*

εἰ παρὰ ταῦτα τι πράξωσιν, ἐκπεσοῦνται πάντως τῶν καλουμένων σταθμῶν. *Scientibus, quia ſi praeter baec aliquid egerint, cadent omnino iis, quae vocantur ſtationibus.* Et mox: Αὐτὸς κύριος τῆς ἐπὶ τῆς στατίωνος αὐθεντίας ἔσται. *Ipſe dominus ſuper ſtationis auctoritate erit.* PLINIUS *lib.* XVI. *hiſt. nat. cap.* 44. *Radices ejus in forum uſque Caeſaris, per ſtationes municipiorum penetrant.* Ita tabernae ſtatio adnectitur in *l.* 15. *item apud Labeonem.* §. 7. *convicium. D. de injur.* Erant vero in ſtationibus accommodatiſſimae tabernae, quas circa forum diſpoſitas VITRUVIUS *lib.* V. *cap.* I. indicat, (*a*) & LIVIUS *lib.* XXVI. *cap.* II. his verbis: *Inventum Romae emtorem, ut extemplo vocato praecone, tabernas argentarias, quae circa forum Romanum tunc eſſent, juſſerit venire.* Hoc & QUINCTILIANUS *lib.* VI. *cap.* III. (*al.* IV.) oſtendit, quoddam C. Julii factum referens, qui ſaepius obſtrepenti & inſtanti Helvio, qualem ſe tandem oſtenſurus eſſet, digito demonſtraſſe fertur imaginem Galli in ſcuto Mariano-Cimbrico pictam; cui tunc Helvius ſimillimus viſus eſt. *Tabernae autem*, ait, *erant circa forum, & ſcutum illud ſigni cauſa poſitum.* Quod PLINIUS a Craſſo oratore ſub Veteribus in teſtem detortum *lib.* XXXV. *cap.* 4. ſcribit: quo in loco argentariorum menſas fuiſſe, PLAUTUS *in Curcul.* demonſtrat: (*Act.* IV. *ſc.* I. *v.* 14. & 19.)

> *In foro infimo*, ait, *boni homines atque dites ambulant.*
>
> *Sub Veteribus ibi ſunt qui dant, quique accipiunt foenore.*

Veteres autem cum dicunt Latini auctores, tabernas intelligunt. Eratque & alius in foro a novis tabernis appellatus locus, qui *ſub novis* aeque dicebatur, ut VARRO *lib.* V. *de lingua Lat. cap.* 7. *p.* 56. & LIVIUS (*b*) *lib.* II. &. *lib.* XXV. & PLINIUS (*c*) *lib.* XXXV. *cap.* X. docent. Sed ad rem (*d*). In foro poſitas argentarias tabernas ſubindicat. *l.* 32. *qui tabernas. D. de cont. emt.* quod ut adfirmare poſſemus, etiam teſtimoniis externis deficientibus, unum hoc argumentum ſufficeret, quod qui argentaria cedebant, foro cedere dicebantur. *l.* 7. *ſi hominem.* §. 2. *quotiens. D. depoſ. l. ult. D. de curat. b nis dan.*

CAP. XIII.

De jactatione motuque capitis fanaticorum.

Apud *Vivianum* quaeſitum ULPIANUS refert, ſi ſervus inter fanaticos non ſemper caput jactaret, & aliqua profatus eſſet, an nihilominus ſanus videretur. *l.* 1. §. 9. *apud Vivianum. D. de aedilic. ed.* Quibus verbis fanaticorum inſanum morem ſtrictim attigit. Fanaticos autem, Galloa magnae Deum matris Cybelea ſacerdotea accipe (*a*). Sic enim a LIVIO *lib.* XXXVII. *c.* 9. & a JUVENALI *ſatyr.* II. *v.* 112. & a PRUDENTIO

(*a*) INDICAT] Haſce tabernas primus in foro aedificaſſe videtur Rex Tarquinius Priſcus: (Vid. LIVIUS *lib.* I. *cap.* 35. *in fine.*) quae deinceps, aliis accedentibus, *Veteres* vocatae fuerunt. Caeterum de Tabernis, praeſertim argentariis, confer *Guil. Budaei Annot.* ad *Pand.* ad *L.* 7. §. 2. *depoſ. fol.* 140. *ſeqq. Guid. Pancirolli Var. Lect. lib.* I. *cap.* 31. & *Rer. Memorab. lib.* I. *cap.* 19. ibique *Henr. Salmuth.* notas, *pag.* 57. *ſeqq. Chriſtoph. Adami Ruperti Obſervat.* ad *Florum lib.* II. *cap.* 6. *pag.* 373. *ſeq.*

(*b*) LIVIUS] Ipſam illam locutionem *ſub novis* in LIVIO hactenus nondum reperire potui: fit tamen novarum tabernarum mentio apud eum *lib.* III. *cap.* 48. & *lib.* XXVI. *cap.* 27. Adde FESTUM *voc. plebeji aediles:* & NONIUM *lib.* XII. *num.* 55. ubi VARRO *de vita populi Romani* II. ait: *Hoc intervallo primum forenſis dignitas crevit, atque ex tabernis lanignis argentariae factae.*

(*c*) PLINIUS] In hnc auctore non tantum *l. c.* ſed & *cap.* 4. *ejuſd. lib* locutionem quidem *ſub veteribus*, non vero *ſub novis* reperi. Occurrit tamen haec apud CICERONEM *de Orat. lib.* II. *cap.* 66.

(*d*) REM] *Ultima periodus in editione Operum Pariſ.* 1606. *ita legitur:* Argentarias etiam tabernas in ſolo publico poſitas fuiſſe, ait *l.* 32. *qui tabernas.* D. *de contrab. empt.* Inde nihil mirum, ſi qui argentaria cedebant, foro cedere dicebantur. *l.* 7. *ſi hominem* §. 2. *quotiens.* D. *depoſ. l. ult.* D. *de curat. bon. dan.*

CAP. XIII. Ad hoc caput conferri poteſt *Giſbertus Cuperus Obſervatt. lib.* III. *cap.* 12. ubi eleganter obſervat, duplicem veteres ſtatuiſſe furorem: religioſum alium & pium, qui erat vatum; alium a Diis ob ſcelera in poenam immiſſum. Non omnes tamen vates ſimul quoque furebant: ſed duplex vaticinandi genus ſtatuiſſe veteres aut per furorem, quale Sibyllæ & fanaticorum; aut ſedatum & tranquillum, quale Heleni, bene obſervavit *Petrus Burmannus* in *notis* ad *Valerium Flaccum lib.* I. *v.* 230. *pag.* 55.

(*e*) ACCIPE] Fanatici generatim dicebantur omnes ii, qui interiori numinis vi agitari ſe fingebant, a fando, vel fano ita dicti. (Vide *Jacobi Gothofredi Commentarium ad L.* 4. *Cod. Theodoſ. de maleficis & mathemat. Tom.* III. *pag.* 120. *Guil. Budaei Annotat.* ad *Pandect.* ad *L.* I. §. 9 10. *de aedil. edict. Dionyſii Gothofredi notas*, alioſque Interpretes ad hanc legem. *Deſiderii Heraldi Obſerv.* ad *Arnobium*, *pag.* 21.) In horum igitur numero erant quoque *Galli*, quos aliquando & κατ' ἐξοχὴν fanaticos dictos fuiſſe ex LIVII & JUVENALIS locis ab auctore adductis apparet. Sed non ſoli: nam & *Bellonarios* ita dictos fuiſſe, vel ex ſola inſcriptione apud *Reineſium Claſſ.* XIV. *num.* 139. SEVERUS FANATICUS E VICO BELLONAE probari poteſt. Adde *Gruteri* Opus *Inſcript. p.* 312. *n.* 7. & *p.* 313. *n.* I. ubi occurrit FANATICUS AD AEDEM & DE AEDE BELLONAE. nec non *Jac. Sponii Miſcell. eruditae antiq. Sect.* II. *art.*

DENTIO (*a*) *Periſteph. Hymno* x. *in Romano Mart. v.* 1061. aliiſque Latinis auctoribus appellantur. B. AUGUSTINUS *lib.* VII. *de civit. Dei cap.* 24. Inter myſteria matris Deum Cybeles ponit tympanum, & crepitus cymbalorum, & jactationem inſanam membrorum. Hi quippe, ceu divino ſpiritu afflati, & aeſtu quodam mentis perciti, vagari, caput jactare, contorquere, hac atque illac inflectere furibundorum ſpecie ſolebant. (*b*) LAMPRIDIUS *in Heliogab. cap.* 7. *Jactavit autem caput inter praeciſos fanaticos, & genitalia ſibi devinxit.* Ubi *praeciſos* ea ratione, qua *ſectos* a MARTIALE *lib.* v. *Epigram.* (*c*) 42. dictos, palam eſt, quod virilia ſibi teſta (*d*) amputarent. OVIDIUS *Faſtor. lib.* IV. *v.* 241.

—— Molleſque miniſtri
Caedunt jactatis vilia membra comis.

DIO CHRYSOSTOMUS *orat.* 1. *de regno. pag.* 11. *ſeq.* Ταῦτα δὲ ἔλεγεν, οὐχ ὥσπερ οἱ πολλοὶ τῶν λεγομένων ἐνθέων ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν, ἀσθμαίνουσα καὶ περιδινοῦσα τὴν κεφαλήν. *Haec autem dicebat, non quemadmodum plurimi, qui dicuntur numine afflati, viri & mulieres, anhelans & caput contorquens.* VARRO *Eudaemonibus*, (*e*) ut eſt apud *Nonium: Tibi nunc ſemiviri teretem comam volantem jactant tibi Galli.* LUCANUS *Pharſal. lib.* I. *v.* 566.

—— Crinemque rotantes
Sanguinei populis cecinerunt triſtia Galli.

JUVENALIS *Sat.* VI. *v.* 314.

—— Crinemque rotant, ululante Priapo
(al. *ululantque Priapi*)
Maenades. ——

Quod & a lymphatis (*f*) in Bacchanaliumque celebritate factum, CATULLUS *in poëmate de Nupt. Pelei v.* 251. *ſeqq.* oſtendit, & TA-

art. 6. *pag.* 107. *Tom.* IV. *Theſaur. Antiqq. Poleni. Raph. Fabretti Inſcript. pag.* 498. & 540. Ita quoque JUVENALIS *Satyr.* IV. *v.* 123.

—— —— *Sed ut* fanaticus *oeſtro*
Percuſſus, Bellona, tuo divinat. —— ——

Confer de hiſce Bellonariis, eorumque fanatico furore, *Jani Broukhuſii notas* ad *Tibullum lib.* I. *Eleg.* 7. *v.* 49. & *Thomae Dempſteri Paralip. ad Roſini Antiqq. Rom. lib.* IV. *cap.* 10. *p.* 625. *ſeqq. ed. Colon.* 1620.

(*a*) PRUDENTIO] Multi quidem hoc in loco fanaticum dici Gallum exiſtimant: ſed ego potius Bellonarium indigitari puto, qui non minus, quam Galli, lacertos ſecare ſolebant, ut a *Broukhuſio* & *Dempſtero locis cit.* nec non a *Nicolao Heinſio* in *notis* ad *Valerii Flacci Argonaut. lib.* III. *v.* 234. *pag.* 264. *ſeq. ed. Burman.* abunde probatum eſt: nam *v.* 1066. ſermonem demum ad Gallos convertit Prudentius, ut ex connexione cuivis facile apparebit. Sed locum integrum, in gratiam lectoris, ut eo melius judicare poſſit, adſcribam, quum praeſertim ad totius hujus capitis illuſtrationem non parum faciat.

Cultrum in lacertos exſerit fanaticus,

(Bellonarius ſcilicet)

Sectiſque Matrem brachiis placat Deam,

(Bellonam intellige)

Furere ac rotari jus putatur myſticum,
Parca ad ſecandum dextra fertur impia,
Coelum meretur vulnerum crudelitas.
Aſt hic (Gallus nimirum) *metenda dedicat genitalia,*
Numen reciſo mitigans ab inguine,
Offert pudendum ſemivir donum Deae;

(Cybelem intellige)

Illam, revulſa maſculini germinis
Vena, effluenti paſcit auctum ſanguine.

(*b*) SOLEBANT] Hujuſmodi fanaticum, ſive furioſum vatem, ita eleganter deſcribit VALERIUS FLACCUS *Argonaut. lib.* I. *v.* 207.

Ecce ſacer, totuſque Dei, per littora Mopſus
Immanis viſu, vittamque comamque per auras
Surgentem lauruſque rotat. —— ——

Hinc QUINCTILIANUS *Inſtit. Orat. lib.* XI. *cap.* 3. *Jactare caput*, inquit, *& comas excutientem rotare, fanaticum eſt.* (ubi vide Interpp.) Vide etiam de furore hoc fanatico SERVIUM ad *Aeneid.* III. *v.* 443. JUSTINUM *lib.* XLIII. *cap.* 1. §. 8. FLORUM *lib.* III. *cap.* 19. §. 4. (ibique Interpp.) Ad furorem iſtum concitandum tibiae etiam & cymbala, aliaque inſtrumenta muſica adhibebantur, ut notavit *Frid. Adolph. Lumpe* in *Tract. de Cymbalis veterum, lib.* II. *cap.* 16. & *lib.* III. *cap.* 3. *ſeq.*

(*c*) EPIGRAM.] Verba ejus ſunt:

Spadone quum ſis eviratior fluxo,
Et concubino mollior Celaenaeo,
Quem ſectus *ululat Matris entheae Gallus.*

Idem *Epigramm. lib.* II. *num.* 45.

Quae tibi non ſtabat, praeciſa eſt mentula, Glypte,
Demens cum ferro quid tibi, Gallus eras.

(*d*) TESTA] Teſta nimirum Samia, ut auctor eſt PLINIUS in *Hiſt. Nat. lib.* XXXV. *cap.* 12. & MARTIALIS *lib.* III. *Epigr.* 81. Vide praeterea de ritu hoc notiſſimo LUCIANUM in *Tract. de Dea Syria, cap.* 15. & 51. AUGUSTINUM *de Civ. Dei lib.* VII. *cap.* 23. *ſeqq.* SERVIUM ad *Aeneid. lib.* IX. *v.* 116. JUVENALEM *Sat.* II. *v.* 116. & *Sat.* VI. *v.* 512. TIBULLUM *lib.* I. *Eleg.* 4. *v.* 63. ibique interpretes.

(*e*) EUDAEMONIBUS] Sive potius *Eumenidibus*: vide NONII *lib.* IV. *de varia ſignific. ſerm. num.* 260. *v. jactare, pag.* 238. *ed. Pariſ.* 1614. 8vo.

(*f*) LYMPHATIS] Quinam illi ſint, explicat

& Tacitus *lib.* xi. *Annal. c.* 31. his verbis: *Ipſa crine fluxo thyrſum quatiens, juxtaque Silius, edera vinctus, gerere cothurnos, jacere caput.* Statius Papin. *lib.* iv. *Syl.* in carmine 3. *de via Domitiana.* v. 120. *En & colla rotat, noviſque late Bacchatur ſpatiis, viamque replet.* Lucianus in *Pſeudomanti*, *cap.* 13. *pag.* 221. *Tom.* ii. Σείων ἅμα τὴν κόμην ἄνετον, ὥσπερ οἱ τῇ μητρὶ ἀγείροντές τε καὶ ἐνθεάζοντες. *Solutam ſimul comam quatiens, ut qui matri Deorum coetum colligunt fanatici.* Strabo *lib.* x. *pag.* 725. (473.) ait, Corybantas appellari ἀπὸ τοῦ κορύπτοντας βαίνειν ὀρχηστικῶς, id eſt, ut interpres vertit, *quod inter ſaltandum capita jactent.* Unde & τοὺς μανικῶς κινουμένους, *qui furioſe moventur*, ait hoc nomine appellari. Atque hae ſunt, quas Plutarchus (*a*) μανίας vocat τῶν ὀρινομένων ῥιψαύχενι σὺν κλόνῳ.

CAP. XIV.

De jure ſepulchrorum.

Sepulchrorum alia eſſe hereditaria, alia familiaria noſtri, tradunt. Hereditaria iisdem auctoribus definimus, quae ſibi heredibusque ſuis paterfam. conſtituit, vel hereditario jure adquiſivit: in quae heredibus quibuſcumque, vel minima ex parte inſtitutis, nec heredibus modo, ſed & bonorum poſſeſſoribus, iisque, quibus libertatis conſervandae cauſa bona addicta fuerint, & omnibus omnino, qui heredum loco habeantur, & ſepeliri & mortuum inferre licet. *l.* 5. *familiaria. l.* 6. *vel quod. D. de religioſ. l.* 4. §. 21. *is autem cui. D. de fideic. libert.* Eorumque adeo ſepulchrorum jura etiam apud heredes reſtituta hereditate manere. *l.* 42. *quia perinde. in fin. D. ad SC. Trebell.* quinimo & ei, cui ut indigno poſt aditionem hereditas ablata ſit, integra ſervari placet. *l.* 33. *ſi quis heres. D. de religioſ.* quod adeundo heres effectus, hereditate ablata, heres eſſe non deſinat. (*b*) *l.* 43. *ex facto. in fine D. de vulg. & pupill.* Proinde & liberis, licet hereditate adſtinuerint, jura hujusmodi ſepulchrorum competere, minime dubium eſt, quando ipſo jure heredes ſint & quidem ſui & neceſſarii. Familiaria vero ſepulchra ea eſſe ſtatuuntur, quae ſibi quis familiaeque ſuae conſtituerit: quorum ea cauſa eſt, ut ad heredes etiam extraneos,

cat Isidorus *Origg. lib.* x. bis verbis: *Lymphaticus, quod aquam timeat, quem Graeci* ὑδροφόβον *vocant. Lymphaticus proprie dicitur, qui vitium ex aqua contrahit, cujus vitium eſt, huc atque illuc currere, aut a fluore* (alii legunt *furore*) *aquae ſumto vitio. Sed poëtae jam hoc genus nominis pro furioſis uſurpant.* Festus vero in fine *lib.* x. ita loquitur: *Lymphae dictae ſunt a Nymphis. Vulgo autem memoriae proditum eſt, quicunque ſpeciem quandam e fonte, id eſt, effigiem Nymphae viderint, furendi non feciſſe finem, quos Graeci* νυμφολήπτους *vocant, Latini lymphatos appellant.* Adde Varronem *de lingua Lat. lib.* vi. *pag.* 79. De Bacchantium furore res notiſſima eſt, ut nihil addi neceſſe ſit.

(*a*) Plutarchus] Auctor ſine dubio prae oculis habuit verba Pindari, quae Plutarchus duobus locis, non ſine lectionis diſcrimine, refert. Operae pretium igitur erit, ut ambo hic legantur. Prior locus exſtat *Sympoſ. lib.* i. *quaeſt.* v. *pag.* 623. Μανίαι τε ἀλαλαί τε ὀρινομέναν ῥιψαύχενι σὺν κλόνῳ, κατὰ Πίνδαρον. *Atque tunc exagitatorum hominum videas, quod eſt apud Pindarum, furores, & conclamationes cum fremitu & cervicum jactatione.* Poſterior *Sympoſ. lib.* vii. *quaeſt.* v. *pag.* 706. ita ſonat: Οὕτως ἡμεῖς ἐν τοῖς τοιούτοις προοιμίοις καὶ σκιρτήμασι μανίαις τ᾽ ἀλαλαῖς τ᾽ ὀρινόμενοι ῥιψαύχενι σὺν κλόνῳ. *Sic nos in iſtis praeludiis ac ſaltationibus, ubi furores ſunt & conclamationes bellicae, cum tumultu & cervicum jactatione.*

CAP. XIV. Ad hoc duoque ſequentia capita ſcriptores, qui ex inſtituto de jure Manium, ſive de jure & religione ſepulchrorum egerunt, omnino ſunt conferendi, ex quibus tres recentiſſimos tantum, qui maxime ad auctorem noſtrum illuſtrandum faciunt, nominare volo. Sunt autem (1) *Georg. Chriſt. Platz* in *Diſſert. de Religione Sepulchrorum, Lipſ.* 1725. (2) *Jo. Frid. Sauermann* in *Tract. de jure circa ſepulchra, Bremae* 1737. 4. (3) *Gottfr. Ludov. Mencke* in *Diſſ. de jure ſepulchrorum familiarium atque hereditariorum, Lipſ.* 1739. Ex aliis, qui obiter tantum hanc materiam illuſtrarunt, nominare volo (1) *Lud. Coel. Rhodiginum* in *Lect. Antiqu. lib.* xvii. *cap.* 19. *ſeqq.* (2) *Juſt. Fontaninum* in *Antiqq. Hortae, lib.* i. *cap.* 9. §. 4. & 7. (3) *Jo. Gottl. Heineccium* in *Syntag. Antiqq. lib.* ii. *tit.* i. §. 3. *ſeqq.* & (4) denique Auctorem noſtrum in Opere *de Form. Sollemn. lib.* vii. *pag.* 667. *ſeqq.* (700. *ſeqq.*) Sepulchrum quid proprie ſit, & quomodo a *monumento* & *cenotaphio* differat, ſatis expoſuerunt JCti. (vid. *L.* 2. §. 5. 6. & *L.* 42. *D. de religioſ. & ſumt. funer.*) Pauca tantum hoc loco de variis ſepulchrorum ſpeciebus praemittere lubet, quanta nempe ad auctorem rectius intelligendum ſufficere videbuntur. Sepulchra apud Romanos erant vel publica, vel privata. Publica vel illuſtribus ob merita in rempublicam perſonis; vel pauperibus ex miſericordia concedebantur. De iſtis res eſt notiſſima: de his Aggenus Urbicus in *Comment. ad Frontin. de limitibus agror. pag.* 60. teſtatur. *Sunt*, ait, *in ſuburbanis loca publica, inopum deſtinata funeribus, quae loca culinas appellant.* Idem *pag.* 72. *Habent & reſpublicae loca ſuburbana, inopum funeribus deſtinata, quae loca culinas appellant.* Qui locus vel ideo notandus eſt, quia ex eo apparet, hoc non tantum Romae, ſed & in aliis urbibus fuiſſe obſervatum: ut jam monuit *Guil. Goeſius* in *notis*, *pag.* 151. Adde Horatium *ſerm. lib.* i. *Sat.* 8. *v.* 10. Privata ſepulchra erant vel ſingularia, ſive propria, quae quis ſibi duntaxat, vel ſibi & conjugi fecit: vel communia. Haec rurſus erant vel gentilitia, vel familiaria, vel hereditaria. Gentilitia ſepulchra crebro commemorantur a veteribus, (vide *ex. gr.* Vellejum Paterc. *lib.* ii. *cap.* 119. Suetonium in *vita Neronis*, *cap.* 50.) eaque toti genti erant communia, nemo vero in illa inferri debebat, niſi qui ad gentem illam ſacraque gentilitia pertineret. (Vide Ciceronem *de legibus*, *lib.* ii. *cap.* 22.) De familiaribus & hereditariis ſepulchris jam ipſe auctor loquitur.

(*b*) Non desinat] Eſt enim principium juris

traneos, caeteroſque ſucceſſores pertineant: (*a*) hoc amplius & ad adgnatos, eosque, qui in familia ſunt, licet heredes non ſint; ad proximos vero cognatos adfinesque non aliter, quam ſi heredes extiterint, pertineant. *l.* 8. *jus familiarium l.* 13. *jus ſepulchri. l.* 4. *ſi ſepulchrum. C. de religioſ.* CICERO *lib.* I. *offic. cap.* 17. *Sanguinis autem conjunctio & benevolentia devincit homines caritate. Magnum eſt enim eadem habere monumenta majorum, iiſdem uti ſacris, ſepulchra habere communia.* Unde quaeritur, an in familiaria ſepulchra liberti inſerri poſſint. Quod ea ratione defendi poteſt, quod in patroni familia liberti numerarentur, familiaeque appellatione (*b*), JUSTINIANO in *l. ult. C. de verb. ſignific.* teſte, continerentur. Merito cum & gentilitium patronorum nomen (*c*) ferrent, ut ALCIATUS, qui primus horridam & incultam Jurisprudentiam bonarum litterarum luce illuſtravit, *lib.* IV. *Diſpunct. cap.* I. adnotavit, confirmarique apertiſſimis TERTULLIANI *in lib. de Reſurrection. carn. cap.* 57. & LACTANTII *lib.* IV. *Inſtit. cap.* 3. teſtimoniis poteſt. Cujus rei, ut alia notiora omittam, exemplum eſt, quod Spurii Carvilii libertum, Carvilium quoque a PLUTARCHO in *Problem. num.* 58. (*al.* 59.) *pag.* 278. & Pompeji quendam libertum Pompejum Lenaeum a PLINIO *lib.* XXV. *cap.* V. & SUETONIO *in lib. de clar. Grammat. cap.* 15. & Lauream Tullium Ciceronis libertum ab eodem PLINIO, *lib.* XXXI. *cap.* I. & Cornelium Alexandrum Cornelii Lentuli libertum a SUIDA *voc.* Ἀλέξανδρος ὁ Μιλήσιος, appellari videmus. Quamquam quid emendicatis ſuffragiis opus eſt, cum hoc ipſum Jureconſultorum teſtimonio confici poſſit. Eſt enim non obſcure poſitum in *l.* 94. *is qui complures. D. de leg.* III. & *l.* 108. *libertis. D. de cond. & demonſtrat.* ex eoque praeterea perſpicue demonſtratur, quod Re extra familiam ita alienari prohibita, ne de nomine exeat, fideicommiſſo quoque invitati liberti intelliguntur. *l.* 77. *cum pater.* §. 15. *ab inſtituto. D. de legat.* II. *l.* 8. *pater.* §. 1. *duobus. D. de legat.* III. His & illud non aeque tritum addamus, ipſa patronorum origine libertos cenſeri (*d*), veteribus placuiſſe, quod initium libertatis, quaſi novae vitae ab iis accepiſſent (*e*). *l.* 6. *adſumtio.* in *fin. l.* 22. *filii. D. ad municip. l.* 2. *C. de municipalib.*

lib.

juris Romani: *qui ſemel heres jure factus eſt, is ſemper heres manet:* de quo plura dixi *in Appendice* ad *Tract.* meam de *Teſtamentifactione.*

(*a*) PERTINEANT] Hoc alii negare, alii affirmare videntur. Nobis res unice ex eo pendere videtur, quibus legibus ſepulchrum primum conſtitutum fuerit: adeoque alia ſepulchra pure fuiſſe familiaria, quae ad ſolos ejusdem familiae homines, ſive ad ſolos adgnatos pertinerent; alia vero mixta, ſive familiaria & hereditaria ſimul, qualia illa, quae hic auctor deſcribit. Eodem etiam modo ſequens mihi quaeſtio decidenda videtur.

(*b*) APPELLATIONE] Familiam enim eſſe vocabulum maxime πολύσημον, ex *L.* 195. *D. de* V. S. notiſſimum eſt.

(*c*) NOMEN] Immo & praenomen: vetuſto autem ſervili nomine loco cognominis poſtea utebantur, ut hodie notiſſimum eſt, & ſupra jam indicatum *lib.* I. *cap.* II. Conferri interim merentur *Angeli Politiani Miſcell. cap.* 31. *pag.* 44. *Tom.* I. *Theſ. Crit. Grut. Guil. Fornerii Select. lib.* III. *cap.* 13. *Antonii Auguſtini Emendat. lib.* III. *cap.* 8. *Staniſl. Santinelli Diſſ. de Rom. vet. nobilitate, cap.* 6. Addo adhuc ſequentia minus trita: (1) Hoc non tantum obſervaſſe libertos cives Romanos, ſed libertos etiam latinae conditionis, ut colligi poteſt ex PLINIO *lib.* X. *Epiſt.* 4. & 6. & 105. (2) Hunc quidem plerumque, non ſemper tamen eodem modo fuiſſe obſervatum. Vid. CICERO *Famil. lib.* XIII. *Epiſt.* 2. & 21. & 27. PLINIUS *Hiſt. Nat.* XXVIII. *cap.* 6. Conf. *Raph. Fabretti Inſcript. pag.* 318. *ſeq.* & 347. *ſeq.* (3) Libertos feminarum, quia illae raro praenominibus utebantur, praenomen ſumſiſſe vel a patronae patre, ſi eſſet ingenua; vel ab ejus patrono, ſi & ipſa eſſet libertinae conditionis. Vide *Raph. Fabretti Inſcript. pag.* 436. *ſeqq.* (4) Servos publicos Romanorum manumiſſos nomen gentilitium (praenomen etiam, ut puto) magiſtratus illius, a quo manumiſſi erant, adſumſiſſe: ſervos vero publicos municipiorum manumiſſos gentilitium ſibi nomen efformaſſe ex nomine municipii illius, cui ſervierant. Hoc enim omnino colligi poſſe puto ex loco paullo obſcuriori VARRONIS in *libro* VII. *de lingua Lat.* circa finem, *pag.* 100. ubi ita loquitur: *Habent plerique libertini a municipio manumiſſi:* (nomen ſcilicet ab iſto municipio) *in quo, ut ſocietatum & fanorum ſervi, non ſervarunt proportionem & rationem, & Romanorum liberti debuerunt dici: ut a Faventia Faventinus, a Reate Reatinus; ſic a Roma Romanus: ut nominantur a libertinis orti ſervi publici, Romani, qui manumiſſi, antequam ſub magiſtratus nomine, qui eos liberarunt, ſuccedere coeperunt. Hinc quoque illa nomina Leſas, Uſenas, Carinas, Maecenas: quae quum eſſent a loco, ut Urbinas, & tamen Urbinus ab heis debuerunt dici, ad noſtrorum nominum ſimilitudinem.* Conf. *Pauli Manutii Comm.* ad *Cic. Famil. lib.* I. *Epiſt.* 3. *Juſti Lipſii Excurſus* ad *Tacit. Annal.* II. *lit.* F. *Petri Pithoei* notas ad *Collat. Legg. Moſaic. & Rom. tit.* 5. *pag.* 753. in *Juriſpr. Antejuſt. Raph. Fabretti Inſcript. pag.* 434. *ſeqq. Raccolta d'Opuſculi ſcientifici & filologici, Tom.* V. *num.* 4.

(*d*) CENSERI] Hoc pertinet ad jus municipale, quod ſcilicet liberti ejusdem municipii municipes ſint, cujus patronus municeps eſt. Unde manumiſſio municipem faciebat. Vid. PLINIUS *lib.* VII. *Epiſt.* 32. *L.* I. *pr. D. ad municipal.*

(*e*) ACCEPISSENT] Quia nimirum liberti patrono debebant, quod perſonae eſſe coeperant: (vide *Heineccii Elem. Juris Civ. ſec. ord. Inſtit.* §. III.) hinc merito patronus eis veluti parens & proximus adgnatus erat, ut docet JUSTINIANUS in conſtitutione Graeca apud *Cujacium Obſervatt. lib.* XX. *cap.* 34. his verbis: Ἐπειδὴ δὲ δοκοῦσι συγγενεῖς εἶναι τῶν ἐλευθερωμένων οἱ ἐλευθερώσαντες αὐτοὺς, διὰ τοῦτο καὶ καλοῦνται ἐκ τῆς νομίμου διαδοχῆς. *Quum veluti adgnati libertorum patroni cenſeantur, hinc*

lib. x. Ex quibus omnibus effiei videbitur, familiaria ſepulchra libertis patere. Quod tamen ULPIANUS negat: eujus in *d. l. 6. vel quod. D. de religioſ.* haec ſunt verba: *Liberti autem nec ſepeliri, nec alios inſerre paterunt, niſi heredes extiterint patrono, quamvis quidam inſcripſerint, ſe monumentum ſibi libertisque feciſſe.* Quae ego ad hereditaria ſepulchra referri verba debere aliquando exiſtimavi, de iisque tantum eo capite agi: ut quod initio capitis ſeriptum eſt: *Sed in utroque heredibus quidem:* ſie interpretaremur, tam in eo, quod ſibi heredibusque ſuis quis eonſtituit, quam in eo, quod hereditario jure adquiſivit. Nune vereor, ne haee tota ab Ulpiani mente interpretatio abhorreat. Omnis eerte dubitationis tollendae cauſa, inſeribere monumentis veteres ſolitos, ſibi, & uxori, & libertis libertabusque, poſterisque eorum ſe feciſſe, *Antiquae Inſcriptiones* oſtendunt, quarum ego unam exempli cauſa ſubjeci (*a*): TELAUNIUS GENETLIUS, NUMMULARIUS DE BASILICA JULIA, NATIONE BESS. SIBI ET CONJUGI, LIBERIS, LIBERTIS, LIBERTABUSQUE DEINCEPS DE DOMO SUA DESCENDENTIBOS POSUIT. Caveri plane interdum ſolebat, ne monumentum heredes ſequeretur. Idque his notis ſcribebatur H. M. H. N. S. quae a *Valerio Probo* explicantur, & in Antiq. Ioſcription. crebro occurrunt (*b*). Familiaria plane ſepulchra adgnatis tantum, non etiam cognatis adfinibusve, niſi patriſam. heredes extitiſſent, minime patebant. Adgnatis utique patebant, & ſi ab hereditate alieni eſſent. *l. 8. jus familiarium l. 13. jus ſepulchri C. de religioſis.*

CAP. XV.

Qui & quatenus religioſus locus fiebat.

Religioſum locum tum demum fieri, cum illatum corpus eſt, res eſt jure civili notiſſima. Nec eoim monumentum per ſe quicquam religionis habet, planeqne profani juris eſſe intelligitur, priuſquam eo mortuus ſit illatus, quemadmodum *l. 4. §. 6. non fuit. D. ad legem Jul. pecul.* arguit. Quamobrem eenotaphium religioſum non eſſe, venireque & donari poſſe, bene Divi ſratres reſcripſerunt (*c*). *l. 7. ſed Divi. D. de rer. diviſ. l. 6. vel quod. in fin. D. de religioſ.* cum memoriae tantum & honoris cauſa, ſine eorpo-

& vocantur ad legitimam ſucceſſionem. Hoe tamen jus, in patroni favorem unice introductum, oon fuit reciprocum, quod probe notandum. Proprie enim liberti, quaſi novi homines, neque gentem, oeque familiam habebant, quum ne patrem quidem habuiſſe viderentur. (vid. ULPIANUS *Fragm. tit.* XII. §. 3.) Hinc proprie inter patroni adgnatos & gentiles oon connumerabantur, neque adgnationis atque gentilitatis juribus gaudehant. (vid. CICERO *Topic. cap.* 6. & de *Oratore lib.* 1. *cap.* 39.) Quod vero patroni pracnomen & nomen gentilitium adſumſerint liberti, id eo minus mirandum eſt, quia & peregrini, civitatem Romanam adepti, ejus praenomen & nomen adſumere ſolebant, cujus ope jus civitatis eonſecuti ſuerant, (ut ſupra indicatum *lib.* 1. *cap.* 13.) neque tamen propterea adgnati illius efficiebantur.

(*a*) SUBJECI] Haee reperitur etiam in *Opere Inſcript. Gruteri, pag.* 341. *num.* 1. ubi tamen primum nomen ita legitur: T. FLAVIUS. Alias vide apud *Raph. Fabrettum* in *Inſcr. pag.* 148. *ſeqq.* qui *pag.* 152. *ſeq.* quasdam Inſcriptiones exhibet, in quibus cavetur, ſepulchrum ad eos tantum pertinere libertos, quos Patronus teſtamento nominaverit. Idem *Fabrettus* eodem Opere, *pag.* 6. & *pag.* 42. *ſeqq.* docet, ſervos quoque iaterdum domini ſepulchro illatos fuiſſe.

(*b*) OCCURRUNT] Vide *ex. gr. Jac. Sponii Miſcellanea eruditae antiqu. Sect.* IX. *pag.* 1234. *Tom.* IV. *Theſ. Antiqq. Poleni. Raphaelis Fabretti Inſcript. pag.* 91. *ſeqq.* ejusque Opus *de Columna Trajani, pag.* 377.

CAP. XV. Res divini juris eſſe vel ſacras, vel religioſas, vel ſanctas, tyronibus notum eſt. Ipſum tamen hujus diviſionis fundamentum explicatu non adeo facile eſt, ut nulli dubitationi locus ſuperſit, quum praeſertim veteres vocabula haec ſaepe confundant, neque ubivis in cadem adhibeant ſignificatione, rem ipſam denique magis per exempla, quam per accuratas definitiones proponant. Recentiores hactenus mihi rem magis implicaſſe, quam explicaſſe videntur: id quod alio tempore oſtendam. In praeſenti enim de ſolis rebus religioſis ſolliciti erimus, & praetermiſſa operoſiore definitione, id tantum dicimus, quod certum eſt: *res religioſas* oimirum *eſſe ſepulchra:* quae propoſitio, quum ſit ſimpliciter convertibilis, ut logici loqui amant, nunc loco definitionis nobis eſſe poteſt. Eſt tamen vera tantum, quando vocabula, tum in ſubjecto, tum in praedicato, in propria ſua ſignificatione accipiuntur: alias enim res ſacrae & ſanctae interdum quoque *religioſae* dicuntur: (vid. GELLIUS *lib.* IV. *cap.* 9. FESTUS *voc. religioſum* & *religioſus:* VIRGILIUS *Aeneid. lib.* 11. *v.* 365. ibique SERVII *Comment.*) & contra ſepulchra aliquando dicuntur *ſacra;* (vid. CATULLUS *Carm.* VII. *v.* 6. QUINCTILIANUS *Declamat.* x. *cap.* 2. & 15.) aliquando etiam *ſancta.* (vid. CICERO *Philipp.* IX. *cap.* 6. ejusque *Fragmentum* ex libro IV. *de republ.* apud NONIUM *lib.* 11. *num.* 805.) Nobis interim ſufficere poteſt, quod apud JCtos res religioſae & ſepulchra conſtanter unum idemque ſignificent. Caetera ad aliud tempus accuratius explicanda reſervabimus.

(*c*) RESCRIPSERUNT] Sepulchra eſſe religioſa ob Deorum Manium religionem, certum eſt: aſt de Cenotaphiis dubitabatur apud veteres. Multi & illa pro religioſis habebant, quia nimirum loco veri ſepulchri erant, iisdemque ritibus conſtituebantur, & alias quoque in ſacris imaginaria ſaepe pro veris valebant. (vid. SERVIUS ad *Aeneid. lib.* 11. *v.* 116. & *lib.* IV. *v.* 512. & *lib.* VI. *v.* 325.) Nihilominus tamen Divi Fratres Cenotaphia omni religione ſolverunt. Confer omnino *Jacobi Gothofredi Diatr. de Cenotaphio*, quae ſeparatim primum prodiit *Genevae* 1634. recuſa deinde *Tom.* III. *Theſauri Juris.* Cui adde *Cornelii van Bynkershoek Obſervatt. Jur. lib.* 3. *cap.* 5.

corporis illatione extruatur. *l.* 42. *monumentum. D. de religioſ.* Olim autem cum cadavera cremari uſus obtinuiſſet, priuſquam in os mortui gleba injecta eſſet, locus ille, ubi corpus crematum erat, religioſus non habebatur: injecta gleba, tum & humatus defunctus, & ſepulchrum eſſe, ac religione teneri incipiebat, ut a CICERONE *lib.* II. *de Legib. c.* 22. ſcribitur (*a*). Verum quatenus religio locum occuparet, videamus. Non eſt enim exiſtimandum; totum eum fundum, in quo monumentum eſſet, religioſum fuiſſe, ſed eatenus demum, quatenus corpus humatum eſſet, ut ex *Celſo* ULPIANUS *in l.* 2. §. 5. *ſepulchrum. D. de religioſ.* refert. Sed & purum agrum monumento cohaerentem profani juris eſſe, ab IMP. PHILIPPO reſcriptum eſt. *l.* 9. *locum. C. de relig.* Lapides plane, quibus monumentum inaedificatum erat, religioſi habebantur, ut nec remoti quidem vindicari, quaſi ſemel juris divini facti, poſſent. *l.* 43. *quae religioſis. D. de rei vindic.* Unde QUINCTILIANUS *Declam.* X. *cap.* 15. *Majus*, ait, *quam ſi filii ſepulchrum funditus eruiſſet, & ſacratos morte lapides, etiam cineres, & oſſa religioſe quieſcentia, fracta ſparſiſſet urna.* At non, quod circa ſepulchrum (in mediis enim plerumque agris ſepulchra, SICULO FLACCO auctore, faciebant,) (*b*) ſpatium relinquebatur, eodem jure cenſebatur. Intra maceriam quippe ſepulchrorum hortis vel caeteris culturis loca pura ſervata, ſi nihil nominatim venditor excepiſſet, fundi emtorem ſequebantur. *l.* 73. *aede ſacra. in fin. D. de contrab. emt.* Eaque de cauſa monumentorum locus definiri, & quantum terrae ſpatium religioni cederet, deſignari, monumentisque inſcribi ſolebat. QUINCTILIANUS *lib.* VII. *cap. pen. Si quis*, ait, *corpus ſuum in occulto loco poni jubeat, circaque monimentum multum agri ab heredibus in tutelam cinerum, ut ſolet, leget.* Hinc CICERO *Philipp.* IX. *c.* 7. ſepulchro Servii Sulpitii, qui in legatione Pop. Rom. obierat, locum publice dari, & pedes triginta quaquaverſus deſignari cenſet. Plenae ſunt adeo monumentorum inſcriptiones harum notarum IN FR. P. X. IN AGR. P. XX. quae hoc ſignificant: *In fronte pedes decem, in agrum pedes* XX. *patere.* quae notae a *Valerio Probo* exponuntur. Eoque HORATIUS *lib.* I. *Serm. ſat.* VIII. *v.* 10. adludit:

Hoc miſerae plebi ſtabat commune ſepulchrum,
Pantolabo ſcurrae Nomentanoque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat, heredes monumentum ne ſequeretur.

In fronte autem, ut ACRON interpretatur, in latitudine ſignificat, *in agrum* vero in longitudine (*c*). Atque ita certo ambitu ſepulchri locus, titulo id ipſum teſtante, concludebatur. Quod etiam AGGENUS URBICUS ſenſit, cum in *lib. de limit. agror. ad Frontin. p.* 62. *Moeſilea* (*d*), inquit, *habent juris ſui hortorum modum circumjacentem, vel praeſcriptum agri finem.*

CAP.

(*a*) SCRIBITUR] Cum quo loco conferendus omnino alter ſimilis VARRONIS *de lingua Lat. lib.* IV. *cap.* 4. *pag.* 10. *Et quod terra*, ait, *fit humus, ideo humatus, mortuus*, (ſcilicet dicitur) *qui terra ſit obrutus: ab eo, qui Romae combuſtus eſt, aut in ſepulchrum ejus abjecta gleba non eſt: aut ſi os exceptum eſt mortui, ad familiam purgandam; donec in purgando humo non eſt opertus, ut pontifices dicunt, quoad inhumatus ſit, familia funeſta manet.*

(*b*) FACIEBANT] Locus, qui exſtat *pag.* 4. in editione *Goeſii*, quemque auctor nno accurate perſpexiſſe videtur, ita ſe habet: *Inſpiciendum erit & illud, quoniam ſepulchra in extremis finibus facere ſoliti ſunt, & cippos ponere, ne aliquando cippus pro termino errorem faciat. Nam in locis ſaxuoſis, & in ſterilibus, etiam in mediis poſſeſſionibus ſepulchra faciunt.* Immo Romanos plerumque juxta viam publicam ſepulchra feciſſe, notiſſimum eſt. Hinc crebrae quoque illae allocutiones ad viatores in monumentis ſepulchralibus veniunt. Idque etiam confirmat fragmentum illud terminale apud *Goeſium*, *pag.* 147. ubi inter alia haec occurrunt verba: *Etenim ſepulchra in extremis finibus facere ſoliti ſunt.* Conferri hac de re poteſt *Nicolai Bergierii* Opus eruditiſſimum *de publicis & militaribus Imperii Romani viis*, *lib.* II. *ſect.* 34. *ſeqq.*

(*c*) LONGITUDINE] Acronem ſequitur *Thobias Gutberleth* in *Conjectan.* in *Monumentum Heriae Thisbes*, *pag.* 357. *Tom.* IV. *Theſ. Antiqq. Poleni*: eamque interpretationem alio etiam veteri monumento confirmat *Andr. Dacerius* in *not.* ad *Horat. Serm. lib.* 1. *Sat.* 8. *v.* 12. *Jacobus Sponius* vero in *Antiqq. Lugdun. pag.* 184. frontem pro longitudine, & agrum pro latitudine accipit. Qui tamen ipſe ſententiam mutaſſe videtur in *Miſcell. eruditae antiq. Sect.* IX. *pag.* 1234. *Tom.* IV. *Theſ. Antiqq. Poleni.* Acronis explicationem plane improbat *Jac. Nicolaus Loënſis Miſcell. Epiph. lib.* VI. *cap.* 4. docetque, frontem cenſeri non ratione longitudinis, aut latitudinis: ſed partem anticam, ad viam publicam ſpectantem, ſemper vocatam fuiſſe *frontem*; poſticam vero, ad agrum ſpectantem, *in agrum. Raph. Fabrettus* in *Inſcript. pag.* 178. media quodammodo via incedit, notatque, ut plurimum quidem rem ita ſeſe habuiſſe, ut Acron explicavit: ſed interdum tamen rem etiam aliter ſe habere potuiſſe, ſi nempe longior frons eſſet, quam latera. Hinc nonnunquam in aliis monumentis, loco hujus formulae, expreſſis verbis longitudo & latitudo determinatur. Vide *Gutberleth l. c.*

(*d*) MOESILEA] Id eſt: *Mauſolea.* Scribitur enim promiſcue in antiquis monumentis: *Mauſoleum*, *Moeſoleum*, *Moeſileum*, *Muſileum*, id quod jam notavit *Nic. Rigaltius* in *notis* ad *Scriptt. rei agrariae*, *pag.* 242. *ed. Goeſii.*

CAP. XVI.

Maceriis ſepulchra olim includi conſueviſſe.

Conſentaneum inſtituto a nobis de ſepulchris ſermoni fuerit, adnotare ULPIANI locum ex *l.* 73. *aede ſacra. in fin. D. de contrahenda emt.* in quo ita eſt: *Intra maceriam ſepulchrorum loca pura hortis vel caeteris culturis ſervata, ſi nihil nominatim venditor excepit, ad emtorem pertinent.* Unde notandum eſt, maceriis ſepulchra claudi ſolita. Quod & *Inſcriptio* (*a*) antiqua, quae *Paduae* exſtat, docet his verbis: INFERENDI IN AREA, HUMANDI SEPELIENDIQUE JUS POTESTASQUE ESTO, UT HUIC AREAE, QUAM EGO DEFINII, ET A FRONTE MACERIAM DUXI, ET TITULUM POSUI, ULTRA EAM AREAM ET MACERIAM IN FRONTE IN AGRO VERSUS LATE P. X. RETRO USQUE AD CANABETUM HUIC AREAE CEDET, IN QUA PEOATURA NEQUE HUMARI, NEQUE TUMULUM FIERI VOLO, UT HABEAT EA AREA ET TERGO ET A LATERE ACCESSUM SUUM.

Hoc idem altera inſcriptio docet, quae apud *Lirim* amnem in *Italia* viſitur (*b*). Ea eſt hujuſmodi:

HUJUS MONUMENTI JUS, QUA MACERIA CLUSUM EST, CUM TABERNA ET COENACULO, HEREDEM NON SEQUITUR. NEQUE INTRA MACERIAM HUMARI QUEMQUAM LICET.

Ex quibus inſcriptionibus etiam illud, ut obiter moneam, comprobatur, quod ULPIANUS in *l.* 3. §. 3. *ſi quis in hereditarium. D. de ſepulc. viol.* reſcripto Imperatoris ANTONINI confirmat, licere cavere teſtatori, ne quis in ſepulchrum inſeratur (*c*). Porro ſtatuis defunctorum monumenta exornari ſolita indicant (*d*) *l.* 27. *Si ſtatua. D. de i:j.r. l.* 2. *D. de ſep. viol. l.* 7. *ſtatuas. C. de religioſis.*

CAP. XVII.

De teſtium numero legibus quibuſdam conſtituto.

Fuit antiquis quoque legiſlatoribus curae, teſtium numerum & in pecuniariis & in capitalibus cauſis coartare, ne in infinitum excreſcentes probationes veritati tenebras offunderent (*e*). Unde ARCADIUS in *l.* 1. §. 2. *D. de teſtib. Quamquam*, ait, *legibus quibuſdam ampliſſimus numerus teſtium definitus ſit*, (quod ego ad legem Serviliam repetundarum referri poſſe cenſeo, qua, ut VALERIUS MAXIMUS *lib.* VIII. *cap.* 1. *ex.* 10. ſcribit, centum atque viginti hominibus teſtimonium denuntiare licuit) *tamen ex conſtitutionibus principum haec licentia ad ſufficientem numerum coartatur, ut judices moderentur, & eum ſolum numerum, quem neceſſarium eſſe putaverint, evocari patiantur.* Quinetiam, quod apud nos ex Regis *Ludovici* XII. conſtitutione receptum eſt, ut ne in ſingula factorum capitula plures, quam decem teſtes audiantur, id antiquitus legibus quibuſdam cautum invenio. Sic enim legis Mamiliae (*f*) capite quinto ſcriptum erat: CUM CURATOR HAC LEGE NON ERIT, TUNC QUICUMQUE MAGISTRATUS IN EA COLONIA, MUNICIPIO, PRAEFECTURA, FORO, CONCILIABULO, JURI DICUNDO PRAEERIT, EJUS MAGISTRATUS DE EA RE JURISDICTIO, JUDICISQUE DATIO, ADDICTIOQUE ESTO: INQUE EAM REM IS, QUI HAC LEGE JUDICIUM DEDERIT, TESTIBUS PUBLICE DUMTAXAT IN RES SINGULAS DECEM, DE-

(*a*) INSCRIPTIO] Haec Inſcriptio reperitur etiam in Auctoris Opere de *Form. Sollemn. lib.* VII. *pag.* 678. (710. *ſeq.*) & in *Gruteri* Opere *Inſcript. pag.* 896.

(*b*) VISITUR] Haec reperitur quoque in Auctoris Opere de *Form. Sollemn. lib.* VII. *pag.* 678. (711.) & apud *Jac. Sponium* in *Miſcell. erud. antiq. Sect.* IX. *pag.* 1231. *Tom.* IV. *Theſ. Antiqq. Poleni.* Alia adhuc exempla reperiuntur tum apud Auctorem *loco cit.* tum apud *Gruterum* in Opere *Inſcript. pag.* 656. *n.* 5. & *pag.* 862. *n.* 5. nec non apud *Reineſium* in Opere *Inſcript. Cl.* VIII. *n.* 75. & *Cl.* XII. *n.* 37. 69. 70. & apud *Raph. Fabrettum* in *Inſcript. pag.* 223. & in *Tract. de Columna Trajani*, *pag.* 376. *ſeqq.* & apud *Jac. Sponium l. c. pag.* 1231. *ſeqq.* ubi videmus, aream ſepulchri cippis etiam claudi ſolitam fuiſſe.

(*c*) INFERATUR] Conf. *Raph. Fabretti Inſcript. pag.* 148. *ſeq.* ubi plura prohibitionum exempla reperiuntur.

(*d*) INDICANT] Adde PAULUM *Recept. Sent. lib.* 1. *tit.* 21. §. 8. Conf. *Emundi Figrelii librum de Statuis*, *cap.* 10.

CAP. XVII. In tyronum gratiam hic obſervo, auctorem hoc capite non agere de teſtibus conſtitutivis, ut practici loqui amant, qui ad negotium aliquod perficiendum ſollemnitatis cauſa adhiberi debent, ut v. g. in teſtamentis: ſed de teſtibus, qui in judicio producuntur, quando de facti alicujus veritate quaeſtio eſt.

(*e*) OFFUNDERENT] Unde jam olim A. Varius, qui habitus eſt judex paullo durior, quum datis teſtibus alii tamen citarentur, dicere ſolebat: *aut hoc teſtium ſatis eſt, aut neſcio, quid ſatis ſit*: teſte CICERONE *de Finibus lib.* II. *cap.* 19. Eſt & alia cauſa, ne ſcilicet per evocationem teſtium ex provinciis nimis frequenter homines ſupra modum gravarentur.

(*f*) MAMILIAE] Scilicet *de limitibus*: cujus capita enarrant ſcriptores rei agrariae, ſed ita tamen, ut vix certo affirmari queat, quaenam capita ad hanc, quaeve ad alias leges limitaneas pertineant. Vide *Chriſt. Godofr. Hoffmanni Hiſtoriae Juris Tom.* I. *pag.* 117. & 158. Auctoris Opus de *Form. Sollemn. lib.* II. *pag.* 142. (153. *ſeq.*) Scriptores rei agrariae, noviſſime a *Guil. Goeſio* editos, *pag.* 339. *ſeq.* ibique *Goeſii* notas *pag.* 182.

DENUNTIANDI POTESTATEM FACITO. Refertur & apud VALERIUM PROBUM *de Not. Rom. pag.* 1542. *ed. Putſch.* notis ſcripta edicti praetorii particula, quae hoc habet: *Quanti ea res erit, tantae pecuniae judicium recuperatorium dabo: teſtibusque* [*publice*] *dumtaxat decem denuntiandi poteſtatem faciam.*

CAP. XVIII.

De poena injuſte provocantium.

Quandoquidem coepi quandam noſtrorum Principum conſtitutionem ab antiquitate arceſſere, admonendum & illud putavi, quod apud nos moribus conſtitutionibusque receptum eſt, uti his, quorum appellatio injuſta pronuntiatur, ſexaginta Pariſienſium librarum poena irrogetur, hoc ad exemplum quodammodo Romani moris eſſe introductum. Etenim poenam quandam antiquis temporibus injuſte provocantibus inflictam, PAULUS *lib.* v. *Sent. tit.* XXXIII. §. 1. oſtendit his verbis: *Ne liberum quis & ſolutum haberet arbitrium retractandae & revocandae ſententiae, & poenae, & tempora appellationibus praeſtituta ſunt. Quod niſi juſte appellaverint, tempora ad cavendam in poena appellationis quinque dierum praeſtituta ſunt.* De ea poena caveri fidejuſſoribus ſolitum, ſequentia ejuſdem auctoris verba indicant, quae ita habent: §. 3. *Quoties in poena appellationis cavetur, tam unus, quam plures fidejuſſores, ſi idonei ſunt, dari poſſunt. Sufficit enim etiam per unum idoneum indemnitatis poena conſuli.* Eaque, forte, cautio eſt, quam de provocatione exercenda olim dari ſolitam DIOCLETIANUS ſuſtulit in *l.* 6. *eos.* §. *ult. C. de appellat.* Idipſum vero, quo de agimus, perſpicue TACITUS *lib.* XIV. *Annal. c.* 28. his verbis probat: *Auxitque* (de *Nerone* loquitur) *patrum honorem, ſtatuendo, ut qui a privatis judicibus ad Senatum provocaviſſent, ejuſdem pecuniae periculum facerent, cujus ii, qui Imperatorem appellavere: Nam antea vacuum id ſolutumque poena fuerat.* DIOCLETIANI quoque jam citata conſtitutio, ne temere omnibus ac paſſim provocandi facultas praebeatur, eum, qui malam litem fuerit proſecutus, a judice poena adfici praecipit. Haec autem poena, ſive multa, quae infligebatur illis, qui a decretis judicum inique provocaviſſent, praejudicialis appellari videtur in *C. Th. leg.* L. & LXV. *de appellat. lib.* XI. *tit.* 30. & apud SYMMACHUM. *lib.* X. *epiſt.* LVIII. ad Theodoſium, & *epiſt.* XXXVI. ubi & illud oſtendit, illam multam in aerarium inferri ſolitam, ſicut & hodie fit.

CAP. XIX.

De appellationum temporibus.

Praeter ea, quae ſuperiori capite tractavi, ſunt alia ſatis multa in appellationum quaeſtione needum plane cognita, & ex vetuſtate eruenda. Quae ego in proprium locum rejiciens, interim tritiora & vulgatiora adnotare contentus ero. Quaeritur autem, quae fuerint olim conſtituta appellationum tempora, de quibus in *l.* 5. *ei cujus. in fin. D. de appellat. recip. l.* 20. *qui ſuſpectum.* §. *ult. D. de appellat.* fit ſermo. Nec ambiguum eſt, ad appellandum in propria cauſa biduum, in aliena triduum fuiſſe datum. *l.* 1. §. 5. *biduum.* §. 6. *quod in ſententiis.* §. 11. *in propria. D. Quando appell. ſit. l.* 5. *a ſententia. l.* 20. *qui ſuſpectum. in princ. D. de appellat. l.* 6. *eos.* §. 5. *ſin autem. C. eod. tit. l.* 3. *D. de appellat. recip.* Idque ita Principum conſtitutionibus definitum fuiſſe exiſtimo, quibus totam appellationum exercendarum formam fuiſſe praeſcriptam, ex *l. penult. D. de appell. recip. l.* 1. *D. de libell. dimiſſ. l.* 1. §. 1. *D. Nihil nov. app. pend.* & *l.* 1. §. 7. *dies. D. Quando appelland. ſit.* colligimus. Sed haec tempora a JUSTINIANO ampliata ſunt, ex cujus conſtitutione decem dierum ſpatium a recitatione ſententiae ad appellationem interponendam datur. *Nov.* XXIII. *de appellation. & intra quae temp.* Ob illa difficilior eſt quaeſtio, quot fuerint ad libellos Appellatorios, quos & Apoſtolos, & dimiſſorias litteras vocant, petendos praeſtituti dies. Quod tamen PAULI ope expediri poteſt, qui intra quintum diem eos libellos peti neceſſe fuiſſe, *lib.* v. *Sentent. tit.* XXXIV. §. 1. ita docet: (*a*) *Ab eo, a quo appellatum eſt, ad eum, qui de appellatione cogniturus eſt, litterae dimiſſoriae diriguntur, quae vulgo Apoſtoli appellantur: quorum poſtulatio & acceptio intra quintum diem ex officio facienda eſt.* Quod a GRATIANO tranſcriptum eſt in *cap.* 24. *ab eo.* 2. *quaeſt.* 6. Hic & illa inſpectio incurret, quae fuerint provocationis exercendae peragendaeque tempora praefinita. Certa enim fuiſſe oſtendit *l.* 2. §. 3. *ei quoque. D. de judic. & l.* 1. *D. de vacat. & excuſ. mun.*

CAP. XVIII. Cum hoc capite conferri poſſunt, quae hac de re tradit *Jac. Cujacius Obſervationum lib.* XXI. *cap.* 33. *Juſtus Lipſius in Excurſ.* ad *Tacit. Annal. lib.* XIV. *lit.* C. Inprimis vero huc ſpectat *Jo. Gottl. Heineccii Diſſ. de pecunia in caſum, ſi cauſa ceciderint, ab appellantibus, alioque remedio utentibus, deponenda. Halae* 1736.

CAP. XIX. Praeter ſcriptores, qui totam appellationis doctrinam pertractarunt, conf. cum *h. c.* Excell. *Jo. Georg. Eſtoris Singularia de provocatione, cap.* 3. §. 8. *pag.* 754. in *P.* IV. *Select. Script. minorum.*

(*a*) ITA DOCET] Quod quomodo poſtea per Imperatorum Conſtitutiones mutatum ſit, docet *Schultingius* in notis ad *h. l.* in *Jurispr. Antejuſt. pag.* 533.

mun. Videtur autem anni primum ſpatium, poſtea a Justiniano huic rei biennium praeſtitutum. *l. ult.* §. 4. *illud. C. de temporib. appellat. Nov.* XLIX. *de his, qui ingrediuntur ad appell.*

CAP. XX.

Praegnantium mulierum poenam Romanorum aliorumque populorum inſtitutis differri ſolitam demonſtratur.

Praegnantis mulieris ultimo ſupplicio damnatae poenam Romanorum legibus differri, quoad pepererit, etiam remotis a profeſſione noſtra hominibus notum eſt. Hoc enim & Clemens Alexandrinus *lib.* II. *Stromat. cap.* 18. *pag.* 478. ſcribit his verbis: Ἐντεῦθεν καὶ οἱ Ῥωμαῖοι, εἰ καί τις ἔγκυος καταδικασθείη τὴν ἐπὶ θανάτῳ, οὐ πρότερον ἐῶσιν ὑποσχεῖν τὴν τιμωρίαν, πρὶν ἢ ἐκτεκεῖν. ἄντικρυς γ' οὖν καὶ ὅσα τῶν ζώων κυοφορεῖ, ὁ νόμος οὐκ ἐπιτρέπει, ἄχρις ἂν ἀποτέκῃ, σφαγιάζεσθαι. *Hinc etiam Romani, ſi qua mulier praegnans fuerit damnata capitis, non prius permittunt, ut ſupplicium ſubeat, quam pepererit. Aperte itaque quaecunque uterum gerunt animalia, lex non prius mactari permittit, quam pepererint.* Et ſcitiſſime M. Quinctilianus ad fictum argumentum accommodat in *Declamat.* 277. cui titulus eſt: Praegnans Adultera. *Supplicia*, inquit, *praegnantium lex differre in diem partus jubet.* Nec vero Romanorum proprium hoc jus fuit. (*a*) Eo enim Athenienſes quoque uſos, indicio eſt, quod veneficii apud Areopagitas poſtulatam praegnantem mulierem, cum in ea cauſa eſſet, ut capitis damnaretur, de conſilii ſententia ſervatam fuiſſe, dum partum edidiſſet, Aelianus *lib.* V. *Var. Hiſtor. cap.* 18. memorat. Sed quid Athenienſes dico? Ab ipſis Aegyptiorum legibus hujus laudabilis inſtituti origo repetenda eſt (*b*). Sic enim Plutarchus *in lib. de ſera numin. vind. num.* 4. *pag.* 552. Τὸν δ' ἐν Αἰγύπτῳ, ait, νόμον ἆρ' οὐκ εἰκότως ὑμῖν ἀπογράψασθαι δοκοῦσιν ἔνιοι τῶν Ἑλλήνων, ὃς κελεύει τὴν ἔγκυον ἐν δίκῃ θανάτου, μέχρι τέκῃ φυλάττειν; *Legem autem Aegyptiam nonne videntur recte quidam Graecorum deſcripſiſſe, quae jubet gravidam, ſi mortis fuerit damnata, aſſervari, donec pariat?* Sed & Philo Judaeus in libro περὶ φιλανθρωπίας, *de charitate*, *pag.* 710. Συνιδὼν δέ μοι δοκοῦσιν ὁρμηθέντες ἔνιοι τῶν νομοθετῶν ἐκ τοῦ καὶ ἐπὶ ταῖς κατακρίτοις γυναιξὶν εἰσηγήσασθαι νόμον, ὃς κελεύει τὰς ἐγκυούσας ἂν ἄξια θανάτου δρῶσιν μὴ θανατοῦν μέχρις ἂν ἀποτέκωσιν, ἵνα μὴ ἀναιρουμένῃ συναπόληται τὸ κατὰ γαστρός. *Et hoc eſt, opinor, cur quidam legem introduxerunt, de damnatis mulieribus, ſi gravidae crimen capitale admiſerint, ne ante partum luant ſupplicium, videlicet ut maneat incolume, quod utero geritur.* Numquam igitur ſatis *Claudii* Imperatoris crudelitas damnabitur, quem ne ſupplicio quidem praegnantium mulierum abſtinuiſſe, Dion *lib.* LVII. prodidit (*c*): cum tamen juris Sanctio non capitalem modo poenam ſumi, ſed ne quaeſtionem quidem de praegnante haberi patiatur. *l.* 3. *D. de poen. l.* 18. *Imperator Hadrianus. D. de ſtat. hom.* & Paulus *lib.* 1. *Sentent. tit.* XII. §. 5. *Praegnantes*, inquit, *neque torqueri, neque damnari, niſi poſt editum partum poſſunt.*

CAP. XXI.

Conſtitutionis, qua ſpadones fieri prohibentur, auctor demonſtratur.

Refertur in *l.* 4. §. 2. *idem divus. D. ad legem Cornel. de ſicar.* Hadriani reſcriptum quoddam, cujus verba ita habent: *Conſtitutum quidem eſt, ne ſpadones fierent: eos autem, qui hoc crimine arguerentur, legis Corneliae poena teneri, & bona eorum fiſco meo vindicari debere.* Audimus conſtitutum hoc eſſe: a quo vero conſtitutum fuerit, ignoramus, & hujus ſanctiſſimae conſtitutionis etiamnum auctorem requirimus, cujus nomen libris noſtris eſt ſuppreſſum. Domitiani (*d*) autem hanc eſſe conſtitutionem, luce clarius demonſtrabo. Nam de eo Suetonius *in ejus vita cap.* 7. *Caſtrari*, inquit, *mares vetuit: ſpadonum, qui reſidui apud mangones erant, pretia moderatus eſt.* Ammianus Marcellinus *lib.* XVIII. *cap.* 4. *Horum & ſimilium taedio juvat veterem laudare Domitianum, qui*

CAP. XX. Argumentum hoc capite tractatum latius proſecuti ſunt *Aegidius Menagius in Amoenit. Juris Civ. cap.* XXI. *Jo. Meurſius* in *Themide Attica, lib.* II. *cap.* 9. *Janus Langlaeus Semeſt. lib.* XI. *cap.* 2. *Zacharias Huberus Diſſert. lib.* III. *diſſ.* 7. *cap.* 1. §. 12. *ſeqq.*

(*a*) Fuit] Fluit enim ex communi omnium gentium jure, ſive ex naturali aequitate.

(*b*) Est] Vide Diodorum Siculum *lib.* II. *cap.* 3.

(*c*) Prodidit] Ego hoc de *Claudio* apud Dionem non legi, qui praeterea etiam res hujus Imperatoris geſtas non *lib.* LVII. ſed *lib.* LX. enarravit.

(*d*) Domitiani] Qui quidem anno tertio imperii, ſc. IV. (ſi ordinarios tantum conſulatus ejus computes) ſive IX. (ſi etiam ſuffectorum rationem habeas) Conſule, cum T. Virginio Rufo, (ut in Faſtis vulgaribus vocatur) ſive Q. Petilio Rufo, (ut nominatur ab *Henr. Noriſio* in *Epiſt. Conſul. pag.* 913. *ſeq. Tom.* II. *Opp.*) hoc conſtituit, ut ex *Euſebii* & *Caſſiodori* Chronicis apparet. Conf. *Jo. Guil. Hoffmanni Comment.* ad *L. Juliam de adulteriis, cap.* IX. *pag.* 174. qui non ſine probabilitate exiſtimat, bis de caſtratione marium caviſſe hunc Imperatorem.

qui licet patri, fratrique diſſimilis, memoriam nominis ſui inexpiabili deteſtatione perfudit, receptiſſima tamen inclaruit lege, qua minaciter interdixerat, ne intra terminos Romanae jurisdictionis caſtraret quiſquam puerum. Xiphilinus in *Domit. lib.* lxvii. *p.* 759. Καὶ διὰ τοῦτο καὶ αὐτὸς Ἐαρίνου τινὸς εὐνούχου ἐρῶν, ὅμως ἐπειδὴ καὶ ὁ Τίτος ἰσχυρῶς περὶ τὰς ἐκτομίας ἐσπουδάκει, ἀπηγόρευσεν ἐπὶ ἐκείνου ὕβρει, μηδένα ἔτι ἐν τῇ τῶν Ῥωμαίων ἀρχῇ ἐκτέμνεσθαι. *Quas ob res, etſi Earinum eunuchum amabat, tamen quia Titus exectos quoque plurimum dilexerat, vetuit in ejus contumeliam, ne quis in poſterum intra fines imperii Romani caſtraretur.* Philostratus *lib.* vi. *de vita Apollonii, ad fin.* (ſive *cap. penult.*] Δομετιανοῦ δὲ βασιλέως ὑπὸ τὸν αὐτὸν χρόνον εὐνούχους τε μὴ ποιεῖν νομοθετήσαντος. *Prohibente ſub idem tempus Domitiano Imperatore, eunuchi ne fierent.* Quo nomine Martialis ei aſſentatorio ſuo more pluribus locis gratulatur, *lib.* vi. *Epigram.* 2. cum ait:

Luſus erat ſacrae connubia fallere tedae,
Luſus & immeritos execuiſſe mares.
Utraque tu probibes, Caeſar, populisque futuris
Succurris, naſci quos ſine fraude jubes.
Nec ſpado jam, nec moecbus erit, te Praeſide, quiſquam:
At prius, o mores, & ſpado moecbus erat.

Idem *lib.* ix. *Epigr.* 7.

Tibi, ſumme Rheni domitor, & parens orbis,
Pudice princeps, gratias agunt urbes,
Populique babebunt, parere jam ſcelus non eſt.
Non puer avari ſectus arte mangonis
Virilitatis damna moeret ereptae.

Et alio ejusdem libri loco: *Epig.* 9. *v.* 5.

Immatura dabant infandas corpora poenas.
Non tulit Auſonius talia monſtra pater:
Idem qui teneris nuper ſuccurris ephebis,
Ne faceret ſteriles ſaeva libido viros.

Sed & Statius Papinius *lib.* iv. *Sylvarum*, in eo carmine, cui titulus eſt; Via Domitiana, (3) eumdem principem, ejusdem conſtitutionis ergo, ita laudat: (*v.* 13.)

Qui fortem vetat interire ſexum,
Et cenſor probibet mares adultos
Pulcbrae ſupplicium timere formae.

In Eusebii quoque *Chronicis* ita ſcriptum eſt ad *Annum* mmxcix. *Domitianus Eunuchos fieri prohibuit.* Ammianus Marcell. *lib.* xviii. *cap.* 4. de Domitiano: *Receptiſſima inclaruit lege, qua minaciter interdixerat, ne intra terminos Jurisdictionis Romanae caſtraret quiſquam puerum.* In caſtsationem porro maſculorum rite & eleganter invehuntur, Lucianus in *Amoribus*, *cap.* 21. *pag.* 421. *Tom.* ii. & Quinctilianus *lib.* v. *inſtit. orat. cap.* 12. Caeterum idem ipſum & a Nerva poſtea conſtitutum eſſe, hiſtoriis proditum eſt. Sic enim *in ejus vita* Xiphilinus, *lib.* lxviii. *pag.* 770. Ἐνομοθέτησε δὲ ἄλλα τε καὶ περὶ τοῦ μὴ εὐνουχίζεσθαί τινα. *Multas leges tulit, praeſertim ne quis eunucbum faceret.* Et Zonaras *Tomo* ii. *lib.* xi. *pag.* 583. de eodem. Οὗτος ἐνομοθέτησε καὶ τὸ μή τινα τὰ παιδογόνα μόρια παρὰ Ῥωμαίοις ἐκτέμνεσθαι. *Legem tulit, ne quis in Romano imperio caſtraretur.* Hadrianus deinde non liberos tantum, ſed & ſervos invitos, ſinenteſve caſtrare, thlibiasque facese psohibuit. *l.* 4. *lege Cornelia. §. ult. l.* 5. *bi quoque. D. ad legem Cornel. de ſicar.* Memosatur etiam in *l.* 6. *ead.* a Venulejo Senatusconſultum Nesatio Priſco & Annio Veso Coss. factum, quo qui ſervum caſtsandum tradidiſſet, dimidia bonorum paste multabatus. Ad extremum Constantinus quoque Eunuchos fieri, ſuperiorum Principum conſtitutionibus renovatis, vetuit. *l.* i. *C. de eunucbis.* Et Justinianus, qui Ῥινότμητος dictus, Abasgis, quorum praefecti pueros, qui formae elegantiosis erant, pasentibus eseptos caſtratoſque Romanis, quibus eos acceptiſſimos eſſe cesnebant, divendere ſoliti erant, cum apud eos id commercii genus uſu jam frequentaretus, miſſo Imperatorio eunucho de caeteso invitum quemquam caſtrase psohibuit, intesdicta etiam eosum nundinatione, ut idem Zonaras in Leone Iſauso *lib.* xv. *pag.* 100. ita ſcribit: Ἰουστινιανὸς δὲ ὁ πρῶτος στείλας παρ' αὐτοῖς ἕνα τῶν ἐν τοῖς βασιλείοις εὐνούχων, σφίσιν ὁμογενῆ (πολλοὶ γὰρ περὶ τὰ Ῥωμαίων ἀρχεῖα τοιοῦτοι ἐστρέφοντο) ἀπεῖπε τοῖς ἡγεμόσι τῶν Ἀβασγῶν, μηκέτι μηδένα τὴν ἀρρενωπίαν ἐκτέμνεσθαι βιαζόμενον· πλαστήσειν γὰρ τὴν πρᾶξιν αὐτοῖς εἰς κενὸν, μηδενὸς Ῥωμαίων πριάσθαι βουλησομένου τοὺς ἐκτομίας αὐτῶν. *Juſtinianus autem primus, miſſo ad eos imperatorio eunucbo quodam, eorum populari, (multi enim tales in Romana curia verſabantur) magiſtratibus eorum interdixit, ne quem in poſterum invitum caſtrarent: capturos enim laborem inanem, nemini Romanorum caſtratos eorum empturo.* Nec immesito odio habuere caſtrantes: Hic enim, ut Claudianus loquitur, *lib.* i. *in Eutrop. v.* 50.

—— —— uno ſub ictu
Eripit officium patris nomenque mariti.

Unde Joannes Chrysostomus *Hom.* xxxi. *in Epiſtolam ad Corinth. prior.* de genitalibus membsis agens: Καὶ γὰρ πρὸς παιδοποιΐαν καὶ τὴν τοῦ γένους ἡμῶν διαδοχὴν χρήσιμα. διὰ τοῦτο καὶ οἱ νομοθέται Ῥωμαίων τοὺς ταῦτα ἀκρωτηριάζοντας τὰ μέλη καὶ ποιοῦντας εὐνούχους κολάζουσιν, ἅτε τῷ κοινῷ γένει λυμαινομένους, καὶ αὐτῇ ἐπηρεάζοντας

τῇ

τῇ φύσει. *Nam ad liberorum procreationem, & ad ſucceſſionem generis noſtri utilia ſunt. Quamobrem & legiſlatores Romanorum eos, qui haec membra excidunt, & eunuchos faciunt, puniunt, ut qui commune genus perimant, ipſique naturae damnum inferant.* Idem *Homil.* IV. *in Epiſt. ad Roman.* Ἐρώτησον τίνος ἕνεκεν τοὺς εὐνούχους ποιοῦντας κολάζουσιν οἱ νομοθέται, καὶ διὰ τί (b); δι' οὐδὲν ἕτερον πάντως, ἢ ὅτι τὴν φύσιν ἀκρωτηριάζουσι. *Interroga, cur legiſlatores puniant illos, qui eunuchos faciunt, & diſces, non alia de cauſa, quam quod naturam exſcindant & minuant.* ZONARAS in *Canon. Apoſtol.* XXI. Τὸ εὐνουχίζειν, εἰ μὴ διὰ πάθος ἐνσκῆψαν (c) περὶ τὰ παιδογόνα μόρια γένοιτο, καὶ τοῖς πολιτικοῖς ἀπηγόρευται νόμοις· καὶ τοσοῦτον, ὥστε καὶ τοὺς ἐκτεμνομένους δούλους εἰς ἐλευθερίαν κελεύουσιν ἀναρπάζεσθαι· καὶ τοὺς εὐνουχίσαντας ὑποκεῖσθαι ταυτοπαθείᾳ, καὶ δημεύσει, καὶ περιορισμῷ. *Caſtrare quempiam, niſi propter morbum, circa genitalia membra irrumpentem, civilibus etiam probibitum legibus: adeo, ut exectos etiam ſervos in libertatem rapi jubeant; & caſtrantes eidem cladi, ſuorum quoque bonorum publicationi pariter & exilio ſubjici cenſeant.* JUSTINUS MARTYR *Apol.* II. *pro Chriſtian. pag.* 71. (ſive *Apol.* I. *pag.* 47.) de quodam puero Chriſtiano loquens, qui ſeipſum caſtrare cupiebat: Βιβλίδιον ἀνέδωκεν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Φίληκι (d) ἡγεμονεύοντι, ἀξιῶν, ἐπιτρέψαι ἰατρῷ τοὺς διδύμους αὐτοῦ ἀφελεῖν· ἄνευ γὰρ τῆς τοῦ ἡγεμόνος ἐπιτροπῆς τοῦτο πράττειν ἀπειρῆσθαι οἱ ἐκεῖ ἰατροὶ ἔλεγον. *Libellum obtulit Alexandriae Felici Praeſidi, medico permitti poſtulans, ut teſtes ſibi abſcinderet: nam ſine permiſſu Praeſidis id facere, loci ejus medici interdictum eſſe dicebant.* Apud HIRTIUM de *bello Alexandr. cap.* LXX. Caeſar, *neque exectis*, ait, *virilitatem reſtituere poſſe: quod quidem ſupplicium gravius morte cives Rom. ſubiiſſent.* Vide & novellam LEONIS conſtitutionem LX.

(b) Καὶ διὰ τί;] Pro hiſce verbis in *edit. nov. Benedict.* legitur: καὶ οἷον, ὅτι: quam lectionem & in ea, quam hic exhibui, verſione ſecuti ſunt.
(c) Ἐνσκῆψαν] In editione *Pariſ.* 1618. *fol.* legitur: ἐνσκῆψαι.
(d) Φίληκι] Legendum eſſe Φήλικι cenſet *Sylburgius.*

F I N I S.

V. C. JACOBO FABRO,

INQUISITORIARUM CLASSIUM
IN
SENATU PARISIENSI PRAESIDI,
ET
ABBATI CASAE DEI
B. BRISSONIUS S. D.

Pudet me plane, vir clariſſime, verba tibi pro rebus dare, & in referenda gratia levi hoc litterarum munere defungi. Sed quam tu in bene merendo, eamdem ut in eo, quod rependitur, benigne accipiendo humanitatem mihi praeſtes, poſtulo. Ita novus cumulus ad ſuperiora tua in me beneficia accedet: quorum recordatione incenſus cum grati tibi animi ſignificationem aliquam dare geſtiret animus, firmiora, quibus eam conſignaret, hoc tertio Selectarum ex jure civili Antiquitatum libro, monumenta non habuit. Vale. Lutetiae Pariſ. Idib. Juniis. M. D. LVII.

B. BRISSONII SELECTARUM EX JURE CIVILI ANTIQUITATUM LIBER TERTIUS.

CAP. I.

De legitimo uſurarum modo, & legitimae uſurae appellatione.

Tota de uſuris quaeſtio multorum abunde libris explicata eſt. Illud omnes ſilentio praetermiſiſſe miror, quis, & qua lege conſtitutus fuerit legitimus ille uſurarum modus, qui noſtris jureconſultis tam ſaepe in ore eſt. *l.* 3. §. *ult. D. Quod certo loc. l.* 9. *pecuniae. l.* 26. *placuit. D. de uſur. l.* 3. *in fin. D. de ann. leg. l.* 10. *idemque.* §. 3. *ſi procurator. D. mandati. l.* 8. *cum debitor. D. In quib. cauſ. pign. l.* 1. §. 3. *D. de pignor. l.* 4. *D. de naut. foen.* De quo prius quam dicam, quod ſentio, hoc inprimis conſtare volo, legitimum uſurarum modum appellari ſtatutum uſuris terminum, praeſcriptumque modum ſeu finem, ad quem uſque uſuras licuerit ſtipulari: exemplo eo, quo & modum legatis conceſſum lege Falcidia dicimus, quae dodrante tenus legare permiſit. *l.* 1. §. 9. *ſi uſusfructus. D. ad legem Falc. l.* 36. *quod conditionis. D. de donat. cauſa mort. l.* 23. *ſi legatarius. D. de dolo.* & *Inſtitut. de l. Falcid. in princ.* Hujuſmodi vero uſurarum finem ante JUSTINIANUM centeſimam fuiſſe contendo. Ex omnibus enim cauſis centeſimam ſtipulari licuit, ſupra centeſimam ſtipulari nihil licuit: licitumque fuit, quod intra centeſimam conſiſtebat, illicitum, quod eam excedebat, ſoenus, ut ex *l.* 2. *de uſuris* in *C. Theod. lib.* 11. *tit.* 33. liquido conſtat. Praeterquam in nauticis pecuniis, in quibus, quaſi pro pretio periculi, quod in ſe creditor recipiebat, majores centeſimis uſurae in ſtipulatum deduci poterant. *l.* 26. *eos.* §. 1. *C. de uſur.* Nam & cum ad creditorem pecuniae trajecticiae periculum non pertinebat, intra legitimum modum uſurarum exactio coërcebatur. *l.* 2. *C. de naut. foen.* ac tamdiu demum a legitimarum aut vulgarium uſurarum obſervatione libera trajecticia pecunia erat, quamdiu, periculo creditoris, navis in ſalo navigabat: ad eam vero, cum in portu navis ſtabat, diſcuſſo omni periculo, revocabatur. *l.* 1. *C. de naut.*

CAP. I. Ad hoc caput conferendi ſunt ſcriptores, qui hanc de foenore & uſuris doctrinam ex inſtituto pertractarunt, ex quibus praecipue triumviri illi, *Claud. Salmaſius*, *Jo. Frid. Gronovius* & *Gerardus Noodtius* mihi nominandi ſunt, quorum ſcripta omnibus nota. Qui compendioſam tractationem amat, is adeat *Jo. Gottl. Heineccii Syntagma Antiqq. Rom. lib.* III. *tit.* 15. Legi etiam poſſunt *Marcelli Donati Dilucidationes* ad *Capitol. pag.* 868. *ſeqq. Tom.* VI. *Theſ. Crit. Gruteri.*

naut. foen. Idcirco quod pro operis ſervi, trajecticiae pecuniae gratia, ut fieri ſolebat (*l.* 23. *trajecticiae. D. de obligat. & action. l.* 122. *qui Romae.* §. 1. *Callimachus. D. de verb. obligat.*) ſecuti, in ſtipulatum deductum erat, non ultra finem centeſimae debebatur. *l.* 4. *nihil.* §. 1. *pro operis. D. de naut. foen.* Cujus vera lectione ex Pandectis Florentinis pridem prodita, ſunt tamen, qui in eo adhuc errore verſentur, ut nulla illius legis bene interpunctae ope, contra diſerta atque aperta Juſtiniani verba, adfirment, centeſimarum uſurarum obſervatione antiquitus trajecticiam pecuniam circumſcriptam. Hoc vero qui admittunt, omnem pervertunt nauticarum, caeterarumque pecuniarum differentiam. Etenim vel extra nautici ſoenoris cauſam centeſimas uſuras toleratas, ac jure permiſſas, & CICERO in *epiſt. ad Attic. lib.* V. *ep. ult.* & PAULUS in *l.* 40. *lecta. D. de reb. cred.* & SIDONIUS APOLLINARIS *lib.* IV. *Epiſt.* 24. & *l.* 8. *ſi pro mutua. C. ſi cert. pet.* & *d. l.* 2. *de uſuris* in *C. Theod.* probant. Nec tamen nego, centeſimas uſuras graviſſimas olim viſas, neque paſſim frequentatas, ut & Maximae & Graviſſimae appellentur in *l.* 58. *qui fine. D. de negot. geſt. l.* 7. *tutor.* §. 8. *idem ſolent. l.* 54. *non exiſtimo. D. de adminiſtr. tut.* & Sanguinolentae a SENECA *lib.* VII. *de Benefic. cap.* 10. Hoc vero dico, licitas, legeque permiſſas fuiſſe, ac proinde legitimarum uſurarum appellatione exaudiendas. Quod cum dico, grave mihi conſtitutos eſſe adverſarios ſcio, qui de hac re ſecus atque ego ſentiunt, quorum auctoritati ipſa veritate nixa ſententia noſtra apud aequos judices non cedet. In hac adeo opinione plurimum aliquot locorum conjunctione, collationeque confirmor. Nam pecuniae, quam in uſus ſuos verterint, modo legitimas, modo maximas uſuras debere tutores dicuntur. *l.* 7. *tutor. qui repertorium.* §. 4. *pecuniae. l.* 54. *non exiſtimo. D. de adminiſtr. tut. l.* 1. *C. de uſur. pupill. l.* 3. *C. arbitr. tut. l.* 38. *qui fine. D. de neg. geſt.* quibus verbis cum promiſcue atque indifferenter noſtri auctores utantur, maximam autem uſuram centeſimam accipi oportere nemo neget, quod ea amplior uberiorque nulla licita fuit, ut & *d. l.* 8. *ſi pro mutua. C. ſi cert. petat.* probat: conſequens eſt, & legitimae uſurae appellatione centeſimam intelligi. Alia vero in illa quaeſtione legitimarum, alia pupillarium uſurarum, quae a nonnullis confunduntur, cauſa conſtituenda eſt. Non enim quae pupillis praeſtantur uſurae, centeſimae ſemper incrementum recipiunt, ſed in his demum cauſis, quae legibus definitae ſunt: videlicet, ſi vel pecuniam in uſus ſuos tutores verterint; vel apud ſe pecuniam non eſſe, improbe inficiati, mendacii praetoris ſententia convicti ſint, vel deponere pecuniam in praediorum comparationem juſſi, id facere neglexerint; aut a debitoribus pupillaribus centeſimas exegerint; vel ipſis pupillis, ad onera ſua expedienda, ſub iiſdem uſuris pecuniam accipiendi neceſſitatem impoſuerint, cum nullam penes ſe quantitatem eſſe falſo negaſſent. Ex reliquis cauſis, cum tutelae reſtitutioni uſurarum emolumentum accedit, non maximae legitimaeque tutori irrogantur, ſed ſecundum morem regionis, in qua res agitur, vel quincunces, vel ſemiſſes, vel trientes, aut quae aliae in ea regione frequentantur. *d. l.* 7. *tutor.* §. 4. *pecuniae.* §. 10. *quae ſint autem.* & *l.* 2. *C. de uſur. pupillarib. l.* 10. *ſi poſtea. D. Rem pupilli ſalvam for.* Pupillarium igitur uſurarum modus judicis arbitrio, extra quam ſi cum tutore ex ſupra ſcriptis cauſis pupilli agant, vel ipſi a debitoribus ſuis centeſimam ſint ſtipulati, ad regionis morem redigitur, *argum. l.* 1. *D. de uſur.* Atque ita in *l.* 9. *quotiens.* §. 4. *ſed & ſi. D. de adm. tut.* & alias, ubi occurrent, pupillares uſurae accipiendae ſunt. Verum ne longius a propoſito aberret oratio, concludamus tandem, uſuram legitimam, centeſimae fine modoque contineri. Ex quo efficitur, ad centeſimam referendum eſſe, quod & reſponſum & conſtitutum eſt, in fraudem uſurarum adjectam poenam, in eo, quod legitimam uſuram excedit, non valere. *l.* 13. *Julianus.* §. 26. *idem Papinianus. D. de actionib. empt. l.* 15. *cum allegas. C. de uſur.* Eodemque modo apud Papinian. in *l.* 1. §. 3. *pacto. D. de pignorib.* illa verba: *fini legitimae uſurae*, ſic interpretanda eſſe, id eſt, intra centeſimae modum. Quibus ita poſitis, reliquum eſt, ut quare centeſima legitimus uſurarum modus appelletur, inveſtigemus. Eam vero appellationem ex eo deſcendere nemini non probabitur, quia lege aliqua praeſcriptus & conſtitutus uſuris hic modus fuerit. Id enim demum legitimum in libris noſtris, ut alias pluribus oſtendam, appellari ſolet, quod lege aliqua, vel ſenatuſconſulto proditum confirmatumve eſt. Coërcitam vero multis legibus foeneratorum acerbitatem conſtat, legesque in hanc ſententiam latas *foenebres* appellatas FESTUS *lib.* VI. *v. fenus.* auctor eſt. Sunt & Principum Conſtitutionibus illicitae foenerationes repreſſae. *l.* 20. *Conſtitutionibus. C. de uſur.* Sed qua potiſſimum lege intra centeſimam uſurarum exactio cohibita ſit, hoc eſt, de quo quaerimus, & cujus gratia tota haec diſputatio ſuſcepta eſt. Puto autem hoc eſſe GABINIA LEGE (*a*), ſenatusque conſultis effectum: qui-

(*a*) GABINIA LEGE] Sed lege Gabinia id tantum cautum fuiſſe, ne ulli provincialium legato Romae pecunia ſub uſuris mutua daretur, neve ex tali ſyngrapha jus diceretur, oſtenderunt abunde *Gronovius* & *Noodtius*. (vid. *Heineccii Synt. lib.* III. *tit.* 15. §. 14. *Ciriſt Goth.fr.*

quibus hoc comprehenſum fuiſſe Cicero *lib.* v. *Epiſt. ult. ad Attic.* indicat, uti in creditorum cauſa centeſimae perpetuo foenore ducerentur, vetitumque ex ea ſyngrapha jus dici, ex qua majus uſura centeſima foenus promiſſum eſſet: nec tantum foeneratoribus, & ſupra modum lege conſtitutum accipientibus, ſed & verſuram ſacientibus poenam conſtitutam. Quod & in *Cilicia* edicto tranſlsticio (*a*) caviſſe ſe, cum eam provinciam pro conſule obtineret, Cicero refert. Ejuſmodique a Lucullo Aſiam proconſule regente edictum propoſitum Plutarchus in ejus vita *pag.* 504. ſcribit: Πρῶτον μὲν, ait, ἑκατοστὴν ἐκέλευσε, καὶ μὴ πλέον εἰς τοὺς τόκους λογίζεσθαι. *Primum foenoris nomine non amplius centeſima exigi mandavit.* Apparet igitur legitimae uſurae nomen centeſimae merito tribui. (*b*) *arg. l.* 6. *legitima. D. de pact. l.* 1. *D. Unde legit.* eodemque ſenſu licitum uſurarum modum accipi oportet in *l.* 11. *ſolutum.* §. 3. *ſi in ſortem. D. de pign. act.* & *l.* 44. *poenam. D. de uſur.*

CAP. II.

Unde legitima aetas appellata ſit.

Quod proxime de uſura, id nunc de aetate legitima in mentem venit quaerere, quid cauſae ſit, cur ita paſſim in libris noſtris xxv. annorum aetas appelletur. Sic enim appellatur in *l.* 27. *ex duobus. D. de neg. geſt. l.* 32. *quaero. in fin. D. de teſtament. tut. l.* 1. *D. de fidejuſſor. tutor. l.* 77. *cum pater.* §. 14. *curatoris. D. de legat. lib.* 11. *l.* 20. *Aurelio.* §. 1. *D. de liber. leg. l. ult.* §. 9. *divus. D. de publican. l.* 41. *fidejuſſores. D. de fidejuſſorib. l. ult. in fin. D. de appellation. l. penult. C. Quando dies leg. ced.* & aliis multis locis. Multos de ea re, quid ſentirent, percontatus, nullum unquam relatu dignum reſponſum tuli. Probabile quidem eſt, inde appellationem hanc fluxiſſe, quod lege aliqua adoleſcentibus id ſpatium aetatis ad res ſuas recipiendas praeſcriptum fuerit. Id modo in dubitationem venit, qua ſit iſtud lege conſtitutum. Enimvero ſi in re obſcura & antiqnitatis tenebris involuta hariolari licet, temptabo dicere Lege Lartoria id eſſe inductum, quam de minoribus xxv. annis ſcriptam, totamque in eo argumento verſatam, ex iis ejus legis capitibus, quae ad nos pervenerunt, facilis conjectura capi poteſt. Quorum unum ex Cicerone *lib.* iii. *Offic. c.* 15. colligimus, quo circumſcriptio adoleſcentium vindicabatur, aetatique ſraudibus expoſitae ſuccurrebatur. Verba ejus haec ſunt: *Atque iſte dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela* xii. *Tab. & circumſcriptio adoleſcentium lege Laetoria.* Idem *lib.* iii. *de nat. deor. cap.* 30. *Inde judicium publicum rei privatae lege Laetoria.* Alterum ex Spartiano *in M. Anton. Philoſophi vita, c.* 10. quo minoribus xxv. annis curatores dandos continebatur. Tertium ex Suetonio *lib.* iv. *Praetorum*, quo minores xxv. annis ſtipnlari vetabantur, id eſt, ut Priscianus, *lib.* viii. *pag.* 794. & *lib.* xviii. *pag.* 1164. *ed. Putſch.* interpretatur, ἐπερωτᾶσθαι, & ut noſtri anctores loquuntur, ſpondendo obligari. Quo reſpexiſſe Plautum in *Rudente*, *Act.* v. *ſc.* 3. *v.* 24. vir clariſſimus, idemque in omnium bonarum artium diſciplinis egregius, *Aemarus Ranconetus* me aliquando admonuit. Verba Plauti haec ſunt:

—— Cedo qui cum habeam judicem,
Ni dolo malo inſtipulatus ſis, nive etiam
dum ſiem
Quinque & viginti annos natus.

Quinctilianus *Declam.* 282. *Sicuti nomen pupillorum legitimo tempore finitur* (*c*). Quibus ego conjecturis adductus ad ſuſpicandum, id quoque ea lege cautum fuiſſe, aut niſi lege expreſſum fuit, ex ſententia certe arreptum crediderim, ut adoleſcentibus rerum ſuarum adminiſtratio tum demum, cum ad viceſimum quintum annum perveniſſent, committeretur. Atque eam legem Plautus ſorte intellexit, cum in *Pſeudolo* ſic Callidorum loquentem facit: *Act.* 1. *ſc.* 3. *v.* 69.

Tum lex me perdit quina vicenaria,
Metuunt credere omnes.

Cre-

thofr. Hoffmanni Hiſtor. Jur. Tom. 1. *pag.* 122.) Hinc laudati viri ex Ciceronis *Epiſtola*, ab auctore noſtro citata, in eam cogitationem inciderunt, legitimum uſurarum modum primum ex edicto Praetoris deſcendiſſe, quia Praeſides in provinciis edicta ſua plerumque ad exemplum edicti urbani componere conſueverunt: deinde vero illum & SC. & Principum Conſtitutionibus fuiſſe confirmatum. (vid. *Heinecc. l. c.* §. 15.)

(*a*) Translaticio] Id eſt, vel ex edictis priorum Praeſidum, vel ex edicto urbano translato. Utraque ſignificatio hic locum habere poteſt. Nam immediate Ciceronem hoc caput ex anteceſſorum edictis; mediate ex edicto urbano tranſtuliſſe exiſtimo. De Edictis tranſlsticiis (ſive, ut alii ſcribunt, tralaticiis) conf. *Jo. Gottl. Heineccii Hiſtor. Edict. lib.* 1. *cap.* 2. §. 7. *ſeq. pag.* 20. *ſeqq.* & *cap.* 6. §. 13. *ſeqq. pag.* 90. *ſeqq.* & *cap.* 8. §. 7. *pag.* 137. *ſeqq.* in *Opuſc. poſt.*

(*b*) Tribui] Sed legitimum non ſemper id tantum ſignificat, quod ex lege ſtricte ſic dicta: verum interdum quoque generatim, quod jure, ſive civili, ſive honorario, conſtitutum eſt.

(*c*) Finitur] Locum hunc in laudata *Declam.* reperire non potui: neque etiam proprie huc ſpectat, quum de pupillis, non de minoribus agat.

Credibile quoque eſt, ex hac lege deſcendiſſe tempus in integrum reſtitutione ſtatutum: quod & idcirco legitimum appellatur in *l.* 19. *interdum. D. de minorib. l. un. C. ſi adverſ. dot.* Sed enim conjecturam noſtram diſerte comprobat Conſtitutio, quae nuper in lucem prodiit, quae hic ſubjungenda eſt (*a*).

CAP. III.

Legis Juliae Miſcellae ſententia in aliquot Jureconſultorum locis demonſtratur.

Conditiones, quae aliquod omnino Nuptiis impedimentum adferunt, tanquam in fraudem legis adjectas, rejici, conſentiens in unum omnium Jureconſultorum fert opinio. In his PAPINIANUS: *Quod in fraudem, ait, legis ad impediendas nuptias adſcriptum eſt, nullam vim habet, veluti:* TITIO PATRI CENTUM, SI FILIA, QUAM HABET IN POTESTATE, NON NUPSERIT. vel FILIOFA. SI PATER EJUS UXOREM NON DUXERIT. *l.* 79. *heres.* §. *ult. D. de condit. & dem.* Et alias, hac mulieri injecta conditione, SI ARICIAE NON NUPSERIT, intereſſe traditur, utrum fraus lege facta ſit, necne. Nam ſi ea ſit, quae alibi nuptias non facile invenire poſſit, interpretandum Julia cenſebat, ipſo jure reſcindi, quod fraudandae legis gratia eſſet adſcriptum. Legem enim utilem Reipub. ſobolis ſcilicet procreandae cauſa, interpretatiooe adjuvandam eſſe. *l.* 64. *hoc modo. D. de cond. & demonſtr.* Legis denique beneficio, aliis id genus conditionibus rejectis, mulieres ſibi relicta legata capere noſtri auctores definiunt in *l.* 72. *cum tale.* §. *reſcriptum. l.* 74. *mulieri. D. eod. tit.* Reticetur vero in iis omnibus locis ejus utiliſſimae legis nomen, quod ego poſt accuratam cogitationem inveotum ignorari diutius non patiar. Mea haec eſt conjectura (temerariam enim adſeverationem, quoad viris doctiſſimis hoc probari intellexero, inhibebo) legem Juliam Miſcellam ſignificari (*b*), qua id comprehenſum fuiſſe JUSTINIANUS *l.* 2. *C. de indicta vid. toll. & in Nov.* XXII. *de nuptiis. cap.* 43. *quae vero.* auctor eſt, ut mulieres, quibus mariti viduitatem induxiſſent, etiam ſecuodis contractis nuptiis nihilominus ſibi relicta legata conſequerentur, praeſtito prius jurejurando, ſe procreandae ſobolis gratia ad ſecundas nuptias evolare. Cui legi JUSTINIANUS in illis locis, quod ad jusjurandum attioet, obrogavit. Eo vero lex per interpretationem prudentium producta eſt, ut omnes inde conditiones, quae liberam auferant nuptiarum contrahendarum poteſtatem, legatariis remittantur, quaſi nullam fieri nuptiis moram oportere lex ſenſerit.

CAP IV.

Quibus magiſtratibus, & qua lege multam dicere permiſſum fuerit.

His demum competere multae dicendae jus, ULPIANUS tradit, quibus publice judicium eſt, vel, ut idem alio loco ſcribit, quibus judicatio data eſt. (*c*) *l.* 131.
aliud

(*a*) EST] Auctor ſioe dubio intelligit *L.* 2. *C. Theod. de donat. lib.* VIII. *tit.* 12. in qua haec verba leguntur: *Donec annos Laetoriae legis egreſſus legitimam compleverit aetatem.* Ad hanc enim conſtitutionem provocat ipſe in Opere de *Verb. Signif. voc. legitima aetas.* Quae quidem eo tempore, dum prima harum *Select. Antiqq.* editio prodiret, nondum lucem adſpexerat. Nam in Editione Codicis Theodoſiani *Jo. Tilii*, quae Pariſiis Anno 1550. prodiit, ſub Titulo *de Donationibus*, haec Conſtitutio deſideratur: Primus vero illam in lucem protraxit *Jac. Cujacius* in ſua Editione Codicis Theodoſiani, *Lugduni* Anno 1566. Unde etiam loco ultimorum verborum (quae ſunt ex annotationibus ejus poſtumis) in prima editione haec legebantur: *Expoſui breviter conjecturam noſtram. Qui melius conjecerit, is optimus vates eſto.* Miror vero, auctorem noſtrum vel non vidiſſe, (quod credere malo) vel ſilentio preſſiſſe, *Andr. Alciato* jam dudum antea hanc conjecturam in mentem veniſſe in *Parergis lib.* VI. *cap.* 16. ſiquidem ille librum ſuum jam A. 1543. publicaverit, ut ex Dedicatiooe *lib.* IV. praemiſſa apparet. Caeterum de lege Laetoria, praeter *Alciatum* & Interpretes ad PLAUTUM *ll. cc.* nec oon ſcriptores de legibus, vide inprimis *Jac. Cujacii Obſ. lib.* XIX. *cap.* 33. *Jac. Gothofredi Comm.* ad *legem cit. Cod. Theod. Arnoldi Vinnii Comment.* ad §. 2. *Inſtit. de curat.* ibique additamenta *Jo. Gottl. Heineccii*, *pag.* 115. *ſeqq.* hujusque *Syntagma Antiqq. Rom. lib.* I. *tit.* 23. nec non *Edict. Perp. tit.* 26. §. 2. *pag.* 407. *ſeq.* in *Opuſc. poſt.* Exſtat quoque *Diſſ. Guil. de Hertogbe de Triboniano circa legem Laetoriam non errante. Jenae* 1720.

CAP. III. Ad totius hujus capitis illuſtrationem cum fructu legi poteſt *Jo. Gottl. Heineccii Comment.* ad *L. Jul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 16.

(*b*) SIGNIFICARI] Recte omnino auctoris conjectura ſe habet: ſed id modo dubitationem habere videtur, quaenam ſit illa lex, quae *Julia Miſcella* vocatur. Multi, decepti vulgari *Novellae all.* tranſlatione, putaruot, eam a Julio quodam Miſcello oomen habere: ſed falli illos, eamque non propriam aliquam legem, ſed caput potius aliquod legis Juliae & Papiae Poppaeae fuiſſe, poſt *Jac. Gothofredum* loculeoter demoonſtravit laudatus *Jo. Gottl. Heineccius* in *Comm.* ad dict. legem *Pap. Popp. loc. cit. pag.* 303. *ſeq.* Confer etiam interpretes ad dictam *Novell.* nec non *Menagii Amoenit. Jur. Civ. cap.* XXXIX. *voc. Miſcella* & *Georg. d'Arnaud Conject. lib.* II. *cap.* 14.

(*c*) DATA EST] Hoc eſt, qui juriſdictionem habent. Quamvis enim multae dictio proprie ad imperium, non ad juriſdictionem pertineret: es tamen imperii particula, quae in modica coërcitione cooſiſtebat, (ad quam multae dictio per-

tinet)

aliud eſt fraus. D. de verbor. ſignific. l. 2. *in fin. D. de judic.* Secundum hoc magiſtratus omnes (*a*) Romae (*b*) multae dicendae jus habuiſſe invenio. Nam ut a Coss. (*c*) ordiar, vel ipſis Senatoribus, qui tardius in ſenatum veniſſent, vel omnino non veniſſent, multam irrogaſſe eos (*d*) CICERO in *Anton. ſ. Philipp.* 1. *c.* 5. oſtendit. De praetore ſatis in Pandectis expreſſum eſt. *l.* 2. *D. Si quis in jus voc. non ſer. l.* 1. §. 1. *D. de vent. inſpic.* Aediles quoque multam dixiſſe, & LIVIUS aliquoties, & GELLIUS *lib.* x. *cap.* 6. indicant. De Tribunis plebis, ſi quis GELLII *lib.* VII. *cap.* 19. auctoritatem deſugiat, exemplis LIVIUS abundat: ex quo etiam didicimus, a Tribunis dictae multae certationem apud populum fuiſſe, qui de ea concilio habito ſtatuebat (*e*). Horum tamen repreſſa Neronis temporibus poteſtate etiam illud conſtitutum TACITUS *lib.* XIII. *Annal. c.* 28. refert, ut ne multam ab his dictam Quaeſtores aerarii in publicas tabulas ante quatuor menſes referrent: medio tempore contradicere liceret, deque eo Coss. ſtatuerent. Verum enimvero hanc ſibi multae dictionem in libera Republ. magiſtratus propria auctoritate non vindicarunt. Legem itaque fuiſſe, ambigendum non eſt, quae nec obedientes & noxios cives multa pro jurisdictione ſua coërcere magiſtratibus permiſerit. Eam ab A. Aterino & Sp. Tarpejo Coss. (*f*) latam DIONYSIUS HALICAR. *lib.* x. *pag.* 674. his verbis docet. Πρῶτον μὲν οὖν ἐπὶ τῆς λοχίτιδος ἐκκλησίας νόμον ἐκύρωσαν, ἵνα ταῖς ἀρχαῖς πάσαις ἐξῇ τοὺς ἀκοσμοῦντας ἢ παρανομοῦντας εἰς τὴν ἑαυτῶν ἐξουσίαν ζημιοῦν. Τέως

tinct) ſemper erat cum jurisdictione conjuncta, adeoque & *mixtum imperium* communiter a JCtis vocatur, ſive *non merum*, (opponitur enim mero imperio) ſive *imperium, cui ineſt jurisdictio.* (vid. *L.* 1. §. 1. *L. ult.* §. 1. *D. de offic. ejus cui mand. jurisd. L.* 3. *D. de jurisd. L.* 9. §. *ult. D. ad L. Jul. peculat.*

(*a*) MAGISTRATUS OMNES] Omnes enim magiſtratus habebant jurisdictionem, adeoque etiam id, ſine quo illa exerceri nequit; (vid. *L.* 2. *D. de jurisd.*) id eſt, mixtum imperium, ut jurisdictionem ſuam tueri poſſint. (vid. *L. un. D. ſi quis jus dicenti non obtemp.*) Hinc lex illa apud CICERONEM *de legibus lib.* III. *cap.* 3. (quae omnino ex jure publico reipublicae Romanae deſumta eſt) *Magiſtratus nec obedientem & noxium civem multa, vinculis, verberibusve coërceto, ni par majorve poteſtas populusve prohibeſſit, ad quos provocatio eſto.* (Conf. praeter ſcriptores, qui ex inſtituto de Jurisdictione & Imperio commentati ſunt, *Jo. Gottl. Heineccii Syntagma Antiqq. lib.* IV. *tit.* 6. §. 5. ejusque *Elem. Jur. Civ. ſec. ord. Inſtit.* §. 1318. *ſeqq.* & *ſec. ord. Pand. P.* 1. §. 255. *ſeqq.*) Quum vero diverſum eſſet magiſtratuum imperium, & alius alio majus haberet: (vid. GELLIUS *lib.* XIII. *cap.* 12. *ſeqq.*) in multae quoque dictione quaedam conſpiciebatur differentia. Hinc legibus antiquis definitum fuiſſe videtur, quantam cuique magiſtratui multam irrogare liceret. (vid. *L.* 244. *D. de V. S.* TACITUS *Annal. lib.* XIII. *cap.* 28. *L.* 6. *C. de mod. mult.*) Addo adhuc, Pontificem Maximum quoque, tanquam ſacrorum judicem, multae dictionem habuiſſe. (Vid. LIVIUS *lib.* XXXVII. *cap.* 51. & *lib.* XL. *cap.* 42. CICERO *Philipp.* XI. *cap.* 8.)

(*b*) ROMAE] Sed quid de magiſtratibus municipiorum & coloniarum dicendum? De iis dubitatur, ob *L.* 26. *pr. D. ad municipal.* & *L. un. pr. D. ſi quis jus dicenti non obtemp.* Non omne tamen imperium mixtum iis denegandum eſſe, vel exinde patet, quod etiam jus aliquod coërcendi habuerint, juxta SICULUM FLACCUM *de condit. agror. pag.* 1. ubi haec occurrunt verba: *Regiones dicimus, intra quarum fines ſingularum coloniarum, aut municipiorum, magiſtratibus jus dicendi coërcendique eſt libera poteſtas.* Immo Aediles quoque in municipiis & coloniis jus multae dicendae habuiſſe, probari poteſt ex *L. unic.* §. 2. *D. de via publica.* Confer Viri Excell. *Ever. Ottonis librum de Aedilibus Colon. & Municip. cap.* XII. §. 2. *ſeqq. pag.* 238. *ſeqq. Jac. Gothofredi Comm.* ad *L.* 2. *de defenſ. civit.* in *Cod. Theod. lib.* 1. *tit.* 11. *Chriſt. Guil. Küſtneri Diſſ.* II. *de ritu pignorum capiendorum*, (ſub *Praeſ. Car. Otton. Rechenbergii, Lipſ.* 1743.) §. 2. *Joſephi Averanii Interpp. juris, lib.* I. *cap.* 4. (ubi multa affert, quae ad h. c. illuſtrationem conducunt.) Ego meam ſententiam alio tempore exponam.

(*c*) A COSS.] Conſules loco Regum creati, ſtatim quoque jus multae dicendae ſibi arrogaſſe videntur: idque per legem confirmavit, ſimulque modum impoſuit Valerius Poplicola, teſte PLUTARCHO in ejus vita, *pag.* 103.

(*d*) EOS] Pignora plerumque eam ob cauſam capere ſolebant Coss. a Senatoribus, quem ritum ex inſtituto egregie illuſtravit *Chriſt. Guil. Küſtnerus*, in *Diſſ.* I. *de ritu pignorum capiendorum, Lipſ.* 1742. defenſa ſub *Praeſ. Jo. Aug. Erneſti.* Qui vir doctus in *Diſſ.* II. paullo ante laudata in ſpecie de pignore praetorio; in *Diſſ.* III. vero, ſine Praeſide 1744. defenſa, ex inſtituto de pignore in cauſa judicati egit, quae omnes legi merentur.

(*e*) STATUEBAT] Immo ab omnibus magiſtratibus, quando vel plane inique, vel ſupra poteſtatis ſuae modum multam irrogabant, ad populum provocari poterat, ut vel ex lege, ſupra ex CICERONE recitata, abunde apparet, & exemplis inſuper probari poſſet, ſi dubium eſſet. Hinc *poenam ſine provocatione, animadverſionem ſine auxilio*, tanquam rem iniquiſſimam exagitat idem CICERO *de lege agrar.* II. *cap.* 13. Id tamen monere adhuc debeo, & multae dictionem, & multae certationem apud populum duplicis generis fuiſſe, quae auctor non diſtinxiſſe videtur. Aut enim magiſtratus, pro tuenda ſua jurisdictione, auctoritate legibus ſibi conceſſa, contumacibus multam dicebat; de qua eo tantum caſu, ſi provocatum eſſet, apud populum certabatur. Aut magiſtratus aliquem apud populum accuſabat, eique poenae loco certam multam dicebat, de qua populus in comitiis demum cognoſcere deberet. De hac multae certatione loquitur CICERO *de legibus lib.* III. *cap.* 3. his verbis: *Quum magiſtratus judicaſſit irrogaſſitve, per populum multae poenaeve certatio eſto.*

(*f*) A. ATERINO ET SP. TARPEJO COSS.] De horum Conſulum nomine, & de lege ab iis lata, vide quae auctor ſupra diſputavit *lib.* I. *cap.* 3. quaeque ibi a nobis ſunt notata.

Google

τίως γὰρ οὐχ ἅπασιν ἐξῆν, ἀλλὰ τοῖς ὑπάτοις μόνοις. *Primum itaque centuriatis comitiis lex lata eſt, licere omnibus magiſtratibus ſuae poteſtatis laeſae reos multare. Antea enim id non omnibus, ſed ſolis Conſulibus licebat* (*a*). Curatoribus etiam aquarum multae dicendae jus Senatuſconſulto, quod a FRONTINO *ſub fin. lib.* II. *de aquae ductib.* ponitur, conceſſum fuit. Praeſidibus provinciarum id ipſum principalibus mandatis permiſſum, ULPIANUS *in d. l.* 131. *aliud. in fin. D. de V. S.* auctor eſt. Procuratoribus vero ſuis hanc ipſimet Caeſares poteſtatem denegarunt. *l.* 2. *C. de modo mult.*

CAP. V.

De vetuſta aquae & ignis interdictione, & ea, quae in locum ejus ſucceſſit, deportatione.

Neque libertatem, neque civitatem invitus quisquam amittere jure Quiritum poterat, quemadmodum a majoribus conſtitutum CICERO in ſuis *pro Corn. Balbo c.* 13. *pro A. Caecinna c.* 33. *pro Domo ſua c.* 29. orationibus ſcribit. Eodem jure civi Rom. ſpiritus eripi, vitaque adimi non poterat (*b*): quod elegantiſſime apud SALLUSTIUM in *Conjurat. Catilinae c.* 51. Caeſar perſequitur. Atque ita nec civitate extrudi, nec ultimo ſupplicio adfici noxii cives poterant. Quorum tamen impunita peccata non relinqui, cum diſciplinae publicae vigor poſtularet, inventa ratio eſt, qua civitate, ſalvis majorum conſtitutionibus, pellerentur. Nimirum aqua & igni fontibus interdici inſtitutum eſt, ut his ſubſidiis, quibus vita humana continetur, deſtituti, in alias terras migrare, ſeque in aliam civitatem conferre cogerentur, in quam recepti Romanam amittebant: quod duarum civitatum eos eſſe cives aeque Romanorum inſtituta legesque non paterentur, ut a CICERONE *pro Balbo c.* 11. & a CORNELIO NEPOTE (ſi modo is ejus libelli auctor eſt) *in Pompon. Attici vita c.* 3. traditum eſt. Hoc ergo conſilio duobus illis elementis, ſine quibus vita foveri non poteſt, interdicebantur: quae proinde nuptiis quoque adhibita (*c*) PLUTARCHUS in *Problemat. num.* 1. FESTUS *lib.* 1. *v. aqua &* SCAEVOLA in *l. penult.* §. 1. *D. de donat. inter. vir.* teſtantur. Quorum utrumque OVIDIUS *lib.* IV. *Faſtor. v.* 789. duobus his verſibus complexus eſt:

> *An quod in his vitae cauſa eſt, haec perdidit exul,*
> *His nova fit conjux, haec duo magna putant?*

SERVIUS ad hunc *Virgilii* verſum (119.) *lib.* XII. *Aen. Alii fontemque ignemque ferebant. Sane*, ait, *ad facienda foedera aqua & ignis adhibetur. Unde & contra quos arcere volumus a noſtro conſortio, eis aqua & igni interdicimus, id eſt, rebus, quibus conſortia copulantur.* LACTANTIUS *lib.* II. *Inſtitut. Div. cap.* IX. *Exulibus quoque*, ait, *aqua & igni* (*d*) *interdici ſolebat. Adhuc enim nefas videbatur, quamvis malos, tamen homines, ſupplicio capitis adficere. Interdicto igitur earum rerum uſu, quibus vita humana conſtat, perinde habebatur, ac ſi eſſet, qui eam ſententiam exceperat, morte multatus.* Ex quibus cum POMPONIO in *l. ult. D. de legation.* efficimus, populum vi ipſa civitate expuliſſe eos, quibus aqua & igni interdicebat (*e*), cum ne tecto quidem excipere eos liceret. Quod & ipſa interdictione nominatim comprehenſum fuiſſe CICERO *pro Domo ſua c.* 30. indicat. *Qui cives*, ait, *Romani erant rerum capitalium condemnati, non prius hanc civitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc eſt, mutandi ſoli cauſa venerant. Id autem ut eſſet faciendum, non ademtione civitatis, ſed tecti, & aquae & ignis interdictione faciebant.* PLUTARCHUS in *Mario, pag.* 423. Ἐκ τούτου ψηφίζεται Σατορνῖνος ἀποκηρύξαι τοὺς ὑπάτους, ὅπως πυρὸς καὶ ὕδατος καὶ στέγης εἴργηται Μέτελλος. *Mox fert rogationem Saturninus, ut Metello aqua & igni interdicerent Conſules, & ne quis tecto eum reciperet.* Idem in *Ciceron. pag.* 876. Ὡς δ᾽ ἦν φανερὸς ἤδη πεφευγώς, εἰσήγαγεν αὐτῷ φυγῆς ψῆφον ὁ Κλώδιος, καὶ διάγραμμα προὔθηκεν, εἴργειν πυρὸς καὶ ὕδατος τὸν ἄνδρα, καὶ μὴ παρέχειν στέγην ἐντὸς μιλίων

(*a*) LICEBAT] *Car. Lud. Volbart* in *Hiſt. Decemviratus*, (ed. *Lipſ.* 1736. 4.) *cap.* 5. *pag.* 30. erroris & contradictionis arguit DIONYSIUM, quia ſupra *lib.* VII. *pag.* 431. jam narraverat, jus multae dicendae Tribunis Plebis datum fuiſſe per legem Iciliam. Sed contradictio illa optime tolli poteſt per diſtinctionem paullo ante ſuppeditatam. Tribuni ſcilicet adverſariis ſuis multam dicere poterant apud plebem; *non* propria auctoritate, ut conſules, ante hanc legem.

(*b*) POTERAT] Legimus tamen multos ultimo ſupplicio affectos fuiſſe, antiquiſſimis praeſertim temporibus. Sed ii non ut cives occidebantur, ſed vel ut homines ſacri, id eſt, Diis inferis devoti, vel ut hoſtes. Poſtea ſub Imperatoribus ſervitus poenae eum in finem introducta fuit: qua de re latius in *Selectis* meis *Antiquitatibus* agam.

(*c*) ADHIBITA] Confer Auctorem aliosque, qui de ritu nuptiarum ex inſtituto ſcripſerunt, ex quibus hujus moris illuſtratio abunde peti poteſt.

(*d*) IGNI] Hodie in impreſſis legitur: *ignis & aqua.* Cel. *Chriſtoph. Aug. Heumannus* legere mavult: *igni & aqua*: utraque tamen lectio bona eſt. Paullo poſt in impreſſis hodie ita legitur: *vita conſtat hominum.*

(*e*) INTERDICEBAT] Unde & Exules dicebantur. Vide Auctorem *Rhetor. ad Herenn. lib.* II. *cap.* 28.

μιλίων πεντακοσίων Ἰταλίας. *Ubi vulgatum eſt eum fugiſſe, Clodius ſeivit ei exilium, atque aqua & igni interdixit, ac ne quis eum intra quingenta millia paſſuum ab Italia tecto acciperet.* APPIANUS *lib.* 1. *bell. civil. pag.* 627. (369. *al.* 173.) Ψήφισμά τε φυγῆς ἐπεγράφη αὐτῷ καὶ τοὺς ὑπάτους ἐπικηρῦξαι προσετίθεσαν, μηδένα Μετέλλῳ κοινωνεῖν πυρὸς ἢ ὕδατος ἢ στέγης. *Itaque mox plebiſcitum factum eſt, ut ſolum verteret, utque Conſules ei aqua & igne tectoque interdicerent* (*a*). Quin etiam qui ita damnatos celaſſent, recepiſſent, tenuiſſent, lege Julia de vi tenebantur, quemadmodum PAULUS *lib.* v. *Sentent. tit.* XXVI. §. 3. ſcribit. Quod a Caeſare, cum damnatis de vi aqua & igni interdici juberet, legi ſuae inſertum fuiſſe probabile eſt. Sed & antea poena quaedam ſtatuebatur iis, qui tecto, hoſpitiove damnatos juviſſent, qua ſpreta ſe humaniſſime acceptum a Lenio Flacco, quo cum & hoſpitii jus intercedebat, CICERO his verbis ad Terentiam ſcribit, *Famil. lib.* XIV. *Epiſt.* 4. *Nos Brunduſii apud M. Lenium Flaccum dies* XIII. *fuimus, virum optimum, qui periculum fortunarum & capitis ſui pro mea ſalute neglexit: neque legis improbiſſimae poena deductus eſt, quominus hoſpitii & amicitiae jus officiumque praeſtaret.* Hoc amplius, cum Senatoribus aqua & ignis interdicebatur, rogationi adſcribi ſolitum ex *eadem* CICERONIS *oratione c.* 31. colligimus, ut ne eum ſuo loco cenſor legeret, ut non modo non in civium numero eſſe, ſed nec in eo dignitatis, in quo collocatus eſſet, gradu ſtare permitteretur. Atque haec poena antiquis legibus, (quemadmodum ex libris noſtris, *Liviique* ac *Paterculi*, & aliorum, qui res geſtas pop. Rom. litteris prodidere, ſcriptis intelligimus) nulla exilii facta mentione, irrogabatur. Manſitque ejus uſus ad Imperatorum uſque tempora, quibus primum reorum in inſulas deportatio in Rempub. invecta, & ne juris antiqui vincula aperte revelli viderentur, in locum aquae & ignis interdictionis ſuffecta eſt (*b*), ut vetuſti moris umbra retenta, qui deportarentur, ſic haberentur, quaſi aqua & igni interdicti eſſent. *l.* 2. §. 1. *D. de poen. l.* 3. *D. ad legem Jul. pecul. l. penult. in fin. D. de var. & extr. cognit.* Itaque aqua & igni interdictos noſtri deportatos interpretantur. *l.* 1. §. 2. *hi quibus. D. de legat.* III. *l.* 2. *D. de pub. jud. Nov. Conſt.* XXII. Eademque illorum verborum & in aliis locis interpretatio facienda eſt. *l.* 18. *Imperator. D. de ſtatu hom. l.* 10. *qui dolo.* in *fin. D. de vi. publ. l.* 5. *amiſſione. D. de cap. min. l.* 4. *in fin. D. de gradib. l.* 38. *cum quis. D. de ſolut.*

CAP. VI.

Conſtitutiones duae de interdictis proferuntur.

Ere eſt, quando in hoc ſermone verſamur, Auguſti conſtitutionem de aqua & igni interdictis, in medium proferre, qua in continenti, & in inſulis, quae quadringentis minus ſtadiis a continenti abeſſent, exceptis Rhodo, Co, Lesbo, Sardibus, morari eos verſarique prohibuit, alia praeterea quaedam conſtitutione ſua complexus, quae DION *lib.* LVI. *pag.* 587. ita retulit: Ἀπηγόρευσε, μηδένα πυρὸς καὶ ὕδατος εἰρχθέντα, μήτε ἐν ἠπείρῳ διατρίβειν, μήτε ἐν νήσῳ τῶν ὅσαι ἔλαττον πετρακοσίων ἀπὸ τῆς ἠπείρου σταδίων ἀπέχουσι, πλὴν Κῶ τε καὶ Ῥόδου, Σάρδεις τε καὶ Λέσβου. ταύτας γὰρ οὐκ οἶδ᾽, ὅπως μόνας ὑπεξείλετο. ἐκεῖνά τε οὖν αὐτοῖς προσέταξε καὶ τὸ μήτε περαιοῦσθαί πη ἄλλοσε, μήτε πλοῖα πλείω φορτικοῦ τε ἑνὸς καὶ χιλιοφόρου, καὶ κωπήρων δύο κεκτῆσθαι, μήτε δούλοις ἢ καὶ ἀπελευθέροις ὑπὲρ εἴκοσι χρῆσθαι, μήτε οὐσίαν ὑπὲρ δώδεκα καὶ ἡμίσειαν μυριάδα ἔχειν. *Conſtituit, ne quis eorum, quibus aqua & igni eſſet interdictum, in continenti degeret, aut inſula ulla, niſi quae quinquaginta millia paſſuum a continente diſtaret, excepta Co, Rhodo, Sardinia & Lesbo: quas quidem cur exceperit, mihi non liquet. Porro praecepit, ne quis eorum alio trajiceret, aut plures naves, quam unam onerariam, mille amphoras capientem, & duas actuarias; neve ſervos aut libertos ſuper viginti ſecum haberet; neve plus quingentis millibus nummûm poſſideret.* Quam conſtitutionem ad deportatos pertinere palam eſt, qui inſulis concludi, & quaſi aqua & igni interdicti civitate arceri ſolebant. Cujus fugae taedio, ne res novas molirentur, & bonis ſupra ſtatutam quantitatem exuendos, & a continente procul removendos, navium inſuper

(*a*) INTERDICERENT] Idem paullo poſt: Καὶ τὸ ψήφισμα ὁ Ἀπουλήϊος εἰσῆγε, καὶ τὰ ἐν τῷ ψηφίσματι Μάριος ἐπεκύρωσε. *Sic Apulejus legem de ejus exilio pertulit, quam Marius mox Edicto ratam habuit.* Ex hoc loco, collato cum PLUTARCHI *loco cit.* ritus videtur erui poſſe, quem alii non obſervarunt: nimirum Conſules per Edictum aqua & igni interdixiſſe illis, quibus per leges exilium erat decretum. Sic & alias non infrequens erat, ut Magiſtratus leges & SC. per Edicta promulgarent. (vide *Jani Langlaei Semeſtr. lib.* VII. *cap.* 2. §. 19. *pag.* 456. *Jo. Gottl. Heineccii Hiſtor. Edict. lib.* 1. *cap.* 2. §. 10. *p.* 24. *ſeq.*) Unde non mirandum eſt, Principes poſtea Edictis ſuis SC. confirmaſſe, ut ſupra jam notatum fuit *lib.* 1. *cap.* 16.

(*b*) SUFFECTA EST] Non accurate rem exprimunt, qui ita ſcribunt. Proprie enim deportatio non ſucceſſit in locum aquae & ignis interdictionis, ſed potius illi addita fuit, ne exules libere, ut antea, vagarentur. Vide TACITUM *Annal. lib.* VI. *cap.* 30. Confer praeterea ad totum hoc caput *Andr. Alciati Parerga, lib.* 1. *cap.* 15. *Ant. Schultingii Juriſpr. antejuſt. pag.* 47. *ſeq.* & *Jo. Gottl. Heineccii Syntagma Antiqq. Rom. lib.* 1. *tit.* 16. §. 9. *ſeqq.* & *Append.* ad *lib.* 4. *cap.* 1. §. 82. *ſeqq.*

ſuper longarum ſeu onerariarum comparatione, magnoque famulitio interdicendos Auguſtus putavit. His etiam (quod ad illuſtrationem *l.* 8. *ejus* §. 1. *D. qui teſtam. fac. poſſ.* pertinet) teſtamenti factionem ademiſſe Tiberium, idem DIO *lib.* LVII. *pag.* 618. ſcribit: Ἀπεῖπεν, ait, ὁ Τιβέριος τοῖς πυρὸς καὶ ὕδατος εἰρχθεῖσι μὴ διατίθεσθαι. *Interdixit iis, quibus aqua & igni eſſet interdictum, teſtamenti etiam factione.* Fuit vero alia veteribus quoque uſitata interdictio, quae non latam fugam, ſed loci duntaxat unius vel provinciae interdictionem continebat: ad quam pertinentem conſtitutionem, ab ULPIANO in *l.* 7. §. 15. *D. de interd.* ſine auctoris nomine relatam, auctori ſuo vindicabo. Ait ille, conſtitutum eſſe, eum, cui patria interdictum eſt, etiam urbe abſtinere debere. Id quod ad Imperatore *Claudio* conſtitutum SUETONIUS in *ejus vita cap.* 23. ita declarat: *Sanxit, ut hi, quibus a magiſtratibus provinciae interdicerentur, urbe quoque & Italia ſubmoverentur.* Et eſt hoc conſequens ei, quod dicitur: Romam communem patriam eſſe. *l.* 33. *Roma. D. ad Municip.*

CAP. VII.

De libellis, qui Principibus offerebantur.

Quotiens in *l.* 33. *divus D. de re judic.* incido, quae divum Hadrianum aditum per libellum a Tarentino narrat, totiens mihi vetus adeundorum, compellandorumque Principum mos in mentem venit, quos vel a praeſentibus libello adiri ſolitos, TACITUS *lib.* IV. *Annal. c.* 39. oſtendit. *Componit*, ait, *ad Caeſarem codicillos. Moris quippe erat, quamquam praeſentem, ſcripto adire.* TRANQUILLUS in *Aug. cap.* 52. *Promiſcuis ſalutationibus admittebat & plebem, tanta comitate adeuntium deſideria excipiens, ut quendam joco corriperit, quod ſic ſibi libellos porrigere dubitaret, quaſi Elephanto ſtipem.* Idem in *Domitian. cap.* 17. *Stephanus profeſſus conjurationis indicium, & ob hoc admiſſus, legenti traditum a ſe libellum & attonito inguina ſuffodit.* MARTIALIS *lib.* VIII. *Epigram.* 82.

Dante tibi turba querulos, Auguſte, libellos,
Nos quoque, qui domino carmina parva damus, &c.

Et alias *lib. eod. Epig.* 31.

Sed jam ſupplicibus dominum laſſare libellis
Deſine, & in patriam ſerus ab urbe redi.

JUSTINUS MARTYR in *Apol. pro Chriſtian.* 1. *pag.* 42. (ſive *Apol.* 11. *pag.* 109.) Καὶ ἡ μὲν βιβλίδιόν σοι τῷ αὐτοκράτορι ἀναδέδωκε, πρότερον συγχωρηθῆναι αὐτῇ διοικήσασθαι τὰ ἑαυτῆς ἀξιοῦσα. *Et illa quidem, libello tibi, Imperator, dato petiit ſibi permitti, ut rem familiarem ſuam prius conſtituere poſſet.* Sic libellum Principi datum in libris noſtris ſaepe legimus. *l.* 15. *libertus. D. de in jus voc. l.* 15. *item apud Labeonem.* §. 29. *ſi quis libello. D. de injur. l.* 7. *relegatorum.* §. 18. *relegatum. D. de interd. l.* 5. *quaeſitum. D. ad SC. Turp. & C. tit. Quando libel. Princ. dat.* Libellis vero vel ſubſcribebat ipſe, vel ſubſcribendi curam aliis mandabat: easque ſubſcriptiones vim legis habuiſſe (*a*) definit *l.* 1 *D. de Conſtit. Princ.* quarum extat exemplum in *l.* 32. *non diſtinguemus.* §. 14. *cum quidem. D. de arbitr.* Atque huic ſubſcribendi muneri Juriſperiti plerumque ab Imperatoribus praeficiebantur. Ita reſcriptum refert *Tryphoninus* ab Imperatore, libellos agente PAPINIANO, *l.* 12. *reſcriptum. D. de diſtract. pign.* & AURELIUS ARCADIUS magiſter libellorum dicitur in inſcriptione *l.* 1. *D. de offic. praef. praetor.* Id quo illuſtrius appareat, libelli a Celſo Jureconſulto ſubſcripti, cujus fides ex Jani Parrhaſii Catanacique ſcriptis conſtat, exemplum ex Antiquis Inſcriptionibus ſubjiciam, unde vetuſta concipiendorum ſubſcribendorumque libellorum formula intelligatur. Verba libelli ita habent. (*b*) QUOM ANTE HOS DIES CONJUGEM ET FILIUM AMISERIM, ET OPPRESSUS NECESSITATE CORPORA EORUM FICTILI SARCOPHAGO COMMENDAVERIM, DONEC IS LOCUS, QUEM EMERAM, AEDIFICARETUR VIA FLAMINIA INTER MILIARIUM II. ET III. EUNTIBUS AB URBE PARTE LAEVA, ROGO, DOMINE IMPERATOR, PERMITTAS MIHI IN EODEM LOCO IN MARMOREO SARCOPHAGO, QUEM MIHI MODO COMPARAVI, EA CORPORA COLLIGERE, UT QUANDO ME ESSE DESIERO, PARITER CUM EIS PONAR.

SEPULCHRUM FIERI PLACET.

JUBENTIUS CELSUS PROMAGISTER SUBSCRIPSI III. NON. NOVEMB. ANTIO POLLIONE ET OPI-

CAP. VII. Cum hoc capite conferri merentur, quae attulit Auctor noſter tum in libro *de Verborum Signif.* voc. *libellus*: tum in Opere *de Form. Sollemn. lib.* III. *pag.* 271. *ſeqq.* (292. *ſeqq.*) & quae de Principum Reſcriptis JCti diſputarunt.

(*a*) HABUISSE] Proprie Reſcripta quidem jus tantum faciebant reſpectu impetrantis: quia tamen Principes plerumque generalioribus reſcribebant verbis: hinc illa ad ſimiles applicari caſus ſolebant. Sed de hac re latius diſſerunt JCti.

(*b*) HABENT] Exemplum hujus libelli extat etiam in auctoris Opere *de Form. Sollemn. l. c.* & in *Gruteri* Opere *Inſcript. pag.* 607. *n.* 1. non ſine aliqua tamen lectionis diſcrimine.

OPIMINIO coſs. Huic, quantum exiſtimo, muneri praepoſiti, a poſterioribus Principibus, Libellenſes (*a*) appellantur.

CAP. VIII.

Vetus rerum venalium proſcribendarum mos explicatur.

Si quis pignus proſcripſerit, venditurus tanquam a me acceperit, infamandi mei cauſa, cum eo injuriarum agi ſecundum Servii Sulpitii ſententiam poteſt: ut eſt ab ULPIANO ſcriptum in *l.* 15. *item apud Labeonem.* §. 32. *item ſi quis pignus. D. de injur.* In quo ego veteris moris reliquias adgnoſco, quo venalia praedia proſcribebantur, id eſt, propoſito divulgatoque libello venum ire, venumque exponi ſignificabantur: ut ego Plauti, Ciceroniſque teſtimoniis planum faciam. PLAUTUS *Trinummo* (*b*) *Act.* I. *ſc.* 2. *v.* 129.

—— Quia ruri dum ſum
Ego unos ſex dies, me abſente atque inconſultu meo
Aedes venales hiſce inſcribit litteris.

CICERO *lib.* III. *Officior. c.* 16. *Claudius*, ait, *proſcripſit inſulam, vendidit. Emit P. Calpurnius Lanarius.* Et paulo poſt: *c.* 17. *Sic tu cum aedes proſcribas, tabulam tanquam plagam ponas, domum propter vitia vendas, in eam ut aliquis incurrat imprudens.* Cujuſmodi tabula forte in ſpecie a *Juliano* propoſita ſignificatur, in *l.* 13. *Julianus.* §. 6. *idem Julianus. D. de action. emt.* Maxime vero in auctionibus (*c*) libelli iſti ac tabulae figebantur, ut admonerentur, quos emendi cupiditas teneret, qua die, quibus legibus, conditionibusque praedia addicerentur, ut ex oratione CICERONIS *pro Quintio*, & aliquot *epiſtolarum* ad *Attic. libri*, praecipue *duodecimi*, locis perſpicue demonſtratur. PLINIUS *lib.* VII. *ep.* II. *ad Fabat. Miraris quod Eros libertus meus hereditarios agros, quos ego juſſeram proſcribi, non expectata auctione addixit* (*d*). Quin & hoc idem in locandis aedibus ſervatum deprehendi, ut pendente de aedibus tabula proſcriberetur facienda locatio. TERENTIUS *Heautontimor.* (*e*) *Act.* I. *ſc.* I. *v.* 92.

Inſcripſi illico aedes mercede.

CICERO *Accuſat. in Verrem lib.* I. *cap.* 54. *Iſte vero non procraſtinat: locare incipit non proſcripta, neque edicta die.*

CAP. IX.

Quae ſint ſervilia verbera.

In metallum damnatis libertatem adimi (*f*) CALLISTRATUS in *l.* 12. *in metallum. D. de jure fiſc.* ex eo demonſtrat, quod ſervilibus

(*a*) LIBELLENSES] Antiquiores elegantius dicebant *a libellis*: quod paſſim apud veteres ſcriptores (vid. *e. g.* TACITUS *Annal. lib.* XV. *cap.* 3. & *lib.* XVI. *cap.* 8.) & in Inſcriptionibus occurrit.

CAP. VIII. Quae hoc capite afferuntur, quoad maximam partem reperiri quoque poſſunt in Auctoris Opere *de Form. Sollemn. lib.* VI. ubi tamen ſparſim exhibentur.

(*b*) TRINUMMO:] Hodie locus in optimis editionibus ita diſtinctus legitur.

—— —— Quia rure dum ſum ego unos ſex dies,
Me abſente atque inſciente, inconſultu meo,
Aedes venales haſce inſcribit litteris.

(*c*) IN AUCTIONIBUS] De hiſce confer, praeter Auctoris *lib. cit. pag.* 485. *ſeq.* (510. *ſeq.*) *Jo. Gottl. Heineccii Syntagma Antiqq. Rom. lib.* II. *tit.* 17. §. II. Id vero inprimis hic notandum eſt, hoc non tantum in publicis auctionibus, ſed & in privatis factum fuiſſe, ut optime diſcere poſſumus ex CICERONIS *Orat. pro Quint. cap.* 4. *ſeqq.* ex qua etiam perſpicitur, venditionem bonorum in privata auctione non fuiſſe ignominioſam, ſicuti in publica.

(*d*) ADDIXIT] Adde *Epiſt.* 27. ejusdem libri: & conf. Interpp. ad haec loca, nec non ad PETRONIUM *cap.* 38. *ſeq.*

(*e*) HEAUTONTIMOR.] Locus hodie in optimis editionibus ita legitur:

—— —— —— —— Inſcripſi illico
Aedes: mercedem quaſi talenta ad quindecim
Coëgi.

Confer ad h. l. *Giſberti Cuperi Obſervat. lib.* I. *cap.* 17. ubi plura occurrunt, quae ad h. c. illuſtrationem faciunt.

CAP. IX. Ad hoc caput, praeter ſcriptores generales de ſervis & poenis Rom. & illos, quos ſupra ad *cap.* IX. *libri* II. laudavi, confer *Jac. Cujacii Obſervatt. lib.* XXVII *cap.* 29. *Petri Fabri Semeſtr. lib.* II. *cap.* 6. *Caroli Henr. Langii Diſſ. de immunitate civis Romani a certis poenis*, §. 12. *pag.* 75. *ſeqq.* in *Obſerv Sacris. Jo. Arntzenii Diſſ. de Civit. Rom. Pauli Apoſt. cap.* 6. §. 4. *ſeq.* in primis vero *Nicolai Calliachii Diſſ. de Suppliciis Servorum*, quae exſtat *Tom.* III. *Suppl. Theſ. utriusque Antiqq. Poleni*: qui tamen non ſatis diſtinxit (1) inter inſtrumenta, quibus torquebantur homines, & quibus caſtigabantur, & puniebantur: (2) quibus ſoli ſervi caſtigabantur, & quibus etiam coërcebantur liberi homines: unde non bene huc retulit *fuſtes*, *virgas*, *vites*, ut jam obſervavit *Jo. Polenus* in *Praef. pag.* (XX.)

(*f*) LIBERTATEM ADIMI] Nimirum, ut ſupra indicavit auctor, (*cap.* V. hujus libri) nemo invitus neque libertatem, neque civitatem amittere poterat: ſi ergo quis per legem in ſervitutem trahebatur, tunc fingebant Romani, illum ſe ſponte in ſervitutem addixiſſe: id quod exemplis aliquot eleganter oſtendit CICERO in Ora-

bus verberibus coërceantur. Valerius Max. *lib.* vi. *cap.* 1. *ex.* 9. *Cum propter domeſticam ruinam, & grave aes alienum, G. Plotio nexum ſe dare adoleſcentulus admodum coactus eſſet, ſervilibus ab eo verberibus, quia ſtuprum pati noluerat, affectus, querelam ad Coſs. detulit.* Servilia verbera, flagra (*a*), flagella, lora (*b*), interpretor, quibus ſervos rumpi ſolitos, praeter veteres comoedias, quarum huc teſtimonia, quod in promtu ſint omnibus, advocare nihil neceſſe eſt, etiam *l.* 9. *ſed eſt quaeſtionis.* §. *pen.* & *l.* 15. *item apud Labeonem.* §. 39. *D. de injur.* aliaeque a me infra poſitae oſtendunt, cum liberi fuſtibus (*c*) duntaxat caſtigarentur. *l.* 28. *capitalium.* §. 2. *non omnes. D. de poen. l. ult. D. de injur.* Quod & Seneca in libello joculari *de morte Claudii*, *in fine* ſignificat, eodem argumento evincens Claudium in ſervitute fuiſſe, quod ſervilibus verberibus vapulaſſet. *Apparuit*, ait, *ſubito C. Caeſar, & petere illum in ſervitutem coepit. Producit teſtes, qui illum viderant ab illo flagris, ferulis, colaphis, vapulantem.* Idemque in *lib. de Clementia* l. *cap.* 14. equitem quemdam Romanum, quia filium ſuum flagellis ceciderat, pene a turba in foro graphiis confoſſum narrat, indignum facinus exiſtimante populo, ſerviliter a patre ingenuum filium tractari. (*d*) Justinus *lib.* 1. *epitomes Trogi Pomp. cap.* 5. *Mox rex inter ludentes forte delectus, cum per laſciviam contumaces flagellis cecidiſſet, a parentibus puerorum querela eſt regi delata, indignantibus, a ſervo regio ingenuos homines ſervilibus verberibus affectos.* Prudentius in *Enchiridio veteris & novi inſtrumenti.* xli.

Vinctus in his Dominus ſtetit aedibus atque columnae
Adnexus, tergum dedit, ut ſervile, flagellis.

Hinc animadvertere poſſumus, quibus ex cauſis liberi fuſtibus caſtigantur, ex iiſdem ſervos flagellis caedi. *l.* 10. *in ſervorum. D. de poen. l.* 6. *levia. D. de accuſation. l.* 4. *Pedius.* §. 1. *D. de incend. ruin.* Leviorem autem fuiſſe fuſtium, quam flagellorum caſtigationem, ex eo ſatis apparet, quod fuſtium admonitio in levi & modica caſtigatione ponitur, flagellorum contra verberatio in atroci coërcitione graviſſimaque & ſervili injuria conſiſtere cenſetur, ut ex conjunctione *l.* 23. *ſed ſicut. in fin. D. de uſufruct.* cum *l.* 15. *item apud Labeonem.* §. 36. *ſi communem. D. de injur.* & *l.* 7. *praetor edixit.* §. 2. *praeterea. D. eod. tit.* cum *l.* 10. *ſed ſi hac lege.* §. *penult. D. de in jus voc.* illuceſcit. Denique fuſtium ictus, *admonitio*, vocabulo ipſo poenae lenitatem ſignificante (*e*), appellatur, *l.* 7. *veluti. D. de poen.* Unde quod a Venulejo traditur, atrociter verberandi jus legatum proconſulis non habere: *l.* 11. *ſi quid erit. D. de offic. proconſ.* id ad flagellorum coërcitionem procul dubio referendum eſt. Verum ut ad Callistratum revertar, in eo quoque damnatos in metallum ſervilibus modis habitos obſervavi, quod ſtigmatum notis deformarentur, ut ex Suetonio in *Caligula cap.* xxvii. *apparet* (*f*).

C A P.

Oratione *pro Caecina*, *cap.* 33. *ſeq.* Tales autem vocabantur *Servi poenae*: quales etiam in metallum condemnati. (vid. *l.* 25. §. 3. *D de adquir. vel omitt. hered.*) Confer de hac ſervitute poenae *Jac. Cujacii Obſervatt. lib.* xv. *cap.* 22. *Ger. Noodt Probabil. lib.* iii. *cap.* 12. *Ezech. Spanhem. Orbem Rom. Exerc.* 1. *cap.* 15. *Jo. Gottl. Heineccii Synt. Antiqq. Rom. lib.* 1. *tit.* 16. §. 5.

(*a*) Flagra] Flagra adeo ſervis propria fuerunt, ut exinde quoque dicti ſint *flagriones*, teſte Nonio *lib.* 1. *num.* 110. *pag.* 28. *ed. Pariſ.* 1614. 8vo.

(*b*) Lora] Quibus Funes addit *Jo. Polenus* in *Praef.* ad *Tom.* iii. *Suppl. Theſ. utriusque Antiqq. pag.* (xix.) quibus nautae & remiges praecipue caſtigabantur, ut docuit *Jo. Schefferus de militia navali*, *lib.* iv. *cap.* 4. *pag.* 1016. *Tom.* v. *Theſ. Antiqq. Poleni.*

(*c*) Fustibus] Immo & virgis, ut probat *Jac. Durant. Caſellius Var.* 1. *cap.* 15. Virgis tamen ſervos etiam, non quidem a dominis, ſed a Magiſtratuum apparitoribus caſtigatus fuiſſe, apparet ex Plauto *Poenul. Prolog. v.* 26. & Cicerone *in Verr. lib.* v. *cap.* 53. Olim ipſi etiam cives Romani virgis caſtigari poterant a Magiſtratibus, ſalva tamen provocatione: (vid. Livius *lib.* ii. *cap.* 55.) poſtea vero per legem Porciam hoc jus plane iis ademtum eſt, ut adeo non niſi in ſervos & peregrinos exercere poſſent. Vid. Cicero *cap. cit.* cum *ſeqq.* & confer, praeter *Langii* & *Arntzenii Diſſ. cit. Chriſtoph. Cellarii Diſſ. de Pauli Apoſtoli civitate Rom.* §. 27. *ſeq.*

(*d*) Tractari] Quamvis enim jure Romano patri ſummum in liberos vitae neciſque jus, non minus quam domino in ſervos, competeret: ſemper tamen male apud populum audiebant nimium crudeles patres. (Exempla vide apud Livium *lib.* iii. *cap.* 50. & *lib.* vii. *cap.* 4. & *lib.* viii. *cap.* 12.) Quod eo minus mirandum, quum vel crudeles in ſervos domini inviſi fuerint & deteſtabiles, juxta Senecam *de Conſtantia*, *lib.* 1. *cap.* 18. Id tamen notari adhuc meretur, illis etiam ipſis, qui ita in ſervilem modum a patribus caſtigati fuerant, ignominioſum hoc quodammodo fuiſſe per totam vitam, ut vel exemplo Conſulis *Iſaurici* apud Quinctilianum *Inſtit. Orat. lib.* vi. *cap.* 3. *al.* 4. apparet. Adde Suetonium in *Othone*, *cap.* 2.

(*e*) Significante] Sed confer tamen, quae diſſerit *Cornelius van Bynkershoek* in *Obſerv. J. R. lib.* 1. *cap.* 21. ubi *L.* 7. *D. de poen.* egregie illuſtrat. Adde *Laur. Andr. Hambergerum Differt. priori de Incendiis pag.* 35. *lit. d. in not. edit. Eſtoris.*

(*f*) Apparet] Hoc ego verbum addidi, quia alias ſenſus hujus periodi eſſet mancus.

CAP. X.

De Aedilibus Municipalibus.

Non Romae tantum, ſed & in municipiis Aediles fuiſſe, non abs re adnoto, quandoquidem ejus rei ignoratione, quae de municipalibus dicuntur, de urbanis magiſtratibus dicta inſcite accipi video. Noſtrorum primum, dein aliorum auctorum locos ponam. In *l.* 30. *qui inſulam.* §. 1. *D. locat.* Aedilem in municipio balneas conduxiſſe narratur. Obſcurius in *l.* 12. *eos. D. de decurionib.* hujuſmodi Aedilis ſignificatur, de quo tamen ſenſiſſe legem, vel titulus ipſe, ſub quo ea poſita eſt, arguit. An & eodem modo in *l.* 17. *non tantum.* §. 4. *is qui aedilitate. D. de excuſ. tut.* vox iſta accipienda ſit, controverſa eſt, & alterius loci quaeſtio (*a*). Nunc indubitatis teſtibus res conficienda eſt. Cicero *ad Brut. lib.* XIII. *epiſt.* 11. *Nam conſtituendi municipii cauſa hoc anno Aedilem filium meum fieri volui, & fratris filium, & M. Coepium hominem mihi maxime neceſſarium. Is enim magiſtratus in noſtro municipio, nec alius ullus creari ſolet.* Spartianus in *Hadrian. c.* 19. *Per Latina oppida Aedilis & Dictator fuit, & in patria ſua Quinquennalis.* Per Latina oppida, veluti Ulubris, Arreti, Novarrae, & aliis id genus. Juvenalis *ſat.* X. *v.* 101.

—— Vaſa minora
Frangere pannoſus vacuis Aedilis Ulubris.

Persius *ſat.* 1. *v.* 145.

Fregerit heminas Arreti Aedilis iniquas.

Idem Juvenalis *Sat.* III. *v.* 177. de oppidis Italiae agens:

Aequales habitus illic, ſimilesque videbis
Orcheſtram & populum, clari velamen honoris,
Sufficiunt tunicae ſummis Aedilibus albae.

Suetonius *in lib. de clar. Rhetorib. c.* 6. *Cajus Albucius Silus Novarrienſis cum Aedilitatem in patria gereret.* Ammianus Marcellinus *lib.* XXVIII. *cap.* 6. *Occiſis decurionibus multis, inter quos Ruſticanus ſacerdotalis, & Nicaſius enitebat Aedilis.* Legitur & in Antiquis inſcriptionibus perſaepe hoc nomen, & quidem a Duumviris nonnunquam ſeparatum: ut diverſam a Duumviratu honoris municipalis ſpeciem Aedilitatem fuiſſe non male a quibuſdam exiſtimetur (*b*).

CAP. XI.

Quae fuerint olim ſollemnia patrimoniorum onera.

Vectigalia & patrimoniorum onera ſollemnia ſuſtinere omnes oportere, traditur in *l.* 2. §. 1. *D. de veteran.* Eſt & alias ſcriptum, ab his oneribus, quae patrimoniis, vel poſſeſſionibus indicuntur, neque numero liberorum, neque ullo alio privilegio quem excuſari. *l.* 2. §. 4. *quae patrimoniorum. l.* 10. *ab his. D. de vac. muner.* Sollemnium quo-

CAP. X. De Aedilibus Coloniarum & Municipiorum peculiarem, cumque eruditiſſimum Tractatum edidit Vir Excell. *Ever. Otto, Francof.* 1713. 8*vo.* recuſum *Ultraj.* 1732. 8*vo.* in quo argumentum hocce non tantum abunde pertractaſſe, ſed penitus exhauſiſſe videtur. Caeterum Municipia & Colonias in reipublicae conſtitutione imaginem quondam Romanae reipublicae praebuiſſe, praeter *Ottonem* in libro laudato, *cap.* 2. notavit quoque *Jo. Gottl. Heineccius* in *Syntagm. Antiqq. App.* ad *lib.* 1. *cap.* 5. §. 123. ubi nonnulla etiam de magiſtratibus municipalibus afferuntur. Addantur praeterea laudatiſſimi *Ottonis Diſſert. de Conſulibus extra Romam, Ultraj.* 1721. *Jo. Chriſt. Gottl. Heineccii Florum Sparſio ad Edictum Aedil. cap.* 1. §. 4. *Henr. Noriſii Cenotaphia Piſana, Diſſ.* 1. *cap.* 3. aliique ſcriptores, qui generatim de magiſtratibus municipalibus ſcripſerunt.

(*a*) Quaestio] Aediles omnes, non tantum Romae, ſed & in Coloniis & Municipiis, a tutelis excuſatos fuiſſe, erudite, ut ſolet, probat laudatus *Otto* in libro paullo ante indicato *cap.* 13. §. 1. *ſeq.* Adde *Georg. d'Arnaud Conject. lib.* 11. *cap.* 10.

(*b*) Existimetur] Sed diſtingue loca: in quibuſdam enim Coloniis Municipiisque alii erant Aediles, a Duumviris diverſi, hisque inferiores: in aliis vero, minoribus maxime, ipſi Aediles ſummi erant magiſtratus. Et tales forſan ſunt *Aediles* illi, quos *ſummos* vocat Juvenalis *Sat.* III. *v.* 179. Alii tamen, veluti *Iſaac. Grangaeus* in *notis*, & Excell. *Otto* in libro laudato, *cap.* 11. §. 6. *ſeq.* interpretantur haec verba de ludorum editoribus: quae tamen ſignificatio cum priori non pugnat. Idem Vir Excell. *ibid.* §. 5. *pag.* 321. *ſeqq.* removet etiam ſcrupulum illum, quod Aedilibus tantum tunicae adſcribantur, ita quidem, ut illis jus praetextae gerendae concedat, ſimul tamen moneat, illos rariſſime praetexta uſos fuiſſe. Poſſet fortaſſis etiam haud inepte dici, *tunicas albas* a Juvenale non opponi togae & praetextae, ſed lato clavo, quo etiam ambitioſiores in municipiis Magiſtratus interdum utebantur. (Vid. Horatius *Serm. lib.* 1. *Sat.* 5. *v.* 36.)

CAP. XI. Ad hoc caput conferendi ſunt ſcriptores, qui de tributis & vectigalibus Romanorum ex inſtituto egerunt, quorum praecipuus Vir Cel. (qui in litteris hiſce, quae ab humanitate nomen habent, hoc ſeculo principatum tenuit) *Petrus Burmannus*: cujus liber praeclarus *de vectigalibus populi Rom.* ſecunda vice auctior prodiit *Lugd. Bat.* 1734. 4*to.* & inſertus quoque eſt *Tom.* 1. *Suppl. Theſ. utriusque Antiqq.* [illegible] *Poleni.* Vide etiam *Jo. Gottl. Heineccii Synt. Antiqq. App.* ad *lib.* 1. *cap.* 1. §. 58. *ſeqq.* & *cap.* 4. §. 114. *ſeqq.*

quoque publicarum penſitationum fit mentio in *l.* 13. *ſi velut. C. de compenſation. l.* 2. *C. pro ſoc.* Proinde quibus olim oneribus, functionibusque patrimonia ſubjicerentur, videamus. Id autem animadverti paucis verbis ab Ulpiano fere comprehenſum in *l.* 27. *ſi pendentes.* §. 5. *ſi quid cloacarii. D. de uſufr.* his verbis: *Si quid cloacarii nomine debeatur, vel ſi quid ob formam aquaeductus, quae per agrum tranſit, pendatur, ad onus fructuarii pertinebit. Sed & ſi quid ad collationem viae, puto hoc quoque fructuarium ſubiturum. Ergo & quod ob tranſitum exercitus confertur ex fructibus: ſed & ſi quid municipio: nam ſolent poſſeſſores certam partem fructuum municipio viliori pretio addicere: ſolent & fiſco fuſiones praeſtare: haec onera ad fructuarium pertinebunt.* Hactenus Ulpianus, cujus nos brevitatem aliorum ope adjuvabimus. Cloacarii autem tributi, item ejus, quod ob formam aquaeductus penditur, etiam meminit in *l.* 39. *cum ſervus.* §. 5. *heres. D. de leg.* 1. De poſteriore illud practerea in libello *varior. auctor. de limitib. pag.* 257. *edit. Goeſii.* ſcriptum reperi: *Aquarum ductus per medias poſſeſſiones diriguntur, quae a poſſeſſoribus ipſis vice temporum repurgantur, propter quod & levia tributa perſolvunt.* Formas enim appellant fabricam meatus aquarum publicarum: (*a*) in cujus tutelam ab his, quorum per agros aqua tranſibat, annuum tributum conferebatur. Utitur hoc verbo Frontinus *lib.* II. *de Aquaeductib.* Utuntur & Imperatores in *l.* 1. (in qua tamen pro, *formarum*, nonnulli (*b*) male *forinarum* emendant) & *l.* 3. & *l.* 6. *C. de Aquaeductib. lib.* XI. Sed jam ad reliqua gradum faciamus. Collationem viae muniendae, ſternendaeque cauſa ad onus praediorum pertinuiſſe declaratur ex *l.* 6. *in ſumma. C. de pign. l.* 13. *Julianus.* §. 6. *idem Julianus. D. de act. emt. l.* 14. *honor.* §. 2. *viarum. l. ult.* §. 15. *ſi aliquis. D. de mun. & honor. l.* 11. *ſunt munera. D. de vacat. mun.* Siculus Flaccus in *lib. de condition. agror. pag.* 9. *Quaedam ergo*, ait, *viae aliquando fines tranſeunt poſſeſſionum, quarum tamen omnium non una eademque eſt conditio. Nam ſunt viae publicae regales, quae publice muniuntur, & auctorum nomina obtinent: nam & curatores accipiunt, & per redemtores muniuntur. In quarundam tutelam a poſſeſſoribus per tempora ſumma certa exigitur. Vicinales autem viae de publicis, quae divertuntur in agros, & ſaepe ad alteras publicas perveniunt, aliter muniuntur per pagos, id eſt, per magiſtros pagorum, qui operas a poſſeſſoribus ad eas tuendas exigere ſoliti ſunt, aut, ut comperimus, unicuique poſſeſſori per ſingulos agros certa ſpatia adſignantur, quae ſuis impenſis tuentur.* Et hoc antiquis, Asconio in III. *Verrin.* (*c*) interprete, *exigere viam* dicebatur. Quod vero ad tributum ob tranſitum exercitus, attinet, dilucidius id fit ejuſdem Siculi Flacci loco ad finem libri, de quo proxime memini, qui ita habet: (*pag.* 25.) *Nam & quotiens militi praetereunti, aliive cui comitatui, annona publica praeſtanda eſt, ſi ligna aut ſtramenta deportanda, quaerendum, quae civitates, quibus pagis hujuſmodi munera praebere ſolitae ſint.* Eſt de hoc argumento *Novella* Justiniani *conſtitutio* cxxx. quae inſcribitur, *De tranſitu exercitus.* In oneribus porro patrimuniorum etiam huſpitum ſuſceptio ponenda eſt, *l.* 3. *de munerib. patrim. lib.* x. *C. l.* 3. §. 14. *munus. l. ult. in fin. D. de munerib. & honorib. l.* 1. *C. de epiſc. & cleric.* Plerumque enim militibus ſupervenientibus, vel publicis perſonis ea iter facientibus, hoſpitia in civitatibus praeberi oportuit. *l.* 3. §. 13. *eos milites. D. de munerib. & honorib. l.* 6. *illicitas.* §. 5. *ne tenues. D. de offic. praeſ.* toto *tit. de metat. & epidemetic. lib.* XII. *C.* Ab hoc tamen hoſpitis recipiendi munere, militibus, veteranis, medicis, philoſophis vacatio immunitasque Principum conſtitutionibus indulta eſt. *l. ult.* §. *penult. & ult. D. de munerib. & honorib.* His adjunge, quae fiſco praeſtabantur functiones, ſtipendia, annonas, capitationes, de quibus alias uberius. Atque hae ſunt Tributiones, quae poſſeſſionibus fiunt. *l. penult. D. de veteran. l.* 6. *reſcriptum.* §. *ult. D. de munerib. & honorib.* & Intributiones patrimonii in *l.* 22. *filii.* §. *ult. D. ad munic.* quae & Tributa praediorum appellantur. *l.* 42. *inter. l.* 52. *epiſtola.* §. 2. *pactum. D. de pact. l.* 7. *uſufructu legato.* §. 2. *quoniam igitur. D. de uſufr. l.* 13. *neque. D. de impenſ. in res dot. l.* 32. *ſine herede.* §. 6. *Lucius. D. de admin. tut. l.* 13. *idem Julianus D. de act. emt.* & munera rei cohaerentia. *l.* 11. *ſunt munera. D. de vacat. muner.*

CAP.

(*a*) Publicarum] Unde *Formae* ſimpliciter pro aquaeductibus ponuntur apud Sidonium Apollinarem *lib.* I. *Epiſt.* 5. *Cujus* (Romae ſcilicet) *mihi non ſolum formas, verum etiam naumachias videbar epotuturus.* (Vide ibi *Jo. Woweri* notas.) Et aqua illa publica non ineleganter *aqua formarum* vocatur a Cassiodoro *Var. lib.* III. *Epiſt.* 31. (ubi nihil mutandum.) Hinc etiam ille, qui aquaeductibus praeerat, *Comes formarum* vocabatur: de quo vide Cassiodorum *Var.* VII. *num.* 6.

(*b*) Nonnulli] *Andr. Alciatum* ſine dubio hic tacite notat.

(*c*) In III. Verrin.] Sive in *Comment.* ad *Accuſat in Verrem. lib.* I. *cap.* 59. *pag.* 108. ubi ita loquitur: *Exigere viam dicuntur magiſtratus, cum viciniam cogunt munire quam diligentiſſime ſumtu ſuo.* Confer hic omnino Viri Excell. *Ever. Ottonis* librum eruditiſſimum *de Tutela viarum, Part.* III. *cap.* 8. *pag.* 523. *ſeqq. Jac. Gothofredi Comment.* ad *Cod. Theod. lib.* xv. *tit.* 2. & 3.

CAP. XII.

De pupillarium tabularum appellatione, & earum conſcribendarum forma.

Pupillares tabulas in libris noſtris ſecundas appellari, nemini ignotum eſt: appellationis vero iſtius cauſa & ratio, neſcio, an aeque omnibus cognita ſit, quam ego paucis patefaciam. Ante omnia autem ſecundas appellatas liquere volo ad differentiam paternarum, quae & Principales & primae tabulae dicuntur (*a*). *l.* 2. §. 3. *ſi primis. D. de ſtatulib. l.* 1. *D. Si cui plus quam per l. Falcid. l.* 11. *in ratione.* §. 5. *quod vulgo in fin. l.* 79. *in duplicibus. D. ad legem Falcid. l.* 2. *in princ. D. quemadmod. teſt. aper. l.* 5. *poſt legatum.* §. 14. *qui principale. D. de his, quae ut indign. l.* 88. *Lucius* §. 7. *impuberem, D. de legat.* 2. *l.* 41. *coheredis* §. 6. *coheres. D. de vulg. & pupill.* Sic ſecundis tabulis factam pupillarem ſubſtitutionem SCAEVOLA refert in *l.* 18. *libertis.* §. 3. *poſtumis D. de alim. legat.* Idemque *tabulas ſubſtitutionis* eodem loco vocat. Eam vero differentiam ex eo fluxiſſe ſuſpicor, quod pupillaris ſubſtitutio in inferiore parte teſtamenti, & in ima cera fieri ſoleret. (*b*) Quae pars etiam ſeparatim plerumque propria cera proprioque lino conſignabatur, cum eo, ut & priore parte teſtamenti, a parentibus caveretur, ne inferiores tabulae vivo filio & adhuc impubere aperirentur, quemadmodum JUSTINIANUS ſentit in §. 3. *ſin autem. Inſtit. de pupill. ſubſtit.* Sed ipſa CAJI verba, quae hoc diſerte continent, melius erit ex *lib.* II. *Inſtitut. tit.* IV. §. 2. huc transferre. Sic autem habent: *Sed pupillaris ſubſtitutio ita ſecreta eſſe debet, ut ad notitiam ſubſtituti pervenire non poſſit, ne vitae pupilli aliquas ſubſtitutus inſidias moliatur. Nam in extrema pagina teſtamenti fieri debet, ut pars illa, in qua ſubſtitutio pupillaris ſcripta eſt, quamdiu pupillus annos pubertatis egrediatur, obſignata permaneat, & prior pars teſtamenti, in qua heres ſcriptus eſt, referetur.* Haec ille: ſecundum quae in ſpecie *l. ult. D. ad SC. Trebellian.* Julius Foebus, teſtamento ſibi facto, Polycrati filio, ſi intra pubertatem deceſſiſſet, ſecundas tabulas feciſſe refertur, matrique ejus commendaſſe aperiendas, ſi impubes obiiſſet. Quod etiam ab eo, qui attente leget, obſervari poteſt in *l.* 11. *ſi mater. in princ. D. de except. rei jud.* Quamquam autem ſuperſcriptum a patre non fuiſſet, ne pupillares tabulae aperirentur, ſi tamen ſeorſim ſignatae relictae eſſent, praetor aperiri eas, niſi cauſa cognita, non patiebatur. *l.* 8. *pupillares. D. Quemadmod. teſt. aper.* Nec tamen ſemper ſeorſim a paternis pupillares tabulae, ſed & conjunctim plerumque ſignabantur. Quinimo ſignatas eſſe patris tabulas ſufficiebat, licet filii reſignatae eſſent. *l.* 20. *patris. D. de vulg. & pup. l.* 9. *ut bonorum. D. de bonor. poſſeſſ. ſecund. tab.* Finem faciam, ſi prius illud adſcripſero, ex his explicatu facile relinqui, quod in *l.* 14. *nam quod.* §. 3. *ſi quis compulſus. D. ad SC. Trebellian.* ſcribitur, ex teſtamento, quod ſecundas tabulas habebat, aditam hereditatem.

CAP. XIII.

De veterum habitationibus in hortis.

Habentur in *l.* 5. *lex Cornelia.* §. 3. *D. de injur.* haec verba: *Quid ſi quis in villa habitet, vel in hortis?* Quibus admonemur, veteres in hortis habitationes habuiſſe. Quod & *l. penult.* §. 1. *D. de donat. int. vir.* oſtendit, & TACITUS *lib.* XVI. *Annal. c.* 34. *Tum ad Thraſeam*, ait, *in hortis agentem, quaeſtor Conſulis miſſus, veſperaſcente jam die.* SUETONIUS *in Claud. cap.* V. *Tunc demum abjecta ſpe dignitatis ad otium conceſſit, modo in hortis & ſuburbano, modo in Campaniae ſeceſſu deliteſcens.* ASCONIUS *in Argum. Milonian. pag.* 187. de Pompejo: *Plerumque non domi ſuae, ſed in hortis manebat* (*c*). Qua de cauſa mirum nemini videbitur, quod de penu in hortis condita legitur in *l.* 4. *nam quod.* §. 5. *D. de penu leg.* In qua *l.* hoc praeterea no-

(*a*) DICUNTUR] Quia pater prius ſibi, deinde filio teſtamentum facere debebat, ut vel tyronibus notum. Hinc ſubſtitutio pupillaris tanquam pars & ſequela paterni teſtamenti conſiderabatur.

(*b*) SOLERET] Qui haec & ſequentia melius intelligere cupit, is adire debet ſcriptores, qui obſignationem teſtamentorum ex inſtituto illuſtrarunt, quos ſummatim recenſui in *Tract.* mea *de Teſtamentif. cap.* III. §. 34. *p.* 143. & §. 43. *not.* (5) *p.* 165. *ſeq.* Quibus adde *Jo. Petri de Ludewig Vitam Juſtiniani p.* 236. *ſeq. Jac. Nic. Loënſis Miſcell. Epiphill. lib.* V. *cap.* 6. *Georg. d'Arnaud Conject. lib.* II. *cap.* 27.

CAP. XIII. Conferri ad hoc caput poteſt *Georgii Grenii* liber *de ruſticatione veterum Romanorum*, qui reperitur *Tom.* I. *Theſ. Antiqq. Sallengrii.*

(*c*) MANEBAT] Lubet hiſce ab auctore adductis exemplis adhuc unum alterumve addere. De Imperatore ſcilicet Aureliano FL. VOPISCUS in ejus vita, *cap.* 49. narrat: *Diſplicebat ei, quum eſſet Romae, habitare in Palatio, ac magis placebat in hortis Salluſtii, vel in Domitiae vivere.* Item de Imp. Veſpaſiano tradit XIPHILINUS *lib.* LXVI. *pag.* 750. eum raro in Palatio, ſed maximam temporis partem in hortis Salluſtianis habitaſſe. De Tiberio, adhuc privatu, SUETONIUS in ejus vita, *cap.* 15. *Eſquilias in hortos Moecenotianos transmigravit.* Reperitur quoque elegans exemplum ibidem *cap.* 35. *Senatori latum clavum ademit, quum cognoviſſet, ſub Kal. Julii demigraſſe in hortos, quo vilius poſt diem aedes in urbe conduceret.*

notandum cenſeo, quod ait: *Sed & ſi in hortis ſit urbi junctis.* Nam extra urbem Romanorum horti erant, ut Cicero *lib.* xii. *epiſtol. ad Attic.* 19. *ſeqq.* indicat, cum de horti emtione idcirco ſe cogitare ſcribit, ut ne Romae in turba ſit, & ne ab urbe abſit. Etenim qui in hortis erant, abeſſe, cum in continentibus urbis eſſent, non videbantur, ſecundum definitionem *l.* 199. *abſentem. D. de verb. ſignif.* Immo praeſentes eos haberi diſerte traditur in *l.* 5. *praeſens. D. de procurat.* Caeterum quae in hortis ponebantur aedificia, voluptuaria erant, & amoenitatis gratia extructa, in quae ſui colligendi cauſa Romani ſecedebant. Atque has amoenas hortorum habitationes diaetas (*a*) appellabant, ut in *d. l. penult.* §. 1. *D. de donat. inter vir. & ux. l.* 43. *ſenatus.* §. 1. *D. de leg. lib.* 1. *l.* 13. *ſi cujus rei.* §. *ult. D. de uſufruct. l.* 41. *uxorem.* §. 1. *D. de leg. lib.* iii. & apud Plinium *lib.* ii. *epiſt.* 17. *ad Gallum*, quae & uſitata Graecis commutatione Zetae dicuntur a Lampridio in *Heliogabalo*, *cap.* 30. *ſeq.* duobus locis, & in *Vita Baſilii Magni. Qui ducentes eos in Zetam inſignem, quae ad curam ſunt, eis optulerunt* (*b*).

CAP. XIV.

De Magiſtratuum, Proconſulum, Praeſidumque inſignibus.

Caecum utriuſque luminibus orbatum idcirco poſtulare non poſſe Ulpiano placet, quod inſignia magiſtratus videre & revereri non poſſit. *l.* 1. §. 5. *caſum. D. de poſtuland.* Ubi inſignia magiſtratus, quae Graeci ἐπίσημα τῆς ἀρχῆς vocant, eodem ſenſu dixit, quae & Conſularia inſignia in *l.* 2. *pr. D. de his, qui not. infam.* & Proconſularia inſignia in *l.* 1. *D. de offic. proconſul.* & inſignia regum apud Livium *lib.* ii. *c.* 1. & Valerium Max. *lib.* iv. *cap.* 1. *ex.* 1. dicuntur (*c*). Inſignia haec, breviter a Prudentio in *Romano Mart. v.* 142. his verſibus collecta ſunt:

—— *Nonne curſim tranſeunt*
Faſces, ſecures, ſellae, praetextae, togae,
Lictoi, tribunal, & trecenta inſignia
Quibus tumetis?

Et a Seneca *lib.* 1. *de Benefic. c.* 5. *Quid habet corona pretioſum? quid praetexta? quid faſces? quid tribunal & currus? Nihil horum honor eſt, ſed honoris inſigne.* Quae omnia nobis ſingillatim explicanda ſunt, initio a faſcibus ſumto, qui magiſtratibus praeferebantur: Dictatori xxiv. Appianus *lib.* 1. *bellor. civil. pag.* 687. (412. *al.* 498.) de Sylla; Αὐτὸς δὲ εἶα δὴ βασιλεύων, Δικτάτωρ ἐπὶ τοῖς ὑπάτοις ἦν. πελέκεις τε γὰρ ἐφέροντο πρὸ αὐτοῦ οἷα Δικτάτορος εἴκοσι καὶ τέσσαρες, ὅσοι καὶ τῶν πάλαι βασιλέων ἡγοῦντο. *Ipſe vero jam plane regnans, Dictator Conſulibus praeerat: nam & ſecures ei ut Dictatori viginti quatuor praeferebantur, quemadmodum olim Regibus* (*d*). Conſuli quidem duodecim, Praetori vero ſex (*e*). Unde Ovidius *in Fragm. ad Piſon. v.* 69. Conſulatum ab eo geſtum demonſtrare volens, hac periphraſi uſus eſt:

Cum

(*a*) Diaetas] De Diaeta ſive Zeta vide *Antonii Velſeri Epiſtolam*, quae adjecta eſt *Pignorii Comment. de Servis*, & inſerta *Tom.* iii. *Suppl. Theſ. utriusque Antiqq. Poleni. Georg. Grenii lib. de Villarum ſtructura, cap.* 5. *pag.* 744. *Tom.* 1. *Theſ. Antiqq. Sallengrii. Adr. Turnebi Adverſ. lib.* xxiv. *cap.* 4. *Lud. Coelii Rhodigini Antiqq. Lect. lib.* xii. *cap.* 18. *Alexandri ab Alexandro Dier. Genial. lib.* v. *cap.* 5. *Jo. Coraſii Miſcell. lib.* 1. *cap.* 14. *Henr. Salmuth notas* ad *Guid. Pancirolli Rer. Memor. lib.* 1. *cap.* 23. *pag.* 76. *Marcelli Donati Dilucid.* ad *Lamprid. pag.* 957. *ſeqq. Tom.* vi. *Theſ. Crit. Grut.* Interpretes ad *Sueton.* in *Claud. cap.* 10. & ad *Plin. lib.* ii. *Epiſt.* 17.

(*b*) Optulerunt] Locus eſt ex vetere Interprete *Vitae* Basilii M. cujus auctor vulgo S. Amphilochius perhibetur. Verba Graeca, uti leguntur in editione *Operum* S. Amphilochii, quae cura *Franc. Combefiſii* prodiit *Pariſ.* 1644. *fol. cap.* 5. *pag.* 174. ſunt: Οἱ δὲ ἀπαγαγόντες αὐτοὺς εἰς ἐπίσημον δίαιταν, πάντα τὰ πρὸς θεραπείαν προσέφερον. Quae Combefiſius ita vertit: *Ii autem, ad inſigne adductis coenaculum, quicquid fovendis erat, protulerunt.*

CAP. XIV. Quae hoc & ſequenti cap. afferuntur, latius explicant ſcriptores, qui de magiſtratibus eorumque inſignibus ex inſtituto commentati ſunt. Inprimis vero legi merentur, quae copioſiſſime hac de re affert *Ezech. Spanhemius de Praeſt. & Uſu Numismatum, Diſſ.* x. *pag.* 87. *ſeqq. Tom.* ii. *ed. Amſtel.* Confer etiam *Bened. Averanii Diſſert. ad Livium, num.* xxii. *pag.* 59. *ſeqq. T.* ii. *Opp.* ubi de inſignibus Regum, Conſulum, Caeſarum diligenter egit.

(*c*) Dicuntur] Vocantur etiam *Ornamenta*, non tantum in magiſtratibus municipalibus, juxta *L.* 15. §. 39. *D. de injur.* (conf. *Ever. Ottonis lib. de Aedil. Colon. & Mun. cap.* xi. §. 4. *pag.* 315. *ſeqq.*) ſed & in Romanis magiſtratibus. Saepiſſime enim legimus, Imperatores cuidam ornamenta conſularia, praetoria, aedilitia, quaeſtoria, conceſſiſſe. (vid. e. g. Suetonius in *Claud. cap.* 28.)

(*d*) Regibus] Id de ipſis tantum ſecuribus, non de numero eſt intelligendum: notum enim eſt, Reges duodecim olim contentos fuiſſe.

(*e*) Sex] Sed de numero faſcium, quibus Praetores utebantur, res adhuc dubia eſſe videtur. In provinciis quidem Praetores & Propraetores ſex faſcibus uſos fuiſſe, certum eſt: aſt in urbe Praetores duos tantum cum faſcibus lictores ſecum habuiſſe, multi eruditi ſtatuunt, ob teſtimonia Plauti in *Epid. Act.* 1. *ſc.* 1. *v.* 26. & Ciceronis in *Orat.* ii. *de lege agrar. cap.* 34. nec non ob plebiſcitum illud Plaetorium apud Censorinum *de die natali*, *cap.* 24. Cui tamen ſententiae contradicere videtur Valerius Max. loco infra ab auctore adducto. *Juſtus Lipſius Epiſtoll. Select. Cent.* 1. *Ep.* 5. dubium quidem hoc propoſuit, non vero ſolvit.

Ezech.

Cum tua biſſenos numeraret purpura faſces.

Idem *lib.* IV. *de Ponto*, *eleg.* IX. *v.* 3. ad Graecum Cos. deſignatum:

Miſſaque Dii faciant auroram occurrat ad illam,
Biſſenos faſces quae tibi prima dabit.

Qua & MARTIALIS compluries utitur, veluti *lib.* VII. *Epigr.* 62. *v.* 9.

Poſtquam biſſenis ingentem faſcibus annum
Rexerat, adſerto qui ſacer orbe fuit.

Et *lib.* VIII. *Epigr.* 66. de Conſulatu Silii:

Auguſtos pia thura, victimasque
Pro noſtro date Silio Camoenae.
Biſſenos jubet en redire faſces.

Et rurſus *lib.* IX. *Epigr.* 43. *v.* 6.

Biſſenos cito, me rogante, faſces
Det Stellae bonus, annuatque Caeſar.

De praetoriis faſcibus unicum VALERII MAXIMI teſtimonium ſufficiet, qui *lib.* I. *cap.* I. *ex.* 9. ita ſcribit: *Qui Praetor, a patre ſuo collegii Saliorum magiſtro juſſus, ſex lictoribus praecedentibus, arma ancilia tulit.* Totidem autem & Proconſulibus in provinciam euntibus faſces datos *lex* 14. *Proconſules. D. de offic. Proconſul.* tradit. (*a*) PLUTARCHUS in *Paulo Aemilio*, *pag.* 256. Ἐπὶ τοῦτον ὁ Αἰμίλιος ἐξεπέμφθη στρατηγὸς, οὐχ ἓξ ἔχων πελέκεις, ὅσους ἔχουσιν οἱ στρατηγοῦντες, ἀλλὰ προσλαβὼν ἑτέρους τοσούτους, ὥστε τῆς ἀρχῆς ὑπατικὸν γενέσθαι τὸ ἀξίωμα. *Ad hoc* (bellum ſcilicet in Hiſpania) *Praetor miſſus eſt Aemilius, non cum ſex faſcibus, quot Praetores habent, ſed additis ſex aliis, ut proconſulare ejus imperium declararetur.* At praeſides, qui nullo dum conſulatu geſto in provincias a Caeſaribus mittebantur, quinque (*b*) duntaxat faſcibus uſos, DION *lib.* LIII. *pag.* 505. his verbis docet: Ῥαβδούχοις τε δὴ πέντε πάντες ὁμοίως οἱ ἀντιστράτηγοι χρῶνται, καὶ ὅσοι γε οὐκ ἐκ τῶν ὑπατευκότων εἰσὶ, καὶ ὀνομάζονται ἀπ' αὐτοῦ τοῦ ἀριθμοῦ τούτου. τά τε τῆς ἡγεμονίας κοσμήματα, ὅταν ἐς τὴν προστεταγμένην σφισι χώραν ἐσέλθωσιν, ἑκάτεροι ὁμοίως ἀναλαμβάνουσι, καὶ ἐπειδὰν διαπράξωσιν, εὐθὺς κατατίθενται. *Omnes vero Propraetores, & qui non ſunt Proconſules, quinque utuntur lictoribus, nomenque ab hoc ipſo numero habent. Utrique autem imperii inſignia ſtatim, ac in provinciam ſuam venerint, accipiunt, perfunctique munere, ſtatim deponunt.* Atque ita Cappadociae equitem Romanum cum quinque lictoribus a Tiberio praefectum, idem auctor *lib.* LVII. *pag.* 614. narrat. (*c*) Proconſules certe ſtatim atque urbem egreſſi eſſent, inſignia ſua accepiſſe, nec prius depoſuiſſe, quam reverſi portam Romae ingreſſi eſſent, ex noſtris Jureconſultis conſtat. (*d*) *l.* I. & *l. ult. D. de offic. Proconſ.* Cae-

Ezech. Spanhemius vero loco laudato, *pag.* 104. *ſeqq.* probabilibus admodum rationibus probavit, omnes omnino Praetores & Propraetores, tam in urbe, quam extra urbem, poſterioribus ſaltem liberae reipublicae temporibus, ſex cum faſcibus lictores ſecum habuiſſe.

(*a*) TRADIT] Stante Republica libera Proconſules XII; Propraetores vero VI. faſcibus inſtructos fuiſſe, certum eſt. (Vide praeter locum PLUTARCHI ab auctore adductum, APPIANUM de *Bell. Syriac. pag.* 155. *al.* 95.) Sub Imperatoribus vero cum partim Conſulares, partim Praetorii in populi provincias mitterentur a Senatu, qui omnes vocabantur Proconſules, ad diſtinctionem eorum, qui in Caeſaris provincias ſub Propraetorum denominatione mitti ſolebant: differentia fuiſſe videtur inter Proconſules conſulares & praetorios, ut illi XII; hi VI faſcibus uterentur: id ſaltem ſignificare videtur DIO *lib.* LIII. *pag.* 504. ut locum acceperunt Viri Illuſtres, *Ez. Spanhemius l. c. pag.* 114. *ſeq.* & *Georg. Chriſt. Gebauerus* in *Progr.* eruditiſſimo *de differentia inter Proconſules & Legatos Caeſaris*, *pag.* 7. *ſeq.* Ad locum ULPIANI reſponderi poteſt cum viris laudatiſſimis, vel hoc poſtea fuiſſe mutatum, vel illum ad majorem Proconſulum numerum reſpexiſſe. Priorem conciliandi modum praeferrem, niſi obſtaret CYPRIANUS *Epiſt.* 16. (*al.* 37.) qui poſt ULPIANUM ſcripſit: poſteriori modo verba ipſa repugnare videntur: ſed cum cogito, nos non ipſa ULPIANI ſcripta habere, ſed verba tantum quaedam, quae Tribonianus excerpſit, lubens adquieſco, donec quis certiora proferat.

(*b*) QUINQUE] In omnibus quidem DIONIS *Codd.* legitur: πέντε: ſed jam *Guil. Xylander* in *not. pag.* 963. *ed. Leuncl.* cenſuit, legendum eſſe ἕξ, quia Dio *h. l.* ad notiſſimum nomen ἑξαπέλεκυς reſpicit, & de quinque lictoribus nuſquam aliquid legitur: quam emendationem poſt alios probarunt Viri Ill. *Spanhemius* & *Gebauerus ll. cc.* nec non Vir Cel. *Hermannus Samuel Reimarus*, qui eam ſe in textum quoque novae, quam adornat, editionis recepiſſe, litteris humaniſſimis teſtatus eſt.

(*c*) NARRAT] Non ſatis attente hunc DIONIS locum legit auctor: non enim Equiti Romano, qui Cappadociae praefectus fuit, quinque lictores attribuit: ſed viro illi praetorio, qui cum extraordinaria poteſtate in Aſiam miſſus fuit, ad urbes terrae motu concuſſas reſtaurandas. Ab hoc vero ad ordinarios Propraetores nulla valet conſequentia. Immo hoc ob ſingulares cauſas factum eſt. Quemadmodum enim ideo praetorius delectus fuit, *ne*, ut TACITUS *Annal. lib.* II. *cap.* 47. loquitur, *conſulari obtinente Aſiam, aemulatio inter pares, & ex eo impedimentum oriretur*: (quem locum Cel. *Reimarus* benigne mihi ſuggeſſit) ita etiam minor faſcium numerus ei attributus fuit, ne pari cum Proconſulibus & Propraetoribus poteſtate gauderet.

(*d*) CONSTAT] Propraetores vero non niſi in ipſa provincia inſignibus ſuis utebantur, ut ex loco laudato DIONIS patet. Caeterum de differentia inter Proconſules & Propraetores, ſive Legatos Caeſaris, poſt *Jac. Cujacium Obſerv. lib.* XX. *cap.* 37. *Juſtum Lipſium Excurſ.* ad *Tacit. Annal.*

Caeterum faſcium origo (*a*) a Romulo repetenda eſt, quem ſibi XII. lictores inſtituiſſe, LIVIUS *lib.* I. *c.* 8. & DIONYSIUS HALICARN. *lib.* II. *pag.* 99 & *lib.* III. *pag.* 196. conſentiunt, qui cum virgarum faſcibus ſecuri conjunctis anteirent: quos una cum caeteris regum inſignibus populus ad Coss. *Tarquinio* exacto tranſtulit, id modo cavens, ne dupliesrentur. Invidiae deinde ſummovendae cauſa, quam terror hic imperii ſpecieſque regiae dominationis concitabat, disjunxiſſe a faſcibus ſecures *Poplicola* fertur, primusque nudatos ſecuribus faſces in concione populo ſubmiſiſſe, ut a PLUTARCHO in *ejus vita*, *pag.* 102. DIONYSIO HALICARNASS. *lib.* V. *pag.* 292. QUINCTILIANO *lib.* III. *cap.* VII. (*al.* IX.) VALERIO *lib.* IV. *cap.* I. *ex.* I. & ab Auctore libelli *de Vir. illuſtrib. cap.* 15. proditum eſt. Quem morem poſteri quoque ſancte ſervarunt, adeo ut in urbe, ſolis virgis, quas ex *betula*, Gallica arbore, plerumque ſumtas PLINIUS *lib.* XVI. *cap.* 18. auctor eſt (*b*), Conſulares faſces (*c*), aliter atque Dictatorii (*d*), conſtarent: aptarentur vero alligarenturque tum demum ſecures, cum extra urbem, re ita exigente, cum imperio Coss. proficiſcebantur. Ex his faſcibus virgas ocyus jubente magiſtratu lictores expediſſe, hiſtorias legentibus tam notum eſt, ut exempla congerere putidae ſit diligentiae. Enimvero non apud utrumque ex Coss. ſimul faſces erant, ſed apud alterum tantum, idque alternis (*e*): primum quidem apud majorem natu ex inſtituto Publicolae, vel ex lege Julia de maritandis ordinibus (*f*) apud eum, qui plures liberos ſuſcepiſſet, ut eſt a GELLIO relatum *lib.* II. *cap.* XV. Quo autem menſe Conſul faſces non habebat, antiquo more eum accenſus praeibat, lictores (*g*) pone ſequebantur: quem morem renovaſſe in Conſulatu ſuo Julium Caeſarem, SUETONIUS in *ejus vita cap.* XX. commemorat. Extremum illud erit, ut omnia, quae de faſcibus ſciri intereſt, abſolvam, foribus Conſulum eos ſuſpendi ſolitos, iisque inde ſumtis lictores, qui domo egredienti Conſuli apparebant, obviam plebem ſummoviſſe, & fores, ſi quo ingrediendum Conſuli eſſet, pulſaſſe. Prius illud ex Auctore libelli *de Viris illuſt.* (*h*) *cap.* 20. poſterius hoc ex LIVIO *lib.* VI. *c.* 34. & PLINIO *lib.* VII. *cap.* XXX. & SOLINO *cap.* VI. (*al.* VII. *ed. Salmaſ. cap.* I.) plenius aliquando Deo faciente cum aliis, quae hic

Annal. lib. I. *lit.* M. *Auguſtinum Campianum de officio & poteſtate Magiſtratuum*, ad *Titt. de offic. Proconſ.* & *de offic. Praeſ.* doctiſſime & diligentiſſime egit Vir Ill. *Georg. Chriſt. Gebauerus* in peculiari *Programmate*, *ed. Gotting.* 1737.

(*a*) ORIGO] Faſcium originem plerumque ex Etruria repetunt ſcriptores: in ſpecie vero ex Vetulonia arceſſit SILIUS ITALICUS *lib.* VIII. *v.* 483.

(*b*) EST] PLAUTUS ſaepenumero ulmearum virgarum mentionem fecit; viminei vero faſces memorantur ab illo in *Epid. Act.* I. *ſc.* I. *v.* 26. Sed quemadmodum priores forſan in diſciplina domeſtica adhibebantur; ita fortaſſis a veritate non abhorret, ſi virgas ex betula ſub vimineis comprehendi poſſe ſtatuamus. Cui haec non placent, is dicere poteſt, Romanos hac in re pro diverſis temporibus variaſſe; vel PLINIUM intelligere de magiſtratibus coloniarum Gallicarum, praeeunte Viro Ampl. *Ever. Ottone de Aedil. Colon. & Munic. cap.* 12. §. 8. *pag.* 366. *ſeq.*

(*c*) FASCES] Multo minus ergo Praetores in urbe ſecures oſtentarunt, quod ne quidem monerem, niſi ea de re dubitaſſet celebris Galliae numiſmaticus, *Jo. Foy-Vaillant* in *Op. de nummis Famil. Rom.* ſed ideo refutatus fuit a laudato *Spanhemio l. c.* Extra urbem Praetoribus non minus quam Conſulibus ſecures praelatas fuiſſe, vel tironibus notum eſt.

(*d*) DICTATORII] Nam Dictatoribus viginti quatuor lictores, cum faſcibus & ſecuribus, in urbe etiam praecedebant. (vid. DIONYSIUS HAL. *lib.* V. *pag.* 338. & *lib.* X. *pag.* 650. Conf. *Ez. Spanhemius l. c. pag.* 171. *ſeqq.*)

(*e*) ALTERNIS] Menſibus ſcilicet plerumque. (Vid. DIONYS. HAL. *lib.* V. *pag.* 278. GELLIUS *lib.* II. *cap.* 15. & SUETONIUS in vita *Jul. Caeſ. cap.* 20.) Interdum vero alternis diebus faſces permutabantur. (Vid. POLYBIUS *lib.* III. *cap.* 110. LIVIUS *lib.* XXII. *cap.* 41. & 45.) Sed hoc vel in caſtris tantum aliquando fuit obſervatum, vel plane ſingulare aliquid fuit, ut innuere videtur PLUTARCHUS in *Fabio Max. pag.* 182. Fragmentum quidem ex Actis diurnis apud *Steph. Vinandum Pighium* in *Annal.* ad A. U. C. 585. *Tom.* II. *pag.* 376. *Thom. Reineſium Inſcript. Cl.* IV. *num.* 2. & apud *Henr. Dodwellum* in *Praelect. Camden. App. pag.* 665. (ubi hujus quoque annotationes hac de re *pag.* 668. *ſeq.* legi poſſunt) ſuadere videtur, morem illum, ſingulis diebus faſces permutandi, aliquando etiam in urbe obſervatum fuiſſe: ſed horum Actorum fidem, poſt *Reineſium*, ſolidis argumentis in dubium vocavit *Petrus Weſſelingius* in *Probabil. cap.* 39. *pag.* 355. *ſeqq.* Idem hoc nuperrime Lipſiae egiſſe Virum Cl. *Jo. Aug. Erneſti* peculiari ſcripto academico, ex novis litterariis Lipſienſibus, dum haec ſcribo, perſpexi.

(*f*) ORDINIBUS] *Cap.* VII. Confer Ill. *Heineccii Comment.* ad iſtam legem *Juliam & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 7. *pag.* 194. *ſeqq.* ubi multa quoque haud proletaria annotata invenies, quae ad illuſtrationem hujus capitis pertinent.

(*g*) LICTORES] Sine faſcibus; bacillis tamen fortaſſis inſtructi. Vellem vero SUETONIUM diſtinctius propoſuiſſe, quid ante Caeſarem hac in re obtinuerit, & quemnam praeciſe morem ille renovaverit.

(*h*) ILLUST.] Sed valde dubito, num ritus ille ex loco VICTORIS (qui auctor libelli *de viris illuſtribus* perhibetur) ab auctore adducto recte probari poſſit: ſine dubio enim locus ille ex aliis, qui eandem referunt hiſtoriam, ſcriptoribus de pulſu faſcium ad fores eſt interpretandus. Poteſt tamen ritus ille ex aliis veterum locis probari: v. g. ex PETRONII *Satyr. cap.* 30. & ex CLAUDIANI *Carm. de Conſul. Olyb. & Prob. v.* 233. & *de Conſul.* IV. *Honorii*, *v.* 416.

hic conſulto omitto, demonſtrabo (*a*). Ad reliqua inſignia magiſtratuum gradum vertamus.

CAP. XV.

De ſellis & praetextis magiſtratuum.

In inſignibus magiſtratuum a PRUDENTIO ſellae numerantur: de quibus ut tractemus, ille quoque ULPIANI, qui nos in hunc ſermonem adduxit, locus monet, in quo ſellae Praetoris fit mentio *d. l.* 1. §. 5. *caſum. D. de poſtulan.* Sedebant vero & Coss. & Praetores & Aediles praetextati in ſellis curulibus, quemadmodum LIVIUS initio *lib.* VII. docet his verbis: *Non patientibus tacitum Tribunis plebis, quod pro Conſule uno plebejo, tres patricios magiſtratus,* (Praetorem & Aediles duos intelligit) *curulibus ſellis praetextatos, tamquam Coss. ſedentes, nobilitas ſibi ſumſiſſet.* Ac Conſularium quidem ſellarum SUETONIUS in *Claudio cap.* XXIII. meminit: ſed & CICERO *lib.* VII. *Epiſt.* 30. *ad Curium*, comitiis quaeſtoriis inſtitutis ſellam Q. Maximi Conſulis in campo poſitam narrat. Sella autem curulis magiſtratuum plerumque ex ebore fiebat. Hoc OVIDIUS *lib.* V. *Faſt.* *v.* 51. indicat.

> *Illa*, ait, *datos faſces commendat, eburque curule,*
> *Illa coronatis alta triumphat equis.*

Idem *lib.* 1. *Faſt. v.* 81.

> *Jamque novi praeeunt faſces, nova purpura fulget,*
> *Et nova conſpicuum pondera ſentit ebur.*

Idem *de Ponto lib.* IV. *eleg.* V. *v.* 17. de Graeciano:

> *Aut reget ille ſuos dicendo jura Quirites,*
> *Conſpicuum ſi quis cum premet altus ebur.*

STATIUS PAPINIUS in *Sylvis*, *lib.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 179.

> —— *Purpureos habitus juvenique curule.*
> *Indulgebit ebur.* ——

In ſella vero curuli etiam Praetorem jus dixiſſe, praeter *d. l.* 1. §. 5. *caſum. D. de poſtul.* VARRONIS *verba* ex *lib.* II. *de vita populi Rom. a Nonio lib.* XII. *n.* 4. relata docent. *Aelius Paetus, cum eſſet praetor urbanus, & ſedens in ſella curuli jus diceret populo, Picus Martius advolavit, atque in capite ejus adſedit.* QUINCTILIANUS *lib.* VI. *cap.* 4. *Marcus Caelius praetor, cum ſellam ejus curulem Conſul Iſauricus fregiſſet, alteram poſuit loris intentam.* VALERIUS *lib.* III. *c.* V. *ex.* I. *Quamquam quid interfuit, utrum repulſam, an ſic adeptam Praeturam domum referret? quam cum propinqui ab eo pollui animadverterent, id egerunt, ne aut ſellam ponere, aut jus dicere auderet.* MARTIALIS *lib.* XI. *Epigr.* 99. *v.* 17.

> *Sedeas in alto tu licet tribunali,*
> *Et e curuli jura gentibus reddas.*

Aediles quoque curules eadem ſella inſignitos, & nomen ipſum, & Gnaei Flavii hiſtoria, a LIVIO *lib.* IX. *c. ult.* & a GELLIO *lib.* VI. *cap.* 9. relata ſatis docet. Ex ſella vero jus Tribuni plebis non dicebant, ut PLUTARCHUS ἐν Αἰτίοις ſive *Quaeſt. Rom. cap.* 80. (*al.* 81.) *pag.* 283. ſcribit: in eo cap. quoque ait, cur praetexta Tribuni non utantur. Ex quo arguit magiſtratum non eſſe. ASCONIUS in *Divinat. cap.* 15. *pag.* 34. *Subſellia*, ait, *ſunt Tribunorum, Triumvirorum, Quaeſtorum, & hujuſmodi minora judicia exercentium, qui non in ſellis curulibus, nec tribunalibus, ſed in ſubſelliis conſidebant.* OVIDIUS *lib.* IV. *de Ponto Eleg.* IX. *v.* 27.

> *Signa quoque in ſella noſſem formata curuli,*
> *Et totum Numidae ſculptile dentis opus.*

Unde autem ſellae curulis nomen manaverit, idem GELLIUS *lib.* III. *cap.* 12. declarat, ex Baſſo narrans, veterum aetate, Senatores, qui curulem magiſtratum geſſiſſent, curru ſolitos honoris gratia in curiam vehi: in quo curru ſella eſſet, ſupra quam conſiderent: unde Curulis appellaretur. Quod & ISIDORUS *lib.* XX. *Etymolog. cap.* 11. paulo planius atque pinguius expoſuit (*b*). Venio nunc ad praetextam, qua praetores olim ornatos fuiſſe, SUETONIUS in *Julio cap.* 16. indicat, cum de praetura Caeſaris agens ſic ait: *Ac nihilominus permanere in magiſtratu ac jus*

(*a*) DEMONSTRABO] Quod tamen, quantum ſcio, non praeſtitit. Confer interim de lictoribus & faſcibus, praeter ſcriptores laudatos, *Alexandr. ab Alexandro Dier. Gen. lib.* 1. *cap.* 27. *Juſti Lipſii Elector. lib.* 1. *cap.* 23. *Caſp. Sagittarii libr. de Januis vet. cap.* 33.

(*b*) EXPOSUIT] Verba ejus ſunt: *Sellae curules erant, in quibus magiſtratus ſedentes jura reddebant. Dictae autem curules, quia apud veteres Praetores & Conſules propter itineris longinquitatem curru forum provehebantur, ſellae autem, quae poſt eos vehebantur, quibus ſedentes dicere jura ſolebant, a curru curules ſellae ſunt nominatae.* De ſella curuli (cujus figura ſaepiſſime in nummis conſpicitur) copioſiſſime egerunt *Valer. Chimentell.* in *Op. de honore biſellii*, quod recuſum eſt *Tom.* VII. *Theſ. Antiqq. Graevii*, & *Jo. Schefferus* in *Op. de re vehiculari veterum*, (recuſo *Tom.* V. *Theſ. Antiqq. Poleni*) *lib.* II. *cap.* 16.

jus dicere auſus, ut comperit paratos, qui vi ac per arma probiberent, dimiſſis lictoribus, abjectaque praetexta, domum clam refugit. Fit & de aedilitia praetexta ſermo a Plinio *lib.* ix. *cap.* 39. & a Cicerone (*a*) in *Orat. contra Vatin. cap.* 7. Triumviris epulonibus, ut & Pontifici, lege datum togae praetextae habendae jus, Livius *lib.* xxxiii. *cap.* 28. (*al.* 44.) ſcribit (*b*).

CAP. XVI.

De ſenatoriis ornamentis.

Speciofas perſonas accipere debemus clariſſimas perſonas utriuſque ſexus: item eorum, qui ornamentis ſenatoriis utuntur. l. 100. *ſpecioſas. D. de Verbor. Signific.* Duo locus hic, ut explicemus, deſiderat: unum, quae olim clariſſimae perſonae appellarentur: alterum quo habitu ac veſtitu corporis Senatores uterentur, qualia Senatoria ornamenta eſſent. Quorum utrumque non ad ejus loci modo, ſed & aliorum multorum intelligentiam ſciri neceſſe eſt. Clariſſimorum nomine Senatores olim ornabantur, ut oſtendit *l.* 5. *curator. D. de cur. fur.* in qua ita eſt: *Curator Senatuſconſulto conſtituitur, cum clara perſona, veluti Senatoris, vel uxoris ejus, in ea cauſa ſit, ut ejus bona venire debeant.* Feminae enim, matrimonio cum Senatore contracto, clariſſimarum nomen ſortiebantur. *l.* 8. *feminae. D. de ſenatorib. l.* 10. *cum te. C. de nupt.* quomodo clariſſimam factam per maritum in *l.* 22. *filii.* §. 1. *D. ad municipal.* interpretamur eam, quae ſenatori nupſerit. Sic & Lampridius in *Heliogab. c.* 4. *Soluſque omnium Imperatorum fuit, ſub quo mulier, quaſi clariſſima, loco viri, ſenatum ingreſſa ſit.* Nec vero aliis, quam qui ex ſenatorio ordine, vel ſenatoria dignitate donati eſſent, clariſſimi titulum primum collatum puto. Atque ita claram dignitatem in *l.* 23. *non eſt veriſimile. D. Quod met. cauſ.* & clariſſimos viros accipi oportere cenſeo in *l.* 18. *deferre.* §. 1. *D. de jure fiſci.* & in *l.* 52. *ſed & ſi ſuſcepit.* §. 2. *ſed & ſi propoſuit. D. de judic. l.* 16. *cum tabulis.* §. 1. *D. de bis, quae ut indig. l.* 12. *cuſtodias. D. de public. jud. l.* 35. *patronus. D. de legat.* iii. Lampridius in *Alex. Sev. c.* 21. *Praefectis praetorio ſuis ſenatoriam addidit dignitatem, ut viri clariſſimi & eſſent & dicerentur.* Et erat certe ſenatoria dignitas omnium, quae tunc temporis erant, clariſſima, vel ipſius *Hadriani* teſtimonio, quem Spartianus in *ejus vita, c.* 8. ſcribit ſenatus faſtigium in tantum extuliſſe, ut cum Tatianum ex praefecto praetorii ornamentis conſularibus praeditum faceret ſenatorem, nihil ſe amplius aut majus habere, quod in eum conferret, teſtatus ſit. Poſtea Praeſidibus omnibus provinciarum, & Magiſtris cenſus, & Principibus agentium in rebus, & aliis multis clariſſimorum titulus tributus, vileſcere ſenſim coepit, ut videre eſt in recentiorum Impp. conſtitutionibus. Nunc ad ſenatoria ornamenta tranſeamus, in quibus latus clavus praecipue ponitur, quo ab Equeſtri ordine ſenatorium diſtinctum Plinius *lib.* xxxiii. *cap.* 1. & Lampridius in *Alexand. c.* 27. docent. Hinc illud Ulpiani in *Inſtit. tit.* vii. §. 1. *Hoc amplius principalibus conſtitutionibus conceſſum eſt mulieri in hoc donare viro ſuo, ut is ab Imperatore lato clavo, vel equo publico honoretur.* Quibus verbis utriuſque ordinis diſcrimen notat. Id enim ipſum ita Cajus effert in *l.* 42. *nuper. D. de donat. inter vir. Nuper ex indulgentia principis Antonini recepta eſt alia cauſa donationis, quam dicimus honoris cauſa, ut ecce ſi uxor viro laticlavii petendi gratia donet, vel ut equeſtris ordinis fiat.* Hinc etiam Augusto ſumenti virilem togam, cum tunica lati clavi reſuta ex utraque parte ad pedes decidiſſet, ominis loco quosdam interpretatos Suetonius in *ejus vita c.* 94. tradit, futurum, ut is ordo, cujus id inſigne eſſet, ei quandoque ſubjiceretur. Idemque *eod. loc. cap.* 38. auctor eſt, Senatorum liberis, quo celerius Reip. aſſueſcerent, protinus a virili toga latum clavum inducre & curiae intereſſe ab eodem principe permiſſum. Idem & in *Claud. cap.* 24. ſic ait: *Latum clavum, quamvis ab initio adfirmaſſet, non lecturum ſe ſenatorem niſi civis Roman. eſſet, libertino tamen tribuit.* Habebat vero clavus ſenatorius latiorem purpuram, ut ex Plinii *cap.* jam a me citato, & *lib.* ix. *c.* 36. colligimus: de cujus forma & aliquid ex Quinctiliano *lib.* xi. *cap. ult.* elici poteſt (*c*). Erat praeterea in calceamentis magna inter ſenatorium & equeſtrem ordi-

(*a*) Cicerone] Eſt adhuc notandus locus Ciceronis *Accuſat. in Verrem, lib.* v. *cap.* 14. An & quatenus inferiores Aedilibus magiſtratus praetextae gerendae jus habuerint, altioris indaginis quaeſtio eſt, quam aliis excutiendam relinquo. De praetexta magiſtratuum municipalium interim legi poteſt Viri Excell. *Ever. Ottonis* liber *de Aedilibus coloniarum & municipiorum, cap.* xi. §. 5. *pag.* 319. *ſeqq.*

(*b*) Scribit] Ex ſacerdotibus praeterea hoc jure gaudebat Flamen Dialis, juxta Livium *lib.* xxvii. *cap.* 8. & fortaſſis etiam Rex Sacrificulus.

Cap. XVI. Ad hoc caput conferri poſſunt ſcriptores, qui ex inſtituto tum de Senatu Romano, tum etiam de re veſtiaria ſcripſerunt. Vide etiam *Guil. Budaei Annotat. ad Pandect.* ad *l. ult. de ſenat. fol.* 54. *Guid. Pancirolli Rer. Memorab. lib.* 1. *cap.* 44. ibique *Henr. Salmuth.* notas. De titulo Senatorum *Clari* & *Clariſſimi* peculiari Epiſtola gratulatoria egit *Caſp. Henr. Starcke, Lubecae* 1735. 4.

(*c*) Poteſt] Tunicam laticlaviam & anguſticlaviam optime deſcripſiſſe videtur *Albertus Rubenius*, cujus hac de re ſententiam defendit & eru-

ordinem differentia. (*a*) Patricii enim calcei, quos veteres, *Mulleos*, FESTO *h. v.* teſte, appellabant, (unde & Mulleolos calceos TERTULLIANUS in *lib. de Pallio cap.* 4. appellavit) lunae impreſſam effigiem habebant. Unde MARTIALIS, JUVENALIS, STATIUS PAPINIUS lunatam pellem, & patriciam lunam dixere (*b*). Hinc CICERO XIII. in *Anton. orat. c.* 13. de quodam in ſenatum repente adlecto: *Eſt etiam Aſinius quidam ſenator voluntarius lectus ipſe a ſe. Apertam curiam vidit poſt Caeſaris mortem. Mutavit calceos: pater conſcriptus repente factus eſt.* HORATIUS *Sat.* VI. *lib.* I. *v.* 27.

Nam ut quiſque inſanus nigris medium impedit crus
Pellibus, & latum dimiſit pectore clavum.

Id eſt, poſtquam in ſenatum adlectus eſt. Unde colligi poteſt, ad medium crus productos fuiſſe calceos ſenatorum. Hujus vero lunati calceamenti variae a PLUTARCHO in *Problemat.* (*c*) cauſae adferuntur, probabilior reliquis illa eſt, quam ISIDORUS *lib.* XIX. *Etymolog. cap. ult.* & ZONARAS *tom.* II. *lib.* VII. *pag.* 328. ſequuntur, ut dicamus, a Romulo inſtitutos patriciorum calceos fuiſſe, adſuta lunae figura, quae in eis non ſideris formam, ſed notam centenarii numeri ſignificabat, quia initio centum Senatores erant. Atque haec inſignia veſtium quibuſdam ſenatu a ſe motis *Auguſtum* conſervaſſe, TRANQUILLUS in *ejus vita. c.* 35. refert (*d*): quibuſdam etiam, priuſquam in ſenatum lecti eſſent, a *Claudio* tributa, DION *lib.* LX. *pag.* 680. auctor eſt, Praefectisque praetorio ab Imperatoribus plerumque data, LAMPRIDIUS in *Alex. Sev. cap.* 21. cum aliis teſtatur.

CAP. XVII.

De praemiis delatorum, eorumque coërcitione.

Inter caeteras, quae ab accuſando repellunt, cauſas, quoſdam propter turpem quaeſtum ſummoveri traditur: quales ſunt, qui duo judicia

& confirmavit *Jo. Georg. Graevius* in *Praefat.* ad *Tom.* VI. *Theſauri Antiqq. Rom.* quae etiam legi poteſt ioter ejus *Praefatt. & Epiſtoll.* a *Jo. Alb. Fabricio* noſtro editas, *pag.* 350. *ſeqq.*

(*a*) DIFFERENTIA] Triplicem obſervavi apud Romanos differeotiam ratione calceamentorum virilium: (1) inter Senatores & reliquos cives, quae in altitudine praecipue conſtitiſſe videtur. Vid. CICERO *Philipp.* XIII. *cap.* 13. HORATIUS *Serm. lib.* I. *Sat.* 6. *v.* 27. ubi ACRON ita commeotatur: *Circumdedit medium crus ideo dicit, quia altiores ſunt calcei ſenatorum.* Scholiaſt. JUVENALIS ad *Sat.* I. *v.* 111. (2) Inter patricios & plebejos, quae in lunula patriciorum calceis adſuta praecipue conſiſtebat: ut teſtantur Scholiaſtes JUVENALIS ad *Sat.* VII. *v.* 192. & ISIDORUS *Origg. lib.* XIX. *cap.* 34. his verbis: *Patricios calceos Romulus reperit, quatuor corrigiarum, adſutaque luna. Iis ſoli Patricii utebantur. Luna autem in eis* non *ſideris formam, ſed notam centenarii numeri ſignificabat, quod initio patricii ſenatores centum fierent.* (3) Inter illos, qui magiſtratum curulem geſſerunt, & reliquos, quae in colore conſtitiſſe videtur. Vid. FESTUS *voc. mulleos*, ibique interpretes: nec non ISIDORUS, qui *loco cit.* ita loquitur: *Mullei ſimiles ſunt cothurnorum ſolo alto: ſuperiori autem parte cum oſſeis, vel aereis malleolis, ad quas lora deligabantur. Dicti autem ſunt a colore rubro, qualis eſt mulli piſcis.* Piſces autem hos a colore mulleorum calceamentorum nomen accepiſſe, putat FENESTELLA apud *Plinium Hiſt. Nat. lib.* IX. *cap.* 17. Haec ad confuſiooem evitandam (a qua auctor ooſter non immonis eſt) adſcribere tantum volui: plura vero dabunt illi, qui de calceis Romanorum ex ioſtituto ſcripſerunt: quo etiam pertinet *Alb. Rubenius*, qui *lib.* II. *de re veſtiaria, capitibus quinque prioribus*, late ac diſtiocte hac de re egit: cum quibus tamen jungenda ſunt, quae diſſerit *Octav. Ferrarius* in *Analectis de re veſtiar. cap.* 32. *ſeqq.* Legi etiam merentur, quae hac de re affert *Octavius Gentilius* in libro *de Patritiorum origine, varietate, praeſtantia & juribus*, edito *Romae* 1736. 4. qui *lib.* I. *cap. ult.* de patritiorum indumentis & ornatu egit. De mulleis in ſpecie vide *Marcelli Donati Dilucid.* ad *Flav. Vopiſc. pag.* 1040. *Tom.* VI. *Theſ. Crit. Grut. Adriani Turnebi Adverſ. lib.* XIX. *cap.* 24. *Cl. Salmaſii not.* ad *Tertull. de Pall. cap.* 5. Triumphantes etiam peculiaribus calceis uſi fuiſſe videntur, (vid. PLUTARCHUS in *Marcell. pag.* 310.) qui in *Inſcript.* quadam, in honorem Marii poſita, *calcei punicei* vocantur, de quibus alia occaſione diceodum.

(*b*) DIXERE] Loca huc ſpectantia exſtant apud MARTIALEM *lib.* I. *Epig.* 50. *v.* 31. & *lib.* II. *Epig.* 29. *v.* 7. apud JUVENALEM *Sat.* VII. *v.* 192. apud STATIUM denique *Sylvas. lib.* V. *Sylv.* 2. *v.* 28.

(*c*) IN PROBLEMAT.] *Num.* 75. vel ſecundum alios 76. *pag.* 282. ubi conferri poteſt *Boxbornii Comment. pag.* 126. *ſeqq.* io quo de forma harum luoularum accurate diſputatur. Adde *Jac. Nic. Loënſis Miſcell. Epiphyll. lib.* IV. *cap.* 25. & *lib.* V. *cap.* 2. qui inprimis explicare voluit locum notabilem PHILOSTRATI in vita *Herodis Attici, lib.* II. *de vitis Sophiſtar. num.* 1. §. 8. cum quo confer *Dedicationem ſtatuae Regillae*, uxoris Herodis Attici, quam cum notis edidit *Cl. Salmaſius*, & deinde *Suppl.* ſuis *Theſ. utriusque Antiqq.* inſeruit *Jo. Polenus*, *Tom.* II. *pag.* 672. *ſeqq.* Vide etiam *notas* ad ZONARAE *loc. cit. pag.* 15. *ed. Pariſ.*

(*d*) REFERT] Item DIO CASSIUS *lib.* LIV. *pag.* 530.

CAP. XVII. Varia, quae ad hujus capitis illuſtrationem pertioent, legi poſſunt in *Franc. Polleti Hiſtoria Fori Romani*, *lib.* IV. *cap.* 2. *Juſti Lipſii not.* ad *Suet. Titum*, *cap.* 8. *pag.* 284. *ed. Burm. Jac. Cujacii Obſervat. lib.* XIX. *cap.* 3. *Jo. Gottl. Heineccii Comment.* ad *L. Jul. & Pap. Popp. lib.* III. *cap.* 10. *Henr. Brencmanni libr. de Lege Remmia*, qui *Tom.* III. *Theſ. Juris* reperitur.

dicia adverſus duos ſubſcripta habent. *l.* 8. *qui accuſare. D. de accuſat.* Quaeret hic aliquis, in quo ille turpis quaeſtus verſetur: quod facillime expediet, qui didicerit, accuſatoribus olim ac delatoribus praemia conſtituta, quorum dulcedine ad accuſandum pelliciebantur (*a*). Quod & *l.* 2. *D. de jure fiſ.* oſtendit, & QUINCTILIANUS *Inſtit. Orat. lib.* III. *cap.* 10. (*al.* 12.) cum inter delatores nonnunquam certari ait, uter praemium meruerit: & *lib. ult. cap.* 7. cum ad deferendos reos praemio duci proximum latrocinio eſſe ait. TACITUS *lib.* VI. *Annal. c.* 47. *Laelius Balbus Acutiam, P. Vitellii quondam uxorem, majeſtatis poſtulaverat, qua damnata, cum praemium accuſatori decerneretur, Junius Otho Trib. pleb. interceſſit.* Idemque auctor *lib.* IV. *Annal. c.* 30. de praemiis accuſatorum abolendis, ſi majeſtatis poſtulatus ante judicium perfectum ſe ipſe vita privaſſet, in Senatu actum ſcribit. *Ibaturque*, ait, *in eam ſententiam, niſi durius, contraque morem ſuum palam pro accuſatoribus Caeſar, irritas leges, Remp. in praecipiti, conqueſtus eſſet; ſubverterent potius jura, quam cuſtodes eorum amoverent.* Et ita, concludit, hos delatores, genus hominum publico exitio reip. creſcens, per praemia eliciebant. ASCONIUS in *orat. pro Milone pag.* 205. *Milo —— poſtera die factus reus ambitus apud Manlium Torquatum, abſens damnatus eſt. Illa quoque lege accuſator fuit ejus Appius Claudius, &, cum ei praemium lege daretur, negavit ei.* Et mox: *Poſt paucos quoque dies Milo apud Favonium Quaeſtorem de ſodalitiis damnatus eſt, accuſante P. Fulvio Nerato, cui lege praemium datum eſt.* Praemia vero haec partim legibus ipſis, ex quibus crimen intendebatur, definita erant; partim aeſtimatione arbitrioque ejus, qui de crimine cognoviſſet, conſtituebantur. Veluti lege Cornelia, ad SC. Silanianum pertinente, de praemio accuſatorum, qui ſervos ante quaeſtionem de familia habitam fuga elapſos conquiſiſſent & renuntiaſſent, hoc cavebatur, ut in ſingulos ſervos, quos conviciſſent, quinque aureos ex bonis occiſi; aut ſi inde redigi ea quantitas non poſſet, ex publico acciperent. *l.* 25. *lege Cornelia. D. de SC. Silan.* In eo quoque Senatuſconſulto, quod a FRONTINO *lib.* II. *de Aquaeductib.* refertur, praemium accuſatori conſtituitur dimidia pars ejus, quo condemnabitur is, qui in Senatuſconſultum commiſerit. Lege etiam repetundarum quartam bonorum rei, pro praemio accuſatoribus conceſſam, TACITUS *lib.* IV. *Annal. c.* 20. indicat. (*b*) Sed & Papiae legis delatorum praemia ad quartas a Nerone redacta, SUETONIUS in *ejus vita cap.* X auctor eſt, unde vulgare praemium interpretandum aliquando ſuſpicatus ſum, in *l.* 13. *edicto.* §. 5. *D. de jure fiſc.* ad differentiam ejus; quod edicto Trajani his, qui ſe deferunt, tribuitur, quod uberius eſt, & dimidiam bonorum continet. At in eo Senatuſconſulto, quod in eos factum eſt, qui ἐπιγράμματα, aliudve quid ſine ſcripto in notam aliquorum produxerint, pro modo ſubſtantiae accuſatae perſonae, aeſtimatione judicis, ei, qui indicaverit, pretium conſtitui jubetur. *l.* 5. *lex Cornelia. in fin. D. de injur.* Secundum haec accuſatoribus Eprio & Coſſutiano quinquagies H. S. ſingulis, Oſtorio, duodecies decreta apud TACITUM *lib.* XVI. *Annal. c.* 30. legimus. Hoc vero quaeſtu cum multi turpiter vitam tolerarent, temporumque licentia ad calumnias abuterentur, exilio, gravioribusque aliis poenis id genus hominum a Tito, Domitiano, Trajano, adfectum eſſe, hiſtoriarum monumentis proditum eſt. TRANQUILLUS in *Tito cap.* 8. *Inter adverſa temporum, delatores, mandatoresque erant ex licentia veteri. Hos adſidue in foro flagellis ac fuſtibus caeſos, ac noviſſime traductos per amphitheatri arenam, partim ſubjici in ſervos ac venire imperavit, partim in aſperrimas inſularum avehi.* XIPHILINUS in *Tito lib.* LXVI. *pag.* 754. τάς τε μηνυτὰς ἐξήλασεν ἐκ τῆς πόλεως. *Delatores quoque ex urbe expulit.* Domitianum quoque fiſcales calumnias magna calumniantium poena repreſſiſſe, TRANQUIL-

(*a*) PELLICIEBANTUR] Primus hoc feciſſe videtur ultimus Romanorum Rex, Tarquinius Superbus, de quo DIONYSIUS HAL. *lib.* IV. *pag.* 245. narrat, eum accuſatoribus partem quandam ex bonis damnatorum attribuiſſe. Tempore liberae reipublicae juvenes nobiles ſaepe ſibi per accuſationem potentis cujusdam viri aditum ad honores parabant, ut ex innumeris veterum locis probari poteſt. Fuerunt & alia accuſatorum praemia, (vid. CICERO *de Invent. lib.* II. *cap.* 37. *Accuſ. in Verr. lib.* III. *cap.* 1. *pro Roſc. Amer. cap.* 19. *ſeqq. pro Cluent. cap.* 36. & 41. *pro Balbo, cap.* 23. *ſeqq.*) quae nunc excutere non eſt animus. Singulare fuit inventum *Cn. Pompeji Magni*, qui A. U. C. 702. ſolus Conſul conſtituit, ut is, qui duos reos, vel eadem de cauſa, vel minori etiam, quam cujus ipſe damnatus erat, peregiſſet, aut unum majoris criminis conviciſſet, delicti ſui veniam conſequeretur. (Vid. DIO CASSIUS *lib.* XL. *pag.* 145.) Sub Imperatoribus Accuſatorum & Delatorum praemia, in cauſa praeſertim Majeſtatis, aucta valde fuiſſe, notiſſimum eſt. Ea duplicis potiſſimum generis erant: vel enim in pecunia, vel in honoribus conſiſtebant: (Vid. TACITUS *Annal. lib.* II. *cap.* 32. ibique Interpp.) de quibus alio tempore accuratius agam, id unicum annotaſſe contentus, interdum etiam teſtibus praemia decreta fuiſſe. (Vid. SUETONIUS in *Tib. cap.* 61.)

(*b*) INDICAT] Dubium tamen adhuc eſt, utrum ibi ſermo ſit de lege repetundarum, an vero de lege majeſtatis. (Vide *Interpp.* ad *h. l.*) Caeterum de hac quarta bonorum parte, quae plerumque pro praemio fuit accuſatoribus, nomen Quadruplatorum originem habere videtur: (Vid. ASCONIUS in *Cic. Orat. pag.* 26. *ſeq.* & 116. & conf. *Georg. d'Arnaud Conject. lib.* II. *cap.* 18.)

QUILLUS in *ejus vita c.* 9. refert, & hanc ejus vocem celebratam: *Princeps, qui delatores non caſtigat, irritat.* Quo nomine ei MARTIALIS his verſibus gratulatur *libr. Spectacul. Epigr.* 4.

Turba gravis paci, placidaeque inimica quieti,
Quae ſemper miſeras ſollicitabat opes,
Tradita Getulis, nec cepit arena nocentes:
Et delator habet, quod dabat exilium.
Exulat Auſonia profugus delator ab urbe.
Impenſis utinam principis annumeret.

Eandem poenam delatoribus Trajanum inflixiſſe, PLINIUS in *Panegyrico c.* 34. docet, cujus verba ipſa, quia elegantia ſunt, hic poſui: *Vidimus*, ait, *delatorum judicium, quaſi graſſatorum, quaſi latronum. Non ſolitudinem illi, non iter, ſed templum, ſed forum inſederant: nulla jam teſtamenta ſecura, nullus ſtatus certus, non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum Principum avaritia. Advertiſti oculos, atque ut ante caſtris, ita poſtea pacem ſoro reddidiſti, excidiſti inteſtinum malum.* & mox: *Congeſti ſunt in navigia raptim conquiſita, ut tempeſtatibus dediti, abirent, fugerentque vaſtatas delationibus terras.*

CAP. XVIII.

De Procuratoribus Caeſaris.

Procurator Caeſaris inter fiſcum duntaxat & privatos jus dicebat: in lite privatorum idoneus competensque judex non erat. *l.* 1. *C. de juriſdict. om. jud.* Ideoque a procuratore Caeſaris, qui partibus praeſidis non fungatur, inutiliter in cauſa privatorum judicem dari, a PAPINIANO in *l.* 23. *ex conſenſu.* §. 1. *D. de appellat.* reſponſum eſt, & a GORDIANO reſcriptum in *l.* 1. *C. de pedan. judicib.* Nam cum vice praeſidis fungebantur, quod uſu veniſſe interdum, praeter ſupetiores locos, etiam *l.* 2. *C. de poen. l.* 3. *C. Ubi cauſae fiſcal. l.* 4. *C. ad leg. Fab. de plagiar.* comprobant, tum procul dubio de omnibus cauſis, quae in provincia incidiſſent, cognoſcebat. Verum hunc ingreſſi de procuratoribus Caeſarum dicendi campum, reliqua, quae ad eos pertinent, exequamur. Primum autem ponendum eſt, ex Equeſtri ordine eos legi conſueviſſe (*a*), quod TACITUS in *Agricolae vita c.* 4. indicat. *Utrumque*, ait, *avum procuratorem Caeſarum habuit, quae Equeſtris nobilitas eſt.* Lecti deinde fiſcalium rationum cauſa in provincias mittebantur, vel rerum omnium provinciae, vel certarum procuratione mandata. *l.* 32. *abeſſe.* & *l.* 35. *qui mittuntur.* §. 2. *D. Ex quib. cauſ. major.* Et initio quidem non aliae eorum partes erant, quam ut vectigalia colligerent, & fiſci jura tuerentur, aequoque cum privatis judicio perſequerentur (*b*). Paulatim juriſdictio his attributa eſt, ut ſuum proprium fiſcales cauſae judicem haberent. DION *lib.* LVII. *pag.* 618. Καπίτωνα, ait, τὸν τῆς Ἀσίας ἐπιτροπεύοντα ἐς τὸ συνέδριον ἐσήγαγε, καὶ ἐγκαλέσας αὐτῷ, ὅτι στρατιώταις ἐχρήσατο, καὶ ἄλλα τινά, ὡς καὶ ἀρχὴν ἔχων, ἔπραξεν, ἐφυγάδευσεν. οὐ γὰρ ἐξῆν τότε τοῖς τὰ αὐτοκρατορικὰ χρήματα διοικοῦσι πλέον οὐδὲν ποιεῖν, ἢ τὰς νενομισμένας προσόδους ἐκλέγειν, καὶ περὶ τῶν διαφορῶν ἔν τε τῇ ἀγορᾷ καὶ κατὰ τοὺς νόμους ἐξ ἴσου τοῖς ἰδιώταις δικάζεσθαι. *Capitonem, Aſiae Procuratorem, in ſenatum introduxit, objiciensque ei, quod militibus uſus fuiſſet, quodque alia nonnulla, velut in provincia imperium habens, geſſiſſet, in exilium illum ejecit. Nec enim eo tempore imperatorias pecunias tractantibus aliud facere licebat, quam ut reditus uſitatos colligerent, deque litibus in foro juxta leges inſtar privatorum jus dicerent* (ſive potius *perſequerentur*). Claudium plane TRANQUILLUS in *ejus vita c.* 12. refert, precario exegiſſe, ut rata eſſent, quae procuratores ſui in judicando ſtatuerent (*c*). Accepta ergo a Principibus judicandi poteſtate, de pecuniariis, quae inter fiſcum & privatos movebantur, controverſiis, procuratores in provinciis cognoſcebant. *l.* 2. *C. Si adverſ. fiſc. l.* 8. *cum hi.* § 19. *tranſactiones. D. de tranſaction. l.* 10. *ſi heredum. C. de inoffic. teſtam.* Unde ULPIANUS de officio Proconſulis agens: *Sane*, inquit, *ſi fiſcalis pecuniaria cauſa*

CAP. XVIII. Ad hoc caput praeter ſcriptores de magiſtratibus & officiis domus Auguſtae, nec non Interpretes ad *tit. Pand. de offic. Procurat. Caeſ.* (quo pertinet inprimis *Auguſtini Campiani lib. de officio & poteſtate magiſtratuum, cap.* 126. *ſeq. pag.* 418. *ſeqq.*) confer *Marcelli Donati Dilucid.* ad *Sueton. pag.* 640. *Tom.* VI. *Theſ. Crit. Grut. Jac. Cujacii Obſerv. lib.* XIX. *cap.* 13. *Juſti Lipſii Excurſ.* ad *Taciti Annal. lib.* XII. *lit.* B. *Cornelii van Bynkershoek Obſervatt. Jur. Civ. lib.* II. *cap.* 20. & 21. *Jo. Gottl. Heineccii Elem. Jur. Civ. ſec. ord. Pand. P.* 1. §. 231. *ſeqq. Philippi a Turre Monumenta veteris Antii Part.* 1. *cap.* 5. *ſeqq.* Omnium vero accuratiſſime hanc doctrinam pertractavit Vir Cel. *Gottfr. Maſcovius* in peculiari *Diſſ. de Procuratore Caeſaris, Altorf.* 1724.

(*a*) CONSUEVISSE] Interdum tamen ex libertis etiam Imperatorum ſumebantur, non ſimplices ſolum procuratores, ſed & illi, qui vice Praeſidis fungebantur, ut vel exemplo FELICIS apparet.

(*b*) PERSEQUERENTUR] Hinc etiam judicium ſuſcipere debebant, quando lis fiſco intentabatur. Vid. PLINIUS in *Panegyr. cap.* 36.

(*c*) STATUERENT] Ita ſub initium principatus civiliter ſe geſſit: ſed poſtea, confirmatus jam, ſtatuit, *parem vim rerum habendam a procuratoribus ſuis judicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet*: id quod tunc etiam SC. cautum fuiſſe, teſtatur TACITUS *Annal. lib.* XII. *cap.* 60. Hinc ULPIANUS in *L.* 1. *pr. D. de offic. procur. Caeſ.* pronunciat: *Quae acta geſtaque ſunt a procuratore Caeſaris, ſic ab eo comprobantur, atque ſi a Caeſare geſta ſunt.*

ſa ſit, quae ad procuratorem principis reſpicit, melius fecerit, ſi ſe abſtineat. *l.* 9. *nec quicquam. D. de offic. Proconſ.* ubi merito, ſi fiſcalis pecuniaria cauſa ſit. Nam de criminum quaeſtionibus procurator Caeſaris non cognoſcebat, ſed ea cognitio ad proconſulem vel praeſidem pertinebat. *l.* 4. *C. ad legem Fab. de plag. l.* 2. *C. de poen.* Finita certe poenae quaeſtinne, vel crimine morte extincto, apud procuratorem reliqua de bonis diſceptatio peragebatur. *l.* 1. *&* *l.* 2. *C. Ubi cauſae fiſcal.* De his, quae fiſco commiſſa dicebantur, cognoſcebat. *l.* 3. *C. ſi ſervus export.* Apud eum quoque cauſa inultae necis defuncti agebatur, quod ex ea cauſa bona fiſco vindicarentur. *l.* 3. *C. de his, quae ut indig.* Item, ſi heredum, adverſus quos de inofficioſo quis acturus erat, bona ut vacantia fiſcus teneret, inofficioſi quaeſtio apud procuratorem perſerenda erat. *l.* 10. *ſi heredum. C. de inoff. teſt.* Deportandi vero, vel relegandi, vel alterius poenae inferendae, aut etiam multae dicendae jus non habebat. *l. ult. D. de offic. procur. Caeſar. l.* 2. *C. de poen. l.* 2. *curatores. C. de modo mult.* Sed nec de cauſis ſtatus cognoſcebat. *l.* 2. *C. Ubi de cauſâ ſtat.* de his ſcilicet, in quibus de ingenuitate quaerebatur. *l.* 7. *ſi pater. C. Ne de ſtatu def.* Nam libertinitatis & ſervitutis cauſae apud eum agebantur. *l.* 5. *jam dudum. C. Ubi cauſa ſtat.* Locare plane atque addicere fiſci praedia, *l.* 3. §. 5. *divi. l. ult. D. de jure fiſc. l.* 4. *C. ubi cauſae fiſc.* STRABO *lib.* XVII. *pag.* 1148. (797.) de Aegypto loquens: Ἄλλος δ' ἐστὶν ὁ προσαγορευόμενος ἴδιος λόγος, ὃς τῶν ἀδεσπότων, καὶ τῶν εἰς Καίσαρα πίπτειν μελλόντων (*a*) ἐξεταστής ἐστιν. *Tum alius* ἴδιος λόγος, *nimirum qui peculiares rationes curat. Is in ea inquirit, quae ſub alterius poteſtate non ſunt, ſed ſeorſim ad Caeſarem recidunt.* Debita fiſcalia exigere, *l.* 47. *Moſchis.* §. 1. *D. de jure fiſ. l. ult. D. de interrogat. in jur. fac.* Jubere item ſervos fiſci (quod in eo praecipuum eſt) delatas hereditates adire procurator poterat. *l.* 1. §. 2. *D. de offic. procur. Caeſ. l.* 46. *auſertur.* §. *penult. D. de jure fiſc. l.* 25. *ſi quis mihi.* §. 2. *D. de adq. her.* Non tamen ſine auctoritate Principis & inconſulto eo tranſigere. *d. l.* 1. §. 1. *de offic. procur. & l.* 13. *nulli. D. de tranſaction.* Caeterum adverſus procuratorum ſuorum ſententiam ſolus Princeps in integrum reſtituere poterat. *l.* 1. *C. Ubi & apud quem in integ. reſt.* GALENUS *lib.* 1. *de Antidot. cap.* 2. *pag.* 424. *Tom.* 11. *Opp.* (*pag.* 200. *Cl.* V. *ed. Lat.*) Κύπρον γοῦν ἱστορῆσαι βουληθεὶς ἐγὼ διὰ ταῦτα, φίλον τε ἔχων τὸν ἐν αὐτῇ πολὺ δυνάμενον, ἐπίτροπον ὄντα τοῦ προεστῶτος τῶν μετάλλων ἐπιτρόπου Καίσαρος. *Cyprum itaque & nos hac de cauſa viſere volumus, ubi amicum magnae auctoritatis quum haberemus, ſodalem Procuratoris, qui Caeſaris nomine metallorum fodinis praeerat.* Procurator Caeſaris metallis Cypri praepoſitus.

CAP. XIX.

De praefecto aerarii.

Quod in provinciis procuratoris Caeſaris, hoc in urbe, quantum conjicio, praefecti aerarii munus erat. De cujus conſtituendi origine, varieque mutata aerarii adminiſtratione breviter commemorandum eſt. Aerarii, quod in Saturni aede a Valerio Publicola conſtitutum, PLUTARCHUS *Quaeſt. Rom. num.* 42. *pag.* 275. MACROBIUS, *Saturn. l.* 1. *c.* 8. aliique referunt, cura Quaeſtoribus ſtante Repub. mandabatur: quorum officio pecuniae publicae, quae per eos ex vectigalibus, populique Rom. agris, praedis item ac manubiis, redigebatur, in diverſos uſus erogandae, onus incubuiſſe, notius eſt, quam ut exempla teſtimoniaque proferenda ſint. Poſteaquam vero imperium ſuum omne in Principem populus tranſtulit, varie habita ac ſaepe immutata ejus rei forma fuit. Nam Auguſtus ſenatui primum eligere praefectos permiſit: dein ambitu ſuffragiorum ſuſpecto, forte ducti ſunt ex numero Praetorum, qui praeeſſent, quemadmodum TACITUS *lib.* XIII. *Annal. c.* 29. ſcribit, & SUETONIUS in *Aug. cap.* 36. ita perſtringit (*b*): *Auctor & aliarum*

(*a*) Μελλόντων] Apud Strabonem legitur: ὀφειλόντων. Verſionem adſcripſi ex noviſſima editione: ſed confer tamen *Iſaaci Caſauboni notas:* qui vir doctiſſimus ἴδιον λόγον per Procuratorem Caeſaris, ſive Rationalem; ἀδεσπότων per bona vacantia; & εἰς Καίσαρα πίπτειν μελλόντων per bona caduca vertendum eſſe cenſet.

CAP. XIX. Hujus capitis uberior illuſtratio petenda eſt, ex ſcriptoribus, qui de aerario, ejusque Quaeſtoribus ac Praefectis ex inſtituto commentati ſunt: quorum recentiſſimus Vir Cl. *Erhardus Reuſchius*, qui *Helmſtadii* 1725. peculiare & lectu dignum edidit *Progr. de populi Romani Quaeſtoribus, ac potiſſimum aerariis, eorumque ortu, numero & muniis.* Breviter & accurate totam rem explicavit *Juſt. Lipſius in Excurſ.* ad TACITI *Annal. lib.* XIII. *lit.* B. Confer etiam *Alexandrum ab Alexandro Dier. Gen. lib.* 11. *cap.* 2. Nota interim haec. Libera republica omnis pecunia publica ad aerarium pertinebat: ſub Imperatoribus deinde fiſcus ab aerario diſtingui coepit, & hinc diverſis opus fuit perſonis, quae fiſco, quaeque aerario praeeſſent. Denique aerarium plane interiit, & a fiſco fuit abſorptum: quod quando factum ſit, non adeo accurate definiri poteſt. Confer *Jo. Gottl. Heineccii Elem. Jur. Civ. ſec. ord. Pand. P.* VII. §. 288. ejusque *Syntagma Antiqq. lib.* 1. *tit.* 25. §. 10. *ſeq.* nec non illius *Comment.* ad *Legem Jul & Pap. Popp. lib.* III. *c.* 1. §. 2. *pag.* 360. *ſeqq.*

(*b*) PERSTRINGIT] Adde DIONEM CASS. *lib.* LIII. *pag.* 497. qui ita loquitur: Πρὸς τὴν διοίκησιν σφῶν, δύο κατ' ἔτος ἐκ τῶν ἐστρατηγηκότων αἱρεῖσθαι ἐκέλευσεν. *Inſtituit etiam, ut adminiſtrationi aerarii bini praetorii viri praeficerentur.*

rum rerum fuit, —— *ut cura aerarii a Quaeſtoribus urbanis ad Praetorios Praetoreſve transferet*. Eaque de cauſa veriſimile eſt ab eo praetorum numerum auctum: quod idem eodem loco TRANQUILLUS, & noſter POMPONIUS in *l.* 2. §. 32. *D. de orig. jur.* ſcribit. Itaque in eo Senatusconſulto, quod de Curatoribus aquarum, Q. Aelio Tuberone & P. Fabio Maximo Coss. factum eſt, ita ſcriptum erat, ut apud FRONTINUM *lib.* II. *de Aquaeductib.* legimus: *Quique ita delati eſſent, iis Praetores aerarii mercedes, cibaria, quanta praefecti frumento danda dare ferreque ſolent, annua darent & attribuerent.* Et paulo poſt: *Q. Aelius, P. Fabius Coss. ambo, alterve, ſi iis videbitur, adhibitis Praetoribus, qui aerario praeſint, ea praebenda locent.* TACITUS *lib.* I. *Annal. c.* 75. *Reſiſtentibus aerarii praetoribus ſubvenit Caeſar, pretiumque aedium Aurelio tribuit.* In monumento quoque apud Dalmatas effoſſo praetoris aerarii fit mentio. (*b*) Per hos vero aerarium ad Claudii uſque tempus adminiſtratum eſt. Is, quia ſors ad parum idoneos deerrabat, Quaeſtores rurſum impoſuit: iisque (ponam enim ipſa TACITI ex *libro* XIII. *Annal. c.* 29. verba) ne metu offenſionum Segnius conſulerent, extra ordinem honores permiſit. Qua de re ſic TRANQUILLUS in *Claudio cap.* 24. *Collegio Quaeſtorum curam aerarii Saturni reddidit, quam medio tempore Praetores, aut qui tunc Praetura functi, ſuſtinuerant.* Haec ille. Sed deerat, ait TACITUS, robur aetatis eum primum magiſtratum capeſſentibus. Igitur Nero praetura perfunctos & experientia probatos delegit, & tabularum pecuniarumque publicarum curam a Quaeſtoribus ad Praefectos tranſtulit. Praefecti vero hi aerarii appellati ſunt, quos ex praetoriis creatos exiſtimo. A praetoribus certe Veſpaſiano imperante aerarium tractatum fuiſſe, idem TACITUS *Hiſtor. lib.* IV. *c.* 9. ſcribit. POMPONIUS *l.* 2. §. 32. *D. de O. J.* etiam a Divo Nerva praetorem unum adjectum refert, qui inter fiſcum & privatos jus diceret. Quem praefectum aerarii appellatum, veroſimile eſt: cujus idem quod Quaeſtoris in libera Repub. munus fuiſſe, GELLIUS *lib.* XIII. *cap.* 23. locuples teſtis eſt. *Manubiae ſunt*, ait, *non praeda, ſed pecunia per Quaeſtores populi Rom. ex praeda vendita contracta. Quod per Quaeſtores autem dixi, intelligi nunc oportet praefectum aerario ſignificari. Nam cura aerarii a Quaeſtoribus ad praefectum tranſlata eſt.* Quamobrem vacantia & caduca bona, aut quae ex alia cauſa in aerarium colligebantur, praefecti aerarii cogebant. *l.* 13. *edicto. D. de jure fiſc. l.* 4. §. 20. *plane. D. de fideicommiſſar. libert.* PLINIUS *lib.* X. *Epiſt.* 20. *Ut primum me, Domine, indulgentia veſtra promovit ad praefecturam aerarii Saturni, omnibus advocationibus renunciavi.* Fiſcales quoque cauſae apud eos agebantur: quod ſignificari ab ULPIANO palam eſt in *l.* 2. §. 4. *hoc interdictum. D. Ne quid in loco pub.* cum ait: *Res enim fiſcales quaſi propriae & privatae principis ſunt. Igitur ſi quis in his aliquid faciat, nequaquam hoc interdictum locum habebit: ſed ſi forte de his ſit controverſia, praefecti eorum judices ſunt.* Ubi neſcio, an non pro, *eorum*, *aerarii* ab Ulpiano ſcriptum fuerit. Cognoviſſe plane Praefectos & pronuntiaſſe *l.* 12. *cum quidam. D. de his, quae ut indign. & l.* 15. *ſenatus.* §. 4. *quod ſi tribus. & l.* 42. *Arrius Severus. D. de jure fiſc.* docent. (*c*) Ex eorumque auctoritate & arbitratu de alimentis fiſco ex ultima voluntate debitis tranſigebatur. *l.* 8. *cum hi* §. 19. *tranſactiones. D. de tranſactionib.* Apud hos etiam natales profeſſiones ex conſtitutione D. Marci fiebant, ut CAPITOLINUS in *ejus vita. c.* 9. ſcribit. Fuit vero & alius aerarii militaris, (*d*) quod ſibi in bellorum ſubſidia Auguſtum inſtituiſſe, SUETONIUS in *ejus vita. c.* 49. auctor eſt, Praefectus: qui in inſcriptione Mediolanenſi, quae Plinii Elogium continet, a praefecto aerarii Saturni ſeparatur. (*e*)

CAP.

(*b*) MENTIO] Hoc Monumentum legi poteſt tum in *Jo. Lucii Inſcriptt. Dalmat.* quae opuſculo ejus *de Regno Dalmatiae* additae ſunt, *pag.* 512. tum in *Gruteri Opere Inſcriptt. pag.* 360. *num.* 3. Aliud monumentum ex *Joſephi Caſtalionis Obſervat. Dec.* I. *cap.* I. *pag.* 6. exhibet *Reuſchius* in Programmate laudato, *pag.* 21.

(*c*) DOCENT] Hinc etiam Tribunal ſuum habebant, & per libellos adibantur. Vid. PLINIUS *lib.* I. *Epiſt.* 10. §. 5. ibique Interpp.

(*d*) AERARII MILITARIS] AUGUSTUS, auctor aerarii militaris, cujus curam praetoriis tribus, ſorte lectis, ad triennium mandavit. Vid. DIO CASS. *lib.* LV. *pag.* 565. SUETONIUS in *Aug. cap.* 44.

(*e*) SEPARATUR] In ea enim vocatur Plinius PRAEF. AER. SAT. PRAEF. AER. MIL. Vide *Gruteri Opus Inſcr. p.* 454. *n.* 3. & 5. & *pag.* 1028. *n.* 5. *Jo. Maſſon. Vitam Plinii Jun.* in *praef. pag.* 8. *ſeqq.* Fallitur vero vir hic doctiſſimus, dum in ipſa vita *pag.* 85. putat, hiſce temporibus Praefecturam aerarii militaris a Praefectura aerarii Saturni non fuiſſe diſtinctam, idquo fruſtra probare conatur ex TACITO *Annal. lib.* V. *cap.* 8. ubi de ſolo aerario militari ſermo eſt. Aliud ſane ipſa haec Inſcriptio ſuadere videtur. Et ſi vel maxime dare vellemus, (quod tamen nondum ſatis probatum) Plinium uno eodemque tempore utramque Praefecturam geſſiſſe: ipſa tamen officia manſerunt diſtincta, neque ea ſemper in una perſona ſimul conjuncta fuiſſe probari poteſt.

CAP. XX.

De Procuratore rei privatae.

Praeter fiſci procuratorem, alium etiam rerum privatarum, propriique ſui patrimonii procuratorem principes habuerunt. Hoc nos ULPIANUS docet in *l.* 39. *cum ſervus.* §. *ultimo. D. de legat.* 1. his verbis: *Sed & praedia Caeſaris, quae in formam patrimonii redacta, ſub procuratore patrimonii habentur, ſi legentur, nec aeſtimatio eorum debet praeſtari.* Meminit hujus procuratoris & CAPITOLINUS in *Macrino. c.* 7. *Mortem*, ait, *Antonini ſenatus gratanter accepit, & Opilium Macrinum libertatem publicam curaturum ſperans, primum in patricios adlegit, novum hominem, & qui paullo ante procurator privatae rei fuiſſet.* Et initio ejus libelli *c.* 2. *Occiſo ergo Antonino Baſſiano, Opilius Macrinus, Praefectus praetorio ejus, qui antea privatas curabat, imperium arripuit.* Inſtitutum vero primum a Severo hunc procuratorem poſt Clodium Albinum victum SPARTIANUS in *vita Severi c.* 12. auctor eſt. Antea vero rei familiari principis liberti plerumque, nonnunquam Equites, ſine aliqua adminiſtrationis & muneris forma, duo pluresve praeficiebantur. PLINIUS *lib.* VI. *Epiſt.* 31. ad Cornelianum. *Euritbmus*, ait, *Caeſaris libertus, & procurator.* Et *lib.* X. ad Trajan. *Epiſt.* 17. *Maximus libertus & procurator tuus.* TACITUS *lib.* XIII. *Annal. c.* 1. *Miniſtri fuere P. Celer. Eques Rom. & Aelius libertus, rei familiari principis in Aſia praepoſiti.* Hunc procuratorem credo rei dominicae appellari in *l. penult. de conveniend. fiſci debit. lib.* X. *Cod.* Idem, aut certe, quod ad procurationem rerum privatarum attinet, ſimile, ſub poſterioribus Imperatoribus, Comitis rerum privatarum munus, de quo in *l. ult. C. de adſeſſorib. l. ult. de petit. bonor. ſubl. lib.* X. *C. l.* 3. *C. de bon. vacantib. l.* 64. *neminem. de decurionib. lib.* X. *C. l.* 1. *C. de advoc. diverſ. judicum.*

CAP. XXI.

De fiſci patrono, ſive advocato.

Fuit & fiſco ſuus ac proprius patronus, isque ab Hadriano primum, ſi SPARTIANO in ejus vita, *cap.* 20. credimus (*a*), inſtitutus. Aderat hic fiſcalibus cauſis, *l. ult. D. de jure fiſ. l. ult. C. de adv. fiſ.* liberalibusque maxime, quae non interveniente eo deciſae in integrum ex Marci reſcripto reſtituebantur, *l.* 3. §. 9. *divus Hadrianus. & l.* 7. *ſi fiſc. D. de jure fiſc.* Et quoniam rara de hoc advocato in Pandectis litterarum monumenta extant, ad poſteriorum Imperatorum tempora orationem convertam, ex eorumque Conſtitutionibus, quae fuerit hujus advocationis ratio, petam. Invenio autem ex advocatione cujusque ſedis, quae certo numero definita erat, fiſci patronos creatos, vel ſingulos, vel binos, eosque vel annuo, vel bienni munere functos, pro varia cujusque fori conſuetudine. Et advocationem quidem praefecturae praetorianae Orientis Theodoſius centum quinquaginta togatorum numero concluſit. *l.* 8. *cum advocatio. l.* 11. *nemini. C. de advoc. diverſ. judicior.* Quem numerum & in Illyriciana praefectura, cui eadem, quae Orientali, privilegia tribuunt, obſervari Imperatoribus placuit. *l.* 7. *iidem. l. ult. C. de advoc. diverſ. judicior. l.* 2. *C. de advoc. diverſ. judicum.* Ex ea claſſe in utraque praefectura unicus primum fiſci patronus creabatur, quoad VALENTINIANUS & MARCIANUS, Conſtitutione ad Palladium Pr. Praet. Orient. emiſſa, in Orientis praefectura binos ex primoribus advocatis ſingulis annis ad patronatum fiſci adſumi conſtituere. *l.* 10. *binos. C. de adv. div. judicior.* At in Illyrici praefectura, qui unicus eligebatur, fiſci patronus, biennio demum officii finem ſortiebatur. *l.* 12. *ſancimus. C. eod.* Utrobique vero, qui patronatu fiſci perſuncti erant, cohortalis, vel alterius vilioris conditionis nexibus cum liberis poſterisque ſuis liberabantur, & Comitiva conſiſtoriana aliisque honoribus ornabantur. *d. l.* 8. *cum advocatio. & l.* 7. *iidem. & l.* 11. *nemini. C. de adv. div. judicior. l.* 4. *laudabile. & l.* 6. *reſtituendae. C. de adv. div. judicum.* Auctor Panegyrici Conſtantino dicti (*b*), *cap. ult. Tibique, quod supereſt, commendo liberos meos: praecipueque illum jam ſumma fiſci patrocinia tractantem, in quem me totum tranſtulit pietas.* Utrobique etiam ſexaginta quatuor primores advocati, ex centum quinquaginta ſtatutis patronorum fiſci beneficiis privilegiisque honorabantur. *l.* 15. *poſt duos. C. de adv. div. judic.* Reliquarum ſedium varia

CAP. XX. Quae ad hujus capitis illuſtrationem pertinent, ea plena manu dabunt ſcriptores, qui officia domus Auguſtae ex inſtituto deſcripſerunt.

CAP. XXI. Ad hoc caput, praeter ſcriptores de officiis domus Auguſtae, conferri meretur *Joſephi Bonn* Diſſertatio *de jure & officio Fiſci Caeſarei Procuratoris & Advocati*, Gieſſae 1735.

(*a*) CREDIMUS] In prima editione auctor, memoriae ſine dubio lapſu, hoc adſcripſerat Marco Antonino Philoſopho: quem errorem, licet poſtea correxerit, ut ex poſtuma editione Operum Pariſina videmus, ſequentes tamen editiones, primam ſecuti, retinuerunt. Eundem quoque errorem erravit *Dionyſius Gothofredus* in notis ad *tit. C. de adv. fiſc.* ut jam notavit *Petrus Burmannus* in libro *de Vectigalibus*, *cap.* XI. *pag.* 171. Sed hic auctorem noſtrum fideliter, ſine ulteriori examine, ut ſolet, exſcripſit.

(*b*) DICTI] Haec Oratio EUMENIO a quibusdam, ut & in *Chriſtoph. Cellarii* editione, adſcribitur.

ria conditio erat. In Alexandrino foro quinquaginta duntaxat ſtatuti erant advocati, ex quibus patronus fiſci unicus creabatur, qui biennium eo munere functus, exconſulari rectoris provinciae dignitate decorabatur: *l.* 13. *petitionem. C. eodem titulo.* In foro praeſidali Syriae triginta advocatorum numerus praeſcriptus erat, ex eoque fiſci patronus unoquoque biennio eligebatur. *l.* 5. *petitionem. C. de adv. div. judicum.* In foro comitis Orientis quadraginta advocati erant, unus fiſci patronus, qui biennio fiſco patrocinium praeſtabat. *l.* 3. *C. de advoc. div. judicum.*

F I N I S.

V. C. AEGIDIO BOURDINO,

REGIO IN SENATU PARISIENSI

PROCURATORI,

B. BRISSONIUS S. D.

Abſoluto tertio harum Antiquitatum libro, gradum ſiſtentem me ſubito tuorum beneficiorum memoria pupugit, quartique inchoandi cupiditatem injecit, ut te litterario eo munere, quo ſolo poſſum, remunerarer. Ampliſſimum vero protinus mihi, ad ſcribendum aeſtu quodam animi delatò, argumentum libri noſtri ſuppeditavere: in quibus cum multa noſtra aetas obſervet cottidie, plura etiam fortaſſe poſteritas adnotatura eſt. Ex his plane, quae tum occurrerunt, digniora ſeligens, libellum iſtum concinnavi. Eum nunc ad te cum omni noſtra opera defero. Bene vale. Lutetiae Pariſiorum Kal. Octobrib. M. D. LVII.

B. BRISSONII SELECTARUM EX JURE CIVILI ANTIQUITATUM LIBER QUARTUS.

CAP. I.

Qualiter accipienda ſit poſſeſſionis definitio a Javoleno tradita in l. 115. quaeſtio. D. de Verb. Sign.

OBſcurum eſt, quid haec Javoleni verba in *l.* 115. *D. de V. S.* ſignificent: *Poſſeſſio ab agro juris proprietate diſtat. Quidquid enim adprehendimus, cujus proprietas ad nos non pertinet, nec pertinere poteſt, hoc poſſeſſionem appellamus.* Atque exercuit hic locus clariſſimos noſtrae aetatis Jureconſultos, quorum alii a XII. *Tabul.* rem inani conjectura repetentes, alii ad loca ſacra, quae extra commercium poſita hac definitione concludi non poſſunt, referentes, longa a Javoleni mente aberrant. Mihi valde ſemper *Gerardi Peregii*, Tholoſani Profeſſoris, ſententia placuit, qui cum eo errare atque labi caeteros animadvertiſſet, quod quae de re ipſa & corpore a Javoleno dicuntur, ea ad detentionem rei transferunt (*a*), primus, quod ſciam, animum advortit ad cogitandum, num aliqua antiquitus praedia fuerint, in quae definitio illa caderet. Etenim Javoleno trium harum appellationum, *Ager*, *Poſſeſſio*, *Fundus*, differentiam exequenti, propoſitum fuit docere, corpus id, cujus plenum uſum habemus, proprietatem non habemus, nec habere poſſumus, poſſeſſionem appellari. Quo in genere provincialia, tributaria, ſtipendiariaque, item vectigalia praedia pono. Cujus rei demonſtrandae initium paullo altius repetam neceſſe eſt. Lege belli capientium fiunt, quae ab hoſtibus capiuntur. Proinde bello ſubactarum provinciarum agri publici populi Rom. fiebant (*b*). *l.* 20. *ſi captivus.* §. 1. *D. de captiv.* Livius *lib.* III. *ad fin. Agrum de quo ambigitur, finium Coriolanorum fuiſſe, captisque Coriolis publicum populi Rom. factum.* Cicero V. *orat. in Verr. ſive Accuſat. in Verr. lib.* III. *c.* 6. *Perpaucae Siciliae civitates bello a majoribus noſtris ſubactae ſunt, quarum cum eſſet ager*

CAP. I. Ad hoc caput, praeter auctoris noſtri *Opus de Verb. Signif. voc. poſſeſſio*, conferri poſſunt alii quoque interpretes ad eam, quae hic explicatur, legem.

(*a*) Transferunt] Poſſeſſio ergo aliquando pro jure poſſidendi; aliquando pro ipſa re, quae poſſidetur, ut hoc loco, ſumitur: id quod etiam obſervavit *Laevin. Torrentius* in notis ad *Sueton. Aug. cap.* 32. *pag.* 282. *ed. Burm.*

(*b*) Fiebant] Hinc ipſas Provincias & Vectigalia eleganter Cicero *Accuſ. in Verr. lib.* II. *cap.* 3. *quaſi quaedam praedia populi Romani* vocat.

ger publicus populi Rom. factus, tamen illis eſt redditus. Sed enim ex hoſte captos agros Romani, ut eodem loco Cicero & Siculus Flaccus in *lib. de condition. agror. pag.* 2. & 16. & Hyginus in *lib. de limit. pag.* 159. *ſeq.* & *p.* 205. demonſtrant, alios in victorem populum partiebantur, alios per quaeſtores, laterculis limitibusque actis, diviſos vendebant, alios militibus in praemium adſignabant, alios per cenſores locabant, aliis certum vectigal imponebant, quod ſtipendiarium dicebatur (*a*). Hujuſmodi, quae tributum quotannis populo pendebant, praedia, tributaria ſtipendiariaque dicebantur: quorum dominium ad populum Romanum, (*b*) pleniſſimum vero fruendi jus ad provinciales ipſos poſſeſſores pertinuiſſe, Theophilus bene ſentit. §. 40. *per traditionem. Inſtit. de rer. diviſ* Erant & vectigales agri civitatum ac municipiorum, quos vel ad tempus, vel in perpetuum municipes locabant, dominio apud ſe manente, ſolum fruendi jus in conductorem transferentes, ut ex *l.* 15. *ſi finita.* §. 27. *D. de dam. inf.* & *l.* 71. *ſi domus.* § *ult. de leg.* 1. & *l.* 1. *D.* [illegible] *ager vectigal.* perſpicue liquet. Quo poſito, vel me tacente, ad ea praedia poſſeſſionis appellationem pertinere, eoque Javolenum reſpexiſſe ſatis intelligitur. Ea enim eorum praediorum conditio erat, ut eorum provinciales neque eſſent, neque eſſe poſſent ex jure Quiritum domini (*c*): ſed ea in bonis tantum haberent. Οἱ τὰ ςιπενδιάρια (ut Theophili *loco cit.* verbis utar) ἢ τριβυτάρια ἔχοντες πάλαι κατὰ συγχώρησιν δήμου ἢ βασιλέως, οὐκ ἦσαν δεσπόται. Ἡ γὰρ δεσποτεία αὐτῶν ἦν, ἢ παρὰ τῷ δήμῳ, ἢ παρὰ τῷ βασιλεῖ, ἀλλ᾽ εἶχον τὴν ἐπ᾽ αὐτοῖς χρῆσιν καὶ ἐπικαρπίαν, καὶ πληρεστάτην κατοχὴν, ὥστε δύνασθαι καὶ ἐφ᾽ ἑτέρους μετατιθέναι, καὶ κληρονόμοις παραπέμπειν. Τῶν γὰρ Ἰταλικῶν ἀγρῶν ἤτοι οἰκιῶν οἱ δεσπόται τὴν δεσποτείαν εἶχον. *Qui olim ex conceſſione populi, vel Principis, ſtipendiaria, vel tributaria, praedia habebant, domini non erant: nam dominium illorum erat aut apud populum, aut apud Principem: ſed uſum & fructum eorum habebant, & pleniſſimam poſſeſſionem, ita, ut & transferre poſſent in alios, & ad heredes transmittere. Italicorum autem fundorum dominumque domini dominium habebant.* Proprietas quidem idcirco ad provinciales non pertinebat, quod ea in ſuum dominium populus victor redegiſſet: pertinere vero idcirco non poterat, quia nec mancipatione abalienari ea, nec uſucapi, cum juris Italici non eſſent, poterant: quibus modis legitimum & ex jure Quiritum dominium contingebat (*d*). Quod Justinianus in *l. un. C. de uſucap. transf.* & in *Inſt. tit. de uſucap.* in *prin.* & in §. 40. *per traditionem. tit. de rer. diviſ.* ſtrictim attigit. Ex quo ſequitur, convenienter Javoleni definitioni, ea praedia poſſeſſiones appellari poſſe. Cui interpretationi mirifice conſentit ejuſdem verbi a Festo *lib.* xiv. *v. poſſeſſiones*, & Isidoro *lib.* xv. *Etymolog. cap.* 13. tradita definitio, quae ita habet: *Poſſeſſiones appellantur agri late patentes publici privatique, qui non mancipatione, ſed uſu tenebantur:* id eſt, ut ego interpretor, quorum ex jure Quiritum domini non ſunt, qui poſſident, ſed uſum detentionemque habent.

CAP. II.

Extraordinariae executiones olim quaenam appellarentur.

Ordinariae, extraordinariaeque cognitiones uti accipiendae ſint, ſatis jam ex eorum, qui de jure civili recta ſentiunt, Commen-

(*a*) Dicebatur] Confer, praeter veteres auctores rei agrariae, (quos noviſſime junctim edidit *Guil. Goeſius, Amſtel.* 1674. 4.) ſcriptores de vectigalibus & tributis, inprimis V. Cel. *Petri Burmanni* librum ſupra laudatum. Vide etiam *Jo. Gottl. Heineccii Syntagma Antiqq. Rom. App. ad lib.* 1. *cap.* 4. §. 114. *ſeqq.* & *lib.* 111. *tit.* 23. §. 8. *ſeqq.* Viri Cel. *Chriſt. Gottl. Schwartzii Diſſ. de jure Italico, cap.* 1. inprimis §. 11. *Selectas* meas *Antiqq P.* 1. *cap.* 4. 5. paſſim.

(*b*) Populum Roman.] *Num*, ut ait Siculus Flaccus *de condit. agror. pag.* 2. *ſunt populi Romani*, (quoad ſummum ſcilicet dominium) *quorum vectigal ad aerarium pertinet.* Hinc hujuſmodi generis praediis tributum & vectigal imponebatur, non tam ad conſervationem reipublicae, quam potius in recognitionem ſupremi dominii, ſive, ut Livius *lib.* xxxi. *cap.* 13. loquitur, *teſtandi cauſa publicum agrum eſſe.*

(*c*) Domini] Immo, ne plenum quidem dominium naturale habebant horum praediorum poſſeſſores; ſed jus aliquod dominio proximum, quod *quaſi-dominium* haud inepte vocari poteſt, ſive, ut hodie JCti loquuntur, *dominium utile.* Vid. Cl. *Conradi Lib. ſing. de rebus mancipi cap.* 4. §. 6. & Nobiliſſ. *Meerman Diſſ. de reb. manc.* §. 19. & 125. Differunt ergo hujuſmodi generis praedia non tantum a praediis Italicis, in quibus dominium Quiritarium locum habebat: ſed etiam a praediis liberarum gentium & civitatum, quae in pleno dominio naturali eſſe poterant, ut in *Select. Antiqq.* meis nuper docui, & pluribus ſequentibus partibus exponam.

(*d*) Contingebat] Haec accurate loquendo non tam ratio, quam conſequens eſt. Ratio enim eſt, quia plane a dominio Quiritario privatorum erant exemta: hinc in iis modi quoque adquirendi dominium Quiritarium nullum plane locum habere poterant, ſi vel maxime non a provincialibus, ſed a cive Romano poſſiderentur. Alias enim in rebus nec mancipi per nudam etiam traditionem dominium Quiritarium adquiri potuiſſe, alio loco docui. Vide *Tract.* meam *de teſtamentif.* cap. 111. §. 9. & Relationes litterarias Hamburgenſes (*Hamburgiſche Berichte von gelehrten Sachen*) Anni 1740. *Num.* 20. & Anni 1742. *Num.* 1.

CAP. II. Ad hujus capitis uberiorem illuſtrationem ſcriptores, qui de jurisdictione & judiciis ex inſtituto egerunt, omnino ſunt conferendi.

mentariis innoteſcit. Extraordinariae executiones quam ſignificationem habeant, adhuc in obſcuro poſitum, nec cujuſquam interpretatione patefactum puto. Duobus vero modis ſuas judicumve a ſe datorum ſententias magiſtratus exequebantur. Interdum enim judicem arbitrumve in eam rem dabant. *l.* 15. *a divo.* §. 6. *ſi poſt.* & §. 7. *ſed ſi emtor.* & §. 8. *ſic quoque judices. D. de re judic. l.* 75. *ſi praetor. D. de judic.* Idque recte atque ordine fiebat. Nonnunquam vero viatorem, apparitoremque, vice arbitri, ad judicati, vel decreti ſui, vel praecepti executionem dabant. *l. ult. D. de judic. l.* 49. *qui erat heres. D. fam. erciſc. l.* 6. *ſi ut proponis. C. de exec. rei judicatae. l.* 8. *executorem. C. eod.* Ex quo illud in *l.* 74. *ſi plus.* §. 1. *D. de eviction. Si juſſu judicis rei judicatae pignus captum per officium diſtrahatur.* Jubet autem capi Praeſes ipſe. *l. ult. C. ſi pig. in cauſa judic.* & in *l.* 1. & *l.* 2. *eod. tit.* & *l.* 13. *ſi ob cauſam C. de eviction.* ex quibus etiam, conjuncta *l.* 49. *qui erat heres. D. fam. erciſc.* apparet, pignora diſtrahi ſolita per officium (*a*). Eaque extra ordinem fieri executio dicebatur, quemadmodum demonſtrat *l.* 50. *ſi pignora. D. de evict.* his verbis: *Si pignora veneant per apparitores, Praetoris extra ordinem ſententiam exequentes. l. ult.* §. 3. *ſi quis. D. quod met. cauſ.* In qua extra ordinem exactum dicitur, quod apparitore praeſidis interveniente, cognitione judicis nulla habita, exactum fuerat, quod civiliter per judicem peti debebat. Sic & in *l.* 3. *D. ne vis fiat ei, qui in poſſ.* extra ordinem exequi decretum ſuum Praetores dicuntur, quod ipſimet, jure ſuae poteſtatis, miniſtrorum manu exequuntur. Nam ordinario jure interdicto res expeditur: ut evenit & in ſpecie *l.* 1. §. 1. *nec ſolum. D. ſi vent. nom. mul. in poſſ.* Quemadmodum igitur ordinaria cognitio tum appellabatur, cum ex formula apud judices datos cauſa agebatur, extraordinaria vero cum ipſi magiſtratus notionem adhibebant ſuam: ita & quod judicibus datis, actionibus interdictisque redditis exequebantur, ordine exequi; quod vero viribus imperii ſui (*b*), per apparitores, &, ſi res poſceret, manu militari (*c*) exequebantur, extra ordinem exequi dicebantur. Illa etiam praetoria erant juriſdictionis tuendae remedia, pignoris capio, multae dictio, corporis retentio ac coërcitio. *l.* 1. §. 3. *in fin. D. de vent. inſp.* §. 3. *quibus. Inſtit. de ſatiſd. tut. l.* 4. §. 1. *D. de damno infect. l.* 9. §. *ult. D. ad legem Jul. pecul.*

CAP. III.

Quae ſint ſollemnia munera in l. 12. cum plures. §. 3. cum tutor. D. de admin. tut.

Tutor in re pupilli adminiſtranda, boni & attenti patrisfam. officio fungi, ac proinde minime neceſſariis ſumtibus abſtinere debet. Minerval tamen & διδακτρα praeceptoribus pro facultate patrimonii & dignitate natalium conſtituere, ſed & ſollemnia munera parentibus cognatisque mittere eum poſſe lex admittit. *l.* 12. *cum plures.* §. 3. *cum tutor. D. de admin. tut.* in qua merito dubitatur, quaenam ea ſint ſollemnia munera. Utique enim nuptialia, quod prima fronte quis diceret, intelligenda non ſunt: quae de pupilli bonis mittere tutor prohibetur, cum perquam neceſſaria non ſit iſta muneratio. *l.* 13. *tutor ſecundum.* §. *ult. D. de adm. tut. l.* 1. §. 5. *praeterea. D. de tutel. & rat. diſt.* Magis eſt autem, ut ſollemnia, ſecundum Varronis (*d*), Festi, *v. ſollo*, & Servii (*e*) interpretationem, anniverſaria accipiamus, eaque munera ſignificari dicamus, quae quotannis more recepto ſibi invicem cognati natali cujuſque die miſſitabant (*f*). Suadet hoc Martialis *verſus* 5. *lib.* IX. *Epig.* 55. qui ita habet:

Chara daret ſollemne tibi cognatio munus.

Et alias: *lib. eod. Epig.* 56.

Luce propinquorum, qua plurima mittitur ales,
Dum Stellae turdos, dum tibi, Flacce, paro.

Tertullianus in *lib. de Idololatria*,

cap.

(*a*) Officium] Confer *Chriſt. Wilh. Küſtneri Diſſert. de ritu pignorum capiendorum*, quos ſupra jam ad *lib.* III. *cap.* 4. laudavi: ultimam inprimis, quae inſcribitur: *Pignus in cauſa judicati captum, Lipſ.* 1744.

(*b*) Imperii sui] Mixti ſcilicet: vide ſupra *lib.* III. *cap.* 4. quaeque ibi annotavimus.

(*c*) Manu Militari] Quae locutio occurrit in *L.* 68. *D. de rei vind.* & explicatur a *Corn. van Bynkershoek in Obſervat. Jur. Civ. lib.* III. *cap.* 14. *Jac. Gothofredo* in *Comment.* ad *L. un. de offic. jud. milit.* in *C. Theod. lib.* 1. *tit.* 9. & inprimis *Ferdinando Auguſto Hommelio* in peculiari Diſſertatione *de Manu militari*, *ed. Lipſ.* 1742.

(*d*) Varronis] In toto hoc auctore nihil, quod huc ſpectaret, reperire potui.

(*e*) Servii] Vide ejus *Comment.* ad *Aeneid. lib.* III. *v.* 301. Adde Augustinum, qui *Serm.* 186. *de Temp.* (*Serm.* 267. *ed. nov.*) in principio ita loquitur: *Sollemnitas ab eo, quod ſolet in anno, nomen accepit: quomodo perennitas fluminis dicitur, quia non ſiccatur aeſtate, ſed per totum annum fluit, ideo perenne, id eſt, per annum. Sic & ſollemne, quod ſolet in anno celebrari.*

(*f*) Missitabant] Die natali & amici ſibi invicem munera mittebant: cognati vero ſoli Chariſtiis, de quibus loquitur Martialis locis ab auctore adductis. Sed res tam nota eſt, ut nulla probatione indigeat.

cap. 10. *Etiam ſtrenae captandae, & ſeptimontium, & brumae, & charae cognationis honoraria exigenda omnia.* Atque hoc nomine a MARTIALE *lib.* VIII. *Epig.* 64. Clytus quidem notatur, qui ſaepius uno in anno natalem ſuum, munera a cognatis amiciſque captans, celebrabat. Jam *Saturnalium* feriis muneribus ſeſe Romanos invitaſſe, ex MACROBIO *lib.* I. *cap.* 7. & MARTIALE *lib.* XIV. VII. & X. *Epigr.* (*a*) aliiſque ita in promtu eſt, ut in eo probando longior ſumi oratio non debeat.

CAP IV.

Illicitarum olim mercium exempla.

Illicitas aliquas merces olim fuiſſe, non noſtri tantum conſulti & Imperatores in *l.* 11. *cotem.* §. 3. *illicitarum. D. de public.* & *l.* 1. *D. de his, quae ut indig.* & *l.* 6. *illicitas.* §. 3. *illicitas. D. de offic. praeſid.* & *l. penult. C. de naut. foen.* probant, ſed & TERTULLIANUS in *lib.* V. *adverſus Marcionem c.* 1. his verbis: *Quamobrem, Pontice nauclere, ſi numquam furtivas merces, vel illicitas, in acatos tuas recepiſti.* PROCOPIUS *lib.* I. *de bello Pers. cap.* 19. *pag.* 262. (58.) Οὔτε σίδηρον, ὅτι ἄλλο τι τῶν ἐς ταῦτα ἐπιτηδείων Ἰνδοὶ ϗ (*al.* ἢ) Αἰθίοπες ἔχουσιν, οὐ μὴν οὐδὲ πρὸς Ῥωμαίων ὠνεῖσθαι τούτων τι οἷοί τέ εἰσιν, νόμῳ ἅπασι διαῤῥήδην ἀπειρημένον. (*al.* νῦν) θάνατος γὰρ τῷ ἁλόντι ἡ ζημία ἐστί. *Aſſignandum id potius ferri caeterarumque rerum ad fabricam idonearum penuriae, qua laborant Indi atque Aethiopes, quin ipſis ejus generis merces a Romanis emendi facultas erepta eſt lege patria, quae ſub poena capitis id nominatim vetat.* Ejuſmodi vero mercium exempla ex poſteriorum Imperatorum Conſtitutionibus in medio poſita ſunt. Nec enim ignotae ſunt *Valentin. & Theod.* Conſtitutiones, quibus purpurae diſtrahendae, & ſerici a Barbaris comparandi, privatis poteſtatem auferunt. *l.* 1. & 2. *C. Quae res vendi non poſſ. l.* 1. *de veſtib. holoſer. lib.* XI. *C.* Aeque patet, vinum, oleum, loricas, ſcuta, arcus, ſagittas, gladios, ſpathas, vel alterius cujuſcunque generis arma ad Barbaros transferri non licere. *l.* 1. & 2. *C. Quae res export. non poſſ.* Salis quoque commercium, praeter ſalinarum conductores, aliis omnibus lege prohibetur. *l.* 11. *ſi quis ſiue. C. de vectig. & commiſſ.* Armorum denique mercimonium privatis a JUSTINIANO interdicitur in *Novell.* LXXXV. *de armis.* Verum haec exempla ex eorum, qui longo poſt Jureconſultos intervallo ſecuti ſunt, Principum Conſtitutionibus ſumta, antiquioribus Jureconſultorum ſcriptis accommodari poſſe non videbuntur, niſi earumdem fere rerum omnium, quas recenſui, jam olim commercium cum Barbaris interdictum fuiſſe docuero. Conſtat certe ex ipſamet *l.* 11. *cotem. D. de publican.* non licuiſſe ferrum, frumentum, ſales, cotem item, ſubigendo ferro neceſſariam, hoſtibus venundari. Sed nec equum militarem extra provinciam duci conceſſum fuiſſe declarat *l.* 12. *officium.* §. 1. *D. de re milit.* Unde LIVIUS *lib.* XLIII. *cap.* 5. Regulis Gallorum, miſſis ad Rom. quaeſtum de injuriis quibuſdam, datum refert, ut denorum equorum his commercium eſſet, educendique ex Italia poteſtas fieret. Cotes vero Creticas duntaxat primum notas, oleo ferri aciem excitantes: poſtea vero etiam aquarias cotes Italiam dediſſe, limae vice ferro imperantes, PLINIUS *lib.* XVIII. *cap.* 28. & *lib.* XXXVI. *cap.* 22. ſcribit. Hinc Cretae Cotoriae in *l.* 15. *Caeſar. D. de publican.* Atque ex his eadem opera illuſtrabitur *l. unic. de litorib. & itiner. cuſt. lib.* XII. *C.* in qua merces illicitas ad Barbaros transferri Impp. vetant.

CAP. V.

De agrorum formis, & earum aeneis tabulis.

Qui tabulam aeneam legis (*b*), *formamve agrorum, aut quid aliud continentem, refixerit, vel quid inde immutaverit, lege Julia peculatus tenetur.* Verba haec ſunt ULPIANI (*c*) in *l.* 8. *qui tabulam. D ad legem Jul. pecul.* Quae ut intelligantur, admonendi ſumus, agrorum adſignatorum, limitatorum-

(*a*) ET X. EPIG.] Apud MARTIALEM omnibus fere libris, praeſertim vero toto *libro* XIII. & XIV. innumera horum munerum exempla reperies, ut ſingula annotare velle, obſcurae eſſet diligentiae. Interim qui plura de muneribus apud Romanos ſollemnibus ſcire cupit, is adeat *Jo. Gottl. Heineccii Syntagma Antiqq. Rom. lib.* II. *tit.* 7. *Hieron. Boſſii Praefat.* ad librum *de Strena. Guid. Pancirolli Rer. Memorab. lib.* 1. *cap.* 64. ibique *not. Henr. Salmuth. Jac. Raevardi Conjectan. lib.* III. *cap.* 4. & 11.

CAP. IV. Ad hoc caput conferenda omnino eſt *Jo. Gottl. Heineccii* Diſſertatio *de navibus ob vecturam vetitarum mercium commiſſis*, quae inter ejus *Opuſcula Num.* VIII. exſtat, inprimis *Cap.* 1. §. 11. & 12. ex qua, quae ad hujus doctrinae illuſtrationem pertinent, abunde peti poſſunt.

CAP. V. Ad hoc ſequensque caput conferendi omnino ſunt ſcriptores rei agrariae, quos poſt alios junctim cum doctiſſimis obſervationibus edidit *Guil. Goeſius.*

(*b*) LEGIS] Vulgata Pandectarum editio habet *leges*: Quam lectionem meliorem eſſe propter connexionem exiſtimo. Sed judicet lector.

(*c*) ULPIANI] Immo potius VENULEJI SATURNINI, ut inſcriptio teſtatur.

rumque, id eſt, qui limitibus inſtitutis per centurias diviſi erant, formas, modum cujuſque centuriae ac limitum complectentes, aeneis tabulis, ad aeternitatem fixis, tollendae in poſterum omnis controverſiae cauſa, inſcribi conſueviſſe. Hoc Siculus Flaccus *lib.* r. *de condit. agror. pag.* 16. docet. *Agrorum diviſorum*, ait, *qui inſtitutis limitibus diviſi ſunt* (*a*), *& formae varias appellationes accipiunt. Quidam arbores finales* (*b*), *alii in venis, alii in membris ſcripſerunt. Hic tamen quicquid inſtituerunt, curandum erit, ut fide publica aeſtimetur, neu quis voluntario finem proferat. Illa tantum fides videatur, quae aereis tabulis manifeſtata eſt. Quod ſi quis contradicat, ſanctuarium Caeſaris reſpici ſolet. Omnium enim agrorum, & diviſorum, & aſſignatorum, formas, ſed & diviſionem, & commentarius, & principatus* (*c*) *in ſanctuario habet. Qualescunque enim formae fuerint, ſi ambigatur de earum fide, ad ſanctuarium principis revertendum erit. Et quamvis una res ſit forma, alii dicunt perticam, alii centuriationem, alii metationem, alii limitationem, alii cancellationem, alii typon, quod, ut ſupra diximus, una res eſt, forma. Quidam formas, quarum mentio habita eſt, in aere ſculpſerunt, id eſt, in aereis tabulis ſcripſerunt.* Et alio loco: (*pag.* 21.) *Horum etiam agrorum, qui ex vicinis populis ſumti ſunt, proprias factas eſſe formas, id eſt, ſuis quamque limitibus regionem diviſam.* Nam in his aeneis tabulis totam diviſionis & adſignationis rationem perſcribebant: verbi gratia: Datum, adsignatum illi tantum. Redditum, commutatum pro suo. Redditum veteri possessori: quorum notae quaedam apud Valerium probum conſpiciuntur. Hoc idem Siculus oſtendit, *pag.* 24. his verbis: *Comperimus vero in aliquibus regionibus & paſcua & ſilvas adſignatas eſſe, adſcriptumque in formis ita:* Illi et illi tot silvas et pascua, jugera tot. Hyginus *l.* 1. *de limitib. pag.* 193. *Omnes ſignificationes*, ait, *& formas aereis tabulis inſcribemus.* Data, adsignata, concessa, excepta, commutata pro suo, reddita veteri possessori, *& quaecunque alia inſcriptio ſingularum litterarum in uſu fuerit, & in aere permaneat. Libros aeris, & typum totius perticae, linteis deſcriptum, ſecundum ſuas terminationes, adſcriptis affinibus, tabulario Caeſaris inſeremus, & ſi qua beneficio conceſſa aut aſſignata coloniae fuerint, ſive in proximo, ſive inter alias civitates, in libro beneficiorum adſcribemus, & quicquid aliud ad inſtrumentum menſorum pertinebit, non ſolum coloniis, ſed & tabularium Caeſaris, manu conditoris ſubſcriptum, habere debet.* Idem *lib.* 11. *pag.* 209. *Nuper enim quidam evocatus Auguſti, cum in Pannonia agros veteranis ex voluntate & liberalitate Imp. Trajani adſignaret, in aere, id eſt, in formis, non tantum modum, quem adſignabat, adſcripſit, aut notavit, ſed & extremam lineam unius cujusque modi comprehendit.* Idem alio loco *pag.* 155. *Nam & alia praefectura aliter converſi ſunt limites, ut habeant in aeris inſcriptionibus inter limitem novum & veterem jugern ſorte* lxx. Aggenus Urbicus, *Frontini* interpres, *p.* 54. *Ex modo*, ait, *illo, qui aere ſcriptura continetur, forma liquebit, etiamſi dominus aliquid vendidiſſet.* Sic accipiendum erit, quod iidem auctores in controverſiis aes reſpici ſcribunt. Ex his enim tabulis controverſiae de agrorum modo finibusque decidebantur. Caeterum diviſorum duntaxat, atque adſignatorum agrorum formae in tabulas referebantur: in occupatoriis agris, id eſt, quos pulſis veteribus poſſeſſoribus victor populus occuparat, nullum aes, nullam formam fuiſſe, quae publicae fidei poſſeſſoribus teſtimonium redderet, idem Siculus *pag.* 3. tradit.

CAP. VI.

De legibus agrorum.

Priusquam ab agrorum ſermone, in quo ſuperioris capitis oratio verſata eſt, diſcedam, etiam illud adnotabo, leges quasdam agris dici ſolitas: quod & ad intelligentiam *l.* 1. *§. ult. D. de aq. & aq. pluv.* pertinet. Dicebantur vero hac leges privatis quidem agris a patribus familias, qui eos conſtituebant: adſignatis autem, vel colonicis, ab his, qui veteranos coloniasque ex lege deducebant. Hyginus *lib.* 11. *de limitib. pag.* 206. cum de adſignatis agris agit. *Hi agri*, ait, *leges accipiunt ab his, qui veteranos deducunt: & ita propriam obſervationem eorum lex data praeſtat in his agris.* Siculus Flaccus in *lib. de condit. agr. pag.* 18. *Auctores*, ait, *adſignationis, diviſionisque leges quasdam colonis deſcribunt, ut qui agri delubris, ſepulchrisve publicis, qui ſolis itineris, viae, actus, ambitus, ductusque aquarum, qui publicis utilitatibus ſervierint, ad id usque tempus, quo agri diviſiones fierent, in eadem conditione eſſent, qua ante fuerant.* Sic & Frontinus omnes limites ſecundum legem colonicam itineri publico ſervire debere ſcripſit (*d*). Atque

(*a*) Divisi sunt] Locus mutilus: quem *Goeſius* ita ſupplet: *variae ſunt formae.*

(*b*) Arbores Finales] Locus ſine dubio mendoſus, quem *Goeſius* ita emendat: *Quidam in arbore res finales.*

(*c*) Principatus] Locus pariter mendoſus, quem *Goeſius* ita emendat: *ſed & diviſionum commentarios Principatus.*

(*d*) Scripsit] Auctor ſine dubio reſpexit ad locum, qui inter *Fragmenta terminalia* apud *Goeſium pag.* 148. occurrit: *Omnes limites itineri publico ſervire debebant, qui dextra ac ſiniſtra fines privatos dividunt, & in medio iter publicum.*

que ita legem interpretari in *d. l. 8. qui tabulam. D. ad legem Jul. pecul.* nihil prohibet.

CAP. VII

De legibus Juliis judiciorum.

Duae feruntur judiciariae Juliae leges. Privatorum judiciorum una: altera publicorum. Illa totam privatorum judiciorum formam, rationem ac regulam complectebatur, vel ipſo Gellio teſte, cujus ipſamet verba ex *lib.* xiv. *cap.* 2. poſui. *Atque iu dierum quidem diffiſſionibus*, (ſic enim bene *Politianus* legendum conjicit) *comperendinationibus, & aliis quibusdam legitimis in rebus ex ipſa lege Julia, & ex Sabini Maſſurii, & ex quorumdam aliorum Juriſperitorum Commentariis commoniti & adminiculati ſumus.* Ejus legis ex his, quae extant Antiquitatis reliquiis, tria capita notaſſe mihi videor: unum, quo cavebatur, ne minor xx. annis judicare cogeretur: quod in *l.* 41. *cum lege D. de recept. qui arbit.* poſitum eſt (*a*). Alterum, quo vetabatur judex ejus rei, de qua judex erat, arbitrium recipere, inve ſe compromitti jubere: quod aeque relatum eſt in *l. 9. ſed ſi in ſervum. §. 2. ſi quis judex. D. de recept. qui arbitr.* Tertii (*b*), quod de iis, qui ſe juriſdictioni alicujus ſubjiciunt, ſcriptum erat, verba quaedam Ulpianus exponit in *l.* 2. §. 1. *D. de judic.* Ad eundem modum *lege Julia publicorum* forma, meo quidem judicio, publicorum judiciorum exercendorum praeſcribebatur. Proferam argumenti cauſa, quae in jure civili ex hac ipſa lege deſcendentia continentur. Id autem ea lege cautum fuiſſe traditur, ne eodem tempore de duobus reis (*c*) quis quaereretur, niſi ſuarum injuriarum cauſa. *l.* 12. *hos accuſare.* §. 2. *lege. D. de accuſ.* Eadem lege continebatur, uti locum, in quo delictum admiſſum eſſet, & perſonam, cum qua admiſſum diceretur, & menſem deſignarent, qui reos deferebant. *l.* 3. *libellorum D. de accuſat.* Hac etiam lege contra adgnatos & adfines teſtimonium dicere invitum neminem cogi (*d*), Paulus ait in *l.* 10. *juriſconſultus. D. de gradib. & adf.* Cujus capitis plenius idem in *l.* 4. *D. de teſtib.* ſententiam exponit. *Lege*, inquit, *Julia judiciorum publicorum cavetur, ne invito denuntietur, ut teſtimonium litis dicat adverſus ſocerum, generum, vitricum, privignum, ſobrinum, ſobrinam, ſobrino natum, eosve, qui priore gradu ſint. Item ne liberto ipſius, liberorum ejus, parentium, viri, uxoris, item patroni, patronae, & ut ne patroni, patronae adverſus libertos, neque liberti adverſus patronum cogantur teſtimonium dicere.* Quo referenda eſt *l.* 2. *D. de accuſat.* cujus in *Pand. Flor.* verba tranſpoſita facile a quovis reſtituentur. Ad haec lege Julia publicorum comprehenſum accepimus, ut ne reus, qui accuſatori publico judicio ideo praeſcribat, quod dicat ſe eodem crimine ab alio accuſatum & abſolutum fuiſſe, prius accuſetur, quam de prioris accuſatoris praevaricatione conſtiterit, & pronuntiatum fuerit. *l.* 3. §. 1. *D. de praevaricat.* Plane cum in priore accuſatione praevaricatio accuſatori objiciebatur, legem voluiſſe, ut reus ante peragetur, tunc de praevaricatione quaereretur, Plinius *lib.* iii. *ep.* 9. *ad Minutiam*, auctor eſt. Videlicet quia optime ex accuſatione ipſa accuſatoris fides aeſtimaretur. Erat & illud in ea lege, ut ſi ſervus capitali crimine poſtularetur, ſiſti eum vel ab extraneo ſatisdato promitteretur. Quod ſi non defenderetur, in vincula publica conjiceretur, ut ex vinculis cauſam diceret. *l.* 2. *D. de cuſtod. reor.* Reum quoque vel accuſatorem, qui domum judicis ingrediatur, per legem Juliam judiciariam in legem ambitus committere, & centum aureis multari (*e*), Modeſtinus adnotat in *l.* 1. *in fin. D. ad legem Jul. de amb.* Huc quoque referendum puto, (*f*) quod Cicero *lib.* 1. *Rhet. ad Heren. cap.* 12. ſcribit: *Et in publicis quaeſtionibus cavetur legibus, ut ante, ſi reo commodum ſit, judicium de accuſatore fiat, Utrum illi liceat accuſare, necne.* Enimvero quod Imper. Alexand. reſcripſit, Reos capitalium criminum

CAP. VII. Ad hoc caput conferri poſſunt Scriptores de legibus Romanorum, inprimis *Chriſt. Godofr. Hoffmanni Hiſtoria Juris Tom.* I. *p.* 127. & 148. *ſeqq.*

(*a*) Est] De hoc capite vide *Jac. Cujacii Obſerv. lib.* xxi. *cap.* 32. & *Cornel. van Bynkershoek Obſervation. lib.* vi. *cap.* 17.

(*b*) Tertii] De hoc capite vide *Ger. Noodt de Juriſdictione lib.* ii. *c.* 12.

(*c*) De duonus reis] De lectione hujus loci diſputant *Cujacius Obſervatt. lib.* vii. *cap.* 12. & *Radulph. Fornerius Rer. Quotidian. lib.* iv. *cap.* 16. Confer *Jo. Guil. Hoffmanni* librum ad *L. Jul. de Adult. cap.* vi. *pag.* 120.

(*d*) Cogi] De hoc capite vide *Collationem legum Moſaic. & Roman. tit.* xi. ibique interpretes, in *juriſpr. antejuſt. pag.* 766. *ſeq.* & *Jo Gottl. Heineccii Comment. ad L. Jul. & Pap. Popp. lib.* ii. *cap.* 17. *p.* 309.

(*e*) Aureis Multari] Confer de hoc capite *Jac. Cujacii Obſerv. lib.* vi. *cap.* 34. *Jac. Gothofredi Comment.* ad *L.* 6. *de offic. rector. prov.* in C. *Th. lib.* 1. *tit.* 7. *Anton. Schultingii Diſſert. de recuſatione judicis*, *cap.* 6. Hanc tamen poenam non ex ipſa lege, ſed ex SC. quodam pervenire, annotavit *Hoffmannus* in *Hiſtoria juris*, *pag.* 150. Praeterea numerum patronorum hac quoque lege definitum fuiſſe, colligi poſſe videtur ex Asconio Ped. in *Argum. Orat. Ciceronis pro Scauro*, *pag.* 171. Denique & Auguſtum in legibus judiciariis triduo ſervari ferias Saturnaliorum juſſiſſe, auctor eſt Macronius *Saturn. lib.* 1. *cap.* 10.

(*f*) Puto] Merito tamen dubitatur, num hoc ſit ex lege Julia, quum praeſertim de aetate Auctoris *Rhetor. ad Herenn.* nondum conſtet.

num abſentes per procuratores defendi legibus judiciorum publicorum permitti, *l.* 3. *C. de accuſat.* non tam ad legem Juliam, quam ad omnes ſpeciales publicorum criminum leges videtur pertinere.

CAP. VIII.

De itinerum per lapides dimetiendorum ratione, & leuga Francica.

Tritum eſt, Romanos itinerum ſpatia miliaribus & lapidibus dimenſos fuiſſe. Pleni ſunt exemplorum libri, quibus congerendis opera litterisque non abutar. Si quis tamen ejus rei probationem ex libris noſtris deſideret, in promtu ſunt *l.* 1. §. 4. *initio. D. de offic. praef. urb. l.* 21. *propter litem.* §. 2. *D. de excuſ. tut.* §. 16. *qui excuſare. Inſtit. eod.* Apparet autem ex *d.* §. *initio.* lapidem & miliarium pro eodem dici. Et miliarium a mille paſſuum numero dictum nemo ignorat. Lapidis in eadem ſignificatione unde manarit appellatio, hoc eſt, quod explicare ſtudeo. Quod mihi antea obſcurum PLUTARCHUS in *Graccbis p.* 838. patefecit, a quo didici, ſingulis miliariis, auctore Tiberio (*a*) Graccho, lapideas columnas, ſpatiorum ſigna inſcripta habentes, poſitas fuiſſe. Unde lapidibus itinerum quoque dimenſionem fieri in uſum venit. Verba PLUTARCHI ſunt haec: Πρὸς δὲ τούτοις διαμετρήσας κατὰ μίλιον ὁδὸν πᾶσαν (τὸ δὲ μίλιον ὀκτὼ σταδίων ὀλίγον ἀποδεῖ) κίονας λιθίνους σημεῖα τοῦ μέτρου κατέστησεν. ἄλλους δὲ λίθους ἔλαττον ἀπέχοντας ἀλλήλων ἑκατέρωθεν τῆς ὁδοῦ διέθηκεν, ὡς εἴη ῥᾳδίως τοῖς ἵππους ἔχουσιν ἐπιβαίνειν ἀπ' αὐτῶν, ἀναβολέως μὴ δεομένοις. *Adhaec viam omnem per miliaria dimenſus, (capit autem paullo minus octo ſtadia miliare) columnas lapideas ſpatii ſignandi gratia locavit. Alios lapides modicis inter ſe intervallis hinc inde ſecundum viam diſpoſuit, quibus equitantes ſine ſubjicibus ephippiariis conſcenderent commodius equos* Qua de re & APPIANUS *lib.* 1. *Bellor. civil. pag.* 619. (363. *al.* 170.) Ὁ δὲ Γράκχος, ait, καὶ ὁδοὺς ἔτεμνεν ἀνὰ τὴν Ἰταλίαν μακράς· πλῆθος ἐργολάβων καὶ χειροτεχνῶν ὑφ' ἑαυτῷ ποιούμενος. *Gracchus vias etiam per Italiam muniebat longas, multitudinem operariorum, manibus victum quaerentium, obnoxiam ſibi praeparans.* Plutarcho addatur STRABO, qui *lib.* v. *Geographiae, pag.* 351. (230.) Μεταξὺ γοῦν, inquit, τοῦ πέμπτου καὶ τοῦ ἕκτου λίθου τῶν τὰ μίλια διασημαινόντων τῆς Ῥώμης, &c. *Intra quintum & ſextum a Roma lapidem, quibus miliaria deſignantur &c.* HERODIANUS σημεῖα vocat *lib.* II. *cap.* 43. Καὶ προαγορεύω, κολασθήσεσθαι κεφαλικῶς, εἴ τις ὑμῶν ἐντὸς ἑκατοστοῦ σημείου ἀπὸ τῆς Ῥώμης φανείη. *Denuntio, capite poenas daturum, ſi quis veſtrum poſthac intra centeſimum ab urbe lapidem conſpicietur.* Utitur & eodem verbo *lib. ult. cap.* 8. Quod idem RUTILIUS CLAUDIUS *Itinerarii lib.* II. quod non ita pridem in lucem Onufrii beneficio prodiit, ita effert, *v.* 8.

Intervalla viae feſſis praeſtare videtur,
Qui notat inſcriptus milia crebra lapis.

Σημείων verbo in eandem ſententiam utitur SUIDAS in *ver.* Ὠρία. Vide & SOCRATEM (*b*) *lib.* VI. *hiſt. eccleſ. cap.* VI. EPIPHANIUS *lib.* II. *tom.* I. *contra haeres. cap.* 13. *contra Catharos, haeres.* 59. §. 12. Ἀντὶ ἑνὸς σημείου ἤτοι μιλίου προκόπτων, καὶ χρείας ἔτι πλέον μὴ εὕρῃ τὴν ὁδόν. *Cum uno alterove miliari progreſſus fuerit, longius deinceps iter ſuperſit, nec viam expediat.* Hoc & QUINCTILIANUS *lib.* IV. *cap. ult.* indicat. *Reficit quoque* (de partitione loquitur) *audientem certo ſingularum partium fine, non aliter quam facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata inſcriptis lapidibus ſpatia.* BOETHIUS etiam *lib.* III. *Geometr.* lapides quosdam, quos appellat Curſorios antiquitas, inſcriptos fuiſſe ait, quibus itinera diſcriminarentur. Nec praeteribo, veniſſe aliquando in manus meas vetuſtum Canonum poenitentialium, quos vocant, librum, ex cujus praefatione haec verba excerpſi. *Quisnam hominum erit, qui ſibi manendum exiſtimet in itinere, cum viderit miliaria lapidea litteris plena viam docere?* Sed hoc ipſum illuſtrius fiet ejus monumenti, quod *Theleſiae* extat, inſcriptione relata, quae ita habet: VIAM FECEI AB REGIO AD CAPUAM, ET IN EA VIA PONTES OMNES MILIARIOS TABELLARIOSQUE POSEI VEI, HINCE SUNT NOUCERIAM MEILIA LI. &c. Hic illud exceſſus loco ſubjungam, ut Romanos miliaribus, ita & Francos (*c*) *leugis* (*d*) jam ab ultima antiquitate itinera metiri,

CAP. VIII. Ad hujus capitis illuſtrationem conferri merentur *Nicol. Bergierii* Opus eruditum *de publicis & militaribus Imperii Romani viis*, (quod Gallice primum prodiit *Pariſ.* 1622. & recuſum fuit *Bruxell.* 1729. 4. Latine vero inſertum *Tom.* x. *Theſ. Antiqq. Rom. Graev.* cum notis eruditis *Henr. Chriſt. Henninii*) *lib.* III. *Sect.* 12. *ſeqq.* & *lib.* IV. *Sect.* 39. *ſeqq.* Viri Excell. *Ever. Ottonis* Opus aeque doctiſſimum *de Tutela viarum, Part.* II. *cap.* 4. & 6. *Henr. Salmuth. notae* ad *Guid. Pancirolli Rer. Memorab. lib.* II. *cap.* 16.

(*a*) TIBERIO] Immo de ejus fratre CAJO hoc narrat Plutarchus.

(*b*) SOCRATEM] Qui *l. c.* de Eccleſia Joannis Apoſtoli dicit: Ἐκεῖα δὲ σημείοις ἀπέχει τῆς πόλεως. *Quae ſeptem millibus paſſuum abeſt ab urbe.*

(*c*) FRANCOS] *Gallos:* & paullo poſt, pro Francicum, *Gallicum* legitur in editione *Opp.* poſtuma.

(*d*) LEUGIS] Scribitur & *leuga*, & *leuca*, & *leuva*. Conſ. omnino de hac voce *Voſſii* librum *de Vitiis ſermonis, lib.* II. *cap.* 11. & *lib.* III. *cap.* 19.

metiri, eſſeque hoc vocabulum mere Francicum, ut ex PAULO *Warnefridi* ſilio *lib.* XV. *Appendicis ad Eutrop.* & HIERONYMO *in Jobelem, cap.* 11. *v.* 18. & ex legibus, quas THEODORICUS, *Rex Francorum*, *Bajuvariis* conſcripſit, & ISIDORO *lib.* XV. *Etymolog. cap.* 16. & ex his fragmentis, quae in libello variorum Auctorum *de limitibus* congeſta ſunt (*a*), comprobatur. AMMIANUS MARCELLINUS *lib.* XV. *cap.* XI. *Qui locus exordium eſt Galliarum. Exinde non millenis paſſibus, ſed leucis itinera metiuntur.*

CAP. IX.

Quaenam in jure dominii impetrando olim forma ſervaretur.

Creditores, qui pignus acceperant, cujus facilis & expedita diſtractio non eſſet, debitoribus in ſolutione ceſſantibus, ut id ſibi jure dominii poſſidere liceret, a Principe plerumque impetraſſe, in jure civili ſatis eſt cognitum. *l.* 24. *eleganter. D. de pign. action. l.* 63 *ſi is, qui in aliena. §. ult. D. de adquir. rer. dom. Tit. Cod. de jure dom. impet. l.* 59. *debitor. D. ad SC. Trebell. l. ult. C. ſi in cauſa judic. pign.* Sed ea in re quaenam ſollemnia ſervarentur, non ſatis liquet, eoque obſcurior eſt *l.* I. *C. de jure dom. impetr.* in qua hujuſmodi ſollemnium mentio habetur. Ego de eo quod proferam, hoc tantum habeo, pignus primum a creditore proſcribi venaleque proponi ſolitum. Ejus ſi emtor non inveniretur, vel minus idoneus inveniretur, tunc a Principe creditor, ut ſibi jure dominii tenere habereque liceret, poſtulabat. Quo facto debitori anni ſpatium indulgebatur, intra quod oblato debito pignus luere ac revocare poſſet: poſt eum annum lapſum deinceps creditor ex reſcripto principis pro domino pignus poſſidebat. Quod niſi unius JUSTINIANI teſtimonio cognitum eſſet, id ipſum vetuſtas, ut alia multa, oblivione obruiſſet. Verba JUSTINIANI ex *l. ult. C. de jure dom. impetr.* hic adſcripſi. *Igitur in pignaribus, quae jure dominii poſſidere aliquis cupiebat, proſcriptio publica & annus luitionis antiquitus introducti ſunt. Pignus autem publice proſcriptum neque vidimus, neque, niſi tantummodo ex librorum recitatione, audivimus.* Hinc autem interpretatio *d. l.* 63. *ſi is, qui in aliena. §. ult. D. de adquir. rer. dom.* petetur, in qua ita eſt: *Quae cum ita ſint, & cum ex principis auctoritate, creditor ut proprium agrum tenere coeperit, jure dominii, intra conſtitutum luendi tempus pignoris cauſa vertitur:* conſtitutum tempus anni intellige, qui ad luendum pignus debitori concedebatur.

CAP. X.

De plus petentibus.

Eos, qui plus petebant, cauſa olim cecidiſſe, CICERONIS ex *lib.* I. *de orator. cap.* 36. verbis confirmari ſolet. Sunt & alia praeterea de ea re loca notanda, quae hic congeſſi. Idem CICERO *pro Q. Roſc. Com. cap.* 4. *Pecunia tibi debebatur certa, quae nunc petitur per judicem, in qua legitimae partis ſponſio facta eſt. Hic tu ſi amplius* H. S. *nummo petiſti, quam tibi debitum eſſet, cauſam perdidiſti.* SUETONIUS in *Claudia c.* XIV. *Nam & iis, qui apud privatos judices plus petendo formula excidiſſent, reſtituit actiones.* PAULUS *lib.* III. *Sentent. tit. ult. §.* 2. *Quotiens,* ait, *de modo quartae retinendae quaeritur, propter periculum plus petendi, officio judicis omnibus aeſtimatis, quarta facienda eſt, quae apud heredem maneat.* Idem *lib.* II. *Sentent. tit.* V. *§.* 3. *Compenſatio debiti ex pari ſpecie & cauſa diſpari admittitur. Veluti ſi tibi pecuniam debeam, & tu mihi pecuniam debeas, aut frumentum, aut caetera hujusmodi, licet ex diverſo contractu, compenſare, vel deducere debuit: ſi totum petas, plus petendo cauſa cadis.* Hoc etiam plus petitionis periculum a MARTIA-

NO

(*a*) CONGESTA SUNT] Ubi *pag.* 322. *ed. Goeſii* ſequentia occurrunt verba: *Milliarius & dimidius apud Gallos leuvam facit, habentem paſſus mille quingentos. Duae leuvae, ſive milliarii tres, apud Germanos unam raſtam efficiunt.* Eodem modo JORNANDES *de reb. Gethic. cap.* 12. *Leuga Gallica*, inquit, *mille & quingentorum paſſuum quantitate metitur.* Adde AMMIANUM MARCELL. *lib.* XVI. *cap.* 12. ibique interpretes: & confer praeterea Lexica & Gloſſaria.

CAP. IX. Confer cum hoc capite *Jac. Raevardi* Opus *de Auctoritate Prudentum, cap.* 5. *pag.* 44. *ſeqq. ed. Antverp.* 1566. 8.

CAP. X. Ad hujus capitis uberiorem illuſtrationem conferendi ſunt ſcriptores de judiciis Romanorum, & praecipue interpretes ad §. 33. *Inſtit. de action.* nec non ad PAULUM *Recept. Sent. lib.* I. *tit.* 5. Adde *Jac. Cujac. Obſ. lib.* VII. *cap.* 27. & *lib.* XII. *cap.* 21. *Jac. Raevard. Vor. lib.* III. *cap.* 14. *Chriſtoph. Adam. Rupert. Animadv.* ad *Pomponii Enchirid. lib.* I. *cap.* 7. *pag.* 76. *ſeqq. ed. Uhlii. Jo. Gottl. Heinecc. ad Edictum perpetuum, tit.* XVIII. *pag.* 367. *ſeqq.* Ego interim in tyronum gratiam id ſolum annoto, plus petitionem locum tantum habuiſſe in actionibus ſtricti juris, non vero in actionibus bonae fidei. Ratio differentiae eſt, quia in actionibus ſtricti juris & actor certum quid exprimere debebat, & judex certa formula erat circumſcriptus. Si ergo actor totam ſuam petitionem probare non poterat, tunc eum cauſa cecidiſſe neceſſe eſt, eique deinceps agenti obſiſtebat exceptio rei judicatae. Aſt in bonae fidei judiciis & actor petebat, & arbiter judicare jubebatur: *quicquid alter alteri ex fide bona praeſtare teneretur.* Lege CICERONIS *Orationem pro Roſcio Comoedo.* inprimis *cap.* 4. totum.

NO in *Novell. tit.* 1. *in fine* (*lib.* III. *legg. Novell.* D. THEODOSII A. in *ed. Jac. Gothofr. pag.* 30.) perſtringitur. Denique ejus aperta relicta ſunt veſtigia in *l.* 1. *D. de interrogat. in jur. fac.* paullo vero obſcuriora in *l.* 36. *ſi pater. D. de ſolutionib.* Et in *l.* 2. *ſi ex pluribus D. ſi pars hered. petatur.* In qua, ſi ex pluribus, ad quos eadem hereditas pertinet, quidam adbuc deliberent, eos, qui adierint, ſi petant hereditatem, non majori ex parte petere debere, quam habituri eſſent, caeteris adeuntibus, ſcribitur, nec eis prodeſſe (quum ſcilicet formula cadant quaſi plus petierint) ſi caeteri non adierint.

CAP. XI.

De ſtatuis, imaginibusque Principum.

Quam fuerint honorum divinorum avidi Romani Principes, multa eorum dicta factaque declarant, ut caetera omittam, vel in ſtatuis ſuis imaginibusque tuendis quantum ſtudii poſuerint, ex eorum conſtitutionibus, fideque hiſtorica aeſtimemus. Eas certe in militaribus ſignis, ut praeſentia numina coli, araſque etiamnum in caſtris eis poni ſolitas, ex TACITO *Annal. lib.* XV. *c.* 29. & 30. & VEGETIO *lib.* II. *c.* 5. & 6. conſtat (*a*). In urbe vero tantae religioni ac venerationi habitas aeque conſtat, non modo ut extrahere, rapere, violare eos, qui ad eas confugiſſent (*b*), eaſve praetuliſſent, ſed ne conflare quidem eas ac vendere ſine capitis periculo liceret (*c*). Hoc enim in majeſtatis crimen, judiciumque vocari voluere, ſi eorum ſtatua imagove conſecrata veniſſet. *l.* 6. *qui ſtatuas. D. ad legem Jul. majeſt.* Dixi, *conſecrata.* Etenim non videri contra majeſtatem fieri ob imagines Caeſaris nondum conſecratas venditas, SEVERUS & ANTONINUS reſcripſere. *l.* 5. *non contrahit. in fin. D. ad legem Jul. majeſt.* Sed & illud temperamentum additum eſt, ut quamquam ſpecialiter & per ſe venire ſtatuae Principum non poſſent, domus tamen, vel horti, vel praedii venditioni ſine diſcrimine accederent. *arg. l.* 24. *in modicis. D. de contr. empt.* Quod tamen dubitatione primum non caruit. Etenim Falanio Equiti Rom. ab accuſatore objectum, CORN. TACITUS *lib.* 1. *Annal. c.* 73. narrat, quod venditis hortis ſtatuam Auguſti ſimul mancipaſſet: quamquam is Tiberii reſcripto periculum effugit, quo non ideo contra religiones fieri Coss. reſcripſit, quod effigies Auguſti, ut alia Numinum ſimulacra, venditionibus hortorum vel domuum accederent (*d*). Iiſdem quoque temporibus L. Ennium Equitem Rom. majeſtatis poſtulatum, idem auctor *Annal. lib.* III. *c.* 70. retulit, quod effigiem Principis promiſcuum ad uſum argenti vertiſſet. Quem tamen inter reos recipi, Attejo Capitone Jureconſulto contra cenſente, Tiberius vetuit. Plane eo imperante in judicium adductum quemdam majeſtatiſque accuſatum, SUETONIUS *cap.* 58. in *Tiberio* prodidit, quod ſtatuae Auguſti caput demſiſſet, ut alterius imponeret: damnatoque eo, hoc genus calumniae paullatim eo proceſſiſſe, ut haec quoque capitalia eſſent, circa Auguſti ſimulacrum ſervum cecidiſſe, veſtem mutaſſe, nummo (*e*) vel annulo effigiem impreſſam latrinae aut lupanari intuliſſe. Unde SENECA *libro tertio de Benef. c.* 26. narrat, Tiberio imperante Praetorium quemdam virum in annulo inſculptam Caeſaris imaginem habentem, cum matellam ſumſiſſet, majeſtatis poſtulatum, quod imaginem obſcoenis admoviſſet. PHILOSTRATUS *lib.* I. *de vita Apollonii, cap.* 15. Καί τι στεφανούμενον τοῖς βασιλικοῖς ἀνδριᾶσιν, οἳ καὶ τοῦ Διὸς τοῦ ἐν Ὀλυμπίᾳ φοβερώτερος

CAP. XI. Ad boc caput conferendi ſunt Scriptores, qui de Statuis Imaginibuſque tum in genere egerunt, quorum praecipuus *Emundus Figrelius*: (ex cujus libro *de Statuis* huc inprimis pertinet *cap.* 31. cum *ſeqq.*) tum in ſpecie de Statuis Imaginibuſque Principum: de quibus *ſing. Diſſ.* ſub praef. *Jac. Gronovii* defendit *Jo. Sam. Strimeſius*, *Lugd. Bat.* 1708. Laudari ab aliis, non ipſe vidi, *Jo. Georg. Roeſeri* & *Jo. Sam. Strykii Diſſ. de Statuis Principum.* Ex iis, qui in aliis operibus hujus quoque rei mentionem injecerunt, praeter Interpretes ad *Tit. Cod.* utriuſque *de Statuis & imaginib.* & *de bis, qui ad ſtat. confug.* laudari merentur: *Jo. Dan. Schoepflinus* in Tract. *de Apotheoſi Impp. cap.* 4. *Anton. Bombardinus* in Tract. *de carcere, cap. ult.* (qui pleraque tamen ſua ex auctore noſtro hauſit.) *Auguſtin. Campianus* in libro *de Offic. & poteſt. Magiſtrat. cap.* 47. *pag.* 152. *ſeqq. Petr. Aerodius* in *Pandect. Rer. judicat. lib.* VII. *tit.* 7. *Henr. Salmuth* in *not.* ad *Guid. Pancirolli Rer. Memorab. lib.* I. *cap.* 32. *pag.* 117. *ſeqq. Jac. Durantius Caſellius* in *Var. lib.* II. *cap.* 16.

(*a*) CONSTAT] Confer hac de re, praeter *Godeſchalci Stewechii not.* ad *Veget. l. c. Juſti Lipſii* Opus *de Militia Rom. lib.* IV. *cap.* 5. & *Theodori Hoeping* Opus *de Inſignium ſive armorum priſco & novo jure, cap.* 17. §. 7.

(*b*) CONFUGISSENT] De ritu confugiendi ad ſtatuas Imperatorum, praeter ſcriptores de Aſylis, & auctores ad princ. cap. laudatos, vide etiam *Juſti Lipſii Excurſ.* ad *Tacit. Annal. lib.* III. *lit.* F.

(*c*) LICERET] Immo, ne in alium quidem locum transferri poterant ſtatuae Imperatorum, ſine ſpeciali Principis regnantis permiſſu. (Vid. PLINIUS *lib.* X. *Epiſt.* 24.) Pro majeſtatis etiam laeſione habebatur, ſi juxta ſtatuas Imperatorum mortui ſepelirentur. (Vid. PLINIUS *lib.* X. *Epiſt.* 85.)

(*d*) ACCEDERENT] Conf. Nobiliſſ. *Meerman Diſſ. de rebus mancipi* §. 237.

(*e*) NUMMO] De veneratione nummorum, Principis imagine ſignatorum, confer *Ezech. Spanhemii* Opus *de Uſu & Praeſtantia Numiſmatum, Diſſ.* 1. *pag.* 29. *ſeqq. ed. Lond.*

ἔτι τότε δὲ ἀσυλότεροι ἦσαν. Τιβερίῳ γε ὄντες, ἐφ' ᾧ λέγεταί τις ἀσεβῆσαι δόξαι, τυπτήσας τὸν ἑαυτοῦ δοῦλον φέροντα δραχμὴν ἀργυρᾶν νενομισμένην ἐς Τιβέριον. *Quamvis ad Imperatorum ſtatuas procumberet, quarum major eo tempore, quam Jovis Olympii reverentia atque religio: Tiberii nempe erant, qua imperante majeſtatis reus viſus eſſe nonnemo dicitur, quod ſervum ſuum gerentem argenteum Tiberii nummum, verberaſſet.* Caracallae quoque temporibus damnatos eos fuiſſe, SPARTIANUS in *ejus vita*, *cap.* 5. prodidit, qui urinam in eo loco feciſſent, in quo ſtatuae aut imagines erant principis, & qui coronas imaginibus ejus detraxerant, ut alias ponerent. XIPHILINUS in *Domitiano*, *lib.* 67. *pag.* 765. Γυνὴ δέ τις ὅτι ἀπεδύσατο ἐναντίον εἰκόνος τοῦ Δομιτιανοῦ ἐκρίθη τε καὶ ἀπώλετο. *Mulier quaedam, quod ſemet exuerat ante ſtatuam Domitiani, damnata & interfecta eſt.* Caeterum cum improbi paſſim homines, imaginibus Caeſarum ſine cauſa praelatis, ſtatuisque adprehenſis, invidiam adverſariis concitarent, Senatuſconſulto prohibitum fuit, ne quis in alterius injuriam ad ſtatuas Principum confugeret, imagineſve eorum portaret: qui ſecus faceret, in vincula publica mitteretur. *l.* 38. *ſenatuſconſulta. D. de injur. l.* 28. *capitalium* §. 7. *ad ſtatuas. D. de poen.*

CAP. XII.

De viarum curatoribus.

Interdictum, quod de via publica proponitur, ad vias tantum ruſticas, non etiam ad urbicas pertinere, ULPIANUS docens, hanc rationem ſubjecit: *Harum enim cura pertinet ad magiſtratus. l.* 2. §. 24. *hoc interdictum. D. Ne quid in loca publ.* verum, ad quos magiſtratus, tractandum eſt. Nam & eo VENULEJI locus explicabitur, in quo, novam cloacam eum demum concedere debere ait, cui publicarum viarum cura ſit, *l. ult. D. de cloac.* Curam autem viarum ad Aedilium officium pertinuiſſe, vel edictum Aedilicium in Pandectis relatum docet: quo edicebatur, ne quis animal aliquod, qua vulgo iter fieret, ita haberet, ut nocere cuiquam damnumve dare poſſet. *l.* 40. *hi enim. l.* 42. *qua vulgo. D. de Aedilic. ed.* Comprobatur & eo, quod alias legitur, lectos, quod in via poſiti eſſent, Aedilem concidiſſe. *l.* 12. *lectos. D. de peric. & com.* Manifeſtius vero lege PAPINIANI Graeca, quae ſub *tit. de via publ.* poſita eſt, id ipſum oſtenditur, ex eoque, quod DION *lib.* LIX. *pag.* 649. & TRANQUILLUS in *Veſpaſian. cap.* V. narrant, Caji Caligulae juſſu Flavii Veſpaſiani Aedilitatem gerentis veſtem luto oppletam ac reſperſam, propter curam verrendis viis non adhibitam, quarum ad eum ex officio purgatio pertinebat. STATIUS PAPIN. *lib.* IV. *Sylvar. Sylv.* 9. *v.* 16.

——— ——— ——— Priusquam
Te Germanicus arbitrum ſequenti (*a*)
Annonae dedit, omniumque late
Praefecit ſtationibus viarum.

Erant & viarum curatores, quorum PAULUS *lib.*

CAP. XII. Ad hocce caput omnino conferendus eſt Tractatus eruditiſſimus Viri Excell. *Ever. Ottonis*, *de tutela viarum publicarum*, qui prodiit *Ultrajecti* 1731. in 8*vo*. Praeterea vero legi merentur *Henr. Salmuth. notae* ad *Guid. Pancirolli Rer. Mem. lib.* 1. *cap.* 21. *Car. Andr. Dukeri notae* ad *Livii lib.* X. *cap.* 23. *pag.* 92. *ſeq. ed. Drakenb.* nec non Fragmentum legis antiquae de cura viarum, quod poſt *Maittairium* ante aliquot annos edidit, & doctiſſimis ſuis annotationibus illuſtravit Vir Cel. *Franc. Carol. Conradi*, in *Parergis Part.* III. *num.* 3. ex quibus ea, quae ab auctore vel nimis breviter, vel minus accurate poſita ſunt, facile ſuppleri emendarive poſſunt. Interim tamen nos quoque, in tyronum praecipue gratiam, totam rem breviter veluti in tabula proponemus.

Quum Aediles eſſent curatores urbis, illisque tota urbs tuenda eſſet commiſſa: (juxta CICERONEM *lib.* III. *de legibus*, *cap.* 3. & *Accuſat. in Verr. lib.* V. *cap.* 14.) non mirum ſane, ſi & viarum cura ad illos pertineret. Et quod ad vias quidem purgandas, a ſordibus aliisque impedimentis liberandas attinet, nemo id ad Aediles pertinuiſſe negabit: de cura vero muniendarum & ſternendarum viarum, num ea ad Aedilium quoque officium pertinuerit, dubitarunt nonnulli, qui hanc potius ad Cenſores pertinuiſſe putarunt. Sed & hanc curam ordinarie ad quatuor Aediles, ſecundum quatuor urbis regiones, quas inter ſe ſortiebantur, pertinuiſſe, luculenter ex fragmento legis antiquae docuit laudatus *Conradi*. Ordinaria ergo & quotidiana munitio & refectio viarum omnino ad Aediles pertinuit. Cenſores vero, quando in republica erant, vias etiam ſternendas, muniendas & reficiendas locabant, eodem modo, quo alia opera publica, quorum tutela ordinarie alias ad Aediles pertineret.

Quemadmodum vero majores magiſtratus plerumque minores, tanquam adminiſtros, adjunctos habere ſolebant: ita quoque in hac viarum cura Aedilibus olim adjuncti erant: *Quatuorviri viarum curandarum intra urbem*, & *Duumviri extra urbem*: de quibus Viri laudati ſufficienter egerunt. Ad hoſce pertinent loca POMPONII & DIONIS ab auctore adducta: & hi iidem ſunt, quos VARRO vocat *Viocuros*, non tantum *lib.* IV. *de lingua Lat. cap.* 1. *pag.* 6. ſed &, ſi *Scaligeri* emendatio in *Conjectaneis pag.* 65. recte ſe habet, *lib. eod. cap.* 32. *pag.* 38.

Praeterea vero tempore liberae reipubl. magnae illae extra urbem viae militares peculiares Curatores extra ordinem, ex conſularibus plerumque viris, accipere ſolebant. Poſtea vero Auguſtus, rerum potitus, ipſe viarum, quae ſunt circa Romam, curator conſtitutus, praetorios viros, qui binis lictoribus uterentur, ad vias muniendas conſtituit, teſte DIONE CASS. *lib.* LIV. *pag.* 526. De hiſce Curatoribus viarum, (ad quos loca PAULI, SUETONII & CAPITOLINI ab auctore adducta pertinent) praeter Viros laudatos conferri meretur *Juſt. Lipſius* in *Excurſ.* ad TACITUM *Annal. lib.* III. *lit.* E.

(*a*) SEQUENTI] *Caſp. Gevartius* in *Lection. Papin. cap.* 12. notat in Codice quodam legi *frequenti*;

lib. v. Sentent. tit. VI. §. 2. meminit: qui compoſito nomine *Viocuri* dicebantur, quod vocabulum apud VARRONEM *lib.* IV. *de lingua Lat. c.* 1. *p.* 6. reperitur. Plane a P. VICTORE curatores duo unicuique urbis regioni adſignantur. Atque inter nova officia ab Auguſto excogitata etiam viarum curationem SUETONIUS in *ejus vita c.* 37. numerat. CAPITOLINUSque in *vita M. Anton. cap.* 11. his curatoribus poteſtatem a M. Antonino Philoſopho datam memorat, uti punirent, quos videretur, aut puniendos ad praefectum urbi remitterent. Antea quoque Quatuorviros, qui viarum curam gererent, in Republ. conſtitutos, POMPONIUS in *l.* 2. §. 30. *D. de orig. jur.* ſcribit. Hi ſunt, qui a DIONE *lib.* LIV. *pag.* 540. Οἱ τέσσαρες τῶν ἐν τῷ ἄστει ὁδῶν ἐπιμελούμενοι, *quatuor intra urbem viarum curatores* appellantur. De quibus & illae Antiquitatis inſcriptiones accipiendae ſunt, quae Urbini & Tiburi extant, in queis IV. VIR. VIAR. CURAN. fit mentio. Sed & Quaeſtoribus (*a*) viarum ſternendarum muniendarumque curam mandatam fuiſſe invenio. Hoc TRANQUILLUS in *Claud. cap.* 24. demonſtrat. *Collegio*, ait, *Quaeſtorum pro ſtratura viarum gladiatorum munus injunxit.* AUGUSTUM denique, idem auctor (*b*) ſcribit, *cap.* 30. ſpatium urbis in regiones vicosque diviſiſſe, inſtituiſſeque, ut illas annui magiſtratus ſortito tuerentur; hos magiſtri e plebe viciniae cujusque electi, quos Vicomagiſtros P. VICTOR vocat.

CAP. XIII.

De decurionibus.

Multa de decurionibus Antiquitatis ſtudioſis non ignoranda libris noſtris continentur. Ea quam potero breviſſime complectar. Decuriones publici conſilii cauſa, quod & origo nominis ab ULPIANO in *l.* 239. *pupillus.* §. 5. *decuriones. D. de verbor. ſignificat.* expoſita indicat, in municipiis coloniisque conſcribebantur: erantque ſuae curiae quaſi Senatores. *l.* 33. *omnes. C. de decurionib. l.* x. unde & βουλευταὶ Graecis appellantur. CASSIODORUS *lib.* II. *Variar. Epiſt.* 18. ad *Gudilam* ait, antiquos Curiam Minorem Senatum (*c*) appellaſſe. Ex his magiſtratus, id eſt, Duumviri, Aediles, &, ut in aliquibus municipiis, Dictatores (*d*), Praetoresque creabantur. Nec vero aliis, quam qui ex ordine decurionum eſſent, honores municipiorum mandabantur. *l.* 7. *honores.* §. *penult. D. de decurionib.* Per eosdem omnia civitatum munera explicabantur. Nam & pecuniam publicam tractabant, erogandam decernebant, annona uti civitati ſupereſſet, providebant, curatoresque frumenti, olei comparandi, vel operum publicorum, aut alterius negotii Reipubl. cauſa, nec non legatos, & ſyndicos, & tutores periculo ſuo conſtituebant: tributa quoque, cenſus, legata Reipubl. relicta eorum vigilantia ac ſollicitudine exigebantur, omniumque in univer-

quenti: quam lectionem ille vulgatae praefert. Vult vero ſignificare STATIUS, eum primo Curatorem Annonae, & deinde Curatorem Viarum factum fuiſſe.

(*a*) QUAESTORIBUS] Sed hoc non ita intelligendum, ac ſi cura haec ordinarie ad Quaeſtores quoque pertinuerit: verum candidati quaeſtorii per talem liberalitatem aditum ſibi ad honores parabant, ut recte locum hunc explicavit Cel. *Conradi.*

(*b*) AUCTOR] De loco hocce vexatiſſimo SUETONII non una eademque eruditis ſedet ſententia. Ego auctorem hunc explicandum eſſe exiſtimo ex DIONE CASS. *lib.* LV. *pag.* 554. Nam accuratius utrumque locum mihi intuenti, tam ſimiles eſſe videntur, ut ovum ovo ſimilius eſſe nequeat. Quemadmodum ergo vicis praeerant Vicorum magiſtri: ita unicuique urbis regioni ſorte unus ex magiſtratibus ordinariis praepoſitus fuit: hique fuerunt Curatores regionum urbis: quos poſtea quatuordecim peculiares ex viris conſularibus creavit *Alexander Severus*, teſte LAMPRIDIO in ejus vita, *cap.* 33. Deinceps vero, ut ex VICTORIS ab auctore ſupra adducto loco patet, unicuique regioni duo Curatores praepoſiti fuerunt: quod quando factum ſit, incertum eſt. Utrum vero hi Curatores regionum tutelam etiam viarum in urbe habuerint, id aliis excutiendum relinquo. (Confer interim, praeter Interpp. ad *Sueton* l. c. *Petri Fabri Semeſtr. lib.* 1. *cap.* 5. *Onuph. Panvin. Deſcript. Rom. pag.* 327.)

CAP. XIII. De Decurionibus agere ſolent ſcriptores, qui de magiſtratibus municipalibus aliquid ſcriptis mandarunt: quorum recentiſſimus & accuratiſſimus Vir Excell. *Ever. Otto*, cujus ſcripta huc ſpectantia jam ſupra laudavi, *lib.* III. *cap.* 10. Conferri quoque poſſunt interpretes ad *tit. Cod. Theod.* & *Juſtin.* nec non ad *tit. Pand. de Decurionibus*: & praeterea *Phil. Berterii Pithan. Diatrib.* 1. *cap.* 10. *Marci Velſeri Rer. Auguſto-Vindelic. lib.* v. *pag.* 266. *ſeqq. Tom.* 1. *Opp. Emund. Merillii Obſervatt. lib.* VII. *cap.* 26. *Jo. Gottl. Heineccii Synt. Antiqq. Rom. lib.* 1. *tit.* 10. §. 24. & *App. ad lib.* 1. *cap.* 5. §. 123. *Juſti Fontanini Antiqq. Hortae, lib.* 1. *cap.* 2. 3.

(*c*) SENATUM] Id quod etiam confirmat *Novella* MAJORIANI. *tit.* 1. quem locum ad *not. ſeq.* adducam. Hinc ſaepe *Senatores* vocantur, eorumque coetus *Senatus* ab antiquis Scriptoribus. Vid. e. g. LATINI PACATI *Paneg. in Theodoſ. Imp. cap.* 37. AUSONIUS in *Moſella*, *v.* 401.

——— *Quos curia ſummos*
Municipum vidit Proceres, propriumque Senatum.

(*d*) DICTATORES] *Caſp. Barthii Obſervat. de Dictatore Municipali* ex ejus ſchedis edidit *Chriſt. Schoettgenius*, *Dreſdae* 1738. 4.

verſum, quae civitatis adminiſtrationem reſpicerent, eis onus imponebatur. *l.* 2. §. 1. *cum ſeq. l.* 8. *non debere. l.* 17. *libertus.* §. 7. *exigendi. l.* 21. *Lucius. & l. ult.* §. 2. *Imperatores. D. ad municipal. l.* 30. *ex facto. D. de negot. geſt. l.* 5. *decuriones. D. de admin. rer. ad civit. pert.* Atque ita curiae nexibus obſtricti erant, ut militia eis, *l.* 38. *ne quis officialium. l.* 51. *quamvis. l.* 55. *ſi quis decurio. C. de decurionib. lib.* x. & vectigalium publicorum, alienarumque quarumlibet rerum conductione, procuratioeneque interdiceretur. *l.* 2. §. 1. *D. de adminiſtr. rer. ad civit. pert. l.* 6. *ſpurii.* §. 2. *decurio. D. de decurion. l.* 30. *curialis. C. locat.* videlicet ne alienorum negotiorum cura a ſuo munere avocarentur (*a*). Quae omnia ex Impp. Conſtitutionibus deſcendunt. Nam de vectigalibus quidem, ut ne ea decurionibus per ſe, vel per ſubjectam perſonam, exercere liceret, ab Hadriano conſtitutum, Xiphilin. *lib.* LXIX. *pag.* 795. ita ſcribit (*b*): Ἐνομοθέτησε ἄλλα τέ πολλά, καὶ ἵνα μηδεὶς βουλευτὴς, μήτ᾽ αὐτὸς, μήτε δι᾽ ἑτέρου, τέλος τι μισθῶται. *Multas & alias leges ſanxit, & inprimis, ne ſenator per ſe, neve per alium, vectigalia conduceret.* Reliquorum auctores obſcuri non ſunt. Tot vero muneribus obnoxii decuriones cum eſſent, mirum videri non debet, ſi curiam, quoad poſſet, quiſque defugeret, adeo ut poenae loco Chriſtiani ab impiis Principibus curiis addicerentur (*c*): quemadmodum Cassiodorus *Trip. Hiſt. lib.* 1. *cap.* 9. *& lib.* VI. *cap.* 7. *& lib.* VII. *cap. ult.* teſtatur. Pro quibus tantis oneribus, decurionibus praerogativa data fuit, ut a plebejis in poenis ſepararentur. Nam neque fuſtibus, neque quaeſtioni ſubjici, *l.* 5. *decuriones. C. ex quib. cauſ. inf. l.* 16. *decuriones. C. de quaeſtionib.* Justinianus *Nov.* XLV. *princ.* Καὶ ἐπειδήπερ οἱ νόμοι πολλὰ δεδώκασι τοῖς βουλευταῖς προνόμια περί τε τὸ μὴ τύπτεσθαι, περί τε τὸ μὴ παρέλκεσθαι, μήτε εἰς ἑτέραν ἄγεσθαι χώραν, καὶ ἕτερα μυρία. *Et quoniam leges plurima curialibus praebent privilegia, & ut non caedantur, [neque ſiſtantur] neque ad aliam ducantur provinciam, & alia plurima.* Neque in metallum, vel in opus metalli damnari, vel furcae figi, vel ad beſtias, aut in opus publicum dari, vel vivi exuri poterant: & ſi forte hujuſmodi ſententia adfecti eſſent, auctoritate principis liberabantur. *l.* 9. *moris.* §. 11. *iſtae fere. l.* 28. *capital.* §. 5. *& general. D. de poen. l.* 3. *D. de veteran.* Et generaliter capite puniri eos Divus Hadrianus prohibuit. *l.* 15. *divus. D. de poen.* Quinimmo ne leviores quidem poenae iis a praeſidibus provinciarum jure irrogabantur: ſed ſi capitale quid admiſiſſent, in carcerem duntaxat eos diligentioris cuſtodiae cauſa recipere, vinctosque cuſtodire licebat: ac deinde de eorum poena Imperatori ſcribendum erat, ut ſi relegandi extra provinciam in inſulam eſſent, vel alia poena graviore adficiendi, Princeps ipſe re cognita ſtatueret. Quod & mandatis cavebatur. *l.* 27. *divi.* §. 1. *D. de poen. l.* 6. *ſi quis filio.* §. 7. *ejus. D. de injuſta rupt. l.* 1. §. 1. *D. quando appellan. ſit.* Atque hunc honorem non ipſorum tantum decurionum perſonae, ſed & parentibus liberisque eorum habitum, ſuperiores loci declarant. Ad haec ab extraordinariis omnibus muneribus decuriones immunes erant. *l.* 21. *curiales. C. de decurionib. l.* 14. *humilioribus. C. de ſuſceptoribus.* Quinetiam ne curiae inopia civium dereſerentur, a Theodoſio primum conſtitutum, a ſequentibus deinde Imperatoribus confirmatum eſt, uti naturales filii curiae oblati legitimi fierent, ſuorumque here-

(*a*) Avocarentur]. Immo potius, quia & ratione perſonae, & ratione facultatum, curiae in totum obligati & addicti erant, ut quodammodo eſſent adſcriptitiae conditionis. Hinc Leo & Majorianus Impp. in *Novell. Major. tit.* 1. (*lib.* IV. *Novell. D. Theodoſii, pag.* 32. *ed. Jac. Gothofr.*) *Curiales*, ajunt, *ſervos eſſe reipublicae, ac viſcera civitatum, nemo ignorat, quorum coetum recte appellavit antiquitas minorem Senatum.* Vide *L.* 50. 54. 60. 64. 66. *C. de decur.* it. *Titt. Cod. de praediis decurionum: & ſi curialis relicta civ.* Adde Synesium *Epiſtol.* 38. & 92. *al.* 93.

(*b*) Scribit] Locum hunc Xiphilini non de Decurionibus; ſed de Senatoribus urbis Romae intelligendum eſſe, putat *Jac. Gothofredus* in *Comm.* ad *L.* 97. *C. Theod. de Decurionib. lib.* XII. *tit.* 1. *pag.* 444. *Tom.* IV.

(*c*) Addicerentur] Immo & alios interdum ob delictum poenae loco curiae mancipatos fuiſſe, ex *Novell.* 123. ex *L.* 1. & 7. *C. Theod. de filiis milit. apparit. & veteran.* & ex *L.* 4. *C. Theod. de tyron.* annotavit *Aegidius Menagius* in *Amoenit. Jur. Civ. cap.* 3. *pag.* 15. *ed. Hoffmanni.* Legimus tamen interdum etiam quosdam honoris cauſa, & in praemium, decurionibus fuiſſe adſcriptos. Cujus rei exemplum vide apud Ciceronem in *Orat. pro Coelio, cap.* 11. Immo hujus quoque honoris ſpem fecit Centurionibus ſuis Auguſtus, teſte Dione Cassio *lib.* XLIX. *pag.* 400. & Appiano Alexandrino *de Bellis Civil. lib.* V. *pag.* 1176. (744.) Sed hi forſan dignitatis tantum, ſine onere, participes facti ſunt: quod tamen non definio. Habemus ſaltem tale exemplum in Ausonii Patre, de quo ille in *Edyll. Num.* 11. *v.* 5. ita loquitur:

Curia me duplex, & uterque Senatus habebat,
Muneris exſortem, nomine participem.

Dignitas certe & honos decurionatus ſaepe in jure noſtro vocatur. (vid. *ex. gr. L.* 6. & 14. *D. de decur. L.* 5. *D. de vacat.*) Et ordo decurionum, non ſecus ac ſenatus Romanus, ordo ampliſſimus, ſplendidiſſimus & ſanctiſſimus paſſim in Inſcriptionibus appellatur. Erant tamen Decuriones dignitate Equitibus Romanis inferiores, ut clariſſime patet ex Plinio *lib.* 1. *Epiſt.* 19. Caeterum cur Chriſtiani inprimis a curiae iſtis muneribus & honoribus tantopere abhorruerint, exponit Excell. *Ever. Otto* in libro doctiſſimo *de Aedilibus Colon. & Munic. cap.* X. §. 6. *ſeqq.*

heredum jura nanciſcerentur (*a*). *l.* 3. *ſi quis l.* 4. *quoniam. C. de naturalib. liber.* § 2. *quibus connumerari. Inſtit. de heredit. quae ab inteſt. Nov.* LXXXIX. *quib. mod. natur. efficiant. ſui.*

CAP. XIV.

Explicata l. 32. abeſſe. D. Ex quibus cauſ. major. particula.

Pandectas Antiquitatis promtuarium merito quis appellet. Semper enim obſervatione dignum aliquid accurata earum lectio ſuppeditat. Quale illud eſt, quod in *l.* 32. *abeſſe. D. Ex quib. cauſis major.* legitur, abeſſe Reipubl. cauſa intelligi Tribunos militum & comites legatorum, qui ad aerarium delati, aut in commentarium Principis delati ſunt. Ex quo intelligimus comitum, eorumque, qui magiſtratibus, vel proconſulibus, aut legatis miniſtrabant, quibus e publico ſalaria praeſtabantur, nomina ad aerarium olim delata fuiſſe. Quod Senatuſconſulti de curatoribus aquarum facti verba a FRONTINO *libro ſecundo de Aquaeductib.* relata demonſtrant. Ea ſic habent: *Utique quibus apparitoribus ex hoc Senatuſconſulto curatoribus aquarum uti liceret, in diebus.* x. *proximis, quibus Senatuſconſult. factum eſſet, ad aerarium deferrentur, quique ita delati eſſent, iis Praetores aerarii mercedes, cibaria, quanta praefecti frumento danda dare deferreque ſolent, annua darent, & attribuerent.*

CAP. XV.

Expoſitum tabernae caſeariae verbum in Ariſtonis reſponſo.

Ariſto Cerellio Vitali reſpondiſſe dicitur, non putare ſe ex taberna caſearia (*b*) fumum in ſuperiora aedificia jure immitti poſſe, niſi ejus rei ſervitutem talem admittat. *l.* 8. *ſicuti.* §. 5. *Ariſto. D. ſi ſervit. vindic.* Immittendi enim fumi utiliter cedi & conſtitui ſervitutem non dubium eſt: ſed ejus in taberna caſearia quis uſus fuerit, non aſſequetur, niſi qui ex antiquitate veterem caſeorum fumigandorum morem repetierit. Quem PLINIUS *lib.* XI. *cap.* XLII. comprobat (*c*). *At caprarum*, ait, *gregibus ſua laus eſt in recenti maxime, augente gratiam fumo, qualis in ipſa urbe conficitur cunctis praeferendus.* MARTIALIS *Xeniis. lib.* XIII. *Ep.* 32.

Non quemcumque focum, nec fumum caſeus omnem;
Sed Velabrenſem qui bibit, ille ſapit.

ATHENAEUS *lib.* III. *cap.* 28. *pag.* 113. Ἐπειδὰν δ' ἀνεμβληθῇ (*d*) εἰς τὸν φοῦρνον ὑποπάσσεται τῷ ῥήμῳ χόνδρος τι, καὶ τότε ἐπιτίθεται ὁ ἄρτος, καὶ ἕλκει χρῶμα ἄριστον, οἷον τῷ φουμώσῳ τυρῷ. *Panem vero furno immiſſuri, alica furnariam palam conſpergunt, ac tum demum panem imponunt: ſic conciliatur elegans color, qualis ſcilicet eſt caſei fumo durati.* Credebantur autem gratioris & ſuavioris guſtus eſſe caſei fumo infuſcati.

CAP. XVI.

Conjunctam olim fuiſſe Juris divini & humani ſcientiam.

Ridiculum videtur nonnullis Juriſprudentiam rerum divinarum & humanarum notitiam ab ULPIANO definiri (*e*), quod exiſtiment, rerum divinarum cognitionem nihil cum juris civilis ſcientia commune habere. Atqui ex veteribus memoriis certiſſimum eſt,

(*a*) NANCISCERENTUR] De quo legitimationis modo plura diſſerunt JCti & interpretes ad *tit. de legitimatione.* Ut omnis tamen in poſterum admiratio de hoc legitimandi modo ceſſet, conſideranda ſunt ſequentia: (1) Non ipſorum tantum curialium ſplendidam quidem, ſed & multis modis miſeram fuiſſe conditionem. (2) Legitimandi hunc, ut & caeteros, modum locum tantum habuiſſe apud Romanos in liberis naturalibus, id eſt, ex concubina genitis, quibus nulla adhaeſit macula: non vero in liberis ex illicito coitu procreatis. (3) Hunc legitimandi modum locum tantum habere potuiſſe in ſplendidioris fortunae; non vero in tenuioris ſortis hominibus. Curiae enim addicti certam bonorum ſummam poſſidere debebant, quia certus erat Decurionum cenſus, ut ex PLINIO *lib.* 1. *Epiſt.* 19. patet. Hinc naturalis pater tali filio legitimando tantam bonorum ſuorum portionem concedere debebat, quanta ad cenſum Decurionum ſecundum legem municipalem requirebatur. Quum ergo alias & ſpurii & inceſtuoſi a dignitatibus & honoribus municipalibus non erant excluſi: (*L.* 6. *D. de decurion.*) mirum non eſt, Imperatores hunc legitimandi modum introduxiſſe, ut per eum divites invitarent, ad filios ſuos naturales cum parte facultatum ſuarum curiae mancipandos.

CAP. XV. Confer cum hoc capite *Franc. Duareni Anniverſar. Diſput. lib.* 1. *cap.* 24. *Henr. Salmuth. not.* ad *Guid. Pancirolli Rer. Memorab. lib.* 1. *cap.* 19. *pag.* 59.

(*b*) CASEARIA] *Caſeale* vocatur a COLUMELLA *lib.* 11. *cap.* 15. §. 7. juxta nonnullorum ſententiam. Vide ibi *Interpp.* in *ed. Geſneri*, *pag.* 443. *ſeq.*

(*c*) COMPROBAT] Adde COLUMELLAM *lib.* VII. *cap.* 8. *in fine*: ibique Cel. *Jo. Matth. Geſneri not. pag.* 624.

(*d*) Ἀνεμβληθῇ] In editione, quae apud *Hieron. Commelinum* 1597. *fol.* prodiit, legitur: ἐμβληθῇ. Paullo poſt pro ῥήμῳ in textu legitur: πρήμῳ: in margine vero hoc vocabulum adſcriptum eſt, & explicationis gratia additur: *Fortaſſis Athenaei ſeculo ita Romae piſtor illud inſtrumentum fumarium vocabat. Quidam* ῥίμω *legunt.*

(*e*) DEFINIRI] Ad hujus definitionis meliorem intelligentiam, notandum eſt: Omnium rerum, tum divinarum, tum humanarum, cognitionem,

eſt, in utriuſque cognitionis facultate conſultos pares fuiſſe, tenuiſſeque & edocuiſſe eos, quibus hoſtiis, quibus diebus, quo ritu, ad quae templa ſacra facienda eſſent, quae ſepulchrorum monumentorumque jura, quae juſtorum funebrium ſollemnia eſſent. Quae ad jus publicum & divinum referebantur omnia, cujus peritia aeque priſcoa prudentes atque humani juris cognitione commendari video (*a*). Sic enim de *Scaevola* VALERIUS MAX. *lib.* VIII. *cap.* 8. *ex.* 2. *Cum bene ac diu jura civium & cerimonias Deorum ordinaſſet*. Idemque *Titum Manlium Torquatum* juris civilis & ſacrorum Pontificalium peritiſſimum *lib.* V. *cap.* 8. *ex.* 3. appellat. Eadem laus etiam *Atejo Capitoni* a CORN. TACITO *lib.* III. *Annal. c.* 70. tribuitur. *Ateji*, ait, *Capitonis inſignior infamia fuit, quod humani, divinique juris ſciens, egregium publicum & bonas domi artes dehoneſtaviſſet*. Eundem MACROBIUS pontificii juris inter primos peritum *lib.* VII. *cap.* 13. vocat. Quod nos certius intelligeremus, ſi quos reliquiſſe eum juris pontificii libros GELLIUS *lib.* IV. *cap.* 6. & FESTUA *lib.* XI. *v. mundus.* teſtantur, in manibus haberemus. Nec Capitoni *Labeo* in hac re conceſſit, cujus etiam de jure pontificio commentarii (*b*) FESTI POMPEJI, CHARISIIQUE SOSIPATRI teſtimoniis poſteritati commendantur. Hujus quoque juris peritia *Coccejum Nervam* TACITOS *Annal. lib.* VI. *c.* 26. ornat. *Haud multo poſt*, inquiens, *Coccejus Nerva continuus principis, omnis divini humanique juris ſciens, integro ſtatu, corpore inlaeſo, moriendi conſilium cepit.* Sed nec *Maſſurium Sabinum* hujus juris ignarum fuiſſe argumento eſt, quod ejus auctoritate GELLIUS *lib.* X. *cap.* 15. in explanandis flaminum cerimoniis utitur. Denique pontificium jus civili conjunctum eſſe, CICERO in *Brut. c.* 42. & in *lib.* III. *de leg.* (*c*) oſtendit. Noſtri etiam auctores juris civilis (*d*) alteram ſpeciem in ſacris & ſacerdotibus conſiſtere ſtatuunt: unde perſpicuum fit rerum divinarum ſcientiam ad Juriſprudentiam olim pertinuiſſe, nec vero aliter omni laude cumulatum Juriſconſultum extitiſſe, quam ſi omnia & humana & divina jura ſcientia cognitioneque complexus fuiſſet (*e*).

CAP.

tionem, quatenus vel de earum natura, vel de earum moralitate quaerebatur, ſecundum veterum doctrinam, ad Philoſophiam pertinuiſſe: hujus vero partem illos Juriſprudentiam quoque cenſuiſſe, quatenus nimirum de rei juſtitia, vel injuſtitia quaeſtio erat; non diſtinguentes ſcilicet juriſprudentiam naturalem & civilem. Vid. CICERO *de legibus lib.* 1. *cap.* 5. *ſeq.* & *de Oratore lib.* 1. *cap.* 43. PLINIUS *lib.* 1. *Epiſtol.* 10. *L.* 1. §. 1. *D. de juſt. & jure.* Et confer *Jo. Gottl. Heineccii Elem. Jur. Civ. ſec. ord. Inſt.* §. 25. & *ſec. ord. Pand. Part.* 1. §. 18. ejusque *Synt. Antiqq. Rom. lib.* 1. *tit.* 1. *Hug. Grotii Florum Sparſ. ad jus Juſtin. pag.* 7. *ſeq.* & 79. *ſeq. ed. Hal.* 1729. *Corn. van Bynkershoek Opuſc. de Cultu relig. peregr. cap.* 1. Uberiora vero huc ſpectantia reperies in Viri Excell. *Ever. Ottonis Orat.* II. una *de Stoica veterum JCtorum Philoſophia*; altera *de vera non ſimulata JCtorum Philoſophia.* nec non in Viri Cel. *Corn. van Eck Orat. de religione & pietate veterum JCtorum*: & in Viri Ill. *Juſti Henning. Boehmeri Progr. de Philoſophia JCtorum Stoica*: quae quatuor opuſcula elegantiſſima junctim edita ſunt a *Gottl. Slevogt*, inter *Opuſcula de ſectis & Philoſophia JCtorum*, *Jenae* 1724. 8vo. Adde *Petri de Toullieu Orat. de Juriſprudentiae cum rerum divinarum ſcientia affinitate*, quae exſtat in ejus *Collectaneis* a *Jo. Wolbers ed. Groning.* 1737. 4. *Jo. Gottl. Heineccii Praefat. de Juriſprudentia divinarum humanarumque rerum ſcientia*, quam praemiſit *Scriptoribus de jure nautico & maritimo*, quos uno faſciculo edidit *Halae* 1740. Viri Ill. *Georg. Chriſt. Gebaueri Diſſ. de Juſtitia & Jure*, *Gotting.* 1738. *Dominici Bricherii Columbi Diſſ. de Juſtitia & Jure*, *Lipſ.* 1739.

(*a*) VIDEO] Utrumque enim jus, tam divinum, quam humanum, veteres Romani pro vinculo Reipublicae habebant. (Vid. CICERO in *Orat. pro Sext. cap.* 42.) Hinc rerum divinarum atque humanarum ſcientia non tantum a JCto, ſed & ab Oratore requirebatur. (Vid. QUINCTILIANUS *Inſt. Orat. lib.* XII. *cap.* 2.) Multi ergo JCti ſimul ſacerdotia obibant, & multi contra Sacerdotes ſimul erant JCti, ut *ex. gr. Scaevola*, de quo praeter *Valer. Max. l. c.* vide VELLEJUM PATERCULUM *lib.* II. *cap.* 26. Per ſe tamen non tantum ipſum jus divinum ab humano fuit diſtinctum, ſed & definitum fuit, ſi non antiquioribus, at poſterioribus ſaltem temporibus, quibus de rebus Pontifices, Augures, Feciales; quibusve de rebus JCti proprie reſpondere deberent. (Vide *Guil. Goeſii not.* ad *Sueton.* in *Caeſ. cap.* 6. *pag.* 19. *ſeqq. ed. Burman.*) Pro ſumma tamen laude apud Romanos ſemper habebatur, ſi quis in utroque ſcientiarum genere excelleret. Hinc *ex. gr.* ita laudare non dubitavit *Numam* LIVIUS *lib.* 1. *cap.* 18. & *Joſephum* JUSTINUS *lib.* XXXVI. *cap.* 2. §. 8.

(*b*) COMMENTARII] Laudantur ſaepenumero a FESTO, cujus loca facile ope *Indicis auctorum* inveniri poſſunt: a SOSIPATRO vero CHARISIO nuſquam laudatos reperi.

(*c*) LIB. III. DE LEG.] Puto auctorem intelligere locum *lib.* II. *de Legibus*, *c.* 18. *ſeqq.* Adde locum elegantem in *lib.* III. *de Orat. cap.* 33.

(*d*) CIVILIS] Non civilis in ſpecie: ſed juris in genere: quippe quod vel publicum, vel privatum. Publicum jus in ſacris, in ſacerdotibus, in magiſtratibus conſiſtebat. Privatum jus erat vel naturale, vel gentium, vel civile. Ita veteres philoſophati ſunt. Vide §. 4. *Inſt. de juſt. & jure. L.* 1. §. 2. *D. eod*: & confer *Jo. Gottl. Heinecc. Elem. Jur. Civ. ſec. ord. Pand. Part.* 1. §. 8. *ſeqq.*

(*e*) COMPLEXUS FUISSET] Quemadmodum enim neminem bonum eſſe pontificem ſtatuebant, niſi qui jus civile cognoſſet: ita neminem quoque perfectum JCtum eſſe exiſtimarunt, niſi qui & jure pontificio probe eſſet inſtructus: idque ob arctiſſimam juris divini & humani connexionem. Vid. CICERO *de Legibus lib.* II. *cap.* 18. *ſeqq.* aliaque loca antea indicata: & confer auctorem noſtrum ſupra *lib.* 1. *cap.* 20. quaeque ibi annotavimus.

CAP. XVII.

De maſtigophoris ad l. ult. D. de muneribus & honoribus.

Agonothetas, qui certaminibus praeſidebant, maſtigophori (*a*) quidam, qui virgis inſolentiam certatorum ſpectatorumque coërcerent, comitabantur. Hoc Arcadius Charisius in *l. ult.* §. 17. *D. de muner. & honor.* diſertis verbis expreſſit. Lucianus in libello *adverſus indoctum librorum emacem, cap.* 9. *p.* 108. *Tom.* III. Τοὺς ἀθλοθέτας δὲ ἀγανακτήσαντας ἐπὶ τῇ τόλμῃ, μαστιγώσαντας αὐτὸν ἐκβαλεῖν τοῦ θεάτρου· ὅπερ καὶ γελοιότατος ὤφθη δακρύων ὁ χρυσοῦς Εὐάγγελος, καὶ ὑπὸ τῶν μαστιγοφόρων συρόμενος διὰ μέσης τῆς σκηνῆς. *Praeſides autem certaminis indigne ferentes hominis audaciam, flagris caeſum theatro ejecerunt. Quo quidem tempore maxime ridiculus viſus eſt aureus ille Euangelus, qui ploraret tractus a virgatoribus per mediam ſcenam.* Idem in dialogo, cui titulus eſt Ἁλιεὺς ἢ Ἀναβιοῦντες, *Piſcator ſ. Reviviſcentes, cap.* 33. *pag.* 602. Ἐπεὶ καὶ οἱ ἀθλοθέται μαστιγοῦν εἰώθασιν, ἤν τις ὑποκριτὴς Ἀθηνᾶν, ἢ Ποσειδῶνα, ἢ τὸν Δία ὑποδεδυκὼς μὴ καλῶς ὑποκρίνοιτο, μηδὲ κατ' ἀξίαν τῶν θεῶν, καὶ οὐδέν τι ὀργίζονται αὐτοῖς ἐκεῖνοι, ὅτι τὸ περικείμενον αὐτῶν προσωπεῖον καὶ τὸ σχῆμα ἐνδεδυκότα ἐπέτρεψαν παίειν τοῖς μαστιγοφόροις, ἀλλὰ καὶ ἥδοιντο ἄν, οἶμαι, μαστιγουμένων. *Quum etiam ſacrorum certaminum praeſides flagris objurgare ſoleant, ſi quis hiſtrio, Minervae, aut Neptuni, aut Jovis perſonam qui ſuſcepit, non bene, neque ex dignitate Deorum perferat: nec ideo illis iraſcantur Dii, quod perſonas ſuas gerentem, & habitu ſuo indutum, flagellis caedendum virgatoribus tradiderint: ſed faveant, puto, vapulantibus* Huc pertinet, quod Suetonius Hylam pantomimum flagris caeſum ex theatro eſſe (*b*). Comprobat & Xiphilinus in *Nerone lib.* LXIII. *p.* 719. Καί τοι πῶς ἄν τις καὶ ἀκούσαι, μὴ ὅτι ἰδών, ὑπομείνειεν Αὐτοκράτορα Αὔγουστον ἔς τε τὸ λεύκωμα ἐν τοῖς ἀγωνισταῖς ἐγγραφόμενον, καὶ τὴν φωνὴν ἀσκοῦντα, —— τοὺς ἀντιπάλους ὑποβλέποντα, καὶ ἀεί τι πρὸς αὐτοὺς μετ' ἀψιμαχίας λέγοντα, τοὺς ἀγωνοθέτας, τούς τε μαστιγοφόρους φοβούμενον, καὶ χρήματα αὐτοῖς κρύφα ἅπασιν ἀναλίσκοντα, μὴ καὶ ἐλεγχθεὶς μαστιγωθῇ. *Etſi quis audire, nedum videre aequo animo poſſit, Imperatorem Auguſtum in albo athletarum inſcribi, vocem exercere, —— torve adſpicere adverſarios, eiſque ſemper per rixam maledicere praefectos certaminum & flagelliferos pertimeſcere, iisque clam pecuniam largiri, ne deprehenſus flagello caederetur.* Id ipſum obſcurius idem auctor in *Heliogabalo* (*c*) indicat: Ἀγωνοθέτην δὲ ἢ τῶν ἐξελευθέρων τινά, ἢ τῶν ἄλλων τῶν πλουσίων ἐκάθιζεν, ἵνα καὶ ἐν τούτῳ ἀναλίσκηται. προσεκύνει τε αὐτοὺς κάτωθεν τῇ μάστιγι, καὶ χρυσοῦς ὥσπερ τις τῶν ταπεινοτάτων ᾔτει. *Praeficiebat autem certaminibus unum ex libertis caeteriſve locupletibus, ut in ea magnos ſumtus facerent, eosque venerabatur inferius, ipſo cum flagello, atque aureos ab eis, quaſi homo abjectiſſimus petebat.* Lucianus περὶ αἱρέσεων, *de Sectis*, ſive *Hermot. cap.* 40. *pag.* 783. de ſortitione ludorum loquens: Καὶ παρεστὼς μαστιγοφόρος ἑκάστῳ ἐπέχει (*d*) αὐτοῦ τὴν χεῖρα. *Et adſtans unicuique flagellifer, manum illius retinet.* In certaminibus ſacris etiam maſtigophoros Pollux ponit *ad fin. lib.* III. *cap.* 30. *ſegm.* 153. *pag.* 348. his verbis (*e*): Ἐκ δὲ τῶν ὀνομαστικῶν ἀγώνων καὶ ὁ μαστιγονόμος, καὶ ὁ ῥαβδοῦχος, καὶ ὁ ῥάβδῳ κοσμῶν, φησὶν ὁ Πλάτων. Ξενοφῶν δὲ καὶ μαστιγοφόρον τινὰ λέγει. *E certaminum quoque nominibus ſunt: lictor,*

CAP. XVII. Ad hoc caput melius intelligendum conferendi ſunt ſcriptores antiquitatum Graecarum, illi inprimis, qui *de ludis* & *agonibus* ſcripſerunt. De Agonothetis & Maſtigophoris quaedam etiam obſervata invenies in *Guil. Budaei Annot.* ad *Pand. tit. de his, qui not. infam. fol.* 98. & Auctoris noſtri Opere de *Verbor. Signif. h. v.* quos tamen in eo reprehendit *Petrus Faber* in *Agoniſt. lib.* I. *cap.* 18. *pag.* 1867. *Tom.* VIII. *Theſ. Gronov.* quod Athlothetas ab Agonothetis diſtinguant. Dicebantur etiam *Alytarchae*, de qua voce vide *Jac. Cujac. Obſerv. lib.* 11. *cap.* 13. *Pet. Fabr. l. c. pag.* 1869. *Jac. Gothofred.* ad *l.* 2. *de expenſ. ludor.* in *C. Th. lib.* XV. *tit.* 9. *Carol. du Freſne* aliorumque Gloſſaria. *Brabeutae* ſive *Deſignatores* ab Agonothetis differantne, diſputatur adhuc inter eruditos. Vid. *Guil. Budaei* & *Dionyſ. Gothofredi not.* ad *L.* 4. §. 1. *D. de his, qui not. infam. Andr. Alciati Comm.* ad *tit. C. de decurion. Alex. ab Alexandro Dier. Genial. lib.* VI. *cap.* 19. *Petri Fabri Agoniſt. lib.* I. *cap.* 23. *pag.* 1885. *Jac. Nicolai Loënſis Miſcell. Epiph. lib.* III. *cap.* 24. *ſeq. Ezech. Spanhemii Epiſt.* ad *Andr. Morellum*, in hujus *Specimine rei nummariae, pag.* 65. *ſeqq.*

(*a*) Mastigophori] Horum loco apud Romanos erant *Lictores* & *Conquiſitores*. Vid. Plautus *Poenul. prol. v.* 18. & *Amphitr. prol. v.* 65. & conf. *Guil. Budaeus* & *Jac. Nic. Loënſis ll. cc.*

(*b*) Esse] Periodum mancam eſſe, quilibet facile videt: non vero tam facile divinari poteſt, quid auctor ſcribere voluit, quum praeſertim non conſtet, quem locum Suetonii prae oculis habuerit. Mihi de Hyla non alius Suetonii locus ſuccurrit, quam in *vita Aug. cap.* 45. ubi ita legitur: *Hylam pantomimum, querente Praetore, in atrio domus ſuae, nemine excluſo, flagellis verberaverit.*

(*c*) Heliogabalo] Non in *Heliogabalo*: ſed in *Antonini Caracallae* vita, *lib.* LXXVII. *p.* 874. Enim vero, ſi dicendum, quod res eſt, locus hic plane huc non pertinet: non enim agit de maſtigophoris, ſed de ipſo Imperatore, qui tanquam auriga Praeſides certaminis flagello venerabatur, de quo ritu vide *Franc. Bern. Ferrarii* librum *de Acclam. & plauſu vet.* II. *in fine.*

(*d*) Ἐπέχει] In plurimis editionibus legitur: ἀπέχει. Sed in editione recentiſſima ex Codd. MSS. emendatur: ἐπέχει.

(*e*) His verbis] Initium hujus loci varie legitur: in noviſſima editione *Amſtel.* 1706. *fol.* ita emendatum exhibetur: ἐκ δὲ τῶν ἀγωνιστικῶν ὀνομάτων.

lictor, *apparitor*, *quem virga ornatum Plato vocat: Xenophon vero alicubi flagelliferum dicit.* Quin & Suidas, *voc.* Ῥαβδοῦχοι. Ἐπὶ τῆς θυμέλης ῥαβδοφόρους τινὰς πρὸς εὐταξίαν τῶν θεατῶν, *in certaminibus flagelliferos quosdam, qui bonum ordinem inter ſpectatores conſervarent*, fuiſſe tradit. Et Etymologicum, quos alii rhabdophoros & maſtigophoros appellant, hos ab Eleis *Aelytas* appellari ſcribit. Prudentius *lib.* II. *contra Symmach. v.* 516.

Tum maſtigophoris, oleoque & gymnadis arte
Unctis pugilibus, miles pugnabat Etruſcus.

CAP. XVIII.

In horrea quae res olim reconderentur.

Horrea in urbe Roma permulta fuiſſe ex Pub. Victoris *de Region. urb. Rom.* libello intelligimus (*a*). Ea non frumentaria duntaxat, quod vulgo creditur, ſed & vinaria fuiſſe oſtendit *l.* 7. *tabernam. D. de inſt. & inſtr.* Nec obſcure ſignificant Impp. qui vinum in horreis poſitum veniſſe narrant in *l.* 2. *C. de peric. & com.* Seneca *Epiſt.* CXIV. *Aſpice veterana (al. veteraria) noſtra, & plena multorum ſeculorum vindemiis horrea.* Quamquam vini cellas frequentius apothecas appellari non me fugit. Sed & mercium, inſtrumentorum, pignorum, rerumque omnium mobilium cuſtodiae horrea attribuebantur. *l.* 74. *clavibus. D. de contrab. emption. & l.* 19. *heres abſens.* §. 2. *proinde in fin. D. de judic. l.* 21. *vulgaris.* §. 6. *certe ſi proponas. D. de furt. l.* 6. *pr. ſi quis ex argentariis. D. de eden. l.* 9. *pignus. C. de pignor. act. l.* 12. *quaeſitum* §. 39. 40. *idem reſpondit. D. de inſtr. & inſtrum.* In qua melius, ut opinor, vulgati codices, quam Piſani, ſcriptum habent, menſas & caeteram ſupellectilem *in horrea* patremfamilias contuliſſe, ut tutiore loco eſſent. Nam *in hortis*, quemadmodum Florentinus codex habet, ſecurioris cuſtodiae cauſa ſupellectilem recluſam veriſimile non eſt, cum amoenitatis tantum cauſa in hortis aedificia, furtis & ipſa obnoxia ponerentur. Ex contrario vero horreis, tutioris cuſtodiae gratia, & ſupellex item, & vel pretioſa quaeque condi, conſueviſſe, ut praeter ſuperiores locos, etiam confirmant (*b*) *l.* 40. *Sticho. D. de ſtatu lib. l.* 20. *Sejae.* §. *pen. D. de inſtr. & inſtrum. leg. l.* 32. *peculiis.* §. 4. *idem cum quaereretur. D. de auro & arg. legat. & l.* 84. *cui quae Rom. D. de leg. lib.* III. *l.* 60. *cum in plures.* §. *ult. D. locat.* in tantum, ut pretioſiſſimam fortunarum ſuarum partem in ea Romani reponerent. *l.* 3. §. 2. *effracturae. D. D. de offic. praef. vigil.* Hinc illud in *l.* 30. *in ratione* §. 4. *D. ad legem Falcid. Pondus argenti, quod in horreis habeo.* & in *l.* 32. *peculiis.* §. 4. *idem cum quaereretur. D. de auro arg. Argentum, quod in domo, vel intra horreum fuerit.* Apulejus *lib.* III. *Metamorph.* ſive *de Aſino aur. pag.* 98. *Tunc horreum quoddam ſatis validis clauſtris obſeptum obſeratumque, quod mediis aedibus conſtitutum, gazis Milonis fuerat refertum, ſecuribus validis aggreſſi diffindunt.* Atque hac de cauſa effracturae periculo horrea ſubjacebant, quemadmodum ex *d.* §. 2. *effracturae.* & ex *l.* 1. & 4. *C. locat. & l.* 55. *dominus. D. eod. tit.* liquido apparet.

CAP. XIX.

Quod honori veteres ducebant morientium teſtamentis ſibi aliquid relinqui.

Neſcio, an hoc levioris operae videbitur, ſed tamen quod ad commendationes morientiom pertineat, non praetermittendum, veteres honori duxiſſe, ſi quantumlibet modicum ſibi ſupremo morientium judicio relinqueretur (*c*). Ex quo Paulus in *l.* 36. *amiciſſimos. D. de excuſat. tutor. Et ideo*

CAP. XVIII. De horreis publicis confer *Jul. Caeſ. Bulengeri* Op. *de Vectigal. cap.* 8. *Guid. Pancirolli Var. lect. lib.* 1. *cap.* 51. *Juſti Lipſii Elect. lib.* 1. *cap.* 8. *Thomae Reineſii Var. lect. lib.* III. *cap.* 12. *Petri Burmanni* Op. *de Vectigalibus*, *cap.* 3. *pag.* 30. qui ex *Inſcript. Gudiana*, *pag.* 18. *num.* 9. docet, horreis hiſce peculiares ſervos publicos praepoſitos fuiſſe.

(*a*) Intelligimus] Nam Alexander Imperator horrea in omnibus urbis regionibus publica fecit, ad quae conferrent bona ii, qui privatas cuſtodias non haberent, teſte Lampridio in ejus vita, *cap.* 39. ubi fruſtra auctoris hujus fidem ſollicitat *Salmaſius* in *notis:* non enim dicit ille, Alexandrum primum omnino horrea publica inſtituiſſe: ſed id tantum, eum in ſingulis regionibus horrea publica feciſſe: uti jam antea locum hunc recte interpretatus erat *Caſaubonus* in ſuis annotationibus. Adde *Antonii Schultingii not.* ad *Paul. Rec. Sent. lib.* II. *tit.* 18. *pag.* 299. in *Juriſpr. antejuſt.*

(*b*) Confirmant] Senſus hujus periodi (quam ſecundum *ed. poſt. opp.* expreſſi) ſatis quidem clarus eſt: ſed conſtructio paullo eſt intricatior, quam cuivis lectorum emendandam relinquam. In vetuſtioribus editionibus ita legebatur: *gratia, ut vel pretioſa quaeque conderentur, praeter* &c.

(*c*) Relinqueretur.] Hereditates enim & legata non niſi merentibus dari ſolebant, ut auctor noſter annotavit, in Opere de *Form. Sollemn. lib.* VII. *pag.* 577. (603.) Unde etiam plerumque elogia adſcribebantur: cujus rei exempla videre licet apud auctorem *l. c. pag.* 566. *ſeq.* (592. *ſeq.*) Hinc de Auguſto narrat Suetonius in ejus vita, *cap.* 66. *Amicorum ſuprema judicia moroſiſſime penſitavit: neque dolore diſſimulato, ſi parcius, aut citra honorem verborum: neque*

ideo ad ſuſcipiendum onus tutelae etiam bonore legati eos proſequi. ULPIANUS in *l.* 3. §. 2. *D. de legat. praeſt. Hoc autem ſolum debetur, quod ipſis parentibus relictum eſt & liberis. Caeterum ſi ſervo eorum fuerit adſcriptum, vel ſubjectae eorum juri perſonae, non debetur. Nec enim quaerimus, cui adquiratur, ſed cui honor habitus ſit.* Inde illud in *l.* 15. *Divus. pr. D. ad l. Corn. de falſ. legato honoratur.* Idem quoque teſtatur *l.* 52. *ſed & ſi ſuſcepit.* §. 2. *ſed etſi proponas. D. de judic.* CICERO *pro Quintio c.* 4. *Moritur in Gallia, & moritur repentino: heredem teſtamento reliquit hunc Quintium, ut ad quem ſummus moeror morte veniebat, ad eundem ſummus honor quoque perveniret.* Idem *pro Caecinna cap.* 4. *Uſum fructum omnium ſuorum bonorum Caeſenniae legat, ut frueretur una cum filio. Magnus honos viri jucundus mulieri fuiſſet, ſi diuturnum eſſe licuiſſet.* QUINCTILIANUS MAJOR in *Declamat.* 332. *Inſtitutus es primo loco heres. Non facio tibi iſtius honoris controverſiam.* Et alias *declam.* CCLXI. *Quae ratio teſtamentorum, cum is, qui creverit hereditatem, continuo non plus ſit habiturus, quam caeteri, & diviſurus cum his, qui non eundem honorem ſupremis defuncti tabulis habuerunt.* SYMMACHUS *lib.* X. *Epiſt.* 62. *Ut tenuis honor, quo ſubſcriptores ob amicitiam defunctus aſperſerat, legitimum poſſet abolere judicium.* APULEJUS *Apol.* II. *pag.* 558. *Invenies filium heredem, mihi vero tenue neſcio quid honoris gratia legatum, ne, ſi quid eam humanitus attigiſſet, nomen maritus in uxoris tabulis non haberem.* VALERIUS *lib.* VII. *c.* 7. *Conſideremus, quae teſtamenta aut reſciſſa ſunt legitime facta, aut eum merito reſcindi poſſent, rata manſerunt: quaeve ad alios, quam qui expectabant, honorem hereditatis tranſtulerunt* (*a*). Per contrarium autem injurioſum atque turpe putabatur amicorum parentumve teſtamento praeteriri (*b*). Exheredationem certe filii, injuriam PAPINIANUS appellat, in *l.* 8. *Papinianus. D. de inoffic. teſt.* (*c*) & probri loco *Antonio* CICERO objicit, quod ex amicorum teſtamentis nullas accepiſſet hereditates (*d*).

CAP. XX.

De Legis actionibus.

Legis actio quo ſenſu in Jureconſultorum libris accipienda ſit, haud facile ex cujuſquam commentariis intelligas. Nec enim probanda nonnullorum opinio eſt, qui legis actionem, BOETHIO *ad Topic. Cicer. lib.* III. auctore, ceſſionem in jure interpretantur (*e*): cum ſecundum hanc ſententiam, actionibus, emancipationibus, adoptionibus, manumiſſionibusque, quas in legis actionibus veteres numerant, nomen ipſum accommodari non poſſit. Quamobrem rectius eſt dicere, appellationem iſtam ad ſollemnes ex lege deſcendentes actus pertinuiſſe (*f*), ut legis actio apud eos eſſe dice-

neque gaudio, ſi grate pieque quis ſe proſecutus fuiſſet. Adde TACITUM *Annal. lib.* III. *cap.* 76. PLINIUM *lib.* VII. *Epiſt.* 20. & 24. Hinc ipſa etiam teſtamenta ab adulatione non erant vacua. Vid. TACITUS *Annal. lib.* XIV. *cap.* 29. & *lib.* XV. *cap.* 59. Alii contra inter Romanos morituri, nimio libertatis ſtudio, in ſuis teſtamentis probra ingerere ſolebant in potentiſſimos civitatis. Vid. TACITUS *Annal. lib.* VI. *cap.* 38. & *lib.* XIV. *cap.* 50. & *lib.* XVI. *cap.* 19. Et de hac teſtamentorum licentia intelligendus eſt SUETONIUS in *Aug. cap.* 56. Conf. Interpp. ad *ll. Suet.* & *Tacit. cc.* & Interpp. ad *Lucian.* in *Nigrino, cap.* 30. *pag.* 69. *ſeqq. ed. noviſſ.*

(*a*) TRANSTULERUNT] Qui plura veterum teſtimonia deſiderat, is adeat CICERONEM *Famil. lib.* XIII. *Epiſt.* 46. QUINCTILIANUM *Declam.* 308. PLINIUM *lib.* V. *Epiſt.* 1. VALERIUM MAXIMUM *lib.* V. *cap.* 9. *num.* 2. TACITUM in *Agric. cap.* 43. *L.* 26. *D. ſi quis omiſſa cauſ. teſtam. Novell.* 1. *cap.* 1. Hinc Formulae in Inſcriptionibus: QUOS TESTAMENTO HONORAVI. QUIBUS IN TESTAMENTO HONOREM RELIQUERO. Vide e. g. *Raph. Fabretti Inſcript. pag.* 152. & confer *Jo. Frid. Gronovii not.* ad *Senec. de Tranquill. an. cap.* 11.

(*b*) PRAETERIRI] Vid. CICERO *pro domo, cap.* 19. & 32. & *pro Sext. cap.* 52. VALERIUS MAXIMUS *lib.* VII. *cap.* 7. & 8. paſſim. Et multo magis nominatim exheredari: quod & plerumque non ſine verborum contumelia (ſive *elogio*, ut vocat QUINCTILIANUS *Declam.* II. *cap.* 15.) fiebat. Unde exheredationis *nota* vocatur, in *L.* 8. *L.* 20. *pr. D. de bon. poſſeſſ. contra tab.* Vide auctoris noſtri opus laudatum, *pag.* 577. *ſeqq.* (604. *ſeqq.*)

(*c*) TEST.] Adde *L.* 4. *D. eod.* & *L.* 4. *C. de lib. praeter.* Conf. *Gottl. Cortii Vindic. Pract. Rom.* §. 15. *pag.* 60. *ſeq.*

(*d*) HEREDITATES] Immo potius CICERO, quum *Antonius* hoc ei objeciſſet, probrum hoc diluere tentat in *Philipp.* II. *cap.* 15.

CAP. XX. Ad hocce caput melius intelligendum, utiliter legi poterit *Tractatio* mea *de Teſtamentif. cap.* III. §. 19. ubi hanc doctrinam breviter & diſtincte propoſui. Confer etiam *Andr. Alciati Parerg. lib.* III. *cap.* 2. & 4. *ſeqq. Jac. Cujacii Obſerv. lib.* XV. *cap.* 16. *Franc. Hotomanni Quaeſt. Ill. num.* 34. *Marci Lyclamae Membr. lib.* IV. *cap.* 13. *ſeqq. Petri Fabri Semeſtr. lib.* II. *cap.* 20. *ſeqq.* ejusque, ut & *Jac. Gothofredi*, aliorumque *Comment.* ad *L.* 77. & 123. *D. de R. J. Jo. Gottl. Heineccii Synt. Antiqq. Rom. Prooem.* §. 6. ejusque *Hiſtoriam Juris, lib.* 1. §. 43. *ſeqq.* Uberius vero hoc argumentum illuſtrarunt *Jac. Raevardus* in Opere *de Auctoritate Prudentum. Jo. Hieron. Stenger* in *Diſſ. de jure formulario, ſive de legis actionibus, Lipſ.* 1709. *Ger. Jac. van Swinden* in *Diſſ. de legis actionibus, Lugd. Bat.* 1734. Nobiliſſ. *Ger. Meerman* in *Diſſ. de rebus mancipi & nec mancipi. pag.* 151. *ſeqq.*

(*e*) INTERPRETANTUR] Ceſſio in jure fuit tantum ſpecies quaedam legis actionis. Vide *Schultingii Juriſpr. antejuſt. pag.* 85. *ſeq.*

(*f*) PERTINUISSE] Tam voluntariae, quam contentioſae juriſdictionis, ut hodie practici loquuntur.

diceretur, apnd quos hujuſmodi ſollemnitates peragi explicarique poterant. Hoc ut planum faciam, ſimul etiam oſtendam neceſſe eſt, verbi *lege agere* ſignificationem latius, quam vulgo exiſtimetur, manare (*a*): nec tantum ex veterum ſermone lege actum, cum actio inſtituebatur: ſed & cum adoptio, emancipatio, manumiſſioque imperio magiſtratus fieret (*b*). De judiciali plane perſecutione Ciceronis *loca*, quae ſubjeci, intelligenda ſunt. Veluti *lib.* 1. *de Orator. c.* 10. *Agerent enim tecum lege primum Pythagoraei omnes atque Democritici.* Et alias *lib. eod. c.* 36. *Alter plus lege agendo petebat, quam quantum in* XII. *Tabb. lex permiſerat.* Idem *pro Caecinna, c.* 33. *Omnes qui in eadem cauſa ſunt, & lege agant, & jus ſuum perſequantur.* Eodem ſenſu III. *in Verr. oration. ſ. Accuſ. in Verr. lib.* 1. *c.* 45. lege agere in hereditatem: quo genere dicendi Valerius qnoque Max. *lib.* VII. *tit.* 7. *ex.* 5. & Plinius *lib.* VII. *cap.* 5. uſi ſunt. Sic & Gellius *lib.* XX. *cap.* 9. *Cum lege agitur,* inquit, *& vindiciae contenduntur.* Ac ne plura, quae ſunt prope innnmerabilia, conſecter, ex XII. Tabb. compoſitas actiones, quas certas & ſollemnes prudentes conſtituerunt, *legis actiones*, id eſt, *legitimas actiones* appellatas, Pomponius auctor eſt in *l.* 2. §. 6. *D. de orig. jur.* Generalius vero hoc verbum accipitur apud Ovidium in *Faſtis, lib.* 1. *v.* 48. & Macrobium *lib.* 1. *Saturn. c.* 16. cnm faſtos dies definiunt, quibus lege licet agi: & apud Festum. *lib.* XVI. v. *religioſus*, cum religioſis diebus nefas fuiſſe ait apud Praetorem lege agere: & apud Ciceronem IV. *in Verr. orat. ſ. Accuſat. in Verr. lib.* II. *cap.* 15. (16.) illo loco: *Quis apud iſtum Praetorem Chelidonia* (*c*) *invita lege agere potuit?* Sic & apud Varronem *lib.* v. *de Lingua Lat. c.* 4. *p.* 5. *Contrarii*, ait, *horum vocantur dies nefaſti, per quos dies fari Praetorem nefas erat*, Do, Dico, Addico. *Itaque non poteſt agi, quod neceſſe eſt uti aliquo eorum verbo, cum lege quid peragitur. Quod ſi*tum imprudens id verbum emiſit, aut quem manumiſit, ille nihilominus eſt liber, ſed vitio.* Ita *lege agere*, aut *legitimo judicio agere*, diverſa facit Ulpianus in *Inſtitut. fragment. tit. de tutel.* XI. §. 24. & 27. Sed jam apertioribus teſtimoniis cauſae jugulum prememus. Tacitus *lib.* XII. *Annal. c.* 60. *Divus Auguſtus apud Equeſtres, qui Aegypto praeſident, lege agi, decretaque eorum perinde haberi juſſerat, ac ſi Romani magiſtratus eſſent.* Quae verba nihil aliud ſignificare nemo niſi ſtultus negabit, quam praefecto Aegypto datam eſſe, quemadmodum noſtri auctores loquuntur, legis actionem: proindeque apud eum manumiſſiones ſervorum, emancipationes, adoptiones, & alias id genus ſollemnitates fieri permiſſum. Sic enim in *l.* 1. *D. de offic. jurid. Alex.* Ulpianus ratiocinatur: *Adoptare quis apud juridicum poteſt, quia data eſt ei legis actio.* & in *l.* 2. §. *ult. cum. l. ſeq. D. de offic. proconſ. Apud legatum vero proconſulis nemo manumittere poteſt, quia non habet jurisdictionem talem: nec adoptare poteſt, omnino enim non eſt apud eum legis actio.* Imper. Gordianus in *l.* 1. *C. de adoption. Hi qui in aliena poteſtate ſunt, juxta jus civile non niſi apud eum, apud quem plena legis actio eſt, adoptari poſſunt.* Modestinus in *l.* 4. *magiſtratum. D. eod. tit. Magiſtratum, apud quem legis actio eſt, emancipare filios ſuos, & in adoptionem dare apud ſe poſſe, Neratii ſententia eſt.* Paulus *lib.* II. *Sentent. tit.* XXV. §. 4. *Apud magiſtratus municipales, ſi habeant legis actionem, emancipari & manumitti poteſt.* Ex quibus apparet, adoptiones, emancipationesque in numero legis actionum habitas: quod & Justinianus in *Novella* LXXXI. *praefat.* ſcribit. Inde Vopiscus in *Aureliano c.* 14. *Hoc igitur*, inquit, *quod Coccejus Nerva in Trajano adoptando, quod Ulpius Trajanus in Hadriano, quod Hadrianus in Antonino, & caeteri deinceps in propoſita ſuggeſtione fecerunt, jam in adrogando Aureliano, quem mihi vicarium judicii tui auctoritate feciſti, cenſui eſſe referendum. Jube igitur, ut lege agatur, ſitque Aurelianus heres ſacrorum, nominis, & bonoιum, totiusque juris* (*d*). Ammianus Marcellin. *lib.* XXII. *cap.* 7. *Dein Mamertino ludos edente circenſes, manumittendis ex more inductis per admiſſionum proximum, ipſe lege agi dixerat, ut ſolebat: ſtatimque admonitus, juriſdictionem eo die ad alterum pertinere, ut errato obnoxiam Decembris auroram & ipſe mutavit.* Atque hinc verus *l.* 123. *nemo alieno. D. de regul. jur.* ſenſus pendet, quae hoc meo quidem judicio ſignificat, neminem alieno nomine legitimos actus explicare poſſe. Nec enim adoptari, emancipari ve quis abſens, nec per alium hujuſmodi ſollem-

(*a*) Manare] Immo in latiſſimo ſignificatu & lictor *lege agere* jubebatur. Vide auctoris Opus de *Form. Sollemn. lib.* v. *pag.* 456. (482.)

(*b*) Magistratus fieret] Immo actus hi voluntariae jurisdictionis ſaepe *κατ' ἐξοχὴν legis actiones* vocantur. Unde ſaepe conjunguntur: *lege, vel quo alio jure agere*: (vid. Ulpianus *Fragm. tit.* XI. §. 24. & 27.) quorum prius ad actus ſollemnes voluntariae jurisdictionis; poſterius ad actus contentioſae jurisdictionis pertinet. Confer *Schultingii jurispr. antejuſt. pag.* 602.

(*c*) Chelidonia] In optimis editionibus hodie ita legitur: *Quis unquam iſto Praetore Chelidone* &c. Hic vero locus non tam de voluntariae; quam de contentioſae jurisdictionis actibus agit.

(*d*) Juris] Sed hunc locum perperam ab auctore huc tractum fuiſſe exiſtimo: nam in eo non ſermo eſt de adoptione in ſpecie ſic dicta, quae legis actio fuit, ſed de arrogatione, quae lege curiata olim peragebatur. Confer quae dixi in *Tract.* mea *de Teſtament. cap.* II. §. 17. *not.* (*k*) *pag.* 44.

lemnitatem peragere poterat. *l.* 25. *poſt mortem. §. ult. D. de adoptionib.* Sed nec alteri petere, alienumve jus io judicium deducere mero jure liccbat (*a*). Per procuratores id fieri otilitatis cauſa tandem receptum eſt (*b*). *Inſtitut. tit. de bis, per quos agere poſſ.* CICERO *pro Roſcio. Comoed. c. ult. Alteri nemo petere poteſt, niſi qui cognitor* (*c*) *eſt factus.* & CORNIFICIUS in *lib. Rhetoric. ad Herenn. lib.* II. *c.* 13. legem profert, quae majorem ſexaginta annis, aut cui morbus cauſa eſſet, eognitorem dare permitteret. Poteſt & hioc intelligi, quod in *l.* 3. *Barbarius. D. de off. praet.* ſcriptum eſt: *Apud eum egerunt vel lege, vel quo alio jure.*

CAP. XXI.

De actis judiciariis & notis.

Eos, qui notis ſcribunt acta praeſidum, Reipubl. cauſa non abeſſe defioit, ULPIANUS io *l.* 33. *inter eos. §.* 1. *D. ex quibus cauſ. major.* Unde colligitur, olim notis excipi ſolita acta, quae apud praeſides, magiſtratusqoe (*d*) habebantur, cum aliter non poſſet loquentium celeritatem manus adſequi. Quod AMMIANUS MARCELL. *lib.* XIV. *cap.* 9. verbis, quae ſubjeci, comprobat. *Proinde die funeſtis interrogationibus praeſtituto, imaginarius judex Equitum reſedit magiſter, adbibitis aliis jam, quae agenda eſſent, praedoctis. Et adſiſtebant binc inde notarii, quid quaeſitum eſſet, quidve reſponſum, curſim ad Caeſarem perſerentes.* Actorum autem, ſi quis quemadmodum ea olim conciperentur, ſcire deſideret, exempla habemus in *l.* 3. *proxime D. de his, quae in teſt. delent.* in *l. penult. D. de auctorit. tut.* & in *l. penult. D. ad legem Jul. de vi privat.* & in Beatorum, quos vocant, paſſionalibus libris. Caeterum notis veteres in legibus, Senatusconſultis, edictis ſcribendis uſos, unicus VALERII PROBI libellus abunde docet. Sunt & in hanc ſententiam elegaotes MANILII in *libris Aſtronom.* IV. *v.* 197. *ſeqq.* verſus, quibus Notarum compendia qui tenuerit, eum leges & jura pop. Rom. ſciturum, & intra domeſticos, ac privatos parietes, qualiter cuique jus reddendum ſit, in promptu habiturum ſignificat. (*e*).

> *Hic*, ait, (*&*) *ſcriptor erit ſelix*, (*velox*) *cui littera verbum eſt*,
> *Quique notis linguam ſuperet, curſumque* (*curſimque*) *loquentis*
> *Excipiet* (*Excipiat*) *longas nova per compendia voces.*

Et mox, *v.* 209.

> *Hinc* (*Hic*) *etiam legum tabulas, & condita jura*
> *Noverit, atque* (*aque*) *notis levibus pendentia verba*,
> *Et licitum ſciet, & vetitum quae poena ſequatur*,
> *Perpetuus populi privato in limine praetor.*

Extant in AUSONII *Epigrammatis num.* 146. ſcitiſſimi de notario verſus, quos propter prolixitatem hic oon adſcripſi. PLUTARCHUS in *Caton. Uticens. pag.* 770. Τοῦτον μόνον ὧν Κάτων εἶπε διασώζεσθαι φασὶ τὸν λόγον, Κικέρωνος τοῦ ὑπάτου τοὺς διαφέροντας ὀξύτητι τῶν γραφέων σημεῖα προδιδάξαντος ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα

(*a*) LICEBAT] Nam omnes legis actiones, ſive contentioſae, ſive voluntariae jurisdictionis eſſent, ſollemnibus formulis erant conceptae in prima perſona, adeoque non ab alio, quam ab ipſo agente, pronunciari poterant. *v. g.* AJO HANC REM EX JURE QUIRITIUM MEAM ESSE.

(*b*) RECEPTUM EST] In actionibus legis ſcilicet contentioſae jurisdictioois: ſed ita tamen, ut procurator dominus litis fieri fingeretur. Io legis actionibus vero voluntariae jurisdictionis, (ut & aliis actibus legitimis) ſemper vetus permanſit principium, quia in iis procuratorum non tanta erat neceſſitas, quippe quae ad nullum certum tempus eraot reſtrictae, & non niſi a volentibus peragebantur. Confer *Jo. Gottl. Heineccii Synt. Antiqq. Rom. lib.* IV. *tit.* 10. & JCtos, qui de procuratoribus & de domioio litis ex ioſtituto ſcripſerunt.

(*c*) COGNITOR] De Cognitoribus, eorumque differentia a Procuratoribus, vide, praeter laudati *Heineccii Synt.* ejus *Edict. perpet. tit.* 21. *pag.* 373. *ſeqq.* in *Oper. poſt. Ant. Schultingii Jurispr. antejuſt. pag.* 221. *ſeqq. Jo. Frid. Gronovii* Op. *de Pecunia vet. lib.* IV. *cap.* 3. *pag.* 271. *ſeqq.* inprimis vero Viri Cel. *Jo. Dan. Ritteri Praef.* ad *Cod. Theod. Tom.* I. ubi non tantum caeteris diligentior hac de re egit, ſed & varias vocis ſignificatiooes optime expoſuit vir doctiſſimus: miror vero illum praetermiſiſſe locum egregium ISIDORI, quo nemo veterum melius differentiam inter Procuratores & Cognitores in ſenſu proprio expoſuit, quem ideo hic adſcribere operae pretium erit. Exſtat in *libro Differentiarum, lit.* C. *Inter* COGNITOREM *&* PROCURATOREM. *Cognitor non niſi proeſens, a praeſente, praeſenti datur: Procurator autem & obſens conſtituitur adverſus abſentem. Item Cognitor adverſus eum ſolummodo lite contendit, adverſus quem ad agendum conſtitutus eſt: Procurator vero apud omnes. Item Cognitor liti tantum dari ſolet, id eſt, judicii expediendi gratia: Procurator vero & res omnes adminiſtrat.*

CAP. XXI. Ad hocce caput conferendi omnino ſunt ſcriptores, qui de notis & ſiglis veterum ſcripſerunt, quos indicavit *Jo. Alb. Fabricius* io *Biblioth. Lat. lib.* II. *cop.* 9. *pag.* 363. *ſeq.* & *lib.* IV. *cap.* 6. *pag.* 474. *ſeqq.* & *in Supplementis* ad haec loca. Legi etiam merentur *Chriſt. Gothofr.* & *Gottl. Chriſt. Grobeneri Stricturae antiquarioe de Commentoriis Actorum veterum in foro litigantium Lipſ.* 1738. 4.

(*d*) MAGISTRATUSQUE] Immo & io conſiſtorio Principis. Qui apud Praeſides Magiſtratusque acta excipiebant, vocabantur *Exceptores:* qui vero in Principis conſiſtorio, vocabantur *Notarii*, & *Tribuni Notorii.* Vide *Valeſii* notas ad AMMIANI MARCELL. locum ab auctore eitatum, & ſcriptores de officiis domus Auguſtae.

(*e*) SIGNIFICAT] Operae pretium eſſe putavi, in parentheſi adſcribere lectionem recentiſſimae editioois, quae cura *Rich. Bentleji* prodiit *Lond.* 1739. 4.

τὼ δύναμιν, εἶτα ἄλλον ἀλλαχόσε τῦ βυλευτηρίυ σποράδην ἐμβαλόντος· ὔπω γὰρ ἤσκυν ὐδὲ ἐκέκτηντο τὺς καλυμένυς σημειογράφυς, ἀλλὰ τότε πρῶτον εἰς ἴχνος τι καταστῆναι λέγυσιν. *Hanc orationem Catonis perhibent unam exſtare, quod Conſul Cicero expeditiſſimos ſcribas ante docuiſſet notas, quae minutis & brevibus figuris multarum vim litterarum complectebantur, inde alium alibi paſſim diſpoſuiſſet in curia. Nondum enim uſi fuerant, neque habebant exceptores actuarios, ſed tunc primum rudimenta eos aſſerunt poſuiſſe.*

Erant & notarum pleni juris civilis libri, quarum varia ac ſubtili interpretatione cum multi in fraudem inducerentur, magnae etiam judicantibus, diſcentibusque tenebrae offunderentur, novitii eas Imperatores, quemadmodum Isidorus *lib.* 1. *Etymolog. cap.* 22. ſcribit, ex legum codicibus ſuſtulere. Et ſane Justinianus diſerte prohibuit quicquam in ſuis libris notis ſcribi, ne qua malignis interpretibus, imperitisve, verborum evertendorum anſa praeberetur. Teſtamenta autem notis ſcribi longe ante in paganorum cauſis improbatum fuerat: in militibus, quibus quoquo modo vellent, & quomodo poſſent teſtamenta facere, principum Conſtitutionibus conceſſum fuerat. Tunc tolerabatur, cum litteris perſcribi teſtamenta ſua anguſtiae temporis paſſae non erant. *l.* 40. *Lucius. D. de milit. teſtam.* Itaque nec notis ſcriptae tabulae edicto, quo Praetor ſecundum tabulas bonorum poſſeſſionem defert, continebantur. *l.* 6. *ſed cum patrono. in fin. D. de bonor. poſſ.*

CAP. XXII.

Explicatur l. unica. C. de nudo jure Quiritum tollendo.

Non intelligunt *Accurſiani*, quid ſibi ea Conſtitutione Justinianus velit, quae *de nudò jure Quiritum tollendo* inſcribitur. Ac ne intelligi quidem id ex Juſtinianeis libris poteſt: ſed ejus rei explicatio ex Theophilo Graeco Jureconſulto arceſſenda eſt: qui duo fuiſſe antiquitus dominiorum genera perſpicue ad *fin. tit. de libertin.* tradit. Naturale unum, quod in bonis, alterum legitimum, quod ex jure Quiritum appellaretur: quorum utrumque qui adeptus eſſet, is pleno jure dominus dicebatur (*a*). Quod dominiorum diſcrimen ab Ulpiano etiam in *Inſtit. tit.* 1. §. 16. diſerte proponitur. *Qui tantum in bonis*, ait ille, *non etiam ex jure Quiritum ſervum habet, manumittendo Latinum facit. In bonis tantum alicujus ſervus eſt, velut hoc modo, ſi civis Rom. a cive Rom. ſervum emerit, isque ei traditus ſit, neque tamen mancipatus ei, neque in jure ceſſus, neque ab ipſo anno poſſeſſus ſit. Nam quamdiu horum quid fiat, is ſervus in bonis quidem emtoris eſt: ex jure Quiritum autem venditoris eſt.* Sed & idem auctor eodem *lib. tit.* XIX. *de dominiis*, §. 20. haec quoque ſeparat. *Si ſervus*, inquit, *alterius in bonis, alterius ex jure Quiritum ſit, ex omnibus cauſis adquiret ei, cujus in bonis eſt.* Hoc autem ex jure Quiritum dominium juſtum, legitimumque in veterum libris appellatur: idque ſex fere (*b*) rebus perfici Varro *lib.* II. *de Re Ruſt. c.* 10. ſcribit: *Si hereditatem juſtam adiit, ſi, ut debuit, mancipio ab eo accepit, a quo jure civili potuit: aut ſi in jure ceſſit, cui potuit cedere, & id uti (al. ubi) oportuit: aut ſi uſucepit, aut ſi e praeda ſub corona emit: tumve, cum in bonis, ſectioneve cujus, publice venit.* Plane enim ſine nexus vel ceſſionis in jure ſollemnitate res ex jure Quiritum non abalienabatur, (*c*) ut & Cicero in *Topic. cap.* 5. indicat, nec aliter alienata ante ex jure Quiritum ejus, qui acceperat, fiebat, quam uſucepiſſet: hereditate (*d*) certe & legato (*e*) juſtum dominium ex XII. Tab. quaerebatur. Quae omnia ab Ulpiano in *Inſtit. tit.* XIX. exponuntur. Atque hoc ſibi dominium adſerebat is, qui vindicabat hac vulgata formula: Hunc ego hominem ex jure Quiritum meum esse ajo. Hinc & illa judicis dati formula apud Ciceronem

IV.

CAP. XXII. Quae ad ſupplendum illuſtrandumve hocce caput pertinent, peti poſſunt ex Viri Nobiliſſ. *Gerardi Meermanni Diſſ. de rebus mancipi & nec mancipi*, & ex *Tract.* mea *de Teſtamentif. cap.* III. §. 9. & §. 11. *n.* 1. Confer etiam quae auctor noſter ſupra *lib.* 1. *cap.* 7. tradidit, quaeque ibi annotavimus.

(*a*) Dicebatur] Sive rem optimo jure poſſidere, ut loquitur Cicero *de Haruſp. reſp. cap.* 7. Quando vero haec dominia erant diviſa, tunc alter rem *in bonis*; alter *nudum jus Quiritium*, ſive *nudum dominium Quiritarium*, ſine bonitario ſcilicet, habere dicebatur.

(*b*) Fere] Non ergo omnes modos adquirendi dominium civile recenſere voluit Varro; ſed uſitatiores tantum, & quidem in adquiſitione ſervorum, de quibus ibi ſermo eſt.

(*c*) Non abalienabatur] Res mancipi ſcilicet: aliud de rebus nec mancipi dicendum, ut ex *Tract.* mea *de Teſtament. ll. cc.* diſci poteſt. Quum ergo plenum dominium civile in rebus nec mancipi per nudam etiam traditionem adquiri poſſet: contingere facile non poterat, (modo negotium inter ſolos cives ageretur) ut alter in iſtis Quiritarium nudum; alter vero bonitarium dominium haberet. Justinianus igitur, dum differentiam hanc rerum ac modorum adquirendi ſuſtulit, eo ipſo etiam ſuſtulit nudum dominium Quiritarium. Non vero ipſum dominium Quiritarium plenum ſuſtulit, ut quidam exiſtimant, ſed hoc potius ampliavit, & ratione rerum, & ratione modorum adquirendi.

(*d*) Hereditate] Quomodo heres, ſive teſtamentarius, ſive legitimus, dominium Quiritarium rerum hereditariarum adquiſiverit, expoſui in *Tract.* mea *de Teſtament. cap.* III. §. 28.

(*e*) Legato] Rei legatae dominium immediate adquirebatur ex legibus XII. *Tabb.* Vid. Ulpianus *Fragm. tit.* XIX. §. 17. ibique *Schultingius* in notis, *pag.* 626. *juriſpr. antejuſt.*

IV. *orat.* in *Verr. ſ. Accuſ. in Verr. lib.* II. *c.* 12. SI PARET, FUNDUM CAPENATEM, QUO DE AGITUR, EX JURE QUIRITIUM P. SERVILII ESSE. Caeterum hanc dominiorum ſubtilem differentiam JUSTINIANUS ſuſtulit: Eaque eſt tituli illius, *De nudo jur. Quir. toll.* ſententia.

CAP. XXIII.

Reſtitutum antiquum verbum in l. 13. mulieris. D. de verborum ſignific.

Eſt ſua verbis non minus quam rebus antiquitas, cujus nos quoque ſtudioſos eſſe par eſt. Itaque vetus elegans verbum Scriptorum incuria multis in locis depravatum hoc capite reſtituam. Occaſionem praebet ULPIANUS, cujus in *l.* 13. *mulieris.* §. 1. *D. de verb. ſignif.* verba haec ſunt: *Res abeſſe videntur, ut Sabinus ait, & Pedius probat, etiam hae, quarum corpus manet, forma mutata eſt. Et ideo, ſi corruptae redditae ſint, vel transfiguratae, videri abeſſe: quoniam plerumque plus eſt in manus pretio, quam in re.* Ubi nonnulli emendant, *plus eſt in manu pretii:* neutrum, ut mihi quidem videtur, recte. Exiſtimo enim ab ULPIANO ſcriptum fuiſſe, *Manupretio*, antiquorum more, qui hoc ita conjunctim enuntiabant (*a*): quomodo etiam reponendum cenſeo in *l.* 30. *qui inſulam.* §. 3. *qui aedem. D. locat. pro lapide & manupretio.* VARRO *lib.* IV. *cap.* 36. *de lingua Lat. pag.* 42. *Quod manu factum erat, & datum pro eo, manupretium, a manibus & pretio.* ISIDORUS *lib.* XI. *Etymolog. cap.* I. *Abuſive autem manus etiam ars, vel artifex. Unde manupretium dicimus.* Hoc verbo CATO *de Re Ruſtic. cap.* XIV. uſus eſt. Uſus eſt PLAUTUS in *Menaechm. Act.* III. *ſc.* 3. *v.* 20. CICERO quoque III. in *Verr. orat. ſ. Accuſ. in Verr. lib.* I. *c.* 56. *Tantum operis*, ait, *in iſta locatione fuit, quantum paucae operae fabrorum mercedis tulerunt, & manupreſii machinae.* Quo in loco ASCONIUS, *p.* 105. *manupretium dici*, ait, *ubi non tam materiae ratio, quam manus atque artis ducitur.* SENECA *lib.* XVII. *Epiſt.* 101. *Seros in patriam reditus proponimus, militiam, & caſtrenſium laborum tarda manupretia.* PLINIUS *lib.* XXXIII. *cap.* 11. *Nec copia tantum argenti fuerit vitae, ſed validius paene manupretium.* Idem *lib.* XXXIV. *cap.* 7. *Numerum apparuiſſe defuncto eo, cum theſaurum effregiſſet heres: ſolitum enim ex manupretio cujuſque ſigni denarios deponere aureos ſingulos.* Et paulo poſt: *Mercurio facto in civitate Galliae Arvernis per annos decem, H. S. CCC. manupretio.* Idem *lib.* XXXV. *c.* 10. *Manupretium ejus tabulae in nummo aureo menſura accepit.* Emendandus in hoc verbo eſt TERTULLIANUS in *lib. de Idololatr. cap.* 8. cum ita ſcribit: *Tot ſunt artium venae, quot hominum concupiſcentiae: ſed de mercedibus & manus pretiis intereſt:* Legendum enim, ut in ſuperioribus locis, *Manupretiis.* Senſus vero ULPIANI verborum obſcurus non eſt. Hoc enim ſignificat, plerumque pluris eſſe artificium, atque formam, operi artificis manu additam, quam ſit materia ipſa. Cujus rei exemplum eſt in §. 34. *ſi quis in aliena. Inſtit. de rer. diviſ.*

(*a*) ENUNTIABANT] Sed veteres promiſcue hoc verbum, & conjunctim, (*manupretium*) & ſeparatim, (*manus pretium*) enuntiaſſe videntur: unde contra fidem *Codd.* MSS. nihil temere eſt mutandum. Scribi etiam in vetuſtis *Codd. Manipretium* notat *Petr. Victorius* in *not.* ad *Caton. de R. R. cap.* 14. *pag.* 34. *ſeq. ed. Geſneri.* Confer etiam praeter Lexicographos, *Pauli Leopardi Emendat. lib.* XII. *cap.* 16.

F I N I S.

B. BRIS-

B. BRISSONII

DE

SOLUTIONIBUS

ET

LIBERATIONIBUS

LIBRI TRES.

EX RECENSIONE

ET CUM

OBSERVATIUNCULIS

ALBERTI DIETERICI TREKELL. JC.

Digitized by Google

V. C. PETRO SEGUIERIO,

PARISIENS. SENATUS

PRAESIDI,

B. BRISSONIUS S.

Inſtituentem me noſtras de jure civili cogitationes mandare litteris, illa potiſſimum ratio deterrebat, quod ea jam ſcriptorum mole jus noſtrum oneratum eſt, non tam ut acceſſio quaerenda, quam copia reſecanda ſanis quibuſque videatur. Verum enimvero cum eam, qua ſplendidiſſima ſcientia laborat, obſcuritatem ab interpretibus ignoratione docendi invectam eſſe cogitarem, quorum vitio ita ſunt confuſa perturbataque omnia, ut innumerabiles prope a jure cognoſcendo difficultate ipſa revocati, voluntatem diſcendi ſimul cum ſpe perdiſcendi abjiciant, temptandum putavi, num ordine aliquo adhibito, puritati ſuae Jurisprudentia reſtitui poſſet. Itaque ad ſcribendum aggreſſus diffuſa & diſſipata cujuſque quaeſtionis praecepta in certa genera cogere, & ad aliquam artem redigere eniſus ſum. Quod noſtrum inſtitutum cum optimis & recta ſentientibus viris aperuiſſem, vereor ne me ipſum imprudens perdiderim. Nec enim probarunt illi dumtaxat, quod ordiebar, ſed & auctores ſuere, ut in communem utilitatem (ſic enim loquebantur) ſi non integrum aliquod volumen, at librum unum, aut item alterum foras darem, qui veram juris civilis tractandi rationem patefaceret. A quo etſi animus meus abhorrebat, cum tamen illi, quo recuſabam verecundius, eo urguerent acrius, nec ſe auctoritatem deſugituros pollicerentur, placuit, abſciſſa a reliquo corpore ſcriptorum meorum veluti tabella aliqua, quale de toto opere judicium homines facturi eſſent, expiſcari. Excerpſi igitur tres hoſce De ſolutionibus & liberationibus libros, quibus ea, quae de tollendis obligationibus via & arte tradi poſſunt, breviter complexus, quaeſtionem, quae & in uſum cottidianum incurrit, & pauciſſimis interpretum litteris continetur, quam potui maxima, facilitate expoſui. Eos tibi libros, Praeſes ampliſſime, ut nuncuparem, perpetuum meum de ſummis tuis virtutibus judicium fecit: quarum ego excelſo & illuſtri loco ſitas laudes ſic ſuſpicio, ut neque ſanctius colam quemquam, neque majore obſervantia colendum ullum exiſtimem. Vale. Lutetiae Pariſ. Non. Februar. 1557.

B. BRISSONII
DE
SOLUTIONIBUS
ET
LIBERATIONIBUS
LIBER PRIMUS.

Multi ſunt ac varii, ut contrahendarum, ita & diſtrahendarum obligationum modi: quorum alii ipſo jure liberant, alii per exceptionem. Ipſo jure Solutio liberat, &, quae ſolutionis inſtar habent, Acceptilatio, Novatio, Delegatio, Confuſio, Obſignatio, Compenſatio, Reique debitae ante moram a debitore factam contingens interitus, & cetera generis ejuſdem. Per exceptionem vero liberamur, pacto, ſententia, tempore, & aliis, quos poſtea tradituri ſumus, modis. De quibus ſingulis accuratius diſpiciamus. Placet autem varie diſperſa ac diſſipata hujuſee quaeſtionis praecepta artificioſe digerere, ſummisque generibus conſtitutis, ad quae ſingula revocentur, eum in tota explicatione ordinem tenere, quem omnibus, quae ratione docentur ac via, ſequendum eſſe, optimi docendi magiſtri praecipiunt. Quam rationem ad jus civile tractandum ſi majores noſtri adhibuiſſent, artem aliquam juris, quae nunc plane nulla eſt, teneremus: mirabilesque ſui amores Juriſprudentia excitaret, a qua tot jam ſeculis prope innumerabiles obſcuritas rejecit. Quae ne macula diutius in tam praeclara ſcientia haereat, bonis omnibus artibus ſuo nitori reſtitutis, ipſa quoque ab his tenebris, quas ſuperiorum temporum caligo obduxit, in antiquum ſplendorem vindicanda eſt. In omni autem diſputatione ſi perſpicuitas ea quaeritur, cui ſtupere omnes par eſt, verborum prima cura eſſe debet. Itaque quando de Solutione priore loco dicere inſtituimus, excutienda paucis verbis ſignificatio eſt.

Solutionis appellatione omnem liberationem, quoquomodo factam, contineri Paulus ſcripſit. [a] Quod ſic plerique omnes accipiunt, quaſi eandem cum nummorum ſolutione ceteras liberationes habere poteſtatem ſignificet. Nam & qui acceptilatione, [b] delegatione, [c] compenſatione, [d] confuſione, [e] & his ſimilibus modis liberati ſunt, [f] velut ſolviſſe intelliguntor. Mihi propius adſpicienti aliud ſenſiſſe Paulus viſus eſt, nec tam effectum rei, quam verborum vim pote-

a *l. 54. ſolutionis. D. de ſolution.*

b *l. 16. ſi ex pluribus. D. de acceptilation.*

c *l. 37. qui libertinus. §. 4. D. de oper. lib.*

d *l. 4. D. qui potior. in pign. hab.*

e *l. 50. debitori l. 71. Granius. D. de fidejuſſor.*

f *l. 4. § 7. ſolviſſe. D. de re judic. l. 9. obſignatione. C. de ſolutionib.*

poteſtatemque ſpectaſſe: quae ſi origini ſuae reddantur, perſpicuum fiet, liberationem & ſolutionem ſolo nominis ſono differre, [g] vim utriuſque verbi eandem plane eſſe, ad eaque omnia genera pertinere, quibus obligationis vinculum quoquomodo diſſolvitur. Quod ipſum ſi ſolutionis nomen obligatione applices, planum erit. Quid enim aliud liberatio eſt, quam obligationis ſolutio? Et hoc nimirum eſt, quod PAULUS ait: [h] *Magisque ad obligationis ſubſtantiam refertur, quam ad nummorum ſolutionem* Quod & SANECA *libro ſexto de Beneficiis, cap.* 5. expreſſit. *Quid ni?* ait, *cum omnis ſolutio non idem reddat, ſed tantumdem. Nam & pecuniam dicimur reddidiſſe, quamvis numeravimus pro argenteis aureos, quamvis non intervenerint nummi, ſed delegatione & verbis perfecta ſolutio ſit.* Denique & ſolutas per novationem ſummas SCAEVOLA dixit, [i] quae novatione abſceſſerant ab obligatione. Verumtamen hoc commune ſolutionis nomen ſuum fecit ac proprium ea liberationis ſpecies, quae ex nummorum numeratione, vel alia naturali ejus, quod debetur, praeſtatione contingit, ſolaque proprie late patens ſolutionis nomen poſſidet. Nec vero ſolutam pecuniam, aliamve rem, quae in obligationem venerit, uſitato ſermone dicimus, quae acceptilatione, novatione, delegatione deberi deſierit: [k] nec ſolviſſe eum, qui citra naturalem dationem ſit liberatus: cujus fictam tantum & adumbratam juris intellectu imaginem ſuperiores ſpecies habent, propter quam ſolutionis poteſtate cenſentur, atque adeo imaginariae ſolutiones appellantur. [l] Jam quod ad ſatisfactionem attinet, quam etiam ſolutionis verbo comprehendi ULPIANUS ait, [m] latiſſime quidem ejus verbi officium manare, ut etiam ad nummorum ſolutionem pertineat, palam eſt. Satisfacere enim dicitur, qui creditoris deſiderium quoquomodo implet, eique quo contentus ſit, praeſtat. [n] Sed eo verbo ſic fere noſtri auctores utuntur, ut a ſolutione ſejungant, [o] eoque modos reliquos exaudiri velint, quibus pro eo, quod debetur creditori, abſque naturali numeratione, ſit ſatis, quacumque tandem via eo perveniatur. Satisfactum enim accipimus, acceptilatione, & jurejurando, & nuda conventione, & fidejuſſore, vel expromiſſore dato. [p] Quam differentiam evidenter MARCIANUS explicat [q] his verbis: *Solutam pecuniam intellegimus utique naturaliter:* id eſt, re ipſa, [r] &, ut craſſius ac popularius dicam, reali numeratione. Plerumque enim ad factum corporale hoc verbum noſtri praeceptores referunt. [s] Sequitur paulo poſt: *Quod ſi acceptum latum ſit, quod ſtipulationis nomine hypotheca erat obligata, vel ſine ſtipulatione accepta ſit, ſolutionis quidem verbum non proficiet, ſed ſatisfactionis ſufficit.* Eſt autem ille locus ex MARCIANO *ad formulam hypothecariam libro* excerptus: ex eaque ut facile ſuſpicari poſſumus, parte ſumptus, qua interpretationem ejus faciebat, quod vulgo dicitur, pignus, ſive ſoluta pecunia, ſive eo nomine ſatisfactum ſit, liberari. [t] In quo enuntiato ſoluta pecunia accipitur, quae creditori numerata eſt. Ceteris modis ſi a pignore receſſum ſit, fidejuſſore puta dato, vel accepto lato, aut novato eo, propter quod hypotheca erat obligata, ſolutionis quidem nomen non conveniet, ſed ſatisfactionis, vel ſatisdationis. Uſque adeo autem ſolutionis & ſatisfactionis diverſa cauſa eſt, ut qui ſolvere debet, ſatisfactionem offerens nihil agat: [v] quamquam in quibuſdam cauſis a creditore ſponte admiſſa ſatisfactio [x] ſolutionis loco cedat, eandemque, quam illa, utilitatem praeſtet. Nam & pignus, ſatisfactione praeſtita, aeque ac pecunia ſoluta, liberatur: [y] venditarumque rerum dominium ex traditione in emptorem, vel pretio ſoluto, vel ſi in eo nomine ſatisfactum ſit, tranſire dicitur: [z] & ex IMPP. reſcripto ad honores in Republica, cui ex adminiſtratione debitor conſtitutus eſt, gerendos, qui ſatisfecit, non ſecus ac ſi ſolviſſet, admittitur. [a] Ceterum pro ſolutione ſatisfactionem accipere invitus creditor non cogitur: [b] quam ſi volens admiſerit, ſolutionis, quod ad aliquos caſus attinet, ea vim habet. Quod ergo dicitur [c] ſatisfactionem pro ſolutione eſſe, ſolutionisque verbo contineri, ex voluntate creditoris, ſatisfactione ultro contenti, procedit. Sed nimis multa de verbo: rem potius videamus. Tota ſolutionum quaeſtio hiſce capitibus continetur: Qui ſolvere poſſint, & quibus ſolvi: Quid ſolvi debeat, & quo modo: Quis ſolutionis & finis

ſit

g *l. 47. liberationis. D. de verbor. ſign.*

h *In d. l. 54. ſolutionis. D. de ſolution.*

i *In l. 21. liberto. §. 3. Lucius. D. de ann. leg.*

k *l. 49. ſolutum. D. de ſolution.*

l *§. 1. item per acceptilationem. Inſt. quib. mod. toll. obl.*

m *l. 176. ſolutionis. D. de verbor. ſign.*

n *l. 1. D. qui ſatiſd. cog. l. 5. §. 3. ſatis autem accipere D. de verbor. oblig.*

o *l. 6. item liberatur. D. quib. mod. pign. l. 9. ſi rem §. 3. omnis D. de pign. act. l. 4. §. 3. ait praetor. D. de re jud. l. 19. quod vendidi. D. de contrah. empt. l. 41. ſi ita fuerit. §. 1. ſed ſi ita. D. de man. teſt. l. 25. ſed & ſi quid. §. 1. D. de uſufr.*

p *l. 53. & res. D. de contr. empt. l. 9. ſi rem. §. 3. omnis. D. de pig. act. l. 5. ſolvitur. in fin. l. 13. ſi deferente. l. 14. cum colono. D. quib. mod. pig.*

q *In l. 49. ſolutam. D. de ſolution.*

r *l. 16. ſub condicione. D. eod.*

s *l. 53. eu quae. D. de acq. rer. dom. l. pen. D. de ſolution. l. 3. §. 19. aperire. D. de Senatuſc. Silan. l. 8. non ſtatim. D. de pecul.*

t *l. 9. ſi rem. §. 3. omnis. D. de pign. act. l. 6. item liberatur. D. quib. mod. pig. ſol.*

v *l. 21. promiſſor. §. ult. D. de conſt. pec. l. 5. ſtatu liber. in fin. D. de ſtatu liber. l. 10. quod ſi non ſolvere. D. de pign. act. Tiraq. in lib. de Retract.*

x *l. 6. item liberatur. §. 1. D. quibus mod. pig.*

y *l. 49. ſolutam D. de ſolution. d. l. 9. ſi rem. §. 3. omnis. D de pig. act.*

z *§. 41. venditae. Inſt. de rer. diviſ. l. 53. ut res. D. de contr. emp.*

a *l. 6. reſcripto. §. 1. debitores. D. de mun. & honor.*

b *d. l. 10. quod ſi non ſolvere. D. de pig. act.*

c *l. 52. ſatisfactio. D. de ſolut. l. 176. ſolutionis. D. de verbor. ſign.*

ſit & effectus. Quibus omnes omnino ſolutionum cauſae explicantur. Eoque magis mihi hic noſter ordo probatur, quod in omni artium genere is demum ſibi rem eam, qua de agitur, plane perſpectam ac cognitam adfirmare poſſit, qui omnes ejus cauſas ſcientia cognitioneque comprehenderit. [d] Optimum autem videtur initium tractationis ab eorum, qui ſolvere poſſunt, perſonis facere. Haec enim eſt in hac quaeſtione efficiens cauſa, quam primum omnium tractari oportere noſtri cenſent, [e] quod & ceteras in actione anteit, quamquam animum inſtituentibus ad deliberandum priore loco ſeſe finis offerre ſoleat.

SOLVERE quilibet, rerum ſuarum adminiſtrationem habentes, debitores poſſunt. Nam pupilli, prodigi, furioſi, & id genus homines, quibus rerum adminiſtrandarum jus non competit, [f] citra eorum, quorum conſilio reguntur, auctoritatem ſolventes, accipientis nummos non faciunt. [g] Et deſiderat ea res plerumque Praetoris interventum: ſine quo, quod ex bonis ſtipulanti pupillus ſpoponderit, ſolvere non eſt permiſſum. [h] Aliud enim admittentibus expedita ac facilis pateret ſolutionis obtentu rerum pupillarium alienandarum via. Quae quamquam ita ſe habeant, utilitatis tamen ratione receptum eſt, [i] ut conſumpta pecunia, quam ſolverint, quia ejus vindicandae poteſtas jam non eſt, pupillis liberatio naſcatur. [k] Tantiſper certe, dum avelli ei, qui accepit, poteſt, in ſolutum pecunia non cedit. Reliqui omnes, quibus bonorum alienatione non interdicitur, ſolventes ſe liberant, etiamſi in reatu ſint, [l] dum ne majeſtatis perduellioniſve poſtulentur. Hos enim placuit nihil ex bonis ſuis poſt admiſſum crimen minuere poſſe, [m] ut fiſco integrum jus ſuum ſervetur, qui facile ementiti aeris alieni ſpecie fraudaretur. Idem in iis, qui repetundarum poſtulantur, eadem ratione [n] admittemus. Nec exemplum deeſt. Caecilio enim Claſſico repetundarum damnato, placuiſſe Senatui PLINIUS ſcribit, [o] bona, quae habuiſſet ante provinciam, a reliquis ſeparari: illa filiae; haec ſpoliatis relinqui. Additum etiam, ut pecuniae, quas ſolverat creditoribus, revocarentur.

Nec ipſi tantum utiliter ſolvunt, qui debent, verumetiam ex eorum mandato facta ab alio ſolutio valet. [p] Quinetiam pro ignorante & invito ſolvere cuique licet, [q] cum naturalis ſimul & civilis ratio alterius vel abſentis & diſſentientis meliorem nos facere condicionem patiatur. [r] *Solutione*, ait lex, [s] *vel judicium pro nobis accipiendo, & inviti, & ignorantes liberari poſſumus.* Nam qui ſe liti offert, & pro alio litem ſine mandato excipit, invitum eum ignorantemque liberat, [t] quando quidem in ipſum judicati actio transferatur, [v] & velut novatio fiat. [x] Igitur ignoranti & nolenti liberatio ſolutionis ab alio factae poteſtate contingit, [y] in tantum ut ad repetendum pignus inde actio ei acquiratur. [z] Quod enim pro regula traditum eſt, [a] invito beneficium non praeſtari, hunc ſenſum habet, ut quae legum beneficio alicui praeſtantur, invito non tribuantur. [b] Soluta utique pecunia, quae debebatur, etiam invito debitore, ſolutionis vi jure ipſo obligatio tollitur. Verum cum de repetitione ſoluti quaeritur, alia ejus, qui pro invito ſolvit, cauſa eſt, longe alia ejus, qui pro ignorante. Illi in totum repetitio denegatur. [c] Huic, ſi utiliter & e re debitoris ſolvit, parata negotiorum geſtorum actio eſt, [d] qua quod ſibi ex ea cauſa abſit, conſequatur. Perſpicuum enim eſt in ſolvendo eum debitoris negotium geſſiſſe, quem a creditore ſuo liberavit, quo ad ſolutionem urgeri potuiſſet. Enimvero qui pro aliis ſponte ſua vel etiam coacti ſolvunt, jure deſiderant ſibi adverſus eos a creditore mandari actiones. [e] Idque per doli exceptionem, [f] antequam ſolverint, vel in ipſa ſolutione faciendа [g] conſequentur. Quod tamen, etſi ſuo tempore non poſtulaverint, aequitati conſentaneum erit, magiſtratus eis juriſdictione ſubveniri. [h] Actione certe nulla efficere poſſunt, ut ſibi adverſus jam liberatum actio delegetur, [i] aliter atque ſi in hoc ſolverint, ut ſibi adverſus debitorem numerata pecunia praeſtarentur actiones. [k] Qua in ſpecie, & poſt acceptam pecuniam, ſuae creditori, tam in perſonam, quam hypothecariae, [l] ſalvae manent actiones, propterea quod pro pretio magis mandandarum actionum, quam obligationis diſſolvendae gratia pecunia ſoluta videatur: cum inter contrahentes hoc actum ſit,

d *Ariſtot. initio Phyſic.*

e *l. 4. ſi quaeramus. D. de teſtament.*

f *l. 17. §. 1. D. de jurejur.*

g *l. 14. in fin. D. de ſolution. §. ult. Inſt. quibus alien. lic.*

h *l. 5. magis puto. §. 5. ſi pupillus. D. de reb. eor. qui ſub tutel.*

i *l. 17. Caſſius. D. de ſolution.*

k *l. 19. non omnis. §. ult. D. de reb. credit. ſi cer. pet. l. 14. in fin. D. de ſolution.*

l *l. 42. ſed nec. D. de ſolution.*

m *l. 20. ex judiciorum. D. de accuſ. l. 15. quaeſitum. D. qui & a quib. l. 31. donationes. §. ult. D. de donat. l. ult. C. ad leg. Jul. majeſt.*

n *d. l. 20. ex judiciorum. D. de accuſat.*

o *Lib. 3. epiſt. 9. ad Minutiam.*

p *l. 56. qui mandat. D. de ſolution.*

q *l. 53. D. eod.*

r *l. 39. ſolvendo. D. de negot. geſt.*

s *l. 23. ſolutione. D. de ſolution.*

t *l. 10. ſi pro patre. D. de in rem verſ.*

v *l. 25. is qui ſe. D. de rei vindic. l. 13. §. 13. non ſolum. D. de petit. her. l. 61. Plautius. D. de procur. l. 4. D. de re judic.*

x *l. 11. delegare. D. de novation.*

y *l. 23. D. de ſolution.*

z *l. 40. ſi pro me. D. de ſolution.*

a *l. 69. invito. & l. 156. invit. in fin. D. de reg. jur.*

b *l. 29. ſi quis in conſcribendo. C. de pact. l. 46. pactum. D. eod.*

c *l. ult. C. de neg. geſt. l. 53. qui fide. D. mand.*

d *l. 43. cum pecuniam & l. ult. D. de neg. geſt.*

e *l. 19. mulier. D. qui potior. in pign. l. 41. ſi fidejuſſores. in fin. D. de fidejuſſorib.*

f *l. 20. alterius. in fin. D. tut. & rat.*

g *l. 11. cum alter. C. de fidejuſſ.*

h *l. 57. ſi rei obligatae. in fin. de leg. lib. 1*

i *l. 1. C. de contr. jud. tut.*

k *l. 76. Modeſtinus. D. de ſolution.*

l *l. 5. ſolvitur. §. penult. D. quib. mod. pig.*

Digitized by Google

ut creditor accepta pecunia praeſtaret actiones, [m] ideoque quaſi nominis vendendi pretium acceperit, in hoc ipſum teneatur, ut praeſtet. [n] Sed cum hujuſmodi conventio non interceſſit, ſolutione ipſa proculdubio obligatio perimetur. Et ideo fruſtra, qui ſolvit, ſibi a creditore cedi poſtulabit, quas jam nullas habet, actiones. Quod ita ſe habet, ſi alieno nomine quis, & in alienam obligationem ſolviſſe proponatur. Mandatori enim, qui ſuo nomine, & ex ſua obligatione [o] ſolverit, adverſus debitorem quandocumque praeſtari poterunt [p] actiones, qui ea ſolutione non ipſo jure liberatur, quamquam exceptione petentem creditorem, ne bis idem conſequatur, ſubmoveat. Eodemque modo tutori ob id condemnato, quod a debitoribus pupillaribus non exegerat, etiamſi judicatum fecerit, utiliter mandabuntur actiones, [q] cum ea ſolutio debitoribus non proſit, quam ſuo nomine tutor propriaeque culpae cauſa fecit. Quas ſpecies, ut ſuperioribus conciliet, mirum eſt, in quos ſe diſtinctionum laqueos *Bartolus* induat. Plane ſponte quis alieno creditori offerens, quod ei debetur, cogere eum non poteſt, ut ſibi, quas adverſus debitorem habet, praeſtet actiones, [r] cum invitus nomen vendere creditor non cogatur: [s] quod ſi vendiderit (vendere autem vel invito ac repugnante debitore poteſt [t]) cedendarum actionum neceſſitate adſtringetur. [v] Atque haec de mandato actionum, quantum quoque modo res propoſita poſtulabat, breviter dicta ſint. Quem locum male vulgo explicatum, cum in hunc tractatum incurriſſet, tacitum relinquendum non putavi. Sed ut eo revocetur, unde huc declinavit oratio, ſuperioribus & illud adde, filio familias obligato, utiliter patrem, quod in peculio eſt, ſolvere: ſcilicet, *ſi*, quemadmodum lex ait, [x] *ſuo, non filii nomine, ſolvat.* Nam ſi filii nomine, qui ex quibuſcumque cauſis tamquam paterfamilias obligatur, [y] ſolvat, niſi ſolidum ſolvere paratus ſit, a creditore jure repelletur: cum ſuo nomine, inque ſuam honorariam obligationem, quod in peculio eſt, ſolvens liberetur. [z] Qui reſtituere hereditatem rogatus eſt, ante eam reſtitutam creditoribus hereditariis recte ſolvit. [a] Immo vero & ab iis ad ſolutionem compelli poteſt, actiones, quibus hereditario nomine directo tenetur, excipere neceſſe habet, hoc minus ex cauſa fideicommiſſi reſtituturus, quod in aes alienum erogaverit. [b] Sed & curator ventri datus, ſi grave ſit debitum quod poena creſcat, vel pignoribus pretioſis debeatur, ejus ſolvendi poteſtatem habet. [c] Servus ex peculio ſuo, cujus ei permiſſa adminiſtratio eſt, creditoribus ſuis recte ſolvit. [d] Dominicis quoque creditoribus actor ſervus, mutuis dandis exigendiſque pecuniis praepoſitus, utiliter ſolvit, ſi adverſus dominum ex ea cauſa petitio erat. [e] Idem juris procuratoribus, quibus vel hoc ipſum ſpecialiter mandatum, ut ſolvant, vel totorum bonorum conceſſa adminiſtratio eſt, damus. Nam cum quis ſuarum rerum procuratorem conſtituit, hoc quoque ei mandare videtur, ut creditoribus ſolvat: [f] qui tamen ea tantum debita, actoris exemplo, diſſolvere debet, quae exactionem habent, non quae ſolam retentionem. Quae res facit, ut naturalibus creditoribus non recte ſolvat, quod veriſimile non ſit, hoc dominum mandaturum fuiſſe. [g] Id quod ad executores teſtamentorum a *Bartolo* [h] traditur: cujus opinio adverſus contrariam *Baldi* [i] ſententiam praevaluit. Nec huic contrarium eſt, quod dominus ſervo legans, *quae debet*, quae natura debet, legare intellegitur, [k] quia, cum inter dominum & ſervum ſola naturalis conſiſtat obligatio, [l] inane ſit futurum legatum, ſi ad jus civile debiti nomen referas, quo nos abutentes, [m] ſervis, quibus civiliter deberi nihil poteſt, & in quos civilis non cadit obligatio, [n] & omnibus iis, qui natura dumtaxat tenentur, id tribuimus. [o] Mandato vero debitorum ſolvendorum ea dumtaxat contineri praeſumptum eſt, quorum ſolvendorum neceſſitate adſtringitur, qui ſolvit: cum & ſi civiliter ex una cauſa, & ex alia naturaliter obligatus indiſtincte ſolveret, in civilem cauſam ſolviſſe videretur. [p] Porro qui tutelam negotiave debitorum creditorumve ſuorum gerunt, ipſi ſibi ſolvere poſſunt. Et vero debent, ut uſuris debitor relevetur, ſi modo pecuniam habeant, unde ſolvant. [q]

NUNC videamus, quibus ſolvi poſſit. Inprimis creditori ipſi, etiam

m *l. 36. cum is qui. D. de fidejuſſ. l. 21. cum pupillus. D. de tut. & rat. diſtr*

n *l. 5. cum poſſeſſor. D. de cenſib.*

o *l. 28. Papinianus. D. mand.*

p *l. 95. Stichum. §. 10. ſi mandato. D. de ſolut.*

q *d. l. 95. §. 10. ſi mandato. D. de ſolut. l. 25. ſi minorie. D. de adm. tut.*

r *l. 5. C. de ſolution.*

s *l. 11. invitum. C. de contrah. emp. l. 19. nec emere. C. de jur. delib.*

t *l. 1. C. de novation.*

v *l. 23. venditor actionis. D. de hered. vend.*

x *l. 59 ſi ita ſtipulatus ſim. D. de ſolution.*

y *l. 39. filiusfam. D. de oblig. & act. l. 57. tam ex contractibus. D. de judic.*

z *Facit l. 1. §. ult. cum l. ſeq. D. de conſtit. pec.*

a *l. 104 ante reſtitutam. D. de ſolution.*

b *l. 27. ita tamen. §. 7. qui ex Trebelliano. D. ad SC. Trebell.*

c *l. 5. in fin. D. de vent. in poſ.*

d *l. 84. egiſti. D. de ſolution.*

e *l. 94. ſi is cui. §. 3. D. de ſolution.*

f *l. 87 quodlibet. D. de ſolution. l. 59. ſed & id quoque. D. de procur.*

g *Arg. l. 46. qui peculii. D. de pecul. & l. 6. obligatione. D. de pignor.*

h *In l. 25 ſi legavi. D. de liber. leg.*

i *In l. 24. id quod C. de epiſc. & cler.*

k *l. 40 quibus. §. 3. dominus. D. de cond. & demonſtr.*

l *l. 41. nec ſervus. D. de pecul. l. 11. ſed & ſi pupillus. §. ult. D. de inſtitor. act. l. 64. ſi quod. D. de condict. indeb.*

m *l. 108. debitor. D. de verb. ſign.*

n *l. 22. in perſonam. l. 32. quod ad jus. D. de regul. jur.*

o *d. l. 41. nec ſervus. D. de pecul. l. 16. fidejuſſor. §. 33. fidejuſſor. D. de fidejuſſor. l. 19. §. 4. ſi quis ſervo. D. de donat.*

p *l. 97. cum ex pluribus. D. de ſolution.*

q *l. 9. quotiens. §. 5. ſicut. D. de adm. tut. l. 9. §. 4. D. de pecul. l. 35. divortio. D. de neg. geſt. l. 10. ſed non dantur. D. de tut. & rat. diſtr.*

tiam criminis reo, [r] recte ſolvitur, niſi is ſceleris conſcientia territus profugerit. Nec enim eis, qui requirendi adnotati ſint, recte ſolvi Ulpianus (*a*) ſcribit, [s] ne per hoc eorum fuga inſtruatur. Imperator etiam Antoninus Pius (*b*) reſcripſit, ex quo perduellionis crimen quis contraxit, ſolvi ei a debitoribus non poſſe, [t] quaſi bonis ejus fiſco ex ipſo delicto ſtatim vindicatis. His exceptis, creditoribus quibuſcumque ſolvitur. Et ſi quidem duo ſint in ſolidum rei credendi conſtituti, alterutri ſolvens debitor, tota obligatione liberabitur, [v] ſi modo utiliter ambo ſtipulati ſint. Quod ſi alter inutiliter, ei male ſolvetur, cum ex ea ſtipulatione obligatum promiſſorem non habeat, [x] a quo uno nomine ei facta ſolutio conſiſtere poteſt. Nec enim ad ſolutionem ejus adjectio proficere poſſit, cui principaliter obligatio quaerebatur. [y] Sed & ſi alter ex duobus reis ſtipulandi a debitore petierit, alteri poſtea promiſſor ſolvens non liberabitur, [z] quoniam occupaſſe debitorem praeveniſſeque intellegantur, qui petiit, [a] juſque correi eo pacto conſumpſiſſe. Quinetiam poſtquam alteri ſoluturum ſe promiſſor conſtituerit, exinde alteri ſolvens, a priore ſe non liberat: quia loco ejus, qui exegit, haberi debet is, cui conſtituitur. [b] Verum enimvero quod creditoribus recte ſolvi generaliter ſtatuimus, ſic exaudiri oportet, ſi ſuae mentis, juſtaeque aetatis ſint. Furioſo enim, prodigo, pupillo ſine tutorum curatorumve auctoritate fruſtra ſolvitur: [c] qua non interveniente, ita demum rata habentur, quae cum his geſta ſint, ſi inde certa atque indubitata utilitatis ſpes proponatur. [d] In iis vero, quae utilitatis quidem ſpeciem habent, ſic tamen, ut damnum ſequi poſſit, tutorum auctoritas neceſſaria eſt, [e] ſine qua ſupradictis perſonis ſolventes, merito non liberantur, propterea, quod etſi eorum intereſſit pecuniam debitam ſolvi, facilitate tamen aetatis mentiſque imbecillitate perdita vel profuſa pecunia laedi poſſunt. Quod etſi Jureconſultorum teſtimoniis deficeremur, ex Cicerone ſatis intellegeremus. *Non, quemadmodum*, ait, [f] *quod mulieri debes, recte ipſi mulieri ſine tutore auctore ſolvas, ita quod aut pupillo, aut pupillae debeas, recte poſſis eodem modo ſolvere.* Secundum quae ſine curatore petenti pecuniam creditam minori debitor metu in integrum reſtitutionis ſolvere non compellitur, ſed apud aedem ſacram, ne vel obtentu aetatis ſolutio debiti differatur, vel uſuris ultra debitor oneretur, pecuniam deponendam eſſe, utrique conſulentes prudentes cenſent. [g] Poterit tamen ita decernente ac ſtatuente judice utiliter minori ſolvi, [h] ut nullo caſu, qui quandocumque poſt inciderit, attentari, labefactarive rite ac legitime facta ſolutio queat. Non enim fraudi ei eſſe debet, qui magiſtratus imperio obſecutus eſt, cui & parere neceſſe habuit. [i] Sed etſi ſine tutore, judiceve ſit ſolutum, ſi tamen nummi ſalvi ſint, eoſque penes ſe domi pupillus habeat, petentem eum doli mali exceptione debitor ſubmovebit, [k] quod iniquum contra bonam fidem [l] lucrum captet. Eodemque modo conſumptis nummis, ſi ex his locupletior factus petat, exceptione repelletur, [m] ne alieno incommodo adverſus naturalem rationem ditetur. Qua de cauſa ex omnibus eum negotiis eatenus teneri receptum eſt, quatenus ejus patrimonium auctum ſit. [n] Quod eo tempore diſpiciendum erit, quo judicium accipitur. [o] Hoc enim tempus ut plurimum [p] inſpici in hujuſmodi quaeſtionibus ſolet. [q] Locupletiorem factum utique accipiemus, ſi ex pecunia aliam rem comparatam habeat; [r] aut ſi modo in rem ejus ea verſa eſt. Itaque & qui jubente pupillo ſine tutore, pecuniam creditori ejus bona fide numeravit, quamquam ipſo jure obligatus maneat, adverſus petentem tamen exceptione tutus erit, [s] qui eo ipſo locupletior intellegitur, quod debito ſit liberatus. [t] Et ideo cum pupillare praedium ſine decreto alienaſſe tutor, & ex pretio creditoribus pueri ſatisfeciſſe proponeretur, doli exceptionem pupillo quandocumque

r *l. 41. pr. D. de ſolut. l. 46. auferatur. §. 6. in princ. D. de jure fiſc.*

s *l. ult. in fin. D. de requir. vel abſ. damn.*

t *l. ult. C. ad l. Jul. majeſt.*

v *l. 3. in fin. D. de duob. reis.*

x *l. 118. ſi duo rei. D. de verbor. oblig.*

y *l. 56. cum qui. §. 2. qui ſibi. l. 126. ſi ita ſtipulatus. §. 2. Cryſogonus. D. de verb. oblig.*

z *l. 2. l. 16. ex duobus. D. de duob. reis.*

a *Arg. l. 33. ſi pluribus. D. de legat. 1.*

b *l. 10. idem eſt. D. de conſt. pec.*

c *l. 15. pupillo. D. de ſolution.*

d *l. 28. contra. D. de pactis. l. 6. is cui. D. de verbor. oblig. pr. & §. 1. Inſtit. de auctor. tut.*

e *l. 35. pupillo. D. de pig. act.*

f *In Topic. cap. 11.*

g *l. 7. ait praetor. §. 2. D. de minor. l. 64. fidejuſſor. qui. D. de fidejuſſor.*

h *d. l. 7. ait praetor. §. 2. in fin. D. de minor.*

i *l. 167. § 1. qui juſſu. D. de reg. jur.*

k *l. 15. pupillo. D. de ſolution.*

l *l. 57. bona fidei. D. de regul. jur.*

m *l. 4. apud. §. 4. ſi quis pupillo. D. de doli & metus excep. l. 47. in pupillo. D. de ſolution. §. ult. Inſtit. quib. alien. lic.*

n *l. 3 §. 4. l. 6. D. de neg. geſt. l. 13. heredibus. in fin. cum l. ſeq. D. de dolo. l. 1. in fin. D. commod.*

o *l. 47. in pupillo. D. de ſolut.*

p *l. 36. ſi a domino. §. 4. quo tempore. D. de petit. hered.*

q *l. 37. litis. D. de neg. geſt. l. 7. quod autem. D. de donat. int. vir. l. 34. ſi minor. D. de minor.*

r *l. 4. in pupillo. D. de exception.*

s *l. 66. ſi pupilli. D. de ſolution.*

t *l. 50. ſi cum mulier. D. de donat. inter. vir. arg. l. 2. D. de calum. l. 3. §. 1. in rem. D. de in rem verſ.*

(*a*) Ulpianus] Auctor *L. ult. D. de req. vel abſ. damn.* in Inſcriptione Modestinus perhibetur.

(*b*) Mihi veroſimile fit, Marcianum (ex cujus *lib. 1. de publicis judiciis l. ult. C. ad leg. Jul. Maj.* deſumta eſt) per Magnum Antoninum, non Pium; ſed Caracallam intellegere, quippe qui praecipue hoc cognomen affectavit, & ita ſaepe in jure noſtro vocatur.

que praedium cum fructibus vindicanti obſtaturam Papinianus reſpondit, v ſi non pretium ac medii temporis uſuras, quae creditoribus ſolutae fuiſſent, offerret. Hoc amplius etſi rem, quam neceſſe habuit emere pupillus, ex nummis ſibi ſolutis comparaverit, licet ea non extet, quaſi tamen locupletiori facto eadem exceptio nocebit: x quoniam initium ſpectandum eſt, y nec quaerendum, quis exitus ſit, z ratione minime patiente, poſt pecuniam ſemel in rem ejus verſam, ſecutos deinde caſus ſolventi adſcribi. Tanto id magis, quod tantumdem de ſuo pupillus, etiamſi nummos ſolutos non accepiſſet, fuerat perditurus. Eadem omnia in furioſo, prodigove ſervari naturalis ratio a poſtulat. b Quibus omnibus & abſque tutorum curatorumve auctoritate ſolvi poterit, ſi ſolutionis gratia ſtipulationi adjecti ſint, c contra quam ſi ipſorum commodo ſolutio ceſſura eſſet. Nam qui pupillo vel furioſo condicionis implendae cauſa dare juſſi ſunt, ipſis dando non liberantur, ne, quae in rem eorum ſit datio, ex eorum imbecillitate pereat. d Tutori itaque hoc caſu dari neceſſe eſt, ut liberatio procedat. e Id quod utilitatis cauſa contra verborum formam receptum eſt ob defuncti voluntatem, quae in condicionibus neglecta ſubtili verborum obſervatione ſpectanda ſequendaque eſt. f Apparet enim eum, qui hujuſmodi condicionem adſcripſit, pupillo proſpicere voluiſſe, cui ſine tutore ſoluta pecunia infirmitate aetatis facile periret. Quod ſi eo caſu admittimus, & illud probare conſequens eſt, cum pupilli nomen ſtipulatione comprehenſum eſt, tutori ejus ſolvi poſſe. Quorum utrumque ſubtiliter Africanus g (a) ut omnia. Generaliter autem tutoribus tempore adminiſtrandae tutelae ſolventes, ipſo jure a pupillis liberantur. h Nec intereſt, legitimi illi ſint, an teſtamento, aut ex inquiſitione dati, honorariive, vel ad hoc dati, ut gerant, vel notitiae cauſa dati. i Tam enim honorarii, k quam qui notitiae cauſa dantur, l licet non gerant, tutores tamen ſunt, & adminiſtrationis periculo obligantur. Nec tantum omnibus ſimul tutoribus, ſi plures dati ſint, ſed vel uni ex his duntaxat recte ſolvitur. m Quamquam ſi duobus tutoribus datis, verbi gratia, primo & ſecundo, vetuerit teſtator abſque primi conſilio quicquam geri: ſecundo, ſi ſolus exigat, non recte ſolvetur. n Quinetiam, ſi inter eos a praetore diviſa ſit adminiſtratio, & alius urbicarum, alius provincialium rerum tutor datus ſit, rerum urbicarum adminiſtrationem ſuſtinenti, quod ex nominibus provincialibus debetur, non jure ſolvas, niſi provincialis Romae reddi, quod in provincia foenerabatur, eſſet ſtipulatus. o Enimvero tutori etiam capitis poſtulato, ſi in adminiſtratione perſeveret, p nec non relegato, antequam ejus loco curator ſubſtituatur, vel abſuturo cauſa Reipublicae, vel abſenti utiliter ſolvitur. q Jam remoto, vel ei, qui ſuſpectus poſtulabatur, vel cui adminiſtratio interdicta erat, ſcientes qui ſolvunt, non liberantur. Nec tantum integra fide adminiſtrantes tutores, recte ipſi accipiunt, ſed & aliis quoque ſolvi recte mandant. r Dominorum enim loco circa rerum pupillarium adminiſtrationem bona fide verſantes tutores habentur. s Et tamen adverſus ſolutionem, quam tutore auctore acceperit, auxilium in integrum reſtitutionis pupillus captus implorare poterit: t cum minoribus etiam in his, quae praeſentibus tutoribus vel curatoribus geſſerint, ſubveniri ſoleat, ſi decepti ſint: v propterea quod tutorum auctoritas, quae ipſorum gratia comparata eſt, in odium eorum verti, reſtitutioniſque auxilium impedire non debeat. x Itaque ex Justiniani y *Conſtitutione* pleniſſima debitoribus pupillaribus ita quaeri poterit liberatio, ſi judicio praecedente ſententia ſolvant, quae ſine ullo damno, id eſt, ut Theophilus interpretatur, z *δίχα πάσης δαπάνης*, tutoribus curatoribuſve ſolvi permittat. Quam tamen obſervationem idem princeps in penſionibus annuis, obventionibus, uſuriſque remiſit: quas tutoris auctoritate pupillo ſine judice recte ſolvi decrevit. a Ceterorum vero debitorum exemplo tutores etiam, quae ex adminiſtratione tutelae debent, cura-

- v *l. penult. D. de rei. vin.*
- x *l. 47. in pupillo. D. de ſolut. l. 3. §. 7. unde. D. de in rem verſ.*
- y *l. 10. ſed an ultro. §. 1. de negot. geſt. l. 8. ſi neceſſarias. D. de pign. act.*
- z *l. 18. ſi ipſa res. D. quod met. cauſ. l. 3. §. 7. ſuſſicit. D. de contr. & ut. act. tut.*
- a *l. 206. jure naturae. D. de reg. jur.*
- b *l. 4. apud. §. 26. D. de doli excep.*
- c *l. 11. ſi ſtipulatus. D. de ſolution.*
- d *l. 68. ſervus decem. D. de ſolution.*
- e *l. 22. qui filium. D. de man. teſt. l. 13. ſi fundus. D. de cond. & demonſt.*
- f *l. 19. in condicionibus. l. 101. pater. D. de cond. & dem.*
- g *l. 95. Stichum. §. 7. D. de ſolution.*
- h *l. 46. Lucius. §. 5. tutelae. D. de admin. tut.*
- i *l. 14. quod ſi forte. §. 1. de ſolut.*
- k *l. 3. D. de admin. tut.*
- l *l. 1. C. de peric. tut.*
- m *d. l. 14. quod ſi forte. §. 5. ſive autem. D. de ſolution.*
- n *l. 47. Titium. D. de admin. tut.*
- o *l. 100. quaero. D. de ſolution.*
- p *l. 45. quamvis. §. ult. D. de ſolution.*
- q *l. 14. quod ſi forte. §. 1. cum ſeqq. D. eod.*
- r *l. 96. pupilli. D. eod.*
- s *l. 27. tutor. D. de adm. tut. l. 56. interdum. §. 4. qui tutelam D. de furt.*
- t *l. 1. C. ſi adverſ. ſolution.*
- v *l. 2. C. ſi tut. vel cur.*
- x *Argum. l. 6. quod favore. C. de legib.*
- y *l. 25. ſancimus. C. de admin. tut.*
- z *In §. 2. ex contrario. Inſtitut. quib. alien. lic.*
- a *l. 25. ſancimus. l. 27. conſtitutionem. C. de adm. tut.*

(a) Africanus] Auctor *L. 95. D. de ſolut.* Papinianus in Inſcriptione perhibetur.

curatoribus ſolventes liberantur. [b] Atque haec omnia de furioſorum, prodigorum, mutorum, & ſurdurum, & debilium perſonarum curatoribus dicta exiſtimanda ſunt. His enim ſolvi poteſt, [c] quidquid iis debetur, quorum negotia adminiſtrant. At ei, qui pro tutore negotia gerit, debitores ſolventes non aliter liberationem conſequuntur, quam ſi in rem pupilli pecunia pervenerit. [d] Non enim eadem eſt hujus, quae tutoris, rerum pupilli adminiſtratio. [e] Sed & tutori poſt pubertatem male ſolvitur: quia jam cum tutela & adminiſtrandi poteſtas finita eſt. Matri quoque, filii negotia ſecundum patris voluntatem gerenti, debitores impuberis inutiliter ſolvunt: [f] videlicet ſi ex hereditaria cauſa, non ex ejus contractu profecta ſit obligatio. Nam ſi negotium, ex quo debitores obligati ſunt, cum ipſa matre contractum foret, liberarentur utique, qui bona fide ſolviſſent. [g] Et haec eſt inter PAPINIANUM & SCAEVOLAM differentia. Cui ſimile eſt, quod alienae hereditatis poſſeſſori non recte hereditaria debita ſolvuntur, cum ea recte ſolvuntur, quae ab ipſo originem obligationis habent, licet ex rerum hereditariarum adminiſtratione pendeant. [h] Bene ergo apud *Scaevolam* CLAUDIUS TRIPHONINUS notat, [i] cognitoris has partes futuras, ut videat, utrum pretia rerum, quae diſtraxerunt, pupillae eſſe ſcierint argentarii, an non. Nam ſi hoc ſcierunt, matri, quae jus adminiſtrationis non habuit, ſolventes liberati non videntur: ſi ignorarunt, imputari illis nihil poteſt, qui ſolius perſonam intuiti, negotium geſſere. Haec de Tutoribus.

SERVIS etiam filiiſve familias, qui mutuis dandis exigendiſque pecuniis praepoſiti ſint, [k] vel liberam peculii adminiſtrationem habeant, [l] vel quod ab eis ex peculio creditum depoſitumve eſt, [m] jure ſolvitur. Dominorum enim voluntate immo & dominis ipſis, ſolvere peculiares debitores ſervis ſolventes exiſtimantur, cum eorum, quae in peculio ſunt, poſſeſſio apud dominum eſſe intellegatur, quamdiu in ea cauſa tenentur. [n] Secundum quae ſi res peculiaris eis ſurrepta ſit, poenam furti eis ſolventem furem liberari dicimus, [o] quia in peculio eorum furti actio eſſe videatur. Quod vero peculiari nomine ſervi crediderint, id eis etiam poſt domini mortem, ſed & alienatis quoque, vel manumiſſis, debitores bona fide ſolventes liberantur: [p] cum non debeat illis ſua ignorantia damnoſa eſſe, qui juſta ac probabili cauſa ad ſolvendum ducti ſint. [q] Eademque ratione diſpenſatori, qui ignorante debitore ab actu remotus eſt, recte ſolvitur. [r] Diſpenſatorem autem ſervum eum noſtri dicunt, [s] qui rationibus praeeſt, cuique libera peculii adminiſtratio conceditur. Cui non abſimilis eſt, qui Actor, ab ea, opinor, negotiorum procuratione adminiſtrationeque, quam ſuſtinet, appellatur, [t] quem Graeci & πραγματευτὴν [v] & διοικητὴν [x] vocant (*a*). Hujus tam ampla poteſtas eſt, ut non tantum pecunias exigere, [y] ſolutionemque accipere, [z] ſed & jusjurandum deferre, [a] & novare, [b] & alia omnia, quae non ad profuſionem peculii reſpiciant, gerere recte poſſit. Sed hic admonendi ſumus inter peculiares & dominicos debitores hoc intereſſe, quod hi ſervo exigendis pecuniis praepoſito poſt datam ei libertatem ſolventes, non aliter liberantur, quam ſi manumiſſum ignorent. Illi etſi inter vivos manumiſſum ſciant, ſi tamen peculium ademptum eſſe ignorent, recte ſolvunt. [c] Nam cum peculiaria nomina in peculio computentur, quod data inter vivos libertate, & ipſum dari intellegitur, niſi nominatim adimatur, [d] merito peculiares debitores etiam ei, quem a vivo domino manumiſſum ſciunt, ſolventes liberantur, ſi peculium ei conceſſum non eſſe ignorent.

(*a*) VOCANT] Actor & Diſpenſator interdum diſtinguuntur, interdum conjunguntur. Vide de iis *Marcelli Donati Dilucid.* ad *Sueton. pag.* 464. *ſeqq. Tom.* VI. *Theſ. Crit. Grut.* M. *Zuerii Boxbornii notas* ad *Suet. Galb. cap.* 12. *Giſberti Cuperi Apotheoſ. Homeri*, *pag.* 234. *Raph. Fabretti Inſcript. cap.* 4. *pag.* 293. *ſeqq. Thomae Reineſii Epiſtoll. ad Hoffmann. & Rupert. pag.* 238. *ſeq. Jac. Raevardi Var. lib.* v. *cap.* 20. *Melch. Goldaſti not.* ad *Doſith. pag.* 868. in *juriſpr. antejuſt. Jo. a Wower not.* ad *Petron. pag.* 149. *Jo. Gottl. Heineccii Synt. Antiqq. lib.* 1. *tit.* 23. *§. ult.* auctoris noſtri aliorumque *Lexica* his vocc. nec non ſcriptores de ſervis.

b *l.* 1. *C. ſi adverſ. ſolut.*
c *l.* 14. *§.* 7. *curatori. D. de ſolution. l.* 17. *§. penult. D. de jurejur.*
d *l.* 28. *D. de ſolution.*
e *l.* 4. *apud Celſum. §.* 24. *ſi quis non tutor. D. de dol. except. l.* 2. *D. de eo, qui pro tutor.*
f *l.* 31. *liberto. §. pen. D. de neg. geſt.*
g *l.* 88. *filiae. D. de ſolution.*
h *l.* 55 *ſi urbana. D. de condict. indeb.*
i *In d. l.* 88. *filiae. D. de ſolut.*
k *l.* 18. *ſi qui ſervo. D. de ſolut. l.* 7. *ſi conſenſit. §.* 1. *D. quibus mod. pign. ſolv.*
l *l.* 49. *ſolutam. D. de ſolut. l.* 21. *D. de jurejur.*
m *l.* 35. *quod ſervus. D. de ſolut. l* 27. *ſi unus. in fin. princ. D. de pact.*
n *l.* 56. *interdum. §.* 3. *cum autem. D. de furt.*
o *l.* 52. *ſi quis uxori. §.* 9. *l.* 26. *ſi ſervus. D. de furt.*
p *l.* 18. *ſi quis ſervo. l.* 32. *ſi ſervus. l.* 35. *quod ſervus. D. de ſolut. l.* 11. *quod ſervus. D. depoſ.*
q *l.* 41. *ejus qui. D. ſi cer. pet. l.* 26. *ſi non ſortem. §.* 8. *qui filiofam. D. de cond. indeb.*
r *l.* 51. *diſpenſatori. D. de ſolution.*
s *l.* 166. *urbana familia. D. de verbor. ſignif. l. penult. D. de ſerv. corrupt. l.* 12. *D. de inſtitor. l.* 62. *diſpenſatorem. D. de ſolution.*
t *l.* 37. *legato. D. de leg. lib.* 1. *l.* 49. *ſolutam. D. de ſolut. l.* 10. *idemque. §.* 4. *ſi quis Titio. D. mand. l.* 8. *D. famil. erciſc.*
v *l.* 41. *Ibais. §.* 4. *ſorore. D. de fideicom. liber.*
x *Theoph. in §. penult. Inſtit. de injur.*
y *l.* 5. *puro. §.* 3. *actoris. D. de doli except.*
z *l.* 49. *ſolutam. l.* 94. *ſi is cui. §. ult. D. de ſolut. l.* 7. *ſi conſenſit. §.* 1. *D. quibus mod. pig. vel hyp. ſolv.*
a *l.* 20. *ſervus. l.* 22. *quidum. D. de jurejur.*
b *l.* 21. *huic enim. D. de jurejur.*
c *l.* 18. *ſi quis ſervo. l.* 32. *ſi ſervus. D. de ſolut.*
d *l. ult. D. de manum. ſerv. ad univerſit. l.* 3. *C. de ſolut.*

rent. Teſtamento vero manumiſſis, quibus peculium, niſi una cum libertate legetur, non cedit, [e] qui mortuum dominum non ignorantes ſolvunt, bona fide ſolvere non videntur. Plane qui manumiſſo inter vivos peculium conceſſum non eſſe ſcientes ſolverint, donaſſe potius, quam indebitum ſolviſſe intelleguntur. [f] At cum diſpenſatori, qui teſtamento libertatem accepit, ignorantes dominici debitores ante aditam hereditatem ſolverunt, quia ipſa ſolutione liberantur, de peculio diſpenſatoris, quod ei cum libertate datum eſt, id heres retinere poteſt, tamquam negotium ejus in exigendo diſpenſator geſſerit. Quod ſi poſt aditam hereditatem ei ſolutum ſit, quia jam liber factus accepit, de peculio nihil eo nomine retinere neceſſe eſt, cum ſit adverſus eum actio, [g] quae ſuperiore caſu non aeque parata eſt, quoniam ex eo, quod in ſervitute geſſit, poſt adeptam libertatem non teneatur. [h] Et hoc PAULUS accurate ſubtiliterque perſequitur. [i] Ita demum autem peculiares debitores ſervis ſolventes liberantur, ſi non fraudulenter ſolverint. [k] Nam & qui ſervo, quod ex peculio ab eo acceperat, ſolvit, cum juſta aliqua ex cauſa ſuſpicari poſſet, dominum id fieri nolle, in ea cauſa eſt, ut non liberetur. [l] A domino utique credita pecunia ſervo ex ejus voluntate recte numeratur. [m] Idemque erit, ſi domini pecuniam ejus permiſſu ſervus foeneratus ſit. [n] Sane qui a fugitivo creditos ſibi nummos, cum eum liberum exiſtimarent, ei ſolverint, a domino liberabuntur. Alii vero ejus juſſu, vel eo ratum habente, ſolventes, non ita, [o] quoniam hoc, non item illo caſu, domino pecunia intercipiatur.

De illo nunc videndum eſt, an procuratori facta ſolutio liberationem adferat. Et ſi quidem hoc ei ſpecialiter mandatum ſit, ut ſolutionem accipiat, expeditum eſt. [p] Quinetiam ſi generaliter ei omnium negotiorum adminiſtratio mandata ſit, idem probabimus. [q] Nam qui omnibus ſuis negotiis aliquem praeponit, id quoque debitoribus mandare intellegitur, ut ei ſolvant. Ideoque quaſi juxta mandatum ſolverint, continuo etiam, antequam dominus ratum habeat, liberantur. [r] Quod ſi ita eſt (aperte autem in lege poſitum extat) non injuria mirum cuiquam videri poterit, quod pleriſque in locis non obſcure ſignificatur, abſentis, procuratori factam ſolutionem ex domini ratihabitione pendere. [s] Sed profecto illi omnes loci de non vero procuratore, aut abſentis negotia gerente accipiendi ſunt. Nam eum quoque, qui ſine mandato ſe alienis negotiis offert, procuratorioque nomine, licet falſo, quid agit, a noſtris procuratorem appellari animadverti. [t] CICERO voluntarium procuratorem appellat: [v] cujus ego ad hanc quaeſtionem pertinentem jocum ſubjiciam. *Mihi quoque, inquit Brutus, & exſpectanda ſunt ea, quae Attico polliceris: etſi fortaſſe ego a te hujus voluntarius procurator petam, quod ipſe, cui debes, ſe incommodo exacturum negat. At vero, inquam, tibi ego Brute non ſolvam, niſi prius a te cavero: Amplius eo nomine neminem, cujus petitio ſit, petiturum. Non mehercule, inquit, tibi repromittere iſtud quidem auſus ſim: nam hunc, qui negat, video flagitatorem, non illum quidem moleſtum, ſed aſſiduum tamen & acrem fore.* Hujuſmodi vero procuratori factam ſolutionem non ante liberationem afferre, certiſſimum eſt, quam ratum dominus habuerit, [x] quia accipiendi non habuit poteſtatem, ut ratihabitione domini confirmari neceſſe ſit, quae vel ex intervallo ſecuta retro trahi, & mandato comparari ſolet. Proinde & qui ſic non procuratori ſolvit, quaſi ſtatim liberaretur, confeſtim condicere poterit: & ratum demum habente domino condictio extinguitur. [y] Sic eveniet, ut ſi ante ratihabitionem ſe creditor arrogandum dederit, patris ſit voluntas ſpectanda, qui prout ratum habuerit, vel non habuerit, ita locum faciet, vel non faciet condictioni. [z] Oblata ſane alieno debitori *Amplius non peti* cautio, non efficit, ut invitus ad ſolutionem adigatur, [a] qui alii, quam cui obſtrictus eſt, exolvere non cogitur. Sed nec litis procuratori, & ei, qui ad agendum tantum datus eſt, ſolvi poteſt, [b] quia hoc mandato non continetur, a quo ne latum quidem unguem recedere oportet. [c] Diverſam vero eſſe ſolutionis accipiendae & actionis exercendae poteſtatem, nemo tam caecus eſt, qui non videat. Nec quod quibuſdam ſine mandato alieno nomine agere licet, idcirco illis quo-

[e] §. 20. *peculium. Inſt. de legat.*

[f] *l.* 7. *qui fundum.* §. 2. *ſervus. D. pro emptor. l.* 26. *ſi non ſortem.* §. 1. *D. de condict. indeb.*

[g] *Arg. l.* 1. §. 2. *quinimmo. D. ſi quis teſt. lib.*

[h] *l.* 1. §. 18 *ſi apud. D. depoſ. l.* 28. §. 7. *Sticho. D. de liber. leg. toto titulo; an. ſervus ex ſuo fact.* C.

[i] *In l.* 62. *diſpenſatorem. D. de ſolution.*

[k] *l.* 10. *ſi pro patre.* §. 6. *verſum. D. de in rem verſ.*

[l] *l.* 11. *D. depoſ.*

[m] *l.* 4. *C. de ſolution.*

[n] *l.* 35. *quod ſervus D. de ſolution.*

[o] *l.* 19. *fugitivus. D. de ſolution.*

[p] *l.* 12. *vero. D. de ſolution.*

[q] *l.* 34. *qui hominem.* §. 3. *ſi Titium. D. de ſolution.*

[r] *l.* 6. *ſi procurator. D. de condict. indeb.*

[s] *l.* 34. *qui hominem.* §. 6. *ſi gener. l.* 58. *ſi quis offerenti. in princ.* & §. 1. & *fin. l.* 71. *cum decem.* § *ult. D. de ſolution. l.* 22. *ſi ſine. in fin. princ. D. rem rat. hab.*

[t] *d. l.* 58. *ſi quis offerenti. circa fin. princ. D. de ſolut. l.* 24. *ſi ego. D. de negot. geſt. l.* 22. *ſi ſine.* §. 1. *in fin.* & §. 8. *ſi procurator. D. rem rat. hab.*

[v] *In Bruto, ſeu de Clar. Orat. cap.* 4. & 5.

[x] *d. l.* 24. *ſi ego. D. de negot. geſt.*

[y] *l.* 58. *ſi quis offerenti. in princ. D. de ſolution.*

[z] *d. l.* 58. *ſi quis offerenti.* §. 1.

[a] *l.* 2. *D. ut leg. nom. cav.*

[b] *l.* 86. *hoc jure. D. de ſolut. l.* 13. *ſed ſi tantum. D. de pact.*

[c] *l.* 5. *diligenter. D. mand.*

Digitized by Google

quoque recte ſolvas.[d] Sic enim filio non jure ſolvas, quod patri debes, [e] tametſi eum paterno nomine agentem non poſſis repellere. [f] Tamdiu autem procuratori ſolvi poteſt, quamdiu domini voluntas durat, quae non tantum revocato expreſſe mandato, id eſt, ſi procuratorem accipere dominus vetuerit, ſed & ſi re integra is deceſſerit, [g] vel ſi ſtatum in deterius procurator mutaverit, finiri intelligitur, quemadmodum Bartolus, [h] argumento ejus, qui obligationi adjicitur, [i] ductus, aſſerit: cui & ceteri aſſentiuntur. Quorum ſi aliquid contigerit, procuratori deinceps jure non ſolvetur. Quamquam & eos, qui bona fide, ignorantes, poſt finitum mandatum ſolverint, liberari aequitatis ratione ſit admiſſum: [k] quod ſcilicet ex domini voluntate ſolverint; quam ſi mutatam eſſe non divinarunt, fraudi eis hoc eſſe non debet. Falſo vero procuratori, & ei, qui ſine mandato alienis ſe negotiis offert, quantumvis bona fide ſolventes, idcirco non liberantur, [l] quia tam pronos facileſque eſſe eos ad ſolvendum non oportuit. Nec enim recte illos his compares, qui remotis ab actu adminiſtrationeque ignorantes ſolverint, cum hi juſtam habeant cauſam exiſtimandi, ſe ei, qui accipit, recte ſolvere, quoad de mutata domini voluntate certiores fiant: illorum ſtultitia excuſationem non habet, ei ſolventium, qui nullum ante mandatum habuit, cujus occaſione ducti, ei tunc quoque ex domini voluntate ſolvi crederent. Totum itaque hoc vanae ſuae credulitati facilitatique expenſum ferre debent, habituri contra eum, qui accepit, vel indebiti, [m] ſi ea mente numeraverint, ut ſtatim liberarentur, ejuſque nummi fierent; vel ob cauſam, furtivamque adeo condictionem, [n] ſi ita ſolverint, ut ii ad creditorem perferrentur, ſecundum pleniores Jureconſultorum de ea re diſtinctiones. [o] Procuratori vero; cui in rem ſuam mandatae fuerint actiones, ſolvi poſſe, certi & indubitati juris eſt: cum is domini loco habeatur. [p] Sed nihilominus & domino nulla delegatione interpoſita ſolventes liberabuntur, [q] niſi ei denuntiaverit eis procurator, ne ſolverent, vel aliquid ex debito acceperit, vel eo nomine litem ſit conteſtatus [r]. Alioquin cum directas adhuc actiones dominus habeat, adverſus debitores utiliter aget. [s] Si tamen ſimul cum procuratore petat, procuratorem in pecuniam ſuſcipiendam praeferendum inter omnes convenit [t], cum & ſuo nomine utiles habeat actiones, [v] nec mandantis nomine neceſſario agere debeat, Simili modo & is, cujus nomen pignori datum eſt, pignoranti, antequam de alterius obligatione certior factus ſit, recte ſolvit. [x] Haec de procuratore.

Ei etiam, cujus nomen ſtipulationi inſertum eſt, jure ſolvitur. [y] Nec intereſt, pupillaris an juſtae aetatis ſit, ſervus aut liber, filiusfam. vel ſui juris. Omnino enim dum adjecto ſolvitur, ſtipulatori ſolvi videtur, cum ex ejus voluntate ſolvatur. Itaque quanquam pupillares debitores pupillo ſolventes non liberentur, ſi tamen ſibi aut pupillo dari quis ſtipulatus ſit, ſoli pupillo ſine tutore utiliter ſolvetur. [z] Nam cum pupillo jus nullum obligationis quaeratur, qui tanquam alii reſtitutus accipiat, non multum de eo laboramus, acceptamne ille pecuniam profuſurus ac perditurus ſit: qua deperdita non eo magis de ſuo aliquid deminuiſſe, jacturamque feciſſe videatur. De ſe enim ſtipulator queri debet, qui hujuſmodi perſonam ſtipulationi adjecerit, [a] & promiſſor liberatus eſt, qui jure ſtipulationis ſolvit. Igitur & qui decem Titio vel ſervo alieno dare ſpopondit, ſervo ipſi bene ſolvet, [b] ac ne quidem domino ejus dando liberabitur, [c] niſi ex ſervi voluntate dederit, [d] quoniam ſervi tantum perſona ſtipulatione comprehenſa eſt: cujus perſonae mera haec atque ſimplex accipiendae ſolutionis poteſtas cohaerens ad dominum non tranſit. [e] Obligatio certe, ſi qua inde quaereretur, ipſi domino quaereretur. Ea enim per eos, qui in noſtra poteſtate ſunt, nobis adquiruntur, quae juris ſunt; quae facti, ipſis cohaerent. [f] Utique autem ſibi aut filio pater non inutiliter ſtipulatur, [g] & filius ſibi, aut patri, in his cauſis, quibus patri ſtipulatio adquiri [h] non poteſt. Fruſtra enim ſolutionis ergo pater adjiciatur tum, cum obligatio ipſa ei quaeritur. Ceterum cum adjecto ſecundum obligationis legem ſolvatur, ei ignorante, immo vero invito ac repugnante ſtipulatore, ſolvi poteſt: [i] quia hanc condicionem ha-

d *Guid. Pap. deciſ. 516.*
e *l. 22. filiusfam. D. de ſolution.*
f *l. 35. ſed & hae perſonae. D. de procur*
g *§. 10. Inſt. mandat. l. 4. D. locat.*
h *In l. 82. ſi cum Cornelius. D. de ſolution.*
i *Arg. l. 38. cum quis. D. de ſolution.*
k *l. 12. vero. §. 2. l. 28. §. 1. l. 51. diſpenſatori. D. de ſolution. §. 9. & 10. Inſt. mand.*
l *l. 34. qui hominem. §. 4. ſi nullo. l. 58. ſi quis offerenti. D. de ſolution.*
m *l. 8. creditoris. C. de cond. indeb.*
n *l. 14. ſi procuratori. D. de cond. cauſ. data cauſ. non ſec.*
o *In l. 43. ſolſus. §. 1. D. de fur.*
p *l. 13. ſed ſi tantum. D. de pact.*
q *Arg. l. ult. D. de tranſact.*
r *l. 3. C. de novation.*
s *l. 3. C. mandat.*
t *l. 55. procuratore in rem. D. de procur.*
v *l. 2. C. de oblig. & act. l. 7. poſtquam. cum l. ſeq. C. de hered. vend.*
x *l. 4. C. quae res pign. obl.*
y *§. 4. plane. Inſtit. de inutil. ſtipulat.*
z *l. 11. ſi ſtipulatus. l. 95. §. 7. D. de ſolution.*
a *Argum. l. 3. denique. §. ult. D. de minor.*
b *d. l. 95. §. 7. D. de ſolut.*
c *l. 9. D. de ſolution.*
d *l. 95. Stichum §. 7. D. de ſolution.*
e *l. 44. qui heredi. D. de cond. & demonſtr.*
f *§. 2. ſed cum factum. Inſtit. de ſtip. ſerv.*
g *l. 56. §. 2. qui ſibi. D. de verb. obl.*
h *l. 95. §. 5. quaeſitum. D. de ſolution.*
i *l. 17. D. de fidejuſſor.*

bet obligatio, [k] nec ullae prohibitionis vires ſunt in ea re, quae non ex prohibentis arbitrio pendet. [l] Stipulationis enim ſtatus in exordio conſtitutus, ex poſt facto ſolius ſtipulatoris voluntate mutari non poteſt. [m] Nec aliud probaremus, ſi ejus, quo cum pacti ſumus, cauſa, alii quid reſtitui conveniſſet. [n] Diverſum in ea ſpecie reſponſum eſt, in qua mulier, poſt nuptias contractas, de dote extraneo reſtituenda, cum viro pacta proponebatur. Nec enim ſoluto matrimonio ei, vetante muliere, recte dos ſolvetur, [o] quoniam nec ea condicio ab initio dotis dandae dicta ſit, ſed poſtea ex permiſſu mulieris adjecta. Aliud vero eſt jure ſtipulationis alicui ſolvi poſſe, longe aliud ex permiſſu noſtro id poſtea contingere. [p] Nam quod inter utrumque caſum nihil intereſſe Paulus ait, [q] quod ad eam rem attinet, de qua tractat, verum eſt. Atque ita in libris noſtris perſaepe, effuſae & latae hujuſmodi comparationes ad eas ſpecies, de quibus agitur, ſunt coartandae. Illa ſane inter ſuperiores caſus differentia intercedit, quod ei, cui jure ſtipulationis ſolvere licet, vel invito ac nolente ſtipulatore ſolvi poteſt: at ei, cui ſolvi creditor juſſerit, ita demum, ſi in voluntare manſerit. Omnibus enim integris hujuſmodi quoque mandatum revocari non dubium eſt. Cui pactum hoc comparamus, cujus gratia in hunc ſermonem venimus, quo mulier dotis ſuae alii reſtituendae marito tribuit poteſtatem. Ab ea enim voluntate re integra recedere mulier, ſi non donationis cauſa alius ſtipulatus ſit, poteſt. [r] Nec vetante ea tuto maritus ei, cui reddi convenerat, dotem reſtituet. At qui ea ſtipulatione, qua ſibi dari quid ſtipulatus eſt, alterius quoque nomen comprehendit, prohibere, ne ei ſolvatur, ſine promiſſoris injuria non poteſt, cui ſemel acquiſita ex ſua ſtipulatione alii ſolvendi poteſtas ulterius invito extorqueri non poteſt. [s] Quoniam igitur hanc legem obligatio habet, etiam ſi ſtipulatori ſoluturum ſe debitor conſtituerit, adjecto nihilominus jure ſolvet, [t] niſi ſe ſuli ſtipulatori ſoluturum conſtituerit. Tunc enim receſſiſſe a jure ſuo videtur, nec conſtituti fidem frangere volens audiendus eſt. [v] Hoc amplius etſi ſtipulator partem acceperit, reliquum adjecto ſolvi poterit. [x] Quod ſi per judicem petierit, exinde adjecto ſolvendi poteſtas adimitur: propterea quod litem conteſtando occupaſſe debitorem, & in ſe totum obligationis jus tranſtuliſſe intellegatur. [y] Itaque non de nihilo apud Julianum [z] haec verba addita ſunt: *Ante litem conteſtatam.* Atque hoc in toto pene jure animadvertere poſſumus, judicio accepto duriorem debitorum, creditorum meliorem condicionem effici, multaſque debitoribus competentes facultates amitti. [a] Adjecto autem facta ſolutio, quo minus ſtipulator petat, non impedit, ſi quid juri ſolutae rei deſit. [b] Sed & adjecto utiliter ita demum ſolvitur, ſi in eodem ſtatu maneat, quo fuit, cum ſtipulatio interponeretur. Quod ſi poſt ſtipulationem in exilium abierit, vel in adoptionem datus ſit, vel in ſervitutem redactus, ei non recte ſolutum iri Africanus ſcribit: [c] contra quam ſi emancipatus fuerit. Nec enim ejuſmodi mutatio perimere ſolvendi poteſtatem creditur, quia deteriore loco non ſit adjectus conſtitutus. [d] Ideoque quod ab Africano (*a*) alibi [e] ſcriptum eſt, cum quis uſumfructum ſibi aut Titio dari ſtipulatus eſt, Titio capite minuto facultatem ſolvendi non intercidere, ad cam ſpeciem reſtringendum, ne a ſe ipſo diſſentire idem auctor, ſecumque diſcordare videatur, vulgo obtinuit. Sed videamus, ne latius patentia Africani verba tam anguſtis finibus male coërceantur. Hoc enim ille ſine ſcelere praetermittere non poterat, ſi emancipatum fuiſſe adjectum poſuiſſet. Mihi certe acri & attento animo intuenti, hoc ſentire Africanus, eoque comparata tota ejus ratio videtur, ut oſtendat, vel capite minuto adjecto ſolvi poſſe, ſi hoc inter contrahentes actum ſit. Nec enim dubium eſt, ita ſtipulationem concipi potuiſſe: *Mihi, aut Titio, cum capite minutus erit, dari.* Quod autem tacite actum eſt, pro cauto habendum convenit. [f] Nec novum hoc videri debere aliis exemplis

k *l. 12. vero §. 1. l. 106. & l. ult. D. de ſolution.*
l *l. 14. Papinianus. D. de Publician.*
m *l. 124. inſulam. D. de verbor. oblig.*
n *Arg. l. 36. ſi cum fundum. D. de pact.*
o *l. 82. ſi cum Cornelius. D. de ſolution.*
p *l. 106. D. de ſolution.*
q *l. 59. ſi ita ſtipulatus. in fin. D. de ſolution.*
r *l. 11. Seja. D. de dote prael. l. 37. cum quis decedens. §. 4. nuptura. D. de legat. III. l. 2. C. de jur dot l. 29. in fine. D. de pact. dot.*
s *Arg. l. ult. D. de pact.*
t *l. 59. ſi ita ſtipulatus. D. de ſolution.*
v *l. 8. ſi vera. D. de conſtit pec.*
x *l. 71. cum decem. D. de ſolution.*
y *Arg. l. 3. C. de novat. l. 33. ſi pluribus. D. de leg. I. l. 16. ex duobus. D. de duobus reis.*
z *In l. 16 fidejuſſor. obligari. D. de fidejuſſ.*
a *l. 21. ſi decem. D. de ſolut. l. 112. ſi quis ſtipulatus ſit Stichum. D. de verb. obl. l. 1. D. de pec. leg. l. 8. ſi ſervus communis. D. de noxalib. l. 84. ſi inſulam. D. de verb. obl.*
b *l. 131. Julianus. §. 1. D. de verbor. obl. arg. l. 27. etiam D. de ſolution.*
c *l. 38. cum quis. D. de ſolution.*
d *l. 56. cum qui ita. §. 2. qui ſibi. D. de verb. obl.*
e *l. 95. Stichum. §. 6. uſumfructum. D. de ſolut.*
f *l. 3. cum quid. D. ſi cert. pet.*

*(a) Africano] Auctorem *L. 95. D. de ſolut.* non eſſe Africanum, ſed Papinianum jam ſupra monui.

plis confirmat, quando a perſona, quae ſtipulatione expreſſa eſt, quandoque recedamus, ut quamquam hic alius homo eſſe poſt capitis minutionem videatur, g ei nihilominus propter tacitam contrahentium voluntatem ſolvi poſſit. Nam & qui ſtipulatori aut pupillo dare ſpoponderit, tutori pupilli dare poterit, licet alia perſona ſit, quemadmodum ſervaretur, etſi implendae condicionis cauſa pupillo dare teſtator juſſiſſet. Quod ipſum utilitatis cauſa receptum eſt, cum alioquin facultas ſolvendi perſonam non egrediatur, in tantum, ut ſi ſervi perſona ſtipulatione comprehenſa ſit, domino ejus non recte ſolvatur. Equidem illud tentari poſſe non ignoro, emancipatione, aeque ut adoptione, facultatem adjecto ſolvendi intercidere, quandoquidem utroque modo capite minuamur. Nec iſtud defendentibus Julianus ullo modo refragaretur, h qui diligentius intuentibus penituſque introſpicientibus hoc tantum dicit, patrem ſibi aut filio utiliter ſtipulari. Et in hoc proficere filii adjectionem, ut ei ſive in poteſtate poſito, ſive emancipato recte ſolvatur, cui alioquin jure non ſolveretur, quod patri promiſſum eſſet. Ei autem, qui in poteſtate tempore ſtipulationis interpoſitae fuerit, poſtea emancipato jure ſolvi arripere ex ea lege non poſſumus. Quae tamen omnia, & in re dubia propoſita a me, non etiam affirmata velim. Ceterum ipſi tantum adjecto, non etiam ſucceſſoribus ejus, ſolvi poteſt. i Nec enim ei jus ullum obligationis quaeritur, quod ad heredem transferatur: ſed nuda quaedam dumtaxat, eaque perſonalis, accipiendae ſolutionis facultas, quae cum eo extinguitur. Itaque nec debiti petendi, k nec fidejuſſoris, l vel pignoris m accipiendi, nec novandae, aut accepto ferendae obligationis jus habet, n tantumque ei ſolvi poteſt. In hoc unum enim interpoſitus videtur, cum juris ratio obligationem ei per alium quaeri non patiatur. o Unde quidquid acceperit, ſtipulatori mandati actione reſtituere compellitur. p Adjicere vero ſolutioni aliquem ita poſſumus, ut nobis pure dari ſtipulemur, vel alii ſub condicione, vel in diem, vel alio, quam nobis, die. q Quae pluribus verbis Cajus perſequitur. r Et haec ferme ſunt omnia, quae de adjectis jure civili tradita extant. Ad alios tranſeamus.

Heredibus creditorum recte ſolvi nemo dubitat, cum in jus obligationis ſuccedant. Et ſi plures ſint, pro parte hereditaria cuique ſolutio fiet. Unde ſi major pars heredum interpellet, & depoſitum repetat, conſultius facturum eum dicimus, qui magiſtratus juſſu interveniente ſolvat. s Heredi ſane, qui hereditatem reſtituere rogatus eſt, ante eam reſtitutam facta ſolutione debitores liberari conſtat. t Quinetiam ſi inſtituto deliberante, ſubſtituto per errorem ſolutum ſit, ad eum poſtea devoluta hereditate, debitoribus liberatio naſcetur. v Praeter ſupradictas vero perſonas, & aliis quibuſcumque, quibus ſolvi creditor juſſerit, debitores ſolventes liberabuntur. x Nam cum juſſu meo id, quod mihi debes, creditori meo ſolvis, & tu a me, & ego a creditore meo liberor, y ſolvique nobis id intellegitur, quod alii noſtra voluntate ſolvatur. z Nec intereſt, cui ſolvi creditor juſſerit. Itaque ſi uxori ſuae donaturus debitorem ſuum ei ſolvere juſſerit, quamquam nummi uxoris non fiant, propterea quod jure civili donatio impeditur, exceptione tamen doli mali petentem maritum ſubmovebit debitor, ſi paratus ſit, quas adverſus mulierem habet actiones, ei praeſtare. a Celsus quidem ea ratione tentabat, b ipſo jure liberatum debitorem, quod quaſi viro data brevis manus fictione videatur: propter quam, quod juſſu noſtro alii debitor noſter numerat, & nobis datum, & a nobis ad alium perveniſſe intellegitur. c Nam ſi donatio jure civili non impediretur, ita res geſta videretur, quaſi a debitore in virum, ab eo porro in uxorem dominium tranſlatum eſſet. Qua ratione cum juſſu debitoris ab alio falſus creditoris procurator accipit, & debitori eum furti teneri, & nummos debitoris eſſe factos Pomponius ſcribit, d & alii plerique conſentiunt, e licet eos utique non attigerit. In illa vero altera ſpecie, ſummi juris regulis nixus Africanus, ipſo jure debitori liberationem contingere negat, quia nummi ejus maneant, nec uxoris propter juris impedimentum facti ſint. Namque dominium ab eo receſſiſſe vix dici poteſt, quod ei, in quem

Q 3 tranſla-

g *Arg. l. 7. §. 18. & ſuum verſ. Marcellus. D. de pact.*

h *In l 56. cum qui ita. §. 2. qui ſibi. D. de verb. obl.*

i *l. 81. ſi ſtipulatus ſim. D. de ſolut. l. 55. cum quis. D. de verbor. oblig.*

k *l. 7. ſed & ſi filio. in fin. D. de conſt. pec.*

l *l. 23. ſi mihi. D. de fidejuſſor.*

m *l. 33. ſi qui promiſit. D. de pignor.*

n *l. 19. quod ſtipulatus. D. de ſolution. l. 21. non ideo. D. de novation.*

o *l. 38. ſtipulatio iſta. §. 17. alteri. D. de verb. oblig.*

p *l. 131. Julianus. §. ult. D. de verb. oblig. § 4. plane Inſt. de inutil. ſtip.*

q *l. 98. qui res. § 4. mihi decem. D. de ſolution.*

r *l. ult. §. 5 ſeqq. D. de verbor. oblig.*

s *l. 81. ſi ſtipulatus. §. 1. D. de ſolution.*

t *l. 104. ante. D. de ſolution.*

v *l. 96. pupilli. §. ult. D. de ſolut.*

x *l. 49. ſolutam D. eod.*

y *l. 64. cum juſſu. D. eod.*

z *l. 15 mortuo. in fin. D. de ſtatulib.*

a *l. 38. cum quis. §. 1. D. de ſolution.*

b *l. 3. §. 12. ſed ſi debitorem. D. de donat. inter vir.*

c *l. 43. licet. §. 1 D. de jur. dot. l. 15. ſingularia. D. ſi cer. pet. l. 26. ſi cum qui. D. de don. int. vir.*

d *l. 44. ſi juſſu. D. de furt.*

e *d. §. 12. ſed ſi debitorem. l. 3. D. de donat. inter vir. & ux.*

tranſlatum volebat, acquiri non potuit. Paulatim tamen aequitate ſuggerente admitti, debitori, qui viri mandatum ſecutus ſolvit, exceptione eſſe ſuccurrendum, ſi marito condictionem, quam adverſus uxorem habet, mandet. Ita eo tandem recidunt omnia, ut ſi minus ipſo jure, per exceptionem tamen debitor liberetur: quemadmodum evenit, & cum vir uxori pecuniam donare volens permittit eam a debitore ſtipulari. Nam ea promiſſione, licet nihil actum ſit, [f] ſi tamen poſt divortium promiſſor bona fide ſolvat, doli mali exceptione tuendum eum placuit, ceſſis, quas adverſus uxorem habet, actionibus. [g] Porro & debitores pupillares liberantur, ſi juſſu tutoris alii ſolverint. [h] Amplius ſi pupillo jubente creditori ejus numeraverint, licet ipſo jure obligati maneant, doli tamen exceptione defendentur, quod locupletior factus pupillus videatur, qui ea pecunia a creditore ſuo dimiſſus ſit. [i] Plane, qui a fugitivo nummos domini creditos acceperunt, alii ejus juſſu ſolventes non liberantur, contra quam ſi ipſi fugitivo ſolverint. [k] Nam domino quidem ſolutum intellegitur, quod ipſi fugitivo ſolvitur, cum earum rerum, quas tenet ſervus, dominium poſſeſſioque apud dominum eſſe intellegatur, cui nec aliarum rerum, nec ſui ipſius poſſeſſionem intervertere ſervus poteſt. [l] Quod idem dici non poteſt, ubi alii jubente vel delegante eo ſolvitur. Ceterum ſi omnibus integris mandatum ſolutum ſit, vel creditoris, qui ſolvi juſſerat, morte, vel quod eum, cui ſolvi juſſerat, poſtea accipere vetuiſſet, idque non ignorantes debitores ſolverint, ſuum profundunt. [m] Nam cum ex voluntate creditoris, quae vel morte finita, [n] vel aperte revocata eſt, non ſolverint, liberationem non conſequuntur, nec ſoluti repetitionem habent, [o] qui ſcientes alii, quam cui debebant, ſolverint, [p] quod donationis ſpeciem habet. [q] Similiter ſi contra creditoris denunciationem, [r] vel ei, qui ab adminiſtratione ſibi conceſſa remotus erat, ſcientes debitores ſolverint, nihilominus obligantur. In omnibus vero his caſibus ſi ignorantes ſolverint, aequitatis ratione, utilitatiſque cauſa, liberationem eis contingere receptum eſt. [s] Nec enim imputari eis aequum eſt, ſi non divinarunt, mandatum ſolutum eſſe. Idque eis notum fieri oportuit, ne eorum ignorantiam obrepens procurator circumveniret. [t] Ei certe, qui mandato meo ſibi ſolvi ſtipulatus eſt, me mortuo, ut & invito, jure ſolvitur, quia ex ſtipulatione ſua quaeſitum ei ſolutionis jus morte mea intercidere non poteſt. [v] Sed nec dubitandum eſt, quin cui poſt mortem meam ſolvere debitorem juſſi, recte me mortuo ſolvatur: quia quod in mortem collatum eſt, mandatum morte non finitur. [x] Itaque illum Pauli locum, [y] in quo hae duae ſpecies explicantur, male collocatis & interpoſitis verbis depravatum eſſe, certo certius eſt, atque ita reſtitui oportere, uti & alii quidam monuere. [z] *Ei, qui mandato meo ſtipulatus eſt, poſt mortem meam recte ſolvitur: quia talis eſt lex obligationis: ideoque etiam invito me recte ei ſolvitur. Ei autem, cui juſſi debitorem meum ſolvere, poſt mortem meam non recte ſolvitur: quia mandatum morte diſſolvitur.* Et hujuſmodi verbis loco ſuo ordineque motis, aliquot librorum noſtrorum loci [a] corrupti ſunt. Sed ita remotis ab actu, vel revocatis procuratoribus, factam ab ignorantibus ſolutionem liberationem parere Africanus cenſet, [b] ſi non illi ea mente nummos acceperint, ut eos lucrentur. Tunc enim, quia furtum faciunt, nummi debitorum manent, neque liberantur, quamquam exceptione repellere petentem creditorem poſſint, ſi, quas adverſus eum, qui accepit, habent, ei praeſtent actiones. Nullo vero mandato intercedente, non aliis, quam quas initio recenſuimus perſonis, debitores invito vel ignorante creditore ſolventes liberabuntur. [c] Ideoque nec ſi cavere quis paratus ſit, Amplius non peti, eo magis debitor alii, quam cui debet, exolvere cogitur. [d] Nec ſi viro, quod uxori debetur, ſine ejus conſenſu ſolutum ſit, vel contra, liberatio contingit, [e] non magis quam ſi filio, quod patri debetur, ſit ſolutum. [f] Cui conſequens eſt, & generum, qui ſolidam dotem ſocero, ignorante filia, ſolverit, a filia non liberari. [g] Cum enim dos profectitia patris filiae communis ſit, [h] utique ſimul ſolvi, vel alterutri ex alterius voluntate debet. [i] Plane ſi filiaſam. nuptura ex peculio, cujus adminiſtrationem habebat, dotem dederit: matrimonio, cum in eadem cauſa pecu-

f *l. 5. §. 3. ſi debitor.* D. *de donat. inter vir.*

g *l. 39. vir uxori.* D. *de don. inter vir.*

h *l. 96. pupilli.* D. *de ſolution.*

i *l. 66. ſi pupilli.* D. *de ſolution.*

k *l. 19. fugitivus.* D. *de ſolution.*

l *l. 15. rem quae.* D. *de acq. poſ. l. 93. filiusfam.* D. *de reg. jur.*

m *l. 12. vero. §. 2. l. 32. ſi ſervus.* D. *de ſolut.*

n *l. 4.* D. *locat.*

o *l. 26. ſi non ſortem. §. 8. qui filiofam.* D. *de cond. indeb.*

p *l. 9. indebitum.* C. *eod. l. 65. in ſumma. §. ult.* D. *eod.*

q *l. 53. cujus.* D. *de reg. jur.*

r *l. 106. aliud.* D. *de ſolution.*

s *l. 51. diſpenſatori. l. 28. ſi qui ſervo.* D. *de ſolution. l. 41. ejus.* D. *ſi cert. pet. §. 10. Inſt. mandat.*

t *Arg. l. 29. ſi fidejuſſor. §. 2. ſi cum debitor.* D. *mandat.*

v *l. ult.* D. *de ſolution.*

x *l. 12. ſi vero non remunerandi. §. ult. cum l. ſeq.* D. *mandat.*

y *l. ult.* D. *de ſolution.*

z *Cujacius cap. 38. lib. 1. obſervation.*

a *l. 69. peto. §. 2. mater.* D. *de leg. II. l. 45. quamvis. §. ult.* D. *de ſolution.*

b *l. 38. cum quit. §. 1. ſi debitorem.* D. *de ſolut.*

c *l. 12. invito* C. *de ſolution.*

d *arg. l. 2.* D. *ut leg. nom. cav.*

e *l. 11. cum maritum.* C. *de ſolution.*

f *l. 22. filiusfam.* D. *de ſolution.*

g *l. 34. qui hominem. §. 6. ſi gener.* D. *de ſolut.*

h *l. 2. §. 1.* D. *ſolut. matrim.*

i *l. 65. ſi filia.* D. *de ſolution.*

Digitized by Google

peculinm eſſet, ſoluto, ipſi ſoli, cujuslibet peculiaris debiti exemplo, recte dos ſolvetur. [k] Quod ſi genero ſuo quis dotis Sejae filiae nomine heredem centum dare damnaverit, quamquam legati emolumentum omne ad Sejam pertineat, conceptio tamen verborum facit, ut vel invita ea viro ſolvens heres liberetur. [l] Qui poſſeſſori, tametſi bona fide poſſidenti, [m] ſolverunt, non ante liberantur, quam vero heredi, quod exegerit, poſſeſſor reſtituat. [n] Ergo ſolutum repetere a poſſeſſore poterunt, [o] videlicet ſi ex hereditaria cauſa obligatio proficiſcatur. Nam ſi poſſeſſor ipſe locaſſet, mercedis ei ſolutae repetitio nulla tribueretur, propterea quod ei ſolverint, cui & obligati erant. [p] Quamobrem qui minori, bona hereditaria pro herede adminiſtranti, quam ille ex hereditate crediderat, pecuniam ſolverunt, vel abſtento poſtea eo, hi nihilominus liberantur, quoniam vero creditori ſolverunt. [q] De illo dubitari poteſt, An creditori creditoris mei abſque ejus mandato facta ſolutio mihi pariat liberationem. Et magis eſt, quemadmodum *Bartolo* quoque videtur, [r] ut mihi exceptio proſit. [s] Fortius dicemus, ſi cum domum conduxiſſes, ejuſque partem mihi locaſſes, ego locatori tuo penſionem ſolvere, me liberari. [t] Ceterum ei facta ſolutio, qui amicitia ductus ſine mandato creditoris negotia gerat, debitoribus, antequam creditor ratam eam habuerit, liberationem non affert. [v] Ratihabitio enim cum retrotrahatur, & mandato comparetur, eas, quae ab initio non conſtiterunt ſolutiones liberationeſque confirmat. [x] Ideoque generaliter tenendum eſt, etiamſi alii, quam cui debebatur, citra creditoris mandatum ſolutum ſit, creditore tamen ratum habente, liberationem ſequi. [y] Ratum vero habere creditor, poſtquam certior eſt factus, debet. [z] Quod tamen non eſt diſtricte accipiendum, ſed cum quodam moderato temporis ſpatio, & ἐν πλάτει, ut familiari [a] noſtris verbo utar. Sed & intra tempora legitima ratum haberi neceſſe eſt. Plane ſi fidejuſſor ad certum tempus acceptus, procuratori, cui jure ſolvi potuit, intra tempora ſolvit, quamquam poſt tempus ratam creditor habuerit ſolutionem, fidejuſſor tamen jam olim liberatus intellegitur, nec repetet. [b] Nec enim quidquam facit, quod non in tempore interpoſita videatur ratihabitio, quam intervenire non erat neceſſe, cum ea etiam non expectata, fidejuſſori, ſtatim atque procuratori ſolvit, parta fuerit liberatio. At cum praecedentis actus confirmandi cauſa ratihabitio deſideratur, illa, niſi idoneo tempore interceſſerit, nullas vires habet. [c] Unde quod Africanus in ſimili prope ſpecie reſpondit, [d] procuratorem, qui aes alienum exigens, de rato cavit, ſi debitore jam tempore liberato dominus, quod a procuratore geſtum eſt, ratum habuerit, ex ſtipulatu, vel alias condictione teneri: de litis procuratore non ad hoc dato, ut ei ſolvi poſſet, vel omnino de eo, qui ſine mandato ultro ſe alienis negotiis offerebat, quem nos procuratorem quoque appellari ſupra notavimus, accipiendum cenſeo. Cui facta ſolutio ante domini ratihabitionem debitorem non liberat: quae ſi ſerius, id eſt, poſtquam actionis dies exiit, & tempore debitor liberatus eſt, interveniat, non jure factam ſolutionem non confirmat. Et ad has conjecturas, (nam temere quidquam affirmare de obſcuro loco nolim) ex eo adigor, quod Africanus non interpoſita ſtipulatione in debiti condictionem competituram ait: cui utique tunc ſolum locus eſt, cum vel procuratori ſolutionis accipiendae poteſtatem non habenti, ſolutio facta eſt, vel procuratori ita ſolutum eſt, ut, niſi dominus ratum haberet, condiceretur, & dominus ratam ſolutionem non habeat. [e] Nam ſi vero procuratori ſolutum ſit, confeſtim debitor etiam ante ratihabitionem domini liberatur, [f] ideoque non repetit. [g]

Hactenus, qui ſolvant, & quibus ſolvatur. Deinceps, quid ſolvi poſſit, videndum eſt. Eſt autem vulgi ore trita ſententia, ſolutione ejus, quod debetur, obligationem tolli. [h] Ex quo apparet, id ipſum ſolvendum eſſe, quod debetur. Aliud vero pro alio invito minimeque conſentienti creditori ſolvi non poteſt. [i] Ac ne pretium quidem ſpeciei promiſſae loco nolenti creditori recte praeſtatur, niſi ubi aliud ſingulari jure, favore certarum cauſarum receptum eſt. [k] Aliud enim res eſt, aliud pretium. [l] Cum tamen res aliena debetur, eamque dominus vel

k *l. 24. ſi filiuſfam.* D. *de jur. dot.*

l *l. 71. Titio centum.* §. 3. *Titia genera.* D. *de condit. & dem.*

m *l. 31. ſi quid poſſeſſor.* §. *ult.* D. *de pet. her.*

n *l. 34. qui hominem.* §. 9. *ſi prae dot.* D. *de ſolut.*

o *l. 26 ſi non ſortem.* §. 11. *heredit.* D. *de condict. indeb.*

p *l. 55. ſi urbana.* D. *de condict. indeb.*

q *l. 90. filius qui.* D. *de ſolution.*

r *In l. 3. non ſolum.* §. *ult.* D. *ſoluto matr.*

s *l. 6. ſi opera.* D. *de doli except. l. 36. ſi liber.* D. *de negot. geſt.*

t *l. 11. ſolutum.* §. 5. *ſolutam.* D. *de pign. action.*

v *l. 24. ſi ego.* D. *de neg. geſt.*

x *l. 12. vero. in fin.* D. *de ſolution.*

y *l. 12. invito.* C. *de ſolution.*

z *l. 13. ratum.* D. *eod.*

a *l. pen.* D. *de cond. tritic. l. 28. ſi arbiter.* D. *de probat. d. l. 13. ratum.* D. *de ſolut.*

b *l. 71. cum decem.* §. 1. D. *de ſolution.*

c *l. 24. bonorum.* D. *rem rat. hab.*

d *l. ult.* §. *ult.* D. *rem. rat. hab.*

e *l. 14. quod ſi forte.* D. *de ſolution.*

f *l. 6. ſi procurator.* D. *de condict. indeb. l. 12. vero.* D. *de ſolution.*

g *Arg. l. 32. cum is.* §. 1. D. *de condict. indeb.*

h *pr. Inſtit. quib. mod. toll. obl.*

i *l. 2.* §. 1. *mutui.* D. *ſi cert. pet. l. 16. cum a quo.* C. *de ſolution.*

k *l. 71. ſi domus.* §. 3. *qui confitetur.* D. *de legat.* 1. *l. 11. poſſeſſionum.* C. *comm. utr. jud. l. 35. ſi quis argentum.* §. 3. D. *de donat.*

l *l. 1.* D. *de rerum permut.*

vel omnino alienare, vel aeqnis condicionibus diſtrahere recuſat, juſtam ejus aeſtimationem debitor offerens audiendus eſt. m Sed et ſi numerorum facultatem debitor non habeat, nec ſacile ſuarum rerum emptores inveniat, aequiſſimnm putavit JUSTINIANUS n compelli creditorem in ſolutum debitoris poſſeſſiones accipere, inita prius a magiſtratu earum aeſtimatione, ut ſine juſta utriuſque querela res procedat. Atque ita Julius Caeſar, pulſo ex Italia Pompejo, cum fides tota Italia anguſtior eſſet, & pecuniae non ſolverentur, conſtituiſſe dicitur, ut creditoribus poſſeſſiones debitorum per creditores aeſtimatae traderentur, o quas ea de cauſa Cicero plerumque p aeſtimationes appellat. Enimvero volenti creditori res pro re ſolvi poteſt. q Et ita pro pecunia res in ſolutum data liberationem affert: Nec revocari ea datio, ſi non minor XXV. annis dederit, r vel ex ea cauſa poteſt, quod bono quodam eventu multo pluris vendidiſſe rem is, qui accipit, dicatur, quam ei deberetur. s Toties autem res pro re ſoluta liberationem parit, quotiens in ſolidum accipientis facta eſt. t Evicta vero ea, priſtina obligatio durat, & utilis nihilominus ex empto actio creditori, in id, quod ejus interſit, v accommodatur. Praeterea, ut in ſolutum datione obligatio tollatur, hoc etiam exigitur, ejuſdem cum eo, quod debetur, aeſtimationis eſſe rem, quae in ſolutum datur. Proinde ſi centum debens fundum ducentorum ſolverit, totus fundus repeti poteſt, & incorrupta obligatio manet, nulla facta confuſione partis rei cum pecunia, ne eo modo ad communionem praeter voluntatem ſuam creditor compellatur. x Per contrarium quoque, ſi creditori pluris aeſtimatum ſundum tradiderit, non aliter liberatur, quam ſi quod juſto pretio deeſt, ſuppleverit. y Dari vero pro ſuluto res quaecumque volenti creditori poteſt, ſive in corpore, ſive in jure conſiſtat. Nam & in ſolutum dari debitoris nomen poteſt, z ejuſque ad eum, qui ſic acceperit, quamvis nulla delegatio ſecuta ſit, periculum ſtatim pertinere dicitur, a qui mandatis ſibi a debitore actionibus, non in perſonam modo, ſed & in rem hypothecarias habiturus eſt actiones. b Ac directis quidem, quae in ipſo, qui contraxit, radices egerint, non niſi procuratorio nomine experiri poteſt: utiles vero etiam ſine mandato, exemplo ejus, qui vel emerit, vel doti nomen acceperit, ei dari crediderim. c Ceterum qui in ſolutum rem dare creditori promiſit, non eo minus debiti quantitatem offerre poteſt, d cum in ejus gratiam id cautum fuerit, e nec ad neceſſitatem praeſtationis converti debeat. Alia cauſa eſt ejus, qui creditorem rogavit, ut pignus certo pretio emptum poſſideat, ſibique habeat, idque velle ſe litteris ad eum miſſis ſit teſtatus Nam poſtea ſortem cum uſuris offerendo non eo efficiet, ut ſibi poſſeſſione creditor cedat, f non magis quam ſi in ſolutum datam rem, & jam tranſlatam revocare ſtudeat. Nec enim quicquam vetat pro debito pignus creditori addici, aut in ſolutum dari: Ratumque & utile pactum eſt, quo convenit, ut ad diem non ſoluta pecunia pignus creditor jure emptionis juſto pretio tunc aeſtimandum poſſideat. g Qua in re inſcite Accurſius Marcello Julianum adverſari credit. h Maneat vero, quod initio diſputationis hujus poſuimus, Rem pro re volenti ſolvi poſſe, nolenti, non poſſe. Itaque quaerentibus, quid ſolvi debeat, potiſſimum quid debetur, inſpiciendum erit, & quid cujuſque obligationis natura ſerat. Quod nos, generatim propoſitis iis, quae in obligationem deduci poſſunt, ſummatim perſequemur.

Obligationes interdum in dando, interdum in ſaciendo conſiſtunt. Dari vero vel quantitatem, vel ſpecies, vel genera, vel illud aut illud ſub disjunctione ſtipulantur. Quae ſpecies ſeparatim tractatom habent. Illud omnibus commune eſt, quod hujuſmodi obligationibus qui tenentur, niſi rem accipientis ſecerint, nullatenus liberantur: i hoc enim & verbo dandi continetur. k Qui decem debet, partem ſolvendo, in partem obligationis liberatur, & reliqua ſola in obligatione manent. l An autem partem debitae pecunine, quae in controverſia non eſt, accipere invitus creditor cogatur, valde diſceptatum eſt. Ego in hac quaeſtione cum communi ſchola contra *Decium*, *Alciatum* (*a*), *Ferrettum*

m *l. 14. non dubium. in fin. D. de leg. III. l. 10. cum alienam. C. eod.*
n *Nov. 4. cap. ult. & Nov. CXX. Auth. hoc niſi. C. de ſolut.*

o *Caeſ. lib. 3. de Bello Civ. cap. 1.*
p *In Epiſtol. ad Attic. lib. XII. Ep. 21. & 25. & lib. XIII. Ep. 31. Famil. lib. IX. Ep. 16. & 18.*
q *l. 17. manifeſti. C. de ſolut. l. 25 ſi ei nuptura. D. de jure dot.*
r *l. 10. ſucceſſores. C. de ſolution. l. 13. cum dominam. C. de pignor.*
s *l 22. cum pro pecunia. C. de ſolution.*
t *l. 46. ſi quis aliam. D. eod.*
v *l. 4 ſi praedium. C. de evictlon. l. 24. eleganter. D. de pign. act.*
x *l. 26. ſi non ſortem. § 4. ſi centum. D. de condict. indeb.*
y *l. 46. ſi quis aliam rem. §. 2. D. de ſolut.*
z *l. 6. ſi in ſolutum. C. de oblig. & act.*
a *l. 95. pupilli. §. 2. ſoror. D. de ſolution.*
b *d l. 6. ſi in ſolutum. C. de oblig. & act. l. 7. poſtquam. C. de hered. vel act. vend.*
c *l. 2. C. de oblig. & act. l. 8. ex nominis. C. de hered. vel act. vend.*
d *l. 45. quamvis. D. de ſolut.*
e *Arg. l. 6. quamvis. D. de pign act.*
f *l. 34. Titius. D. de pign. act.*

g *l. 16. ſi fundus. §. ult. D. de pignor.*
h *In d. l. 45. quamvis. D. de ſolut.*

i *l. 75. ibi autem. §. ult. D. de verb. oblig.*
k *§ 14. ſic itaque Inſt. de action.*
l *l. 9. §. 1. D. de ſolut.*

(*a*) ALCIATUM] Hunc ex inſtituto refutavit *Arnoldus Vinnius* in *Comment.*

rectum ſentio. Quae res quoniam longiorem orationem, prolixioremque diſputationem deſiderat, a me in proprios locos rejicietur. Inter omnes ſane conſtat, promiſſoris heredes ſuae quemque partis praeſtatione liberari, [m] diviſis ipſo jure ex l. XII. tab. nominibus. [n] Hic & illa quaeſtio exiſtit, Num alterius generis, quam quae promiſſa eſt, pecunia ſolvi poſſit? Et ego, licet ſint qui diſſentiant, ſolvi poſſe arbitror, ſi modo nullum inde damnum creditor patiatur. (*a*) [o] Nec ferendum eum exiſtimo, qui oblatam in probata quaque moneta ſolutionem recuſet, cum certi generis nominatim quantitas promiſſa non eſt. Idque ita poſt multas varietates obtinuiſſe, & Pariſienſi curiae placuiſſe fertur: [p] qua de re copioſe a v. c. ANDR. TIRAQUELLO in *lib. de Retractu* [q] diſputatur, unde quantum quoque modo videbitur, haurire quiſque poterit. Plane ſi ex mutatione pecuniae incommodum aliquod creditori accederet, nec melius, nec aequius eſſet in alia forma nummos promiſſos eum cogi accipere. Sed id damnum eſſe oportet, quod patrimonii diminutionem contineat: [r] neque enim ex nuda creditoris affectione res iſta aeſtimanda eſt, [s] quae in nummorum corporibus juſtam ac probabilem rationem nullam habet, [t] cum in his quantitatem atque aeſtimationem magis quam ſpeciem intueamur. [v] Eamque ad initium contractus referendam omnes conſentiunt, tum quod ad bonitatem quodammodo videatur pertinere, [x] tum etiam quod verba ipſa ad negotii geſti tempus vel in aliis quoque ſpeciebus referantur. [y] Idque poſt gloſſatores [z] etiam *Guido Papa* probat. [a] Denique ut omnia concludamus, ita res ex aequitate temperanda eſt, ut durus moroſuſque creditor non audiatur eam ſolutionem recuſans, ex qua damni nihil ſentiat. Sane reprobatam pecuniam adulterinoſque nummos pro bonis ſolvens, nullatenus liberatur. [b] Adulterinos autem nummos veteribus fuiſſe plumbeos & ſtanneos ex eo facile judicare poſſumus, quod eorum uſus lege Cornelia [c] interdictus eſſet: quae quod de nummis caveret, Nummaria appellata eſt. Argenteos quoque, vel aureos nummos, propter aeris mixturam, rejectos indicat SCAEVOLAE reſponſum, [d] quo pecuniam, ut aeroſam, e Repub. ſublatam narrat. Nam hoc ſignificat apud eum verbum aeroſa, ut in probatis codicibus legitur (*b*). Quo modo & aeroſus lapis apud PLINIUM [e] & aeroſa apud FESTUM. [f] Adulterari porro aere pecuniam auream ſolitam, & illud PERSII carmen oſtendit: (*Sat.* V. *v.* 106.)

Ne qua ſub aerato mendoſum tinniat auro.

Quod crimen etiam lege Julia peculatus coërcebatur. [g] Et raſos quoque ſolidos, [h] & quorum circulus exciſus eſſet, improbatos conſtat. Qua de re extat CONSTANTINI conſtitutio, [i] quae ſuperioribus annis a principe noſtro renovata eſt. Sed de his alias dabitur commodior dicendi locus. Nunc ad rem.

Suos item nummos debitorem ſolvere neceſſe eſt, ut ex ſolutione liberetur. Nam ſi alienos invito vel ignorante domino ſolverit, quamdiu pecunia extat, non liberatur. Quibus tamen integris, ſi pergat petere creditor quod debetur, nec offerat quod accepit, exceptione ſubmovendus eſt. [k] Conſumpta vero ſine dolo malo pecunia, debitori liberatio naſcitur. [l] Nam quae ratio ſuadet, ut, quamdiu nummi ſalvi ſunt, liberatio debitori non contingat, quod ſcilicet apud accipientem remanſuros eos incertum ſit, cum a domino extantes vindicari, vel mala fide conſumpti ad exhibendum actione peti poſſint; eadem facit, ut conſumptis bona fide nummis, ſolutio convaleſcat firmeturque, quoniam nulla jam ratione auferri a creditore poſſint: alioquin cum debitoris jactura creditor ditaretur, improbumque lucrum ex alieno damno faceret, quod a naturali civilique ratione abhorret. [m] Pari ratione ſi alieni

m *l.* 2. §. 2. *l.* 85. *in executione.* §. 1. D. *de verb. obl. l.* 1. C. *ſi cert. pet.*
n *l.* 4. *ceterae.* D. *fam. erciſc.*
o *l.* 99. *Paulus* D. *de ſolution. l. un.* C. *de arg. pret. quod theſ. lib.* 10. C.
p *Rebuf. in Comment. conſtitut. reg. tom.* 1.
q *In* §. 1. *gl.* 18.
r *Arg. l.* 3. D. *de damn. inf.*
s *Arg. l. ult. de uſu & hab.*
t *l.* 3. *nummis.* D. *de in lit. jur.*
v *l.* 1. D. *de contr. empt.*
x *Arg. l.* 3. *cum quid.* D. *ſi cert. pet.*
y *l.* 69. *Rutilia.* D. *de contrah. empt. l.* 40. *medico. l.* 7. *ſi ita.* D. *de aur. & arg.*
z *Gl. in cap.* 16. *conquerente.* X. *de off. jud. ord. & cap.* 10. *olim. & cap.* 16. *cum canonicis.* X. *de cenſib.*
a *Deciſ.* 493.
b *l.* 24. *eleganter.* §. 1. *qui reprobos.* D. *de pign. act.*
c *l.* 9. §. 2. D. *ad l. Corn. de falſ.*
d *l.* 102. *creditor.* D. *de ſolut.*
e *Lib.* 34. *cap.* 1.
f *Lib.* 1.
g *l.* 1. D. *ad l. Jul. pec.*
h *l.* 8. *ad leg. Corn. de falſ.*
i *Tit.* 22. *de his, qui ſolidi circul. in Codic. Theod. lib.* 9.
k *l.* 94. *ſi is, cui nummor.* D. *de ſolution.*
l *l.* 19. *non omnis.* §. *ult.* D. *ſi cert. pet. l.* 17. *Caſſius.* D. *de ſolut.*
m *l.* 14. *nam hoc natura.* D. *de condict. indeb. l.* 206. *jure naturae.* D. *de reg. jur.*

ment. ad *pr. Inſt. quibus mod. toll. oblig.* Vide etiam *Jo. Goeddaei Comm.* ad *L.* 32. *D. de V. S.*

(*a*) PATIATUR] Confer *Cornelii van Bynkersboek Obſervatt. lib.* I. *cap.* 9.

(*b*) LEGITUR] Confer *Corn. van Bynkersboek Obſervatt. lib.* III. *cap.* 4. alioſque ab eo ibi laudatos.

lieni nummi crediti ſint, conſumptione mutuum excitatur. [n] Nec quicquam intereſt, quomodo nummi ſoluti conſumpti ſinr. Nam ſive permutati, [o] ſive aliis porro in creditum ſolutumve dati, [p] vel in corpus patrimoni verſi, vel alius ita permixti fuerint, ut diſcerni non poſſint, [q] conſumpti videbautur. Communibus vero nummis ſolutis, pro parte confeſtim debitor liberatur: [r] pro ſolido non liberatur, cum ſuae tantum partis alienationem habear. [s] Ceteris rebus, quae pondere, numero, vel menſura continentnr, debitis, non ambiguum eſt, quamlibet ex eodem genere rem ſolvi poſſe, propter naturalem hujuſmodi rerum inter ſe functionem, [t] tantumque videndum eſſe, ut ejoſdem bonitatis cum ea quam accepimns, reddatur. [v] Nec omittendum eſt, eum, qui certum argenti pondus debet, pecuniam numeratam ejuſdem aeſtimationis ſolvendo liberari, ſi non cerrum argenti genus debeat. [x]

Qui fundum dare promiſit, in hoc tenetur, ut dominium ſtipulatoris omnino efficiat, [y] nec aliter ulla parte obligationis exoneratur, quam ſi pleno jure fundum ejus fecerit. [z] Sed & ſi quid juri rei promiſſae deſit, etiam poſt ſolutionem integra ex ſtipulatu actio manet. [a] Proinde ſi detracto uſufructu fundum ſolvat, non liberabitur, [b] ſed adhuc ab eo fundi uſusfructus recte petetur. Uſusfructus enim, licet dominii pars non ſit, [c] jus certe rei atque emolumentum continet, [d] & partis inſtar habet, [e] adeo, ut fundus datus non intellegatur, cujus uſusfructus abſit. [f] Non idem de ceteris ſervitutibus placet. Nam cum fundum liberum ab omni ſervitute praeſtare promiſſor non teneatur, niſi optimum maximumque promiſerit, [g] licet prius quam traderet, fundo promiſſo impoſuerit ſervitutem, ex ſtipulatu ceſſabit actio. Sed quia dolus interceſſit, de dolo dabitur, [h] quae hoc caſu neceſſaria eſt, propterea quod ſolutione ex ſtipulatu actio ſublata ſit, quae poſt ſolutionem ita demum manet, ſi aliquid plenae dominii tranſlationi deſit. Nam certe vel fundo tradito ex ſtipulatu agere, ut de evictione ejus caveatur, licet. [i] Et hoc eſt, quod Ulpianus his verbis ſignificat. [k] *Fundum poſſum petere, licet mibi traditus ſit, ſi jus quoddam cautionis ſupererit.* Quae verba *Accurſius* non intellexit. His conſequens eſt, & eum, qui alii obligatum fundum ſolverit, non liberari, cum poſſit hypothecaria actione etiam in ſolidum a ſtipulatore avocari. [l] Solutione quoque rei ſub condicione legatae non ante heres liberatur, quam certum erit, remanſuram eam rem apud eum, qui accepit. [m] Denique ſi res aliena, cujuſve aliena poſſeſſio eſt, vel cui jus aliquod deſit, ſoluta fuerit, obligatio non tollitur. Nec tantum ſi ſtipulatori, verum etiam ſi adjecto res ſoluta evincatur, priſtina obligatio durat. [n] Sed enim qui alienas res ſolverunt, heredes a dominis inſtituti, vel alias dominium nacti; deſinenr teneri. [o] Ideoque ſi ex peculio caſtrenſi filii rem aliquam pater ſolverit, filio inteſtato mortuo, perinde ac ſi rei domino heres extitiſſet, [p] liberabitur. [q] Plane qui Stichum promiſit, Stichum qualis eſt dando fidem impleſſe videbitur. [r] Ita fit, ut ſtatuliberum ſolvens liberetur, [s] quia eum, utut eſt, promiſit: nec ſi heres a domino ſcriptus fuerit, amplius quicquam praeſtabit, [t] cum abſque ejus facto hoc contingat. [v] Alia cauſa eſt, ſi in genere homo promiſſus fuerit. Imputari enim hominis promiſſori poteſt, quod alium hominem non dederit, qui latiſſimam omnium hominum ſolvendorum habuit facultatem, [x] cum Stichi promiſſor alium ſolvere, nec ſi velit, poſſit. Verum ita ſtatulibero dato, Stichi promiſſor liberatur, ſi Sticho extrinſecus libertatis condicio obtigit. Nam ſi a promiſſore ei libertas in aliquem caſum deſtinata eſt, contra dicendum foret. Quare enim facto ſuo obligationem ſuam reus tollat? Et hoc caſu procedet ſingularis Neratii caſus. [y] Igitur qui Stichum debet, eum, quo ſtatu, quaque condicione eſt, ſolvens obligationi ſatisfacit. Quare nec furtis noxiſve ſolutum praeſtare neceſſe habet. [z] A ſe plane vulneratum dando minime liberabitur, [a] cum factum ſuum praeſtare debeat. Porro Stichi parte ſoluta, in partem obligationis liberatio naſcitur. [b] Quod ſi plures ſpecies ſtipulatus quis deceſſerit, inter heredes ejus ſingulorum corporum ſectione obligatio dividetur. [c] Idem ſervabitur & ſi communis ſervus ſtipulatus proponatur. [d]

n *l. 13. nam & ſi.* D. *ſi cert. pet.*
o §. 2 *conſtituitur. Inſtit. de uſuf.*
p *l. 19. non omnis.* §. *ult.* D. *ſi cert. pet.*
q *l. 78. ſi alieni.* D. *de ſolution.*
r *l. 94. ſi is cui nummos.* §. 1. D. *de ſolv. arg. l. 5. ſervi electione.* §. 1. D. *de leg.* 1.
s *Arg. l. 16. ſi ſocius.* D. *ſi cert. pet. l. 68. nemo.* D. *pro ſoc.*
t *l. 2.* §. 1. *mutui.* D. *ſi cert. pet.*
v *l. 3.* D. *eod.*
x *l. 1.* §. *ult.* D. *de aur. arg.*
y *l. 75. ubi autem.* §. *ult.* D. *de verb. oblig.*
z *l. 126 ſi ita ſtipulatus.* §. 1. D. *de verb. obl.*
a *l. 27. etiam.* D. *de ſolution.*
b *l. 56. eum qui.* §. 7. *ſi a te.* D. *de verb. obl.*
c *l. 25. recte.* D *de verb. ſign. l. 13. & per jusjurandum.* §. 2. *illud.* D. *de acceptil.*
d *l. 66. Maevius.* §. *pen.* D. *de leg.* 11. *l. 70. ſi a reo.* §. 2. *ſi reo.* D. *de fidejuſſor.*
e *l. 76. cum filius.* § 2. *dominus.* D. *de legat.* 11. *l. 58. qui uſumfructum.* D *de verb. obl.*
f *d. l. 58. qui uſumfructum.* D. *de verb. obligat.*
g *l. pen.* D. *de evict. l. 69. ſervo legato.* §. 3. *ſi fundus.* D. *de leg.* 1.
h *l. 7. eleganter.* §. 3. *non ſolum.* D. *de dole.*
i *l. 131. Julianus.* § *ult.* D. *de verb. obl. l. 33. qui ſibi* D. *de ſolut.*
k *In d. l. 27. etiam.* D. *de ſolut.*
l *l. 20. ſi rem meam.* D. *de ſolut.*
m *l. 98. qui res.* D. *de ſolut.*
n *l. 33. qui ſibi.* D. *de ſolut.*
o *Arg. l. 22. ſi Titio.* D. *de pign. & hyp.*
p *l. 2.* D. *de caſtr. pecul.*
q *l. 98. qui res.* §. 3. *rem autem.* D. *de ſolut.*
r *l. 45. ſi a ſubſtituto.* §. *ult.* D. *de leg.* 1.
s *l. 9.* §. *pen.* D. *de ſtatulib.*
t *l. 92. ſi mihi alienum.* §. 1. D. *de ſolut.*
v *l. 33. qui ſibi.* §. *pen. & ult.* D. *de ſolut.*
x *l. 66. Maevius.* §. 3. D. *de leg.* 11.
y *l. 63. Neratius* D. *de condict. ind.*
z *l. 45. ſi a ſubſtituto. in fin. de leg.* 1.
a *l. 33. qui ſibi.* §. 1. D. *de ſolut.*
b *l. 9.* §. 1. D. *de ſolut.*
c *l. 54. in ſtipulationibus.* D. *de verb. obl.*
d *l. 29.* D. *de ſolut.*

Qui

Qui hominem incertum promiſit, quemlibet hominem ſolvere poteſt, cum ea promiſſio orationis compendio ſingulos homines complectatur. [e] Sed eum, quem ſolvet, in plenum facere ſtipulatoris debet. Ideoque ſtatuliberum, [f] vel eum, cui ex cauſa fideicommiſſi libertas praeſtanda eſt, [g] ſolvens non liberatur. Ille enim implicitum habet caſum libertatis, quo exiſtente a ſtipulatore auferetur; huic omnimodo libertas danda eſt, ad quam etiam ex Senatuſconſulto herede moram interponente eripitur. Sic neutrum habere ſtipulatori licet: quamquam in ſtatu libero, ſi eo vivo condicio libertati ſtatuta defecerit, conſentaneum eſt, proceſſuram liberationem. [h] Alienum quoque hominem, vel eum, in quo uſusfructus alienus eſt, ſolvens, non liberatur, quoniam uno caſu nihil accipientis fecit; altero non totum, quod utique neceſſe eſt. Si tamen vivo ſervo uſusfructus extinguatur, quia totus incipit ad ſtipulatorem pertinere, debitori liberatio naſcetur. [i] Morte certe ſervi ipſius, uſufructu finito, liberationem competituram nemo dicet, quod nullo unquam tempore hominem dediſſe videri poſſit. Sed & cum alienus datus eſt, uſucapto eo, debitor liberatur. [k] Hominem enim jam habet ſtipulator, qui ei auferri non poſſit. Praeterea noxae deditum, vel nondum noxa ſolutum ſolvens, non liberatur, [l] quia hae cauſae ſervi habendi poteſtatem adimunt, cujus caput noxa ſequi vulgo dicitur. [m] Hoc amplius & ſervi, qui alii pignori teneatur, ſolutione, debitori liberatio ante pignus diſſolutum non acquiritur: cum propterea accidere poſſit, ut ne habeat. [n] Generaliterque evicto homine legato priſtina actio manet, cum ſolutum non videatur, quod ita datum eſt, ut haberi non poſſit. [o] Et ut in pauca conferam, qui hominem debet, eum ſolvat neceſſe eſt, quem ſtipulatori habere, & ad plenam libertatem, ſi velit, perducere liceat. [p] Turpi vero, vili, infamique homine, ut puta veſpillone dato, non eo minus liberari eum lex ait. [q] Veſpillo, aut, ut in Florentinis libris legitur, viſpellio, vilium atque abjectorum cadaverum latorem ſignificat. Suetonius in *Domitian.* [r] *Cadaver ejus populari ſandapila per veſpillones exportatum.* Apulejus *lib.* IV. *Floridor. num.* 19. *pag.* 820. *Atque ita veſpillonum manibus extortum velut ab inferis poſtliminio domum retulit.* In Pandectis etiam alias [s] hoc vocabulum occurrit: Cujus tamen loco alicubi [t] veſpertilionem male *Alciatus* repoſuit, [v] quod Aeſopi apologo defendere fruſtra quidam conantur. Fulgentius autem in *lib. de vocib. antiq. num.* 2. Viſpillones ait dictos bajulatores; quamvis Antidamus Heraclites Veſpillones dixerit cadaverum nudatores, ſicut in hiſtoria Alexandri Macedonis ſcripſit. Veſpas quoque dictos eos, qui viliſſimi vulgi cadavera efferebant, Festus *lib. ultimo* auctor eſt (*a*). Cujuſmodi homines abjecti ac famoſi erant, propterea quod ignobilium hominum cadavera efferebant, quibus propter egeſtatem funus publice duci non poterat. Indignaque fuiſſe homine ingenuo talia miniſteria, ſatis ille Satyrici locus [x] arguit, quo ridet conductos ad *Purgandam eluviem & portandum ad buſta cadaver.* Sed eorum hominum ſolutio ideo hominis promiſſorem liberat, quod datum hominem infitiari non poſſimus: & noſtrum factum eſſe ſufficiat, utcumque vile ſit ejus miniſterium. Atque haec omnia, quae de promiſſo homine dicta ſunt, ad legatum licebit transferre. [y] Porro qui hominem debet, Stichi parte data, in nullam partem obligationis liberatur, ab eoque adhuc homo peti poteſt. [z] Ideoque ſi duo rei ſtipulandi hominem dari ſtipulati fuerint, & promiſſor utrique partem diverſorum hominum dederit, ab utroque non magis liberatur, [a] quam ſi eidem diverſas duorum partes ſolviſſet, quia una eademque utriusque obligatio eſt. [b] Quod ſi decem homines ſtipulatus, duobus heredibus relictis deceſſerit, ſinguli cuique homines praeſtabuntur, contra quam ſi communi ſervo homines decem promiſſi ſint. Nam cum ambigua ea verba ſint, Decem homines, eorumque dimidium duobus modis intellegi poſſit,

e *l.* 68. *Maevius.* §. 3. D. *de leg.* II. *l.* 13. *cum incertus.* D. *de leg.* I.
f *l.* 33. *qui ſibi. in princ.* D. *de ſolution.*
g *l.* 72. *qui decem.* §. *pen.* D. *eod.*
h *l.* 38. *cum quis.* §. 3. *qui hominem.* D. *de ſolut.*
i *d.* §. 3. *qui hominem.* *l.* 38. D. *de ſolut.*
k *l.* 60. *is qui.* D. *de ſolut.*
l *l.* 72. *qui decem.* §. *pen.* D. *eod.*
m *l.* 2. D. *ſi ex nox. cauſ.* *l.* 21. §. 1. D. *commod.* *l.* 41. *ſi quis cum.* §. 1. D *de furt.* §. 5. *Inſt. de noxal*
n *l.* 69. *ſi hominem.* D. *de ſolution*
o *l.* 29. *qui concubinam.* §. 3. *ſi heres.* D. *de leg.* III.
p *d. l.* 72. *qui decem.* §. *ult.* D. *de ſolut.*
q *d. l.* 72. *qui decem.* §. *pen.* D. *de ſolut.*
r *Cap.* 17.
s *In l.* 7. *ſed ſciendum.* D. *ad SC. Trebell.* *l.* 31. *ſi ita quis ſtipulanti.* D. *de evictione.*
t *In d. l.* 31. *ſi ita quis ſtipulanti.* D. *de evict.*
v *Lib.* 4. *de verb. ſign.*
x *Juvenal. ſatyr.* 3. *v.* 32.
y *l.* 45. *ſi a ſubſtituto.* §. *ult.* D. *de leg.* I.
z *l.* 9. §. 1. D. *de ſolut.* *l.* 2. §. 2. *ex his.* *l.* 85. *in executione.* §. 4. *pro parte.* D. *de verbor. obl.*
a *l.* 34. §. 1. D. *de ſolut.*
b *l.* 2. *in fin.* D. *de duob. reis.*

(*a*) Est] Confer praeter Lexicographos, & Interpp. ad leges & loca veterum laudata, *Jo. Mich. Dillherri Diſputatt. Academ. Tom.* II. *pag.* 104. *ſeqq.*

ſit, numero ſcilicet, vel ſingulis corporibus intellectu partitis, ſi quidem communis ſervus ita ſtipulatus proponatur, unicuique ex dominis ſingulorum hominum partes praeſtandas ULPIANUS probat, [c] quatenus hoc promiſſoris ſtipulatoriſque menti magis conſentiat. Conſtat enim communem duorum ſervum ſimpliciter ſtipulantem hoc agere, ut unicuique ex dominis pro partibus dominicis, quas indiviſas in eo habent, acquirat: eamque quam in ſervo habent communionem, conſentaneum eſt, eorum quoque omnium, quae per eum ſtipulando, vel per traditionem accipiendo acquiruntur, communionem inducere. Ut ergo ſine cujuſquam injuria & juſta querela diviſio procedat, magis eſſe cenſet ULPIANOS verborum ambiguitatem ex veriſimili contrahentium mente reique commoditate diſſolvens, partes corporum ſingulis deberi. At ſi decem homines ſtipulatus duos heredes reliquerit, numero inter eos fieri diviſionem JULIANOS ſcribit. [d] Qua ratione defendi poterit pugnantia utrumque non loqui, aliamque, quod ad hanc rem attinet, plurium heredum, aliam plurium dominorum cauſam eſſe. Quod ita eſſe juris ratione ductus affirmare non dubito, eoque fidentius, quod eam ſententiam his, qui de jure civili recta ſentire ſolent, placere ex familiari ſermone intellexi. Plane ſi decem homines, quos elegiſſet, ſtipulatus, poſt electionem factam deceſſerit, quia jam ſpecies certe debentur ſingulis heredibus, ſingulorum hominum dimidiae partes praeſtabuntur. [e]

Illa aut illa re promiſſa, electio eſt promiſſoris, utram ſolvat, [f] adeo, ut alteram pure petens creditor plus petere videatur, quod reo adimat electionem. [g] Una autem re electa, etiam ad alteram tranſire, & voluntatem in eo, quod praeſtaturus ſit, debitor mutare non prohibetur, [h] niſi ſe alteram ſoluturum ſtipulatori conſtituerit. Nam aliam deinde eligere ſalva fide, quam poſteriori conventione dedit, non poteſt. [i] In legatis plane disjunctivis, aliud quam in ſtipulationibus in hac parte ſervatur. Poſtquam enim ſemel elegerit is, cui electio attributa eſt, mutandae ſententiae amplius non habet poteſtatem, [k] propterea quod eam optionem confeſtim dominii tranſlatio ſequatur, [l] lege ipſa ad exitum extremas voluntates perducente. [m] Quod de ſtipulatione aeque dici non poteſt. [n] Utique autem alteram ex rebus disjunctive promiſſis a ſe deteriorem factam vel debilitatam promiſſor offerens non audietur. [o] Sed nec altera ante electionem perempta, ſuperſtitem ſolvere probe recuſabit, [p] quaſi jus electionis adhuc duret; quod in disjunctiva obligatione alterius morte conſumi placuit, ne ſi integrum id reo ſerves, in arbitrium ejus conferas, an debeat, [q] quod juris ratio non patitur. [r] Demortuae tamen rei pretium, quae longe vilior ſuperſtite fuerit, praeſtare ei licere ULPIANUS cenſet. [s] Quae ſententia aequitatem habet, ſi modo, cum per eum non ſtetiſſet, quominus daret, caſu res interierit. Nam ſi facto ejus ea perierit, qua tandem fronte ejus aeſtimationem offerret, cujus ſolvendae ſibi ipſe facultatem ademit? [t] Igitur omnimodo ſpeciem, quae ſupereſt, praeſtare debet, quae & ipſa, ſi antequam per eum factum eſſet, quominus daret, deceſſerit, quamquam obligatio in totum ſublata ſit, ne tamen impune admiſſum ſuum ferat, doli actio in eum merito deſiderabitur, cujus facto deſierit ſpecies prior dari poſſe. Et haec eſt PAULI (a) [v] ſententia, quam obſcuriorem vitium librorum impreſſorum facit, in quibus totus hic locus male punctis diſtinctus eſt. Plane ea re, quam promiſſor elegerat, citra culpam ejus extincta, tota obligatio tolletur, quaſi ea ſola promiſſa fuerit, quae electa eſt. [x] Enimvero ſi Stichum aut Pamphilum, qui meus erat, mihi dari ſtipulatus ſim, nec ſi meus eſſe deſierit, Pamphilus mihi recte ſolvetur, [y] in quo cum obligatio ab initio non conſtiterit, [z] nec ad ſolutionem proficere poteſt, ſi quo caſu a ſtipulatore dominium ejus diſceſſerit: propterea quod in disjunctiva obligatione utraque res ad obligationem ponitur, non ad ſolutionem. [a] At ex contrario & qui hominem dari ſtipulatus ſit, unum etiam ex his, qui

c *l. 29. cum Stichus. D. de ſolution.*

d *l. 54. in ſtipulationibus. D. de verb. obl.*

e *l. 117 ſi centum. D. de verbor oblig.*

f *l 10. plerumque in fin. D. de jur. dot. l. 2. § 2. D. de eo quod cert. loc. l. 34. ſi in emptione. §. pen. D. de contr. empt.*

g *§ 33. huic autem. Inſtit. de action.*

h *l. 138. eum qui certarum. §. ult. D. de verb. obl.*

i *l. 25. illud aut illud. D. de conſt. pec.*

k *l. 84. hujusmodi. §. 9. Stichum. D. de leg. 1. l. 11. ſtatuliberum. §. ult. D. de leg. 11.*

l *l. 20. apud Aufidium. D. de opt. leg. l. 64. a Titio. D. de furt.*

m *l. 1. C. comm. de leg.*

n *l. 20. traditionibus. C. de pactis.*

o *l. 33. qui ſibi, §. 1. D. de ſolut.*

p *l. 34. ſi in emptione §. penult. D. de cont. empt.*

q *l. 2. §. 3. non utique. D. de eo quod cert. loc.*

r *l. 7. haec venditio D. de contr. empt. cum ſimilibus.*

s *l. 47. cum res. §. 3. ſed ſi Stichus. D. de leg. 1.*

t *l. 95. Stichum. §. 1. D. de ſolut.*

v *In d. l. 95. Stichum. §. 1. & ſeq D. de ſolut.*

x *l. 84. hujusmodi. §. 9. Stichum. D. de leg. 1.*

y *l. 72. qui decem. § 4. Stichum. D. de ſolution.*

z *l. 87. nemo rem ſuam. D. de verbor. obl.*

a *l. 128. ſi duo rei. D. de verbor. oblig.*

(a) PAULI] Auctor *L. 95. D. de ſolut.* ſecundum Inſcriptionem eſt PAPINIANOS.

qui ſtipulationis tempore ei ſerviebant, ſi poſtea ejus eſſe deſierit, promiſſor ſolvens liberabitur. b Amplius & eum, qui duos homines promiſit, & Stichum ſolvit, poſſe ejuſdem Stichi dominium poſtea conſecutum, dando eum liberari Marcellus ſcribit. c Et hujus diſferentiae ratio non eſt obſcura.

b *d. l. 72. qui decem. §. 4. Stichum. D. de ſolut.*

c *l. 67. ſi quis duos. D. de ſolution.*

Quamquam enim plerumque inter ſe hae obligationes comparentur, iiſdemque juris regulis conſiſtant, in hoc tamen ipſo vel longe lateque diſtant, quod qui hominem ſtipulatur, certam nullam rem in ſtipulationem deducit, & ex ſolutione demum quid in ſtipulationem venerit, declaratur. Itaque nihil impedit, eum, qui ſtipulationis tempore ſtipulatoris erat, hominem ei ſolvi, quia non fuerit hic obligatione nominatim comprehenſus: ut proinde ejus ratione non poſſit dici ab initio obligatio non conſtitiſſe. Quod in disjunctiva ſtipulatione ſecus eſt, in qua utraque res obligatione continetur. Ideoque ſi earum alter utra ſtipulatoris ſit, protinus obligatione eximatur. Sed ut paulo ante, ita hic quoque legata a ſtipulationibus ſeparanda eſſe juris ratio ſuadere videtur. Hominis enim legato, aliter atque ſtipulatione, ſinguli homines continentur, cum eorum, qui in familia relicti ſunt, optio vi ipſa data videatur. d Cui conſequens eſt, ut nec in iis, qui ab initio legatarii fuerunt, nec in iis, qui poſtea ejus facti ſint, legatum conſiſtat, inutiliſque ſit etiam eorum, quorum dominus eſſe legatarius deſierit, ſolutio. Quamobrem, fatendum eſt enim, probare non poſſum ea verba, quae apud Papinianum interſeruntur. e *eademque ratio ſtipulationis eſt:* nam & ei ſententiae tam Africanus, quam Marcellus repugnant: ad quorum conciliationem nihil affertur, quod ſani hominis animum expleat, cum & Accurſianam ſolutionem probata Pandectarum Florentinarum lectio refellat, & ceterorum ridiculae ſint conjecturae. Tum vero, quae a Papiniano ſubjicitur ratio, ſtipulationi nullo modo convenit, utrumvis membrum ſumas. Et omnino nihil hominis legatum cum ſtipulatione hominis ſimile habet. Ego tamen Amplius pronuntiandum cenſeo. Non enim ſatis liquet.

d *l. 3. D. quib. ad liber. prov. l. 2. D. de opt. leg. l. 66. Maevius. §. 3. D. de leg. 11.*

e *d. l. 66. Maevius. §. 3. D. de leg. 11.*

Interdum in ſtipulationibus ſub disjunctione conceptis electionem ſibi creditor reſervat: quae alioquin vel tacenti debitori juris interpretatione deferretur. Et hoc caſu intereſſe dicimus, ita ſtipulatio concepta ſit: *Illum aut illum, quem voluero;* an: *quem volam.* Illo enim caſu ſemel dumtaxat eligere ſtipulator; hoc vero ſententiam mutare ſubindeque variare propter tractum temporis, quem [illegible] ea verba habent, f poterit, quoad judicium dictaverit. g Nam altero certe petito, electionis jus conſumitur, h quemadmodum & in aliis ſimilibus ſpeciebus obtinet. i Altero etiam mortuo, qui vivit, ſolus petetur; niſi in eo, qui mortuus eſt, creditor moram paſſus fuerit: tunc enim perinde ſolus ille, qui deceſſit, debetur, ac ſi ſolus in obligationem deductus fuiſſet, k utiliterque perpetuata ex mora obligatione, perinde ac ſi extaret, petetur. Unde ſi ante moram a debitore interpoſitam ſine ejus facto electa ſpecies periiſſet, liberari debitorem, nec eam, quae ſupereſt, peti poſſe diceremus. l Ceterum parte unius ex rebus ſub disjunctione promiſſis, ſoluta, ne pro ea quidem parte liberatio contingit. m Ideoque ſi Stichum aut Pamphilum ſtipulatus, duos fidejuſſores accepero, & alter Stichi, alter Pamphili partem ſolverit, uterque manet obligatus. n Aut ſi antequam quicquam accepiſſem, duobus heredibus relictis deceſſero, non aliter obligationi ſatisfiet, quam ſi heredibus idem homo in ſolidum praeſtetur, ne in diverſis hominibus contra ſtipulatorum mentem ſolutio fiat. o Quod ſi mihi Stichum, aut alii Pamphilum dari ſtipulatus ſim, Pamphilo alii ſoluto a me promiſſor liberabitur. p Idemque eſt, ſi mihi decem, aut hominem Titio dari ſtipulatus ſim, & homo Titio datus ſit. q Utroque tamen caſu non ipſo jure promiſſor, ſed per exceptionem demum liberatur. r At ſi ſibi decem, aut quinque Titio dari ſtipulatus ſit, non aeque abſolute reſpondebimus, quinque Titio ſolutis, totius obligationis liberationem naſci: ſed ita demum, ſi hoc expreſſim actum fuerit, ut quaſi poena in ſtipulantis perſona adjiceretur, ſi Titio ſolutum non eſſet. Nam ſi ſimpliciter eo non acto ſtipulatio hujuſmodi interceſſerit, etiam quinque Titio ſolutis, reliqua quinque in obli-

f *l. 6. in fin. D. ad SC. Tertyll.*

g *l. 112. ſi quis ſtipulatus ſit. D. de verb. oblig.*

h *l. 66. ſi is qui. D. de procur.*

i *l. 57. ſi decem in melle. D. de ſolut. l. 1. D. de penu. leg.*

k *l. 95. Stichum. D. de ſolut.*

l *l. 23. ſi ex legati. D. de verb obl. argum. l. 54. hujuſmodi. §. 9. Stichum. D. de leg. 1.*

m *l. 2. §. 1. & harum. D. de verb. obl. l. 26. ſi non ſortem. §. pen. D. de cond. indeb.*

n *l. 34. qui hominem. §. 10. ſi decem. D. de ſolut.*

o *l. 85. in executione. §. 4. pro parte. D. de verbor. obl.*

p *l. 98. qui res. §. 6. mihi Romae. D. de ſolution.*

q *l. 34. qui hominem. §. 2. ſtipulatus. D. de ſolut.*

r *l. ult. §. 5. cum mihi. D. de verb. obl. l. 44. obligationum fere. §. 4. acceſſio. D. de obl. & act.*

obligatione manent. [s] Cujus differentiae rationem vel minus accurata cogitatio ſuppeditat. Nam qui ſibi decem, aut alii quinque dari ſtipulatur, utique minuendae ejus ſummae cauſa, quam ſibi dari ſtipulatus eſt, Titii perſonam adjeciſſe intellegi non poteſt, ſed in hoc tantum, ut vel alii pars, quinque ex decem ſolvi poſſent, quatenus hoc promiſſori commodius foret. Una enim ſumma eſt, quae in ſtipulatum deducitur, cujus partem Titio ſolvi permiſit. Aliam ejus eſſe cauſam, qui ſibi Stichum, aut alii Pamphilum, vel ſibi decem, aut alii Stichum dari ſtipulatus eſt, infitiari non poſſumus, cum ejusmodi ſtipulatione diverſae penitus & inaequales ſpecies concludantur, quarum non poſſit altera alterius pars videri. Sed & ſi ex contrario ſibi quinque, aut alii decem ſtipulatus quis fuerit, ex conceptione ſtipulationis apparet, quinque Titio ſolutis promiſſori liberationem non contingere, quippe qui Titio decem dare promiſerit. [t] Plane qui hominem, aut decem, tibi, aut Titio dare ſpoponderit, poſt partem hominis Titio traditam, ſi tibi decem numeraverit, partem hominis, quae decem ſolutis indebita eſt tibi, cujus contemplatione & voluntate ſolvit, recte condicet. [v] Quemadmodum autem illa aut illa re promiſſa, in poteſtate electioneque debitoris eſt, utram praeſtet, ita & utraque per errorem ſoluta liberum repetendi quam velit, arbitrium habet. Quae Juliani & Papiniani ſententia fuit, quam Justinianus, rejecta contra ſentientium [x] opinione, magis probat. [y] Ei porro, qui ſub alternativa debet, non multum abſimilis eſt, qui decem in melle promiſit. Eligere enim poteſt, utrum mel an decem praeſtet. Sed hoc, quamdiu lis cum eo de pecunia conteſtetur. Nam judicio accepto ſola decem ſolvere poterit. [z] Et haec de obligationibus, quae ad dandum obſtringunt. De faciendi vero obligationibus quae traduntur, haec ſunt. Facto pro facto ſoluto liberationem non contingere. [a] Et ideo eum, qui inſulam, vel navem a ſe fabricandam promiſerit, ſi hoc ſpecialiter actum ſit, ut ſuis operis eam perficiat, ab alio extructa inſula non liberari: [b] quod omnium artificum nec eadem induſtria ſit, nec aequalis peritia, [c] ut aliud plane, quam promiſſum eſſet, ſolutum videatur. Atque hic etiam haud aliter, quam in ſtipulationibus dandi, qui in tuo aut Titii loco inſulam fieri ſpoponderit, electionem habebit, quo loco aedificet: & alterutro aedificaverit, liberabitur. [d]

Ex his perſpicuum fit, quid in quoque genere obligationis ſit praeſtandum. Ut autem id ipſum, quod debetur, ita & eo, quo debetur modo, ſolvi neceſſe eſt. Quo fit, ut alio, quam in quem promiſſum eſt, loco, invito & diſſentiente ſtipulatore, ſolvere promiſſor non poſſit, [e] niſi & quod ratione loci ejus interſit, ſimul offerat. [f] Ac nec ſi alibi ei, cujus perſona ſtipulatione comprehenſa eſt, ſit ſolutum, liberatio ſequetur, [g] niſi uti id liceret, ſtipulatione cautum ſit. [h] Alioquin deteriorem in accipiendo ſtipulatoris cauſam facere, aut eas, quae obligationi inſunt, cauſas condicionesque mutare ei non permittitur. Idem in factis ſequimur, ut ſi inſula alibi, quam ubi promiſerat, extructa ſit, in nihilum promiſſor liberetur. Quod ſi locus in obligatione dictus non ſit, hic erit diſtinctionibus *Bartoli* locus, quas multis verbis perſequitur, [i] ex quo aſſumenda erunt, quae ad hunc locum pertinebunt. Quod in diem promiſſum eſt, ſua die ſolvi debet: poſt diem male ſolvitur. Ut enim bis dat, qui cito dat, & plus petit, qui ante diem petit: [k] ita & minus dat, qui tardius dat. [l] Et hoc eſt, quod noſter Callistratus ſcribit, [m] ſolidum non ſolvi, non minus quantitate, quam die. Ante diem utique ſolvi poterit, quod in diem debetur: [n] quando quidem pro promiſſore diei dilatio adjiciatur, cui totum medium tempus ad ſolvendum liberum relinquitur. [o] Quod tamen non efficit, ut per errorem ante diem ſolutae pecuniae condictionem debitor, quaſi plus ſolverit, habeat: [p] cum ex ea promiſſione, quae in diem collata eſt, praeſens naſci obligatio, ſola in diem dilata exactione, credatur. [q] Cum vero creditoris gratia praeſtationi faciendae dies dictus eſt, idque ipſum vel nominatim comprehenſum eſt, vel evidentibus argumentis apparet, tunc praemature ſolvere volentem repelli poſſe omnes conſentiunt, quia creditoris in-

terſit

s *l. 98. qui res. §. 5. qui ſtipulatus. D. de ſolut.*

t *d. §. 5 qui ſtipulatus. l. 98. D. de ſolut.*

v *l. 34. qui hominem. D. de ſolut arg. l 26 ſi non ſortem. § 12. libertus. in fin. D. de cond. indeb.*

x *l. 26. ſi non ſortem. § penult. D. de cond. ind.*

y *l. pen. C. de cond. ind.*

z *l 57. ſi decem in melle. D. de ſolution.*

a *l. 98. qui res. §. 6. mihi Romae. D. de ſolut.*

b *l. 31. inter artifices. D de ſolution.*

c *Arg. l. 26. ſi non ſortem. §. 12 libertus. D. de condict. indeb.*

d *d. l. 98 qui res. §. 5. mihi Romae. D. de ſolut.*

e *l. 8. C. de ſolut. l. 1. l. 9. 11 qui D. quod cert loc.*

f *l. 2. §. 7. idem Julianus. D. quod cert loc.*

g *d. l. 2. §. 7. idem Julianus. D. quod cert. loc.*

h *l. 98 qui res. §. 6 mihi Romae. D. de ſolut.*

i *In l. 18. item illa. §. ult. D. de conſtit. pec.*

k *§. 33. plus autem. Inſtit. de action.*

l *l. 12. ut ſi cui ex empto. in fin. D. de verb. ſign.*

m *l 85. ſolidum D. de ſolut.*

n *l. 70. quod in diem. D. de ſolution.*

o *l. 17. cum tempus. D. de reg. jur. l. 35. ſtipulatio iſta §. 16. inter incertam D. de verb. oblig.*

p *l. 10. in diem. D. de condict. indeb.*

q *l. 213. cedere. D. de verb. ſign.*

terſit diem expectari. [r] Quae res implicitas quaſdam difficultates habet, quas nunc non eſt narrandi locus. Eum plane, cui libertas ita adſcripta eſt, ſi annua, bima, trima die decem dediſſet, tota ea ſimul heredi non expectata die offerre poſſe conſtat: [s] cum ſine juſta creditoris querela hoc fiat, qui dilatione ſublata, ilico accipit, quod niſi poſt tempus alias non eſſet conſecutus, celeritate praematura ſolutionis medii temporis commodum, quod ex ſervo parari poſſet, compenſante. [t] Nec hanc unam benignam ſententiam favor libertatis expreſſit, cujus cauſa ſemper & ubique praecipna eſt. Condicionalis debitor, pendente adhuc condicione, ſolvere poteſt: & ea exiſtente, jam olim liberatus fuiſſe intellegetur: deficiente ea, repetet: [v] hoc ita, ſi volens creditor accipiat. Cogi enim eum accipere, quod certum non ſit debitum iri, ſatis incivile eſſet. Si neque diem, neque condicionem obligatio habeat, ſtatim ſolvi oportet, niſi ex re ipſa tacitam dilationem promiſſio capiat. [x] Quod tamen cum aliquo temporis laxamento intellegendum eſt. [y] Non enim omnia ad vivum ſunt reſecanda, ſed ex bono & aequo interpretanda. Judicatis quidem certe ex XII. Tab. triginta dies juſti erant. In conſtitutoria actione decem dies promiſſori indulgentur. [z] In ceteris cauſis nihil eſt expreſſum. Humanum tamen eſt tantum temporis dari, quo res conquiri commodeque ſolvi potuerit. [a] Verum enimvero tempore opportuno ſolutio offerenda eſt, noctu enim ſolutio intempeſtive fit. [b] Videndum & illud eſt, ut totum illud, quod debetur, non imminutum, neque deterius factnm ſolvatur, [c] qui locus antea a me tactus eſt. Ex quibus efficientem ſolutionum cauſam, materiam item, ac formam explicatam habemus.

Reſtat quarta pars, quae ſolutionum finem & effecta complectitur, cujus explicatione libellus hic concludetur. Finis autem ſolutionis eſt liberatio, & ſolutionem recte factam hic effectus ſeqûitur. Nam cum ea res, quae debetur, vel alia volenti creditori eo, quo debet, modo ſoluta eſt, debitori proculdubio liberatio naſcitur. Qua in re ſtatui hoc in univerſum poteſt, ut ex ſolutione liberatio contingat, accipientis fieri nummos oportere. Fient vero proculdubio, ſi dominus ſit, qui numerat: atque adeo vel ſolo poſitae ante oculos. pecuniae aſpectu. [d] Alioquin ſola uſucapiendi condicio ex numeratione transferetur, [e] ac nec obligatio tolletur. Omnino enim ſoluti nummi non videntur, qui creditori avelli poſſunt. [f] Ideoque alienis nummis ſolutis ante conſumptionem debitor non liberatur. [g] Eademque ratio facit, ut a pupillo factam ſolutionem, liberationem parere negemus, nimirum quia eos alienare non potuit, qui nullius rei alienationem habet. Etiam ſecundum haec, ſi ſuos nummos creditor accipiat, liberatio non ſequetur, [h] quoniam nihil in accipientem tranſeat, ſed ſuos nummos incipiat creditor habere. [i] Sed & ita accipientis fieri nummos oportet, ut apud eum remaneant: contrariaque haec noſtri facinnt Repetere & Liberari. [k] Ex quo efficitur, & eum, qui ſic ſolvit, ut ſtatim reciperet, non liberari, [l] cum cepiſſe creditor non videatur, quod apud eum remanſurum non ſit. [m] Quae tamen ratio non impedit, quominus & acceptis nummis, & retro redditis ei, qui ſolvit, liberatiu praeſtari poſſit: [n] cui cum ita nummos non numeret, qui ſolvit, quaſi ſtatim recepturus, neque id in ſolvendo agatur, ſed hoc creditor ſua ſponte faciat, qui etiam nulla re accepta potuiſſet debitorem liberare. His conſequens & illud eſt, ex parte heredem inſtitutum, qui tota decem, quae defunctus promiſerat, ſolverit, pro ea tantum parte, pro qua heres eſt, liberari: [o] quia quod amplius ſolvit, repetere poteſt, diviſis ipſo jure ex l. XII. Tab. nominibus [p] Una antem numeratione interdum plures obligationes tolluntur, [q] nec quicquam prohibet in plures cauſas eandem pecuniam ſolvi. [r] Rei certe ſolutione & pignora, & fidejuſſores, appromiſſoreſque, interceſſores, [s] mandatores, [t] & ejuſdem obligationis ſocii [v] liberantur. Quamobrem ex duobus tutoribus alter ſolidum, quod ex cauſa tutelae debebatûr, ſolvens, in ipſa ſolutione poſtulare debet ſibi adverſus collegam mandari actiones, [x] fruſtra poſtea id deſideraturus, niſi de eo quoque ante conveniſſet, quod ea ſolutione

r *l. 122. qui Romae. D. de verbor oblig. l. 15 cum qui. D. de ann. leg. l. 43. ſi ita relictum. §. 2. Pegaſus. D. de leg. II.*
s *l. 3. §. 14. D. de ſtatulib.*
t *l. 41. ſi ita. §. pen. D. de man. teſt.*
v *l. 16. ſub condicione. D. de ſolution.*
x *l. 73. interdum. D de verb. obl. §. 5. loca. Inſtit. eod.*
y *l. 105. quod dicimus. D. de ſolution.*
z *l. 21. promiſſor. §. 1. D. de conſt. pec.*
a *§. ult. Inſtit. de inutil. ſtip. arg. l. 73. ſi domus. §. 2. in pecun. D. de leg. 1.*
b *Bartol. in l. 8. more. D. de feriis. Bald in l. 19. acceptam. C. de uſur.*
c *l. 3. §. 1. ſi reddita D. commod. l. 1. §. 16. ſi res. D. depoſ. l. 27. etiam. D. de ſolution.*
d *l. 79. pecuniam. D. de ſolut.*
e *l. 67. Proculus. D. de jur. dot. titul. praſoluto. D.*
f *l. 3. § 9. D. de ſtatulib.*
g *l. 17. Caſſius. D. de ſolut.*
h *l. 22. §. 8. ſi mandaverim. D. mandat.*
i *Arg. l. 33. ſi in area. D. de condict. indeb.*
k *l. 32. cum is. §. 1. D. de condict. ind. l. 34. §. ult. D. de ſolut.*
l *l. 55. D. de ſolution.*
m *l. 140. cepiſſe. l. 71. aliud. D. de verbor. ſign.*
n *l. 67. ſi quis duos. D. de ſolution.*
o *l. 25. D. de ſolut. l. 49. ſi teſtamento. §. 1. D. de fidejuſſor.*
p *l. 2. pro hereditariis. C. de her. act. l. 26. pacto. C. de pac.*
q *l. 44. D. de ſolution.*
r *l. 38. cum quis. §. 2. de peculio. D. eod.*
s *l. 43. in omnibus. D. eod.*
t *l. 71. Granius. D. de fidejuſſ.*
v *l. 3. §. ult. D. de duob. reis.*
x *l. 76. Modeſtinus. D. de ſolut.*

tione creditoris actiones extinctae ſint, quemadmodum initio hujus libri perſtrinximus. Aliter atque ſi ideo tutor damnatus ſit, quod a debitore pupilli non exegiſſet. Nec enim poſt ſolutionem ipſam male petet ſibi adverſus debitorem, cujus obligationem diſſolvit, mandari actiones: [y] quod priore caſu inutiliter idcirco poſtulat, quia non tam in alienam, quam in propriam cauſam ſolviſſe videatur, licet exceptione adverſus creditorem bis idem exigentem [z] alter ſe tueri poſſit. Sed etſi quod ego debeo, alius non novandi animo promiſerit, licet uterque teneatur, alterius tamen ſolutio alteri quoque afferet liberationem. [a] Verſa vice fidejuſſorum mandatorumque ſolutionem reis proficere non dubitatur. Si tamen ſervus filiusve fam. non ex re peculiari ſuſcepta obligatione fidejuſſerit, & ſolverit, non ante is, pro quo interceſſit, liberabitur, quam dominus vel pater ratam habuerit ſolutionem. [b] Nam in hanc cauſam peculiares nummos alienare in aliena poteſtate conſtitutis perſonis non licet. [c] Sed enim mandatoris ſolutio ipſo jure reum non liberat, quod ſuae obligationis cauſa, cujus poteſtate ad ſolutionem compulſus eſt, ſuoque nomine magis, quam liberandi debitoris cauſa ſolviſſe videatur. [d] Ideoque ei, quas adverſus reum habet actiones, praeſtare creditor vel poſt ſolutionem neceſſe habet. [e] Qua ratione & quod alienae hereditatis poſſeſſor creditoribus ſolvit, ipſo jure verum heredem non liberat, [f] videlicet quia ſuo, non hereditatis nomine ſolvit, ut merito, velut indebiti ſoluti evicta hereditate, ei repetitio tribuatur. [g] Hic autem non incommode velut exceſſus loco ſubjungetur, quotiens actione aliqua plures tenentur, quae rei, vel ejus quod intereſt, perſecutionem reſpiciat, unius ſolutionem ceteris omnibus prodeſſe, cum in poenalibus unius ſolutio alios non liberet, [h] quia ſui quiſque delicti poenam ſufferat. [i] Etiam illud adjungam, quod non diſſimili cauſa nititur, litis aeſtimatione ab eo ſoluta, qui ex aliena hereditate quid dolo poſſidere deſiit, poſſeſſorem non liberari, [k] quoniam doli poena praeſtatur ab eo, qui poſſeſſionem dolo amiſit. [l] Verum ejus demum, quod in obligationem deductum erat, ſolutio ad liberationem proficit. [m] Nam quod poenae nomine a debitore dependitur, lucro creditoris cedit, nec debito imputatur. [n] Ideoque quod propter pignus ſurreptum debitor furti actione creditori praeſtitit, pecuniae debitae non affert liberationem. [o] Vere autem ſoluta pecunia, non eo minus debitor liberatur, quod inductum chirographum non ſit, [p] quod poſt ſolutionem etiam utiliter condicetur, quaſi jam ſine cauſa ſit apud creditorem. [q] Hic videndum eſt, ſi ex pluribus cauſis debitor ſolverit, quae potiſſimum obligatio tollatur. Primum quidem is ipſe, qui ſolvit, dicere poteſt, quo ſe potius debito exonerare velit, [r] nec quod in ſortem ſe dare dixerit, in uſuras juſte creditor retinebit. [s] Certam enim legem ei, quod ſolvit, dicere cuique licet. Ideoque & ita ſolvere, ut ex duobus fidejuſſoribus unum liberet, reus poteſt: (*a*) [t] quo caſu non ex univerſitate debiti decedet, quod ſolutum erit, ſed ei ſoli proficiet, cujus nomine ſit ſolutum: quemadmodum ſervatur, & cum unus ex fidejuſſoribus partem ſuam ſolvit. [v] Quod ſic accipiendum eſt, ut alter ex fidejuſſoribus, quo minus reſiduae portionis judicium accipiat, recuſare non poſſit. Nec enim quicquam prohibet, etiam eum, qui ſolvit, in id, quod deeſt, conveniri, cum non ipſo jure inter fidejuſſores ab initio actio dividatur, ſed per exceptionem demum ejus quantitatis diviſio fiat, quam litis conteſtatae tempore ſinguli debent. [x] Quamquam humanius ſit, ſi & alter litis conteſtatae tempore ſolvendo ſit, exceptione ei, qui ſolverit, ſuccurri. Quod ſi ſimpliciter atque indiſtincte debitor ſolverit, nec dixerit in quam cauſam ſolutum vellet, convertitur electio ad creditorem, [y] cui lex arbitrium dat in re praeſenti ſtatuendi, cui debito acceptum ferat, quod ſolutum eſt: ita tamen, ut in id conſtituat ſolutum, in quod ipſe, ſi deberet, eſſet ſoluturus. [z] Nec enim merae ejus voluntati res per-

y *l. 95. Stichum. §. 10. ſi mandato. D. de ſolut.*
z *Arg. l. 57. bona fides. D. de reg. jur.*
a *l. 8. §. ult. D. de nov.*
b *l. 19. ſervus. D. de fidejuſſ.*
c *l. 3. §. 5. ſi filiusfam. D. de pecul.*
d *l. 28. Papinianus. D. mandat.*
e *l. 95. Stichum. §. 10. ſi mandato. D. de ſolut.*
f *l. 31. ſi quid poſſeſſor. D. de pet. hered.*
g *l. 19. ſi poenae. §. 1. D. de condict. indeb. l. 38. cum quis. §. 2. de peculio. D. de ſolut.*
h *l. 1. C. de cond. furt. l. 1. §. 4. ſi plures. D. de eo per quem fact. er. l. 14. §. ult. D. quod met. cauſ. l. 2. 3. 4. D. de his qui dejecer.*
i *l. 1. §. 14. plane. D. de tut. & rat.*
k *l. 95. Stichum. §. 9. dolo. D. de ſolut. l. 13. etiam. §. penult. D. de pet. hered.*
l *Arg. l. 3. locum. §. 14. D. de tab. exhib.*
m *pr. Inſt. quib. mod. toll. obl.*
n *l. 74. id quod. D. de ſolut.*
o *l. 79. ſi debitor. D. de furt. l. 22. ſi pignore. D. de pig. act.*
p *l. 22. inductum. C. de ſolut.*
q *l. ult. C. ad exhib. l. ult. C. de condict. ex lege & ſine cauſ.*
r *l. 1. l. 101. Paulus. §. 1. D. de ſolut.*
s *l. 102. creditor. §. 1. D. de ſolut.*
t *l. 5. in his. §. 1. D. eod.*
v *l. 37. quotiens. D. de ſolut.*
x *l. 51. inter eos. §. 1. D. de fidejuſſor.*
y *l. 1. C. de ſolut.*
z *l. 1. D. de ſolut.*

(*a*) POTEST] Utiliter legi poſſunt, quae hac de re diſputat *Joſeph. Averanius* in *Interpp. Juris*, *lib.* 11. *cap.* 6.

permittitur, qui procul dubio in infirmiorem levioremque cauſam ſolutum imputaturus eſſet, ut eſt hominum ingenium: ſed velut in viri boni arbitrio ponitur. Quae res efficit, ut in duriorem ſemper cauſam, & cujus diſſolvendae neceſſitate debitor premebatur, ſibi accepto ferre debeat. Ita enim in ſuo conſtitueret nomine. a Aliter atque de pretio ex pignoris venditione redacto ſtatuatur, quod vel in ea, quae natura tantum debentur, creditor imputare poteſt. b Cujus differentiae cauſa in illo poſita eſt, quantum ego judicare poſſum, quod apud creditorem conſtitutum pignus, quamquam ſimpliciter, vel etiam in certam ſpeciem datum, in omnes tamen cauſas retineri poteſt, c ut merito ex ejus venditione confectam pecuniam creditori in quodcumque debitum referre liceat, cum id pignoris retentione ſervare potuiſſet. d At in contrarium ſumma ratione fit, ut ſoluta indiſtincte pecunia in eam cauſam convertatur, ex qua ad ſolutionem urgeri debitor potuiſſet, quod eam eſſe ſolventis mentem, ex qua hujuſce rei definitionem petendam lex cenſuit, auguremur. e Cujus perſonam cum quaſi creditor induat, vel magis quaſi rem ejus agat, ita ſtatuere debet, quod debitum relevatum velit. Utriuſque vero demonſtratione ceſſante, id eſt, ſi neque debitor, quod potius debitum ſolutum velit, expreſſerit, neque id creditor conſtituerit, in graviorem nihilominus durioremque cauſam pecunia ſemper imputabitur. f Itaque in uſurarium prius debitum, quam non uſurarium, & in uſuras prius, quam in ſortem ſoluta cenſebitur, quae ei praegravent magis, & debitum augeant, incrementoque ſuo paulatim nec ſic opinantem debitorem obruant, ut tritum jam ſit vetuſtate proverbium: Θᾶττον ὁ τόκος Ἡρακλείτου Περινθίου τρέχει. *Citius uſura currit quam Heraclitus Perineus.* g Etenim, ut eſt eleganter a DEMOSTHENE h ſcriptum: Οἱ δανειζόμενοι ῥᾳδίως ἐπὶ τοῖς μεγάλοις τόκοις, μικρὸν εὐπορήσαντες, χρόνον ὕστερον καὶ τῆς ἀρχαίων ἀφίστανται (a). *Illi, qui temere pecuniam magno foenore mutuo ſumunt, exiguo quidem tempore abundant, poſtea vero patrimonio evertuntur.* Ex quo eſt apto epitheto a poëtis vorax veloxque uſura appellata. LUCANUS *lib.* 1. *Pharſal.* v. 181.

Hinc uſura vorax, avidumque in tempore foenus.

Et AUSONIUS in *Ecloga de Ambig. vitae:* (*Edyll.* XV. v. 8.)

—— Si turpia lucra
Foenoris, & velox inopes uſura trucidat.

Idemque aperte apud ARISTOPHANEM (*b*) creditor ille ſignificat, qui interrogatus quid eſſet τόκος, reſpondet: Τί δ' ἄλλο γ', ἢ κατὰ μῆνα, καὶ καθ' ἡμέραν, Πλεῖον πλέον τ' ἀργύριον αἰεὶ γίνεται Ὑπορρέοντος τοῦ χρόνου. *Quid enim aliud, niſi quod per menſem, & per diem ſubinde magis ac magis creſcit, pecunia, ſenſim labente tempore.* Ut ad ea, quae cauſae noſtrae propria ſunt, veniam, illa quam initio poſuimus ratione, & in famoſam potius, quam non famoſam cauſam, & in id prius, quod ſatiſdato, quam quod ſine cautione debetur, & in id, quod proprio nomine potius, quam quod alieno debetur, ſimpliciter ſoluta pecunia accepto fertur. Qua in re, ut certos quoſdam gradus faciamus, ſic ſtatuo, ante omnia in id, quod proprio nomine debetur, pecuniam ſolutam videri. Et cum multis ex cauſis ſuo nomine quis teneri poſſit, in eo numero primum ejus, quod ex poenali famoſaque cauſa, vel quae infitiatione creſcit, habendam eſſe rationem. Deinde ejus, quod ſub poena, uſuris, fidejuſſoribus, pignoribusve debeatur. Poſtremo in chirographariis pecuniis in eas priore loco ſolutionem proficere obligationes, ex quibus ad ſolutionem reus tunc compelli potuiſſet, id eſt, quae praeſentes ſint, & utriuſque juris vinculo ſuſtineantur. i Enimvero quod dicitur in uſuras prius, quam in ſortem pecuniam accepto ferendam eſſe, ita procedit, ſi utroque jure uſurae debeantur, ut ad eas ſolvendas compelli debitor poſſet. k Nam ſi quaedam naturaliter tantum debeantur, neque peti poſſint, ut puta ſolo pacto in ſtri-

cti

a *l.* 3. *D. eod.*

b *l.* 73. *ob triginta. l.* 101. *Paulus.* §. 1. *D. eod.*

c *l.* 14. *quaeſitum. in fin. D. de pignor. l.* 13. *naturaliter. in fin. princ. D. de cond. ind.*

d *l.* 4. *per retentionem. C. de uſur. l. un. C. etiam ob chirograph.*

e *Arg. l.* 25. *cum de indebito. D. de probat.*

f *l.* 3. *&* 5. *D. de ſolut.*

g *Refertur a Suida, voc.* Θᾶττον.

h *Olynthiaca.* 1. *pag.* 3.

i *l.* 7. *ſi quid. l.* 89. *&* 97. *cum ex pluribus.* 1. *&* 11. *D. de ſolution.*

k *l.* 5. *in bis.* §. 2. *Imperator. D. eod.*

(*a*) Ἀφίστανται] In iis, quas ego vidi, editionibus legitur: ἀπέστησαν.

(*b*) ARISTOPHANEM] Locus exſtat in Νεφέλαις, ſive *Nubibus*, v. 1290. *pag.* 107. *ed. Lud. Kuſteri.* Legitur praeterea apud SUIDAM voc. τόκος.

ꝺti judicii contractu promiſſae, ex quo citra ſtipulationem uſuras non deberi conſtat, [l] non repetetur quidem nominatim in eas ſoluta pecunia: ſed non eo titulo ſoluta, ex creditoris arbitrio in eas uſuras non imputabitur, quarum nomine non aliter ſolutio facta intellegitur, quam ſi hoc nominatim ſit expreſſum. At in contrarium, ſi duabus ex cauſis debitor pignus dederit, ex quarum una pacto, ex altera per ſtipulationem uſurae debeantur, pretium ex diſtractione pignorum confectum aequaliter ad utramque cauſam pertinebit. Nam licet earum aliae naturaliter tantum debeantur, poterat tamen & has per retentionem pignoris creditor ſibi ſervare, [m] qui liberum pretii in eam, quam elegerit cauſam, convertendi habet. [n] Nec ambiguum eſt pignore interveniente ex pacto uſuras licito jure retineri, [o] quarum petitio citra ſtipulationem non detur. Atque hic eſt reſcripti illius ſatis intricati, quod Ulpianus refert, [p] ſenſus. In quo indebitas uſuras & eas appellat, quae naturaliter tantum debentur, quod ſcilicet peti non poſſint, licet ſolutae retineantur. Deberi enim proprie id demum videtur, quod peti, & ab invito exigi poteſt. [q] Ideoque & ſervos, [r] & eos, qui natura dumtaxat tenentur, per abuſionem debitores dici [s] noſtri conſentiunt: & deberi pecuniam intellegunt, quae ſtatim peti poteſt. [t] Cum vero uſurae jure debentur, etſi creditor ſolutionem accipiens caverit ſe in ſortem & uſuras accipere, prius tamen in uſuras cedet quod ſolutum erit, poſt deinde in ſortem. [v] Nec enim ordo ſcripturae cauſam juris & voluntatis ejus, qui ſolvit, mutare poteſt, [x] cum non arbitratu creditoris in eam, quae libuerit, obligationem pecunia convertatur, ſed hoc tantum ei permittatur, ut ſecundum juris definitionem conſtituat, quae potiſſimum obligatio ſolutione tollatur. Atquin ex tacita ſolventis voluntate lex ſtatuit uſuris prius proficere ſimpliciter ſolutam pecuniam, quam ſorti. Eamque juris interpretationem ſequi creditor neceſſe habet. Ac proinde licet ſcripſerit, ſe in ſortem accepiſſe, poſt deinde in uſuras, praevalet tamen ſcripturae ordini juris ratio, & ea cautione actum id intelligetur, quod jus commune dictat. Et ita interpretandum eſt, quod Paulus [y] ait: *Nec enim ordo ſcripturae ſpectatur, ſed potius ex jure ſumitur id, quod agi videtur.* Eademque ratione, ſi centum utroque jure debens, & tantumdem ex alia cauſa, quae petitionem non tribuat, ſed retentionem ſolam, eam ſummam ſolvent, quae ad quantitatem unius debiti ſufficiat, licet creditor caverit ex univerſo credito ſolutum, ea tamen ſola diſſoluta videbitur obligatio, quae petitionem tribuebat. [z] Plane ſi nummorum xxx. creditor, in xx. fidejuſſorem, in reliqua decem pignus acceperit, pignoris diſtracti pretium in id, quod ſolus reus debet, accepto ferre poteſt, ut in reliquum fidejuſſor maneat obligatus: [a] cum indiſtincte ſoluta pecunia in id, quod ſub fidejuſſoribus deberetur, magis eſſet imputanda. Quod ſi nihil eorum, quae ſupra diximus, intercedat, ſi omnia nomina ſimilia ſint, vetuſtior contractus ante tolletur, in antiquioremque cauſam potius id, quod ſolutum eſt, proficiet, quam in ſupremam. [b] Proinde ſi fidejuſſor pro duobus in dena acceptus quinque ſolverit, ſi non appareat, utrum ex reis relevare voluerit, ex antiquiore contractu quinque decedent. [c] Simili modo ſi in diverſas dies ex duabus ſtipulationibus obligatus, poſt diem utriuſque cedentem, ſolverit, nec pro qua ſtipulatione ſolveret, dixerit: quod ſolutum erit, eam ſtipulationem exonerabit, cujus dies anteceſſit. [d] In liberto porro antiquior eſſe contractus, quam operarum, quae ei libertatis cauſa ſunt impoſitae, nullus poteſt. [e] Nam quae in ſervitute geſſit, cum manumiſſus praeſtare non cogatur, [f] antiquiore obligatione, quam quae una cum libertate contracta eſt, teneri non poteſt. Atque huc puto ex Modestino tranſcriptum caput [g] pertinere, quod alioquin nihil ad titulum faceret. Poſtremo ſi par & dierum & contractuum cauſa ſit, ex omnibus cauſis pro portione videbitur ſolutum [h] Quae omnia, uti quoque ordine expoſui, in obſcura ſolventium voluntate ſunt ſequenda. Ceterum pecuniae ſolutio teſtibus vel apocha probatur: [i] habet & ad ejus probationem aliquod momentum chirographi inductio. Sed haec hactenus.

F I N I S.

[l] *l. 3. quamvis. C. de uſur.*

[m] *l. 4. per retentionem. C. de uſur. l. 11. ſolutum. §. 3. ſive autem. D. de pign. act.*

[n] *l. 73. ob triginta. l. 96. pupilli. §. 3. D. de ſolut.*

[o] *l. 22. pignoribus. C. de uſur*

[p] *In l. 5. in his. §. 2. Imperator. D. de ſolut.*

[q] *l. 108. debitor. D. de verb. ſign.*

[r] *l. 41. nec ſervus. D. de pecul.*

[s] *l 16 fidejuſſor. §. 3. fidejuſſor. D. de fidejuſſor.*

[t] *l. 76. ſi ſtipulatus in fin. l. 115. ita ſtipulatus. D. de verb. obl.*

[v] *l. 5. §. ult. cum l. ſeq. D. de ſolut.*

[x] *Arg. l. 77. cum pater. §. 12. fidei. D. de leg. 11.*

[y] *In l. 6. nec enim. D. de ſolution.*

[z] *l. 94. ſi is cui. §. 3. Flavius. D. de ſolut.*

[a] *l. 73. ob triginta. D. de ſolut.*

[b] *l. 5. l. 97. cum ex pluribus. l. 102. creditor. §. 2. Valerius. D. de ſolut.*

[c] *l. 24. ubi. D. de ſolut.*

[d] *l. 89. ſi ex pluribus. §. ult. D. de ſolut.*

[e] *l. 77. in liberto. D. eod.*

[f] *l. 17. cum actum. D. de neg. geſt. toto tit. C. an ſervus ex ſuo fac.*

[g] *d. l. 77. in liberto.*

[h] *l. 8. illud. D. de ſolut.*

[i] *l. 24. pecuniae. C. eod.*

B. BRIS-

B. BRISSONII
DE
SOLUTIONIBUS
ET
LIBERATIONIBUS
LIBER SECUNDUS.

DE ACCEPTILATIONE.

Quemadmodum ſolutione liberaremur, ſatis explicatum arbitror libro ſuperiore: ſequitur, ut alios liberationum modos perſequar, qui ſolutionis loco & ipſi cedunt. Quo ex genere Acceptilatio eſt, cujus nobis ex Modestino in haec verba definitio (*a*) proponitur: [a] *Acceptilatio liberatio eſt per mutuam interrogationem.* Quod ſic accipiendum eſt, ut acceptilationem ſine duabus ultro citroque interpoſitis interrogationibus perveniri non poſſe ſignificet, quarum prior a reo ſtipulandi ad obligationem, poſterior a reo debendi ad liberationem quaerendam concipiatur. Nec enim accepto rogari poteſt non verbis contracta obligatio. Et ideo cum ei, qui alias, quam verbis tenetur, Aquilianae ſtipulationis remedio acceptum fit, duplex interrogatio intervenit. Verbis certe jam ab initio obligatus unica interrogatione accepto liberatur. Quae res ita geritur, interrogante verbi gratia debitore: *Decem, quae tibi promiſi, accepta habes vel facis?* Et creditore reſpondente; *Habeo*, vel *facio*. [b] Vel Graece ſic: [c] Ἔχεις λαβὼν δηνάρια τόσα; Ἔχω λαβών. His ὡς ἐν τύπῳ propoſitis, ſubtilius ſingula, quae ad acceptilationes pertinent, eo, quem antea ſecuti ſumus, ordine, pertractemus.

Acceptum ferre hi demum poſſunt, quibus vel ex negotio ſecum geſto, vel cum eo, cui civili honorariove jure ſucceſſerunt, [d] debetur, & ita ſi patresfamilias ſuique juris ſint. Nam pupilli & his ſimiles perſonae liberare per acceptilationem debitores, niſi tutorum curatorumque auctori-

a *In l. 1. D. de accepti.*

b *l. 6. pluribus. l. 7. ſane D. de acceptilation.*

c *l. 8. an inutilis. §. 4. D. de acceptil. §. 1. item per acceptilationem. Inſtit. quibus mod. toll obl.*

d *l. 13. & per jusjurandum. §. penult. D. de acceptil.*

(*a*) Definitio] Confer quae *Vinnius* in *Comment.* ad §. 1. *Inſtit.* de hac definitione diſputat *Arnoldus* *quib. mod. toll. obl g.*

ctoritate interveniente, non poſſunt; [e] ſine qua nihil de ſuo jure utiliter minuunt. Ac nec tutores quidem curatoreſve ſolos accepto ferre, quod his debetur, quorum negotia adminiſtrant, poſſe, ſed novare debere ULPIANUS ſcribit. [f] Hoc cur tam varie. Mihi quidem in hanc quaeſtionem incumbenti, cum ſe ſpecioſae quaedam differentiae rationes offerrent, quae facile imperitis blandirentur, ſubductis tandem omnibus, ſummam ſeci cogitationum mearum, quam hujus ſcrupuli evellendi cauſa quam planiſſime potero exponam. Regula juris civilis eſt, Neminem alieno nomine lege agere poſſe. [g] Quae cum latiſſime pateat, ab *Accurſio* valde coanguſtata eſt. Hunc autem meo judicio ſenſum habet, Neminem alieno nomine legitimos actus exercere poſſe (*a*). Itaque nec per alium adoptare, [h] emancipare, manumittere, [i] hereditatem adire, [k] nec alias legitimorum actuum ſolemnitates peragere quis poteſt. Eaque vera ratio eſt, cur per tutorem hereditas pupillo non adquiratur, [l] ſed ipſemet, niſi fandi impotens ſit, [m] tutore auctore adire debeat. [n] In legitimis autem actibus acceptilatio numeratur: [o] ideoque nec accepto ferre, rogareve, quod vel pupillus debet, vel pupillo debetur, tutor poteſt, ſed ipſe pupillus eo auctore accepto ferre debet. Ac ne juſſu quidem domini ſervum acceptum ferre poſſe apud CAJUM extat. [p] Verum cum evenire plerumque poſſit, ut pupillus vel abſit, vel alias accepto ferendi non habeat poteſtatem, interſit tamen ejus eo modo obligationem diſſolvi, remedium jureconſulti, quorum in cavendo munns conſiſtit, [q] monſtraverunt, quo ſalva legum auctoritate pupillo proſpici poſſit. Conſilium ergo tutori dant, ut ſi acceptilatione liberare debitores pupillares velit, quia novandi ei pupillaria debita citra ſraudem poteſtas datur, idcirco novandi animo ab iis ſtipuletur, quod pupillo debent, & ſic transſuſam in ſe obligationem accepto ſerat. Et e contrario, ſi pupillus a creditoribus liberandus ſit, ejus obligationem in ſe novatione ſuſcipiat, quae mox ei a creditore accepto ſeratur. Sic ad acceptilationem novatione pervenient, tranſlatumque in ſuam perſonam obligationem ſuo nomine acceptam rogabunt, vel ſerent. Idem in procuratorum perſona ſervandum eſſe, ducta ex eodem fonte ratione, ULPIANUS ait. [r] Quamobrem diſſimulare non poſſum mihi valde ſuſpectum eſſe, quod ex PAULO tranſcriptum eſt, [s] per procuratorem ſine mandato nec accepto liberare, nec accepto liberari quemquam poſſe. Nam quod bonum eſt hic mandatum exigere, cum & abſentem, ignorantem, invitum, liceat extraneo cuilibet ſine mandato liberare? Aut ſi mandatum alii accepto rogandi jus tribuit, cur non tutoribus idem ipſum concedimus, quibus laxiſſima liberrimaque rerum pupillarium adminiſtratio mandata eſt? Et certe ex gloſſemate cujuſdam, qui rationem juris non tenebat, in ordinem verborum PAULI irrepſiſſe ea verba: *Sine mandato*, ſuſpicor, ejuſmodique imperitis adjectionibus multos juris locos ſoedatos eſſe non dubito. Ceterum vel uni ex duobus reis ſtipulandi accepto ſerre licet, cum in uno quoque eorum ſolida reſideat obligatio, [t] ut nnius acceptilatione etiam ab altero liberatio contingat. [v] Non idem ei, qui obligationi adjicitur, permitti nemo ambigit, [x] cujus perſona in hoc tantum adjicitur, ut ei ſolvi poſſit. Accepto vero ferri tam debitori, quam ejus heredibus, [y] & vel uni [z] ex his poteſt. Nec alii, quam qui debet, vel qui debitori jure poteſtatis adquirit, recte accepto fertur. Ac proinde quod filiusſam. debet, ſruſtra patri accepto ſertur, [a] quia ex filii contractu nulla pater vel naturali vel civili obligatione adſtringitur, quamquam peculio tenus in eum praetor actionem ex negotiis cum filio geſtis tribuat. [b] Nec quaſi in rem filii facta interrogatio vires habitura eſt, cum filio nihil per patrem adquiri poſſit. [c] Acceptum ergo rogare ipſemet filiusfamilias debet, in cujus perſona radices egit [d] obligatio. Plane qui in aliena ſunt poteſtate, his quorum juri ſubſunt, ac-

e *l. 1. C. eod. tit.*

f *l. 13. & per juſjurandum. §. 10. tutor. D. eod.*

g *l. 123. nemo alieno. D. de regul. jur.*

h *l. 25. poſt mortem. §. ult. D. de adoption.*

i *l. 3. C. de vind. libert.*

k *l. 90. per procuratorem D. de acq. her.*

l *l. 5. potuit. C. de jure delib.*

m *l. 18. ſi infanti. C. eod.*

n *l. 8. more. D. de acq. her.*

o *l. 77. actus legitimi. D. de reg. jur.*

p *l. pen. D. de acceptil.*

q *Cicer. 1. de Orat. cap. 48. & in Topic. cap. 17.*

r *l. 13. & per juſjurandum. §. 10. tutor. D. de acceptil.*

s *In l. 3. per procuratorem. D. de acceptil.*

t *l. 2. D. de duob. reis.*

v *l. 31. ſi rem. §. 1. D. de novat. l. 13. & per juſjur. §. ult. D. de acceptil.*

x *l. 10. quod ſtipulatus. D. de ſolut.*

y *d. l. 13. & per juſjur. §. ult. D. de acceptil.*

z *l. 10. ſed etſi. D. de acceptil.*

a *l. 8 an inutilis. §. 4. filiusfam. D. eod. tit.*

b *§. 4. Inſtit. quod cum eo.*

c *§. 4. ei vero. Inſt. de inutil. ſtip.*

d *l. 57. tam ex contractibus. D. de judic.*

(*a*) POSSE] Legis actiones & actus legitimi in ſenſu lato ſunt ſynonyma: in ſenſu ſtricto diſtinguuntur, ita, nt ſolae legis actiones, non vero actus legitimi, magiſtratus praeſentiam deſiderent. Confer Auctoris *Select. Antiqq. lib.* IV. *cap.* 20. quaeque ibi notavimus.

acceptum rogare poſſunt, ea ratione, qua cetera quoque his poſſunt ſtipulari. Unde fructuarium: vel eum, cui uſus datus eſt, [e] vel eum, a quo bona fide poſſidetur, vel eum, qui apud hoſtes eſt; vel futurum heredem ſervus acceptum rogando liberare poteſt. Ex re enim fructuarii, uſuarii, bona fide poſſeſſoris ſervus adquirere videtur, dum eos obligatione liberat. [f] Jacente vero hereditate ſervus accepto rogans, hereditati liberationem quaerit, quae interim defuncti perſonam ſuſtinens hereditaria omnia jura conſervat. [g] Sed & communis ſervus uni ex dominis acceptum rogans, eum in ſolidum liberat. [h] Nam & uni ex dominis nominatim ſervus communis ſtipulari, ut ipſi ſoli adquirat, poteſt. [i] Ipſi quoque ſervo utiliter accepto fertur, quod promiſit, tolluntur que eo modo honorariae, quae adverſus dominum ex ea cauſa competiſſent, actiones. [k] Sed non tutori curatorique, quod eorum fidei commiſſae perſonae debent, utiliter accepto feras. [l] Ea enim res inter ipſoſmet creditores debitoreſque geri debet, nec alieno miniſterio, ut paulo ante poſuimus, expediri poteſt. Pupillo ſane ipſi per acceptilationem ſine tutoris auctoritate liberatio efficaciter praeſtabitur. [m] Meliorem enim ei ſine tutore condicionem ſuam facere licet. [n] Aut ſi pupilli copia non eſt, tutorem ipſum, vel extraneum quemlibet creditor adhibeat, a quo novandi animo, quod pupillus debet, ſtipulatus, deinde accepto ferat. Hoc enim modo & ignorans & invitus obligatione dimittitur [o] Eſtque hoc abſentium liberandorum cauſa remedium proditum, ut a praeſente, quod nobis abſens debet, novandi animo ſtipulemur, mox ei acceptum feramus: quo facto uterque liberatur, & creditori res perit. Uni autem ex pluribus ejuſdem obligationis ſociis acceptilatio facta, & iis, qui eodem vinculo tenentur, proficit, [p] niſi in eorum perſona juris impedimento acceptilatio liberationem parere non poſſit. [q] Quamobrem ſi alteri dumtaxat ex duobus debendi reis conſultum quis velit, pacto eum debet, non acceptilatione liberare: [r] quod ad alias perſonas, quam quae eo comprehenſae ſunt, pactum non porrigatur, [s] acceptilatione contra ſolutionis exemplo tota diſſolvatur obligatio. [t] Sed haec ita vera ſunt, ſi uni ex his, qui eadem obligatione in ſolidum adſtringuntur, acceptum fiat, ut accidit in duobus reis. Nam cum ſolidum ſinguli debeant, eorum uni facta acceptilatio ſolidam quoque obligationem tollit. At cum hominis promiſſor plures heredes reliquit, quia ſinguli partes tantum debent, licet partium ſolutione non liberentur, [v] ideo ſi uni accepto latum ſit, ceteris liberatio non contingit, ſed ſua dumtaxat parte exoneratur is, qui accepto rogaverit. [x] Alia enim hic ſolutionis, alia acceptilationis cauſa eſt, quoniam quae partis ſolutionem vitiat ratio, eadem acceptilationem partis aeque non impedit, ut mox oſtendemus. Fidejuſſori, ſi acceptum feratur, reo quoque liberatio competet, [y] etiam ſi re ſit obligatus, non verbis. [z] Nam, quod dicitur, Acceptilatione tantum tolli, quae verbis contracta ſunt, eo pertinet, ut acceptum rogare is tantum poſſit, qui verbis teneatur. Ceterum verbis obligato factam acceptilationem, etiam iis, qui in eandem cauſam alio obligationis genere conſtricti tenentur, prodeſſe nihil prohibet. Verum enimvero acceptilatione per fidejuſſorem ita reus liberatur, ſi jam ante efficaciter fuerit obligatus. Proinde ſi fidejuſſori in eam pecuniam accepto, quae Titio crederetur, ante creditam Titio pecuniam accepto latum fuerit, quandocumque poſt credita ſibi pecunia fruſtra Titius ex acceptilatione fidejuſſori praeſtita liberationem ſperabit, cum antiquiore acceptilatione, quam obligatio ejus ſit, liberari non poſſit. [a] Itidemque ſi fidejuſſori ſub condicione ita obligato, ut ad tempus uſque vitae dumtaxat teneretur, pendente condicione accepto latum ſit, & is antequam ea extitiſſet, deceſſerit, confeſtim a reo recte petetur. [b] Nec enim liberatus fidejuſſor intellegitur, qui nec debuit: [c] quandoquidem ut exiſtens poſt ejus mortem condicio obligationem propter ſtipulationis legem conſtituere non potuit, ita aliquid egiſſe nulla ſubjecta obligatione acceptilatio potuit. Eadem ratione ſi fidejuſſori legatorum ſub condicione relictorum accepto latum ſit, exiſtente quandocumque poſt legatorum condicione, heres obligabitur, qui cum acceptilationis tempore nihil dum deberet, ex ea ante libe-

e *l. 63. ſi debitor. D. de ſolut. l. 23. itemque. D. de uſufr.*

f *l. 21. ſpecies. D. de acceptil. l. 55. ſi debitor. D. de pact.*

g *l. 34. hereditas. D. de acq. rer. dom.*

h *l. 8. an inutilis. §. 1. D. de acceptil.*

i *l. 5. §. 1. D. de ſtip. ſer.*

k *d. l. 8. an inutilis. §. ult. l. 21. ſpecies. §. 1. ſed etſi. D. de acceptil.*

l *l. 13. & per jusjurandum. §. 10. tutor. D. eod.*

m *l. 2. D. eod.*

n *l. 28. contra. D. de pact. Inſt. de autor. tut. in princ.*

o *l. 91. ſi debitor. D. de ſolut.*

p *l. 16. ſi ex pluribus. D. de acceptil.*

q *l. 5. §. 1. D. de donat. int. vir. & ux.*

r *l. 3. §. 3. nunc de effectu. D. de liber. leg.*

s *l. 27. ſi unus. §. 4. ante omnia. D. de pact.*

t *l. 5. in diem. D. de acceptil.*

v *l. 85. in executione. §. 4. pro parte. D. de verb. obl.*

x *l. 2. §. 3. ſi tamen. D. de verb. oblig. l. 10. ſed etſi. D. de acceptil.*

y *l. 16. ſi ex pluribus. in fin. D. de acceptil. l. 25. ſi fraudator. D. quae in fraud. credit.*

z *l. 13. & per juſſ. §. 7. ſed ſi fidejuſſori. D. de acceptil.*

a *d. l. 13. & per jusjurand. §. 9. qui ita. D. de acceptil.*

b *l. pen. D. de fidejuſſ.*

c *Arg. l. 116. decem. in fin. D. de verb. obl.*

liberari non potuit, quam obligaretur. [d] Nec adverſatur, quod ULPIANUS reſpondit, [e] ſi fidejuſſori, qui judicatum ſolvi promiſit, accepto latum ſit, liberari & judicatum. Hoc enim ex ipſis verbis evidenter apparet, ſic intellegendum eſſe, ſi poſt condemnationem, judicioque jam ſententia finito, accepto latum ſit. Quod ſuperioribus nullatenus repugnat, licet *Accurſio*, neſcio qua de cauſa, ita videatur.

Conſequenter videamus, quid accepto feratur. Accepto ferri, ut ſolvi, id ipſum oportet, quod debetur. Conſentire enim cum obligatione liberatio debet, [f] & alio accepto lato, quam quod debetur, imperfecta acceptilatio eſt. [g] Enimvero poſt moram a promiſſore factam mortuus homo accepto ferri poteſt, [h] quoniam adhuc debetur, ut & peti, & novari, & in conſtitutum deduci poſſit, [i] perpetuata propter moram obligatione: [k] tametſi is rei exitus futurus eſt, ut in aeſtimationem hominis reus damnetur, quia jam per rerum naturam deſierit dari poſſe. [l] Non tantum autem integra obligatio, ſed & ſtipulationis pars accepto ferri poteſt, ſive numerata pecunia, ſive certum corpus debeatur. [m] Quin etiam hominem aut decem ſtipulatus, ſi quinque accepto ferat, partem ſtipulationis conſumit, [n] & quinque, aut hominis partem tantum petere poteſt. Similique modo cum plures hominis promiſſor heredes reliquit, quamquam parte hominis ſoluta in nihilum liberentur, ſi tamen uni ex his accepto latum ſit, pars dumtaxat ceterorum obligationi ſupererit. [o] Neque enim hic eſt verendum, ut ſtipulatori diverſorum hominum partes praeſtentur: quod evenire poſſet, ſi partium ſeparata ſolutione liberatio promiſſori contingeret, contra ipſam plane ſtipulatoris mentem, qui ſibi unum aliquem hominem dari ſtipulatus eſt. [p] Enimvero ſi quod in ſtipulationem deductum eſt, diviſionem ſui natura non recipiat, inutilis erit partis acceptilatio. [q] Ita promiſſam praedii ſervitutem in partem fruſtra accepto feras. [r] Uſusfructus plane, quia diviſionem admittit, [s] in partem recte accepto fertur, manetque reſiduae partis uſusfructus. Ex uſufructu quoque uſus accepto ferri poteſt, ut ſolus fructus maneat. Nam & fructus ſine uſu haberi poteſt. (a) [t] Fundum autem ſtipulatus inutiliter uſumfructum, ut & viam vel iter, accepto facit, quia haec jura tantum rei ſunt, non partes, [v] in tantum, ut qui fundum ſtipulanti dare ſpoponderit, uſufructu ſoluto, nulla parte obligationis liberetur. [x] Quamquam alioquin partis ſolutio in ejuſmodi obligatione pro parte adferat liberationem. [y] Quae omnia illa generali ratione continentur, quod qui accepto facit, vel rem ipſam, quae debetur, totam, vel ejus partem aliquam accepto facere debeat. [z] Non abſimili autem ratione, qui fundi proprietatem legavit, iter adimens legatum non minuit, quia partem de legato detraxiſſe non intellegitur. [a] Sed & qui viam ſtipulatus eſt, iter tantum vel actum accepto ferendo nihil agit. Quamquam enim viae, iter & actus, quaſi ſeparatae duae ſervitutes, ineſſe videantur, [b] quia tamen in partem viae acceptilatio, [c] vel ademtio, [d] nullius momenti eſt, propter juris ipſius (ut cum CAJO dicam [e]) individuitatem, idcirco alterutrum eorum, ex quibus via conſtat, viae promiſſori fruſtra accepto ferimus. Itidem nec eum, qui fundum ſtipulatus ſit, doli clauſulam accepto ferre poſſe ULPIANUS ait, [f] non ea, quam ſibi *Accurſius* fingit, ratione, quod dolus nondum commiſſus pacto remitti non poſſit, quid enim hoc ad acceptilationum quaeſtionem & ante poſitam regulam pertinet? ſed quia in partem debiti ea clauſula non conſiſtit, cum accepto ferenda vel res ipſa ſit, vel pars ejus. Doli vero clauſulam noſtri appellant extremam illam ſtipulationis partem, qua Dolum malum abeſſe, abfuturumque eſſe, ſtipulamur, [g] vel ita; Cui rei dolus malus abfuerit, aberit. [h] Illud aut illud ſtipulatus, altero accepto lato totam obligationem conſumit. Sic enim de hujuſmodi ſtipulatione loquens PAULUS [i] ait: *Ut ſolutione, petitione, acceptilatione unius rei tota ſolveretur obligatio, ita pacto quoque convento de una re non petenda interpoſito, totam obligationem ſummoveri.* Et quoniam nos huc pro-

d d. l. 13. & per jusjur. §. 8 *ſi legatorum.* D. de acceptil.
e l. 16. *ſi ex pluribus. in fin.* D. *de acceptil.*
f l. 14. *niſi* D. *de acceptil.*
g l. 13. & *per jusjurand.* §. 5. *cum qu.* D. *eod.*
h l. 91 *ſi ſervum* §. *ult.* D. *de verbor. oblig.*
i l. 21. *promiſſor.* D. *de conſtit. pec.*
k l. 24. *ſi is qui ſolutioni.* D. *de uſur.*
l l. 21. *promiſſor* D. *de conſtit. pec.* l. 4. *ſi deceſſerit.* D. *qui ſatiſ. cog.*
m l. 9 *pars ſtipulationis.* D. *de acceptil.*
n l. 17. *qui hominem.* D. *eod*
o l. 2. §. 2. *ex his.* §. 3. *ſi tamen.* D. *de verb. obl.*
p l. 85. *in executione* § 4. *pro parte.* D. *eod.*
q l. 13. & *per jusjur.* §. 1. D. *de acceptil.*
r l. 17. *viae.* D. *de ſerv.*
s l. 1. §. 9. *ſi uſusfructus.* D. *ad l. Falcid.* l. 19. *uſus pars.* D. *de uſu & hab.*
t l. 5 *huic ſtipulationi.* §. 2 D. *uſufructuar. quemad. cav.* l. 14. §. 1. *ſeqq.* D. *de uſu & habit.* l. 13 §. 3. D. *de acceptil.*
v l. 25. *recte.* D *de verb. ſignific.* l. 66. *Maevius.* §. *pen.* D. *de leg.* II. l. 70. *ſi a reo.* §. 2 *ſi reo.* D. *de fidejuſſor.*
x l. 126. *ſi ita ſtipulatus.* §. 1 D. *de verb. oblig.*
y l. 2. § 1. l. 85. *in executione.* §. 1. D. *de verb. obligat.*
z l. 13. & *per jusjur.* §. 2. *illud.* D. *de acceptil.*
a l. 3. § 6. *ſi loci.* D. *de adim. leg*
b l. 1. D. *de ſervitut ruſtic.* not. in l. 13. *ſi tam auguſti.* D *de ſervitutib*
c d. l. 13 & *per jusjur.* §. 2. D. *de acceptil.*
d l. 1 D. *de adim. leg.*
e l. 80. *ſi is qui.* §. 1. *quaedam.* D. *ad l Falcid.*
f d. l. 13. & *per jusjur.* §. 5. *cum qui.* D. *de acceptil.*
g l. 19 *doli.* D. *de verb. obl* l. 19. *noviſſime.* D. *judic. ſol* l. 22. *ſi ſine judice* §. 7. *ſi in ſtipulatione.* D. *rem rat. hab.* l. 22. *ſed hoc ita in fin.* D *de re jud.*
h l. 69. *haec verba cui res.* D. *de verb ſign.*
i l 27 *ſi unus.* §. 6. *ſed ſi ſtipulatus.* D. *de pact.*

(a) POTEST] Confer M. *Lyclamae Membran. lib. v. cap. 23.*

provexit oratio, non erit alienum, quae de eo loco ſentiam, in medium proferre. Nam quod ad interpretationem eorum verborum attinet, varietate ſua incertiores *Accurſius* lectores dimittit, quam acceperat. Mihi certe, ſi a *Franc. Connano* diſſentire liceat, (liceoit autem per aequos judices, cum verum inveſtigantibus praejudicium cujuſquam auctoritas facere non debeat) ea verba; *Petitione acceptilatione*, punctis diſtinguenda, ut quae ſeparatas ſpecies contineant, cenſuerim; non continenter, quemadmodum ille cenſet, conjunctimque legenda: qui petitionis verbum quam apte ad accepti rogationem transferat, eorum erit judicium, qui Jureconſultorum phraſes cognitas habent: nova quidem & inaudita haec interpretatio eſt. Didici vero, & petita una re per judicem quandoque totam obligationem disjunctivam tolli. Nam ſi Stichum aut Pamphilum, utrum ipſe vellet, ſtipulatus, Stichum petierit, vel ab alio procuratorio nomine petitum ratum habuerit, ſtipulationem conſumi noſtri auctores tradunt, [k] quoniam eligendi poteſtas poſt petitionem, id eſt, acceptum judicium evaneſcat. Et hanc interpretationem verba ipſa ſuadent. Nam ad judiciales interpellationes petendi nomen referri ſolet, [l] atque adeo lite demum conteſtata petitum intellegitur. [m]

Hac eadem dicendi forma JAVOLENUS uſus, [n] cum duo eandem pecuniam aut promiſerunt, aut ſtipulati ſunt, ipſo jure & ſingulis in ſolidum deberi, & ſingulos ſolidum debere, ideoque petitione & acceptilatione unius totam ſolvi obligationem dixit: id eſt, ſive unus accepto tulerit, ſive judicio petierit, alteri adimi exactionem. [o] In propoſito vero extra omnem dubitationem eſt, una re accepto lata, totam ſob disjunctione conceptam obligationem perimi, quoniam & una parte ſoluta idem contingit. Nec aliud admittendum cenſet JULIANUS, [p] ſi is, qui hominem ſtipulatus erat, Stichum accepto tulerit. Quod enim, ait ille, invito promiſſori ſolvi poteſt, id accepto latum liberationem parit. Cur ergo, quaero, aeque tota hominis obligatio, pacto convento de uno homine non petendo interpoſito, non ſubmovetur? Nam hoc PAULUS negat. [q] Certe cum ſimpliciter hominem quis ſtipulatus eſt, quia tacite actum intelligetur, ut quemlibet hominem ſolvendi promiſſor habeat poteſtatem, tum uno aliquo homine accepto lato tota generis obligatio ſolvitur, quoniam invito ſtipulatori eum hominem ſolvere promiſſor potuiſſet. Quae enim alia ex ea acceptilatione utilitas accipi poteſt, cum nec ad eum hominem ſolvendum promiſſor urgeri potuiſſet? Et ita JULIANI ſententia procedit. PAULUM vero in ea ſpecie intellegendum contendo, qua creditori electio competit, quod evenit, ſi homo legatus proponatur. [r] Hoc enim caſu, ſi de Sticho non petendo creditor pactus ſit, de Sticho quidem efficaciter agere non poterit, alium vero hominem petenti, pacti exceptio non obſtabit. Nec enim hic ſuperiori rationi locus eſſe poteſt, quia invito creditori Stichus ſolvi non poterat, & ex pacto hoc commodi debitor capit, quod ad eum hominem ſolvendum cogi jam, ut antea poterat, non poteſt. Itaque non dixit PAULUS *ſi hominem generaliter ſim ſtipulatus*; quemadmodum de disjunctiva obligatione loquens ante dixerat; ſed *ſi hominem generaliter mihi debeas*, quod ſic juris ratione ductus accipio, ex legato ſcilicet, vel ſtipulatione ita concepta, ut ad me electio pertineat. Secundum quae & accepto lato Sticho ab eo, qui hominem quem vellet, erat ſtipulatus, Stichum deinceps peti non poſſe, alium quemlibet hominem peti poſſe, ceſſante hic contraria JULIANI ratione, defendetur. Non ſum neſcius, quoſdam illius nodi extricandi cauſa diverſam pacti & acceptilationis cauſam conſtituiſſe. Quod etſi in multis verum ſit, in hac tamen parte ſine ulla probabili ratione inducitur, cum in disjunctiva obligatione, quae iiſdem fere regulis juris cum incerta ſtipulatione conſiſtit, acceptilationi pactum comparari non infitientur. Porro ſi Stichum aut decem ſub condicione ſtipulatus, Stichum accepto tulerit, & is deinde pendente adhuc condicione deceſſerit, decem poſt eventum condicionis petenti, quae ſola in obligationem pervenerunt, acceptilatio ſuper ea re interpoſita, quae nullo momento debita intellegitur, non nocebit. Accepto autem lata fidejuſſoribus *Ob rem judicatam* clauſula, & ceterae ſtipulatio-

k *l. 112. ſi quis ſtipulatus ſit. D. de verb. obl. l. 66 ſi is qui Stichum. D. de procurator.*

l *l. 126. ſi ita ſtipulatus. pr. & §. 2. de verb. obl. l. 1. §. 17. id quod. D. ad l. Falcid. l. 22. vinum. in fin. D. ſi cert. petat. l. 57. ſi quis ſtipulatus fuerit. D. de ſolut.*

m *l. 15. amplius. D. rem rat. hab.*

n *l. 2. D. de duob. reis.*

o *l. 16. ex duobus. D. de duobus reis.*

p *l. 13. & per jusjur. §. 4. ſi is qui. D. de acceptil.*

q *l. 27. ſi unus. §. 7. ſed ſi generaliter. D. de pact.*

r *l. 37. legato generaliter. D. de leg. 1.*

tionis *Judicatum ſolvi* partes [s] evaneſcunt. Illud non dubium eſt, ſimul plures res accepto ferri poſſe, & uno & pluribus vel certis vel incertis contractibus, vel quibuſdam exceptis ceteris unam acceptilationem fieri. [t]

Sed jam ad acceptilationis formam accedamus. Verbis autem fieri acceptilationem conſtat. Nec intereſt, quibus, Poenicis an Aſſyriis, Latinis an Graecis, dummodo ſenſus congruat, & uterque vel per ſe, vel per verum interpretem linguam intellegat. [v] Hoc enim jure utimur, ait ULPIANUS, [x] ut acceptilatio juris gentium ſit, & idcirco quocumque ſermone fiat. Quod ab illo antecedente, ut conſequens, bene ULPIANUS ducit. Nam quae ſollemnis & legitimi & Quiritum proprii juris erant, Latina dumtaxat lingua olim utiliter explicabantur. Et vero ſummo ſemper Romanos linguae ſuae propagandae deſiderio flagraſſe VALERIUS non diffitetur, [y] uſque adeo, ut vel in ipſa Graecia a magiſtratibus ſine reprehenſione (quam Cicero non effugit) niſi Latine reſponſa non darentur. Imperatorem quidem certe Tiberium Graecu ſermone, cujus peritiſſimus erat, ita abſtinuiſſe, hiſtoriarum monumentis proditum eſt, [z] ut monopolium nominaturus prius veniam poſtularit, quod ſibi verbo peregrino utendum eſſet: ſed & nomen emblematis a lege, quam ferebat, rejecerit, teſtimoniumque interrogatos non niſi Latine reſpondere paſſus ſit. Claudium quoque SUETONIUS [a] DIONE [b] conſentiente, refert, ſplendidum virum Graecae provinciae principem, ob Latini ſermonis imperitiam non modo albo judicum eraſiſſe, verum etiam in peregrinitatem redegiſſe. Quamobrem Latinis verbis a Praetoribus decreta interponi debuiſſe cum TRIPHONINO, [c] diſſentientibus licet acutis quibuſdam interpretibus, cenſeo. Legata quoque Latine tantum relinqui potuiſſe, ULPIANUS auctor eſt. [d] Eademque duntaxat lingua tutelas & libertates directo dari potuiſſe argumento eſt, quod, ut idem Graeca lingua facere liceret, poſtea ſancitum reperitur. Nam poſt tranſlatum Conſtantinopolin imperium, ubi Graeca lingua vernacula erat, & decreta Graece pronuntiari, [e] & teſtamenta Graece ſcribi, [f] & legata, libertates, [g] tutelas, [h] directo Graece dari Imperatores permiſerunt, quorum de ea re hodieque extant in Juſtiniani Codice Conſtitutiones. Sed neſcio quo modo de ſpatio & curriculo ſuo noſtra deflexit oratio, ſenſimque huc deducta eſt. Nunc ad inſtituta pergamus. Acceptilatione ea tantum perimuntur, quae verbis contracta ſunt. [i] Naturae enim conſentaneum eſt, eo genere diſſolvi unumquodque, quo & ligatum eſt. [k] Sic quae conſenſu contracta ſunt, contrario conſenſu diſſolvuntur. [l] Verbis quoque ipſo jure tolli, niſi quod verbis contractum eſt, nequit. Et ideo ut re, vel conſenſu, vel aliis ex cauſis obligato accepto fieri poſſet, C. AQUILIUS GALLUS, homo juris conſultiſſimus, & qui civibus ſuis multa in jure cavit, [m] ſtipulationis furmulam prodidit, in quam quae non verbis contractae eſſent obligationes tranſlatae, acceptilatione deinde perimerentur. (a) [n] Praebet autem nobis ea Aquilii ſtipulatio certiſſimum anxiae veterum in cautionibus componendis diligentiae argumentum, in qua, ne quid omiſſum videretur, multa

s *l. 6. judicatum ſolvi. D. jud. ſol.*
t *l. 18. & uno. D. de acceptil.*
v *Arg. l. 1. §. ult. D. de verbor. obl.*
x *l. 8. an inutilis. §. ult.* D. *de acceptil.*
y *Lib. 2. cap. 2. ex. 2.*
z *Sueton. in Tiber. cap. 71. & Dio lib. 57. pag. 612.*
a *In Claud. cap. 16.*
b *Lib. 60. pag. 676.*
c *l. 48. decreta.* D. *de re jud.*
d *In Inſtit. tit.* XXV. *de fideicomm.* §. 9.
e *l. 12. judices.* C. *de ſent. & interl.*
f *l. 21. hac conſultiſſima. §. ult. C de teſtam.*
g *l 14 directas.* C. *de teſtam. mand.*
h *l ult. C. de teſtam. tut.*
i *l. 8. an inutilis. § 3. acceptum.* D. *de acceptil.*
k *l. 35. nihil tam naturale* D. *de reg. jur.*
l *l. 8. prout.* D. *de ſolut.*
m *l. 29. Gallus.* D. *de lib. & poſthum. Cicer. 3. Officior. cap. 14*
n *l. 15. & uno. §. 1.* D. *de acceptil. §. 1. item per acceptilationem. Inſtit. quib. mod. toll. obl.*

(a) PERIMERENTUR] Nunquam credere potui, licet haec communis fere ſit JCtorum ſententia, Aquilium Gallum ultimis demum liberae reipublicae temporibus inveniſſe rationem, quomodo aliae etiam, quam verborum obligationes, per acceptilationem tolli potuerint. Quum enim ſtipulatio ſemper apud Romanos modus fuerit obligationes quaſcunque novandi: ipſa ſane rei natura docere potuit Romanos, ut aliae obligationes per ſtipulationem in verborum obligationem prius transformarentur, & ſic deinde per acceptilationem exſtinguerentur. Mea ergo opinione, Gallus ille nihil aliud invenit, quam generalem illam formulam, qua omnes omnino obligationes, ex diverſis cauſis ortae, optime ſimul comprehendi poterant. Neque aliud innuunt FLORENTINUS in *L.* 18. §. 1. *D. de acceptil.* & JUSTINIANUS in §. 1. & 2. *Inſt. quibus mod. toll. oblig.* Caeterum de C. Aquilio Gallo elegans *Jo. Gottl. Heineccii* Oratio exſtat in ejus *Sylloge Opuſc. num.* XXII. Stipulationem hanc, ut vocant, Aquilianam illuſtrarunt etiam *Arn. Vinnius* in *Comm.* ad §. 2. *Inſt. quib. mod. toll. oblig.* & laudatus *Heineccius*, tum in *notis* ad *Vinnium l. c.* tum in *Synt. Antiqq. lib.* III. *tit.* 30. §. 12.

multa ex abundanti ſunt adjecta. In ea ita eſt: *Quidquid te mihi ex quacumque cauſa.* Cauſa negotium ſignificat & obligationem, [o] contractuque latius patet. Nam & ad eas obligationum ſpecies pertinet, quae ex delicto vel quaſi proficiſcuntur. [p] Adduntur & generalia verba: *Dare facere*, quae ſine conjunctione proferri ſolent, [q] quemadmodum & haec *Uti frui*, *ire agere*, *agi fieri*, [r] *dare legare* [s] aliaque pleraque. Cicero *lib.* III. *Officior. cap.* 16. *Arbitrum illum adegit:* QUIDQUID SIBI DARE FACERE OPORTERET, ſicut in ſcriptis codicibus legitur. Nam impreſſi in hac parte corrupti ſunt (*a*). Eodemque vitio laborans Valerii Max. de eadem re locus *lib.* VIII. *cap.* 2. *ex.* 1. emendandus eſt, in quo ſic vulgo legitur: *M. Porcium Catonem, inclyti Catonis patrem, arbitrum eum Claudio adduxit, ut formulam daret, quod ſibi de ea re facere oporteret.* Legendum enim eſt, *Dare facere* (*b*). Quae verba in actionum formulis uſitata Ulpianus (*c*) ſic interpretanda dicit, [t] ut quamvis ſoluta ſint, pro ſeparatis tamen accipiantur, & quodvis eorum ſufficiat probare. Faciendique appellatione omnis ſaciendi cauſa contineatur, ſive ſolvendi, dandi, numerandi, judicandi, reddendi. [v] Dicitur autem interdum [x] Dare, facere, praeſtare. Et apud Livium [y] in antiquis belli indicendi ſollemnibus: Dari, fieri, solvi. Sequitur: *Oportet oportebitve, praeſens in diemve:* ut non praeſentia tantum, ſed & quae in diem debentur, contineantur. Nam priore verbo praeſens tantum debitum demonſtratur, [z] poſterius etiam utrumque comprehendit. [a] *Oportet* autem, non ad facultatem judicis, qui poteſt pluris vel minoris condemnare, ſed ad veritatem refertur. [b] *Quarumque mihi rerum tecum actio, petitio, perſecutio.* Actio in perſonam eſt, petitio in rem, perſecutio ad extraordinarias magiſtratuum cognitiones pertinet. [c] Senſus ergo eſt: Quidquid actione in perſonam conſequi, vel vindicare, vel magiſtratu cognoſcente extra ordinem perſequi potes. *Quodve tu meum*, haec abundant (*d*). Ex ſuperiobns enim ſatis intellegebantur. Meum eſt, cujus vindicandi jus habeo. [d] Meum eſt & id, cujus proprietas ad me pertinet, licet uſusfructus alienus ſit. [e] *Habes, tenes, poſſides.* Tenere ad factum refertur; Poſſidere ad jus: Habere & jure dominii, & jure poſſeſſionis, & mera detentione dicimur. [f] Ait: *Dolove malo.* Dolus enim pro poſſeſſione eſt: ſemperque poſſidere intellegitur, qui dolo fecit, quo minus poſſideret. [g] Cetera plana ſunt, nec interpretatione noſtra planius exprimi, vel ornatius explicari poſſunt. Ad rem redeuntibus ſumme notandum eſt, & jurejurando a liberto contractam operarum obligationem recta accepto ferri poſſe, qui ab initio verbis conſtitit. Idque Paulum (*e*) ſentire cenſeo, cum ait: [h] *Per jusjurandum liberti interpoſita operarum obligatio per acceptilationem tolli poteſt.* Et haec jurisjurandi obligatio in ſolis libertis recepta eſt. [i] Quod ſi ei accepto feratur, qui re, non verbis ſit obligatus, ipſo quidem jure non liberatur, ſed pacti exceptione, vel doli (quae ſubſidium eſt pacti exceptionis [k]) ſe tueri poteſt, quaſi tacita pactione id actum ſit, ne quidquam petatur. [l] Inutilis enim acceptilatio utile pactum habet, niſi in hoc quoque contra ſenſum ſit. [m] Valeant itaque ridiculae interpretum de formae ac materiae vitio traditiones, quos in errorem corruptus Ulpiani locus induxit, nobis hodie Florentinarum Pandectarum beneficio reſtitutus: ut jam de eo qui dubitet, ipſam legem, quae certiſſima eſt, ſemperque fuit, in dubitationem adducere videatur.

Se-

o *l.* 11. *creditorum.* D. *de verbor. ſignif. l.* 3. *in bonae. C. de reb. cred.*

p *l.* 9. *certi condictio.* D. *ſi cer. pet.*

q *l.* 11. *cum rem.* D. *rem pup. ſal. l.* 71. *duo ſocietatem.* D *pro ſoc. l.* 89. *ſi a colono. l.* 122. *qui Romae.* §. 1. *Callimachus.* D. *de verb. obl. l.* 27. *emptor.* D. *de novat.*

r *l.* 1. §. 1. D. *quod cujusque univerſit.*

s *l.* 2. §. 1. D. *ad leg. Falcid.*

t *l.* 53. *ſaepe.* D. *de verbor. ſignific.*

v *l.* 218. *verbum facere. l.* 175. *faciendi.* D. *de verb. ſignific.*

x *l.* 37. *qui libertinus.* D. *de oper. lib.*

y *Libro* 1. *ab u. c. cap.* 32.

z *l.* 72. *ſi ita ſtipulatus fuerim.* §. 1. *l.* 89. *ſi a colono* D *de verb. obl. l.* 46. *ſi ita ſcriptſiſſet.* D. *de leg.* 11.

a *l.* 8. *verbum oportebit.* D. *de verb. ſign.*

b *l.* 37. *verbum oportere.* D. *de verb. ſign.*

c *l.* 28. *actio.* D. *de obl. & act. l.* 178. *pecuniae.* §. 2. *actionis.* D. *de verb. ſign.*

d *l.* 27. *Quintus.* §. 2. *argento.* D. *de aur. arg.*

e *l.* 25. *velle.* D. *de verb. ſign. l* 2. D. *de cond. inſtitution.*

f *l.* 153. *habere.* D. *de verbor. ſign. l.* 38. *ſtipulatio iſta.* §. 7. *haec quoque.* D. *de verb. obl. l.* 2. §. 38. *habere.* D. *ne quid in loco publ. l.* 1. §. 33. *quod autem.* D. *de vi & vi arm.*

g *l.* 150. *parem. l.* 157. *ad eo.* §. 1. *ſemper.* D. *de reg. jur.*

h *l.* 13. *& per jusjurandum.* D. *de acceptil*

i *l.* 7. *ut jurisjurandi.* D. *de oper. lib. l.* 56. *ſi quis pro eo.* D. *de fidejuſſ.* Cajus *lib.* 2. *Inſtit. tit. pen.* §. 4.

k *l.* 10. *reſcriptum.* §. 2. *plerumque.* D. *de pact.*

l *l.* 27. *ſiuons.* §. *penult.* D. *de pact.*

m *l.* 8. *an utilis.* D. *de acceptil.*

(*a*) Sunt] Hodie auctoris emendatio jam in optimis editionibus eſt recepta.

(*b*) Facere] Locus in MSS. & editis varie legitur: mihi interim ita legendum videtur: *Arbitrum Claudio addixit in formulam:* QUIDQOID SIBI DARR FACERE OPORTERET.

(*c*) Ulpianus] Auctor *L.* 53. *D. de V. S.* in Inſcriptione Paulus perhibetur.

(*d*) Abundant] Potuit tamen & haec clauſula interdum utilis eſſe ad plenariam ſecuritatem. Si v. g. alter aliquid haberet, ad quod perſequendum nulla mihi prodita eſſet actio, cujus tamen nomine mihi retentio, pignorum ex. g. competeret.

(*e*) Paulum] *L.* 13. *D. de acceptil.* juxta Inſcriptionem auctorem agnoſcit Ulpianum.

Secundum haec ſi emptor venditori acceptum faciat, non poteſtate acceptilationis obligatio tolletur, ſed perinde valebit quod actum eſt, ac ſi inter eos conveniſſet, ut neuter ab altero quicquam peteret. [n] Ideoque ſi omnibus integris acceptilatio interpoſita ſit, ipſo tamen jure obligatio tolletur, quod ea ſit eorum negotiorum, quae ſolo conſenſu contrahuntur, natura, ut ipſo jure contrario conſenſu diſſolvantur. [o] Et quamquam ab alterutra tantum parte acceptilatio interceſſerit, utrinque tamen obligatio ſolvetur: [p] ſed hoc, uti dixi, niſi contraria accepto ferentis mens approbetur. Nam ea ratione inutilis acceptilatio vī ac poteſtate conventionis valet, quod in liberationem conſenſerit, quī accepto tulit. Qui ſi ſciens ac prudens nihil valere acceptilationem ſic accepto tulerit, procul dubio pactus non videbitur, qui eum animum non habuit, cujuſque in hujuſmodi actu talis cogitatio fuit, ut nihil agi exiſtimaret. [q] Nec quicquam facit, quod accepto ferre ſe locutus ſit, cum in pactis non verba, ſed conſenſum placitumque ſolum intueamur, [r] nec verborum ulla vis ſit, niſi obligationis contrahendae animus accedat. [s] Qua ratione & eum, qui inutiliter ſtipulatus eſt, cum ſtipulari voluerit, non conſtitui ſibi, de conſtituta experiri poſſe negatur, quia non animo conſtituentis, ſed promittentis hoc factum ſit. [t] Itaque ad agentium voluntatem tota haec res referenda eſt.

In diem, vel ſub condicione acceptilatio fieri non poteſt, quoniam, ait ULPIANUS [v] ſolutionis exemplo liberat. Quae ratio, niſi propius oculos admoveas, abſurda videbitur. Poteſt enim ſub condicione ſolutio fieri, [x] ut ei male in hac parte acceptilatio comparetur, ſed ea legis ſententia eſt: Acceptilationem, cum ſtatim atque ipſo jure ſolutionis inſtar liberet, nullam temporis vel condicionis moram ferre poſſe. Nec enim natura patitur, ut quae ipſo actu ex praeſenti contingit, in diem ſuſpendatur liberatio. Ridiculumque & ineptum eum eſſe nemo diffitebitur, qui ſe liberare aliquem Kalendis proximis, hodie dicat, vel qui acceptum ferens, dicat ſe, ſi Titius Conſul fiat, id facere. Nam actus ipſe voluntati ejus repugnat: nec abſimilis eſt ei, qui parietem dealbans, vel quid pingens, ex Kalendis futuris ſe dealbare vel pingere dicat. Quae & germana ratio eſt, cur ex die vel in diem conſtitui ſervitutes non poſſint: [y] nimirum quod earum conſtitutione qualitas quaedam fundo imprimatur, [z] quae ſemel inſita haeret, ſtatimque viget, noſtra ut voluntate non poſſit non inſita videri. Atquin ſub condicione ſolvi poteſt. Sed eo modo hoc non agitur, ut in diem numeratio traditiove fiat, quod natura fierī non poteſt, ſed ipſe dationis effectus in diem vel condicionem confertur. Nec enim quidquam vetat ita rem tradi, ut ea exiſtente aliqua condicione accipientis fiat: [a] vel ita pecuniam numerari, ut ſtatim quidem in accipientem tranſeat, in ſolutum tamen tum demum cedat, cum condicio aliqua evenerit, condicatur, ſi defecerit. [b] Quod poſtremum tum fit, cum obligatio ipſa condicionem habet. In ſumma factum ipſum ſolvendi in diem differri non poteſt: dominiī tranſlatio, quae ex ea numeratione contingeret, incerto condicionis eventu inhiberi poteſt. Quae omnia cauſam non habent difficilem, & in naturali ſenſu atque intelligentia poſita ſunt. Ceterum quod dictum eſt, condicionis adjectionem acceptilationem non recipere, de expreſſa utique condicione accipiendum eſt: tacitam enim non aeque reſpuit. [c] Nec novum eſt, ut ea non expreſſa non noceant, quae aperte comprehenſa vitium adferunt: nam & in compluribus aliis juris partibus idem eſt admiſſum. [d] Itaque ei, qui ſub condicione promiſit, utiliter acceptum ferri nemo ambigit, quāmquam vi ipſa ſub condicione ea acceptilatio fiat, cum ei tacita haec condicio inſit, ſi obligationis condicio exiſtat. Nam deficiente ea, cum non obligetur, per conſequens nec accepto liberari reus poteſt, [e] nec ante egiſſe aliquid acceptilatio intellegitur, quam condicio promiſſionis venerit. [f] Addam ego & alium ab interpretibus ſilentio praetermiſſum caſum, quo tacita condicione acceptilatio ſuſpenditur. Pone dotis cauſa, debitori accepto fieri: acceptilationi utique tacita haec condicio ineſt. Si nuptiae ſequantur, [g] nec alias mulieri actio perit, non ſecus ac ſi hoc expreſſum eſſet. [h]

n *l.* 5. D. *de reſcind. vend.*

o *l* 58. *ab emptione.* D. *de pact*

p *l. ult.* D. *de acceptil.*

q *Arg. l.* 31. *non ſolum.* D. *de oblig. & act.*

r *l.* 1. D. *de pact.*

s *l.* 3. §. 1. *de oblig. & act.*

t *l.* 1. §. 4. *eum qui.* D. *de conſtit. pec.*

v *l.* 5. *in diem.* D. *de acceptil.*

x *l.* 16. *ſub condicione.* D. *de ſolution.*

y *l.* 4. D. *de ſervit.*

z *l.* 59. *cum venderes.* D. *de contr. empt. l* 86. *quid aliud.* D. *de verb. ſign.*

a *l.* 38. *qui abſenti.* §. 1. D. *de acq. poſſ l.* 2. §. 5. *ſi pecuniam.* D. *de donation.*

b *l.* 16. *ſub condicione.* D. *de ſolution.*

c *l.* 77. *actus legitimi.* D. *de regul. jur.*

d *l.* 52. *nonnumquam.* D. *de cond. & dem. l.* 195. *expreſſa.* D. *de regul. jur. l.* 138. *eum qui. in fin.* D. *de verb. obl.*

e *Arg. l.* 116. *decem. in fin.* D. *de verb. obl.*

f *l.* 12. *quod in diem. l.* 21. *ſi ſub condicione.* D. *de acceptil.*

g *l.* 10. *plerumque.* §. 4. *ſi ante.* D. *de jur. dot. l.* 4. § 2. D. *de pact.*

h *l.* 37. *non enim alias.* D. *de jur. dot.*

Con-

Conſentire autem cum obligatione acceptilatio debet, [i] & idem ipſum accepto ferri, quod rogatum eſt. Stichi tamen promiſſor ſi ita acceptum roget: *Quod Stichum promiſi, Stichum & Pamphilum habeſne acceptos?* ſupervacua Pamphili mentione acceptilationem non corrumpet. [k] Nec enim ſuperfluae adjectiones alias utiliter geſta negotia vitiant. [l] Ita vero, uti ſingillatim perſecuti ſumus, facta acceptilatio eandem omnino cum ſolutione vim habet, una hac differentia intercedente; quod illa verbis, haec re fiat. Acceptilatione enim liberatio omnimodo contingit, etiam ſi pecunia non intervenerit. [m] Quo nomine & ab apocha differt, quae niſi vere ſoluta pecunia debitorem nun liberat, cum contra veritatis fidem ea ſcriptura laedi quis non poſſit, qua cautum ſit, accepta ea, quae tradita non ſunt; [n] ut vel poſt hujuſmodi expoſitam ſcripturam adhuc creditori petere ſit integrum, ſi ſpe futurae numerationis, quae deinde ſecura nun ſit, ſcripſiſſe ſe intendat. [o] Apocha porro Graecis dicitur ea cautio, qua ſibi ſolutam pecuniam creditor profitetur. [p] Quod nomen Latini ſuum quoque fecerunt, eoque jam ut Latino utimur. [q] Quamquam a poſterioribus Imperatoribus peſſimis Latinitatis auctoribus ſecuritas appelletur. [r] Ceterum ut maxime acceptilatio ſine pecuniae interventu liberet, non tamen gratuitam ſemper remiſſionem continet: cum non donationis tantum cauſa, [s] ſed & tranſigendi, [t] & dotis conſtituendae, [v] & voluntatis defuncti adimplendae [x] gratia & ut aliud nobis detur, vel fiat, [y] acceptilatio interponatur.

DE NOVATIONIBUS.

Conſequens eſt de Novatione dicere, quam tertiam liberationis ſpeciem initio hujus artis poſuimus. Et hoc ordine eundum eſt, ut Quid ſit novatio, Qui novare poſſint, Quae obligationes, Quomodo noventur, Quae ſint novationis effecta, videamus. Novatio, Ulpiano auctore, [a] eſt prioris debiti in aliam vel civilem vel naturalem obligationem transfuſio atque tranſlatio. Quae definitio paucis totam novationis ſubſtantiam evolvit atque explicat, cujus ea vis ac poteſtas eſt, ut priore perempta, novam conſtituat obligationem.

Novare creditores ipſi, quod ſibi debetur, poſſunt, aut etiam alii ex eorum juſſu. [b] Pupillos prodigoſque & his ſimiles perſonas ſemper excipio, quibus abſque tutorum curatorumve auctoritate novandi jus non eſt, niſi eo modo meliorem ſuam condicionem faciant, [c] qua in re aliorum auctoritate non indigent. [d] Quinetiam ſi rem ſalvam fore ſtipulatus pupillus, pubes factus eam ſtipulationem novandi cauſa ratam habuerit, tutelae actionem tolli Ulpianus admittit, [e] cum eadem omnia ſtipulatione illa contineantur, quae in tutelae judicium veniunt. [f] Tutori utique pupillares obligationes novare licet, [g] ſi hoc pupillo expediat. [h] In his enim, quae ad adminiſtrationem rerum pupilli pertinent, domini pene loco eſt. Idemque, in prodigorum furioſorumque curatoribus probandum eſt. [i] Ceterum non cui recte ſolvitur, is protinus & novare poteſt, [k] quamquam hoc aliquoties verum ſit. [l] Et hoc ſentiens Paulus: [m] *Nam nec alium novare*, ait, *quamquam ei recte ſolvi poſſit.* Quae verba, qui ad alterum ex duobus reis ſtipulandi referunt, in magno errore verſantur (*a*): huic enim novandi jus eſſe non ambigitur, [n] cui & ſolidi petendi, [o] & accepto ferendi, [p] & jurisjurandi in judicio deferendi, [q] iisque omnibus modis communem debitorem in ſolidum liberandi jus eſt. Sed Paulo propoſitum fuit oſtendere a ſolutione ad ceteras liberationum ſpecies non recte argumentum duci: ſolutionemque poſſe quem jure accipere, ut tamen novandi non habeat poteſtatem: ſic enim ei, cujus nomen ſtipulationi inſertum eſt, recte ſolvitur, nec tamen is novare poteſt. [r] Item

(*a*) Versantur] Fuit tamen hac de re controverſia inter JCtos, & multi antinomiam ſtatuerunt inter *L.* 27. *D. de pact.* & *L.* 31. *D. de novat.* Confer *Jo. Jac. Wiſſenbachii Emblem. Tribon. cap.* 7. *pag.* 142. & *Jo. Wybonis Tribon. defenſ. cap.* 7. §. 5. *pag.* 378. *ed. Halenſ.* ubi plures laudantur.

[i] *l.* 14. *niſi conſentiat.* D. *de acceptil.*
[k] *l.* 15 *ſi is qui Stichum.* D. *eod.*
[l] *l.* 94. *non ſolent* D. *de reg. jur. l.* 65 *quae extrinſecus.* D. *de verb. obl.*
[m] *l.* 19 *ſi accepte latum. in fin.* D. *de acceptil.*
[n] *l.* 6. *neque ſcriptura.* C. *de compenſat.*
[o] *l.* 14. *in contractibus.* §. 2 *ſuper.* C. *de non numer. pec.*
[p] *l.* 14. *pecuniae.* C. *de ſolution.*
[q] *l. ult.* §. 2. *Titius.* D. *de cond. ind. l.* 27. *qui tabulas.* §. 2. *apocha.* D. *de ſerv. l* 19. *plures.* C. *de fide inſtrum.*
[r] *l.* 35. *ſi quando* §. 2. *& generaliter.* C. *de inoffic. l. ult.* C. *ſi cert. pet.*
[s] *l.* 17. *ſi in ſtipulatum.* D *de donation. cum ſimilib.*
[t] *l* 15. *ut reſponſum.* C. *de transact. l.* 2. D *eod.*
[v] *l.* 41. *praemittendo.* §. 2. *l.* 43. *licet.* D. *de jur. dot. l.* 10. *ſi mulier.* D. *de condict. cauſ. dat. l.* 10. *ait praetor.* §. 14 *ſi cum mulier.* D. *quae in fraud. cred.*
[x] *l.* 3. §. 3. D. *de liber. leg.*
[y] *l.* 9. *ob eam* D. *de praeſc. verb. l.* 4. *ſi quis accepto.* D. *de condict. cauſ. dat.*
[a] *l.* 1. D. *de novation.*
[b] *l.* 20. *novare.* D. *de novat.*
[c] *l.* 3. *l.* 20. *novare.* D. *eod.*
[d] *l.* 28. *contra.* D. *de pactis. l.* 6. *is cui.* D. *de verbor. oblig.*
[e] *l* 9. *ſi pupillus.* D. *de novation.*
[f] *l.* 9. D. *rem pup. ſal.*
[g] *l.* 22. *tutor.* D *de adm. tut. l.* 13. *& per jusjurandum.* §. 10. *tutor* D. *de acceptil.*
[h] *l.* 20. *novare.* D. *de novat.*
[i] *l. ult.* §. 1. *agnatum.* D. *eod.*
[k] *l.* 25. *non ideo.* D. *de novat.*
[l] *l.* 10. *cui recte.* D. *eod.*
[m] *l.* 27. *ſi unus.* D. *de pact.*
[n] *l.* 31. *ſi rem.* §. *ult.* D. *de novation.*
[o] *l.* 16. *ex duobus.* D. *de duobus reis.*
[p] *l.* 13. *& per jusjurandum. in fin.* D. *de accept.*
[q] *l* 28. *in duobus.* D. *de jurejur.*
[r] *l.* 10. *quod ſtipulatus.* D. *de ſolution. l.* 10. *cui recte.* D. *de novation.*

Item ſi debitorem meum tibi ſolvere juſſero, non propterea to etiam ſtipulando id novare potes, quamvis debitor ſolvendo tibi liberetur. [s] Fugitivus quoque creditam a ſe pecuniam accipiendo, non etiam novando, debitoribus liberationem praeſtare poteſt. [t] Et omnino his, qui in noſtra poteſtate ſunt, peculiaria debita recte ſolvuntur, [v] oovare tamen non poſſunt, [x] niſi libera eis peculii adminiſtratio ſit permiſſa: hoc enim caſu & alienandi, [y] & jurisjurandi deferendi, [z] & delegandi, [a] & oon donationis cauſa paciſceodi, [b] & novandi [c] poteſtas eis competit maxime. Ait lex: [d] *Si etiam meliorem ſuam condicionem eo modo faciant.* Quod idcirco adjectum credo, quia ſi deteriorem eo modo debiti cauſam facerent, pluſculum dubitationis res haberet, quoniam perdere ac profundere viderentur. Non autem ad hoc eis conceſſa intellegitur adminiſtratio, ut perdant. [e] Ideoque nec donationis cauſa paciſci, ne petant, [f] vel ne res pignori ſit, [g] nec pro alio rem peculiarem obligare, [h] novationeve, aut quo alio modo ad donationem magis, quam ad adminiſtrationem reſpicieote, deteriorem eorum, quorum juri ſubjecti ſunt, cauſam facere non poſſunt. [i] Libera vero admioiſtratione non data, peculiares obligationes citra domini voluntatem non recte ſervus novat. [k] Ex quo notandum eſt, ſolutionis accipieodae datam poteſtatem non eo uſque eſſe porrigendam, ut alias quam naturaliter oumerata pecunia debitori liberatio praeſtari poſſit. [l] Secundum quod ad exigendas pecunias datus procurator novatione debitorem oon liberabit. [m] Plane cui plena liberaque rerum adminiſtratio commiſſa ſit, aut, ut noſtri plerumque loquuntur, qui totorum bonorum procurator ſit, ei novandi poteſtas non denegatur. [n] Nam & aliud pro alio permutare, [o] & pignori dare, [p] & paciſci ne petat, [q] & jusjurandum deferre, [r] & non diminuendi cauſa tranſigere, ſed & bona fide, ſi hoc adminiſtratio poſtulet, alienare poteſt, [s] maxime eas res, quae facile corrumpi poſſunt. [t] Non enim ei uſquequaque omnia plene licent, ſed quatenus & bona fides patitur, & negotiorum exigit adminiſtratio. Sed & ſi quis ſine mandato me abſente a debitore meo novandi animo ſtipulatus ſit, & ego ratum habuero, obligatio novabitur. [v] Alioquio nemo ſtipulando ſibi, quod mihi debetur, actionem mihi aufert, niſi ex mea voluntate ſtipuletnr. [x]

Novatione etiam abſens, ignorans, invituſque debitor haud aliter atqne ſolutione liberatur, [y] interpoſito videlicet aliquo, a quo novaodi animo, quod abſens debeat, ſtipulemur. [z] Quinetiam ſi a duobus debeatur, a tertio, quod ille aut ille debet, ſtipulari poſſumus. Quod cum fit, neutrum ſtatim novatur, ſed io tertii poteſtate eſt, pro quo ſolvat, [a] ſi modo id actum proponatur, ut alterutrum detur vel fiat. [b] Hic enim cum alterutrins tantum debiti novandi cauſa obligationem interceſſiſſe appareat, neutrum propter iocertam promittentis voluntatem novatur. Ceterum ſi hoc actum oon eſt, merito cum utrumque in ſtipulatiooem deductum ſit, [c] novatum etiam intellegitur, ſi hoc novandi animo factum eſt. [d] Et ita commode Jureconſultorum ſententiae conciliabuntur, quae neglegeotius aſpicientibus contrariae viderentnr.

Novantur obligationes quaecumque, ſive civiles, ſive natorales, ſive honorariae: nec iotereſt re, an verbis, an conſenſu ſint contractae. [e] Quare vel ipſam judicati obligationem in ſtipulatum novandi cauſa deduci poſſe non ambigitur, [f] quo facto ad initium novae petitionis parta ex cauſa judicati perſecutio redigitur. [g] Legata etiam, [h] & privilegiarias quoque obligationes utiliter novari non dubium eſt, amittique eo modo prioris debiti privilegium. [i] Denique, ne oeceſſe haberem dicere de ſingulis, omnia omnino debita, omneſque res io novationem tranſire poſſunt, [k] & vel una ſtipulatione plures obligationes novari nihil vetat [l] Quod Aquiliana ſtipulatione fit percommode, cujus verba ad omnes obligationum cauſas ſunt coocepta. [m] Nec vero ad novationem quidquam refert, ſequens obligatio utroque jure, an altero dumtaxat teneat. Itaque ſi quod alius debet,

s *l. 21. ſi debitorem. D. de novation.*
t *l. 19. fugitivus. D. de ſolut.*
v *l. 56. quod ſervus. D. de pec.*
x *l. 16. ſervus. l. 23 ſi-lius. l. 25 non ideo. D. de novat. l. 27. ſi unus. D. de pact.*
y *l. 41. ſi quis hac lege. §. ult. D. de rei vendicat.*
z *l. 20. ſervus quod. D. de jurejur.*
a *l 48. libera. in fin. D. de pecul.*
b *l. 52. ſi quis uxori. §. 26. ſi ſervus. D. de furt.*
c *l. 21. huic enim. D. de jurejur.*
d *l. ult. D. de novation.*
e *l. 7. filiusfam. D. de donat.*
f *l. 28. contra. §. ult. D. de pact.*
g *l 8 ſicut. §. 5. an paciſci. D. quib. mod. pign.*
h *l. 1. §. 1. D. quae res pign*
i *l 3. §. 2. D. ad SC. Maced*
k *l 16. ſervus. D. de novat.*
l *Arg. l. ult. C. de his, qui ven. aet.*
m *l. 4. C. de novation.*
n *l. 20. novare. in fin. D. de novation.*
o *l. 58. procurator cui generaliter. D. de procur.*
p *l. 12 vel univerſorum. D. de pign act.*
q *l. 12. nam & novare. D. de pactis.*
r *l. 17. jusjurandum quod § ult. D. de jurejur.*
s *l. 60. creditor. §. 4. Lucius. D. mand.*
t *l. 63. procurator totorum. D. de procuratoribus.*
v *l. 22. ſi quis abſente. D. de novation.*
x *l. 8. ſi Stichum. in fin. D. eod.*
y *l. 91. ſi debitor. D. de ſolut on.*
z *l. 13. & per jusjurandum. §. 10. tutor. D. de acceptil. l. 8. ſi Stichum. in fin. D. de novat.*
a *d. l. 8. ſi Stichum. §. 4. ſi decem. D. de novat.*
b *l. 26. ſi is cui decem. D. eod.*
c *l. 128. ſi duo. in fin. D. de verb. oblig.*
d *l. 32. te hominem. D. de novat.*
e *l. 1. D. de novation.*
f *l. 17. ſi in ſtipulatum. D. de donat. l. 4. §. 4. ſi ex conventione. D. de re jud.*
g *l. 40. minor annis xxv. cui fideic. D. de minorib. d. §. 4. ſi ex conventione. l. 4. D. de re judic.*
h *l. 8. ſi Stichum. §. 1. D. de novation.*
i *l. 29. aliam. D. eod. l. 2. in fin. D. de privil. cred.*
k *l. 2. D. de novation.*
l *l. ult. in fin. D. eod.*
m *l. 18. & uno. D. de acceptil.*

debet, a pupillo, ad quem ex alia cauſa tantundem pervenerat, ſtipuler, cum pupillus natura obligetur, [n] novatio fiet. [o] Sed etſi dolo creditoris inductus minor alienam in ſe obligationem novandi animo ſuſceperit, quamquam poſterior ſtipulatio inanis ſit, prior tamen obligatio tolletur, [p] & res creditori peribit, qui ſibi in veterem debitorem actionem reſtitui non probe deſideraverit, quam ipſe voluntate ſua amiſit, omni juris auxilio propter dolum ſuum indignus. [q] De ſe enim queri debet, qui hoc agens, ut minorem falleret, ſe ipſe imprudens ſefellit. Alia cauſa eſt, ſi a ſervo quis ſtipuletur, quod alius debet. Nihilominus enim prior obligatio manet, perinde atque ſi ſtipulatio nulla interceſſiſſet. [r] Quod non injuria mirum alicui videri poſſit. Nam ſi pupillo interveniente novationem contingere admittimus, cur non idem in ſervo ſtatuimus, qui aeque atque ille naturaliter obligatur. [s] Et non omnino male dicetur, quia tam civili, [t] quam honorario [v] jure pro nullo ſervus habeatur, ſitque, ut cum Theophilo dicam, ἀπρόσωπος, nimirum tamquam perſona nulla ſubſit, in ſuo ſtatu obligationem manere, utut novandi animo ſervus intervenerit. Eſſe enim perſonam oportet, in quam obligatio novata transferatur, [x] quam ſervus nullam habere intellegitur. Adde quod alienam in ſe obligationem niſi ex peculii cauſa ſuſcipere ſervo non eſt permiſſum, [y] in tantum, ut ſi interveniendi animo non rem peculiarem agens quid ſpoponderit, quaſi nulla inde naturali obligatione nata, & in dominum de peculio actio denegetur, [z] & ſoluta pecunia repetatur. [a] Quod argumento eſt, [b] ut naturaliter quidem tenere eam obligationem, qua ſe ſervus pro alio novandi cauſa, non ex utilitate peculii obligaverit. Non tantum autem jam conſtitutas & praeſentes, ſed & futuras obligationes in ſtipulatum animo novandi deduci poſſe ſciendum eſt, dum tamen intellegamus, non ante fieri novationem, quam obligatio conſtiterit. Prius enim obligationem eſſe oportet, quam in alium ſtatum ea transferatur: & naturali ratione, quae nondum eſt, novari obligatio non poteſt. In diem plane obligatio, etiam antequam dies venerit, novatur, [c] licet agi ante diem non queat. Praeſens enim obligatio naſcitur etiam ex ea ſtipulatione, quae diem habet, ſtatimque deberi ex hujuſcemodi cauſa intellegitur, [d] ſola in diem conſtitutum petitione dilata. Sed ſi quis a Sejo novandi cauſa ſtipulatus ſit, quod a Titio ſtipulaturus fuerat, tunc fiet novatio, cum a Titio fuerit ſtipulatus: eodemque tempore & naſcetur & novabitur obligatio. [e] Condicionales quoque obligationes non ante novantur, quam earum condicio extiterit. Atque ut plane perfecteque intellegamus, quando novatio contingat, admonendi ſumus, intereſſe, utrum pure, in diem, vel ſub condicione, quod nobis debetur, ſtipulemur. Cum pure ſtipulamur, pura quoque praecedens obligatio eſt, novatio ſtatim fit. Nec aliud probabitur, ſi ea, quae novandi cauſa interponitur, ſtipulatio, diem habeat: [f] non enim propter diei adjectionem obligatio ſuſpenditur, [g] licet antequam dies venerit, agi non poſſit, aut (quod quibuſdam magis placet) perperam maleque agatur. [h] Quod utique de die certo accipiendum eſt. Nam dies incertus pro condicione eſt: [i] ideoque novationem moratur, ſi non ſolum, quando extiturus ſit, ſed etiam, an omnino extiturus ſit, pro certo haberi non poſſit. Nam qui ſub condicione ſtipulatur, non ſtatim novat propter ipſius condicionis incertum: cujus, quia anceps & dubius eventus eſt, obligationis ortus ſuſpenditur. Quamobrem ſi condicionem omnino extituram certum eſſet, novatio ilico fieret. Nam quae neceſſariam & in naturali ordine poſitam cauſam habent condiciones, obligationem non magis differunt, [k] quam quae in praeteritum vel in praeſens conferuntur. [l] Unde & quod ad obligationis ortum attinet, pro pura habetur ea ſtipulatio, quae ſub hujuſmodi condicione concipitur, nec novationi moram facit. Cum vero ambiguo & incerto eventu condicio ſuſpenditur, in ſuſpenſo quoque ſunt ſtipulationis novandi cauſa interpoſitae vires. Ridiculum enim eſt, & pene memoratu indignum, quod quidam tentant dicere, ex condicionali quoque ſtipulatione praeſentem obligationem naſci, eo moti, quod Paulus ſcripſit, [m] ex praeſenti tempore vires capere condicionalem ſtipulationem. Quod alio longe ſenſu a Paulo dictum eſſe

n *l. 13. naturaliter. §. ult. cum l. ſeq. D. de condict. ind. l. 5. pupillus. D. de auct. tut. l. 25. cum illud. §. 1. heres. D. quando dies leg.*

o *l. 1. in fin. D. de novat.*

p *l. 48 ſi Titius. D de fidejuſſ.*

q *Arg. l. 2. §. 3. D. ad SC. Vellejan.*

r *§. 3. praeterea. Inſtit. quib. mod. toll. obl.*

s *l. 13. naturaliter. D. de cond. ind. l. 41. nec ſervus. D. de pecul.*

t *l 32. quod attinet. D. de reg. jur*

v *l. 1. D. de jur. delib. l. 20 qui teſtamento. §. 7. ſervus. D de teſtat.*

x *l. 14. quotiens. in fin. D. de novation.*

y *l. 30. in perſona. §. 1 D. de pact.*

z *l. 3. licet. §. 5. ſi filiusfam. D de pecul.*

a *l. 19 ſervus inſcio. D. de fidejuſſorib.*

b *l. 13. naturaliter. D. de condict. indeb.*

c *l. 5. in diem. l. 8. ſi Stichum. §. 1. D. de nov.*

d *l. 9. D. ut leg. nom. cav. l. 213. cedere. D. de verb. ſign. l. 10. in diem. D. de condict. ind.*

e *l. 8 ſi Stichum. §. 2. ſi quis ita. D. de novat.*

f *d. l. 8 ſi Stichum. §. 1. D. de novat*

g *l. 10. in diem. D de condict. indeb. l. 46. centeſimis. D. de verbor. obl.*

h *l. 1. in fin. D. quando dies leg. uſusfr. l. 2. §. 6. qui ita ſtipulatur. D. de eo quod cer. loc.*

i *l. 1. D. de cond. & dem.*

k *l. 9. ſi pupillus. §. 1. D. de novat. l. 18. quod ſi ſub ea. D. de condict. ind.*

l *l. 37. cum in praeſens. cum ſeq. D. ſi cert. pet.*

m *l. 26. uſusfructus. D. de ſtipul. ſer.*

alias commodius oſtendemus. Nam a re propoſita ejus loci ſententia paulo longius abhorret. Illud inſtitutae eſt ſcriptionis ac temporis, etiam puram ſtipulationem, quae ad novandam ſub condicione conceptam ſtipulationem interponitur, non ante aliquid agere, quam prioris condicio extiterit: qua pendente, ſi res promiſſa intereat, exiſtens poſtea condicio novationem non committet, quoniam corpus nullum ſubeſt, in quo nunc primum naſcens obligatio conſiſtat. n Priore vero obligatione reus eo jure ſolvitur, quo ſolveretur, extincta re promiſſa, antequam per eum factum eſſet, quominus daret. Quod etiamſi mora ſtipulationem novantem praeceſſiſſet, adhuc tamen diceremus. Quamquam enim non novat, purgat tamen condicionalis ſtipulatio ante commiſſam moram, o periculoque debitorem, quaſi rem promiſſam obtulerit, p liberat. Unde hoc ita procedere Marcellus acute notat, ſi ſecundae ſtipulationis tempore in poteſtate ſua rem promiſſor habuerit. Nam cum oblationis poteſtate moram purgari ejuſmodi ſtipulatione conſtet, tum demum id admittendum eſſe ratio ſuadet, cum rei copiam, facultatemque promiſſor eo tempore, quo ſtipulatio facta eſt, habuit. Quod ſi res abſuerit, quia ſuperiori rationi locus non ſit, oblatumque fingi non queat, quod per rerum naturam propter abſentiam offerri non potuit, aliud merito reſpondebitur. Nec enim, contra quam natura ſe res habere poteſt, in jure quidquam fingitur. q Et hoc quidem caſu conſequens erit dicere, ſi priuſquam rei facultatem promiſſor nanciſceretur, ea deceſſerit, periculo ejus nihilominus perire. r Qua in ſpecie Venuleji reſponſum s procedere poterit, quod alioquin diſſidium, meo judicio, implacabile habet. Quamquam autem mihi non placeat generalia Jureconſultorum verba hiſce anguſtiis coërceri, praeſertim ubi ſuppletur, quod ſine ſcelere praetermitti non potuit, cum tamen aperta non apparet opinionum pugna, & ratio aliqua conciliandorum locorum inveniri poteſt, eam, licet animum uſquequaque non expleat, amplecti tamen ſatius eſſe puto, quam ut inutiliter propter repugnantiam duo noſtrorum librorum loci relinquantur. Cum vero ſtipulationis novandi animo adhibitae condicio deficit: in ſuo ſtatu prior obligatio manet, nullatenus a poſteriore, quae effectum non habuit, innovata: t nec eo ipſo creditor, quaſi a debitore tacite pactus, ne petat, exceptione repelletur, v qui in eum tantum caſum a prima obligatione diſcedere voluit, quo poſterioris condicio extitiſſet. Quo fit, ut qui, quod pure debet, ſub condicione novandi animo ſpoponderit, pendente condicione ſolutum repetere non poſſit, x quoniam ex altera cauſa debiturum omnimodo certum ſit: ex priore quidem, ſi defecerit condicio; ex poſteriore, ſi evenerit. Ex diverſo, ſi quod ſub condicione debetur, pure novandi cauſa promittatur, ne tunc quidem ſtatim novatio fiet, ſed tunc demum, cum prioris ſtipulationis condicio extiterit. y Eſſe enim conſtitutam obligationem oportet, priuſquam novetur: quod ante condicionis eventum dici non poſſe conſtat. Qua ratione & qui ſe pure ſoluturum, quod alius ſub condicione debet, conſtituit, non prius obligatur, quam debiti condicio extiterit: z cum debiti cauſam in conſtituto a ſimiliter, ut in novatione, b praecedere neceſſe ſit. Hinc eveniet, ut ſi pendente condicione promiſſor deportetur, novationis ſpes omnis intercidat: quia perſona jam non ſit, quae obligetur. c Deportatione enim ut jam ante contractae obligationes tolluntur, d ita multo magis naſciturae impediuntur. Non idem dicemus, ſi pendente condicione promiſſor deceſſerit. Itaque ſi a Titio novandi animo ſub condicione ſtipuler, quod mihi Sejus debet, eaque licet jacente adhuc hereditate, extiterit, novatio fiet, e quoniam condicionales promiſſiones morte promiſſorum non extinguuntur, ſed earum ſpes vel ex incerto eventu pendens ad heredes tranſit, f & in ipſa hereditate, quae defuncti perſonam ſuſtinet, interim dum heres non apparet, reſidere intellegitur. Porro in novationem g etiam poſt moram mortuus homo, h ut & in conſtitutum, & in judicium recte deducitur, cum extare adhuc propter moram, quae perpetuam obligationem facit, videatur. i

Novatio per ſtipulationem fit: pacto enim quod ex una cauſa debetur,

n l. 14. quotiens D. de novat.

o l. 8. ſi Stichum. D. de novation. l. 17. parvi. D. de condict. furt.

p l. 72. qui decem. §. 1. D. de ſolut.

q Argum. l. 14. qui ad certum. D. locat.

r l. 72. qui decem. §. 1. in fin. D. de ſolut.

s l. 31. ſi rem aliquam. D. de novation.

t l. 24. novatio. D. de novat.

v l. 30. in perſona. §. 1. 2. D. de pact.

x l. 60. Julianus. D. de cond. ind.

y l. 8. ſi Stichum. §. 1. D. de novat.

z l. 19. id quod. D. de conſtit. pec.

a l. 1. §. 6. debitum D. de conſtit. pec.

b l. 1. D. de novation.

c l. 14. quotiens. in fin. D. de novation.

d l. 47 ſi debitori. D. de fidejuſſorib.

e l. 24. novatio. D. de novat.

f §. 4. ex condicionali Inſt. de verbor oblig. l. 42. is cui. D. de obl. & act.

g l 91. ſi ſervum §. ult. D. de verb. oblig.

h l. 21. promiſſor Stichi. D. de conſt. pec.

i l. 24. ſi quis ſolutioni. §. ult. D. de uſur.

betur, in aliam converti non poteſt. [k] Receptum eſt etiam novationem fieri litis conteſtatione. Unde duplex à noſtris Novatio conſtituitur: Voluntaria una, quae ſtipulatione; Neceſſaria altera, quae ſine ſtipulatione fiat. Quae diviſio in varias reprehenſiones incurrit. Certa enim novationis definitio a Jureconſultis traditur, quae cum in conteſtationem litis transferri non poſſit, nec eidem nomen quoque recte aptabitur. [l] Novatio autem ab eo nomen habere ductum dicitur, quod praecedente ſublata, novam conſtituat obligationem. [m] Litis conteſtatione non modo nova obligatio nulla comparatur (*a*), ſed nec aliqua tollitur: [n] quinimmo etiam firmatur roboraturque magis, ut apparet in iis actionibus, quae tempore morteve eorum quibuſcum agitur, finirentur. [o] Itaque cum dubitaretur, an qui conſtitutoria egiſſet, veterem obligationem conſumeret, ſolutione ſola ex ea actione facta liberationem contingere Ulpianus admittit, non etiam litis conteſtatione. [p] Sed etſi dominus de peculio conventus ſit, naturalis obligatio, qua ſervus tenetur, manere nihilominus dicitur. [q] Et certe ſi ex veritate, non ex auctoritate rem totam aeſtimare volumus, vix eſt, ut ſuperior diviſio defendi poſſit. Nam quantumlibet diverſas & diſſidentes ſpecies communione aliqua ſocietateque generis contineri neceſſe eſt, litis coneſtatio novationi ſimile nihil habet. Praetereo enim quod quae novationis propria ſunt, conteſtationi non inſunt, effecta etiam penitus a novatione abhorrentia habet. Nam nec uſurarum curſus litis conteſtatione inhibetur, [r] nec pignora fidejuſſoresve liberantur, [s] & creſcit, nedum purgatur mora: [t] ut ceteras omittam, quas Paulus commemorat, [v] differentias, apud quem verbum, *voluntariae*, non eo pertinere dici poteſt, ut aliam eſſe novationem non voluntariam demonſtret, (hoc enim nuſquam relatum eſt) ſed propriae novationis naturae deſignandae cauſa additum eſſe. Atque ut hoc reprehendo, quod ab interpretibus confictum eſt, ita illud non reprobo, Nova judicati actione priorem novari. [x] Nam & judicio quaſi contrahi traditum eſt, [y] ut non jam judicii origo, ſed ipſa judicati velut obligatio ſpectetur, [z] nec antiqua amplius actione, ſed judicati poſt ſententiam agatur. [a] *Semel enim*, ait Paulus, [b] *cauſa tranſire videtur in condemnationem; & inde pecunia deberi*: nec jam ex priſtina obligatione uſurae debentur, ſed ex nova judicati cauſa. [c] Sed & quibus in cauſis delegatio per litis conteſtationem fit, [d] iiſdem etiam velut novationem committi, ſi quis contendat, non repugnabo. Similiter jurisjurandi condicionem ex numero eſſe novandi Paulus ſcribit. [e] Poſt jusjurandum enim non jam priſtina debiti cauſa & antiquus actionis titulus inſpicitur, ſed nova jurisjurandi actio cauſaque exercetur. [f] Poſtremo ſciendum eſt interdum quaſi novationem per exceptionem fieri. Nam ſi quis, quod ſibi a libero homine debebatur, a ſervo, ex peculii cauſa eam obligationem in ſe ſuſpicientе, novandi animo ſtipulatus ſit, hic licet non ipſo jure novatio fiat, quia perſonam, ut jam dixi, ſervus non habet, cujus interventu poſſit nova contrahi obligatio, exceptione tamen creditor repelletur, ſi a priore petat. [g] De illo quaeri & dubitari ſolet, An poenali ſtipulatione praecedens obligatio novetur? Et res eſt inter interpretes valde controverſa. [h] Ego ſic ſtatuo, cum quid fieri ſtipulati ſumus, poenaque certae pecuniae, ſi id non fiat, promiſſa, exiſtente condicione (quod tum accidere Papinianus, *Pegaſi* & *Sabini* ſententias componens, interpretatur, [i] cum interpellatus promiſſor non fecerit) in poenam ſtipulationem priorem transferri, & quaſi novationem fieri. [k] Tantumdemque dicendum eſſe, cum penu legata heres, ſi pecu-

k *l. 34. qui negotia. D. mandat. l. 6. ſi ex pretio. C. ſi cert. pet.*

l *l. 1. D. de dolo.*

m *l. 1. D. de novat.*

n *l. 28. fundum. D. de novat.*

o *l. ult. in fine D. de fidejuſſ. tut. §. pen. Inſtit. de perpet. & temp. act.*

p *l. 18. item illa. §. ult. D. de conſt. pec.*

q *l. 50. eo tempore §. 2. etiam. D. de pecul.*

r *l. 1. C. de judic. l. 35. lite. D. de uſur. l. 90. cum ſtipulatus. D. de verb. obl.*

s *l. 13. grege. §. 4. etiam. D. de pign. l. 8. graece. §. 3. an ergo. D. de fidejuſſ.*

t *l. 84. ſi inſulam. D. de verb. obl.*

v *In l. 29. aliam. D. de novat.*

x *l. 3. §. & ideo. C. de uſuris rei jud.*

y *l. 3. §. 11. idem ſcribit. D. de pecul.*

z *l. forte. l. 37. §. 6. qui operas. §. nihil. in fin. de oper. lib.*

a *l. 8. actori. C. de reb. cred.*

b *l. 16. ſi fundus. §. 6. ſi pluris D. de pignorib.*

c *l. 13. in bona. C. de uſur.*

d *l. 11. delegare. §. 1. D. de novation.*

e *l. 26. qui juraſſe. in fin D. de jurejur.*

f *l. 30. cum qui. D. de jurejur.*

g *l 30. in perſona. §. 1. D. de pact.*

h *Zaſ. in Intellect. ſingul. Alciat. in Paradox. doct. in l. 115. ita ſtipulatus. D. de verb. obl.*

i *l. 115. ita ſtipulatus. circa fin. D. de verb. obl.*

k *l. 44. obligationum ferre. §. ult. D. de oblig. & action.*

(*a*) Comparatur] Quum tamen litis conteſtatio ſit *quaſi contractus*, & exinde nova oriatur actio *judicati*: non incommode defendi poteſt, per eam quoque, ſi non veram *quaſi* tamen fieri *novationem*. Confer *Nicol. Hieron. Gundlingii Diſſ. de litis conteſtatione commoda plerumque, incommoda nunquam*, *cap.* 2. Quae auctor ſubtiliter diſputat, tandem tamen eodem redeunt.

(*b*) Paulus] Auctor *L.* 16. *D. de pignor.* Marcianus in Inſcriptione perhibetur.

l *l. 1. D. de penu. leg. l. 24. ſi penum. D. quando dies leg.*

m *l. 71. duo ſocietatem. D. pro ſoc.*

pecuniam non dediſſet, penum dare damnatus eſt. [l] Cui ſententiae non adverſatur, quod PAULUS reſpondit, [m] cum inter aliquos conveniſſet, ut, ſi ea, quae pacto ſocietatis perſcripta eſſent, non darentur, ficrent, viginti darentur, tunc ſocietatis judicium non eſſe novatum: & ideo adhuc pro ſocio ante poenam ex ſtipulatu petitam, vel poſt in id quod excedit, agi poſſe. Hoc enim in ea ſpecie ita reſponſum eſt, quod in ſtipulationem res ipſa deducta non proponeretur: quo caſu contractui ſubdita ſtipulatio ex contractu actionem non novat. Cum vero tam res, quam poena in ſtipulatum pervenit, hic procedit quaerere, An poenae ſtipulatio principalem novet. Et quaſi novationem ex praeſumpta contrahentium voluntate fieri conſulti probant, ubi ea, ſub qua poenae ſtipulatio concepta eſt, condicio extiterit, aliter atque ſi ſtipulatione ſola poena comprehenſa eſſet.

n *l. 2. l. 8. ſi Stichum. §. 1. & §. 2. ſi quis ita. l. 28. fundum. D. de novation.*

o *l. 91. ſi debitor. D. de ſolut. l. 13. & per jusjurandum. §. 10. tutor. D. de accept. l. 8. ſi Stichum in fin. D. de novation.*

p *l. 71. duo ſocietatem. D. pro ſoc.*

q *d. l. 8. ſi Stichum. §. 3. idem Celſus. D. de novat.*

r *l. 4. § 4. ſi ex conventione. D. de re jud.*

s *l. 6. ſi ita fuero. D. de novation.*

t *l. 28. fundum. D. eod.*

Novatio autem ita demum fit, ſi hoc actum eſt. [n] Ac ne ante JUSTINIANI quidem conſtitutionem, nova accedente perſona, quae idem promitteret, novatio aliter fiebat, quam ſi novandi cauſa id factum eſſet. Idcirco cum de abſente per novationem liberando tractatur, diſerte ſemper additur, Ab alio, quod abſens debet, novandi cauſa eſſe ſtipulandum. [o] Quapropter ex jure conſultorum ſententia veriſſima definitur, Novationem ita fieri, ſi hoc animo ſtipulatio interceſſit: alioquin adjici verius, quam detrahi obligationi. [p] Proinde judicatum ſolvi ſtipulatione actio judicati non novatur, quia non hoc agitur. [q] Sed nec eo, quod fidejuſſores, aut pignora a condemnato creditor acceperit, propterea judicati executio tolletur, niſi hoc animo novandi factum conſtet. [r] Ne is quidem, qui ab alio, quanto minus a debitore ſuo exegerit, ſtipulatur, novat, quia eam voluntatem non habet. [s] Fundum quoque Cornelianum ſtipulatus, ſi poſtea quanti fundus eſt, ſtipuletur non protinus novat, ſed ita, ſi eo conſilio hoc factum eſt. [t] Si vero non ea mente ſtipulatus eſt, in hoc poſterior ſtipulatio utilis erit, ut meliore vel deteriore poſtea facto fundo, aeſtimatio, quae ſecundae ſtipulationis tempore fuit, peti poſſit. In duobus quoque reis fruſtra timetur novatio, ſive ſimul, ſive ſeparatim ſpondeant, cum hoc actum ſit inter contrahentes,

v *l. 3. D. de duob. reis.*

x *l. 6. ſi ita §. ult. cum l. ſeq. D. de novat.*

y *l. 9. certi condictio. §. 3. quoniam. cum §. ſeqq. D. ſi cer. pet.*

z *l. 9. ſi pupillus. §. ultim. D. de novat.*

a *l. 58. qui uſumfructum. D. de verbor. obl.*

b *l. ult. C. de novation.*

ut duo rei conſtituantur, neque ulla novatio fiat. [v] Pecuniam ſane creditam cum ex continenti utiliter ſtipulamur, novatio nulla fit, ſed unius ſtipulationis contractus eſt, cujus implendi cauſa ſecuta numeratio videtur. [x] Contra atque ſi inutilis ſtipulatio numeratione ſubdita ſit. Tunc enim ex numeratione tantum, non etiam ex ſtipulatione agetur. [y] Quamquam autem uſumfructum ſtipulatus, inutiliter deinde uſum ſtipuletur; & actum ſtipulatus, iter ſtipulando nihil agat, [z] quoniam & uſufructu uſus continetur, & iter actui ineſt: Si tamen hoc novandi animo factum ſit, priore obligatione ſublata, ex poſteriore dumtaxat uſus vel itineris petitio erit. [a] Sed cum variae inciderent de ſtipulantium mente dubitationes, & in obſcuro plerumque poſitum eſſet, quem illi animum habuiſſent, JUSTINIANUS in veteris juris emendationem conſtituit, [b] ſublata voluntatis quaeſtione, non aliter deinceps novationem fieri, quam ſi novare ſe diſerte contrahentes expreſſiſſent. Itaque procul dubio *Triboniani* eſt (*a*), quod aliquot Pandectarum locis legimus: [c] *Novandi animo hoc facere ſpecialiter expreſſerit*: qui infinita ejuſmodi flagitia in libris noſtris admiſit: quae plenius aliquando, Deo favente, prodentur.

c *l. 58. qui uſumfructum. D. de verbor. obl. l. 29. aliam l. 31. ſi rem aliquam §. 1. ſi duo. D. de novat.*

d *l. 31. ſi rem aliquam in fin. D. de novat.*

e *l. 27. patri. §. pen. D. de min.*

f *l. 22. ſi cum dotem. §. 2. ſi mulier. D. ſoluto matrim.*

Novatio ſolutioni ſimilis eſt, [d] & ipſo jure priorem obligationem cum omnibus ei adjunctis condicionibus perimit, ſi modo legitime ita, uti ſuperius deſcripſi, facta eſt. Plane ſi minor ab idoneo debitore ad inopem novandi cauſa tranſtulerit obligationem, in priorem ei debitorem actio aetatis auxilio reſtituetur: [e] ut & mulieri, quae ſoluto matrimonio egentem reum dotis per novationem decepta acceperit. [f] Quod ipſum ſingulari dotium favore, ne indotata mulier maneat, receptum

(*a*) EST] Ita etiam ſentit *Jo. Jac. Wiſſenbach.* in *Emblem. Tribon. cap. 7. pag. 139. ſeqq.* Confer tamen, quae diſſerit V. C. *Jo. Wybo* in *Tribon. ab Emblem. liber. cap. 7. §. 4. pag. 377. ſeq. ed. Halenſ.*

ceptum eſt. Ceterum novatione funditus obligatio tollitur, & uſurae currere deſinunt, [g] & pignora liberantur, [h] niſi ea in ſequenti obligatione repetita, & ex debitoris conſenſu denuo obligata ſint. [i] Poena etiam amplius ex priore obligationi committi non poteſt: [k] mora ante facta in eo praeſtando, quod promiſſum eſt, purgatur. [l] Perit & prioris actionis privilegium, veluti ſi poſt divortium, ait lex, [m] (conſtante enim matrimonio deterior fieri dotis cauſa conventione non poteſt) dos in ſtipulationem deducatur, vel poſt pubertatem tutelae actio novetur, vel quod in funus impenſum erogatumque eſt, in ſtipulationem novandi animo deducatur. [n] Atque haec ſunt praecipua Novationis effecta. Nunc de delegatione.

DE DELEGATIONIBUS.

Novationi vicina eſt & adfinis Delegatio. Delegare autem, eſt alium vice ſua debitorem dare: [a] quo facto & a priore creditore delegatus liberatur, & qui delegat, perinde ac ſi ſolviſſet, creditori ſuo ſatisfeciſſe intellegitur. Delegatur vero volens debitor. [b] Invitus delegari non poteſt: inviti tamen nomen vendi poteſt. [c] Cujus differentiae in promptu ratio eſt. Nam ipſo debitore praeſente, ſtipulationeque cum eo interpoſita, delegatio fit. Et ideo ex conſenſu utriuſque negotium conſiſtere neceſſe eſt. [d] Nominis venditio debitoris praeſentiam conſenſumque non exigit, adverſus quem abſentem etiam & ignorantem ſuas creditorem mandare actiones nihil vetat. Nec hi tantum, qui principaliter obligati ſunt, ſed & expromiſſores, & qui pro aliis fidem ſuam obſtrinxerunt, delegari poſſunt. [e] Mulier etiam viro dotem promiſſura, delegante eo, alteri promittere poteſt. [f] Sed & non debitor utiliter delegatur: uſque adeo, ut ſi mihi quem dolo circumventum, [g] vel qui ſupra modum legitimum ei donare volebat, [h] vel libertum, qui onerandae libertatis cauſa ſtipulanti ſpóponderat, [i] vel eum, cui nihil crediderat, debitor meus delegaverit, petentem me, qui nullum dolum adhibui, quique meum perſequor, & ex mea ſtipulatione ago, nulla exceptione repellere poſſit, qui delegatus eſt: Atque etiam in ſolidum, quamvis deleganti donatum vellet, non quatenus facere poteſt, exigatur, [k] cum non ut donatum ſibi, ſed ut debitum creditor accipiat. Generaliter enim, ne neceſſe habeam commemorare de ſingulis, quaecumque deleganti poterant opponi exceptiones, ceſſant in perſona ejus, cui quis delegatus promiſit, ſive doli ſint, ſive pacti, ſive Senatuſconſ. Macedoniani, ſeu quae aliae. [l] Cui conſequens eſt, ut ſi non debitor ſciens delegetur, nec exceptione ſe aliqua adverſus eum, cui expromiſit, defendere, nec a delegante quicquam, tamquam donaverit, [m] repetere poſſit. [n] Quod ſi per errorem delegatus promiſerit, petenti quidem ei, cui delegatus eſt, nullam exceptionem objiciet, [o] nec ſoluti velut indebiti condictionem habebit, quam creditor, tum quia alterius contemplatione ei ſolutum eſt, [p] tum quia ſuum accepit, non timet. Hac enim in ſpecie maxime procedit vulgata ſententia, quae dictat, Repetitionem nullam eſſe ab eo, qui ſuum recepit, (a) [q] quam vereor ne ex particulari & ſingulari themate inſcite *Tribonianus* ad regulam generalem traxerit. Ceterum ne in damno verſetur, qui per ignorantiam alterius dolo circumventus eſt, ſolutam pecuniam ab eo, qui delegavit, quaſi indebitum ejus voluntate alii ſolverit, condicet, [r] ſi modo non tranſigendae controverſiae cauſa promiſerit: [s] Aut ſi nondum ei quicquam abeſt, liberationem condicet, [t] quae ipſa, quod in oculos ſenſumque corporalem non cadat, ceterarum rerum incorporalium exemplo, incerti condicitur. [v] Haec ita, ſi creditori quis delegatus ſit. Nam cum is ſuum perſequatur, ſibique vigilet, nec dolo facere quicquam dici poteſt, [x] nec exceptione repelli: aliterque obſer-

[g] *l. 27. emptor. D. de novat.*
[h] *l. 18. novatione. D. de novat.*
[i] *l. 3. D. qui pot. in pign. l. 21. ſolutum. §. 1. D. de pign. act. l. 30. Paulus. D. de novat.*
[k] *l. 15. ſi creditor. D. eod.*
[l] *l. 8. ſi Stichum. l. 14. quotiens. D. de novat.*
[m] *l. 29. aliam. D. de novat.*
[n] *l. 2. §. pen. D. de privil. credit ſive l. 17. D. de reb. auct. jud. poſſid.*
[a] *l. 11. delegare. D. de novat.*
[b] *l. 1. & l. 6. nec creditoris C. de novat. l. 2. D. ſol. matr*
[c] *l. 1. C. de novat.*
[d] *l. 83. inter ſtipulantem. D. de verb. obl. l. 1. §. 2. D. de pact.*
[e] *l. 26. inter cauſae. §. 2. abeſſe. D. mandat.*
[f] *l. 59. ſi mulier ita dotem. D. de jur. dot.*
[g] *l. 4. apud Celſum. §. 20. item quaeritur. D. de dol. except*
[h] *l. 5. pure. §. 5. ſi eum. D. de doli except. l. 21. ut mihi. D. de donation.*
[i] *l. 1. § 10. D. quar. rer. act. non dat.*
[k] *l. 33. qui id quod. in fin. D. de donation. l. 41. Neſennius. D. de re jud. l. pen. D. de novat.*
[l] *l. 19. doli. D. de novat.*
[m] *l. 47. indebitam. C. de condict. ind. l. 53. cujus. D. de reg. jur. l. 47. Campanus de oper. lib.*
[n] *l. 12. ſi quis delegaverit D. de novation.*
[o] *l. 33. ſi Titius. D. eod.*
[p] *l. 26 ſi non ſortem. §. 12. libertus. in fin. D. de cond. ind.*
[q] *l. 44. repetitio. D. de cond ind.*
[r] *Arg. l. 34. qui hominem. D. de ſolution.*
[s] *l. 2. §. 10. in fin. D. quar. rer. act. l. 65. in ſumma. D. de cond. ind.*
[t] *l. 2. C. de condict. ind. l. 12. ſi quis delegaverit. l. 13. ſi non debitorem. D. de novat. l. 5. pure. §. 3. ſi eum. D. de doli except.*
[v] *l. 8. quamvis. § 2. ſi mulier. in fin. D. ad SC. Vellejan. l. 16. in cauſae. §. 2. Pomponius. D. de min.*
[x] *l. 129. nihil dolo. D. de regulis jur. l. qui autem. §. 6. 7. D. quae in fraud. cred.*

(a) Recepit] Ad *L. 44. D. de condict. indeb.* praeter auctores a *Dionyſio Gothofredo* in notis laudatos, confer M. *Lyclamae Membran. lib.* VI. *cap.* 17.

V

Digitized by Google

ſervantibus ſummam fore captionem conſtat, quando quidem bonum nomen ſecutus, y ſuum amitteret. In eadem cauſa eſt maritus, cui in dotem non debitor delegatur. Hic enim creditori ſimilis eſt, z dotemque ex oneroſa cauſa habere intelligitur: a nec facile decipiendus eſt, ne indotatam uxorem, quam alioquin ducturus non fuerat, b praeter ſpem cogitationemque ſuam habeat. c Ideoque & huic ſuo nomine agenti, ſibique negotium gerenti, nihil eae exceptiones nocent, quae petentem mulierem ſummoviſſent. d Aliud juris eſt, ſi ei, cui donatum volumus, non debitor delegetur. Nam & hic exceptione doli mali teneri ſe, & praeterea incerti condictione efficere poteſt, ut ſibi ſua ſtipulatio accepto feratur. e Merito id quidem, cum ejus, qui donationis cauſa delegatum ſibi non debitorem accepit, longe alià ſit, quam creditoris ratio, qui de ſuo recipiendò non laborat, magiſque ex aliena jactura lucrum quaerere videtur, quam id agere, ne damnum ſentiat. f Plane ſi verus debitor, donationis licet immodicae cauſa, alicui delegatus eſt, petentem eum quidem certe debitor, cujus nihil intereſt, non repellet: ſed ego ante ſolutam pecuniam reſciſſoria actione conſequar, ut eo, quod legitimum modum excedit, reſciſſo, in reliquum tibi debitor maneat obligatus: vel ſi jam ſoluta pecunia eſt, in id, quod ſupra legis modum ſolutum eſt, condictionem contra te habebo. g Hoc amplius, & ſi is, qui mihi donare volebat, ei, cui donatum volebam, ex voluntate mea promiſerit, in ſolidum, non id, quod facere poterit, damnabitur, tametſi me petente ejus rei ratio habenda eſſet, ne egeret. h Sunt & aliquot notandae ſuperioris regulae exceptiones. Nam ſi maritus poſt ſolutum matrimonium alii in dotem a muliere delegetur, eatenus dumtaxat, quatenus ſalva dignitate facere poterit, priori tenebitur, i quoniam hoc juris beneficium, nec ſi ei directis verbis renuntiet, a ſe abdicare non poteſt. k Quod in honorem matrimonii ſibi benigne tributum integrum, quoad ſolverit, maritus retinet. l Nam ſolutum, licet ſolvendo non ſit, ideo non repetit, m quia omni jure debet. n Delegato vero, quia adhuc omnia integra ſunt, exceptione uti permittitur. Quae mihi veriſſima eſſe eorum locorum conciliatio videtur, quae *Accurſium* male torquet. Quinetiam ſi mulier ab eo, apud quem contra Senatuſc. interceſſit, alii delegata promiſerit, exceptione ſe tuebitur, o propterea quod hac quoque delegatione alienae in ſe obligationis onus, contra ac liceat, ſuſcipit, Senatuſconſultoque tam prior, quam poſterior infirmatur obligatio. Aliter atque dicendum ſit, ſi a vero creditore mulier debitrix delegata, alii promiſerit. Hic enim cum a creditore ſuo liberetur, ſua ſe verius, quam aliena obligatione onerat, nec exceptione uti poteſt. p A muliere ſane contra SC. obligata non debitor ei, apud quem interceſſerat, delegatus exceptione Senatuſconſulti, quod interventoribus acceſſoribusque ſummovit, procul dubio petentem eum, cui delegatus eſt, repellet. q Praeterea ſi circumſcriptus minor promiſerit, poſt delegatus ſit, exceptione ſe adverſus eum, cui delegatus eſt, tuebitur: quia ut in promiſſione, ita in delegatione quoque circumventus jure poteſt in integrum reſtitutionem deſiderare. r Quocirca ſi major factus delegetur ab eo, cui minor promiſerat, etſi tempora reſtitutioni praeſtituta nondum praeterierint, exceptione tamen non utetur, quoniam aetatis auxilium eo tempore deficit, quo delegatur. Sed etſi maritus ſoluto matrimonio a debitore ſibi in dotem delegato petat, de dolo uxoris ei exceptio nocebit, quoniam non jam ſuum jus perſequitur, ſed uxori vigilat. s Itaque bene Paulus in hac quaeſtione, numquid, de dolo mulieris excipiendum ſit adverſus maritum, qui dotem petit, addidit: t *niſi jam diverterit.* Eo enim caſu de dolo uxoris, cui pecunia ſtatim quaereretur, exceptio ei obſtaret. Et idcirco in his Pauli ad Epiſtolam *Apollinaris* v verbis: *Cui ſimilis eſt maritus, maxime ſi conſtante matrimonio petat:* non ſic *maxime* accipi debet, quaſi & idem ſit; ſed ita, quaſi idem non ſit ſoluto matrimonio, ut & aliquoties x verbum hoc accipiendum eſſe in libris noſtris docere poſſum. Quod *Accurſium* in errorem impulit. Aut certe *maxime* eo adjectum diceremus, quod nec ſoluto matrimonio in eo, quod viro ex dote quaeratur, ei exceptio obſtat. y Nam quod *Accurſius* indiſtincte ac generaliter idem admittendum putat, ſi ſoluto

y *l. 26. inter. §. 2. abeſſe. D. mandat.*
z *Arg. l. 9. qui balneum. §. ult. D. qui pot. in pign.*
a *l. 19. ex promiſſione. D. de obligat. & action.*
b *l. 25. ſi fraudator. §. 1. in fin. D. quae in fraud. cred.*
c *l. 9. ſi donaturus. §. 1. ſi quis indebitam. D. de condict. cauſ. dat.*
d *l. 4. apud. §. 21. ſed & ſi poſt. l. 5. pure. §. 5. D. de doli except.*
e *l. 2. §. 3. aliud. D. de donation. l. 7. Julianus. D. de doli except.*
f *Arg. l. 6. §. 11. ſimili modo. D. quae in fraud. cred.*
g *l. 21. ut mihi. §. 1. D. de donat.*
h *l. 33. qui id quod. §. ult. D. de donation.*
i *l. 32. ſi prior. D. ſol. matr.*
k *l. 14. alia. §. ult. D. ſol. mat.*
l *l. 3. quodſi maritus. D. de conſt. pec.*
m *l. 9. nam & maritus. D. de condict. indeb.*
n *l. 5. ſi quis reum. §. 2. idem Julian. D. de lib. leg.*
o *l. 19. doli. D. de novation.*
p *l. 24. debitrix. D. ad SC. Vellejan.*
q *l. 8. quamvis. §. 4. D. ad SC. Vellejan.*
r *l. 19. doli. in fin. D. de novat.*
s *l. 9. ſi donaturus. in fin. D. de cond. cauſ. dat.*
t *l. 5. pure. §. 5: ſi eum. D. de doli except.*
v *l. 44. Neſennius. D. de re judic.*
x *l. 9. uſucapionem. D. de uſucap. l. 2. C. an ſervus ex ſuo fac.*
y *l. 9. ſi donaturus. in fin. D. de cond. cauſ. dat.*

ſoluto matrimonio petatur, id ex ea lege, qua moveri ſe oſtendit, [z] duci non poteſt: quae & longe aliam ſpeciem habet, & in ſocero dotis promiſſore procedit, cui ſoluto matrimonio, & ita dirempta adfinitate, non eundem, quem conſtantem matrimonio, honorem tribuimus. [a] Poſtremo, ut hunc totum locum concludamus, & in operas, quas patrono promiſit, creditori ejus libertus delegatus, tribus liberis ſuſceptis, legis Juliae & Papiae beneficio (*a*), a creditore aeque liberabitur, atque ab ipſo patrono, ſi priſtina obligatio manſiſſet, [b] liberaretur. Nam titulum & cauſam debiti inſpiciendam prudentes cenſuerunt, quae ex obligatione operarum patrono promiſſarum manat: a quibus cum ex lege liberetur, creditori quoque teneri deſinit. Quod ſi ab initio delegante patrono creditori promiſiſſet, contra ſtatueremus. Nec enim hic in perſona patroni ullatenus obligatio conſtitit, ut operarum aliqua ratio ſit habenda. Ceterum ſi non debitor debitorem ſuum delegaverit, exceptione nulla eum, qui ſtipulatus eſt, delegatus ſubmovebit, ſed ab eo is, qui delegavit, per condictionem hoc repetet. [c] Illud notandum eſt, ſi obligatio perſonae cohaereat, delegari ipſo jure debitorem non poſſe. Proinde ſi uſus, vel uſusfructus, vel habitationis debitorem tibi delegavero, ipſo jure delegatio non perficitur: [d] (mutationem enim perſonae haec non admittunt, nec ad alios transferri ejuſmodi obligationes jure civili poſſunt [e]) ſed tamen cum pactiones ſervari placeat, [f] doli mali, vel in factum exceptione petentem me debitor repellet, & vel poſt mortem meam ſuperſtite eo, cui delegatus eſt, de uſufructu recte convenietur, nec jam ad eum finiendum mea, ſed illius, cui me delegante promiſit, mors ſpectabitur. [g]

Delegare iidem poſſunt, qui & novare. Pupillus ergo ſine tutoris auctoritate debitorem ſuum delegare non poteſt; [h] tutoris auctoritate interveniente poteſt. [i] A furioſo quoque factam delegationem ratam non eſſe habendam nemo ambigit: quamquam ſi a furioſo, quem ſanae mentis eſſe exiſtimabat, delegatus quis creditori ejus ſolverit, & cum eo iterum agatur, exceptione doli ſe defendat, [k] cum & bona fides bis idem exigi non patiatur, & damno nullo furioſus adficiatur, qui a creditore ſuo liberatus hoc ipſo pecuniam cepiſſe locupletiorque factus intellegitur. [l] Eadem ratione ſi ex delegatione pupilli puberem ſe fingentis pecuniam creditori ejus quis ſolverit, doli exceptionem petenti pupillo nocituram JULIANUS ſcribit. [m] Tutores vero pupillares debitores vel creditoribus ſuis recte delegant, eoque modo liberatio eis a pupillo contingit, ſi non malo conſilio cum tutore inito hoc factum eſſe probetur. [n] Filius paternos debitores delegare non poteſt. [o] Sed nec ſi peculiari nomine quid ſervus crediderit, delegatione debitorem liberabit, quamquam ei recte ſolvatur. [p] Similiterque & ſi mihi aut Titio dare ſtipulatus ſim, accipiendo, non item delegando, debitori Titius liberationem praeſtabit. [q] Ceterum debitores tam creditoribus noſtris, quam aliis eorum juſſu [r] delegamus. Eaque res voluntatem ſuam quoquo modo exprimente debitore peragitur. Nec enim verborum, nec ſcripturae ulla proprietas deſideratur, ſed vel nutu ab eo, qui fari non poteſt, delegatio recte fit. [s] Quod ſic intellegendum eſt, ut inter ipſum delegantem & creditorem ſufficiat vel voce, vel epiſtola, vel per nuntium, vel indiciis ſolis in hoc conſenſum eſſe. Delegatum utique debitorem poſteriori creditori ſpondere, & verbis obligari neceſſe eſt, ut in creditorem obligatio transferatur. Atque hic eſt vulgaris delegationis modus. Dicitur & fieri delegatio per litis conteſtationem. [t] Nam ſi cui abſque delegatione mandatae ſint adverſus debitorem actiones, iſque litem cum debitore conteſtatus ſit, in eum a priore creditore debiti cauſa tranſlata, [v] perfectaque delegatio intellegitur, cum litis conteſtatione totius cauſae dominus procurator fiat. [x] Quotiens igitur vel emptum nomen eſt, vel doti datum, vel qualibet alia ex cauſa actiones mandatae ſunt, lite conteſtata ab eo, qui in rem

z *l. 21. ſed hoc ita. D. de re judic.*
a *l. pen. D. de jur. dot.*
b *l. 37. qui libertinus. §. 4. D. de oper. libert.*
c *l. 1. §. 10. 11. D. quar. rer. act. non dat.*
d *l. 4. ſi uſufr. debitorem. D. de novat.*
e *l. 9. ſi habitatio. D. quando dies leg. ced. l. 66. ſi uſusfructus D. de jur. dot*
f *l. 4. D. de ſervitutib.*
g *d l. 4. ſi uſusfructus debitorem. D. de novat.*
h *l. 15. pupillo. D. de ſol.*
i *l. 18. poteſt. D. de auct. tut.*
k *l. 16. ſi debitor. D. de doli except.*
l *Arg. l. 2. D. de calumn. & l. 66. ſi pupilli. D. de ſolut. & l. 50. ſi cum mulier. D. de don. inter vir.*
m *l. 4. apud Celſum. §. 26. denique. D de doli exc.*
n *l. 96. pupilli. D. de ſol.*
o *l. 23. filius D de nov.*
p *l. 19. fugitivus. D. de ſolut.*
q *l. 19. quod ſtipulatus. D. de ſolution.*
r *l. 11. delegare eſt. D. de novation.*
s *l. 17 delegare ſcriptura. D. de novat.*
t *l. 11. delegare eſt. §. 1. D. de novation.*
v *l. 3. C. de novation.*
x *l. 11. procurator. D. de doli except. l. 18 in rem. D. de compenſ. l. 22. procuratoribus. C. de procur.*

(*a*) BENEFICIO] Confer *Jo. Gottl. Heineccii Comment. ad leg. Jul. & Papiam Popp. lib.* II. *cap.* 10. *pag.* 227. *ſeqq.*

rem ſuam procurator datus eſt, haud ſecus, ac ſi delegatio interceſſiſſet, in eum obligatio transfertur, adeo ut exinde mandanti non recte ſolvatur. Et ideo bene Impp. y *Quamvis nec delegatio praeceſſerit, nec litis conteſtatio ſecuta ſit*, cum utriuſque ſpeciei eadem vis ſit, idem effectus. Sed illa propria delegatio eſt, quae per ſtipulationem volente & conſentiente debitore fit: haec impropria, quae per conteſtationem, vel maxime repugnante & invito z eo, contingit.

Omnis delegatio novationem in ſe continet. Et ideo delegatus debitor in totum a priore creditore liberatur, contra quam accidat, cum nulla interveniente delegatione adverſus debitorem actiones mandatae ſunt. Nihilominus enim mandanti adhuc ſalvae ſuae actiones manent, quas re integra exercere, illiſque ad ſolutionem debitorem compellere poteſt. a At e contrario ipſo jure delegatio liberat. Pro juſta enim praeſtatione eſt, b ſolutioniſque vicem obtinet. c Nec quicquam facit, quod non ſolvendo ſit is, qui delegatus eſt. Bonum enim nomen creditor accepiſſe videtur, d qui eo contentus fuit, idque ipſum, quale initio obligationis fuit, ſecutus eſt. Et ideo periculo ejus poſtea id nomen eſt, nec nllam evictis pignoribus, quae prior creditor acceperat, cum eo actionem habet. e Idemque ſervabitur, & ſi ſola conventione, nulla interpoſita delegatione, inter creditorem & debitorem placuiſſet, ut ille nomine debitoris contentus nihil peteret. f Diverſum longe eſt, ſi periculo debitoris ab ejus debitore ſit ſtipulatus. g Nec enim propterea pecuniae, quae a delegato ſervari non poteſt, exactionem amittit. h

y *In l. 2. C. de oblig. & act.*
z *l. 83. inter ſtipulantem. D. de verb. obl.*
a *l. 3. C. mand. l. 3. C. de novation.*
b *l. 51. quod debetur. D. de pecul.*
c *l. 8. quamvis. §. 3. interdum. D. ad SC. Vellejan.*
d *l. 26. inter. §. 2. abeſſe. D. mandat. l. 37. qui libertinus. §. 4. D. de operib. lib.*
e *l. 68. cum ea. in fin. D. de evict.*
f *l. 96. pupilli. §. 2. ſoror. D. de ſolution.*
g *Arg. l. 41. promittendo. §. 3. ſi a debitore. D. de jure dot.*
h *l. 45. ſi mandat. §. pen. D. mand.*

DE CONFUSIONE.

Venit & in hunc nnmerum Confuſio, qnae ſolutionis quoqne ſpecie, a ipſo jure obligationem tollit. (*a*) Confundi obligatio dicitur, quotiens debitor creditori, vel creditor debitori heres exiſtit. In eandem enim perſonam ntriuſque jure concurrente in eum res redit locum, ut manere obligatio non poſſit. b Alioquin ſibi ipſe debere quis videretur, quod nec naturalis, nec civilis ratio patitur. c Sed eo modo civiliter liberari dicimur, d nimirum quod ſola juris ratione, e abſque naturali pecuniae numeratione, vel rei promiſſae praeſtatione, liberatio contingat, inefficaxque ita conſtituatur obligatio, ut jam peti quod debetur non poſſit. Fit haec confuſio tum quoque, cum ad fiſcum tam creditoris, quam debitoris bona pervenerunt. f Quinetiam ſi hereditatem reſtituere rogatus heres, ante eam reſtitutam hereditario debitori heres extiterit, ſemel confuſa obligatio ex Trebelliano poſtea reſtituta hereditate, non redintegrabitur. g Verum enimvero pro ea tantum parte obligatio confuſionis jure tollitur, pro qua defuncto ſucceditur. h Nam cum eatenus dumtaxat defuncti locum ſubeat, ejuſque perſonam repraeſentet quis, quatenus heres eſt, eo fit, ut creditori, quas adverſus defunctum habebat actiones, pro ea tantum parte, ex qua ſucceſſit, pereant, i & debitor, heres a creditore relictus, pro hereditaria tantum portione debito liberetur; de reliquo ſalvae maneant coheredibus, & in coheredes, actiones. k Jam vel ex aſſe a debitore ſcriptus heres ita confuſione creditor eſſe deſinet, ſi hereditatem retineat. Vendita enim hereditate, ſuae venditori integrae manent actiones, l cum id agatur, ut quaſi heres emptor extiterit, ita commoda & incommoda hereditaria agnoſcat. m Evicta quoque per inofficioſi querelam hereditate, debiti petitio ei, qui victus eſt, competit. n Non enim ſolviſſe ſibi ipſe pecuniam intelligi poteſt is, a quo hereditas evincitur. o Sed & pupillo, qui adverſus aditionem reſtitutionis auxilium imploraverit, actiones confuſas reſtitui placet. p Reſtitutaque hereditate, in ſuo ſtatu durant, quae vel heredi in defunctnm, vel defuncto in heredem competiiſſent actiones. q Hoc amplius ex Justiniani conſtitutione & creditoribus obligationes conſervantur, qui inven-

a *l. 21. ſi id quod. §. 1. D. de lib. leg.*
b *l. 75. ſicut. l. 95. Stichum. §. 2. aditio. de ſolut.*
c *l. 7. ſi debitori. C. de pact.*
d *l. pen. D. de ſolution.*
e *l. 3. D. de ſeparation.*
f *l. 71. Uranius. D. de fidejuſſ. l. 2. C. de ſolut.*
g *l. 58. deducta. D. ad SC. Trebell.*
h *l. 14. cum a matre. C. de rei vend.*
i *l. 6. ſi adulta. C. de heredit. act.*
k *l. 7. ſi ab eo. C. de neg. geſt. l. 50. debitori. D. de fidejuſſ.*
l *l. 2. §. 18. D. de hered. vend.*
m *l. 9. ſi ei cujus. D. comm. praed. l. 16. ſi cum emptore. D. de pact.*
n *l. 21. cum qui. §. ult. D. de inoff. l. 22. ſi maritus. C. eod.*
o *l. 95. Stichum. §. 8. ſi creditor. D. de ſolution.*
p *l. 87. cum bonis. §. ult. D. de acq. hered.*
q *l. 27. ita tamen. §. 11. ſi ex Trebelliano. l. 68. ſi heres. in fin. D. ad SC. Treb.*

(a) Tollit] Legi hic merentur elegantes meditationes *Joſephi Averanii* in *Interpp. Juris*, *lib.* II. *cap.* XI.

inventarin ſeu repertorio facto debitorum hereditatem adierint. [r] Plane ei, cui ut indigno hereditas aufertur, vel quod necem defuncti ultus non eſt, vel quod poſt aditam hereditatem ejus mortem non defendit, [s] vel quod in fraudem fiſci fidem accommodavit, ei confuſae aditione actiones non reſtituuntur. [t] Nec enim auxilium meretur, cui propter dolum delictumque ſuum hereditatis emolumentum extorquetur. [v] Unde ſi facti ignorantia deceptus necis defuncti vindictam defenſionemve omiſiſſet, non improbe confuſas ſibi reddi actiones integrarique jus debiti poſtularet. [x] Certe & qui coactus hereditatem adiit, quam alii reſtituere juſſus erat, aditione actiones ſuas amittit. [y] Confuſio autem ſolutionis exemplo [z] liberat, &, quod plus eſt, ſolutionis poteſtate. [a] Nam cum debitor creditori heres exiſtit, ratio inter heredem & hereditatem ponitur: eoque amplior & locupletior hereditas, quaſi ſoluta pecunia, quae debebatur, ad creditorem perveniſſe intellegitur. [b] Et vice verſa cum debitori ſuo creditor ſuccedit, minus in hereditate eſſe videtur, tamquam ipſa hereditas heredi ſolverit. Quae ratio efficit, ut in legis Falcidiae ratione ineunda, quae mortis tempore vel heredi defunctus, vel defuncto heres debuit, reputentur, [c] licet verum ſit aditione confuſas actiones. Etenim cum bonorum quantitas ad calculos illic revocetur, hujus quoque aeris rationem haberi conſentaneum eſt, ex quo vel augeri, vel imminui patrimonium intellegitur. Porro quae ex confuſione contingit liberatio, quia totam obligationis ſubvertit poteſtatem, acceſſoribus quoque & adpromiſſoribus quibuſcumque prodeſt, qui pro eodem apud eundem ex interceſſione obligari non poſſunt. [d] Sed enim ea tantum confuſio ſolidam obligationem tollit, quae inter creditorem & reum fit. Inter creditores enim & acceſſores facta confuſione, reus non liberatur, [e] ſed fidejuſſoria ſola obligatio, hereditaria manente, tollitur. Major enim obligatio minorem tollit: [f] quemadmodum ſervatur & cum fidejuſſor reo debendi heres exiſtit. Quotiens enim in eandem perſonam & principalis & fidejuſſoria confluit obligatio, a principali potentiore infirmior fidejuſſoria obligatio, quae acceſſionis locum obtinet, tollitur: [g] nec tamen quod in ſuam obligationem pignus dederat fidejuſſor, quamvis in rei ipſe locum juſque ſucceſſerit, liberatur. [h] Ex cauſa enim fidejuſſionis ſola civili ratione teneri deſiit, quae pignoris dationem non infirmat. Sed & ſi principalis obligatio naturalem tantum cauſam continet, fidejuſſoria durat, quamquam fidejuſſori reus heres extiterit, [i] quia tunc demum cum principali concurrens acceſſoria obligatio tollitur, quotiens utraque civilis eſt. Plane ſi utroque vinculo principalis obligatio ſuſtinetur, licet Praetorii juris auxilio per in integrum reſtitutionem infringi ea poſſit, non idcirco magis fidejuſſoris obligatio retinetur. Nec enim quod plenior fidejuſſoris obligatio eſt, rei infirmior, eo impeditur, quae juris ratione contingit, liberatio. Quo fit interdum, ut qui nullam propriam defenſionem habebat fidejuſſor, a reo heres relictus exceptione ſe tueatur, videlicet quia poſita interceſſoris perſona rei induerit perſonam, ex qua auxilium in integrum reſtitutionis implorare poteſt. [k] Porro duobus reis promittendi acceptis, ſi alteri eorum creditor heres exiſtat, non quaſi pecunia ſoluta tota obligatio tollitur, ſed confuſione obligationis perſona dumtaxat eximitur. [l] Ideoque alter manet obligatus, & cum eo vel in ſolidum, ſi nulla cum correo ſocietas interceſſerit: vel in partem, ſi ſocii fuerint, creditor recte aget. Ac per hoc nec mandatores, quique in eam obligationem dati erant fidejuſſores, liberantur: qui tamen, cum ſolutam pecuniam vel ab ipſo creditore, qui reo ſucceſſit, repetere poſſint, propterea quod eligendi arbitrium habent, exceptione doli petentem creditorem, quod ſolutum reſtituere mox cogi poſſit, [m] repellent. Quae exceptio ejuſdem pecuniae reo dari non poteſt, niſi in partem, ſi ſocii fuerint. Hoc enim caſu perinde omnia ſe habent, ac ſi viriles ſinguli promiſiſſent. [n] Et haec eſt Pauliani reſponſi [o] ſententia. Plane cum duo rei debendi, vel ſtipulandi invicem ſuccedunt, nulla confunditur obligatio, [p] quod utraque aequalis ſit & *ἰσόῤῥοπος*, nec dici poſſit, utra alteram magis tollat. [q] Itaque duas obligationis ſpecies hic reus ſuſtinebit, [r] quod non eſſe novum

r *l. ult. §. 9. C. de jure delib.*

s *l. 29. ejus qui. §. ult. D. de jure fiſ.*

t *l. 8. indigno. l. 17. heredem. l. 18. cum qui. §. 1. bonis. D. de his quae ut indign.*

v *l. 21. propter. §. 1. D. de SC. Silan.*

x *l. 17. heredem in fine. de his quae ut indign. d. l. propter. §. 1. in fin. D. de SC Silan.*

y *l. 59. debitor. D. ad SC. Trebell.*

z *l. 21. ſi id quod. §. 1. D. de lib. leg.*

a *l. 50. debitori creditor. l. 71. Uranius. D. de fidejuſſor.*

b *l. 41. ſi ei cui. §. 2. ſi is qui. D. de evction.*

c *l. 6. in imponenda. l. 8. irritum. C. ad l. Falc. l. 1. §. 18. ſi debitor. l. 87. qui fundum. §. 2. ſi quis heredem. D. eod.*

d *l. 34. qui hominem. §. 8. quidam de ſolut. l. 71. Uranius. D. de fidejuſſor.*

e *l. 43. in omnibus. D. de ſolut.*

f *l. 50. debitori creditor. D. de fidejuſſor.*

g *l. 93. ſi duo. in fin. D. de ſolut.*

h *l. 38. cum quis in fin. D. de ſolut.*

i *l. 21. heres. §. 2. quod ſi hic ſervus. D. de fidejuſſor.*

k *l. 95. Stichum. §. 3. quod vulgo. D. de ſolut.*

l *Arg. l. ult. D. de duobus reis.*

m *l. 8. dolo. D. de doli mali except*

n *l. 62. in lege Falcidia. D. ad leg. Falc.*

o *l. 71. Uranius. D. de fidejuſſ.*

p *l. 93. ſi duo rei. D. de ſolut.*

q *l. 5. generaliter. D. de fidejuſſor.*

r *l. 5. verſ. ſi reus ſtipulandi. D. de fidejuſſor.*

vum aliis quoque exemplis Ulpianus confirmat. [s] Et hae ſolae confuſionum ſpecies inveniuntur. Nunc ad oblationem.

s *l. 10. non eſt novum. D. de act. empt.*

DE OBSIGNATIONE.

Oblatione etiam atque obſignatione ejus quod debetur, liberari debitorem, obligationemque tolli dicimus. Utrumque autem non abs re conjungimus, cum non ſufficiat verbo tenus pecuniam offerri, niſi & conſignata deponatur. [a] Quo facto confeſtim debitor liberatur, aliter atque ſola oblatione fiat, qua non protinus, ſed ita demum, ſi res poſtea ſine dolo malo debitoris amiſſa deperditave fuerit, liberatio contingit. Et hoc quidem caſu, ſi ex judiciis bonae fidei, quibus exceptio doli ineſt, res debeatur, ipſo jure actio [b] tollitur, recteque intenditur, poſtea petentem nullam omnino habere actionem. In ſtrictis vero judiciis exceptione opus eſt, quae ſummo jure utiliter agentem creditorem aequitate defenſionis ſubmoveat. [c] Utique autem poſt legitimam oblationem ſecutus rei promiſſae interitus debitori liberationem adfert, quamquam aliquando interpellatus non ſolviſſet. Nec enim per eum jam ſtetiſſe videtur, qui obtulit, & vel ante commiſſam moram oblatione purgari atque in creditorem transferri auctorum ſententiis comprobatum eſt, [d] ſive ipſo debitore, ſive alio quolibet ejus nomine offerente accipere creditor recuſavit: ut enim alterius ſolutionem, ita & oblationem & abſenti & ignoranti prodeſſe conſtat. [e] Verum enimvero fruſtrandi animo a creditore recuſatam eſſe pecuniam neceſſe eſt. Unde cum velut alia die accepturus creditor diſtuliſſe proponeretur, mox e Republica pecunia tamquam aeroſa ſublata eſſet, periculo creditoris non futuram eam rem Scaevola reſpondit. [f] Sola ſane debitae quantitatis oblatio uſurarum curſum non retardat, ideoque oblationem obſignationi jungi ſemper reperias, [g] quotiens de inhibendo uſurarum curſu agitur. Nec refragatur Imperatorum reſcriptum, [h] quo continetur, cum ita conveniſſet, ut ſi ad diem uſurae non ſolverentur, majores praeſtarentur: ſi creditor minores uſuras ſibi oblatas accipere noluerit, uſurarum non augeri quantitatem. Non enim uſuras minores, in obligationem deductas, deberi negat, quarum curſus ex ſola oblatione ſortis non potuit retardari. Majores ex ſtipulatione ideo peti poſſe negat, quod obligationis condicio defecerit, cum per creditorem factum ſit, quo minus uſurae minores ſolverentur. Certiſſima enim juris regula eſt, pro facto haberi id, quod ne fiat, impedimento eſt is, cui debetur. [i] Plane nec pigneraticia actio debitori ex oblatione ſola adquiritur, ſed conſignatum eſſe oportet id, quod debetur, [k] quia ſuas condiciones habet pigneraticia, ſi ſolutum ſit, vel ſatisfactum, quibus ceſſantibus inſtitui non poteſt. [l] Solutionis autem vim nuda oblatio non habet, niſi & eam obſignatio ſequatur. Et ideo quod edicto perpetuo comprehenſum erat, ut ſoluto debito, vel ſi per creditorem factum eſſet, quominus ſolveretur, pigneraticia actio competeret, ſic per interpretationem acceptum eſt, ut offerri creditori pecuniam, & eo non accipiente deponi opporteret. [m] Quamquam in jure facta oblatio pigneraticiam actionem inſtitutam confirmat. [n] Quod vero Paulus (*a*) ſcripſit, [o] ſi debitor offerret pecuniam, quae peteretur, creditor nollet accipere, praetorem ei denegare actionem, ſic eſt accipiendum, ut ſi poſt oblatam pecuniam debitam creditor porro petere pergat, praetor, cujus officio continetur dare, vel denegare actiones, [p] quique lites reſecare ſtudet, [q] eum amplius non audiat. Unde dubitatum eſt, quid ſtatuendum ſit, ſi procuratore petente reus offerat. Nam certe iniquum eſt, cogi reum judicium accipere, utcunque ſuſpicione non careat, qui domino litis non obtulerit. Itaque in aede ſacra deponi pecuniam placuit, [r] ut in pupillaribus pecuniis fieri ſolet. [s] Enimvero aequum non eſt, eum, qui ſine

a *l. 28. tutor pro pupillo. tu ſia. D. de adm. tut. l. 7. ſi a te. C. de poſt. int. empt. l. 12. invicem. C. de compenſ.*
b *l. 36. in bona. D. de pecul. l. 84. hujuſmodi. §. 5. qui ſervum. D. de leg. 1.*
c *l. 72. qui decem. D. de ſolut. l. 71. interdum. §. ult. D. de verbor. oblig.*
d *l. 17. illud. D. de pericul. & comm. d. l. 71. interdum §. ult. D. de V. O.*
e *l. 72. qui decem. §. 2. D. de ſolut. l. 6. eam & poſtliminii. C. de poſtlim. reverſ.*
f *l. 102. creditor. D. de ſolut.*
g *l. 1. §. ult. l. 7. debitor. l. 41. tutor. §. 1. Lucius. D. de uſur. l. 28. tutor pro pupillo. §. ult. D. de admin. tut.*
h *l. 9. ſi per te. C. de uſur.*
i *l. 161. in jure civili. D. de regul. jur. l. 85. in executione. §. ult. D. de verb. obl.*
k *l. 10. nec creditores. l. ult. C. de pign. act. l. 12. invicem. C. de compenſa.*
l *l. 9. ſi rem. §. 3. omnis. D. de pign. act.*
m *l. ult. C. de luition. pign. l. ult. C. de pign act. l. 20. aliena. §. 2. D. eod.*
n *l. 9. ſi rem. §. ult. D. de pign. act.*
o *l. 30. ſi debitor. D. de ſolut.*
p *l. 27. veluti. D. de verb. obl.*
q *l. 21. quidam. D. ſi cer. pet. l. 1. §. 10. inde quaeritur. D. de nov. op. nunc.*
r *l. 73. ſi reus. D. de proc.*
s *l. 7. ait praetor. §. 2. D. de minor. l. 64. fidejuſſor. D. de fidejuſſor.*

(*a*) Paulus] Auctor *L. 30. D. de ſolut.* Ulpianus eſſe dicitur in Inſcriptione.

Digitized by Google

ſine judice ſolvere paratus eſt, hoc nomine judicio adſtringi, quod plus adverſarius ejus per judicem ſit conſecuturus. t Hacc cum ſola oblatio interceſſit. Ceterum ſi eam ſollemnis depoſitio ſecuta eſt, protinus debitor liberabitur, nec expectandum erit, ut res pereat. Deponebantur vero ſignatae res interdum apud acta, vel officium, v interdum etiam in χειμηλιαρχίῳ, x vel alio publico loco, y quandoque & apud virum aliquem bonum, z judicis arbitratu; ut plurimum autem apud aedem ſacram. a Cicero *ad Attic.* b *Graecis poſtulantibus, ut in fano deponerent, non conceſſi.* Quod ex antiquis moribus fluxiſſe puto, quibus pecuniae ſacro commendari ſolebant, quaſi tutiore loco eſſe non poſſent. Cujus rei exempla ex Graecis nobis idem Cicero in *libris de legibus* c ſuppeditat. Argumentoque eſt, quod a noſtris agitatum videmus, rebus privatorum, in aedem ſacram depoſitis, ſubreptis, furtine, an ſacrilegii ſit actio. (*a*) d Et quod Herodianus ſcribit, e in illo incendio, quo templum Pacis Romae conflagravit, magnam factam pecuniarum, quae illic depoſitae erant, jacturam. Πλουσιώτατον δ' ἦν, ait, πάντων ἱερῶν δι' ἀσφάλειαν, ἀναθήμασι κεκοσμημένον χρυσοῦ τε καὶ ἀργύρου. Ἕκαστος δὲ, ἃ εἶχεν, ἐκεῖσε ἐθησαύριζεν. ἀλλὰ τὸ πῦρ ἐκ τῆς νυκτὸς πολλοὺς ἐκ πλουσίων πένητας ἐποίησεν. *Erat autem templorum omnium opulentiſſimum, egregieque munitum, multoque ornatum auro & argento. Quippe univerſi ferme ſuas illic divitias, quaſi in theſaurum congerebant, ideoque per noctem debacchatus ignis multos ex opulentis egenos reddidit.* Quae vero deponebantur pecuniae, eae in ſacculo conſignabantur, f ſignis, ut ego quidem ſentio, privatis; non, quod quidam ſomniant, publicis. Quorum opinionem praeter varios Pandectarum locos, g etiam illud Ciceronis in *Verrem* h ſatis refellit: *Ipſe in tabellas refert, obſignat ſignis amicorum.* Et *pro Quintio cap.* 6. *Tabulae maxime ſignis hominum nobilium conſignantur;* Plutarchus in *Tib. Graccho pag.* 829. Τοῦ δὲ τοῦ Κρόνου ναοῦ σφραγῖδας ἰδίας ἐπέβαλεν, ὅπως οἱ Ταμίαι (*al.* Ἰαμίαι) μηδὲν ἐξ αὐτοῦ λαμβάνωσιν. *Templum Saturni annulo ſuo conſignavit, ne quid Quaeſtores exinde ſumerent.* Atque ea ſigna anulis imprimebantur, i quibus veteres non ornatus cauſa, ſed ſignandi uſos Macrobius ex Attejo Capitone ſcribit, k plurimusque erat eorum in teſtamentis, l epiſtolis, tabulis, ceterisque, prout res exigebat, obſignandis m uſus.

Obſignationem autem legitimo modo, &, ut Diocletianus loquitur, o ſollemniter fieri neceſſe eſt. In quo illud primum videndum eſt, ut teſtato pecuniam creditori opportuno loco & tempore creditor offerat, & eo recuſante, obſignatam apud aedituum, vel tabularium, vel alium quemlibet judicis juſſu deponat. o Nec enim obſignatio aliter utilis eſt, quam ſi eam oblatio praeceſſerit, p niſi ſi offerri non poſſit, vel quod peregre abſit, vel quod ſui copiam creditor non faciat: qua in ſpecie ſolam conſignationem judice adito ſufficere receptum eſt. q Minus vero opportuno tempore, r vel alio, quam quo ſolvi recte poſſit, loco, s vel juſtis occupationibus diſtricto creditori t facta oblatio, nullas vires habet. Valebit certe ſi non multo poſt diem ſolutioni adjectum facta ſit, cum nihil propter moram creditoris intereſſet. v Ante diem vero, creditoris aeque ac promiſſoris gratia adjectum, fruſtra pecuniam offerri, omnes ad unum interpretes ſentiunt. Eoque Scaevolam (*b*) x motum; credunt, quem ego praeterea etiam loci rationem habuiſſe exiſtimo. Ut enim alio loco, quam in quem promiſſum eſt, invito ſtipulatori ſolvi non poteſt, y ita & alibi facta oblatio, quam ubi ſolvi debebat, nihil impedit, quominus in loco praeſtituto ſua die petatur. Plane uſurarium debitum ante diem ſolutioni praeſtitutum ſolvi non poſſe, quod interpretum ſententiae conſequens eſt, haud ſcio an aequus judex probaverit, cum nec jure cautum ſit, & in contrarium regula illa faciat, quae indiſtincte diei dilationem pro reo eſſe definit. z

Ce-

t *l.* 16. *ex judicat.* D. *judic. ſolut.*

v *l.* 7. *ſi fidejuſſor. in fin.* D. *qui ſatiſd. cog.*

x *l.* 20. *litibus.* § 1. *de agric. & cenſit. lib.* XI. C. *l. ult.* § 1. C. *de bon. auct. jud. poſſ.*

y *l.* 19. *acceptam* C. *de uſur. l.* 64. *fidejuſſor qui.* D. *de fidejuſſor.*

z *l. ult.* D. *de tab. exh.*

a *l.* 73. *ſi reus. in fin.* D. *de procur. l.* 7. *niſi praetor.* § 2. D. *de minor. l.* 4. D. *de ſtatulib. l.* 1. § 36. *ſi pecuniam.* D. *depoſ. l.* 1. § 2. *ſin autem ſocius.* C. *de com. ſervo manum.*

b *Lib.* 5. *Epiſt. ult.*

c *lib.* 2. *de leg. cap* 16.

d *l.* 5. D *ad leg. Jul. pec.*

e *Lib.* 1. *hiſt. cap.* 44.

f *l. ult.* D. *de lege commiſſ. l.* 4. *cum heres.* D. *de ſtatulib. l.* 1. § 36. *ſi pecunia.* D. *depoſ. l.* 39. *ſi ſolutmus.* D. *de ſolut.*

g *l.* 11. *videamus.* § 3. *qui vinum.* D. *loca. l.* 1. § 36. *ſi pecun.* D. *depoſ.*

h *Action.* 7. *ſ. Accuſ. lib.* V. *cap.* 39.

i *l.* 25. *argumento.* § 10. *ornamentu.* D. *de aur. arg. leg. l.* 74 *ſignatorius.* D. *de verb. ſign.*

k *Lib.* 7. *cap.* 13.

l *l.* 22. *ad teſtium.* § 5. *ſignum.* D. *qui teſtam. fac. poſſ.*

m *l.* 11. *videamus* § *pen.* D. *locat.*

n *l.* 9. *obſignatione.* C. *de ſolut. l.* 10. *nec creditores. in fin.* C. *de pign. act.*

o *l.* 6. C. *de uſur.*

p *l.* 2. C. *de uſur.*

q *l.* 19. *acceptum.* C. *de uſur.*

r *l.* 39. *ſi ſoluturus.* D. *de ſolut.*

s *l.* 9. *obſignatione.* C. *de ſolut.*

t *l.* 23. *Celſus.* § 1. D. *de recept. qui arbit.*

v *l.* 135. *ſi ita quis.* § 2. *Sejan.* D. *de verb. obl. l.* 17. *ſed & ſi alia.* D. *de conſtit. pec.*

x *In l.* 122. *qui Romae.* D. *de verbor. obl.*

y *l.* 1. D. *de eo quod cer. loc.*

z *l.* 17. *cum tempus.* D. *de reg. jur. l.* 70. *quod in diem.* D. *de ſolut.*

(*a*) Actio] Confer de hac quaeſtione *Jac. Cujacii Obſervatt. lib.* XIII. *cap.* 19. & *Cornelii van Bynkersboek Obſervatt. lib.* 1. *cap.* 8.

(*b*) Scaevolam] *L.* 122. *D. de V. O.* Papinianum auctorem agnoſcit ſecundum Inſcriptionem.

Ceterum iis tantum pecunia recte offertur, quibus & utiliter ſolvetur. Itaque cum minore xxv. annis, qui curatorem non habet, pecunia offertur, ne vel uſuris ultra debitor oneretur, vel creditor minor pecuniam perdat, e re utriuſque inſtitutum eſt, ut in loco publico conſignata deponeretur. [a] Praeterea tota pecunia offerenda eſt. Minore enim pecunia, quam deberetur, oblata obſignataque, cum creditor totum accipere paratus eſſet, non inhiberi uſurarum curſum MODESTINUS reſpondit. [b] Nam particulatim pecuniam debitam, de qua controverſia non eſt, accipere non cogi creditorem, licet plerique diſſentiant, veriſſimum eſt. [c] Hoc amplius durare obſignatio debet, & in eadem cauſa manere: pro non depoſita enim habetur ea pecunia, quam poſtea debitor repetierit. [d] Atque hoc modo facta obſignatio debitorem haud aliter, atque ſi ſolviſſet, liberat: ut quicumque poſtea caſus inciderit, ſecurus debitor in portu naviget. Uſurarum etiam in poſterum curſum ſiſtit, [e] pignorumque in eam cauſam datorum perſecutionem, [f] & venditionem inhibet, & ex diverſo debitori eorum repetitionem tribuit. [g] Etiam illud adjunge fidejuſſori poſt oblatum debitum & conſignatum, non ſecus ac ſolutum, mandati confeſtim competere actionem. [h] Extantem ſane pecuniam petere a depoſitario creditori non prohibebitur. [i] Quinetiam quemadmodum debitor poſt moram ſolutione factam offerens purgat moram, ita & recuſatam prius a ſe pecuniam, ſi creditor accipere paratus ſit, debitor non det, uſurarum ratio ex eo die habebitur, ſiquidem uſurarium debitum fuit. [k] Idque ex eo pendet, quod vulgo dicitur, Ultimam moram nocere. [l]

a *l. 7. ait praetor. §. 2.* D. *de minor. l. 64. fidejuſſor. quib.* D. *de fidejuſſ.*
b *l. 41. tutor. §. 1. Lucius.* D. *de uſur.*
c *Tractatur in l. 21. quidam.* D. *ſi cer. pet.*
d *l. 1. C. qui pot. in pign. l. 8. ſi priuſquam. C. de diſtr. pign.*
e *l. 7. debitor.* D. *de uſur.*
f *l. 19. acceptam. C. de uſur.*
g *l. 11. ſolutum. in fin.* D. *de pign. act. l. ult. C. eod.*
h *l. 56. qui mutuam. §. 1.* D. *mandat. l. 64. fidejuſſor. quib.* D. *de fidejuſſ.*
i *d. l. 19. acceptam. C. de uſur.*
k *l. 7. debit.* D. *de uſur.*
l *l. 17. illud.* D. *de pericul. & comm.*

DE INTERITU REI ANTE MORAM.

Eſt & illa liberationis ſpecies, ſi res promiſſa abſque mora, culpa, factove debitoris intereat. [a] Quo genere naturaliter obligationem reſolvi noſtri tradunt, [b] cum hoc naturali facto contingat, quod naturalis quoque praeſtationis loco habeatur. [c] Proinde ſi ſpecies in ſtipulatum deducta, antequam dies vel condicio ſtipulationis extitiſſet, fato mortalitateque perierit, deſinet promiſſor teneri. [d] Similique modo qui certos nummos, veluti qui in arca ſunt, promiſit, iis ſine culpa ſua deperditis, liberabitur, [e] quoniam pecuniae non genus, ſed certo loco concluſam quantitatem promiſerit, quae cujuſlibet corporis exemplo aeſtimanda eſt. [f] Alioquin ſi incerti nummi obligatione contineantur, nullo caſu debitor liberari poteſt, [g] qui eos ipſos, qui perierint, nummos promiſiſſe non videtur. Idemque in omnibus, quae non in corpore, ſed in quantitate conſiſtunt, [h] dicendum eſt, quae quod functionem in ſuo genere, permutationemque recipiant, [i] certo corpore non conſtringuntur, cujus interitu poſſit dici eorum extincta obligatio. Sed hoc in pecunia numerata ita ſervatur, ſi non ejus periculum in ſe creditor ſuſceperit. Contractus enim ex conventione legem accipere ſcitum eſt. [k] Idque in nautica pecunia, quam trajectiam appellamus, fieri ſolebat, [l] quo nomine & majus centeſima foenus ante Juſtiniani conſtitutionem creditori ſtipulari licebat. [m] Porro & qui illam aut illam rem promiſit, altera extincta, non eo magis liberatur, quod eligendi, utram praeſtaret, liberum arbitrium habebat: ſed quae ſupereſt, in obligatione manet, [n] ſi modo non eam ipſam, quae periit, offerente eo, accipere creditor ante recuſaſſet. Pro ſoluto enim id accipitur, quod poſt moram a creditore in accipiendo factam periit. [o] Bene autem illud exigimus, ut abſque facto, culpa, mora debitoris res interierit. Nam ſi vel ipſe occiderit, vel culpa ejus morti cauſam praebuerit, vel per eum ſteterit, quominus daret, periculum ad eum pertinet. [p] Fruſtratori quippe & moroſo, ut & furi, ſimilibuſque perſonis, [q] omnes in re debita contingentes caſus adſcribuntur. Quod tamen adhibita cautione ita temperandum cenſuit *Martinus*, ut ſi eo caſu interierit res, qui omnino incidiſſet, etſi res creditori praeſtita fuiſſet, nihilominus debitor liberetur, quamquam interpellatus non dederit. [r] Quod non eſſe extra aequitatem poſitum non negaverim, licet in contrariam *Joannis* ſententiam frequentes interpre-

a *l. 92. ſi mihi.* D. *de ſol.*
b *l. penult.* D. *de ſolut.*
c *l. 5. cum emptor. §. 2. mortuo.* D. *de reſc. vend.*
d *l. 33. ſi Stichus.* D. *de verb. obl.*
e *l. 37. ſi certos.* D. *de verb. obl.*
f *l. 34. plane. §. 4.* D. *de leg. 1. l. 30. in ratione. §. 4.* D. *ad l. Falcid.*
g *l. 11. incendium. C. ſi cert. pet.*
h *d. l. 30. in ration. §. 4. ad l. Falcid.*
i *l. 2. §. 1. mutui.* D. *ſi cert. pet.*
k *l. 23. contractus.* D. *de regul. jur.*
l *l. 1. l. 3. in nautica.* D. *de nautic. foen.*
m *l. 26. eos. §. 1. C. de uſur. Paulus lib. 2. Sent. tit. 14. de uſur. §. 3.*
n *l. 2. §. 3.* D. *quod cert. loc. l. 34. ſi in empt. §. penult.* D. *de contrah. empt.*
o *l. 105. ſtipulatus ſum Damam.* D. *de verb. obl.*
p *l. 23. ſi ex legati. l. 91. ſi ſervum. l. 82. nemo. in fin.* D. *de ver. obl. l. 5. quod te.* D. *ſi cert. pet.*
q *l. 6. ſubtract. C. de furtis. l. 19. merito.* D. *de vi & vi ar. l. ult.* D. *de condict. furt.*
r *l. 14. ſi plures. §. ult.* D. *depoſ. l. 14. ſi cum exceptione. §.* D. *quod met. cauſ. l. 15. item ſi verberatum. §. ult.* D. *de rei vend.*

pretes eant. Cum vero poſt moram res interiit, quia per rerum naturam impoſſibilis ipſius corporis praeſtatio eſt, & ſuam tamen moram debitori nocere ratio poſtulat, in aeſtimationem condemnatio fiet. s Verum ita periculo debitorem onerat mora, ſi non ea legitimis modis purgata fuerit. Nam qui rem promiſſam obtulit, t vel ſtipulanti creditori novandi cauſa ſpopondit, v ea poſtea perempta liberatur, licet ante moram fecerit. Sed & ſi merentem ſervum, puta in facinore deprehenſum, promiſſor occiderit, nihil in obligationem peccat, & ante moram, & inculpatum id factum eſt. x Itaque qui Stichum aut Pamphilum promiſit, ſi alterum juſta de cauſa occiderit, altero poſtea nulla ejus mora interveniente mortuo, liberabitur: quoniam quo tempore is moritur, nihil in ſtipulationem committit, qui vel alium eligere potuit. y Quod ſi ſine juſta cauſa occiderit, ne impunitum ſit maleficium, z merito in eum de dolo actio deſiderabitur. Ab alio ſane re debita occiſa, etiam ſi a fidejuſſore, debitorem liberari exploratum eſt. a Nec promiſſori quicquam nocet, quod Stichum promiſſum ante moram manumiſerit, ſi is, priuſquam ſuper eo interpellaretur, deceſſerit. b Non tam enim facto ejus, quam fato ipſo ſtipulatori homo ereptus eſt. Diverſum merito probatum eſt in eo, qui rem penes ſe depoſitam vendidit, eamque poenitentia ductus poſt revocavit. c Dolo enim fecit, qui rem ſuae creditam fidei, ſuae mandatam cuſtodiae, alienavit, nec dolus purgatur poenitentia: d denique nec ſecutus caſus eum, qui dolo fecit, liberat. e Quod idem de eo dici non poteſt, qui ſervum ſuum, nulla adhuc mora facta, manumiſit, cum jure ſuo uſus ſit, f nec in ſpeciem delicti ea res cadat. Atque haec leviter attingere, quantum ad rem noſtram faciebant, volui. Plenior vero eorum cognitio ex his, quae de mora ſuis locis tractantur, petenda eſt.

s *l. 39. cum ſervus. §. 1. in uſurarum. D. de leg. 1. l. 8. in re furtiva condictio. §. 1. D. de cond. furt.*
t *l. 73. interdum. §. ult. D. de verb. obl.*
v *l. 72. qui decem. §. 1. D. de ſolut.*
x *l. 96. qui ſervum. D. de verb. obl. l. 53. quod ergo. §. 3. ſi heres. D. de legat. 1.*
y *l. 95. Stichum. §. 1. D. de ſolut.*
z *l. 51. ita vulneratus. D. ad legem Aquil.*
a *l. 19. ſi fidejuſſor. D. de dolo. l. 88. mora. in fin. D. de verb. oblig.*
b *l. 45. is qui ex ſtipulatu. D. de oblig. & act.*
c *l. 1. §. 25. ſi rem D. depoſ.*
d *Arg. l. 65. qui ea mente. D. de furt.*
e *l. 16. ſi heres. D. de noxal. act.*
f *Arg. l. 155. §. 2. non videtur. D. de regul. jur.*

DE EXEMPTIONE A COMMERCIO.

Superiori ſpeciei haec quoque perſimilis eſt, & eaſdem vires habet, ſi res promiſſa citra moram, culpam, factumve debitoris commercio ſubducatur. a Ut enim in his rebus ab initio obligatio non contrahitur, quarum commercium non eſt, b ita & cum in eam cauſam conditionemque ex poſt facto recidit, neceſſario ſolvitur: quia dari jam res non poteſt, promiſſorque non aliter, atque ſi rebus humanis mortalitate res ſubtracta eſſet, deſinit teneri. Nam quod pro regula traditur, c ea, quae ſemel utiliter conſtituta ſunt, durare, licet ille caſus extiterit, a quo incipere non poſſint, eo pertinet, ut re ſemel perfecta, nihil officiat in perſona efficienteve cauſa poſtea contingens vitium. d Quod ſi ſuperveniens caſus vim effectumque negotii penitus tollat, aut etiam rem ipſam ſubtrahat, quemadmodum incipere non potuit re ita conſtituta, ita nec remanebit obligatio. e Quod accidit, cum res ex hominum commercio eximitur. Dari enim ea jam non poteſt, f ac ne pretium quidem praeſtari, quando nec res ſacra g vel liberum corpus h recipiat aeſtimationem, neque pecunia reparetur. Ea porro tantum in obligatione conſiſtunt, quae vel uſibus ſubjici, dominioque noſtro poſſunt, vel pecunia lui. i Unde & nihil agit, qui ſecus ſtipulatur: & qui rem prophanam, vel Stichum ſervum promiſerit, liberatur, ſi ſine facto ejus ſacra religioſave res facta, k vel Stichus a domino manumiſſus, l aut ad libertatem pro praemio perductus fuerit. m Aliter, atque ſi res promiſſa ab hoſtibus capta ſit. Hic enim in ſuſpenſo eſt, non etiam extinguitur obligatio, n propterea quod ſpes ſit, fore, ut ea quandoque redeat. o Quae ſpes facit, ut legari etiam ea res p & venire q poſſit. Ceterum ut planiora fiant omnia, adhibenda eſt Juliani, quam Paulus probat, diſtinctio, r ut ſi quidem promiſſoris fuerit ſervus tempore ſtipulationis, & poſtea is manumiſſus ſit, promiſſor teneatur, cui non eſt concedendum, ut facto ſuo obligationem ſuam tollat: Quod ſi alienus fuerit, non teneatur, niſi, poſtquam ſolutionem moratus ſit, tale quid contigerit. Nec enim ei, qui Stichum interpellatus non dedit, prodeſſe debet, quod is a domino poſtea manumiſſus

a *l. 92. ſi mihi alienum. D. de ſol. l. 46. inter. D. de furt.*
b *§. 2. Inſt. de inutil. ſtip. §. ult. Inſtit. de empt. & vend.*
c *l. 85. in ambiguis. §. 1. D. de regul. jur.*
d *l. 18. is cui. D. de teſtament. l. 8. patre furioſo. D. de his, qui ſui vel al. jur. l. 1. § 9. ſi quis autem. D. de bonor. poſſ. ſecund. tab.*
e *l. 71. Uranius. D. de fidejuſſ.*
f *l. 103. liber homo. D. de verb. obl. l. 9. §. pen. D. de ſtatulib.*
g *l. 8. ſanctum. in fin. D. de rer. diviſ. l. 39. cum ſervus. §. 9. de leg. 1.*
h *l. 3. D. ſi quadrup. paup. fec.*
i *l. 9. §. 2. illud. D. de ſtatulib. l. 83. inter ſtipulantem. §. 5. ſacram. D. de verb. obl.*
k *d. l. 83. inter ſtipulantem. §. 5. ſacrum. D. de V. O.*
l *l. 92. ſi mihi alienum. D. de ſolut. l. 51. is qui alienum. D. de verb. obl. l. 35. ſi alienum. D. de legat. 1.*
m *l. 3. §. 13. ſi ex ſtipulatu. D. ad SC. Silan.*
n *l. 98. qui res. §. 8. aream. D. de ſolut.*
o *l. 22. item Labeo. §. ult. cum l. ſeq. D. famil. erciſc.*
p *l. 9. id quod. D. de legat. 1.*
q *l. ult. D. de act. empt.*
r *l. 91. ſi ſervum. §. 1. D. de verbor. obligat.*

 eſt,

eſt, quem habere licuiſſet, ſi in tempore ſolutus eſſet. Plane ſi ſervus promiſſus a debitore manumiſſus, antequam in eo ſolvendo moram feciſſet, deceſſerit, nihilominus liberabitur debitor, [s] quoniam per eum factum non ſit, quominus ſtipulator habeat. Nec tam manumiſſio, quam mortalitas ipſa eum obligatione ſubtraxit. Deceſſiſſet enim utique, etſi manumiſſus non fuiſſet. Ex hac cauſa ita extinguitur obligatio, ut ne revocetur quidem, ſi rurſus aliquo modo in commercium res redeat, [t] veluti ſi res ſacra prophana eſſe coeperit, vel liber homo in ſervitutem reciderit. In totum enim ſublata ſemel obligatio amplius exſuſcitari reſtituique non poteſt. [v] Quod PAULUS contra CELSI ſententiam, cujus etiamnum in Pandectis quaedam veſtigia [x] relicta ſunt, obtinuiſſe ſcribit. Servo vero manumiſſo non recte ille caſus comparatur, ſi aliena area promiſſa eſt, & in ea dominus aedificium poſuit. Quippe adhuc area extat, nec eſſe deſiit, quamquam aedificium ſuſtineat. Itaque ejus aeſtimatio recte petetur. [y]

s *l. 45. is qui ex ſtipulatu. D. de oblig. & act.*
t *l. 83. inter ſtipulantem. §. 5. ſacram. D. de verb. oblig.*
v *l. 98. qui res. §. 8. aream. D. de ſolut.*
x *l. 79. ſi bovis. in fin. D. de leg. III.*
y *d. §. 8. aream. l. 98. D. de ſolut.*

DE COMPENSATIONE.

Pertinet ad hanc partem Compenſatio, qua ipſo jure, debitor aeque ac ſolutione liberatur (*a*). Solvere enim videtur, qui compenſat, [a] etiamſi de implenda condicione agatur, [b] in qua a propria verborum ſignificatione, niſi duce voluntate, recedi non ſolet. [c] Adeo autem pro ſoluto habetur, quod compenſari poteſt, [d] ut ejus pecuniae, quae compenſationis ratione non habita ſoluta eſt, tamquam indebitae, condictio, [e] pignoriſque in eam cauſam dati, quae compenſatione ſummoveri poſſit, repetitio [f] competat: ſed nec ejus quantitatis, cujus petitionem ratio compenſationis excludit, uſurae peti poſſint [g] Ideoque ſi alter gratuitam, alter ſub uſuris pecuniam debeat, concurrentis utrinque quantitatis uſura non praeſtabitur: [h] & quamquam ſub diverſis uſuris debeatur, ejus tamen, quae ultro citroque debebitur, ſortis compenſatione facta, eatenus uſurarum curſus impedietur. [i] Quibus conſequens eſt, ut & ab initio minus peti debeat, quatenus compenſatio objecta detrahat. [k] Nec intereſt, qua ex cauſa debeatur. Hoc enim jure poſt JUSTINIANI conſtitutionem utimur, ut tam in ſtrictis, quam bonae fidei judiciis ipſo jure compenſatio fiat: quae antea ipſo jure in his dumtaxat; in illis oppoſita doli exceptione ex D. MARCI reſcripto (*b*) inducebatur: [l] quemadmodum & in omni fere jure, quae in ſtrictis per doli exceptionem, & in bonae fidei judiciis ipſo jure fiunt, [m] propterea quod illis, ut antea attigimus, doli exceptio continetur. [n] Hodie (*c*) eo ventum eſt, ut ne oppoſita quidem compenſationis exceptio ſolutionem debiti moretur, niſi principalis reſcripti auxilium accedat. [o]

Compenſatione utuntur, quicumque obligatum ſibi habent eum, qui petit. Plane fidejuſſores a reo conventi, non tantum, quod ſibi, verum

a *l. 4. D. qui potior. in pign. l. 19. vel permutavit. D. de lib. cauſ.*
b *l. 20 ſi peculium. §. 2. D. de ſtatulib.*
c *l. 44. qui heredi. l. 19. in condicionibus. D. de cond. & dem.*
d *l. 4 C. de compenſ.*
e *l. 10. ſi ambo. § 1. D. de compenſat l. 5. quod dicitur. §. penult. D. de impenſ. in res dot.*
f *l. 12. invicem. C. de compenſ.*
g *l. 7. C. de ſolut.*
h *l. 11. cum alter D. de compenſ. l. 4. C. eod.*
i *l. 12. idem. in fin. D. eod.*
k *l. 21. poſtea quam. D. de compenſat.*
l *§. 30. in bonae. Inſtit. de action.*
m *l. 21. ſed ſi ideo. in fin. D. ſol. matr. l. 72. qui decem. D. de ſol. l. 28. praedia. D. de act. empt.*
n *l. 36. in bonae. D. de pecul. l. 84. hujuſmodi. §. 5. qui ſervum. D. de leg. 1.*
o *Boer. in comment. conſuet. Bitur. tit. de juriſdict. §. 8.*

(*a*) LIBERATUR] Originem habet ex naturali aequitate: eſt enim compenſatio nihil aliud niſi ſolutio mutua brevi manu facta, juxta regulam notiſſimam: quae poſſunt fieri per pauca, non debent fieri per plura.

(*b*) RESCRIPTO] Ante D. MARCI tempora ergo Compenſatio in ſtricti juris judiciis plane locum non habebat, ſed quilibet debitum ſuum peculiari actione perſequi debebat. Quum enim ſtricti juris judicia mutuas praeſtationes non admitterent, judex formula adſtrictus non poterat rationem habere debiti ex alia cauſa orti. Ex reſcripto vero D. MARCI oppoſita doli exceptio efficiebat, ut judex ſimul de mutuo debito cognoſcere poſſet: nam dolo facit, qui petit, quod redditurus eſt, juxta *L. 8 D. de doli mali except.* Aſt in judiciis bonae fidei, quae mutuas praeſtationes admittebant, ipſa judicii formula operabatur, ut judex mutui debiti, ex eadem cauſa orti, rationem habere deberet. Sed ob formulae laxitatem, urgente aequitate naturali, fortaſſis etiam debiti ex alia cauſa orti rationem habere poterat: id quod tamen fortaſſis ante JUSTINIANI Conſtitutionem non adeo certum & expeditum fuit. Vide *Ant Schultingii Juriſpr. antejuſt. pag.* 274.

(*c*) HODIE] Auctor loquitur de praxi Galliae: in Germania enim & Belgio ſequimur hac in parte Jus Romanum.

rum etiam qnod reo debetur, recte compenſant. [p] Nec enim in majorem quantitatem, quam reus condemnari poſſit, tenentur, [q] & eis eaedem, quae & reo, exceptiones proſunt. [r] Abſentis etiam defenſor ejus, quod invicem ab actore abſenti debetur, compenſatiuncm objicere poteſt: nec neceſſe habebit de rato cavere, cum nihil petere ipſe, ſed hoc minus ab initio ab eo peti intellegatur. [s] Alioquin nec alius, quam cui debetur, compenſatione uti, nec quod alii, quam ei, qui convenitur, debet, compenſare creditor cogitur [t] Proinde ſi cum filiofam. agatur, ita ille, quod patri debetur, compenſare poterit, [v] ſi caverit, Amplius non peti, ne a patre poſtea creditor appelletur, cujus actionem ſine mandato exigens filius non conſumpſit. In rem utique ſuam datus procurator poſt litis conteſtationem, ejus debiti nomine, cujus ei mandatae ſunt actiones, ſi vice mutua conveniatur, compenſationem habebit. [x] Hoc enim lex nominatim addit: *poſt litis conteſtationem*. Credo, quia litis conteſtatione res procuratoris fit, [y] eamque deinceps ſuo nomine, quaſi delegatione in ſe tranſlata, [z] exequitur. Itaque & propriam cauſam perſequi dicitur, [a] nimirum cujus emolumentum & damnum ad eum ſuo nomine pertinet; quique per omnia domini loco eſt. [b] Unus ex duobus reis quod alteri ſtipulator debet, compenſare, niſi ſocii ſint, non poteſt. [c] Bonorum plane ſocietas efficit, ut unius perſonae vice omninodo fungantur; [d] ut quod alter pactus fuerit, alteri proſit, alterumque relevet, quod alteri debetur. [e] Secundum haec ſi quod pupillo debetur, tutor petat, ejus, quod ipſe ei, quocum agit, debet, compenſationem non patietur. [f] Ejus vero aeris, quod ipſe pupillus debeat, compenſatio petenti tutori utiliter objicitur, etſi ex ea cauſa debeatur, quae ad adminiſtrationem tutoris agentis non pertinet. [g] Diviſio enim tutelae cum non ipſo jure, nec a lege fiat, ſed praetore partes ſuas interponente, [h] modum quidem geſtioni & adminiſtrationi inter ipſos facit, [i] ut agere quiſque, vel actiones excipere, de iis tantum rebus cogatur, quae ex ejus adminiſtratione pendent. [k] Creditoribus vero pupillaribus, qui unius pupilli perſonam intuentur, cujus unum patrimonium eſt, [l] quod univerſum aeri alieno tenetur, [m] nihil obſtat: nec compenſationem remoratur, cujus ope ipſo jure pupillo teneri deſinit is, unde petitur: quippe cui tantumdem ex alia cauſa pupillo debeatur. Et ita obſcura Papiniani verba [n] interpretanda cenſeo. Contra ſi militi caſtrenſium bonorum alius, ceterorum alius heres exiſtat, non audietur alteri heredum obligatus, ſi quod ſibi defunctus debuit, cujus diſſolvendi onus ad alium pertinet, compenſare velit. [o] Nam ſeparata prorſus utriuſque heredum cauſa eſt, quaſi duorum hominum hereditates adierint: adeo, ut aeri alieno in caſtris contracto is ſolus, qui caſtrenſium; extra caſtra vero contracto, ſolus is, qui ceterarum rerum heres ſcriptus eſt, obligetur. [p] Imperatoribus quoque placet ejus, quod una fiſci ſtatio debet, alteri agenti compenſationem objici non poſſe, [q] ne fiſcalium officiorum ordo ac ratio perturbetur.

Nunc tractemus, quae ſint ad compenſandum idoneae cauſae. Compenſationi locus eſt, quacumque ex cauſa debeatur, etiamſi natura tantum. [r] Nam quod Javolenus *ex Caſſio* ſcripſit, [s] quaecumque per exceptionem perimi poſſunt, in compenſationem non venire, id ex ipſis verbis perſpicuum eſt ad obligationem naturalem, quae ſola per ſe ſubſiſtat, non pertinere, quae cum in judicium non veniat, [t] per conſequens nec exceptione, quae actionis excludendae cauſa comparata eſt, [v] repellitur. Proinde ſic & illa ſententia accipienda eſt, ut non compenſentur, quorum petitio exceptione, naturalem obligationem elidente, ſolutique repetitionem tribuente, ſubmovetur: qualia ſunt, quae propter perpetui pacti, jurisjurandi, doli exceptionem, peti non poſſunt. [x] Enimvero injuria abſoluto debitori objici, ſi ex alia cauſa petat, ejus quod debet compenſatio poteſt, [y] licet petentem creditorem rei judicatae exceptione repelleret, quoniam ea exceptio naturalem obligationem non immutat. [z] Nec diſſimiliter ex negotio cum his geſto, qui alienae poteſtati ſubjacent, ſolidum, quod nobis debetur, per compenſationem, agente ex eadem cauſa domino, vel patre, ſervamus, quamquam peculio tenus dumtaxat nobis actio com-

p *l. 5. D. de compenſ.*
q *l. 4. D. eod.*
r *l. 7. exceptiones. D. de except. l. 32. D. de fid. juſſ.*
s *l. 21. poſtea quam. D. de compenſ.*
t *l. 18. in rem. §. ult. D. de compenſ. l. 9. ejus. C. eod.*
v *l. 9. ſi cum filiof. D. eod.*
x *l. 18. in rem. D. eod.*
y *l. 9. ſi procurator. §. 1. D. de doli except.*
z *l. 2. C. de oblig. & act. l. 11. delegare. D. de novat. l. 3. C. eod.*
a *l. 1. §. 11. in propria. D. quando appell. ſit.*
b *l. 13. ſed ſi tantum. D. de pact.*
c *l. 10. ſi duo rei. D. de duob. reis.*
d *l. 34. ſi duo. D. de recept. arbitr. l. 5. D. ſi quis caut.*
e *l. 9. eandem. §. pen. D. de duob. reis. l. 3. §. 3. nunc de effectu. D. de liber. leg. l. 25. idem eſt. D. de pactis.*
f *l. pen. D. de compenſ.*
g *l. 36. inter tutores. D. de adminiſt. tut.*
h *l. 3. in fin. D. de adm. tut.*
i *l. 100. quaero. D. de ſolution.*
k *l. ult. C. de divid. tut. l. 4. D. de adm. tut. l. 3. §. 7. ſi tutor. D. jud. ſol.*
l *l. 3. juriſperitos. §. 1. cum oriundus. D. de excuſ. tut.*
m *l. 50. ſi fideicommiſſum. §. 1. D. de judic.*
n *In d. l. 36. inter tutores. D. de adminiſt. tutor.*
o *l. 16. cum militi. D. de compenſat.*
p *l. 17. ſi certarum. D. de milit. teſt.*
q *l. 1. C. de compenſat.*
r *l. 6. etiam D. de compenſ.*
s *l. 14. quaecumque. D. eod.*
t *l. 1. §. 17. id quod. D. ad l. Falcid. l. 10. naturales. D. de oblig. & act.*
v *l. 2. exceptio. D. de except.*
x *l. 95. Stichum. §. 4. naturalis. D. de ſolut. l. 40. qui exceptionem. D. de condict. ind.*
y *l. 8. procurator. §. 1. D. rem rat. hab.*
z *l. 60. Julianus. D. de cond. indeb.*

petiiſſet. [a] Sive quod exceptio facilius, quam actio datur, [b] retentioneque multa ſervantur, quae actione non exigerentur: [c] ſive quod ex eo contractu a filio ſervove inito agens dominus ratum habere negotinm videatur. [d] Idcirco enim cum ſervns quid emit, agenti ex empto domino non aliter venditor damnatur, quam ſi ſolidum & quaecumque, ſi cum libero contractum eſſet, deberentur, dominus praeſtet. [e] Ceterum perperam condemnatus, quemadmodum ex ea cauſa ſolutum repetere non poteſt, [f] ita quod ſolvit, tamquam natura indebitum, compenſare non poteſt, [g] ex alia cauſa poſtea ſecum agente eo, cni condemnatus ſolvit. Tam autem in privatorum, quam civitatum [h] & fiſci [i] cauſis compenſatio locum habet, hoc tamen obſervato, ut qui adverſus fiſcum compenſatione utitur, intra duos menſes ſibi debitum doceat, [k] & eadem fiſci ſtatio debeat, quae & petit. [l] Nec tantum ſi ex contractu, ſed etiam ſi ex maleficio agatur, compenſatio inducitur. [m] Fideicommiſſi petitionem compenſatio excludit. [n] Stipulationibus quoque praetoriis, quae vicem praeſentant actionum, recte opponitur, [o] veluti ſi ſatisdari quis ſibi legatorum vel damni infecti poſtulet. Agere enim videtur, qui eas cautiones interponi deſiderat. [p] Et quae praedii, quod liberum venierat, liberandi cauſa erogavit, agenti venditori ope compenſationis reputare emptor poteſt. [q] Nec non qni judicati convenitur, compenſationem ſibi aliunde ab eo, qui agit, debitae pecuniae implorare poteſt. [r] Venit & in compenſationem id, quo nomine lis cùm actore conteſtata eſt. [s] Nam aliud admittentibus, damnoſa ei, qui ad judicem provocavit, ſua diligentia conſtitueretur, compenſatione ejus debiti denegata, quam re in judicium non deducta fuerat habiturus. Nemo autem deteriorem ſuam cauſam litem exercendo facit. [t] Ad ſummam ex omni obligatione actioneque compenſatio recte fit. Depoſiti cauſam excipio, cujus reſtitutionem oppoſita compenſatione non differri placuit, [v] ſed re ipſa protinus & abſque mora reddita, tum de debito quaeri. Quod a JUSTINIANO primum conſtitutum creditur, cum tamen id ipſum in PAULI *Sententiis* legatur. [x] Quod, niſi ab his, qui manus illi libro attulerunt, additum eſt, idem olim obtinniſſe indicat, ut immerito JUSTINIANUS, antiquitus conſtituta renovans, ea ſibi tribuere [y] atque adrogare arguatur (*a*). Ceterum ea demum compenſantur, quae apparent. Nam obſcuri debiti cum eo, quod conſtat, compenſatio non jure poſtulatur. [z] Itaque qui illud aut illud, utrum vellet, ſtipulatus eſt, ita compenſationem ex hoc debito impetrabit, ſi palam dixerit, utrum vellet. [a] Aequalia quoque ſolum debita, & quae inter ſe conſentiunt, compenſantur: velut ſi utrinque pecunia, vel aliud, quod in ſuo genere functionem recipit, debeatur. Corporibus enim debitis compenſatio non admittetur, propter inaequalem eorum inter ſe aeſtimationem. [b] Sed nec corporis ad quantitatem fit compenſatio. [c] Et hoc eſt, quod PAULUS ait, [d] compenſationem debiti ex pari ſpecie procedere. Nam parem ſpeciem appellat, quae in ſuo genere alterius vicem praeſtat, eandemque aeſtimationem & functionem habet. Cujuſmodi res communi ſpecie contineri eodem modo ULPIANUS ait. [e] Quod in diem debetur, antequam dies venerit,

a *l. 9. ſi cum filiofam. D. de compenſat.*
b *l. 1. D. de pignorib.*
c *l. 14. Paulus D. de dol. except. l. 10. naturales. D. de oblig & act.*
d *l. 66 ſi ſervus alienus. D. de fidejuſſor*
e *l. 31. cum fundat. in fin. D. ſi cert. pet. l. 57. ſi ſervus. D. de aedil. edict.*
f *l. 1. C. de condict. ind. l. 29. ſi fidejuſſor. §. 5. in omnibus. D. mandat.*
g *l. 2. C. de compenſat.*
h *l. 3. C. de compenſ.*
i *l. ult. C. eod.*
k *l. 46. auſertur. §. 4. qui compenſationem. D. de jur. fiſc.*
l *l. 1. C. de compenſat.*
m *l. 10. ſi ambo. §. 2. D. de compenſ.*
n *l. 5. C. eod.*
o *d. l. 10. ſi ambo. §. ult. D. de compenſ.*
p *l. 37. actionis. D. de oblig. & act. l. 20. non ſolum. D. rem. rat. hab.*
q *l. 10. quoniam. C. de compenſat.*
r *l. 2. C. de compenſat.*
s *l. 8. in compenſatione. D. eod.*
t *l. 29. aliam. D. de novation.*
v *l. ult. C. de compenſ. l. pen. C. depoſ.*
x *Lib. 2. Sentent. tit. 12. §. 12.*
y *§. 10. ſed neque Inſt. de teſtam. l. 20. qui teſtamento. D. de teſtam.*
z *l. ult. C. de compenſ.*
a *l. 22. ſi debeas. D. eod.*
b *l. 18. ſi convenerit. D. de pign. act. l. 15. quod dicitur D. de impenſ. in res dot.*
c *l. 26. ſi non ſortem. §. 4. ſi centum. D. de cond. ind.*
d *Lib. 2. Sentent. tit. 5. §. 3.*
e *l. 29. cum Stichus. D. de ſolution*

(*a*) ARGUATUR] Nulla in loco PAOLI eſt alienae manus ſuſpicio. Pro defendendo autem JUSTINIANO dici poteſt: (1) eum in ſua Conſtitutione non diſertia ſibi verbia primam hujus juris inventionem arrogare. (2) Fuit ergo olim fortaſſis hae de re controverſia inter JCtos, quam JUSTINIANUS ſua Conſtitutione ſopivit. (3) Immo dici etiam poteſt, plura comprehendere JUSTINIANI Conſtitutionem, quam PAULI deciſionem: haec enim ad eum tantum caſum pertinere videtur, quando ipſa res depoſita apud depoſitarium adhuc reperitur: JUSTINIANUS vero ob maximum depoſiti favorem compenſationem etiam eo caſu ſuſtulit, quando depoſitarius, re ipſa deperdita, ob dolum culpamve ſuam ad rei depoſitae aeſtimationem praeſtandam fuit condemnatus. Sic etiam pro excuſando JUSTINIANO dici poteſt, eum quorundam JCtorum ſententiam (quae *L. 20. D. de teſtam.* continetur) quae pro conſilio tamen magis, quam pro lege habebatur, approbaſſe & in legis neceſſitatem commutaſſe: id quod ipſa verba §. 10. *Inſt. de teſtam.* ſuadere videntur.

rit, quo dari oporteat, ejus pecuniae, quae praeſenti die debeatur, petitionem compenſationis ratione non excludit: [f] cum necdum ad ejus exſolutionem debitor compelli poſſit, qui medii temporis commodo, quod & ad ſolvendum datum eſt, fraudari non debet. Nec quicquam facit, quod obligatio nata eſt, quando exactio in diem dilata ſit, quem creditor, ut petendo, ita compenſando, antevertere non poteſt. Petere enim videtur & qui adverſus petentem compenſatione utitur. [g] Hoc idem & Curiae Pariſienſis placitis confirmatum eſt. [h] Plane ſi intra tempus, quod poſt condemnationem reis indulgetur, condemnatus agat, ejus quoque, quod ex judicato debet, compenſationem patietur. [i] Hic enim aliter atque in ſuperiori ſpecie dies obligationis venit; quamquam humanitatis cauſa lege haec ad ſolvendum condemnato dilatio tribuatur. [k] Cum vero ei, qui certo loco dare promiſit, alibi agenti compenſatio ejus debiti objicitur, utilitas loci in aeſtimationem venit: ejuſque ratio habetur, quod creditoris interſit ſuo loco pecuniam ſolvi. [l] Plerumque autem ex earum rerum, quae debentur, qualitate, compenſatio impeditur. Nec enim compenſantur, quae ex cauſa annonarum, [m] tributorum, ſtipendiorum, vectigalium, vel ex pretio rei a fiſco emptae, [n] vel ex frumenti oleive publici, pecunia, [o] debentur. Publice enim intereſt horum ſolutionem obtentu alterius debiti non retardari. Annonas intellegimus tam eas, quae populo viritim ex imperatoris largitionibus dividebantur, quam quae exercitui, palatiniſque, & militaribus officiis in ſpeciebus, vel in aere, ex provincialium illatione praebebantur. Quas in lege [p] copias eſſe appellatas bene quidam notat. Nam verbum hoc commeatum plerumque ſignificat, ut apud VALERIUM MAX. illo loco: [q] *Obviam illi P. Cornelium Scipionem Quaeſtorem Capuam miſit, cenſuitque, ut ei domus Romae quam optima conduceretur, & copiae non ſolum ipſi, ſed etiam comitibus ejus publice praeberentur.* Et apud PLINIUM: [r] *Emit fiſcus, quidquid videtur emere. Inde copiae, inde annona.* Et alio loco: [*] *Reſudimus Nilo ſuas copias, recepit alimenta, quae miſerat.* Non compenſantur item, quae ex Kalendario, Sitonia, Eleemporiave Reipub. vel civitati debentur. [s] Enimvero Aedilis idcirco condemnatus, quod artiorem annonam praeſtiterit, quia frumentariae pecuniae debitor non videtur, compenſationem habebit (*a*). [t] Ipſa certe ad frumenti comparationem data pecunia, in erogata non compenſatur. [v] Eadem eſt alimentorum, quae de publico praeſtantur, cauſa. [x] Nam plerumque civitatibus in alimenta puerorum puellarumque annuum quid relinquebatur. [y] Plerumque etiam Imperatores quo ſe plebi commendarent, ejuſmodi alimenta decernebant (*b*). Quod a Nerva primum per Italiae oppida inſtitutum, SEXT. AUREL. VICTOR *Epit. cap.* 12. ſcribit: poſt deinde a Trajano ſervatum, de quo ſic PLINIUS: [z] *Indici juſſiſti, ut jam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur: creſcerent de tuo, qui creſcerent tibi, alimentiſque tuis ad ſtipendia tua pervenirent.* Et paulo poſt: [*] *Paulo minus P. C. quinque milia ingenuorum fuerunt, quae liberalitas noſtri principis conquiſivit, invenit, adſcivit. Hi ſubſidium bellorum, ornamentum pacis, publicis ſumptibus aluntur.* Cui Trajani liberalitati etiam incrementum addidiſſe Hadrianum SPARTIANUS [a] ſcribit. Eique perceptioni Divos fratres novorum quoque hominum pueros, puellaſque adſcribi juſſiſſe CAPITOLINUS auctor eſt. [b] Sed & Plinium antiquum monumentum Mediolani effoſſum teſtatur in alimenta puerorum & puellarum plebi Urbanae H. S. CCC. dediſſe.

f *l. 7. quod in diem. D. de compenſat.*

g *l. 15. ampliat. D. rem rat. hab.*

h *Joan. Luc. in lib. placit. cur. tit. de compenſ.*

i *l. 16. cum militi. §. ult. D. de compenſat.*

k *l. 31. debitoribus. D. de re judic.*

l *l. 19. pecuniam. D. de compenſ. arg. l. 2. §. 8. nunc de officio. D. quod cer. loc.*

m *l. 20. ob negotium. D. de compenſation.*

n *l. 46. aufertur. §. 5. ut debitoribus. D. de jure fiſci.*

o *l. 3. C. de compenſat.*

p *l. 20. ob negotium. D. de compenſat.*

q *Lib. 5. cap. 1. ex. 1.*

r *In Panegyrico cap. 29.*

* *Cap. 31.*

s *l. 3. C. de compenſat.*

t *l. 17. ideo. D. de comp.*

v *l. 2. §. 4. ad frumenti. D. de admin. rer. ad civit. pert.*

x *d. l. 3. C. de compenſ.*

y *l. 117. ſi quid relictum. l. 122. civitatibus. D. de leg. 1. l. 89. Divi. D. ad l. Falcid.*

z *In Panegyrico cap. 26.*

* *Cap. 28.*

a *In Hadrian. cap. 7.*

b *In M. Anton. philoſ. cap. 7.*

DE PIGNORIS VENDITIONE.

Non eſt & illud omittendum, abſque ſolutione debitori liberationem procedere, ſi tantum ex pignoris a ſe dati venditione redactum

(*a*) HABEBIT] Confer *M. Lyclamae Membran. lib.* III. *cap.* 13. Ampliſſ. *Ever. Ottonis libr. de Aedilib. Colon. & Municip. cap. 9. §. 6. pag.* 253. *ſeqq.*

(*b*) DECERNEBANT] *De Alimentariis* Programma haud indoctum *Lipſ.* 1739. prodiit, auctore V. C. *Jo. Erb. Kappio.* Vide etiam *Phil. Rubenii Elect. lib.* II. *cap.* 36.

dactum ſit, quantum debetur. [a] Nec refert, creditor alii pignus vendiderit, an ipſe a debitore emerit, [b] niſi quod hoc caſu confeſtim, illo non niſi percepta ab emptore pecunia debitor liberatur. Itaque ſi pretium ab emptore ſervare creditor non poſſit, & culpa vacet, manet debitor obligatus. [c] Sed ſi pretium emptori acceptum fecerit, vel ab eo fuerit ſtipulatus, contra dicemus, [d] quia voluntate ejus pretii petitio ei ſublata eſt. Veruntamen ne pretio quidem accepto ante debitor liberatur, quam certum ſit, omnimodo id apud emptorem remanſurum. [e] Nam ſi re evicta ad creditorem, qui communi jure de evictione promiſit, emptor recurrere poſſit, debitor non liberabitur. [f] Quod ſi jure creditoris vendiderit, nihil liberationi officiet, quod res vendita evinci poſſit, quando hoc caſu ad debitorem ſolum, non etiam ad creditorem emptor regreſſum ſit habiturus. [g] Quamdiu certe venditio reſolvi, & res inempta fieri poteſt, debitori liberatio non contingit. [h] Integrum vero eſt creditori pignus diſtrahenti pretium inde acceptum in eam, quam velit, cauſam acceptum referre. [i] Proinde & in eam quantitatem, quae natura tantum debetur, imputare poterit, cum in eam quoque cauſam pignus jure retineatur, [k] nec aliter id reſtituere creditor cogi poſſit, quam eo quoque debito ſibi perſoluto. [l] Naturales enim obligationes etſi non exactionem, retentionem tamen habent. Quinetiam ſi ob triginta nummos pecuniae creditae fidejuſſorem in viginti, pignus in decem creditor acceperit, redacta ex venditione pignoris decem, in id, quod ſolus reus debet, non etiam in viginti, quae fidejuſſor promiſerat, accepto ferre reus poteſt. [m] Et ſi uſuris fidejuſſores obſtricti non ſint, confecta ex pignorum venditione pecunia in uſuras cedet, fidejuſſores in id, quod ſorti deerit, convenientur. [n] Plane ſi eodem tempore duobus contractibus pignora ſint obligata, idem arbitrium creditori non permittitur, ſed pro modo pecuniae cujuſque contractus ſibi id acceptum ferre creditor neceſſe habet. [o] Ceterum ſi minor, quam debeatur, pecunia ex pignore vendito redacta ſit, in reliquum, quod deeſt, creditori ſua actio ſupererit. [p] Ut autem vendito pignore, ita & ſi tantum fructuum ex pignore perceperit creditor, quantum ſorte & uſuris ſatis ſit, debitor liberatur. Nam ex pignore perceptos fructus lucro creditoris non cedere, ſed in ſortem & uſuras computari oportere, exploratum eſt: [q] niſi ſi uti uſurarum loco fructus creditor percipiat, convenerit. [r] Quod genus pignoris ἀντιχρησιν appellant. [s] Hinc Maacellus uxorem, in bona mariti dotis ſervandae cauſa miſſam, reditus exactos, & pretium moventium diſtractorum imputaturam ſibi in ſortem reſpondit, [t] uſurarum habita ratione, ſi eas arbiter dotis recuperandae adjudicaverit: quaſi pro ſoluto id habitura, quod ex fructibus accepit: cui diſſimilis longe illa ſpecies eſt, quam *Accurſius* propugnanti adfert, in qua creditorem ponimus nihil ad ſe pertinentem debitoris hereditatem poſſediſſe. Quamquam enim ex bonis tantum perceperit, quantum ſi quilibet alius bonorum poſſeſſor ei ſolveret, liberaret heredem, nihilominus duraturam fidejuſſorum obligationem Africanus ſcribit, [v] illa ratione, quod pro ſoluto haberi non poſſit id, quod ad eum pervenit ex hereditate, quae evincitur, quando nec pro pignore hereditatem, ſed pro domino poſſederit, & de fructibus reſtituendis teneatur. Etſi deducere, quod ſibi debetur, ſi juſtus poſſeſſor fuit, ei permittatur. [x] Quae in ſuperiori ſpecie contra ſe habent omnia. Sola porro pignoris ceſſione debitor non liberatur, ſi non ex pignore debitum colligi poſſit. [y] Nam & qui non idoneum pignus accepit, debitae quantitatis, in quam pignus non ſufficit, exactionem non amittit, [z] & vel pignore perempto integra debiti perſecutio eſt. [a]

a *l. 26. ſi creditor. D. de ſolution.*
b *l. 44. in numerationibus. D. de ſolution.*
c *l. 9. quaeſitum. D. de diſtract. pign.*
d *l. 26. ſi creditor. D. de ſolution.*
e *l. 12. reſcriptum. circa fin. D. de diſtr. pign.*
f *l. 59. ſi mandatu. §. 4. creditor. D. mandat.*
g *Toto tit. Cod. credit. evictiom. pign. non praeſt.*
h *d. l. 26. ſi creditor. in fin. D. de ſolut.*
i *l. 101. Paulus reſpondit. in fin. D. de ſolution.*
k *l. 13. naturaliter. in fin. princ. D. de condict. ind. l. 22. pignoribus. C. de uſur.*
l *Argum. l. un. C. etiam ob chirograph. pec. pign. ten. poſſ.*
m *l. 73. ob triginta. D. de ſolut.*
n *l. 68. fidejuſſores. §. 1. D. de fidejuſſor.*
o *l. 96. pupilli. §. pen. D. de ſolut.*
p *l. 3. C. de diſtr. pign.*
q *l. 1. C. de pign. act. l. 22. ſi pignore. in princ. D. de pign. act.*
r *l. 14. ſi ea pactione. l. 17. ſi ea lege. C. de uſuris.*
s *l. 11. ſi is qui. §. 1. D. de pignor.*
t *l. 48. Titia. D. de ſolution.*
v *l. 95. Stichum. §. 8. ſi creditor. D. de ſolut.*
x *l. 31. ſi quid poſſeſſor. §. 1. ſed ſi ipſi. cum §. 2. D. de petit. hered.*
y *l. 1. C. de pignor.*
z *l. 28. creditor. D. ſi cert. pet.*
a *l. 25. C. de pign.*

F I N I S.

B. BRIS-

B. BRISSONII
DE
SOLUTIONIBUS
ET
LIBERATIONIBUS
LIBER TERTIUS.

Diximus, ut mihi quidem videtur, abunde de his liberationum generibus, quibus ipſo jure obligationes tolluntur. Tempus eſt ad ea tranſeamus, quibus per exceptionem demum ab obligationis nexu abſolutio contingit. Quo in numero primas ſibi partes Pactum vindicat, per quod ipſo jure aeque atque per ſtipulationem obligatio, juris civilis approbatione auxilioque deficiente, non tollitur. [a] Naturali quidem certe aequitate motus Praetor, quae fidem ſervandam monet, [b] pacta ſe ſervaturum edicto profeſſus eſt. [c] Sed Praetoris tuitio nihilo magis facit, ut ipſo jure obligationem pacta tollant. Ipſo enim jure ea tantum valent, quae eo jure, quod ex legibus, plebiſcitis, Senatuſconſultis, Principum conſtitutionibus deſcendit, adjuvantur. Et in univerſum ipſius juris appellatio ἐμφατικῶς ſic exaudienda eſt, ut a praetorio ſeparetur, [d] quod ad unius hominis voluntatem propoſitum, in libera civitate legum populi judicio receptarum [e] auctoritate non cenſebatur: ipſius dumtaxat praetoris imperio juriſdictioneque propter utilitatem publicam [f] vim habebat, ideoque & cum imperio una concidebat, [g] quoad ut ex edictis perpetuis Praetores jus dicerent, lege cautum fuit (*a*). [h] Quo fiebat, ut tota pactorum vis ex Praetorum juriſdictione penderet, qui ea datis exceptionibus, ſi in jure apud ſe oppoſita eſſent, ſervari curabant. Exceptiones enim

a §. 3. *Inſtit. de except. l. 27. ſi unus. §. 2. pactus. D. de pact.*
b *l. 1. D. de pact. l. 1. D. de conſtit. pec.*
c *l. 7. juris gent. §. 7. praetor ait. D. de pact.*
d *l. 1. §. ult. D. de ſuperficiebus. §. 1. non autem omnes. Inſtitut. de perpet. & tem. §. 7. Inſt. de except. §. 3. ſed iſtae. Inſt. de action.*
e *l. 32. de quibus. D. de legib.*
f *l. 7. jus autem. D. de juſt. & jur.*
g *Cicer. 3. in Verr. ſ. Accuſ. lib. 1. cap. 42. pr. Inſt. de perp. & temp. act.*
h *Aſcon. in Argum. Cornel. pag. 123.*

(*a*) Fuit] Lex Cornelia, qua jubebantur Praetores ex edictis ſuis perpetuis jus dicere, non impedivit, quo minus ſingulis annis novi Praetores nova ſubinde edicta proponerent: multo minus ergo impedivit, quo minus remedia praetoria eſſent annua: immo hoc principium etiam permanſit, poſteaquam re vera perpetuum illud Edictum per Hadrianum eſſet introductum. Caeterum de diverſi generis edictis perpetuis, quae haud raro confunduntur, copioſiſſime egit *Jo. Gottl. Heineccius* in *Hiſtoria Edictorum*, (quae in ejus *Opuſculis poſtumis* prodiit) *lib.* II.

Digitized by Google

nim praetorii juris, ut ita dicam, arma ſunt. [i] Quod & *Rhetoricorum ad Herennium* auctor tradit. [k] Ita verba haec, *ipſo jure*, & *per exceptionem*, [l] vel *praetoris tuitione*, [m] auctores noſtri adverſa faciunt. Quorum ſunt pleni exemplorum libri, quae nos latius tractare inſtituti ratio non patitur. Sic igitur cum Paulo [n] ſtatuamus, in pactis factum, in ſtipulationibus jus verſari. Pacta enim ex ſolo conventu & conſenſu valent: ſoloque conventionis facto ſuſtinentur, propter quod ſervari ea naturali rationi congruum praetor putavit. Conventiones autem facti ſunt: [o] ipſa quoque, quae ex pactis proficiſcitur, ſi modo aliqua proficiſcitur, ad factum referenda obligatio eſt. [p] Proinde pactis, quae facti ſunt, pacta ipſo jure tolli non poſſunt (*a*). Stipulationes contra, quibus praeter conſenſum juris auctoritas ineſt, per ſtipulationes ipſo jure tolluntur, id eſt, ut planiſſime dicam, mero jure, ipſisque poteſtate & auctoritate legis, abſque auxilio praetoris. Nam ubi quid ipſo jure efficax, vel inutile eſt, praetor ſe interponere non debet: [q] fit quippe hoc, ut Constantinus Harmenopulus *lib.* I. *Proch. Tit.* IX. *in Schol.* §. 21. ait, ἀπ' αὐτοῦ νόμου, Praetorisque in eo partes ceſſant: quemadmodum acceptilationis exemplo, quae ſtipulatione conſtat, demonſtrari liquido poteſt: per quam tota funditus obligatio tollitur, ut eum, qui poſtea petat, non exceptione a praetore implorata repellere neceſſe habeamus, ſed recte intendamus actionem non habere. Similique modo & eae, quae lege aliqua approbantur, conventiones ipſo jure obligationem tollunt. [r] Cujuſmodi ſunt, quae de furto injuriave interponuntur. [s] Eas enim pactiones lex XII. tab. confirmat: [t] cujus verba, qua parte de injuria paciſci permittebat, haec fuiſſe accepimus: [v] Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto. Ceteras per ſe infirmas & legum auxilio deſtitutas conventiones exceptione, quae agentem ſummoveat, propoſita, Praetor tuetur. Id quod a Cornificio [x] Ciceroneque ſignificatur, cum pacta quaedam ſine legibus ex conventu ſervari tradunt, quae jure praeſtare dicantur. [y] Quae verba hanc, niſi fallor, habent ſententiam, pacta conventa, quae ex nuda conventione ſoloque placito abſque juris adminiculo conſiſtunt, ita Praetoriarum exceptionum ope ſervari, ut vel jure ipſo recte inſtitutas actiones repellant, quemadmodum a Justiniano in *Inſtitution.* explicatur. [z] Sed jam qui paciſcendi jus habeant, conſideremus. Paciſci ne petant, utiliter ii demum poſſunt, qui ſui juris ſunt. Nam qui alienae poteſtati ſubjacent, ita paciſcendo nihil agunt, etiamſi maxime liberam habeant peculii adminiſtrationem, [a] propterea quod hujuſmodi pactio donationis vicem obtineat, quae libera adminiſtratione conceſſa, ipſa tamen conceſſa non videtur, [b] cum ab adminiſtratione aliena ſit, & ad profuſionem dilapidationemque magis accedat. Quocirca donationis ſuſpicione ab eo pacto amota, rata habebitur pactio, [c] veluti ſi pro eo, ut ita paciſcerentur, aliquid, in quo non minus, vel etiam amplius eſſet, conſecuti fuerint. [d] At ſi filii actio eſt, eique ſuo nomine competit, ut injuriarum, [e] videndum erit, num pactio valitura ſit. Et cum ex injuria filiofam. facta patri, tam ſuo, quam filii nomine, actio quaeratur, [f] dubitandum non eſt, quin filii pactio jus ſuum perſequenti patri nihil ſit nocitura, [g] cujus condicio pactione filii deterior conſtitui non potuit. [h] Plane de eo, quod ſub condicione ſibi legatum eſt, filiusfamil. recte paciſcitur, [i] & quod ad ipſum attinet, utile pactum erit, quia poſſit exiſtentis condicionis tempore ſui juris factus ſibi capere: [k] patris vero jus nullatenus minuit. Eodemque modo & filiafamil. ne de dote agat, cum ſui juris eſſe coeperit, utiliter paciſcitur. [l] Quamquam enim eo tempore haec conventio fiat, quo dotis actio ſibi cum patre communis ejus ſolius pacto remitti non poſſet, [m] quia tamen in id tempus vis pactionis excurrit, quo dos ejus propria futura eſt, [n] idcirco perinde valet, atque ſi ab emancipata factum eſſet. [o] Quod poſtremum nullam aliam diffi-

i *l.* 3. §. 1. *D. de uſuf. pec. l.* 5. *creditori. C. de pact.*
k *Lib.* 1. *cap.* 12.
l *l.* 4. *D. de ſervitut. l.* 34. *qui ſervum.* §. 1. *ſi is cui rem. D. de oblig. & act. l.* 27. *nec ex praetorio. D. de reg. jur.*
m *l.* 9. §. 1. *illud. D. uſufr. quemadmod. cav. l.* 1. §. 5. *in fin. D. quod fal. tut.*
n *d.* §. 2. *pactus ne peteret. l.* 27. *D. de pact.*
o *l.* 7. *conſilio.* §. 3. *quaeſitum. D. de cur. fur.*
p *l.* 41. *nec debere. D. de pecul.*
q *l.* 16. *in cauſae. D. de minorib.*
r *l.* 6. *legitima. D. de pact.*
s *l.* 17. *ſi tibi.* §. 1. *D. de pact.*
t *l.* 7. *juris gent.* §. 14. *ſi paciſcar. D. de pact.*
v *Gell. libro* 20. *cap.* 1.
x *Libro* 2. *ad Herenn. cap.* 13. *de juriſd. abſol.*
y *Libro* 2. *de inventian. cap.* 22.
z *Tit. de exception.*
a *l.* 28. *contra.* §. *ult. D. de pac. l.* 8. *ficut.* §. 5. *an filius. D. quib. mod. pign.*
b *l.* 7. *filiusfam. D. de donat.*
c *l.* 52. *ſi quis uxori.* §. 26. *ſi ſervus meus. D. de furt.*
d *d. l.* 28. *contr. in fin. D. de pact.*
e *l.* 9. *filiusfam. nullam. D. de oblig. & act.*
f *l.* 17. *ſed etſi.* §. 11. *filio. D. de injur.*
g *l.* 30. *in perſona. D. de pact.*
h *l.* 3. & *l.* 23. *C. de pact.*
i *l.* 21. & *heredi* §. *penult. D. de pact.*
k *l.* 18. *quae legata. D. de regul. jur.*
l *d. l.* 21. & *heredis.* §. *antepen. D. de pact.*
m *l.* 2. §. 1. *D. ſol. mat.*
n *l. un.* §. 11. *videamus. C. de rei ux. act. l.* 44. *ſi ſocer. D. ſoluto matr.*
o *l.* 62. *in tempus. D. de hered. inſtit. l.* 4. *quod ſponſae. C. de donat. ante nupt.*

(*a*) Sunt] Confer tamen, quae diſputat *Corn. van Bynkershoek* in *Diſſert. de Pactis juris ſtricti contractibus adjectis*, *cap.* 2. *pag.* 106. *ed. Halenſ.*

difficultatem habet. Prius illud ex eo dubitationem recipit, quod ſub condicione relictum fruſtra remitti videatur. [p] Sed quamquam inutiliter, quae ſub condicione legata ſunt, antequam eorum condicio extiterit, repudientur, [q] utiliter tamen de his non petendis paciſcimur, [r] eoque modo futuri juris ſpem remittimus. Repudiatione enim ea tantum amittuntur, quae in ea cauſa ſunt, ut adgnoſcentibus nobis ſtatim adquirantur. [s] Pacto etiam ea, quae nondum competunt, recte abdicantur. [t] Verum inſtitutam de paciſcentium perſonis quaeſtionem abſolvamus. Pupillus ſine tutore paciſcendo ne a debitore petat, nihil agit, cum eo modo deteriorem ſuam cauſam faciat, quod ſine tutore facere non poteſt. [v] Sed ne tutores quidem, vel furioſorum ac prodigorum curatores, ita paciſcendo, his perſonis, quorum res gerendae eis mandantur, nocent. [x] Quamquam ſi non donationis cauſa, ſed ita adminiſtratione exigente, vel utilitate ferente pacti ſint, pactionem recipiendam puto. [y] Eademque & in Reipub. curatoribus erunt dicenda. [z] Litis procurator, & qui ad agendum tantum, vel ad unam aliquam ſpeciem conſtitutus eſt, paciſci non poteſt, ne petat. [a] Utroque enim caſu mandatum egreſſus, de jure domini nihil detrahit. [b] Sed ſi hoc ei ſpecialiter mandatum, ut paciſceretur, vel libera totorum bonorum adminiſtratio conceſſa fuerit, [c] paciſci poterit. Idem dicemus & ſi in rem ſuam datus ſit. [d] Unde ab emptore hereditatis, qui in rem ſuam procuratorio nomine agit, [e] cum debitoribus hereditariis factum venditori, quandoque poſtea agenti, pactum obſtat. [f] Utique enim domino praefertur, qui in rem ſuam mandatas ſibi actiones exercet. [g] Immo & ipſe domini loco eſt, [h] quandoquidem ad eum periculum omne litis, emolumentumque pertinet. [i] Si tamen praeveniens dominus cum ignaris debitoribus, ante litem a procuratore conteſtatam, vel partem debiti acceptam, vel mandatum actionum editum [k] prolatumque, pactus ſit, exceptio contra procuratorem illis propter ſuam ignorantiam accommodabitur. [l] Juſta enim exiſtimatione ducti ſunt ad paciſcendum: imputareque ſibi procurator debet, qui eos de mandato certiores non fecerit, ne a domino circumvenirentur. Porro quod diximus, univerſorum bonorum adminiſtrationem ſuſtinentem procuratorem paciſcendi jus habere, quod tutoribus, & curatoribus, & liberam peculii adminiſtrationem habentibus denegatur, ne cui ſcrupulum injicere, vel attentari aliqua ratione poſſit, ſic accipiendum cenſeo, ut ita demum pactum valeat, ſi negotiorum adminiſtratione exigente pacti ſint. Alioquin durum hoc & permirum, facta ſuperiorum perſonarum contentione, apparebit. Nec enim eis magis profundendi, perdendi, dilapidandi poteſtas eſt, [m] quam his, quibus libera peculii vel pupillarium rerum adminiſtratio datur. Si unus ex argentariis ſociis cum debitore pactus ſit, alteri nihil nocet. *Tantum enim*, ait PAULUS, [n] *conſtitutum eſt, ut ſolidum alter petere poſſit.* Conſtitutum lege fortaſſe, vel principum conſtitutione: ſic enim hoc verbum in libris noſtris exaudiendum eſt. [o] Extitiſſe vero aliquam de ea re legem indicio eſt QUINCTILIANI locus, cujus haec verba ſunt: [p] *Lex eſt, ut argentarii dimidium ex eo, quod debebant, ſolverent, creditum ſuum totum exigerent. Argentarius ab argentario ſolidum petit; proprium ex materia eſt argumentum creditoris, idcirco adjectum eſſe in lege, ut argentarius totum exigeret. Adverſus alios enim non opus fuiſſe lege, cum omnes praeterquam ab argentariis totum exigendi jus haberent.* Qua de lege nihil aliud ſuccurrit (a). Ex ea vero ducit PAULUS paciſcendi jus alterum ex argentariis ſociis jus non habere, quoniam de ſola petitione lex loquatur, quam non eſt aequum ad alias ſpecies, quae ab expreſſis abhorrent, porrigi. [q] Idem in duobus reis ſtipulandi dicendum eſſe lex [r] ait, propria & iſtud ratione. Nam ſolutionem quidem accipiendo, vel acceptum ferendo, vel novando, unus ex duobus reis alte-

p *l. 45. ſi ita ſcriptum. §. 1. ſi ſub condicione. D. de leg. 11.*
q *d. §. 1. ſi ſub condicione. l. 45. D. de leg. 11.*
r *l. 1. C. de pact.*
s *l. 1. §. 7. decretalis. D. de ſucceſſ. ed. l. 174. qui poteſt. in fin. D. de regul. jur.*
t *l. 46. pactum. D de pact.*
v *l. 28. contra. in princ. D. de pact.*
x *In d. l. 28. contra. §. 1. D. de pact. l. 22. factum curatoris. C. eod.*
y *Argum. l. 22. & 27. D. de adm. tut. & l. 35. tutor. D. de jurejur.*
z *l. 37. Imperatores. D. de pactis. l. 12. praeſes. C. de tranſact.*
a *l. 13. ſed ſi tantum. D. de pact.*
b *l. 10. ſi procurator. C. de procur.*
c *l. 12. D. de pact.*
d *l. 13. §. 1. D. eod. l. 8. §. 2. ſi procurator. D. quib. mod. pign.*
e *l. 34. ſi quis in rem. D. de procur.*
f *l. 16. ſi cum emptore. D. de pact.*
g *l. 55. procuratore. D. de procur.*
h *l. 13. ſed ſi tantum. D. de pact.*
i *l. 1. §. 11. in propria. D. quando appell. ſit.*
k *l. 3. C. de novat.*
l *l. ult. D. de tranſact.*
m *l. 60. creditor. §. 4. Lucius. D. mandat.*
n *l. 27. ſi unus. D. de pact.*
o *l. 19. adulter. D. de adulter. l. 34. Neſennius. D de neg. geſt. l. 6. D. de in integ. reſtit. l. 5. in heredem. D. de calumn. l. 10. de minore. §. 2. D. de quaeſt. l. 48. Statius. in fin. D. de jure fiſci.*
p *Lib. 5. cap. 10.*
q *Arg. l. 64. ſi vero. §. 9. de viro. D. ſol. matr.*
r *d. l. 27. ſi unus. D. de pact.*

(a) SUCCURRIT] Lex QUINCTILIANI ſine dubio in ſcholis rhetorum ficta eſt, nihilque commune habet cum Conſtitutione, cujus PAULUS mentionem facit.

alterius perimit obligationem: [s] quae cum in utriuſque perſona ſolida conſiſtat, [t] ſolida quoque ab utrovis eorum, quibus id jure contingit modis, tollitur. Paciſcendo vero ne petat, cum obligationem non extinguat, correo petitionem non aufert, qui ſalvum ſibi & integrum jus ſuum poſt hujuſmodi pactionem relictum exercere poteſt, contra atque ſi legitimis modis obligatio ſublata, vel certe judicio debitor praeventus eſſet. [v] Minus dubium eſt, eum, qui ſolutionis gratia ſtipulationi adjicitur, paciſcendi jus non habere. [x] Majoris partis creditorum pactio, qua ad adeundam hereditatem parte debiti remiſſa heres invitatur, minori nocet. [y] Quod, tametſi de ea re agatur, quae ad ſingulos privatim pertineat, quaeque omnium conſenſu approbanda videatur, [z] ſingulari jure receptum eſt, cum ut heres aliquis defuncto exiſtat, tum ut commodius creditores ad ſuum perveniant, allecto eo modo herede, qui abſque eo eſſet, timidius ſe oneribus hereditariis implicaret.

Nunc videndum eſt, quibus proficiat pactio, & ad quos pacti exceptio porrigatur. Multum vero, quod ad hoc caput attinet, intereſt, in rem ſit pactum, an in perſonam. In rem pactum eſt, quotiens generaliter paciſcor, ne petam. In perſonam, quotiens ne a certa perſona petam. [a] Pacta in rem omnibus proſunt, quorum obligationem diſſolutam eſſe ejus intereſt, qui paciſcitur. [b] Itaque fidejuſſori cum debitore facta conventio prodeſt, niſi vel aliud actum ſit, [c] vel in rem ſuam, [d] aut donandi animo [e] fidejuſſerit. Addo ego, aut pro invito & vetante fidejuſſerit. In paribus enim cauſis paria jura ſtatuenda ſunt. [f] Atquin ut illo, ita & hoc caſu, quia mandati actione non eſt ad reum fidejuſſor regreſſum habiturus, [g] rei nihil intereſt ab eo peti. Quotiens vero mandati vel negotiorum geſtorum actio fidejuſſori competit, totiens & ei rei conventio proficit, ac tamdiu quidem, quamdiu & reo. Itaque ſi cum reo ad certum tempus pactum factum ſit, ultra nec ipſi, nec fidejuſſori ejus proderit. [h] Quaeſita ſane ſemel ei ex pacto perpetuo exceptio, ulterius contraria rei conventione minime conſentienti adimi non poteſt. [i] At ex contrario fidejuſſoris conventio, niſi hoc quoque in paciſcendo actum ſit, [k] reo vel confidejuſſoribus non prodeſt: cum ejus nihil interſit, a quoquam eorum peti. [l] Nam affectus in hac cauſa ratio nulla habetur, principaliterque & pecuniarie intereſſe neceſſe eſt, ad alium conventionis exceptionem tranſire, atque ita, ut aliter ei qui pactus eſt, conſuli non poſſit, quam ſi alii quoque conſulatur. Plane ſi in rem ſuam fidejuſſor ſit acceptus, pro procuratore puta, vel ſervo ſuo, ejus pactio reo proderit, [m] quoniam pro reo principali ipſemet habetur, qui ſuam verius, quam alienam obligationem interceſſione ſuſcepit, [n] & qui ex pacto commodum ſentire non poteſt, ſi non ejus quoque auxilio reis ſe tueri concedatur. Cum altero ex duobus promittendi reis, vel argentariis ſociis ſactam conventionem, alteri podeſſe Paulus ſcribit: [o] cujus reſponſum non ad proxime praecedens caput referendum, ſed fini *capitis* xxiiii. [p] annectendum eſt, quod & ejuſdem auctoris eſt, & ex eodem libro ſumptum, in quo hanc quaeſtionem Paulus latiſſime tractaverat. [q] Id quod *Accurſium* aliquantulum turbavit, qui in duas ſententias diverſe tractus, quo conſiſtat, & ubi gradum figat, reperire non poteſt. Sed enim ſuperiori a nobis ex eodem Paulo poſitae regulae, qua duce numquam aberrabimus, conſentaneum eſt, unius ex duobus reis conventionem alteri prodeſſe, ſi ſocii ſint, propterea quod paciſcentis hoc intereſt, cui ſocietatis judicio, quod communi creditori ſolverit, alter ſit repetiturus [r] ab eo, ut vi ipſa peti videatur, dum a correo petitur, [s] non prodeſſe contra, ſi nulla inter eos ſocietas fuerit. [t] Nam ſolutione quidem ab uno facta, vel ſi ei accepto latum ſit, alter liberatur. Utique enim cum una ſit obligatio, & una etiam ſumma eſt, [v] ut ſive unus ſolvat, ſive uni accepto feratur, uterque liberetur, cum ſolutionis exemplo acceptilatio totam obligationem tollat, [x] omnibuſque proficiat, qui eadem obligatione adſtringantur. [y] Quod in pacto ſecus eſt, quod iis tantum prodeſt, qui vel eo comprehenſi ſunt, vel obligationis ita participes, ut eorum quoque obligationem diſſolutam eſſe principaliter paciſcentis inter-

s *l.* 2. *D. de duob. reis. l.* 31. *ſi rem.* §. 1. *D. de novat. l.* 13. *& per jusjurandum.* §. *ult. D. de acceptilation.*
t *d. l.* 2. *D. de duob. reis.*
v *l.* 2. *& l.* 16. *ex duobus. D. de duob. reis.*
x *l.* 10. *quod ſtipulatus. D. de ſolut.*
y *l.* 7. §. 18. *& ſuum. cum* §. 19. *& l. ſeq. D. de pact.*
z *l.* 11. *per fundum. D. de ſervit. praed. ruſt. cap.* 29. *quod omnes. de regul. jur. in* vi.
a *l.* 7. *juris gentium.* §. 8. *pactorum. D. de pact.*
b *l.* 21. *& heredi.* §. *ult. D. de pactis.*
c *d.* §. *ult. cum l. ſeq.* 22.
d *Arg. l.* 24. *ſed ſi fidejuſſor. D. de pact.*
e *l.* 32. *quod dictum. D. eod.*
f *Cic. in Topic. cap.* 4. *l.* 32. *illud. D. ad l. Aquil.*
g *l.* 6. *ſi remunerandi.* §. 2. *ſi paſſus. l.* 40. *ſi pro te. D. mand. l.* 5. *D. de liber. leg.*
h *l.* 27. *ſi unus* §. 1. *ſi cum reo. D. de pact.*
i *l. ult. D. eod.*
k *l.* 26. *videlicet. D. eod.*
l *l.* 23. *fidejuſſoris. D. de pact. l.* 15. *ſi ſtipulatus.* §. *ult. D. de fidejuſſ.*
m *l.* 24. *ſed ſi fidejuſſor. D. de pact.*
n *l.* 8. *de die.* §. 1. *D. qui ſatisd. cog. l.* 25. *D. ad SC. Vellejan.*
o *l.* 25. *idem in duobus. D. de pact.*
p *l.* 23. *fidejuſſoris. D. eod.*
q *l.* 21. *& heredi. l.* 27. *ſi unus. D. eod.*
r *l.* 27. *omne act. D. pro ſoc.*
s *l.* 34. *ſi duo. D. de arbitr.*
t *l.* 3. §. 3. *nunc de effectu. D. de lib. leg.*
v *l.* 3. *in fin. D. de duob. reis.*
x *l.* 5. *in diem. D. de acceptil.*
y *l.* 16. *ſi ex pluribus. D. de acceptil.*

terſit. [z] Nec abſimiliter confuſione inter creditorem & reum promittendi facta, alter ejuſdem pecuniae reus, ſi nulla intercesſerit ſocietas, nullatenus liberatur, tamquam eo modo exempta tantum perſona, [a] non etiam obligatio tota perempta videatur: ſin ſocietas fuerit, in eam partem liberabitur, cujus ſolido ſuluto repetitionem ab ipſomet creditore haberet. [b] Secundum haec ſi ex duobus reis promittendi alter pactus ne a ſe petatur, poſtmodum ſolverit, quia ſolutum per condictionem indebiti revocare poteſt, durare alterius obligationem dicemus. [c] Enimvero qui pro duobus promittendi reis mandator extitit, quorum unus, ne a ſe peteretur, cum creditore pactus fuerit, poſt ſolutam creditori pecuniam vel eum, qui pactus eſt, eligere poteſt, [d] quia non eſt ei electio ſua creditoris pacto adempta.

Pacta conventa his, qui in rem ſucceſſerint, proſunt. [e] His enim eaedem ſolent, quae & auctoribus, competere exceptiones, [f] paciſcentisque plerumque intereſt ab his non peti, cum ad eum ex ea cauſa rediri poſſit. His vero, qui in jus univerſum ſucceſſerint, quin pactio proficiat, non dubitatur: qnorum perſona ſupervacue pactis comprehenditur, cum ad eos ea etiam non adjecta, tranſeant. [g] Quinimmo plerique teneant, [h] licet debitoris perſona pactione expreſſa ſit, ad heredem nihilominus pactum pertinere, niſi nominatim conveniſſe probetur, nt ab ipſo dnmtaxat debitore non petatur. Quorum ſententia mihi ſemper falſa viſa eſt. Certo enim conſtat, & ita a prudentibus definitur, in perſonam pactum eſſe, quotiens debitoris nomen pactioni inſeritur, [i] niſi cum non ut perſonale pactum fiat, ſed nt demonſtretur, cum quo pactum fiat, perſonam adjici non dubiis argumentis conſtet. Quae autem in perſonam ſunt pacta, aeque exploratum eſt ad beredem non tranſire, [k] ut qui horum alterutrum in dubium revocat, ſtultitiae reprehenſionem effugere non poſſit. Quibus conceſſis, hoc quoque detur neceſſe eſt, pacto inſertum debitoris nomen impedire, quominus ad heredes id tranſeat. Hoc enim ex ſuperioribus efficitur neceſſario. Nec me movet, quod POMPONIUS reſpondit, [l] ſi creditoris dumtaxat perſona ea pactione, comprehenſa ſit, qua de vendendo pignore convenit, heredem tamen jure venditurum, ſi nihil in contrarium actum ſit. Nam hoc idcirco eſt, quoniam in obligationem creditae pecuniae ſuccedit, cujus jure pignus in eam cauſam datum diſtrahere ei licet, ſi modo non convenerit, ut ne liceat. [m] Eum enim pactiones a defuncto interpoſitae tenent, [n] quibus niſi conſtringatur, eadem ei circa pignus, quae & defuncto licent. [o] Quod vero objici ſolet, tale pactum; *Profiteor te non teneri*, inter heredes locum habere, [p] expeditam ac facilem ſolutionem habet. Nec enim in perſonam pactum hoc dirigitur, ſed generale & vagum eſt: nec artandi pacti, ſed demonſtrandae obligationis cauſa perſonam hic adjici manifeſtum eſt. Ipſaque adeo verborum conceptio multum inter hoc & illud ſuperius pacti in perſonam poſitum exemplum intereſſe oſtendit. Nam qui ita dicit, *Profiteor te non teneri*, de tota obligationis ſubſtantia loquitur, quam non ſubeſſe atteſtatur, nec ſibi quicquam deberi, profitetur, ut merito, cum obligatio deficiat, nihil ſit, quod ab heredibus petatur. At qui a Titio, verbi gratia, ſe non petiturum pollicetur, nihil in obligationem egit, ſibi tantum petendi a Titio facultatem praecidit: itaque cum obligatio maneat, ab heredibus recte petit. CELSI vero reſponſum, [q] in quo opinionis ſuae arcem ſtatuunt, qui contra nos ſentiunt, de pacto in rem facto accipiendum, impellente juris ratione, vere dicere poſſumus, cujuſmodi pactum, licet heredum in eo mentio nulla fiat, ad eos tamen tranſit, ſi non aliud actum manifeſtis argumentis appareat. Longius progreſſus ſnm, quam putaram. Ut ad pacta in rem redeam, concludendae totius diſputationis cauſa ſtatuamus, cum alio factam conventionem alii non prodeſſe, ſi paciſcentis nihil interſit: [r] ac proinde cum poſſeſſore hereditatis factum pactum ei, qui hereditatem evicerit, non prodeſſe: [s] quamquam ſi poſſeſſori conſtituta fuerit pecunia poſt evictam hereditatem actionem heredi decerni placet. [t] Nam ea quidem, quae circa hereditariam obligationem geruntur, cuicumque, qui hereditatem obtinebit, proſunt: pacta vero haec, quae debiti remiſſionem continent, cum ob meritum plerumque fiant,

z *l.* 21. *& heredi.* §. *alt. l.* 27. *ſi unus.* §. 4. *ante omnia.* D. *de pact.*

a *Arg. l. alt.* D. *de duob. reis.*

b *l.* 71. *Uranius.* D. *de fidejuſ.*

c *l.* 34. *qui hominem.* §. *alt.* D. *de ſolution.*

d *l.* 71. *Uranius.* §. 1. *ſi ponamus.* D. *de fidejuſ.*

e *l.* 17. *ſi tibi.* §. 5. *pactum.* D. *de pact.*

f *l.* 76. *dolia.* §. 1. D. *de contrah. empt.*

g *l.* 9. *ſi pactum.* D. *de probat. l.* 8. *ſicut.* §. 16. *ſi debitori.* D. *quibus mod. pig.*

h *Bart. cum aliis. in l.* 7. *juris gent.* § 8. *pactorum.* D. *de pact.*

i *d. l.* 7. *juris gent.* §. 8. *pactorum. l.* 19. *acquirent. in fin. conjuncta. l.* 21. *& heredi. l.* 57. *qui in futurum.* §. *ult.* D. *de pact.*

k *l.* 25. *idem in duobus.* §. 1. *l.* 57. *qui in futurum. in fin.* D. *de pact.*

l *l.* 8. *ſi neceſſarias.* §. 4. *de vendendo.* D. *de pig. act.*

m *l.* 4. D. *de pig. act. l.* 1. C. *de pact. pign.*

n *l.* 149. *ex qua.* D. *de reg. jur. l.* 17. *ſi tibi.* §. 3. *ſi quis paciſcatur. l.* 52. *epiſtola.* D. *de pact.*

o *l.* 59. *heredem.* D. *de reg. jur.*

p *l.* 40. *tale pactum.* D. *de pact.*

q *In l.* 9. *ſi pactum.* D. *de probation.*

r *l.* 27. *ſi unus.* §. 4. *ante omnia.* D. *de pact.*

s *l.* 17. *ſi tibi.* §. 6. *cum poſſeſſor.* D. *eod.*

t *l.* 22. *ſi poſt.* D. *de conſtit. pec.*

& ex liberalitate proficiſcantur, intuitu magis poſſeſſoris, quam hereditatis contemplatione facta intelleguntur. De illo itaque quaeri & dubitari poterit, num cum herede facta pactio fideicommiſſario reſtituta hereditate proſit. Et ſi cum eo pactus ſit creditor, ne res pignori ſit, fideicommiſſario id profuturum ULPIANUS (*a*) reſpondit. [v] De conſtituta quoque heredi pecunia actionem eum habiturum [x] conſentiens omnium opinio eſt, quamquam circa fidejuſſores & pignora diſſentire videantur. [y] Porro ſi creditores cum extraneo adituro pacti ſint, ut minus ſolvatur, eam conventionem etiam neceſſariis perſonis, ſi idoneae ſint, & oneribus ſe hereditatis implicare velint, profuturam quidem ajunt, eumque efficiunt reſcripti ANTONINI [z] ſenſum. Perſonale pactum ad alium non pertinet, ne ad heredem quidem, [a] niſi aliud actum ſit. [b] Proinde ſi convenerit, ne a te ego petam, & heres meus a te recte petet, & ab herede tuo recte petam. [c] Item ſi filiusfam. pactus fuerit, ne a ſe petatur: patri quidem, ſi ex perſona filii vivo eo conveniatur, pactio proderit, poſt mortem vero ejus, nec patri, nec heredi proderit, cum ſit perſonale. [d]

Sibi autem quiſque paciſci debet, alii inutiliter paciſcitur. [e] Quaecumque enim civiliter geruntur (quo in numero pacta ſunt) niſi a noſtra perſona initium capiant, inanem habent exitum. [f] Ideoque nec paciſcendo, nec ſtipulando, nec vendendo, nec alias contrahendo, extra quam per eas perſonas, quae juri ejus ſubſunt, alii caveri, [g] vel liberatio adquiri poteſt. Plane per quos ſtipulationibus adquiritur, per eoſdem & pactis adquiri poſſe lex ait. [h] Cui conſequens eſt filiosfam. vel ſervos paciſcentes, ne a patre dominove petatur, eis exceptionem adquirere. [i] Hereditarium tamen ſervum heredi poſt adituro nomine ejus expreſſo inutiliter, ut ſtipulari, ita & paciſci traditum eſt, cum perinde id ſit, ac ſi extraneae perſonae paciſcatur, [k] propterea quod nondum dominus eſt is, cui paciſcitur, ac nec juris quicquam habere intellegitur. [l] Sed ſi generaliter pactus ſit, ne petatur, vel ne ab hereditate petatur, pactio valebit, & hereditati interea, quae defuncti perſonam ſuſtinet, quaeſita pacti utilitas ad heredem poſtea adeuntem transferetur. Jacente enim hereditate ſervus univerſo hereditatis jure continetur, & ceterarum rerum hereditariarum exemplo dominam hereditatem habet. [m] Proinde omnia ſibi utiliter ſtipulatur, praeter ea, quae perſonam perſonaeque factum deſiderant. [n] Quinetiam ſi proprio nomine, non expreſſo heredi futuro, ſervus pactus ſit, admittendum eſt pactionem valere, [o] quae in id tempus confertur, quo heres adeat: cujus aditio, quantocumque poſt intervallo ſecuta, retro tamen ad mortis tempus trahitur, [p] & quae interim geſta ſunt, confirmat. Nec tantum per ſervos noſtros, ſed & per eos, quos bona fide poſſidemus, nobis pacti exceptio adquiritur, [q] quia re noſtra adquiri nobis videtur, cum obligatione liberamur. [r] Quamobrem & ex ſervi fructuarii uſuariive pacto ei, qui uſumfructum, vel uſum tantum habeat, adquiritur. [s] Quod ſi ne a ſe petatur ſervus pactus ſit, inutile pactum eſſe PAULUS. ait. [t] Ego exiſtimo magis inane & deriſorium eſſe, quam nullum: quia nec a ſervo alias peti potuiſſet, quo cum nec actio eſt, [v] nec judicium conſiſtit. [x] Verbum enim petendi hic, ut alias fere ſemper, ad judicia referendum eſt. [y] Sed quamquam pacti exceptio ex ejuſmodi ſervi conventione domino non detur, doli tamen competituram PAULUS probat (*b*). E contrario ſi filiusfamilias ne a ſe petatur, pactus ſit,

v *l. 8. ſicut. §. 1. D. quib. mod. pign.*
x *d. l. 12. ſi poſt. D. de conſtitutu pec.*
y *l. 71. ſi heres. D. ad SC. Trebell. l. 21. heres. D. de fidejuſſorib.*
z *l. 60. Imperator. D. de pact.*
a *l. 25. idem. §. 1. D. de pact.*
b *l. 26. videlicet. D. eod.*
c *l. 57. qui in futurum in fin. D. eod.*
d *l. 19. adquirent. §. ult. D. cum duabus ſeq. D. de pact.*
e *l. 73. quo tutela. in fin. D. de reg. jur.*
f *l. 11. quaecunque. D. de oblig. & act. l. 53. ea quae. D. de acq. rer. dom.*
g *l. 38. ſtipulatio iſta. §. 17. alteri. D. de verb. obl. l. 6. multum. C. ſi quis alt. vel ſibi.*
h *l. 59. per quos. D. de pact.*
i *l. 17 ſi tibi §. ult. cum leg. 2. ſeqq. D. eod.*
k *l. 27. ſi unus. in fin. D. eod*
l *l. 63. pretio. in fin. princ. D. ad l. Falcid.*
m *l. 36. quod ſervus. in fin. D. de ſtipul. ſerv.*
n *l. 26 uſusfructus. D. de ſtipul ſerv.*
o *l. 28. ſi ex re. §. ult. l. 16. ſervus hereditarius. D. de ſtip. ſerv.*
p *l. 54. heres quandocunque D. de acq. her.*
q *l. 19. adquirent. D. de pact.*
r *l. 21. ſpecies. D. de acceptil.*
s *l. 55. ſi debitor. D. de pact. l. 23. ſed & ſicut D. de uſufr. d. l. 21. ſpecies. D. de accept. pr. & §. 4. Inſtit. per quas perſ. cuique adquir. & §. 1 Inſt. per quas perſon. nob. oblig. adq. ibique Theoph.*
t *l. 21. & heredi. §. 1. D. de pact.*
v *l. 107. cum ſervo. D. de reg. jur.*
x *l. 6. ſervus. C. de jud.*
y *l. 15. amplius. D. rem rat. hab. l. 57. ſi quis ſtipulatus. D. de ſolut.*

(*a*) ULPIANUS] Auctor *L. 8. D. quib. mod. pign.* MARCIANUS in Inſcriptione nominatur.

(*b*) PROBAT] Sed ſi doli exceptio ex ejusmodi pacto detur, quomodo dici poteſt, illud vel eſſe inutile, vel nullum, vel inane & deriſorium? PAULUS in *L. 21. §. 1. D. de pact.* dicit tantum, illud *non valere*: per ſe ſcilicet, ab initio & principaliter: & eatenus etiam admitti poteſt, ſi dicatur, quod *non proſit*; *arg. L. 25. §. 2. D. eod.* Prodeſt tamen ejuſmodi pactum ſecundario, per accidens & ex poſt facto, quando ſcilicet doli mali exceptio opponitur: & eatenus etiam admitti poteſt, ſi dicatur, quod valeat. Caeterum de quaeſtione, quatenus valeat, vel proſit pactum, ex quo non niſi doli exceptio datur, poſt alios noviſſime ſubtiliter diſputarunt *Georg. d'Arnaud Conject. lib. 1. cap. 3.* (in quo emendationes haud neceſſarias improbo) & Conſultiſſ. *Henr. Kellinghuſen* in *Diſſ. de legibus nonnullis Rom. pag. 42. ſeqq.*

ſit, non aeque inane pactum eſt, cum in filium utiliter actio competat: [z] & haec pactio patri, ſi de peculio, vel in rem verſo, vel quaſi defenſor filii conveniatur, nec non & heredi quoque ejus vivo filio proderit; poſt filii mortem nulli proderit: quia perſonalis eſt. [a] Ex diverſo autem his, qui in noſtra poteſtate ſunt, (niſi ut heredibus paciſcamur [b]) paciſcendo prodeſſe non poſſumus, [c] ſic ut directa eis pacti exceptio adquiratur. Doli certe ex aequo & bono exceptio accommodabitur, [d] quae deficiente pacti exceptione plerumque competit. [e] Heredibus certe noſtris paciſci nos poſſe, & vel uni ex his conſulere, non dubium eſt. [f] Nec huic ſimile eſt, quod ſi ſe & heredem ſuum Titium daturum quis ſpoponderit, non ob eam rem minus coheredes Titio adjecti tenentur [g] quoniam ex defuncti perſona obligantur, quam una cum Titio repraeſentant. Ceterum non ut qui ſe daturum promiſit, heredes quoque ſuos obligatos relinquit, ita qui ne a ſe peteretur pactus eſt, heredibus liberationem quaerit: quorum uni dumtaxat providere eum, quemadmodum & unum legatis onerare, [h] nihil vetat. Sed hoc tum admittendum erit, cum diſerte uni ex heredibus defunctus cavit. Alioquin enim coheredes exceptione uterentur. Quinimmo ſi uni tantum pactus ſit quis, quod eum ſolum heredem ſibi exstiturum putabat, ſuſceptis poſtea liberis, & heredibus teſtamento relictis, exceptio proderit, [i] propter veriſimilem paciſcentis voluntatem, [k] qui heredi cavere in animo habuit: plures expreſſurus, ſi plures habiturum ſe praeſenſiſſet. Tutorum etiam [l] curatorumque [m] pacta pupillis, furioſis, prodigis proſunt. Eadem cauſa eſt eorum, qui ſocietatibus praeſunt. Horum enim pactiones ſodalitati proficiunt. [n] Quinetiam procurator pactus ne a domino petatur, ei doli exceptionem adquiret, [o] quamquam obligationem vix umquam adquirat. [p] Denique & reus Ne a fidejuſſore petatur, recte paciſcitur, cum non tam alii adquirere, quam ipſe ſibi conſulere videatur. [q]

Atque ut cum alio facta conventio alii neque nocet neque prodeſt, ita nec in alia re facta ad aliam trahitur. [r] Plane ſi decem debitor pactus ſit cum creditore, ne viginti petat, in decem exceptione ſe tuebitur: quoniam qui viginti ſe non petiturum promiſit, re ipſa quoque pactus ſit, ne decem petat. [s] Sed ſi viginti debeantur, & de decem pactus ſit, reliqua decem petenti exceptio non nocebit. [t] Decem vero aut Stichum ſtipulatus, ſi de Sticho pactus ſit, nec decem recte petet: quandoquidem illius aut illius rei promiſſio ad alteram tantum praeſtandam promiſſorem obligat: & ſive ſoluta una, ſive accepto lata, ſive in judicium deducta fuerit: ſive de ea non petenda pactum interceſſerit, in ſumma, quoquomodo creditoris voluntate ab obligatione altera exempta ſit, tota obligatio conſumitur, & ab altera liberatio contingit. Nam unius certe morte ante moram in accipiendo factam contingente non tollitur obligatio, ſed in ea quae ſupereſt conſiſtit, quoniam reo competens electio alterius morte finiatur, [v] nec creditor ſatis accepiſſe hic ut in ſuperioribus ſpeciebus videatur. At ſi alicui incertus homo ita debeatur, ut ad eum electio pertineat, ex legato forte, & pactus ſit, ne Stichum petat, Stichum quidem petenti exceptio objicietur, contra atque ſi Stichum repudiaſſe eum proponeremus. Homine enim legato fruſtra Stichus repudiatur, [x] qui ante optionem ad nos non pertinet, eligique adhuc poteſt, pacto vero non inutiliter remittitur. Idque ea ratione contingit, quam in hoc tractatu notavimus, quod repudiatione ea tantum amittantur, quae nobis eo ipſo tempore competunt, quo repudiantur: [y] pacto vero etiam ſpes juris abdicari poſſit. [z] Et ideo is, cui homo legatus eſt, Stichum ne petat pactus, Stichum poſtea petens exceptione repelletur: alium vero quemlibet hominem electionis ſibi competentis jure petenti exceptio non obſtabit. Itaque in hac obligatione, ubi electio debitori competeret, idem quod in disjunctiva admittendum eſſe juris ratione ductus crederem. [a] Quod enim invito ſolvi potuit, quare non pacto remiſſum liberationem pariet? Et alioquin quae utilitas pacti eſſet, cum ad eum hominem ſolvendum abſque eo cogi non potuiſſet? Et ita Paulum [b]

z *l. 57. tam ex contractibus. D. de judic.*

a *l. 19. adquirent. §. 1. cum. ll. ſeqq. D. de pact.*

b *l. 33. avus. D. de pact*

c *l. 17. ſi tibi. §. 4. ſi pactus. l. 21. & heredi §. 2. nos autem. D. de pact.*

d *d l. 21. & heredi. §. 2. Julianus.*

e *l. 10. reſcriptum. §. ult. D. de pact.*

f *l 33 avus D. eod.*

g *l. 56. cum qui ita. §. 1. te & Titium. D. de verbor. obl.*

h *l. 33. legatorum. §. ult. l. 34. Titia. §. 6. Lucius l. 53. cum ab uno. D. de legat. II.*

i *l. 40. tale pactum. §. ult. D. de pact.*

k *Arg. l. 8. ſi unquam. C. de revoc. don.*

l *l. 15. tutoris. D. de pact.*

m *l. 28. contra. §. 1. D. eod.*

n *l. 14. item magiſtri. D. de pactis.*

o *l. 10. reſcriptum. §. ult. cum l. ſeq. D. eod.*

p *l. 11. ſolutum. §. 6. per liberam. D. de pign. act.*

q *l. 27. ſi unus. §. 1. D. de pact.*

r *d. l 27. ſi unus. §. 4. ante omnia.*

s *l. 1. §. 4. ſi ſtipulanti. D. de verbor. obl*

t *d. l. 27. ſi unus. §. 5. ſi cum mihi. D. de pact.*

v *l. 2. §. 3. D. de eo quod cert. loc.*

x *l. 18. homine. D. de opt. leg.*

y *l. 1. §. 7. decretalis. D. de ſucceſſ. ed. l. 45. ſi ita ſit ſcriptum. §. 1. ſi ſub condicione. D. de leg. II.*

z *l. 21. & heredi §. 3. filiuſfam. D. de pact.*

a *Arg. l 13. & per jurjurandum. §. 4. ſi is qui hominem. D. de acceptil.*

b *In d. l. 27 ſi unus. §. 7. ſed ſi generaliter.*

interpretandum multi ſummi judicii viri ſentinnt: quibus accedo. Juſto pacto naturalem obligationem ipſo jure tolli PAULUS (*a*) ait. [e] Juſta autem pacta ſic accipio, quae rationi & aequitati conſentanea ſunt: quaeque ejuſmodi ſunt, nt a praetore ſervari debeant, id eſt, neque vi, neque metu, neque dolo malo extorta, neque contra leges, plebiſcita, Senatuſconſulta, Principnm conſtitutiones, edicta, neque quo ſraus cuiquam eorum fiat, ſacta. [d] Nam nt illis aſſentiar, qui juſtum pactum legitimum interpretantur, adduci nullo modo poſſum, cum & juſto pacto jusjurandum comparetur, [e] & jurisjurandi juſta eſſe conventio dicatur: [f] Quod ad jus civile plane referri non poteſt, quia nec lege aliqua jurisjurandi conventio confirmatur, & praetoris dumtaxat jurisdictione ſuſtinetur, qui exceptionem jurejurando interpoſito tribuit; [g] aut ſi ad obligandum pertineat, actionem. [h] Magis eſt autem, ut & in ſuperiore loco, & aliis omnibus auctorum noſtrorum locis, [i] juſtas conventiones intellegamus, qnae turpes improbaeque non ſint, quae ab aequitate naturali, ad quam potiſſimum redigendae ſunt, non recedant, quo modo & pactum illud, quo convenit, ut pecunia intra diem certum non ſoluta judicatis debitor ſatisfaciat, & item illud, quo placuit, ut tributa, praedii pignori nexi debitor pendat, quod ad ipſos, qui pacti ſunt, attinet, juſta eſſe, & ideo ſervanda Jureconſulti dicunt, [k] quod ſcilicet aequitate conventionis nitantur, neque legibus repugnent, nec ullam turpem cauſam contineant: Non quod legis alicujus auctoritate firmentur. Atque ita etiam juſtam cauſam conventionis, [l] & juſtam exceptionem [m] dicunt. Unus reſtat ſcrupulus, qui multos male habet, quod ipſo jure pacto naturalem obligationem tolli PAULUS ait. [n] Quod certe ſi ſubtilem verborum obſervationem, quam initio hujus libri expoſui, ſequamnr, vix conſiſtet, quoniam ipſo jure civili pactum obligationem non tollit. Sed hoc ita a Paulo σημαντικῶς dictum eſt, ut vim ipſam naturalis obligationis pacto aequo juſtoque interpoſito tolli ſignificet, nec ullas jam ejus reliquias ſupereſſe. Nam nec ſolutae poſtea pecuniae repetitio inhibebitur, nec compenſatio ex priſtina obligatione admittetur, nec ei fidejuſſor recte accedet, nec pignus in eam cauſam datum tenebit: quae ſunt natnralis obligationis clariſſima indicia. [o] Ipſo certe jure civili tolli non ſenſit, qui conventionis aequitate hoc fieri ſubjunxit: quam ſolam ſine civilis juris conſideratione ſpectari hic oportet. Non enim juris civilis poteſtate, quod fit in ſtipulationibus & legitimis conventionibus, ſed contraria conventionis aequitate, naturale vinculum diſſolvi ſubdit.

Omiſſa verborum quaeſtione, maneat illud, Pacto convento juſto exceptionem acquiri, qua qui tutus poſtea per errorem ſolverit, indebiti condictionem habebit, [p] ſi modo pactum perpetuum eſt. Nam ſi ad certum tempus pactio ſacta ſit, ſoluti ante tempus condictio non magis dabitur, quam ſi debitor ex ea die ſolviſſet. [q] Non tantum autem, ſi diſerte pactus ſit creditor, ſed & ſi debitori ſuo cautionem reddiderit, poſutura debitori exceptio eſt, quaſi tacito conſenſu convenerit, ne creditor petat: [r] aliter atque pignore reddito ſtatuatur, [s] ex cujus redditione cum aliae naſcantur utilitates, remiſſi debiti conjectura nnmquam capietur, quae una ex chirographi redditione utilitas fingi poteſt. Eadem differentia & in teſtamentis ſervatur, [t] ut ſi debitori ſuo decedens quis chirographum legaverit, pro liberatione legata id ſit: pignore vero legato non ita. Redditum certe debitori contra creditoris voluntatem chirographum, creditori debitae pecuniae petitionem non adimit. [v] Nihil vero ad pacti utilitatem neceſſe eſt paciſcendi cauſam exprimi. Hoc enim in cautionibus dumtaxat, quae ad obligandum pertinent, exigitur: [x] in pactis vero locum non habet, cum quibus certa plerumque res & indubitata ex liberalitate remittitur. [y] Haec de pactis, quae liberandi cauſa interponuntur, dicta ſunto. De reliquis alius nobis eſt ad dicendum conſtitutus locus.

LI-

e *l. 95. Stichum. §. 4. naturalis. D. de ſolut.*

d *l. 7. juris gen. §. 7. praetor ait. D. de pact.*

e *In d. §. 4. naturalis. l. 95. D. de ſolut.*

f *l. 39 ſi quis cum debitore. D. de jurejur.*

g *§. 4. aeque ſi debitor. Inſt. de exception.*

h *§. 11. Inſtit. de action.*

i *l. 5. cum emptor. D. de reſcind. vendit.*

k *l. 40. tale pactum. §. 1. l. 52. epiſtola. §. 2. pactum. D. de pact.*

l *l. 56. ſi convenerit. D. de pact.*

m *l. 66. Marcellus. D. de reg. jur.*

n *d. §. 4. naturalis. l. 95. D. de ſolut.*

o *l. 10. naturales. D. de oblig. & act. l 6. etiam. D. de compenſ. l. 13. naturaliter. in fin. princ. D de cond. indeb. l. 1. D. de fidejuſſ.*

p *l. 34. qui hominem. §. ult. D. de ſolution.*

q *l. 56. ſufficit. D. de condict. indeb.*

r *l. 2. D. de pact.*

s *l. 3. D. de pact.*

t *l. 1. 3. & 4. D. de lib. leg.*

v *l. 15. quod debitori. C. de ſolution.*

x *l. 25. cum de indebito. in fin. D. de probat. l. 2. §. 3. circa. D. de doli exc.*

y *l. 1. D. de transact.*

(*a*) PAULUS] Auctor *L. 95. D. de ſolut.* PAPINIANUS perhibetur in Inſcriptione.

Liberari etiam teſtamento debitor poteſt. Utiliter enim quacumque ex cauſa obligato debitori, ſive ex contractu, ſive ex delicto eum dare ſacere oporteat, liberatio legatur. z Nec noſtro tantum, vel heredis noſtri; ſed & cujuslibet alterius debitori per fideicommiſſum liberatio relinqui poteſt. a Quae res nullam alieno creditori injuriam facit: b heredem dumtaxat onerat, qui re ipſa tantam pecuniam inferre damnatur: quantam legatarius debet. Et vel his, qui honorario tantum jure adſtringuntur, liberatio recte legatur. Sic enim patri, quorum ex filii contractu honoraria de peculio actio eſt, liberatio relinquitur, utileque eſt legatum, etſi die ejus cedente nihil in peculio ſuerit, c cum potuerit rei judicandae tempore aliquid eſſe: quod tempus in actione de peculio obſervandum eſſe placet. d Similiter ſi marito dotis liberatio legetur, legatum valet, licet die ejus cedente facere maritus nihil poſſit: Tanto magis, quod hic nihilominus debitor eſt, quamquam ſolvendo non ſit, uſque adeo, ut ejus quod ultra quam facere poſſet, ſolverit, condictionem non habeat. e Ideoque liberationis commodum ſentiens, longe magis legatarius habendus eſt, quam pater, cui tum, cum in peculio nihil eſſet, liberatio eſt relicta. Quem propterea, quod nondum debeat, nec niſi propter ſpem futuri peculii ex legato commodum percipere poſſit, legatarium eſſe abſolute Tryphoninus non definit, ſed hoc in pendenti eſſe ſtatuit, f perinde ac ſi qua alia cauſa incertam ac dubiam ſpem legati faceret. Atque hac quidem in parte inſcite *Accurſius* Julianum Juliano adverſantem facit: g quem hoc dicere male exiſtimat, marito, cui liberatio legata eſt, ſoluti per errorem condictionem denegari. Quod Juliano numquam in mentem venit: qui ut legatarium probet eſſe maritum, cui eo tempore, quo facere non poterat, liberatio eſt legata, hoc pro ratione affert, non eo minus omni jure maritum debere, quod ſolvendo non ſit: in tantum, ut ſolutae quantitatis eo nomine repetitionem non habeat. h Quamquam humanitatis cauſa ei indulgeatur, ut eatenus exigatur, quatenus ſalva dignitate facere poteſt. Contra atque (ut bene Marcellus, Julianum notans, animadvertit i) in patre dicendum ſit, qui tunc cum in peculio nihil eſſet, pro filio ſolvit: hic enim cum ex filii contractu civiliter non obligetur, k ſed praetorio dumtaxat jure hactenus teneatur, quatenus in peculio eſt, l indebitum ſolviſſe exiſtimatur, & ideo repetit. Ceterum poſt legatam liberationem a marito ſolutam pecuniam condici poſſe Julianus illic non negat. Et alias m non obſcure ſignificat, atque adeo aperte oſtendit, ex liberationis legato exceptionem perpetuam quaeri, quae poſtea per errorem ſoluti condictionem tribuat. Sed de his ſatis. Etiam fidejuſſori ſuo debitor liberationem recte legat, tametſi creditori a debitore eo modo legari videatur, quod futurum ſit, ut ſoluta a fidejuſſore pecunia mandati heredes obſtringantur. Sed cum fidejuſſoris interſit pecuniam retinere potius, quam ſolutam repetere, n non bene ejus legati commodum eſt, ex quo ultro agere, ut liberetur, fidejuſſor poteſt. o Debitori ſane, qui ſe perpetua exceptione tueri poſſit, inutiliter liberatio legatur. p Nec enim debere videtur, qui perpetua exceptione ſubmovere petentem poteſt. q

Nunc quis ſit legatae liberationis effectus videamus, eo ante praemiſſo, quod nihil intereſt, prohibeat quis heredem ſuum non exigere, damnet non petere, jubeat liberare, aut debitori ipſi id, quod debet, leget, r cum his omnibus modis debitori liberatio praeſtanda ſit: nec exceptione tantum doli, ſi ab eo petatur, ſe tueri, ſed & ultro agere, ut accepto liberetur; aut pacto, ſi ad alios liberationem porrigi teſtator noluerit, s & velut fideicommiſſum ut liberetur, petere poſſit. t Et quidem ſi a reo non petere heres damnatus ſit, ne a fidejuſſore quidem ejus recte petet, v propterea quod cum fidejuſſor convenitur, vi ipſa conveniri reus videtur, x qui de refundenda pecunia tenetur, ut aliter ex legato commodum ſentire non poſſit, quam ſi fidejuſſori quoque liberatio proficiat. Proinde acceptilatione hic erit reus liberandus, etiam ſi qui ab eo petere vetitus eſt, damnatus ſit, quod fidejuſſor ejus debet, Titio praeſtare. Quo caſu, cum reo liberato & ipſe fidejuſſor obligatione dimittatur, litis aeſtimationem legatario

z *l.* 8. §. *ult. l.* 16. *ei.* D. *de liber. leg.*

a *l.* 3. *non ſolum.* D. *de liber. leg.*

b *Argum. l.* 8. *ſi Stichum. in fin.* D. *de novat.*

c *l.* 5. *ſi quis reum.* §. 2. *idem Julianus.* (*alias l. ſi filiusfam.*) D. *de liber. leg.*

d *l.* 30. *quaeſitum.* D. *de pecul.*

e *l.* 8. *quod nomine. l.* 9. *nam & maritus.* D. *de cond. indeb.*

f *l.* 27. *videamus.* D. *de lib. leg.*

g *Id eſt* §. 2. *ſi filiusfam. l.* 5. D. *de lib. leg. cum l.* 26. *ſi non ſortem.* §. 7. *adeo.* D. *de cond. ind.*

h *l.* 9. *nam & maritus.* D. *de cond. indeb.*

i *in d.* § 2. *ſi filiusfam. l.* 5. D. *de lib. leg.*

k *l.* 8. *an inutilis. in fin.* D. *de acceptil.*

l §. 10. *actiones autem. Inſt. de action.*

m *d. l.* 26. *ſi non ſortem.* §. 7. *adeo.* D. *de cond. ind*

n *l.* 15. *ſi ſtipulatus.* D. *de fidejuſſor. l.* 3. *ideo.* D. *de compenſat.*

o *l.* 11. *ſi debitor.* D. *de lib. leg.*

p *l.* 13. *ſi creditor.* D. *de lib. leg.*

q *l.* 55. *creditor.* D. *de verb. ſig.*

r *l.* 2. *l.* 16. *ei cui.* D. *de lib. leg.*

s *l.* 3. §. 3. *nunc de effectu.* D. *de liber. leg.*

t *l.* 25. *legavi.* D. *de liber. leg. l.* 1. §. 2 *ſi debitori.* D. *ut in poſſeſſ. leg.*

v *l.* 2. D. *de liber leg.*

x *l.* 1. D. *rem rat. hab.*

rio praeſtare heres cogetur, [y] quaſi facto ejus fidejuſſor liberatus ſit. [z] Si tamen donationis cauſa fidejuſſor, vel pro invito, vel in rem ſuam interceſſerit, pacto erit reus liberandus, [a] nullum damnum paſſurus, licet a fidejuſſore petatur, qui ſolutae pecuniae nomine ad eum non ſit recurſurus. [b] E diverſo, ſi fidejuſſori liberatio legata ſit, non eo minus a reo recte petetur. [c] Igitur pacto fidejuſſor erit liberandus, niſi vel vere reus, vel ſocius reus fuerit. [d] Secundum haec ſi uni ex duobus reis debendi teſtamento liberatio legetur, ſi quidem ei ſoli conſultum teſtator voluit, & ſocii non ſunt pacto: ſi ſocii ſint, acceptilatione liberatio praeſtabitur. [e] Cum enim ſocietas inter reos intercedit, non poteſt uni legati utilitas praeſtari, quin & ſocio proficiat, & ab ipſo peti videtur, dum a correo petitur. [f] Proinde ſi duos reos liberare heres juſſus eſt, & alter ex his capere non poteſt, nec ulla eſt inter eos ſocietas, delegari debebit is, qui nihil capit, ei, qui capere poteſt. Ita enim effectum legati ſentiet, cui ſolldi liberatio eſt legata. Si ſocii ſint, acceptilatione qui capit liberabitur, atque ita propter eum & ille, qui capere non poteſt, per conſequentiam dimittetur. [g] Sic enim plerumque ex ſocii perſona conſequimur, quod ex noſtra conſequi non poſſumus, [h] cum videlicet utriuſque cauſa ita commixta eſt, ut ſeparari non poſſit. [i] Patri, qui pro filio fidejuſſit, ſi liberatio legetur, ut fidejuſſor pacto liberabitur, non etiam de peculio tamquam pater, niſi & hoc teſtator voluerit. [k] Quo caſu, poſt filii etiam emancipationem, patri in id actio competit, ut eo liberetur, quod de peculio, vel de in rem verſo actione fuerat praeſtaturus. Filio vero inde liberatio peti non poterit, cujus obligatio ſeparatam cauſam habet, cum nec patris ultra interſit, quam nt eo, quod heredi praeſtaturus fuerit, liberetur. [l] At ex contrario ſi filio liberatio legetur, acceptilatione is liberandus erit, ni aliud teſtator ſenſerit. Quae res & patri proficiet, qui ex filii perſona honoraria actione conveniri potuiſſet. [m] Non multum enim pater ab acceſſore diſtat, [n] cum ſuo nomine non teneatur. Illiuſque exemplo etiam juvari eum non repugnante aequum eſt teſtatoris voluntate, liberatione ei legata, cujus nomine in eum actio competiiſſet.

Herede porro petere prohibito, nec heredis heres petere poterit. [o] Sed nec a debitoris herede recte petetur, ſi in rem concepta ſint legati verba: alioquin ſi perſonae ejus, cui relinquitur, liberatio cohaereat, ab herede petetur, [p] veluti ſi ita teſtator ſcripſerit: *Heres meus a ſolo Titio ne petito.* Vel ita: *A Titio, quamdiu vivet, exigi nolo.* [q] Perſpicuum eſt enim, utroque caſu ſoli debitori proſpicere teſtatorem voluiſſe, cujus morte liberationis commodum evaneſcit. Quamquam autem rationes a tutore, curatore, negotiorum geſtore, procuratore exigi teſtator vetuerit, nihilominus tamen quod dolo feciſſe, vel ex rebus teſtatoris penes ſe habere arguentur, id eis remiſſum intellegetur, [r] nec reliqua exigere, debitamve ex contractibus tutorio aut procuratorio nomine geſtis pecuniam repetere, chartaſve, in quibus rationes conſcriptae ſunt, petere heres prohibebitur. [s] Et omnino ſimpliciter reddendarum rationum neceſſitate remiſſa, culpa remiſſa intellegitur, non etiam dolus. [t] Quod ſi quis reliqua, & quae fraudulenter geſta fuerint, remittere velit, damnare heredem debet, quidquid illa vel illa actione exegerit, id ei reſtituere, vel actionem remittere. Ita enim & quae fraudulenter admiſſa fuerint, vi ipſa remittuntur. [v] Itaque & heres damnatus aliquem liberare, quod is negotia defuncti geſſerit, & ſi quid ex ea cauſa eum dare facere oportet, id ab eo exigere prohibitus, ne creditas quidem ex adminiſtrationis ratione pecunias ab eo exigere poterit. [x] Sed etſi patrem actione tutelae liberari filius voluerit propter naturalem affectum, pecunias quoque ex venditionibus rerum confectas, vel ex nominibus exactis in ejus uſus verſas, remiſſas accipimus, ſi non aliud filium ſenſiſſe heredes manifeſtis argumentis probent. [y] Liberatione colono relicta, ſi jure locationis heres quid retineat, ex teſtamento obligabitur, & agi cum eo poteſt, ut non illatarum penſionum & conductionis liberatio praeſtetur. [z] Non tantum autem quod teſtamenti tempore debebatur, ſed & quod ex ſumma debita uſurarum nomine poſtea acceſſerit, liberationis legato cedet, cum totam debiti cauſam, omnemque obligationem diſſolvi teſtator volue-

y *l.* 10 *ſi damnatus.* D. *de lib. leg.*
z *Arg. l.* 13. *qui duos.* D. *de legat.* II.
a *l.* 5. D. *de liber. leg.*
b *l.* 32. *quod dictum.* D. *de pactis. l.* 6. §. 2. *ſi paſſus. l.* 40. *ſi pro te.* D. *mand.*
c *l.* 2. D. *de liber. leg.*
d *l.* 5. D. *de liber. leg. l.* 24. *ſed ſi.* D. *de pact.*
e *l.* 3. §. 3. *nunc de effectu.* D. *de liber. leg.*
f *l.* 34. *ſi duo.* D. *de arbitr. l.* 1. D. *rem rat. hab.*
g *l.* 29. *ſi is qui duos.* D. *de liber. leg.*
h *l.* 10. *ſi communem.* D. *quemadm. ſer. am.*
i *l.* 5. *ſi ſponſus.* §. 2. *generaliter* D. *de donat. inter vir. & ux.*
k *l.* 5. §. *ult.* D. *de liber. leg.*
l *l.* 6. *in princ. &* §. 1. D. *eod.*
m *d. l.* 5. *ſi quis reum.* §. 3. D. *eod.*
n *l.* 49. *cum filiusfam. l.* 91. *ſi ſervum* §. 5. *an filiusfam.* D. *de verb. obl.*
o *l.* 2. §. 1. *l.* 15. *ſi quis in teſtamento.* D. *de lib. leg.*
p *l.* 8. §. 3. *tale* D. *eod.*
q *l.* 20. *Aurelio.* D. *eod.*
r *l.* 8. §. 5. *l.* 9. *l.* 20. *Aurelio in fin. l.* 28. *Aurelius.* §. 4. *Maevia.* D. *de liber. leg*
s *l.* 9. *ſi quis rationes. l.* 23. *procurator. l. ult.* §. 1. *inter.* D. *eod.*
t *l.* 72. *cum tale.* §. 3. D. *de cond. & dem. l.* 119. *ſi ſervus vetitus.* D. *de legat.* I.
v *l.* 9. *ſi quis rationes in fin.* D. *de lib. leg.*
x *l.* 19. *cum ita.* D. *eod.*
y *l.* 28. *Aurelius* §. 3. *Titius teſtamento.* D. *de liber. leg.*
z *l.* 16. *ei cui. l.* 18. *Caſſius.* D. *eod.*

luerit.[a] Plane ſi poſtea novatione facta ampliata ſumma ſit, id tantum, quod ex vetere contractu debebatur, ſi tamen manſiſſe in voluntate teſtator probabitur, legato comprehendetur. Vix enim eſt, ut non hujuſmodi novatione receſſiſſe a priore voluntate videatur.[b] Ampliata utique ſumma, perinde ac novum quodlibet poſt teſtamentum debitum contractum, utiliter a legitario petetur. Etenim quae poſt legatam liberationem credita ſunt, in legatum venire non poſſunt, cujus in praeſens, vel in praeteritum verba conferuntur.[c] Itaque ſic ſtatuamus, liberationem legatam ad ea tantum, quae teſtamenti tempore debentur, non etiam quae poſtea deberi coeperint, pertinere, niſi ea acceſſionis dumtaxat loco ſorti addita ſint.[d] Quamquam autem Stichum aut decem ſtipulatus, heredem dumtaxat decem non petere damnaverit, tota tamen obligatione debitor erit liberandus,[e] quae cum ad alterum tantum praeſtandum debitorem obſtringat, altero vel ſoluto, vel acceptolato, vel ſi de eo non petendo pactum interceſſerit, tota tollitur.[f]

Liberatio legata ita effectum habet,[g] ſi in diem mortis obligatio manſerit. Quod ſi a debitore, dum teſtator vivit, exactum vel ſponte ſolutum fuerit quod debetur, aut alias eo nomine ſatisfactum, extinguitur legatum. Sed & ſi heres debitorem ſuum liberare rogatus ſit, quod ante apertas tabulas exactum fuerit, fidei commiſſo non comprehendetur. Probabiliter enim potuit heres nondum reſignatis tabulis, quae teſtamento continerentur, ignorare: poſt apertas ſane tabulas, licet ante aditam hereditatem, exactum, cum doli ſuſpicio heredem urgeat, revocabitur.[h] Quinetiam ſi cum debitori ſub condicione liberatio legata eſſet, pendente condicione heres exegerit, (exigere vero oblata cautione jure poteſt) exiſtente poſt condicione cum eo actio erit, ut quod acceperit reſtituat, aut ſi litem conteſtatus nondum ad ſententiam pervenerit, ut actiones remittat.[i] Hujuſmodi legatario ſimilem facimus eum, cui a pupilli ſubſtituto liberatio legatur. Quem ſi ad ſolutionem pupillus adegerit, intra pubertatem poſtea mortuo eo, ex teſtamento ſubſtitutus tenebitur, cum ea, quae ſecundis tabulis relinquuntur, quaſi in primis ſub conditione relicta intelligantur.[k] Ceterum quod imprudens heredi poſt aditam hereditatem ſolverit, is cui teſtamento liberatio legata eſt, ejus conditionem habet.[l]

Quae omnia ita ſe habent, ſi in perpetuum & ſine temporis praefinitione liberatio ſit legata. Nam ſi ad certum domtaxat tempus, intra id quidem nec a debitore, nec ab ejus herede recte petetur, ſed & uſurarum curſus & obligatione comprehenſa poena inhibebitur:[m] poſt tempus vero ultra neque debitori, neque heredi ejus, neque fidejuſſori proderit.

IN HUNC ordinem etiam jusjurandum refertur. Nam qui ſe creditore deferente non debere juravit, ipſo quidem jure obligatus manet. Sed quia iniquum eſt de perjurio queri (*a*), imputareque ſibi debeat, qui ad delationem proceſſerit, ideo exceptio ei ex Praetoris juriſdictione datur, qua petentem creditorem repellat,[n] ut de eo amplius non quaeratur, debitum fuerit nec ne, ſed perinde quaſi pactio interceſſerit,[o] ita & naturalis obligatio tollatur,[p] & pignus liberetur, & ſoluta poſt pecunia condicatur.[q] Eaque ratione eleganter Laberius jusjurandum emplaſtrum eſſe aeris alieni dixit,[r] cujus involucro plerumque debiti veritas tegitur. Haec de jurejurando quantum ad inſtitutum neceſſe eſt, breviter attigiſſe ſatis eſt. In aptiorem enim locum totam jurisjurandi quaeſtionem rejiciendam cenſeo.

TEMPORE quoque liberamur, & quidem exceptionis beneficio, non etiam ipſo jure (*b*). Semel enim conſtituta jure civili obligatio, tempore tolli nequit:[s] quod alicui deberi coeperit, id certis modis deberi deſinit, non tempore, non pacto, ceteriſque lege ad eam rem minime comparatis modis. Sed cum pactis conventis ſtari praetor ratione naturali adductus velit, idcirco contra placita poſt tempus pe-

a *l.* 18. *Aurelius.* § 6. *legatum. l. ult.* § . 4. *Cajo.* D. *de liber. leg.*

b *l. ult. in fin.* D. *eod.*

c *l.* 28. *Aurelius.* § . 1. & 2. *Titius Sejo.* D. *de liber. leg.*

d *l.* 28. *Aurelius* § . 6. *legatum. l. ult.* § . *ult.* D. *eod.*

e *l.* 7. § . 1. D. *eod.*

f *l.* 27. *ſi unus.* § . 6. *ſed ſi ſtipulatus.* D. *de pact.*

g *l.* 7. § . 4. *liberatio.* D. *eod.*

h *l.* 24. *cum heres.* D. *eod.*

i *l.* 7. *in fin. l.* 21. *ſi id quod.* § . *ult.* D. *de liber. leg.*

k *l.* 11. *in ratione.* § 5. *quod vulgo.* D. *ad leg. Falcid.*

l *l.* 26 *ſi non ſortem.* § . 7. *adeo.* D. *de cond. ind.*

m *l.* 8. § . 1. 2. *l.* 28. *Aurelius.* § . 8. *centum.* D. *de liber. leg.*

n § . 4. *atque ſi creditor. Inſt. de exception.*

o *l.* 39. *ſi quis cum debitore.* D. *de jurejur.*

p *l.* 95. *Stichum.* § . 4. *naturalis* D. *de ſolution.*

q *l.* 40. *jusjurandum a debitore. l. ult.* D. *de jurej.*

r *Gell. lib.* 16. *cap.* 7.

s *l.* 44. *obligationum fere.* § . 1. *placet.* D. *de obl. act.*

(*a*) QUERI] Jurisjurandi enim delatio pro transactione habetur.

(*b*) JURE] Confer *Gundlingiana Part.* XV. *pag.* 465. *ſeqq.*

petenti per pacti vel doli exceptionem occurretur. [t] Itaque & tempore liberati his comparantur, qui ſatisfecerunt, cum habeant, quod creditori opponere poſſint: [v] uſque adeo, ut datus ab his fidejuſſor, quia nulla jam res ſubſit, cui accedat, non obligetur, [x] & ſoluta ab his poſt tempus per errorem pecunia, condicetur. [y] Idemque in his, qui temporali actione tenebantur, poſtquam dies actionis exierit, dicendum eſt.

Praeterea qui judicis ſententia abſolutus eſt, liberatur. Petentem enim creditorem rei judicatae exceptione ſubmovere poteſt. Sed cum vere debuerit, perperam abſolutus nihilominus natura debitor manet. [z] Et ideo ſolutum non repetit. [a]

Poſtremo generaliter debitori liberationem competere ſtatuendum eſt, cum res debita ſic ad creditorem pervenerit, ut nec poſſit avocari ab eo, nec ei ob eam cauſam aliquid abſit. [b] Itaque quicumque ex cauſa lucrativa ſpeciem debent, liberantur, cum ea alicunde ad creditores ex cauſa lucrativa pervenit ſic, ut avelli his nulla ratione poſſit. [c] Etenim ſi quo caſu ab his ejus rei dominium diſceſſurum ſit, non protinus obligatio perimetur. [d] Atque hi fere omnes ſunt liberationum modi. Nam & capitis tam maxima quam media minutione debitorem liberari, [e] non ſum neſcius, veluti ſi deportetur, [f] vel ademptis bonis exulare jubeatur, [g] vel in opus publicum damnetur. Sed cum in locum ita damnatorum fiſcus publicatis bonis ſuccedat, [h] actiones quoque in eum transferuntur. [i]

t §. 3. *at ſi ita ſtipulatus. Inſtit. de verb. obl. arg. l. 4.* D. *de ſervit.*
v *l. 45. ſi pupillus in fin.* D. *de admin. tut.*
x *l. 37. ſi quis poſteaquam.* D. *de fidejuſſ.*
y *l. ult. §. ult.* D. *rem rat. hab.*
z *l. 60. Julianus.* D. *de cond. ind.*
a *l. 28. judex.* D. *eod.*
b *l. 61. quotiens. l. 95. Stichum. §. 8. ſi creditor.* D. *de ſolution.*
c *l. 17. omnes.* D. *de oblig. & act. l. 81. non quocumque* D. *de leg. 1.*
d *l. 83. inter ſtipulantem. §. 6. ſi rem.* D. *de verbor. obl. l. 92. non quocumque.* D. *de legat. 1*
e *l. ult.* D. *de duob reis.*
f *l. 47. ſi debitori.* D. *de fidejuſſ.*
g *l. 1.* C. *de fidejuſſor.*
h *l. 65. actione. §. 12. publicatione.* D. *pro ſoc.*
i *l. 2.* C. *ad l. Jul. de vi publ. l. 5.* C. *de bon. proſcript. l. 2.* D. *de capite deminut.*

F I N I S.

B. BRIS-

B. BRISSONII
AD
LEGEM JULIAM
DE
ADULTERIIS
LIBER SINGULARIS.

EX RECENSIONE

ET CUM

ANNOTATIONIBUS

ALBERTI DIETERICI TREKELL. JC.

Digitized by Google

V. C. CHRISTOPHORO THUANO CELIO,

PARISIENSIS SENATUS PRAESIDI,

B. BRISSONIUS S.

SUPERIORIBUS *temporibus hac Satyrici poëtae querela aures noſtrae perſonavere :* Ubi nunc lex Julia dormis ? *Inſederat videlicet imperitorum animis ridicula quidem, ſed tamen quae maximam ad nequitiam feneſtram patefecerat, opinio, adulterorum in Gallia impunita eſſe peccata, qua paſſim corruptis moribus laudi jam duci, & in pretio haberi id vitii coeperat. Hanc tu Reipubl. pernicioſam opinionem editis non ita dudum de aliquot adulteris exemplis eripuiſti, perfeciſtique, ut non tam puniendi voluntatem, quam accuſatores majoribus noſtris antehac defuiſſe judicemus. Quod ſpectaculum cum maximus bonorum omnium plauſus conſecutus eſſet, hinc me laudum tuarum, ad quas hunc cumulum acceſſiſſe valde gaudebam, commemoratione incenſum res ipſa admonuit, ut antiquam de adulteriis coërcendis ab Auguſto latam legem, quae quaſi poſtliminio in uſum rediret, in ordinem digererem, & interpretatione adhibita illuſtrarem. Itaque nondum a quoquam tentatam quaeſtionem ingreſſus, cum animum meae in te obſervantiae teſtificandae cupiditas adderet, libellum non injucundum, ut ſpero, confeci, &, ut in tuo nomine appareret, curavi. Is ſi tibi probabitur, mihi, qui ſola tibi gratificandi voluntate ad ſcribendum acceſſi, abunde ſatisfactum judicabo: ad reliquos, ſi quis praeterea per te ex noſtris vigiliis fructus perveniat, id omne in inſperato lucro deputabo. Vale. Lutetiae Pariſiorum, pridie Kalend. Decemb. 1557.*

B. BRIS-

Digitized by Google

B. BRISSONII
AD
LEGEM JULIAM
DE
ADULTERIIS
LIBER SINGULARIS.

Probra, quemadmodum Ulpianus ſcribit, * quaedam natura turpia ſunt, quaedam civiliter, & quaſi more civitatis. In illis adulteria numerantur, quibus abſtinendum eſſe, non tam ſcitis legum, quam naturali ratione dictante, quiſque intellegit. *Nec* enim, ut a Cicerone praeclare ſcriptum eſt, a *ſi regnante Tarquinio nulla erat Romae ſcripta lex de ſtupris, idcirco non contra illam legem ſempiternam Sextus Tarquinius vim Lucretiae, Tricipitini filiae, attulit. Erat enim ratio, profecta a rerum natura, & ad recte faciendum impellens, & a delicto avocans, quae non tum denique incipit lex eſſe, cum ſcripta eſt, ſed tum, cum orta eſt. Orta eſt autem ſimul cum mente divina.* Argumento eſt conſentiens in unum omnium populorum de adulterii turpitudine opinio, quae pro certiſſima lege naturae accipienda eſt. b Nam ex quo primum a fero & agreſti cultu ad humanitatem traducti homines certis inter ſe matrimoniorum legibus devincti ſociatique ſunt, qui prius incerto ac promiſcuo coitu libidinem explebant ſuam: ex eo tempore vitio duci adulterium, legibuſque prohiberi coepit (*a*).

* *l. 42. D. de V. S.*

a *lib. 2. de legibus cap. 4.*

b *Cic. lib. 1. Tuſc. quaeſt. cap. 13.*

Augustinus *lib.* 1. *de libero arbitr. cap.* 3. Adulterium ab omnibus malum eſſe intelligitur. Parthi plane etſi dulcedine variae libidinis ſinguli plures uxores haberent, nulla tamen delicta, adulteriis gravius vindicabant, ut Justinus *lib.* XLI. *cap.* 3. auctor eſt. Lactantius *Epitomes divin. Inſtit. c.* VI. (*cap.* 64. *ed. Heum.*) *Item non adulterare. Sed hoc praecepto non ſolum corrumpere alienum matrimonium prohibemur, quod etiam commune gentium jure damnatur, verum etiam proſtitutis corporibus abſtinere.*

Fuit

(*a*) Coepit] Ita ratiocinabantur illi, qui veram & divinam matrimonii inſtitutionem ignorabant, ex qua fortius adulterii turpitudo demonſtrari poteſt. Sed auctor fortaſſis conſulto a commemoratione divinae hujus matrimonii inſtitutionis abſtinere voluit. Interim verum hoc etiam eſt, quod auctor ſcribit, intuitu gentium quarundam efferatarum, non vero intuitu totius generis humani, ut hiſtoriarum monumenta docent.

—— *Fuit* (ait Horatius [c]) *haec ſapientia quondam.*
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis:
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

c *In art. poët. v.* 396.

Et alias: [d]

Oppida coeperunt moliri, & ponere leges,
Neu quis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter.

d *lib.* 1. *ſerm. ſat.* 3. *v.* 105.

Quae res efficit, ut quae in jure civili errantes inceſti crimine liberantur, adulterio commiſſo nullam mulieres excuſationem habeant [e], propterea quod lege naturali, quam ignorare eas inſita ratio non permittit, prohibitam rem admiſerint. Id adeo ex eo vel perſpicue apparet, quod eſt brutis (*a*) quibuſdam a natura datum, ut adulteria averſentur: & quanto ea hominibus odio eſſe debeant, quibus poſſint indiciis teſtentur. [f] Nec immerito certe hujus vitii foeditatem in animis noſtris lucere ipſam per ſe communis parens voluit. Etenim ut omnia animo ac cogitatione percurras, adulterio foedius crimen, atque hominum inter ſe ſocietati pernicioſius vix ullum reperies. Nam cetera quidem ferme omnia delicta propriae turpitudinis finibus continentur: adulterium quoddam veluti vitiorum agmen trahit: &, ut Diodorus Siculus veriſſime ſcribit, [g] ad eam, quae marito infertur, injuriam, corruptelam quoque, ac depravationem morum, prolis confuſionem, matrimoniorum perturbationem adjungit. Nec vero ullum tantum ſcelus, ullum tam magnum facinus eſt, ad quod ſuſcipiendum libido voluptatis, violataeque pudicitiae audacia non impellat. M. Catonem dixiſſe accepimus, [h] Nullam adulteram non eandem veneficam eſſe: videlicet homo prudentiſſimus ſentiebat nullum eſſe ſcelus, cujus non facile ſuſpicio in eam caderet, quae, ut cum Apulejo [*] loquar, ſuo pudore poſtpoſito, thorique genialis calcato foedere, larem mariti lupanari macularit infamia, jamque perdita nuptae dignitate, proſtitutae ſibi nomen adſciverit. Eamque etiam majorum fuiſſe opinionem Cornificius *lib.* IV. *Rhet. ad Heren. cap.* 16. ſcribit: & Seneca *lib. controv.* VII. (*al.* III.) *controv.* 3. (*al.* 18.) Unius criminis probationem, alterius probationem adferre, docet, *tanquam cum dicimus adulteram fuiſſe, ut credatur etiam propter hoc venefica.* Multae cum ſuum corpus foediſſima cupiditate addixiſſent, ipſis etiam viſceribus vim afferre non dubitaverunt, [i] medicamentiſque conceptos ex adulterio partus abigere, materna adulteria in lucem editi liberi diſſimilitudine formae proderent. Quid dicam maritorum nece adulteria cumulata? Notae ſunt Candaulis Lydii, [k] Uriae [l], Agamemnonis, [m] Fabii Fabriciani, [n] Romani Argyropili [o] Conſtantinopolitani Imperatoris, [p] ex adulterio uxorum natae caedes. Sed non eſt inſtitutae diſputationis, quot ex hoc veluti fonte ſcelerum rivuli manarint, repetitis ab ultima antiquitate exemplis recenſere. Maneat modo illud, quod paulo ante attigimus, adulterio vincula quodammodo divini atque humani juris revelli, arctiſſimiſque nexibus adſtrictam conjugum conjunctionem diſſolvi, familias incerta ſtirpe confundi, parenti non ſuo illegitimas proles, eandem cum juſtis liberis partem laturas, adſcribi. Quo quid fingi poſſit hominum generi odioſius, non video. Lacedaemonios quidem certe, cum acerbiſſima execratione adverſus eos, quos vehementer odiſſent, uti vellent, inter cetera domus exitia, hoc imprecari ſolitos traditum eſt, [q] ut eorum uxores adulteris delectarentur. Quamobrem bene ſanxiſſe mihi Graeciae civitates videntur, quae ſolos adulteros impune occidi permiſerunt, non alia ratione, quemadmodum Xenophon in *Hierone pag.* 908. ſcribit, quam quod λυμαντῆρας αὐτοὺς νομίζουσι τῆς τῶν γυναικῶν φιλίας πρὸς τοὺς ἄνδρας εἶναι, *eos uxorum erga maritos amicitiae corruptores eſſe exiſtiment*, in qua omnem vitae ſuavitatem jucunditatemque poſitam eſſe judicant. Nam, ut ait Xenophon *lib.* III. παιδ. Κύρ. ſive *de inſtitutione Cyri*, *pag.* 69. neque ii, qui cum ſuis uxoribus adulteros comprehendunt, ob hanc cauſam eos interficiunt, quod illas reddant impudicas: ſed quia ipſos exiſtimant ab eis auferre charita-

e *l.* 38. *ſi adulterium* § 2. *D. ad L. Jul. de adulter.*

f *Plin. lib.* 8. *cap.* 5. *Solin. cap.* 38. (*al.* 28. *ſ.* 25.) *Aelian. lib.* 1. *de Hiſt. anim. cap.* 13.

g *lib.* 1. *Bibliotb. Part.* 2. *ſive lib.* 11. *cap.* 3.

h *Quinctil. lib.* 5. *cap.* 11.

* *Metamorph. ſ. de aſino aureo lib.* IX. *pag.* 194.

i *Juvenal. ſatyr.* 6. *v.* 592. *ſeqq.*

k *Herod. lib.* 1. *cap.* 8. *ſeqq. Plato lib.* 11. *de Republ. pag.* 592. *ſeq. Juſtin. lib.* 1. *cap.* 7.

l *lib. Reg.* (*ſive Samuel.*) 2. *cap.* 11.

m *Paterculo libro* 1. *cap.* 1. *Propert. lib.* III. *eleg.* 17. *v.* 19.

n *Plutarch. in Parallel. pag.* 315.

o *Zonaras Tom.* III. *Annal. lib.* XVII. *pag.* 233. *ſeq.*

p *Jo. Bapt. Egnat. in Epit. ſua.*

q *Suid. in verbo* [illegible] *& in verbo* [illegible].

(*a*) Brutis] Confer hac de re *Balthaſ. Bonifacii Hiſtor. ludicr. lib.* II. *cap.* 6. & 8. *ſeqq.*

ritatem erga viros, itaque iis, ut hoſtibus utuntur. Cui pene totius
Graeciae communi conſtitutioni hoc ſapientiſſimus Athenienſium legis-
lator Solon addidit, r ut quae in adulterio deprehenſae eſſent, mundo *r Aeſchines κατὰ*
omni, ornamentoque muliebri detracto, matronarum coetu, ſacrorum- *Timarch. pag. 196.*
que, quae vel ancillis patebant, aditu prohiberentur, ne earum conſue- *Demoſthenes κατὰ*
tudine honeſtae matresfam. corrumperentur. Laudabilis & illa Thurio- *Neaer. pag. 529.*
rum lex, s quae Comoediis alios, quam adulteros traduci, nominatim- *s Plutarch. de*
que perſtringi vetabat, quaſi haec una labes publica nota vindicanda eſſet. *Curioſitate, pag.*
(*a*) Quae omnia providentiſſimus princeps, & juris religioſiſſimus, Augu- *519.*
ſtus, in animo reputans, cum diſſluentem luxu civitatem Romanam, &
ad omnem ſtuprorum adulteriorumque licentiam projectam cerneret, coër-
cendi hujus mali cauſa, ſeveriſſimam de adulteriis & ſtupris legem tu-
lit (*b*), ut poenae metu eos, qui in officio ſua ſponte non continerentur, ab eo flagitio revocaret. Eaque eſt pervagata, & auctorum monu-
mentis nobilitata lex Julia. Cujus ego interpretationem verbis, qua fieri pote-
rit fide, relatis, facere inſtitui. Hanc autem legem etſi ab Auguſto la-
tam eſſe diſerte ULPIANUS ſcribat, t extitere tamen, qui a Julio Caeſare *t l. 1. D. ad l.*
ejus originem repeterent, & ab Auguſto dumtaxat auctam confirmatamque *Jul. de adulter.*
dicerent. Quem in errorem eos, credo, ipſum legis nomen induxit, cum
ignorarent, Octavium, cui poſtea Auguſti nomen delatum eſt, teſtamento
majoris avunculi adoptatum, C. Julium Caeſarem eſſe appellatum, v more *v Sueton. in Au-*
Romanis uſitato, apud quos parentum adoptivorum nomina, gentiliciis ali- *guſto. cap. 7. Flor.*
quantulum immutatis, aſſumebant, qui in alienam familiam adoptione tranſi- *Epit. Liv. 116.*
bant. x Auguſtus itaque Julius quoque appellatus fuit, ex quo & lex Julia *x Zonar. tomo*
dicta. Unde cum ULPIANUS privilegia militum in teſtamentis tribuerit Julio *2. Annal. in Au-*
in *l. 1. D. de teſtam. mil.* eadem Auguſto adſcribit JUSTINIANUS in *princ.* *guſt. lib. x. pag.*
Inſtit. quib. non eſt perm. facere teſtam. nimirum quod Julius idem ſit cum *499.*
Auguſto (*c*). Ulpiano vero, ne quis relinquatur de re certiſſima poſthac
dubitandi locus, teſtes, licet minime neceſſarios, addamus. TRANQUILLUS
de Auguſto: y *Leges retractavit, & quaſdam de integro ſanxit, ut ſumptua-* *y cap. 34.*
riam, & de adulteriis, & de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus.
PLUTARCHUS in *Apophthegm. pag.* 207. de eodem: Γράψας τὸν περὶ τῶν μοιχῶν
νόμον, ἐν ᾧ διώρισται πῶς δεῖ κρίνεσθαι τοὺς ἐν αἰτίαις γενομένους, καὶ πῶς δεῖ κολάζεσθαι
τοὺς ἁλόντας. εἶτα προσπεσὼν ὑπ' ὀργῆς τὸν ἐπὶ Ἰουλίᾳ τῇ θυγατρὶ διαβεβλημένον
νεανίσκον, &c. *Lata de adulteriis lege, in qua de reorum ejus flagitii judicio &*
ſupplicio erant omnia definita, poſtea in adoleſcentem, qui cum Julia adulterium
commiſiſſe dicebatur, iratus irruit. Et hoc nomine ei quoque Horatius ita
gratulatur: z *z lib. 4. carm.*
oda 5. v. 21.

Nullis polluitur caſta domus ſtupris,
Mos & lex maculoſum edomuit nefas.
Laudantur ſimili prole puerperae,
Culpam poena premit comes.

Et OVIDIUS, in ejus cum Romulo antitheſi, *lib.* II. *Faſtor. v.* 139.

Tu rapis; hic caſtas, duce ſe, jubet eſſe maritas.

Quam-

(*a*) ESSET] De variis apud varias gentes adulterii poenis vide *Joſephi Laurentii Tract. de Adulteris & Meretricibus, Tom.* VIII. *Theſ. Antiqq. Graec. Jac. Gronovii, pag.* 1403. *ſeqq. Thomae Dempſteri Paralipomena* ad *Roſini Antiqq. lib.* VIII. *cap.* 24. *pag.* 1388. *ſeqq. Jo. Bapt. Aſinii Comment. ad Tit. D. de religioſ. & ſumtib. fun. pag.* 119. *Jo. Schefferi not.* ad *Aelian. Var. Hiſt. lib.* XII. *cap.* 12. *Juni Langlaei Otia Semeſtr. lib.* VIII. *cap.* 7. *Henrici Salmuth. not.* ad *Guid. Pancirolli Rer. Memor. lib.* II. *cap.* 2. *pag.* 86. *ſeqq. Juſti Lipſi Excurſ.* ad *Tacit. Annal. lib.* IV. *lit.* A. *Balth. Bonifacii Hiſtor. ludicr. lib.* II. *cap.* 4. *ſeq.* & *lib.* VIII. *cap.* 6. *Chriſt. Godofr. Hoffmanni Diſſ. de Diſſenſu jurium in puniendo adulterii crimine. Francof. ad Viadr.* 1727.

(*b*) TULIT] Hiſtoriam hujus legis accurate expoſuit *Jo. Guil. Hoffmannus* in *Comment.* ſuo, *cap.* 2.

(*c*) AUGUSTO] Sed licet certum ſit, Auguſtum Julium Caeſarem ob adoptionem vocatum fuiſſe: nusquam tamen in Jure Romano ſimpliciter *Divus Julius Caeſar* vocatur. Ubi ergo haec appellatio occurrit, (ut in *L.* 1. *D. de teſtam. milit.*) ibi ſemper C. Julius Caeſar, Dictator, eſt intelligendus. In *pr. Inſt. quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam.* de alia plane conſtitutione ſermo eſt, ut adeo nulla contradictio ſit verenda.

ISTITUTO di DIRITTO ROMANO e di STORIA del DIRITTO R. UNIVERSITÀ DIRITTI dell'ORIENTE

Quamquam & huic vitio fuiſſe eum principem deditum literis proditum
* *in Auguſto cap. 69.* eſt: quod ne amicos quidem negaſſe TRANQUILLUS ſcribit, * excuſantes ſane, non libidine, ſed ratione ab eo adulteria commiſſa, quo facilius conſilia adverſariorum per cujuſque mulieres exquireret. Sed tamen
a *in Epit. cap. 1.* hominum, ut eleganter cum Eutropio SEX. AUREL. VICTOR [a] ait, more, qui in ulciſcendis vitiis, quibus ipſi vehementer indulgent, acres ſunt, aliorum in hoc genere peccata, graviſſime executus eſt. Nam & poëtam Ovidium, quod tres amatoriae artis libros conſcripſiſſet, exilio damnavit. Quod & FRACULPHUS *lib.* II. *Chron.* tradit. Atque hanc exilii ſui cauſam OVIDIUS pluribus locis aperit, ut *lib.* I. *Triſt. eleg.* I. *v.* 67.

Inſpice, dic titulum: non ſum praeceptor amoris;
Quas meruit poenas, jam dedit illud opus.

Et *Eleg.* VI. *v.* 21.

Vel quod eram Muſas, ut crimina noſtra, peroſus.

Et *lib.* II. *v.* 7.

Carmina fecerunt, ut me moreſque notaret
Jampridem inviſa Caeſar ab arte meos.

Alibi tamen duas affert cauſas, quarum unam tacitus praeterit ac diſſimulat (*a*), *lib.* II. *v.* 207.

Perdiderint, ait, *cum me duo crimina, carmen & error:*
Alterius facti culpa ſilenda mihi eſt.
Nam tanti non ſum, renovem ut tua vulnera Caeſar.
Quem nimio plus eſt indoluiſſe ſemel.
Altera pars ſupereſt, qua turpi crimine laeſus (al. *lectus*)
Arguor obſcoeni doctor adulterii.

Et *lib.* III. *Eleg.* 5. *v.* 49.

Inſcia quod crimen viderunt lumina, plector:
Peccatumque oculos eſt habuiſſe meum.

Et alibi *lib.* II. *v.* 103.

Cur aliquid vidi, cur noxia lumina feci.

Et alibi *lib.* III. *El.* 6. *v.* 27.

Nec bene, nec tutum eſt, quo ſint mea dicere caſu
Lumina funeſti conſcia facta mali.

Ac ne filiae quidem neptique ſuae, quae hac lege commiſerant, ut parceret, adduci potuit. Ita factum eſt, ut adulteriorum accuſationibus fora per aliquod tempus perſtreperent. Quae cum paulatim conniventibus magiſtratibus & diſſimulatione temporum remitterentur, ſeneſcentem jam legem Juliam renovaſſe Domitianus dicitur (*b*), multoſque nobiles ac locupletes vi-
b *Zonar. Annal. tomo* II *lib.* XI. *pag.* 580. *ſeq.* ros ea lege condemnaſſe. [b] Ea res MARTIALI aſſentandi honoris avidiſſimo principi multis locis materiam dedit. Sic enim ille *lib.* VI. *Epigram.* 2.

Luſus erat ſacrae connubia fallere tedae,
Luſus & immeritos execuiſſe mares.
Utraque tu probibes, Caeſar, populiſque futuris.
Succurris, naſci quos ſine fraude jubes.

Nec

(*a*) DISSIMULAT] Vide *Jo. Maſſoni Vitam Ovidii, pag.* 153. *ſeqq.* aliosque, qui de hoc Poëta aliquid litteris conſignarunt.

(*b*) DICITUR] Confer *Jo. Guil. Hoffmanni Comm.* ad *h. leg. cap.* 9. §. 4. *ſeq.*

Nec ſpado jam, nec moechus erit, te praeſide, quiſquam:
At prius, ô mores, & ſpado moechus erat.

Alio quoque loco (*Epigr.* 4. *lib. eod.*) ejus in Rempubl. ſingula merita perſecutus, quae ei & ſpectacula, & ludos, & triumphos, & deos debeat, tandem ait: (*v. ult.*)

Plus debet tibi Roma quod pudica eſt.

Idem *lib.* VI. *Epigr.* 91.

Sancta ducis ſummi probibet cenſura vetatque
Moechari.

Et alias. [c]

Julia lex populis ex quo, Fauſtine, relata eſt,
Atque intrare domos juſſa pudicitia eſt,
Aut minus, aut certe non plus triceſima lux eſt.

Eoque referendum eſt & illud JUVENALIS: [d]

Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu, qui tunc leges revocarat amaras
Omnibus, atque ipſi Marti Venerique timendas.

Ceterum lex iſta interdum ([e]) De adulteriis coërcendis, interdum [f] De pudicitia (*a*) appellatur. Cujus verba haec fuiſſe mihi traditum eſt:

[c] *lib.* 6. *Epigr.* 7.

[d] *Satyr.* 2. *v.* 29.

[e] *l.* 5. & *l.* 42. *D. ad l. Jul. de adult. l.* 3. & *l.* 17. *C. eod. tit. l.* 38. §. 1. *D. de minorib.*

[f] *l.* 8. & *l.* 9. *C. de adult. Sueton. in Auguſto cap.* 34.

I.

NE QUIS POSTHAC STUPRUM, ADULTERIUM FACITO SCIENS DOLO MALO.

II.

Qui ſtuprum, adulterium ſciens dolo malo fecerit, in inſulam relegator (*b*).

III.

Patri, qui in poteſtate habet, adulterum quemlibet, quem in filia deprehenderit domi ſuae, generive ſui, occidere jus eſto, dum una cum eo in continenti filiam occidat (*c*).

IV.

Viro deprehenſum domi ſuae in uxore ſua adulterum, qui leno fuerit, quive artem ludicram fecerit, vel in ſcenam ſaltandi, cantandive cauſa prodierit, judiciove pu-

(*a*) PUDICITIA] Legem de Pudicitia non eſſe diverſam a lege de adulteriis, ut quibusdam viſum fuit, probavit *Jo. Guil. Hoffmannus* in *Comm.* ſuo ad *h. l. cap.* 3. §. 1. *pag.* 57. *ſeq.*

(*b*) RELEGATOR] Hoc caput cum primo conjungendum eſſe docet *Jo. Guil. Hoffmannus* in *libro ſingulari* ad *legem Juliam de Adulteriis*, *cap.* 4. §. 1. *pag.* 73. Idem illud multo auctius, ex PAULI praeſertim *Sententiis*, ita exhibet *pag.* 67. *Qui adulterium fecerit ſciens dolo malo in inſulam relegator, dimidia bonorum ejus pars publicator, teſtimonii dictio ei ne eſto. Quaeve ſtupri adulteriive convicta erit, in inſulam relegator, dimidia pars dotis ejus, bonorum tertia pars publicator, neve ei teſtimonii dictio eſto. Quive ſtuprum cum virgine viduave honeſta fecerit, dimidia bonorum ejus pars publicator, humiliores cum corporis coërcitione in inſulam relegantor. Quive ſtuprum flagitiumve dolo malo patitur, dimidia bonorum parte mulctator, ex majore parte inteſtabilis eſto.* Ipſe tamen *l.c. pag.* 85. ſubdubitat, num omnia haec ex ipſa lege Julia proveniant.

(*c*) OCCIDAT] Diſerte hoc ſecundum caput vocat PAULUS *Sent. lib.* II. *tit.* 26. §. 1. & in *Coll. legg. Moſaic. & Rom. tit.* 4. §. 2. ex quibus locis illud ita exhibet *Hoffmannus*: *Qui pater in filia, quam in poteſtate habet, inve ea, quae eo auctore, quum in poteſtate eſſet, viro in manum convenerit, domi ſuae generive ſui, adulterum deprehenderit, isque in eam rem ſocerum adhibuerit, ei patri adulterum occidere ſine fraude ſua jure liceto, ita ut in continenti filiam occidat.*

publico damnatus, neque in integrum reſtitutus erit, quive libertus ejus mariti, uxoriſve, patris, matris, filii, filiae, utriuſque eorum fuerit, propriuſve eorum, vel cum alio communis, quive ſervus erit, occidere liceto: Qui eorum aliquem occiderit, uxorem ſine mora dimittito (*a*).

V.

VIRO ADULTERUM CUM UXORE SUA DEPREHENSUM, QUEM AUT NOLIT, AUT NON LICEAT OCCIDERE, RETINERE PER HORAS DIURNAS, NOCTURNASQUE NON PLUS QUAM VIGINTI TESTANDAE EJUS REI GRATIA, UT UTI SINE FRAUDE SUO JURE POSSIT, LICETO.

V I.

Viro patrique, qui in poteſtate habet, ſexaginta dies utiles ad accuſandum dantor, intraque eos dies cuilibet praeferuntor. Poſt eos dies patri, maritoque lapſos, extranei quilibet admittuntor (*b*).

V I I.

NE QUIS INTER REOS EUM, QUI TUNC SINE DETRECTATIONE REIPUBLICAE CAUSA ABERIT, REFERTO.

V I I I.

Minoribus xxv. annis adulterii accuſare ne liceto (*c*).

I X.

Si ſervus adulterii accuſetur, & quaeſtionem in eo haberi accuſator poſtulet, judices ſervum aeſtimanto: & quantum aeſtimaverint, tantam pecuniam & alterum tantum eum, qui nomen ejus ſervi detulerit, ei, ad quem ea res pertinet, dare jubento.

X.

Qui poſt maritum & patrem accuſare poſſunt, ſi ad accuſandum plures ſimul proſiluerint; is, cujus de ea re notio eſt, de juſto accuſatore conſtituito (*d*).

X I.

Reos adulterii marem & feminam ex eadem cauſa ne facito.

X I I.

Si mulier ante denuntiationem nupſerit, qui accuſare volet, ab adultero incipito. Nec ante ad mulierem quiſquam pervenito, quam adulterum reum peregerit.

X I I I.

Adultero abſoluto, quae nupſit, quamdiu nupta erit, adverſus omnes ſecura eſto.

X I V.

(*a*) DIMITTITO] Hoc eſt tertium caput juxta *Hoffmannum*, *pag*. 67. cujus rationes vide *pag*. 104. Quoad ſenſum eodem fere modo exhibet, niſi quod eos addat, *qui depugnandi cauſa auctoratus erit, quive beſtias depugnare locaverit*: & clauſulam finalem ita concipiat: *Uxorem ne occidito, ſed eam ſtatim dimittito, triduove proximo cum quo adultero, quove loco uxorem deprehenderit, apud eum, cujus juriſdictio eſt, profitetor*. *Cap*. IV. juxta *Hoffmannum* egit de divortiis, quod auctor in locum penultimum rejecit.

(*b*) ADMITTUNTOR] *Cap*. VI. ita plenius exhibet *Hoffmannus*: *Viro patrique* LX. *dies utiles a divortio ad accuſandum dantor, intrave eos dies cuilibet praeferuntor. Poſt eos dies extranei quilibet admittuntor, praeter eum, qui infamis erit, quive minor* XXV. *annis erit, quive libertinus rem ſeſtertiorum triginta millium, aut filium non habebit. Si plures accuſare voluerint, is, cujus de ea re notio eſt, de juſto accuſatore conſtituito*.

(*c*) LICETO] Hanc clauſulam capiti VI. inſeruit *Hoffmannus*.

(*d*) CONSTITUITO] Hanc quoque clauſulam *Cap*. VI. adnectit *Hoffmannus*.

XIV.

Si vir, qui uxori adulterae repudium miſit, vel extraneus quis mulieri, antequam nuberet, adulterii ſe acturos denuntiaverint, eaque poſt denuntiationem nupſerit, ab ea incipere accuſare volenti jus eſto.

XV.

Si vidua ſit, de cujus adulterio agitur, accuſator liberum arbitrium adulterum vel adulteram, utrum prius velit, poſtulandi habeto (*a*).

XVI.

Qui domum ſuam praebuerit, ut ſtuprum, adulteriumve cum aliena matreſam. vel cum maſculo fieret, ſciens hac lege tenetor.

XVII.

Qui pro comperto ſtupro pretium acceperit, quaeſtumve ex adulterio uxoris ſuae fecerit, hac lege tenetor (*b*).

XVIII.

DAMNATAM ADULTERII SI QUIS SCIENS UXOREM DUXERIT, HAC LEGE TENETOR (*c*).

XIX.

Qui deprehenſum in domo ſua adulterum dimiſerit, uxoremve in adulterio deprehenſam retinuerit, hac lege tenetor (*d*).

XX.

Mulieri accuſandae ſex menſes utiles dantor, poſtea accuſare ne liceto.

XXI.

Adulterum, adulteramve, poſt quinquennium continuum, quam commiſſum eſſe adulterium dicetur, accuſare ne liceto, eaque praeſcriptio adultero, adulteraeque utilis eſto (*e*).

XXII.

De ſervis ancilliſve ejus, de quo, vel de qua quaeretur, parentiſve utriuſque eorum, qui eis ad uſum a parentibus dati ſint, ſi accuſator poſtulet, quaeſtionem habeto.

XXIII.

(*a*) HABETO] Quae auctor ſub *capp.* XI. XII. XIII. XIV. XV. exhibet, ea omnia in unum *Cap.* VIII. ita conjunxit *Hoffmannus*: *Ne quis adulterii reos marem & feminam ex eadem cauſa ſimul facito, neve quis nuptam, quamdiu nupta erit, accuſato, niſi vel antequam nuberet, ipſi denuntiaverit, vel adulterum peregerit. Si de viduae adulterio agetur, accuſator, a quo incipere velit, liberum arbitrium habeto.*

(*b*) TENETOR] *Cap.* XVI. & XVIII. In unum *Cap.* XV. conjunxit *Hoffmannus*: eujus rationes vide *pag.* 149. *ſeq.*

(*c*) TENETOR] Hoc eſt *cap.* XVII. apud *Hoffmannum.*

(*d*) TENETOR] Hoc eſt *cap.* XVI. apud *Hoffmannum.*

(*e*) ESTO] *Cap.* XX. & XXI. expungit *Hoffmannus pag.* 61. *ſeq.* ob locum DIONIS *lib.* LV. *pag.* 555. putatque, praeſcriptionem illam poſtea demum ab Auguſto introductam fuiſſe: non ſine veroſimilitudine quidem, quae tamen ad certitudinem non adſurgit. Dio enim forſan non accurate temporum rationem obſervavit, & quae jam antea per legem Juliam conſtituta erant, ae ſi tum demum ſtatuerentur, retulit: aut commoda ſaltem interpretatione juvari poteſt. Fuerunt enim fortaſſis eo tempore quidam, qui Auguſtum impellere volebant, ut ob delicti frequentiam ſeveritatem legis ſuae hae in parte egrederetur: ille vero aequi amantiſſimus Princeps accuſationes eorum rejecit delictorum, quae ante tempus lege ſtatutum commiſſa erant. Quisquis tamen hae in parte ſine periculo ſuo ſenſu abundare poteſt.

XXIII.

Quaeſtioni reus, reave, patronive eorum, & is, qui crimen detulit, interſunto. Patronis interrogandi facultas eſto.

XXIV.

Servus, de quo quaeſtio habita fuerit, publicus eſto.

XXV.

Si reus, vel rea abſoluti fuerint, ſervorum damnum judices aeſtimanto: ſive mortui fuerint, quantae pecuniae ante quaeſtionem fuerint: ſive ſalvi, quantae pecuniae in his damnum datum fuerit, factumve erit.

XXVI.

Servi, qui quaeſtioni poſtulari poſſunt, intra ſexaginta dies ex die divortii ne manumittuntor, neve alienantor (*a*).

XXVII.

Adulterii damnato damnataeve teſtimonii dictio ne eſto. (*b*)

XXVIII.

Divortia ſeptem civibus Romanis puberibus teſtibus adhibitis, praeter libertum ejus, qui divortium faciet, poſthac faciunto, Aliter facta pro infectis habentor (*c*).

XXIX.

Dotale praedium Italicum maritus invita uxore ne alienato, neve conſentiente ea obligato (*d*).

Nunc ſingula legis verba excutiamus, eisque congruam ex Jureconſultonum commentariis, noſtriſque, qualeſcumque ſunt, obſervationibus interpretationem accommodemus.

I.

Prius caput ab ULPIANO refertur, [a] quod ita conceptum eſt. NE QUIS POSTHAC. Verbum *Quir* utrumque ſexum, id eſt, tam maſculos, quam feminas complectitur. [b] Sed & Eunuchos, quos apud LUCIANUM in *Eunuch. cap.* 6. *pag.* 355. *Tom.* 11. Diocles οὔτε ἄνδρας, οὔτε γυναῖκας, *neque viros*, *neque feminas* eſſe ait, ἀλλά τι σύνθετον καὶ μικτόν, *ſed compoſitum quiddam & mixtum.* Nec abs re de Eunuchis memini, Eunuchos adulterii vel ſtupri crimine inſimulari. Phavorinus enim Eunuchus cum eſſet, adulterii a viro conſulari poſtulatus eſt, ut PHILOSTRATUS in *vitis Sophiſtar. lib.* 1. *num.* 8. ait. LUCIANUS etiam in *Eunucho*, *cap.* 10. *ſeqq. pag.* 358. *ſeq.* Bagoam etiam ferunt in adulterio deprehenſum, ac

[a] *l.* 12. *haec verba. D. ad L. Jul. de adulteriis.*
[b] *l.* 1. *D. de verb. ſign. l.* 7 *ſi quis id quod D. de juriſdiction.*

(*a*) ALIENANTOR] *Cap.* XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. ſunt apud *Hoffmannum Capp.* X. XI. XII. XIII. XIV.

(*b*) ESTO] Hanc clauſulam *Cap.* I. inſeruit *Hoffmannus.*

(*c*) HABENTOR] Eſt *Cap.* IV. apud *Hoffmannum*, ut jam monui: rationes ejus vide *pag.* 112. *ſeq.*

(*d*) OBLIGATO] Hoc etiam eſt Caput ultimum apud *Hoffmannum*, & quidem XXI. Ante hoc vero caput tria inſeruit, quae non habet *Briſſonius*, & de quibus ipſe quodammodo dubitat, *pag.* 157. & 162. Sunt vero:

Cap. XVIII. *Is cujus ope, conſilio, dolo malo factum eſt, ut vir feminave in adulterio deprehenſa pecunia aliave qua pactione ſe redimerent, hac lege tenetor.*

Cap. XIX. *Qui fratris ſororiſve filiam neptemve, quive amitam, materteramve duxerit uxorem, hac lege tenetor.*

Cap. XX. *Qui falſum teſtimonium in adulterii cauſa dixerit, lege Cornelia teſtamentaria tenetor.*

ac accuſatum, ſuo ſe corporis ſtatu, quod ſe Eunuchum diceret, judicum ſententiis aſpectu corporis abſolutum. Beatus quoque AUGUSTINUS *lib.* II. ad *Valer. Comit.* (*a*) Calligorum Valentinium ſpadonem convictum in meretricem exarſiſſe punitum ſcribit. Nec vero ruſticitati hic, aut aetati venia datur. Proinde ſi minor XXV. annis adulterium commiſerit, hac lege tenebitur: quoniam tale crimen poſt pubertatem incipit. [c] Nec juſte adulterii poenam aetatis excuſatione deprecabitur, cum auxilium in integrum reſtitutionis in executionibus poenarum ceſſet. [d] Ait autem POSTHAC, communi omnium legum regula, quae futuris, non praeteritis caſibus ſcribuntur. [e] *Neque enim* (ait CICERO, [f] Verrem ridens) *in ulla lege praeteritum tempus reprehenditur, niſi ejus rei, quae ſua ſponte ſcelerata ac nefaria eſt, ut, etiamſi lex non eſſet, magnopere vitanda fuerit.* Cujuſmodi delictum etſi lex Julia coërcet, quae id, quod ſemper malum facinus fuit, admitti prohibet: quia tamen novis conſtitutis poenis id ſanxit, ante admiſſa in judicium vocari noluit. STUPRUM ait, ADULTERIUM. [g] Stuprum proprie in virginem, vel viduam, adulterium in nuptam committitur, [h] propter partum ex altero conceptum compoſito nomine. Sed lex Julia his verbis promiſcue, atque indifferenter utitur (*b*). [i] Quorum MODESTINUS ſententiam exponens, ſtuprum eum committere ait, [k] qui liberam mulierem conſuetudinis cauſa, non matrimonii retinet: excepta videlicet concubina. Bene *liberam*. Inter liberas enim dumtaxat perſonas, ſtuprum adulteriumve paſſas, lex Julia locum habet. [l] Violata vero ſervorum contubernia non vindicat, [m] quia nec nuptiae inter ſerviles perſonas conſiſtunt: [n] proinde adulterii accuſationem inter contubernales ſervos ſervaſque ceſſare conſtat. [o] Merito, *excepta concubina*, quae quidem in concubinatu licito jure ſit. Nam concubinatus, quemadmodum MARCELLUS ſcribit, [p] extra poenam legis eſt, id eſt, ut ego interpretor, extra legis Juliae poenam, quae in concubina ſtuprum non vindicat, [q] propterea quod, ut ULPIANUS cum *Atilicino* ſentit, [r] hae ſolae in concubinatu haberi ſine metu criminis poſſunt, in quas ſtuprum non committitur. Cujus rei gratia inveſtigandum eſt, quibuſnam in mulieribus olim ſtuprum impune admitteretur (*c*). Ac primum in ea, quae ſe non patroni concubinam eſſe patitur, ſtuprum non contrahi PAPINIANUS ait. [s] Etenim quae in concubinatu patroni eſt, matronae nomen non amittit, [t] matriſque familias honeſtatem nihilominus retinet (*d*), cum obſequium patrono debeat. Unde CAPITOLINUS in M. *Antonino Philoſ. cap.* 29. *Eniſa eſt Fabia, ut, Fauſtina mortua, in ejus matrimonium coiret: ſed*

c *l.* 36. *D. ad L. Jul. de adult.*
d *l.* 9. *ſi ex cauſa.* §. 3. *ſi mulier. l.* 37. *auxilium. D. de minor. l.* 38. §. 1. *D. ad L. Jul. de adulter.*
e *l.* 7. *C. de leg.*
f *Oration.* 3. *in Verr. ſive Accuſat. lib.* 1. *cap.* 42.
g *l.* 101. *inter ſtuprum. D. de verbor. ſignific.*
h *Sex. Pomp. Feſtus lib.* 1. *v. adult.*
i *l.* 6. §. 1. *D. ad L. Jul. de adult.*
k *l.* 34. *D. de adulter.*
l *l.* 6. *D. ad leg. Jul. de adult.*
m *l.* 23. *C. eod. tit.*
n *l.* 3. *C. de inceſt. nupt.*
o *l.* 23. *C. de adulter.*
p *l.* 3. §. 1. *D. de concubin.*
q *l.* 13. *ſi uxor. D. de adulter.*
r *l.* 1. §. 1. *D. de concubin.*
s *l.* 16. §. 1. *D. de his, quae ut indign.*
t *l.* 13. *ſi uxor. D. de adult. l.* 46. *libert. D. de oper. libert.*

(*a*) COMIT.] Libri ad *Valerium Comit.* inſcribuntur: *de Nuptiis & Concupiſcentia.* Sed in iis nihil hac de re reperi. Legitur vero haec hiſtoriola *lib.* VI. *contra Julianum Pelag. cap.* 14. ubi vocatur *Calligonus*, *Valentiniani Junioris eunuchus.* Aliud exemplum Eunuchi, qui in Gynaeceo cum pellice Regis Parthorum rem habuit, vide apud PHILOSTRATUM in *vita Apollonii Tyan. lib.* I. *cap.* 37.

(*b*) UTITUR] Vide quae hac de re diſputantur a Scriptoribus de Latinitate veterum JCtorum, quos collegit Vir Cel. *Car. Andr. Dukerus*; nec non a Viro Ampl. *Ever. Ottone* in *Papin. cap.* 5. & a *Jo. Guil. Hoffmanno pag.* 74. *ſeqq.*

(*c*) ADMITTERETUR] Sive, in quas ſtuprum non committebatur: quia ſcilicet concubitus cum ejuſmodi generis mulieribus pro ſtupro non habebatur. Hinc conſuetudo cum iſtis licita plane, & extra legis vindictam poſita erat. Et quamvis ejuſmodi mulieres pro infamibus haberentur; maribus tamen, cum iis conſuetudinem habentibus, uti nulla poena, ita nulla etiam infamia infligebatur juris, licet ab infamia facti, gravium virorum judicio, non eſſent immunes. (Vid. CICERO *pro Coel. cap.* 20. PLAUTUS *Curcul. Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 33. *ſeqq.*) Sed quaenam tandem mulieres in hanc claſſem referuntur? Poſt legem Papiam Poppaeam valebat regula, ſtuprum non committi in eas perſonas, a quarum nuptiis lex illa omnes ingenuos arcebat. Quum ergo inter ingenuos, nulla ſenatoria dignitate fulgentes, & inter libertinae conditionis mulieres juxta hanc legem connubium eſſet, ſequebatur, in haſce etiam, ſi honeſte viverent, ſtuprum committi potuiſſe. Conf. *Jo. Gottl. Heineccii Comm. ad leg. Jul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 11. & *Jo. Guil. Hoffmanni Comm. ad leg. Jul. de Adult. cap.* 4. *pag.* 76. *ſeqq.*

(*d*) RETINET] Recte hoc eſt intelligendum. Liberta, quae in Patroni concubinatu eſt, matrona & materfamilias eo ſenſu vocari poterat, quo hiſce vocibus perſona quaecunque honeſta denotatur. Non vero erat Patroni matrona, ſive materfamilias, eo ſenſu, quo hiſce vocibus juſta uxor deſignatur. Pertinet ergo hoc ad privilegia patroni, ut liberta ejus concubina eſſe poſſet, ſalva fama ſua & exiſtimatione, quia honeſtius & patrono libertam concubinam, quam matremfamilias habere. *L.* 1. *D. de concub.*

ſed ille concubinam ſibi adſcivit, procuratoris uxoris ſuae filiam, ne tot liberis ſuperduceret novercam. Erant vero procuratores liberti. SENECA *lib.* IV. *Controverſiarum, Praef.* ait: *Memini illum, cum libertum reum defenderet, cui objiciebatur, quod patroni concubinus fuiſſet, dixiſſe; Impudicitia in ingenuo crimen eſt, in ſervo neceſſitas, in liberto officium.* Alia cauſa eſt ejus, quae dignitatis matronalis oblita, in concubinatum ſe alterius, quam patroni tradit. v Quamquam ſine ſtupri crimine in concubinatu eſſe aliena liberta poterat. x PLAUTUS *Epidico, Act.* III. *Sc.* 4. *v.* 29.

v *l.* 41. *ſtuprum. D. de rit. nupt.*
x *l.* 3. *D. de concubinis.*

Ego illam hodie volo facere libertam meam,
Mihi concubina quae ſit (*a*).

Et plane olim ex libertino genere fere meretrices omnes ortae erant (*b*). Eoque reſpexiſſe credo HORATIUM, qui cum docuiſſet ſine periculo in matronis venerem non exerceri, ſuppliciaque de adulteris ſumpta recenſuiſſet, ſubjicit: y

y *lib.* 1. *Serm. ſatyr.* 2. *v.* 47.

Tutior at quanto merx eſt in claſſe ſecunda!
Libertinarum dico, Salluſtius in quas
Non minus inſanit, quam qui moechatur.

z *l.* 24. *in liberae D. de rit. nupt.*

Ita quod alias MODESTINUS ait, z *in liberae mulieris conſuetudine non concubinatum, ſed nuptias intellegendas: ſi non corpore quaeſtum fecerit*, de ingenua muliere, non de quavis libera accipiendum eſt. In liberta enim non procedit (*c*). Sed nec in ingenuas mulieres, quae palam quaeſtum corpore facerent, ſtuprum committebatur. Unde TERENTIUS *Eunucho Act.* V. *ſc.* V. *v.* 18.

Quis homo pro moecho unquam vidit in domo meretricia
Deprehendi quemquam.

a *l.* 3. *D. de concubin.*
b *In conſt. Neapol. lib.* 3. *tit.* 77.
c *l.* 22. *ſi ea. D. de adulter.*

Et ideo in concubinatu haberi poterant, a quod utique, ſi honeſte vixiſſent, non licuiſſet. Unde Imperatores DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS, quorum a rege Rogerio in Neapolitanas leges conſtitutio tranſlata eſt: b *Si ea*, ajunt, c *quae tibi ſtupro cognita eſt, & paſſim venalem formam exhibuit, ac proſtitutam meretricio more vulgo ſe praebuit, adulterii crimen in ea ceſſat.* Ubi bene *Accurſius*, earum, quae in matrimonio habentur, ſeparatam a virginibus vel viduis cauſam conſtituendam eſſe notat. Nam & in ea uxore adulterium vindicari, quae vulgo ſui copiam faciat (*d*), paulo poſt docebimus. Sic eveniebat, ut in ea nupta adulterium committeretur, in qua innupta ſtuprum non committebatur. Poterit hic vulgatos codices verſantibus ſcrupulum MARCELLI locus injicere, quo ſtuprum & in his mulieribus intelligi ait, d quae turpiter viverent, vulgoque quaeſtum facerent. Sed profecto illic, *Probrum*, non, *Stuprum*, in Florentino Codice recte legitur: hoc ſenſu, ut probroſae ſint feminae, quae turpiter vivunt, vulgoque ſui copiam faciunt, etiamſi non palam, quamquam ingenuorum nuptiis lege Julia de maritandis ordinibus ex ea cauſa non repellantur, qua non quaecumque ſe ſtupratoribus vulgo committunt, ſed quae paſſim, & ſine ullo delectu meretricio more & in vicem proſtitutae id faciunt, apprehenduntur. e Cato certe apud GELLIUM *lib.* IX. *cap.* XII. majores hoc cenſuiſſe ſcribit, niſi quis palam corpore pecuniam quaereret, aut ſe lenoni locaſſet, etſi famoſus & ſuſpicioſus eſſet, vim in corpus liberum non aequum eſſe adferri. Nunc ad inſtituta pergamus. Prae-

d *l.* 41. *de ritu nupt.*
e *l.* 43. *palam. D. de ritu nupt.*

(*a*) SIT] Praeterquam quod PLAUTI locus minus accurate ad tempora Auguſti applicetur, non recto etiam loco collocatus fuit, quum de propria, non aliena liberta loquatur.

(*b*) ERANT] Idque licitum erat ante Julias leges, ad quae tempora pertinere locum HORATII recte docet *Hoffmannus pag.* 79. fruſtra obloquente *Eſtore* in *praef. Hambergeri Opuſculis praemiſſ. pag.* 29.

(*c*) PROCEDIT] Aliter tamen ſentit *Heineccius l. c. pag.* 127. Ego ſubſiſto ob ſenſum dubium *L.* 3. *pr. D. de concub.*

(*d*) FACIAT] Immo quae olim vulgo copiam ſui fecit, non vero quae ita in ipſo matrimonio meretricio more palam vivit. Vid. *Hoffmann. pag.* 122.

Praeterea in ignominioſas feminas, quae pudore, matronalique verecundia depoſita, artem ludicram lenociniumve fecerint, operasque ſuas in ſcenam ſaltandi, vel cantandi cauſa locaverint, quas & lex Julia de maritandis ordinibus notat, [f] ſtuprum commiſſum hac lege non apprehenditur. Eaque ratione pleraeque mulieres, ut poenas adulterii effugerent, tutiusque de cetero libidini inſervirent, ſcenicis operis lenociniove faciendo ſe dedebant. Qua fraude, ne delicti impunitatem ſibi pararent, Senatuſconſulto conſtitutum fuit, eas, [g] quae ſe in fraudem legis, & evitandae poenae cauſa, in ſcenam locaſſent, vel lenocinium profeſſae eſſent, accuſari nihilominus adulterii, & damnari poſſe. Cujus rei SUETONIUS in *Tiberio* [h] meminit his verbis; *Feminae famoſae, ut ad evitandas legum poenas, jure, ac dignitate matronali exſolverentur, lenocinium profiteri cœperant, & ex juventute ordinis utriuſque profligatiſſimus quiſque, quominus in opera ſcenae, arenaeque edenda Senatusconſulto tenerentur, famoſi judicii notam ſponte ſubibant. Eos, easque omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquam eſſet, exilii poena affecit* (*a*). Apud PLAUTUM in *Mercat. Act.* 4. *ſc. ult.* Syra anus queritur, dura lege vivere mulieres, multoque iniquiore quam viros, & optat, aequam legem dici viris ac mulieribus. Locus tranſcribendus integer (*b*). B. HIERONYMUS in *epitaphio Fabiolae* ad *Oceanum* ita ſcribit: *Aliae ſunt leges Caeſarum, aliae Chriſti. Aliud Papinianus, aliud Paulus noſter praecipit. Apud illos viris impudicitiae frena laxantur, & ſolo ſtupro atque adulterio condemnato, paſſim per lupanaria & ancillulas libido permittitur, quaſi culpam dignitas faciat, non voluntas. Apud nos, quod non licet feminis, aeque non licet viris, & eadem ſervitus pari condicione cenſetur.* B. AUGUSTINUS *de verbis Apoſt. ſermon.* 4. (*Serm.* 153. *cap.* 5. *ed. nov.*) *Haec dixi quae licite committuntur: ſed non Dei legibus. Quis enim aliquando ad judicem ductus eſt, quia meretricis lupanar intravit? Quis aliquando in publicis tribunalibus accuſatus eſt, quia per ſuas lyriſtrias laſcivus, immunduſque defluxit? Quis aliquando, habens uxorem, quia ancillam ſuam vitiavit, crimen invenit? Sed in foro, non in coelo; in lege mundi, non in lege creatoris mundi.* Verum ex noſtris libris conſtat, eum, qui alienam ancillam corrupiſſet, lege quidem Julia non teneri, * non tamen impunitum eſſe ejus factum. Datur quippe ex hac cauſa domino & injuriarum & legis Aquiliae actio: illa procul dubio, cum maturae vitium oblatum, * haec utique cum immatura & nondum viripotens corrupta eſt * (*c*). PAULUS *lib.* 1. *Sent. Tit.* XII. *de Judicato.* §. 6. *Si quis ancillam alienam virginem immaturam corruperit, poena legis Aquiliae tenetur.* Sed & plane in cauponae dominas ſtuprum admiſſum vindicandum: in miniſtras vero cauponae, quae vinum potantibus praebent, non eſſe item CONSTANTINUS ſtatuit (*d*): [i] quod eas vitae vilitas judiciaria ſeveritate immunes, indignasque legum obſervatione reddit. Atque eodem modo nec Solonis legibus in iis ſtuprum vindicabatur, quae in taberna ſederent, vel in foro venales res propoſitas haberent. DEMOSTHENES κατὰ Νεαίρ. *pag.* 526. Τὸν νόμον ἐπὶ τούτοις παρεχόμενος, ὃς οὐκ ἐᾷ ἐπὶ ταύταις μοιχὸν λαβεῖν, ὁπόσαι ἂν ἐπ' ἐργαστηρίου καθῶνται, ἢ ἐν τῇ ἀγορᾷ πωλῶσί τι. *Legem praeterea exhibet, quae vetat, apud eas pro moecho arripi quemquam, quae in taberna meritoria ſedeant, aut in foro aliquid manifeſto vendant.* Atque adeo tabernarias in vilium & abjectarum perſonarum numero habent Impp. ut ex eorum conſtitutionibus intelligimus, *d. l.* 1. *C. de natur. lib. l.* 7. *humilem C. de inceſt. nupt.* De illo dubitari poteſt, an in alienas ancillas ſtuprum impune committeretur. Etenim & extra ordinem de devirginata ancilla praeſides cognoſcere ſolitos ULPIANUS ait, [k] & pro modo delicti animadvertere. Eoque forte reſpexit AGATHIAS SCHOLAST. in

f *Ulp. in Inſtit. tit.* 13.

g *l.* 10. *mater. in fin. D. de adult.*

h *cap.* 35.

* *l.* 6. *D. ad l. Jul. de adult.*

* *l.* 25. *D. de injur.*

* *l.* 27. *ſi ſervus.* §. 25. *ſi olivam. D. ad l. Aquil.*

i *l.* 29. *quae adulteriam. C. ad leg. Jul. de adult.*

k *l. ult. D. de off. praeſid.*

(*a*) AFFECIT] Confer TACITUM *Annal. lib.* 11. *cap.* 85.

(*b*) INTEGER] Locus hic PLAUTI parum accurate huc relatus eſt. Locus HIERONYMI exſtat inter ejus *Epiſtoll.* in *vett. editt. num.* 30. in *nov. Bened. ed. num.* 84. *pag.* 658. *Tom.* IV. *Part.* 2.

(*c*) EST] Immo ex lege Aquilia ſemper actionem dari exiſtimo, quoties ancilla per ſtuprum deterior facta eſt. Praeterea vero actio etiam ſervi corrupti locum habuiſſe videtur. Vide *Interpp.* ad PAULI *Sent.* in *juriſpr. antejuſt. pag.* 244. 249. 322. & *Hoffmannum pag.* 78. Caeterum in ordine periodum ſequor hic *ed. Opp. Pariſin.* In vetuſtioribus enim *edd.* deinceps demum haec periodus collocatur.

(*d*) STATUIT] Quae diſtinctio olim non obſervabatur. Vid. PAULUS *Rec. Sent. lib.* II. *tit.* 26. §. 11. ibique *Schultingius pag.* 320. in *juriſpr. antejuſt.* Conf. *Jac. Gothofredi Comm.* ad *L.* 1. *C. Th. lib.* IX. *tit.* 7.

in *Epigr.* (*Anthol. pag.* 606.) cnm ait: Ἢν δὲ μίγῃς ἰδίῃ θεραπαινίδι, τλῆθι καὶ αὐτὸς δοῦλος ἐναλλάγδην ὁμοίως γιγνόμενος. Εἰ δὲ καὶ ὀθνείῃ (ſcilicet θεραπαινίδι: Sic enim cum *Brodaeo* interpretari rectius eſt, licet aliter *Alciatus* in Parergia acceperit.) τότε σοι νόμος αἶσχος ἀνάψει, Ὕβριν ἀνιχνεύων σώματος ἀλλοτρίου. *Si cum propria ancilla rem habeas, ferendum tibi eſt, ſi viciſſim fias ſervae ſervus. Si vero alienam ancillam flagitaveris, tunc te lex ignominia afficiet, injuriam perſequens corporis alieni.* & NICEPHORUS (*a*) *lib.* XI. *hiſt. eccleſiaſt. cap.* 32. In meretrices autem, & quae palam quaeſtum corpore facerent, meritoriaque ſcorta, nemo dubitat, ſtupri crimen non cadere. Inde SALVIANUS MASSILIENSIS *lib.* VII. *de vero Dei judicio*, impudicitiae piaculo obnoxias eſſe meretrices ſcribit, ſed reatu tamen adulterii non teneri. Simili modo nec in meritorios pueros ſtuprum admittebatur. Inde *Eunucho* TERENTIUS *Act.* v. *Sc.* 5. *v.* 18. clamat; *Quis homo pro moecho unquam vidit in domo meretricia deprehendi quemquam.* Sed de priore ſtupri ſpecie ſatis: tractemus & alias. Qui duas uxores eodem tempore ducit, is in ſecundam ſtuprum committere intellegitur, ſtuprique accuſari poteſt. [l] Nec enim jure Romano binas uxores eodem tempore in matrimonio habere licuit, [m] quod Athenienſium legibus licuiſſe accepimua. Quamquam & Julium Caeſarem (*b*), & Valentinianum, idem in animo habuiſſe lege ſancire TRANQUILLUS, [n] & CASSIODORUS [o] & PAULUS DIACONUA [p] ſcribant. Sed merito hoc moribus Romania improbatum eſt, quibua non ei duntaxat, qui duas uxores eodem tempore duxerit, ſed & ei, qui vel bina dumtaxat ſponſalia eodem tempore conſtituta habuerit, inſamia irrogatur, [q] niſi patria imperio coactus quis ſecerit. Excuſatur enim, qui non ſponte, ſed cogente patre fecerit, cui obtemperare neceſſe habuit. [r] Mulier vero ipſa, quae aliis jam nuptiia devincto nupſit, ſiquidem falſa exiſtimatione decepta nupſerit, nullam poenam incurrit. Poſteriores certe nuptiae, primis manentibus, vitiantur, ſtuprique accuſatio datur. Praeter haec & qui pupillam ſuam, ab ejus patre ſibi neque deſponſatam, neque deſtinatam, nondum redditis rationibus, contra Senatuſconſultum duxerit, ſtupri tenetur, [s] quoniam nec matrimonium eſt. [t] Eademque ratione ſi quia in ea provincia, in qua adminiſtrat, vel aliquod officium gerit, uxorem duxerit, ejuſmodi conſuetudine ſtuprum committere intellegitur, cum nuptiae non conſiſtant. [v] Itidemque liberos, qui concubinas parentum duxerint, tam irreligioſo matrimonio ſtuprum committere Imperator ALEXANDER reſcripſit. [x] Poteſt & illud ex poſteriorum Imperatorum conſtitutionibus addi, Si quis Judaeus Chriſtianam mulierem in matrimonio habeat, adulterii loco hoc crimen vindicari. [y] Ceterum ſtuprum non in virgine tantum, ſed & in puero admittitur. [z] Eſt enim generale verbum, tantumdemqne apud nos valet, quantnm apud Graecos φθορά. [a] Sequitur igitur non in feminia tantum, ſed & in maribus admiſſa ſtupra lege Julia vindicari. Quod & JUATINIANUS ſcribit. [b] Atque hi nefandi contra naturam coitua jam ante lege Scantinia vindicabantur. Cujus legia, ut jam ab aliis ante me notatoa locos taceam, etiam CICERO, [c] & COELIUS, [d] & TERTULLIANUS, [e] & PRUDENTIUS [f] meminere. Ejus vero legis poenam pecuniariam fuiſſe quidam exiſtimant, ex eo, quod QUINCTILIANUA ſtupratori poenam decem millium conſtitutam, duobua locia [g] tradat. Quod ego pro certo atque indubitato non admitto.

Nam exempla quaedam capitali ſupplicio ob ingenuos adoleſcentes ſtupratos affectorum SUIDAA [h] & VALERIUS MAX. [i] memorant. Apud PLUTARCHUM in *Marcello*, *pag.* 298. *ſeq.* ob tentatam ingenui pudicitiam poena pecuniaria inflicta narratur. Et quod a QUINCTILIANO ſcribitur, poteſt, ut in ſchola fit, exercitationis gratia confictum, aut ex Graecorum legibus ſumptum eſſe (*c*).

CLE-

l *l.* 18. *eum qui. C. ad l. Jul. de adulter.*
m *l.* 2. *C. de inceſt. nupt.*
n *In Julio cap.* 52.
o *Lib.* VIII. *hiſt. tripart. cap.* 31.
p *Lib.* XI. *hiſt. Eutrop.*
q *l.* 1. *D. de his qui not. infam.*
r *d. l.* 1. *in fin. & l.* 11. *liberorum.* §. 4. *D. de his, qui not. infam.*
s *l.* 7. *D. de adulter.*
t *l.* 66. *non eſt. D. de ritu nupt. l.* 27. *D. rerum amot.*
v *l.* 63. *praefectus. D. de rit. nupt. l.* 3. §. 1. *D. de donat. int. vir.*
x *l.* 4. *C. de nupt.*
y *l.* 6. *C. de Judaeis. l.* 2. *de nupt. C. Theod. lib.* III. *tit.* 7. *l.* 5. *de adult. C. Theod. lib.* IX. *tit.* 7.
z *l.* 34. §. 1. *D. ad l. Jul. de adult.*
a *l.* 6. §. 1. *D. eod.*
b §. 4. *item lex Julia. Inſtit. de public. judic.*
c *Philipp.* III. *cap.* 6.
d *Lib.* 8. *Epiſt. Famil. Cicer. Epiſt.* 12. & 14.
e *In lib. de monogam. cap.* 12.
f *In Romano Martyre, ſ. Periſteph. Hymn.* x. *v.* 204.
g *Lib.* 4. *cap.* 2. *lib.* 7. *cap.* 4.
h *In verbo* Γαϊ Ἀνθύπατ@.
i *Lib.* 6. *cap.* 1. *ex.* 10. 11.

(*a*) NICEPHORUS] Apud hunc auctorem *l. c.* nihil reperi, quod huc ſpectaret. Sed quum *cap.* 33. narretur hiſtoria de Valentiniani bigamia, ſuſpicor, hunc forte locum non recto ordine fuiſſe collocatum.

(*b*) CAESAREM] Ego locum SUETONII non intelligo de lege univerſali; ſed de Privilegio, ut Caeſari ſcilicet liceret, quas & quot vellet, ducere uxores.

(*c*) ESSE] Quod ad legem Scatiniam, ſive, ut alii ſcribunt, Scantiniam, attinet, omnia adhuc manent incerta, & auctor, & tempus, & poena: neque certo dicere poſſumus, reos illos maſculae Veneris, de quibus Plutarchus, Suidas, Valerius Maximus, ex hac lege fuiſſe condemnatos. Nulla ſane certa & ordinaria

Clemens etiam Alexandr. *lib.* III. *paedag. cap.* III. *pag.* 265. Ἄγαμαι, ait, τοὺς παλαιοὺς Ῥωμαίων νομοθέτας. ἀνδρόγυνον ἐμίσησαν ἐπιτήδευσιν οὗτοι καὶ τὴν τοῦ σώματος τὴν πρὸς τὸ θῆλυ κοινωνίαν παρὰ τὸν τῆς φύσεως νόμον, ὀρύγματος κατηξίωσαν κατὰ τὸν τῆς δικαιοσύνης νόμον. *Suſpicio autem & admiror veteres Romanorum legiſlatores: ii muliebre & effeminatum vitae ſtudium odio habuerunt, & corporis cum femina conſuetudinem, praeter naturae legem, terrae infodi ex lege juſtitiae aequum exiſtimarunt.* Quibus verbis declarat, ideo defodi ſolitos eos, qui cum maſculis idem peracti eſſent (*a*). Ego tamen ampliari judicium poſtulo. Et utut ſit, illam legem Julia abrogatam fuiſſe non exiſtimo (*b*). Nam poſtea quoque ejus poenam in utriuſque ordinis viris exercuiſſe Domitianum, Tranquillus refert. [k] Plane etiam Constantinus capite animadverti in paedicatores gravibus execrationibus praecipit (*c*). [l] Ignis deinde poena hoc crimen vindicandum Impp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius conſtituere (*d*). [m] Addidit & Justinianus, *Zonara* auctore (*e*), virilium amputationem. Quae tamen poenae leves videbuntur, ſi cum magnitudine delicti comparentur, quod non divinis modo praeceptis, ſed & ipſi naturae ita adverſatur, non ſolum ut animus a facto, verum etiam a commemoratione abhorrere debeat. Quid enim, ut cum Lactantio [n] loquar, poteſt (*f*). Ceterum de inceſtu nihil lege Julia expreſſum eſt, & ideo de inceſtu legem Juliam ceſſare Papinianus [o] ait (*g*): quod ita verum eſt, ſi non cum adulterio inceſtum junctum ſit. [p] Raptus item lex Julia non coërcet. Sed hoc crimen ad legem Juliam de vi pertinet. [q] Et ideo bene Justinianus ſtupri flagitium ſine vi admiſſum lege Julia puniri ſcribit. [*] Amplius ſtupra in viripotentes & maturas demum virgines commiſſa lex Julia vindicat. Quod ſi quis virginem immaturam & intempeſtivam viro corruperit, alia poena plectitur. [r] Haec autem verba: Ne quis stuprum facito, *Ulpiano* interprete, ad eos, qui ſtuprum adulteriumve intulerit, & ad eos, qui ſuaſerint, pertinent. [s] Eos enim legis quoque ſententia teneri intellegimus, qui adulterium ſtuprumve facientibus opem

k *In Domitian. cap.* 8.
l *l.* 31. *cum vir. C. de adulter.*
m *l.* 6. *omnes. de adult. in C. Theod. lib.* IX. *tit.* 7.
n *lib.* 6. *Inſt. Div. de vero cultu cap.* 23.
o *l.* 4. *D. de quaeſtion.*
p *l.* 39. *vim paſſam.* §. *ult. D. de adulter. l.* 5. *D. de quaeſtion.*
q *l.* 5. *qui coetu.* §. *ult. D. ad l. Jul. de vi public. l.* 29. §. *ult. D. de adulter.*
* §. 4. *Inſtit. de public. judic.*
r *l.* 38. *ſi quis aliquid.* §. 3. *D. de poenis.*
s *l.* 12. *D. eod.*

naria poena ex hiſce ſcriptoribus colligi poteſt, quum rei illi non in ordinario aliquo judicio publico fuerint condemnati, ſed vel a ſenatu, vel a populo, qui ad nullam certam poenam infligendam erant adſtricti. Ex Cicerone tamen *ll. cc.* colligo, ejus aetate ordinarium judicium publicum ex lege Scatinia fuiſſe: de poena tamen nihil certi conſtat, neque hac in parte ad Quinctilianum tuto provocare poſſumus, cum nondum conſtet, eum poenam ex hac lege nobis deſcribere voluiſſe. Legi interim merentur, quae de hac lege diſſerunt *Jac. Gothofredus* in *Comm.* ad *L.* 3. *C. Theod. lib.* IX. *tit.* 7. & in *not.* ad *Tertull. ad Nation. lib.* 1. *cap.* 16. *Thom. Reineſius Var. lect. lib.* 1. *cap.* 22. Vir Cl. *Jo. Frid. Chriſtius* in *Hiſtoria legis Scatiniae, ed. Hal.* 1727. 4. & *Jo. Guil. Hoffmannus* in *Comm.* ad *L. Jul. de Adult. cap.* 1. *pag.* 26. *ſeq.*

(*a*) Essent] Locus hic paullo eſt obſcurior, & hinc diverſa ratione a viris doctis explicatur. Vide praeter Interpretes ad *h. l. Thom. Reineſ. l. c.*

(*b*) Existimo] Vide *Chriſtii Hiſtor. L. Scat.* §. 12. *ſeqq. Hoffmanni Comm.* ad *L. Jul. de Adult. cap.* 4. *pag.* 86. *ſeq.* qui tamen *ibid.* & *pag.* 93. fatetur, potuiſſe etiam hac de re aliquid lege Julia ſanciri. Quicquid vero ſit, id certum eſſe puto, Justiniani ſaltem temporibus utramque legem in unam fuiſſe conflatam; & ita intelligendum eſſe §. 4. *Inſt. de publ. jud.*

(*c*) Praecipit] Conſtitutio haec eſt *L.* 3. *C. Th. lib.* IX. *tit.* 7. ubi vide *Jac. Gothofredi Comm.* qui probabile reddere voluit, Conſtantinum M. jam ignis poenam in hoc delictum ſtatuiſſe: cui tamen nondum adſentior. Ex Pauli interim *Sent. lib.* II. *tit.* 26. §. 12. patet, Conſtantinum M. non primum fuiſſe, qui ultimo ſupplicio hoc ſcelus expiandum ſtatuit, licet auctor ſeverae hujus conſtitutionis maneat incertus.

(*d*) Constituere] *L.* 6. *C. Th. eod. tit.* integrior exſtat in *Coll. legg. Moſaic. & Rom. tit.* V. §. 3. quam in Codice Alariciano. Hanc vero legem Justinianus neglexit, quia gladii poenam ſufficere putavit, ut patet ex §. 4. *Inſt. de publ. judic.*

(*e*) Auctore] Locus hic exſtat in ejus *Annal. lib.* XIV. *pag.* 64. ubi ita loquitur de Juſtiniano: Οὗτος ὁ βασιλεὺς καὶ κατὰ τῶν ἀνδρομανούντων πολλὺς ἐκινήθη, καὶ πλείστους διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν ἐκόλασε, τὰ αἰδοῖα τούτων ἀποτεμών. *Fuit hic Imperator libidini maſculae infeſtiſſimus, plurimosque ea de cauſa punit, virilibus exectis.*

(*f*) Potest] Auctor ſine dubio hic adſcribere voluit verba Lactantii ſequentia: *Quid enim poteſt ſanctum eſſe iis, qui aetatem imbecillam, & praeſidio indigentem libidini ſuae depopulandam foedandamque ſubſtraverint? Non poteſt haec res pro magnitudine ſceleris enarrari. Nihil amplius iſtos appellare poſſum, quam impios & parricidas, quibus non ſufficit ſexus a Deo datus, niſi etiam ſuum ſexum profane & petulantes illudant.*

(*g*) Ait] Vide tamen, quae de ſenſu hujus legis diſputat *Hoffmannus, pag.* 158. *ſeqq.*

pem ſerunt, aut malo conſilio, in fraudem illiciunt. SCIENS, ait lex, DOLO MALO, quae verba & in eo capite legis Juliae de maritandis ordinibus, quod a PAULO refertur, [t] & in capite quinto legis Mamiliae, & in lege Fabia, [v] & alias [x] ſaepe conjunguntur. Oſtendunt autem, eum demum ex hac lege plecti, qui dolo malo ſtuprum adulteriumve commiſerit. Si igitur dolus abſit, ceſſabit ejuſdem poena: doli ſuſpicionem quilibet facti error excludit. Proinde qui non animo adulterii ſtuprive committendi, honeſtae matronae, virginive vitium obtulerit, cum juſta aliqua ratione ductus ſine ullo dolo exiſtimaret in ea ſtuprum non committi, excuſatur: [y] ut ecce, ſi non ex lege, nec uti oportet, repudiatam mulierem inſciens quis duxerit, quamvis ea adhuc in priori matrimonio eſſe videatur, tamen adulter non erit, quia ſine affectu delinquendi & dolo malo adulterium non committitur. [z] Eademque ratione qui meretricia veſte indutas matronas ſtupraverit, vix eſt, ut lege Julia teneatur, [a] quoniam hac mente & cogitatione non fuit, ut ſtuprum, vel adulterium faceret. Quo pertinet illa quaeſtio, quae a QUINCTILIANO proponitur, [b] an, qui in lupanari cum aliena uxore fuerit deprehenſus, adulterii teneatur. Hic enim meretrici ſe jungi juſta ratione credidit, cum in eo loco, in quo proſtitutae ſedere ſolent, matrona proſtaret. Et longe hic error a dolo & ſcientia abeſt, quorum utrumque lex Julia in hiſce delictis exigit. His conſequens eſt & illud, Adulterii eam demum mulierem teneri, quae volens deliquerit: vim paſſa, quia culpa vacat, poenam legis non timet. [c] Eam igitur uxorem ſine fraude ducere cuique licebit. [d]

t *l.* 44. *lege Julia. D. de ritu nupt.*
v *l.* 3. *D. de lege Fabia.*
x *l.* 1. *D. ad l. Jul. pecul. l.* 9. §. *pen. D. ad leg. Corn. de falſ. l. pen. in fin. D. de plagiar. l.* 1. *D. de aedil. ed.*
y *Arg. l.* 12. *igitur. D. de liber. cauſa. l.* 3. §. 6. *is qui neſcit. D. de lib. hom. exhib.*
z *l. penult. D. de adulter.*
a *Arg. l.* 15. *item apud Labeonem.* §. 15. *ſi quis virgines. D. de injur.*
b *lib.* 7. *cap.* 3.
c *l.* 13. *ſi uxor.* §. 7. *ſi quis plane. D. ad l. Jul. de adult.*
d *l.* 20. *foediſſimam. C. eod.*

II.

QUI STUPRUM ADULTERIUMVE FEC. &c.

Adulterii poenam ex lege Julia capitalem non fuiſſe, perſpicue ex eo apparet, quod adulterii damnatas eadem lex uxores duci, & in teſtimonium citari vetet (*a*). Quod certe perabſurdum fuiſſet cavere, ſi hujus criminis poena vitam, libertatemve ademiſſet. Fuit vero procul dubio legis poena relegatio, qua & Auguſtus uſus traditur, cum ſeveritatem legis in filiam neptemque exerceret, quae ſe adulterio maculaverant. SUETONIUS in *Auguſto.* [e] *Julias, filiam & neptem, omnibus probris contaminatas relegavit, relegatiſque* ut mox ſubjicit, *omnem uſum vini, omnemque delicatiorem cultum ademit, neque adiri a quoquam libero ſervove, niſi ſe conſulto, permiſit, & ita, ut certior fieret, qua is aetate, qua ſtatura, quo colore eſſet, etiam quibus corporis notis, vel cicatricibus. Poſt quinquennium demum ex inſula in continentem, lenioribus paulo condicionibus, eas tranſtulit.* Quod CORNELIUS TACITUS diſtinctius memorans, Juliam filiam ob impudicitiam a patre Auguſto Pandateria inſula, mox oppido Rheginorum, qui Siculum fretum accolunt, clauſam fuiſſe narrat: [f] Juliam quoque neptem adulterii convictam, damnatam ab eodem in inſulam Trimetum haud procul Appulis litoribus relegatam, ubi xx. annis exilium toleravit. [g] Et illa quidem Marcello primum, Octaviae ſuae ſororis filio, deinde ut is obiit, Marco Agrippae, poſtremoque Tiberio nuptum a patre data eſt, [h] quibus in matrimoniis incontinentiſſime vixit, eaque praecipua fuiſſe Tiberio cauſa

e *Cap.* 65.
f *Lib.* 1. *hiſt. Aug. S. Annal. cap.* 53.
g *Idem Tacit. lib.* 4. *Annal. cap.* 71.
h *Sueton. in Aug. cap.* 62.

(ſ) VETET] Poena legis Juliae non fuit capitalis, quia neque civitatem, neque libertatem, neque vitam denique ademit. id quod poſt alios luculenter probarunt *Ger. Noodt.* in *Dioclet. cap.* 15. *ſeqq.* & *Hoffmann.* ad *h. l. pag.* 84. *ſeqq.* Non poteſt ergo capitalis dici poena, niſi eo ſenſu, quo interdum etiam capitales poenae dicuntur eae, quae non niſi infamiam irrogant. Si certum eſſet, quod quidam ſtatuunt, ab Alexandri Severi temporibus poenam ordinariam adulterii fuiſſe deportationem: jam ſenſu magis proprio poena capitalis vocari poſſet. Sed quemadmodum illud incertum eſt, ita certum eſſe puto, Conſtantinum M. primum ultimum ſupplicium, ſive gladii poenam in adulterium ordinario jure ſtatuiſſe. Qui vero hanc poenam jam per ipſam legem Juliam ſtatutam fuiſſe ex nimio Triboniani amore contendunt, illis merito acclamatur: *non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis tempus eget.* Poteſt enim meliori ratione defendi Tribonianus. Notum nimirum eſt, quae ſequentibus temporibus legi alicui adduntur, vel in lege mutantur, ea omnia ipſi legi adſcribi. Tribonianus ergo in §. 4. *Inſt. de publ. jud.* poenam legis Juliae deſcripſit, non ut ab Auguſto ſancita fuit, ſed ut ſuis temporibus in uſu erat. Et ob eandem rationem recte etiam dixit, maſculam Venerem ex lege Julia puniri, quemadmodum ſupra jam indicavi.

Digitized by Google

cauſa creditur Rhodum ſecedendi, [i] cum nec perferre eam poſſet, nec criminari, aut dimittere auderet, propter patris Auguſti metum, cujus tamen auctoritate tandem ei libellus repudii, abſentis Tiberii nomine, miſſus eſt. [k] Ipſaque in eas, quas dixi, inſulas relegata. In Chronico quoque EUSEBII Juliam a patre Auguſto, quod in adulterio deprehenſa eſſet, exilio damnatam ſcriptum eſt. [*] Nec vero alia, quam exilii poena, quod & SENECA in *lib.* I. *de Clementia cap.* 10. extollit, adulteris ejus inflicta eſt. CORNELIUS TACITUS: [l] *Par cauſa ſaevitiae in Sempronium Gracchum, qui familia nobili, ſolers ingenio, & prave facundus, eandem Juliam in matrimonio M. Agrippae temeraverat: nec is libidini finis. Traditam Tiberio pervicax adulter contumacia & odiis in maritum accendebat: litteraeque, quas Julia patri Auguſto cum inſectatione Tiberii ſcripſit, a Graccho compoſitae credebantur. Igitur amotus Cercinam, Africi maris inſulam, quatuordecim annis exilium toleravit.* Sed mihi temperare non poſſam, quin ad hanc rem pertinentia VELLEJI PATERCULI verba adſcribam: *Filia*, ait, [m] *ejus Julia, per omnia tanti parentis ac viri immemor, nihil quod facere aut pati turpiter poſſet femina, luxuria, libidine, infectum reliquit: magnitudinemque fortunae ſuae peccandi licentia metiebatur, quicquid liberet, pro licito vindicans. Tum Julius Antonius ſingulare exemplum Clementiae Caeſaris, violatur ejus domus, ipſe ſceleris a ſe commiſſi ultor fuit, quem victo ejus patre, non tantum incolumitate donaverat, ſed ſacerdotio, praetura, conſulatu, provinciis, honoratum etiam matrimonio ſororis ſuae filiae in arctiſſimam affinitatem receperat: Quintiuſque Criſpinus ſingularem nequitiam ſupercilio truci protegens, & Appius Claudius, & Sempronius Gracchus, ac Scipio, aliique minoris nominis utriusque ordinis viri, quaſi cujuſlibet uxore violata, poenas pependere, cum Caeſaris filiam, & Neronis violaſſent conjugem. Julia relegata in inſulam, patriaeque & parentum ſubducta oculis: quam tamen comitata mater Scribonia, voluntarii exilii permanſit comes.* Haec ille, cui SENECA quoque conſentiens, *Divus*, ait, [n] *Auguſtus filiam intra pudicitiae maledictum impudicam relegavit, & flagitia principalis domus in publicum emiſit, admiſſos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comeſſationibus civitatem.* Fertur & illud inexplebilis Juliae libidinis argumentum, quod numquam, niſi plena nave, vectorem ſe tollere diceret, [o] eaque ratione etiam in infinitis adulteriis ſimiles marito liberos procreare. Sed de domeſticis Auguſti malis ſatis, qui eam, quam ipſe tulerat, legem, in liberis exercere coactus eſt. Legis Juliae poenam intra relegationem ſtetiſſe confirmat, quod TACITUS refert, [p] Viſtiliam, quae Titidio Labeoni nupſerat, adulterii convictam in inſulam Seriphum abditam eſſe. Hujus etiam poenae aliud exemplum PLINIUS in *Epiſtolis* [q] ſuppeditat: *Sequenti die audita eſt Galitta, adulterii rea: nupta haec Tribuno militum, honores petituro: & ſuam, & mariti dignitatem Centurionis amore maculaverat. Maritus legato Conſulari, ille Caeſari ſcripſerat. Caeſar excuſſis probationibus, Centurionem exauctoravit, atque etiam relegavit.* Circa milites porro, quos ab omni libidine puros ſervari caſtrorum diſciplina poſtulat, legis Juliae poenam plerique Imperatores exceſſere. Macrinum enim CAPITOLINUS in *ejus vita, cap.* 12. ſcribit, milites quoſdam, qui hoſpitis ſui ancillam corrupiſſe arguebantur, duobus mirae magnitudinis bobus, quos ſubito aperiri juſſerat, incluſiſſe, capitibus, ut ſecum colloqui poſſent, exertis. Quamquam & ille pro innata crudelitate adulterii reos ſemper vivos ſimul junctis corporibus incendiſſe dicatur. Aurelianum quoque FLAVIUS VOPISCUS in *ejus vita, cap.* 7. refert, militem, qui adulterium cum hoſpitis uxore commiſerat, ita puniviſſe, ut duarum arborum capita inflecteret, quae ad pedes militis deligata ſubito dimitteret, ut ſciſſus ille utrinque penderet. Militem plane adulterii ex hac lege condemnatum ipſa ſententia ſacramento ignominiae cauſa ſolvit. [r] Sed nec inter milites poſtea recipiuntur, qui adulterii damnati fuerint. [s] In ceteris ſecundum legis Juliae conſtitutionem exilii poena ſervabatur, ut vere a Beato AUGUSTINO [t] ſcriptum ſit, Adulteria Romae morte punita non fuiſſe antiquitus: *Nam & ipſi Romani antiqui in ſtupro detectas Veſtales ſacerdotes vivas etiam defodiebant. Adulteras autem feminas, quamvis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant.* Primus CONSTANTINUS capitis poena adulterii crimen vindicandum conſtituit. [v] Unde perſpicuum eſt a *Triboniano* additam eſſe eam parentheſim, quae in ALEXANDRI reſcripto [x] legitur (*a*): *Qui*

i *Tacit. lib.* 2. *Annal. cap.* 53. *Sueton. in Tiber. cap.* 10.

k *Sueton. in Tiber. cap.* 11.

* *Ad Annum* MMXII.

l *Lib.* 1. *Annal. cap.* 53.

m *Lib. poſteriore ad Vinic. cap.* 100.

n *Lib.* VI. *de Beneſic. cap.* 32.

o *Macrob. lib.* 2. *cap.* 5.

p *Lib.* 2. *ad Annal. cap.* 85.

q *lib.* 6. *epiſt. ad Cornelium* 31.

r *l.* 2. *§.* 3. *miles. D. de his, quae not. infam.*

s *l.* 4. *qui cum uno. §.* 7. *adulterii. D. de re milit.*

t *Lib.* 3. *de Civitat. dei cap.* 5.

v *l.* 30. *quamvis. C. ad l. Jul. de adulter.*

x *l.* 9. *caſtitati. C. eod.*

(*a*) LEGITUR] Vide quae hac de re differit *Jo. Jac. Wiſſenbachius* in *Embl. Tribon.*

Qui autem adulterii damnatam (ſi quocumque modo capitalem evaſerit. poenam) ſciens duxerit uxorem, &c. Capitalem autem poenam JUSTINIANUS in maſculis probat; mulierem vero verberibus caeſam in monaſterium detrudi praecipit, data poteſtate marito intra biennium, ſi hoc exiſtimaverit, eam inde revocandi, quo transacto, aut viro praemortuo, eam raſo capite, mo-
y *Nov.* cxxxiv. *ut nulli judic. cap.* 10.
naſtico habitu amiciri, & illic omni vitae tempore manere y jubet. Verum enimvero quod ad legis Juliae poenam attinet, dubitari poterit. Si relegatione (uti eſt certiſſimum) terminaretur, cur tandem Romanis tam gravis ac ſevera viſa ſit, quam & deprecatus in Apulejae Variliae condemnatione
z *Corn. Tacit. lib.* 2. *Annal. cap.* 50.
a *Satyr.* 2. *v.* 30.
b *l.* 4. *& l.* 7. §. 2. *haec eſt. D. de interd. & releg.*
Tiberius dicitur: z & JUVENALIS amaram, atque ipſi Marti Venerique timendam appellat. a Etenim relegatione, quae libertatem civitatemque conſervat, b vix mitior alia poena huic ſceleri infligi potuit. Ego exiſtimo non propter relegationem modo (*a*), verumetiam propter alias adjunctas poenas legem Juliam atrocem exiſtimatam. Nam & ea lege damnatae mulieres aliis jure nubendi, & teſtimonii dicendi jus amittebant: quod lege cautum fuiſſe inſra docebimus. Hoc amplius, matronali veſte depoſita togam induere cogebantur, quo a matronis diſcernerentur. Quemadmodum ex JU-
* *Select. Antiq. lib.* 1. *cap.* 4.
VENALE, MARTIALE, aliiſque auctoribus alias docui. * Quae res non levem notam in publico verſantibus inurebat. Erat & hoc pergrave, quod in ipſis rebus Venereis deprehenſos, caedere quibuſdam perſonis lex permittebat. Accedebat, quod adulterii convicta mulier dotis parte multabatur.
c *Lib.* 1. *Sermon. Sat.* 2. *v.* 127.
Quemadmodum HORATIUS c his verſibus ſignificat (*b*):

Nec metuo, ne, dum futuo, vir rure recurrat,
Janua frangatur, latret canis, undique magno
Pulſa domus ſtrepitu reſonet, vel pallida lecto
Deſiliat mulier, miſeram ſe conſcia clamet,
Connubio (al. *cruribus*) *haec metuat, doti, deprenſa: egomet mi.*

Quod & ante legem Juliam ſervatum VALERIUS MAXIM. quoddam Ma-
d *Lib.* 8. *cap.* 2. *ex.* 3.
rii judicium referens, indicat. d Enimvero adulterii damnatae dos non publicabatur (*c*). Hoc enim quinque tantum legibus ſancitum ULPIANUS
e *l.* 3. *D. de bon. damnat.*
ſcribit, e majeſtatis, Juliae vis publicae, parricidii, veneficii, & de ſicariis. Sed ex ea cauſa, tamquam diſſidii cauſam mulier praeſtitiſſet, ex dote
f *l.* 11. *miles.* §. 3. *ſocer.* & §. *ult. D. de adult.*
marito retentio concedebatur, f quemadmodum ſi alio quolibet modo matrimonium uxoris culpa ſolutum eſſet. Hic illud non incommode quaeretur, quae fuerit ante legem Juliam adulteriis conſtituta poena (*d*). Nullam vero
certam

Tribon. pag. 147. *ſeq.* 165. *ſeq.* & 183. & *Jo. Wybo* in *Tribon. defenſo, pag.* 382. *ſeqq.* 403. & 418. *ed. Halenſ. Ger. Noodt.* in *Dioclet. cap.* 16. *Jo. Frid. Chriſt.* in *Hiſt. leg. Scatin.* §. 13. *ſeq.* Mihi auctoris noſtri ſententia adhuc prae caeteris placet.

(*a*) MODO] Immo & relegatio jam ſatis gravis poena viſa fuit Romanis pro laxiori ſeculi Auguſtei diſciplina, quum praeſertim non ſimplex relegatio ſtatuta fuerit in lege Julia, ſed additum inſulae vinculum. Conſ. *Hoffmann. pag.* 94. *ſeqq.*

(*b*) SIGNIFICAT] HORATII hunc locum non ad legem Juliam, ſed ad judicium de moribus referendum eſſe, bene notat *Hoffmannus, pag.* 90. Ex lege tamen Julia, vel ſaltem ex Conſtitutionibus ſequentium Impp. ad hanc legem, tam maſculis, quam feminis imminebat amiſſio partis bonorum. PAULUS *Sent. lib.* 11. *tit.* 26. §. 14.

(*c*) PUBLICABATUR] *Jac. Cujac.* ob locum laudatum Pauli, in *jurispr. antej. pag.* 321. exiſtimat, dimidiam partem dotis publicatam fuiſſe. *Hoffmannus pag.* 90. dubitat, non tantum de publicatione dotis, ſed etiam de eo, num locus Pauli ad legem Juliam, an vero ad judicium de moribus ſit referendus. Ego divido, & Pauli locum ad legem utique Juliam referendum eſſe exiſtimo, non vero ad judicium de moribus: nam in judicio de moribus mulier non ſemper dimidiam partem dotis amittebat. Quum vero Paulus non dicat expreſſe, dimidiam illam partem dotis fuiſſe publicatam, ego potius opinor, eam marito laeſo fuiſſe applicatam. Differebat ergo judicium ex lege Julia, a judicio de moribus, ratione dotis in eo: (1) quod ex lege Julia maritus, muliere condemnata, ſemper dimidiam partem dotis retineret; in judicio de moribus vero non ſemper: (2) quod in judicio de moribus graves etiam adulterii ſuſpiciones ſufficerent ad partem dotis lucrandam: ad condemnationem vero ex lege Julia plena adulterii probatio requireretur.

(*d*) POENA] De poena adulterii apud Romanos ante legem Juliam omnium diligentiſſime egerunt *Gottfr. Lengnich.* in *Diſſ. de origine atque progreſſu poenae adulterarum apud Romanos. Hal.* 1712. & *Jo. Guil. Hoffmannus* in *libro ſingulari ad L. Jul. de Adult.* toto capite primo.

certam ſtatutam fuiſſe invenio, ſed majorum more impudicarum mulierum coërcitionem propinquis ac neceſſariis mandatam, qui in eas pro arbitrio ſtatuerent. Hoc SUETONIUS in *Tiberio* oſtendit: [g] *Matronas*, inquit, *proſtratae pudicitiae, quibus accuſator publicus deeſſet, ut propinqui more majorum de communi ſententia coërcerent, auctor fuit.* Idem & TACITUS *libro ſecundo Annal. cap.* 50. *Adulterii graviorem poenam deprecatus, ut exemplo majorum a propinquis ſuis ultra ducenteſimum lapidem removerentur, ſuaſit.* Hoc autem ex Romuli legibus fluxiſſe ſuſpicor, quibus ut DIONYSIUS HALICARNASS. ſcribit; [h] Ἁμαρτάνουσα δέ τι γυνή, δικαστὴν τὸν ἀδικούμενον ἐλάμβανε, καὶ τοῦ μεγέθους τῆς τιμωρίας κύριον. Ταῦτα δ' οἱ συγγενεῖς μετὰ τοῦ ἀνδρὸς ἐδίκαζον, ἐν οἷς ἦν φθορὰ σώματος. *Si autem aliquid peccaſſet, poenam luebat ex mariti laeſi arbitrio. De hujuſmodi criminibus cognati cum ipſo cognoſcebant, in quibus erat violata pudicitia.* Atque eodem modo patriae poteſtatis jus moribus receptum eſſe a noſtris dicitur, [i] quod tamen ex Romuli legibus deſcendit. [k] Extat ſane a LIVIO ſcriptum, [l] Fabium Gurgitem aliquot matronas ſtupri damnatas pecunia multaſſe. Poſtea etiam Romanorum corruptis moribus in adulterio deprehenſae ſtupri ignominiae labe adficiebant, quae peccaverant, eodem plectebantur modo, quae poena a Theodoſio merito abrogata eſt, ut SOCRATES (*a*) *lib.* v. *hiſt. Eccleſ. cap.* XVIII. & ex eo CASSIODORUS *lib.* IX. *hiſt. tripart. cap.* XXIV. Severius in Veſtalibus virginibus crimen hoc vindicabatur, quae virginitatem, quam illibatam in conſtitutos annos ſervare eas oportuerat, ſtupro violaſſent, more jam inde a Numae, aut, quod alii exiſtimant, a Tarquinii temporibus tradito, ut vivae intra urbem in Campo ſcelerato defoderentur, quemadmodum DIONYSIUS HALICARNASS. [m] & PLUTARCHUS [n] ſcribunt. SUETONIUS in *Domitiano*: [o] *Inceſta Veſtalium virginum, a patre ſuo quoque & fratre neglecta, varie ac ſevere coërcuit; priera capitali ſupplicio; poſteriora more veteri. Nam cum Ocellatis ſororibus, item Varonillae liberum mortis permiſiſſet arbitrium, corruptoreſque earum relegaſſet: mox Corneliam, virginem maximam, abſolutam olim, dehinc longo intervallo repetitam atque convictam, defodi imperavit, ſtupratoreſque virgis in Comitio ad necem caedi.* In *Chronicis* quoque EUSEBII [*] Maximam virginum Veſtalium ſtupri convictam vivam defoſſam eſſe traditur. Sic & LIVIUS Oppiam, Minutiam, Opimiamque, Veſtales, vivas ſub terram ad portam Collinam ſcelerato campo defoſſat narrat. [p] Et hoc antiqui moris ſupplicium pleniſſime a PLUTARCHO [q] ZONARAque [r] deſcribitur: quibus additus SERVIUS, cur intra urbem dofoderentur, exponet. [s] HERODIANUS *lib.* IV. *de Anton. cap.* 11. Τάς τε τῆς Ἑστίας ἱερείας ζώσας κατώρυττεν, ὡς μὴ φυλαττούσας τὴν παρθενίαν. *Sed & Veſtales virgines, quaſi temerata virginitate, vivas defodit.*

g *Cap.* 35.
h *Lib.* 2. *Antiq. pag.* 95.
i *l.* 8. *patre furioſo. D. de his, qui ſunt ſui vel al. jur.*
k *Halic. lib.* 2.
l *lib.* 10. *ab urbe cond. cap.* 31.
m *Lib.* 2. *p.* 127. & 1. *pag.* 200.
n *In Numa pag.* 67.
o *Cap.* 8.
* *Ad Annum* MMCVII.
p *Lib.* 2. *cap.* 42. & *lib.* 8. *cap.* 15. & *lib.* 22. *cap.* 57.
q *In Numa.*
r *Tom.* 2. *Annal. lib.* VII. *pag.* 326.
s *In* XI. *Aen. Virgil. v.* 206.

III.

PATRI QUI IN POTESTATE HABET, &c.

Patri dat lex jus occidendi adulterum cum filia deprehenſum. De patre autem ſolo loquitur, & ideo nemo alius ex parentibus idem jure faciet. [t] Nec enim dura ac ſevera lex interpretatione adjuvanda, vel ultra propriam verborum ſignificationem producenda eſt. [v] Alioquin patris appellatiu juſta interpretatione ad avum porrigetur. [x] Hoc etiam lex exigit, ut pater in poteſtate habeat. Itaque ſi pater filiusfam. ſit, jus occidendi non habebit (*b*). In ſua enim poteſtate filiam habere non videtur, qui ipſe ſuae poteſtatis non ſit. [y] Sic continget, ut neque avus, quia verbis legis deficitur: neque pater, quia in poteſtate vivo avo non habet, occidere poſſint. [z] Sufficit autem patri in poteſtate habere eo tempore, quo occidit, non quo in matrimonium cullocat. [a] Finge enim in poteſtatem poſtea redactam, mortuo ſcilicet avo, cujus in poteſtate nuptiarum tempore erat. Ceterum naturalis ſit, an adoptivus pater, non diſtinguitur, cum utrique jus hoc competere

t *l.* 20. *patri. D. de adulter.*
v *Arg. l.* 19. *cum quidam. D. de lib. & poſthum.*
x *l.* 201. *juſta. D. de verb. ſign.*
y *l.* 20 *patri. D. de adulter.*
z *l.* 21. *ſic eveniet. D. eod.*
a *l.* 23. *quod ait.* §. 1. *D. eod.*

(*a*) SOCRATES] Hujus tamen auctoris fidem in dubium vocat *Henr. Valeſius in not. ad h. l. pag.* 66.

(*b*) HABEBIT] Ex aequitate tamen hoc quoque poſtea fuit permiſſum: ita ſaltem cenſet PAULUS *Sent. lib.* II. *tit.* 26. §. 2. & in *Collat. legg. Moſaic. & Rom. tit.* IV. §. 12. ubi vide *Interpp.*

petere lex voluerit. [b] Item nihil refert, cujus conditionis ſtatuſve ſit is, qui in adulterio a patre deprehenditur. Ita enim lex loquitur: [c] ADULTERUM QUEMLIBET. Quamobrem quod apud ULPIANUM [d] legitur; *Non omnem adulterum licet occidere*, in marito ſolo procedit. Pater enim adulterum omnem jure occidet. An ergo & magiſtratum (*a*). Sed de hoc deliberabimus. Verba quidem permittunt. [e] Hic & illa quaeſtio exiſtit, an in adulterio deprehenſam praegnantem filiam pater jure occidat, quae apud QOINCTILIANUM in *Declamation.* [f] belle agitatur. Cur autem plus juris habet in hac parte pater, quam maritus, quem injuria haec propius contingit? Illa ratio redditur, [g] quod plerumque paterna pietas pro liberis conſilium capit: mariti vero & calor & impetus facile ſaevientis fuit refrenandus. Animadvertit enim lex tardius, maturiorique conſilio ad caedem acceſſurum patrem, qui liberis ex animo bene velit, illoſque ſibi ſalvos ac ſuperſtites votis omnibus exoptet. Nunquam paterni affectus in tantum vincuntur odio, ut non aliqua reſideat in his de filiorum ſalute ſollicitudo. Itaque nihil periculi eſt, necis jus patri dare, quem praeſumptum eſt non temere occiſurum, qui vix in animum inducere poſſit, ut naturam ipſam vincat, patremque ſeſe eſſe oblivifcatur. Contra maritum ira percitum, multo inconſultius ac facilius occiſurum lex cogitavit: quod, praeſtringente mentis aciem juſto dolore, adhibere in conſilium rationem non poſſit. Itaque hunc pronum ad caedes mariti fervorem veluti injecto freno cohibendum cenſuit. Plane non quilibet patres jus occidendi habent, ſed hi demum, qui jure patris accuſare poſſunt. Ignominioſi itaque ac famoſi idem jus non habent. [h] Quod ait lex: CUM IN FILIA ADULTERUM DEPREHENDERIT, planum facit, ita demum hanc poteſtatem patri competere, ſi in ipſis rebus Venereis, in ipſaque turpitudine deprehendat, &, ut in Draconis & Solonis legibus ſcriptum erat, [i] ἐν ἔργῳ, id eſt, ut LUCIANUS interpretatur: [k] Ἄρθρα ἐν ἄρθροις ἔχοντες. *Membra in membris habentes.* Plurimum vero refert, quo loco pater adulterum deprehendat. Dat enim lex occidendi poteſtatem eum, quem domi ſuae, generive ſui deprehenderit. Quare non ubicumque pater deprehenderit, ibi occidere poterit, ſed domi ſuae dumtaxat, vel generi ſui. Majorem enim injuriam putavit legiſlator, quod in domum patris, aut mariti auſa fuerit filia adulterum inducere (*b*). [l] Domum hic pro domicilio, & habitatione accipimus, [m] ut & in lege Cornelia de injuriis, [n] & aliquoties in edictis praetorum, [o] & in hac ipſa lege capite decimo ſexto. Quare ſive in propria pater habitet, ſive in conducta, vel gratis, ſive hoſpitio receptus, & ibi adulterum deprehendat, ex lege occidet. [p] Idem erit probandum, & ſi in villa vel hortis habitet. Sed ſi pater alibi habitet, habeat autem & aliam domum, in qua non habitet, deprehenſam illic filiam, ubi non habitat, occidere non poterit. [q] Jus autem occidendi patri conceditur domi ſuae, licet ibi filia non habitet. [r] Nam factam injuriam patri lex ſpectat, cujus domo ad libidinem filia abutitur. Non tantum autem occidere adulterum, verum multo magis contumelia afficere pater poteſt. [s] Nam cui quod plus eſt licet, utique licet & quod minus eſt. [t] Quod tamen in controverſiam aliquando vocatum eſſe, quaſi telo tantum necare lex permittat, QUINCTILIANUS ſignificat in *Elementis*, [v] numerans τρόπους, cum id quod alio modo fieri licet, alio dicitur eſſe factum. *Hinc eſt*, inquit, *adulter loris caeſus, vel fame necatus* (*c*). Poſtremo ita jure adulterum pater occidet, ſi & in continenti

[b] *l. 22. nec in ea lege. D. eod.*
[c] *d. l. 22. nec in ea lege. l. 24. marito. D. eod. tit.*
[d] *l. 7. §. ult. D. quod met. cauſ.*
[e] *l. 24. marito. in fin. D. de adult.*
[f] *Declamation.* 277.
[g] *l. 22. nec in ea lege. in fin. D. de adulter.*
[h] *l. 24. marito. in fin. D. de adult.*
[i] *l. 23. quod ait lex. D. eod.*
[k] *In Eunucho, cap. 10. pag. 358. Tom. II.*
[l] *d. l. 23. quod ait lex. §. 2.*
[m] *l. 22. nec in ea lege. §. 2. ſed domus. D. eod. tit.*
[n] *l. 5. §. 2. domum. D. de injur.*
[o] *l. 1. §. 2. domum. D. de aleae luſu. ſ. aleator. l. 1. in princ. D. de liber. agnoſc.*
[p] *Arg. d. l. 5. §. 2. domum. D. de injur.*
[q] *d. l. 23. quod ait. §. penult. D. ad l. Jul. de adult.*
[r] *l. 22. nec in ea lege. §. 2. jus occidendi. eod.*
[s] *d. l. 22. nec in ea lege. §. 3. eod.*
[t] *l. 21. non debet. D. de reg. jur.*
[v] *Lib. 3. cap. 6. al. 7.*

(*a*) MAGISTRATUM] Ego etiam ſubſiſto cum auctore. Si certum eſſet, in *Coll. legg. Moſaic. & Rom. tit.* IV. §. 2. legendum eſſe *Conſulem*, res extra omnem dubitationem poſita eſſet. Sed eruditi legere ibi malunt *Conſularem:* quod non refello: eos tamen, qui pro *patronum* illo loco ſubſtituunt *praetorium*, recte reprehendiſſe *Hoffmannum*, *pag.* 101. exiſtimo, cujus rationibus addo, PAULUM non ſine tautologiae vitio poſt Conſularem addere potuiſſe Praetorium, quum id per ſe intelligatur.

(*b*) INDUCERE] Accedit & alia ratio, quod ſcilicet hoc jus primam ſuam originem debeat imperio domeſtico patrumfamilias. Hinc quando pater illud in generi domo exercere volebat, neceſſe erat, ut a genero ad hanc rem fuerit adhibitus; quod etiam hoc caſu neceſſarium erat, quando filia eo auctore in mariti manum convenerat. Vid. PAULUS in *Coll. legg. Moſaic. & Rom. Tit.* IV. §. 2. ibique Interpp.

(*c*) NECATOS] De hiſce rhetorum quaeſtionibus erudite more ſuo egit *Cornel. van Bynkershoek Obſervatt. lib.* V. *cap.* 8.

tinenti filiam occidat (*a*): quod ſic accipiendum erit, ut ne occiſo hodie adultero, reſervet, & poſtridie filiam occidat, vel contra. [x] Quinctilianus in *Declamation.* [y] *Lex cum occidere mihi adulterum cum adultera permittit, manifeſte illud oſtendit, non poſſe eos diverſis temporibus occidi: & ſi alteri ſupplicium remittatur, etiam impunitatem alteri dandam.* Debet itaque pro uno ictu & impetu pater utrumque occidere, & aequali ita adverſus utrumque ſumpta, [z] propterea quod lex parem in eos, qui deprehenſi ſunt, indignationem exigit, & ſeveritatem requirit. Quod ſi dum in adultero occupatus eſt, filia profugerit, & interpoſitis horis eam pater perſecutus apprehenderit, in continenti videbitur occidiſſe. Quo pertinet & ille Quinctiliani in *Inſtit. Orat.* locus: [a] *Sed & una cauſa plures habere quaeſtiones, & judicationes, ut ego arbitror, poteſt: ut in eo, qui cum adulteram deprehenſam occidiſſet, adulterum, qui tum effugerat, poſtea in foro occidit. Cauſa enim eſt una: adulter fuit. Quaeſtiones, & judicationes: an illo tempore, an illo loco licuerit occidere.* Idem alias: [b] *Non unum nocentem ſervabas, quia te adultero dimiſſo, adulteram occidere non licebat. Hoc enim argumentum lex facit, quae prohibet adulteram ſine adultero occidere.* Ejuſdem generis alias dubitationes Sulpitius Victor in *Inſtitutionibus Orator. ad M. Sylonem* perſtringit. Et huic legi ſimilis lex a Seneca in *Declamationibus l.* 1. *Contrev.* 4. fingitur: Adulterum cum adultera qui deprehenderit, dum utrumque corpus interficiat, ſine fraude ſit. Nihil autem intereſt, prius adulterum, an adulteram pater occidat, dum utrumque occidat. Nam ſi alterum dumtaxat occiderit, lege Cornelia de ſicariis reus erit. [c] Quod ſi adultero occiſo filiam vulneret, verbis quidem legis non liberatur, ſed reſcripto Marci & Commodi ei impunitas conceditur, quaſi fato magis, quam voluntate ejus ſervata filia videatur, quae gravibus ſibi vulneribus poſt adulteri mortem infixis ſupervixerit. Summa eorum, quae diximus, haec eſt, patrem ita demum adulteros qualeſcunque jure occidere, ſi & filiam in poteſtate habeat, adulteroſque in ipſa turpitudine domi ſuae, generive ſui deprehendat, & utrumque in continenti occidat.

x *l.* 23. *quod ait lex.* §. *ult. D. de adulter.*
y *Declamation.* 277.
z *l.* 23. *in fin. D. de adulter.*
a *Lib.* 3. *cap.* 11. *al.* 13.
b *Lib.* 5. *cap.* 10.
c *l.* 32. *nihil. D. de adulter.*

I V.

VIRO DEPREHENSUM, DOMI SUAE &c.

Marito non quemlibet adulterum occidere lex Julia permittit, ut patri, ne perturbatus dolore inconſulto ad caedem feratur. Viles igitur tantum famoſaſque perſonas, veluti lenones, hiſtriones, mimos, pantomimos, & omnes propter praemium in ſcenam artis ludicrae, pronuntiandive cauſa prodeuntes, ei occidere permittit. [d] Item publico judicio damnatos, quo videlicet cuilibet ex populo experiri licet, niſi ſi cui lege aliqua accuſandi non ſit poteſtas. [e] Nam hi inter infames habentur. [f] Plane calumniae praevaricationiſve nomine in cauſa publici judicii damnati, publico judicio damnati eſſe non videntur. [g] Quamquam infamia hos Praetor notet. [h] Nec enim de his criminibus aliqua publicorum judiciorum lege cautum eſt. [i] Excipit lex in integrum reſtitutos: quod de ea reſtitutione accipi oportet, quam princeps, vel ſenatus indulſerit. Haec enim reſtitutio infamia eximit. [k] Quaeritur autem, ſi patronum ex eorum numero, quos deprehenſos interficere maritus poteſt, libertus in adulterio ſuae uxoris deprehenderit, an impune occidat. Et durum eſt eam liberto poteſtatem dari, ut ei manus afferat, cui ne ſi vitam quidem pro eo profundat, cumulate gratiam retuliſſe videatur. Nam cujus honori atque famae, multo magis vitae parcere debet. [l] Marito etiam libertos occidere lex permittit, qui vel in patroni uxore, vel in patrona ſua, aut in ejus, cujus libertus patris, aut ma-

d *l.* 24. *marito. D. ad l. Jul. de adulter.*
e *l.* 43. *palam.* §. 10. *ſenatus. D. de ritu nupt.*
f *l.* 7. *infamem. D. de public. judic. l.* 4. *D. de accuſ.*
g *d.* §. 10. *ſenatus. l.* 43. *de ritu nupt.*
h *l.* 1. & *l.* 4. §. 4. *calumniator. D. de his, qui not. infam.*
i *Arg. l.* 3. *in fin. D. de praevaricat.*
k *l.* 1. §. 9. *deinde. D. de poſtul.*
l *l.* 38. *ſi adulterium.* §. *pen. D. de adulter.*

(*a*) Occinat] Non ergo lex Julia dat patri jus filiam occidendi, quod jam ex patria poteſtate habebat, ſed jubet, ut filiam occidat, ſi adulterum velit impune interficere. (Vide *Corn. van Bynkershoek Opuſc. de jure occidendi liberos, cap.* 3. *pag.* 120. *ſeq. ed. Hal.*) Ampliavit tamen in eo jus patris, quod dederit etiam poteſtatem occidendi filiam, quae eo auctore in mariti manum convenerat: (Paulus *l. c.*) in quam ex veteri jure regio maritus potius animadvertere debuiſſet. Sed quia Auguſtus marito in univerſum ademit jus uxorem occidendi, hoc etiam juri patrio addere voluit, ne talis mulier, utpote ab omni privata animadverſione immunis, melioris eſſet conditionis, quam illa, quae in ſimplici matrimonio erat.

matris, filii, filiaeve fuerit, adulterio deprehenſi ſint. Sed an illos quoque, qui jus aureorum annulorum impetraverint, maritus ex lege occidet? dubitationem facit, quod hi pro ingenuis habentur. [m] Quod undenam profectum ſit, quando hic ſe locus offert, paulo altius repetendum eſt. Veteres, quemadmodum MACROBIUS ex Atejo Capitone refert, [n] non ornatus, ſed ſignandi cauſa ſecum annulum circumferebant. Unde nec plus habere quam unum licebat, nec cuiquam, niſi libero. Jus enim annulorum famuli non habebant. Et erant primo in uſu annuli ferrei: [o] poſt augeſcente luxu, cum ex auro facti eſſent, illi libertis relicti, hi ingenuis (*a*), [p] nec omnibus quidem, ſed qui ex Senatorio vel Equeſtri ordine eſſent, attributi ſunt. PLINIUS in *Epiſt.* [q] de Pallante Claudii liberto, cui praetoria ornamenta a Senatu delata erant; *Mitto*, ait, *quod cenſent, non exhortandum modo, verum etiam compellendum ad uſum aureorum annulorum. Erat enim contra majeſtatem Senatus, ſi ferreis praetorius uteretur.* Atque impetrare jus hoc aureos annulos geſtandi a principe non modici beneficii loco liberti ſolebant, [r] quod apertius a DIONE, quam a quoquam alio, explicatum eſt: [s] Οὐδενὶ, ait, τῶν πάλαι Ῥωμαίων, οὐχ ὅτι τῶν δεδουλευκότων ποτὲ, ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἐν ἐλευθέρῳ γένει τραφέντων, δακτυλίοις χρυσοῖς, πλὴν τῶν τε βουλευτῶν καὶ τῶν ἱππέων, χρῆσθαι ἐξῆν· καὶ διὰ τοῦτο τοῖς ἐξελευθέροις, οἷς ἂν ὁ τὸ κράτος ἔχων ἐθελήσῃ, καίτοι καὶ ἄλλως χρυσοφορεῖν, ὅμως ἐν τιμῆς μέρει, ὡς καὶ βελτίοσιν ἢ κατὰ τὴν ἀπελευθερίαν, ἱππεύειν τε δυναμένοις, δίδονται. *Apud antiquos Romanos non modo liberto, ſed ne ingenuo quidem ulli aureo annulo uti licebat, niſi ſenator eſſet, aut equeſtris ordinis. Proinde is, qui ſummae rerum praeerat, libertis, quibus volebat, etſi aurum alioqui ii geſtarent, tamen honoris cauſa, ut libertis praeſtantiores viderentur, & equeſtris dignitatis, annulorum uſum largiebatur.* Sic Antonio Muſae liberto, a quo conſervatus erat, jus aureorum annulorum ab Auguſto datum idem ipſe auctor refert. [t] Idem & a Galba uni ex libertis cariſſimo collatum, PLUTARCHUS [v] ſcribit. Hoc autem jure impetrato liberti omnia ingenuitatis munia conſequebantur, quo alioquin non donati, ſi ingenuorum jura uſurpaſſent, legis Viſcelliae poenis tenebantur. [x] Ceterum ex JUSTINIANI *Novella* omnibus, qui ad libertatem perducuntur, aureorum annulorum jus abſque principali conceſſione competit. [y] Verum enimvero, ut ex diverticulo tandem in viam redeam: qui jus aureorum annulorum impetraverunt, imaginem, quoad vivunt, ingenuitatis, non etiam ſtatum habent. Vivunt [z] quaſi ingenui, moriuntur ut liberti. [a] Nam in eorum ſucceſſione ſua patronis jura ſervantur. Itaque & lege Julia de adulteriis, ad tuenda matrimonia, pro libertis eos haberi placuit, poenaeque libertinorum ſubjici. [b] Quin etiam ſi dominus a familia occiſus eſſe dicatur, de iis perinde atque de ceteris, quos vivus manumiſerit, quaeſtio habebitur. [c] Sed nec a tutela liberorum patroni excuſantur, [d] quamquam quoad extraneorum tutelas attinet, pro ingenuis habeantur. [e] Et omnino ſalvo patronorum jure eadem horum, quae ceterorum ingenuorum, cauſa eſt. Denique nec a Senatoriis nuptiis lege Julia de maritandis ordinibus repelluntur. [f] Aliud porro de his dicendum eſſe, qui natalibus reſtituti ſint, extra omnem dubitationem eſt. Nam hi perinde ingenui fiunt, atque ſi nullam medio tempore maculam ſervitutis ſuſtinuiſſent. [g] Lex etiam ſervos occidendi marito jus tribuit. Neque diſtinguemus proprii ſint, an alieni. Ideoque alienum ſervum in adulterio deprehenſum occidens, legis Aquiliae actionem maritus non timebit. Cui conſequens eſt, heredem, vel promiſſorem, qui in hoc facinore deprehenſum ſervum occiderint, nec ex ſtipulatu, [h] nec ex teſtamento teneri. [i] Extra has perſonas lege comprehenſas ſi quenquam alium maritus occiderit, caedis reus erit. Nec uxorem igitur ſine caedis crimine occidet (*b*). Quam-

m *l. 10. ſed ſi hac lege. §. 3. D. de in jus. voc.*
n *Lib. 7. cap. 13.*
o *Plin. lib. 33. cap. 1.*
p *Iſidor. lib. XIX. Etymolog. cap. 32.*
q *Lib. 8. epiſt. 6. ad Montan.*
r *l. 1. D. de jure aur. annul. l. 33. falſa. §. 2. D. de condict. & demonſtrat.*
s *Lib. 48. hiſtor. pag. 385.*
t *Lib. 53. pag. 517.*
v *In Galba, pag. 1056.*
x *l. 1. C. ad l. Viſcell. l. ult. C. de jur. aur. annul.*
y *Nov. LXVIII. ut liberti de cet.*
z *d. rub. d. l. 1.*
a *l. 3. D. de bon. libert.*
b *l. 42. ſi is qui jus. D. ad leg. Jul. de adult.*
c *l. 10. ſi exheredatus. §. ult. cum l. ſeq. D. ad SC. Silanian.*
d *l. 14. libertum. ſed & §. 2. ſi jus. D. de excuſ. tut.*
e *l. 44. cum ex oratione. D. de excuſ. tut.*
f *l. ult. D. de jur. aur. annul.*
g *l. 1. & 2. D. de natalib. reſtit.*
h *l. 96. qui ſervum. D. de verb. oblig.*
i *l. 53. quid ergo. §. 3. ſi heres. D. de legat. 1.*

(*a*) INGENUIS] Locus ISIDORI, ad quem in margine provocat auctor, ita ſonat: *Annulum aureum neque ſervus neque libertinus geſtabat aut in publico: ſed annulo aureo liberi utebantur; libertini argenteo; ſervi ferreo utebantur.* Plerique quidem eruditorum ISIDORI fidem in dubium vocant: ego vero nihil temere definio, quum praeſertim nondum certum ſit, de quibuſnam temporibus ille loquatur, & jura hac in parte pro diverſis temporibus variare potuerint. Caeterum de jure aureorum annulorum, praeter ſcriptores de annulis & de ordine equeſtri, ſingulari Diſſertatione egit Vir. Cl. *Petrus Burmannus*, quae edita eſt *Traj. ad Rhen.* 1734. & recuſa *Lipſ.* 1740. Superſunt tamen adhuc dubia quaedam altioris indaginis, quae alio tempore excutienda mihi reſervo.

(*b*) OCCIDET] Quaeri adhuc poteſt, num expreſſis verbis in lege Julia maritus

Qnamquam humanitatis intuitu ab Antonino Pio primum, [k] deinde a Marco & Commodo, [l] poſtremo ab Alexandro reſcriptum [m] ſit, marito, qui uxorem in adulterio deprehenſam occiderit, non utique legis Corneliae de ſicariis poenam, quae hodie ultimum ſupplicium [n] eſt, irrogandam eſſe: ſed honeſtiori loco poſitum ad tempus relegandum, humiliorem in exilium perpetuum dandum. Datum eſt hoc mariti dolori, quem difficile eſſe in repentino motu temperare prudentiſſimi Imperatores cogitarunt. Secundum hoc interpretandum erit, quod apud ULPIANOM [o] legitur: *Si tamen maritus in adulterio deprehenſam uxorem occidat, quia ignoſcitur ei, dicendum eſt, non tantum mariti, ſed etiam uxoris ſervos poena liberandos, ſi juſtum dolorem exequenti domino non reſtiterunt.* Non enim ei in totum ignoſcitur, ſed eo, quo diximus, temperamento, poena mollitur. Ceterum, quos marito occidere licet, ntique & verberibus caedere, vel qualibet corporis parte mutilare, aliisque, quas dolor ſuggeſſerit, poenis, male multare licebit: quibus, quo jure, quaque injuria deprehenſos omnes adulteros ſubjacere JUVENALIS indicat: [p]

[k] *l. 1. in fin. D. ad l. Corn. de ſicar.*
[l] *l. 38. ſi adulterium. §. 8. Imperatores. D. de adulter.*
[m] *l. 4. C. ad l. Jul. de adulter.*
[n] *l. 3. §. pen. & l. pen. D. ad l. Corn. de ſicar.*
[o] *l. 3. §. 3. ſi maritus. D. ad SC. Silanian.*
[p] *Satyr. 10. v. 311.*

—— —— Fiet, ait, *adulter*
Publicus, & poenas metuet, quaſcumque mariti
Exigere irati (a), nec erit felicior aſtro
Martis, ut in laqueos numquam incidat. Exigit autem
Interdum ille dolor plus, quam lex ulla dolori
Conceſſit. Necat hic ferro, ſecat ille cruentis
Verberibus, quoſdam moechos & mugilis intrat.

Quod etiam pleriſque adulteris accidiſſe HORATIUS teſtatur: [q]

[q] *Lib. 1. Sermon. ſat. 2. v. 41.*

Hic ſe praecipitem, inquit, *tecto dedit, ille flagellis*
Ad mortem caeſus, fugiens hic decidit acrem
Praedonum in turbam: dedit hic pro corpore nummos,
Hunc perminxerunt calones: quin etiam illud
Accidit, ut cuidam teſtes, caudamque ſalacem
Demeteret ferrum. Jure omnes; Galba negabat.

Eſt de eodem argumento feſtivus MARTIALIS jocus, in eum, qui adultero nares abſciderat, quod ut inepte factum ridet (*b*). [r]

[r] *Lib. 3. Epigram. 84.*

Quis tibi, ait, *perſuaſit nares abſcindere moecho?*
Nil hac peccatum eſt parte, marite, tibi.
Stulte quid egiſti? nil hic tua perdidit uxor,
Cum ſit ſalva tibi mentula Deiphobi.

Quod autem HORATIUS de teſtibns & cauda ſalaci ait, id confirmat etiam PLAUTUS, apud quem paraſitus quidam, [s] *Facio*, inquit, *id, quod moechi non ſolent, ſalva vaſa domum reporto.* Atque illud eſt, quod inquit TERENTIUS in *Eunucho*, *Act.* v. *ſc.* 5. *v.* 15. de quodam adultero deprehenſo; *Minatur*, inquit, *id, quod moechis ſolet.* Quod quidem de amputatione

[s] *Poenulo Act. IV. ſc. 2. v. 40.*

tus prohibeatur uxorem occidere, an ex ſententia tantum legis. Prius probabile reddit *Hoffmannus pag.* 111. Sed ſcrupulum mihi injicit PAULOS in *Coll. legg. Moſaic. & Rom. tit.* IV. §. 10. qui hoc ibi exinde colligit, quia non permittitur. Ad locum vero ejusdem *Sent. lib.* II. *tit.* 26. §. 4. reſponderi poteſt, Paulum ibi non de verbis, ſed de ſententia legis eſſe intelligendum. Dum enim lex jubet uxorem dimittere & accuſare, eo ipſo necem ejus prohibuit.

(*a*) IRATI] Locus hic varie legitur, ad quem conſule interpretes.

(*b*) RIDET] Eſt & alius locus elegans MARTIALIS *lib.* II. *Epigr.* 60. qui adſcribi meretur:

Uxorem armati futuis, puer Hyle, Tribuni,
Supplicium tantum dum puerile times.

(Hoe ego de ſtupro accipio)

Vae tibi! dum ludis, caſtrabere. Jam mihi dices:
Non licet hoc. Quid, tu quod facis, Hyle, licet?

Caeterum de vindicta maritorum privata conſule ſcriptores, quos ſupra de poena adulterii in genere laudavi: & vide praeterea *Chriſt. Ad. Ruperti Diſſ.* ad *Valer. Max. pag.* 359. *ſeqq.* alioſque Interpp. ad loca veterum laudata.

tione viriſium ex Plauto & Horatio accipere malo, quam de eo, quod vulgo notarunt quidam non inelegantes alioqui interpretes ex *Scholiaſte* ARISTOPHANIS, qui hujuſmodi deprehenſorum moechorum fuiſſe poenam notat, ut inſperſo cinere calido nates eis depilarent, immitterentque in ſedem raphanos. Οὕτω γὰρ, (*al.* γοῦν) inquit (*a*) in *Nubibus*, v. 1079: τοὺς ἁλόντας μοιχοὺς ᾐκίζοντο. ῥαφανῖδας λαμβάνοντες καθίεσαν εἰς τοὺς πρωκτοὺς τούτων, καὶ παρατίλλοντες αὐτοὺς τέφραν θερμὴν ἐπέπασσον, (*al.* ἐπέπασον) βασάνους ἱκανὰς ἐργαζόμενοι. *Sic eos, qui in adulterio deprehenſi erant, puniebant. Raphanos accipientes, eos in podices adulterorum immittebant, iisque depilatis calidos cineres inſpergebant, non ſine ingenti cruciatu.* Quamvis ſecundum hanc poenam accipi quoque poſſit, quod de natibus inquit HORATIUS, ſive de pygis, in eadem *Satyra* in fine: *Ne numi pereant, aut pyga.* Quod tamen etiam aliter accipi poteſt de ſtupri illatione in hanc partem, ad quam poenam cogebantur etiam ipſi moechi deprehenſi. Plane Athenienſium legibus impune adulter a marito, patre, fratreve, in ipſa turpitudine deprehenſus, occidi potuit (*b*): s Extatque elegans LYSIAE oratio, qua in adulterio a ſe deprehenſum Eratoſthenem jure caeſum contendit. Idem & Gotthorum legibus licuiſſe ex CASSIODORO t conjicio (*c*) *Pro amore pudicitiae*, inquit, *porrigere ferrum maritis, non eſt leges calcare, ſed condere.* Licuit certe ex Neapolitanorum regis Rogerii conſtitutione, quae inter ceteras ejuſdem conſtitutiones in haec verba ſcripta eſt: v *Si maritus uxorem in ipſo actu adulterii deprehenderit, tam adulterum, quam uxorem occidere licebit, nulla tamen mora protracta.*

s *Demoſth.* κ. *Neaer.*

t *Lib.* 1. *Variar. Epiſt.* 37.

v *Lib.* 3. *conſtit. Neapolit. tit.* 80.

Idem quoque Longobardis Regis Rothari lex permiſit. x Sed & Romae ante legem Juliam maritos quoſdam de adulteris deprehenſis impune vindictam ſumpſiſſe legimus. Semponium Muſcam, VALERIUS ſcribit, y C. Gallium in adulterio deprehenſum flagellis enecaſſe: Cajum quoque Memmium Lucium Octavium ſimiliter deprehenſum loris contudiſſe. Ad haec Carbonem Actienum a Vibieno, item Pontium a Publio Cernio deprehenſos caſtratos eſſe. Cneum etiam Furium Brocchum, eum, quem deprehenderat, familiae ſtuprandum objeciſſe, quibus omnibus irae ſuae indulſiſſe frandi non fuit, Ac vel ipſam uxorem, in adulterio deprehenſam, necare olim licuiſſe GELLIUS ex *Catone* tradit, z cum illi maritum adulterantem ne digito quidem contingere permitteretur. Et certe ſemper major licentia maribus quam feminis data eſt, quas natura ad pudorem formavit. Levius quoque ſemper viſum eſt virorum, quam mulierum peccatum. Qua de cauſa nec punitum olim domini cum ancilla concubitum, mulieris cum ſervo punitum fuiſſe QUINCTILIANUS *lib.* V. *cap.* XI. ait. Ceterum in ea demum uxore deprehenſum adulterum jure occidet, in qua adulterium vindicare jure mariti poteſt. a Proinde in ea, quae contra leges, Senatuſconſulta, mandatave principum nupta ſit, deprehenſum, occidendi jus non habet. b Ait lex: DOMI SUAE. Itaque alibi deprehenſum maritus non jure occidet. Unde QUINCTILIANUS: c *Occidiſti*, ait, *adulterum, quod lex permittit: ſed quia in lupanari, caedes eſt.* Augetur enim delictum loco, ſitque gravius ipſa mariti domo commiſſum, quae matrimonii ſedes & domicilium d eſt. Hoc idem & PAULUS *lib.* II. *Sentent.* e deſiderari oſtendit. Quamquam de toto eo loco valde in dubium venio. In eo enim ita eſt: *Inventam in adulterio uxorem maritus ita demum occidere poteſt, ſi adulterum domi ſuae deprehendat.* Quod perſpicue falſum eſt. Nam maritus, ut paulo ante docui, uxoris occidendae poteſtatem non habet, ſed eam dimittere protinus jubetur. Itaque ſic emendandum puto: *Inventum in adulterio uxoris maritus ita demum*, &c. niſi forte hoc ex jure Gotthico ſumptum dicamus, ex quo nonnulla in illis libris ab Aniano deformata eſſe non dubito.

x *l.* 2. *de adulter. lib.* 1. *tit.* 32. *leg. Langob.*

y *Lib.* 6. *cap.* 1. *ex.* 13.

z *Lib.* 10. *cap.* 23.

a *l.* 24. *marito. in fin. D. de adulter.*

b *Argum. l.* 13. *ſi uxor.* §. 4. *ſed & ſi ea. D. eod. tit.*

c *lib.* 5. *cap.* 10.

d *l.* 5. *D. de ritu nupt.*

e *Tit.* 26. §. 7.

(*a*) INQUIT] Locus etiam exſtat apud SUIDAM *voc.* Ῥαφανίς: ubi vide *Ludolphi Kuſteri* notas, qui obſervat, hanc poenam adulterorum dictam fuiſſe ῥαφανίδωσιν, vel παρατιλμός.

(*b*) POTUIT] Ego hoc in DEMOSTHENIS *Orat. contra Neaer.* quae in margine laudatur, reperire non potui; niſi forſan auctor illud per conſequentiam colligere voluit ex lege Solonis, quae ibi *pag.* 526. reperitur. Sed puto potius, auctorem prae oculis habuiſſe *Orat. adverſus Ariſtocrat. pag.* 436. Caeterum conferri hic merentur ſcriptores, qui de jure Attico ex inſtituto commentati ſunt. Vide etiam *Jo. Philippi Pfeifferi Antiqq. Graec. lib.* IV. *cap.* 24. *Hoffmannum pag.* 104. *Jo. Taylori Lectiones Lyſiacas, pag.* 709. *ſeqq.*

(*c*) CONJICIO] Mihi tamen CASSIODORUS *l. c.* ad jus magis Romanum, quam Gotthorum reſpexiſſe videtur.

to. (*a*) Itaque inter patrem & maritum hac in re diverſum eſt jus conſtitutum, ita nempe, ut patri jus ſit adulterium domi ſuae, vel generi, deprehenſum cum filiaſam. qualiſcumque ſit adulter occidendi cum ipſa ſimul filia, & in ipſo articulo: at marito domi ſuae tantum deprehenſum adulterum, eumque humilioris etiam conditionis, non etiam uxorem occidere licet: quam tamen per legem Corneliam impune etiam occidere poteſt, ſed punitur alio modo. Veruntamen noviſſimo jure marito poteſtas data videtur ubicumque & qualemcunque adulterum occidendi, ut patet ex CONSTANTINO HARMENOPULO *lib. 6. enchiridii tit. 2. §. 12.* atque adeo uxorem, ut ſuperius dictum eſt: quod ex *Novella* quadam MAJORIANI primum introductum fuiſſe videri poſſit ex PAPIANO *lib. ſingulari Reſponſorum, tit. 26.* Ita enim ille, *Maritus*, inquit, *ſi adulterum cum uxore invenerit, ita ut unum ſint, & ſeſe commiſceant, liberum arbitrium habebit utrumque uno ictu ferire, ſecundum legem Novellam Majoriani, qui exinde ad jus vetus omnia revocavit* (*b*). Ceterum refert idem CONSTANTINOS ex *Novella* quadam *Leonis*, quae ſtatuit de adultero, vel adultera, in ipſa turpitudine deprehenſis, utriſque naſum reſecari, marito dotem lucrante, ipſa vero uxore in monaſterium detruſa.

V.

VIRO ADULTERUM IN UXORE, &c.

Hoc capite quinto legis Juliae comprehenſum fuiſſe ULPIANUS ſcribit. [f] Porro cum non omnes in adulterio uxorum deprehenſos maritis occidere liceat, ſed nec ſi liceat, maritorum omnium animi (ut QUINCTILIANUS in *Declamation.* CCLXXIX. ait) ad ſanguinem durent, lege ratio praeſcripta eſt, qua jus ſuum ſine caede tueri poſſint. Retinere ergo adulteros per aliquod tempus, dum teſtes advocet, lex permittit. Hoc autem quod in marito expreſſum eſt, etiam in patre ſervatur. Non adjicitur hic, ut in ſuperiore capite, ubi deprehenſus adulter ſit: nam quocumque loco deprehenſus retineri poteſt. Semel vero remiſſus reduci non poteſt, contra quam ſi non ſponte mariti evaſerit; etenim reductus cuſtodiri viginti horis adhuc poterit. Exiguo autem temporis ſpatio retentionem lex circumſcripſit, quod privato homini non ſit nocentis permittenda cuſtodia, cum publice carceres ad eam rem habeantur. Quod adjicitur: TESTANDAE EJUS REI ORATIA, ad hoc pertinet, ut teſtes inducat teſtimonio futuros accuſaturo deprehenſum reum in adulterio.

f *l. 25. capite. D. ad leg. Jul. de adulter.*

V I.

VIRO PATRIQUE QUI IN POTESTATE HABET.

Ait lex: VIRO. Feminae non idem licet. Nam cum de femina nihil exprimatur, creditur id ei denegatum eſſe. [g] Et quamquam in ceteris cauſis mulieribus publico judicio reos facere concedatur, ſi ſuam ſuorumque, id eſt, parentum, liberorum, patroni, patronae, eorum filii, filiaeve, nepotis, neptiſve, & omnium, in quos ex lege publicorum judiciorum invitae teſtimonium non dicunt, injuriam perſequantur: [h] tamen adulterii agere eis, nec ſi matrimonium ſuum violatum dicant, permittitur (*c*). Hoc enim lex facit, quae de maſculis tantum locuta, feminas ab accuſatione repuliſſe intelligitur. [i] Et ita Impp. SEVERUS, & ANTONINUS reſcripſere. *Publico judicio*, ajunt, [k] *non habere mulieres adulterii accuſationem, quamvis de matrimonio ſuo violato queri velint, lex Julia declarat, quae cum maſculis jure mariti accuſandi facultatem detuliſſet, non idem feminis privilegium detulit.* Plane violata jam viripotens virgo corruptorem accuſare poterit, & curatoribus aſſiſtentibus reum peragere. [l] Nec exceptione ulla repelletur, quae vindictam proprii doloris exequatur. Quin etiam accuſata a marito adulterii mulier,

g *Arg. l. 64. ſi vero. §. 9. de viro. D. ſolut. matr.*

h *l. 1. & 2. D. de accuſation. l. 4. uxor. C. de his, qui accuſ. non poſ. l. 3. §. 11. ſed & ſi mulier. D. de lib. hom. exhib.*

i *Arg. l. 12. cum praetor. D. de judic.*

k *l. 1. C. de adulter.*

l *l. 7. propter. C. de adulter.*

(*a*) DUBITO] Conf. *Juriſpr. Antejuſt. pag.* 319. & 752.

(*b*) REVOCAVIT] Vide *Juriſpr. antejuſt. pag.* 843. & *Hoffmann. pag.* 112.

(*c*) PERMITTITUR] Maritus enim ratione ſuae uxoris non poterat diei adulter jure Romano, quum Romani in hoc crimine non ad fidem conjugalem, ſed ad violationem tori alieni reſpicerent.

lier, in eum & lenocinii & adulterii crimen retorquere poterit: relationis utique, non accuſationis ſpecie atque via. [m] Cujus autem aetatis ac conditionis ſit maritus, nihil intereſt. Nec enim filiusfam. maritus ab eo, qui ſui juris eſt, in hac lege ſeparatur. [n] Proinde ſine voluntate patris; atque adeo invito, & repugnante eo, filius hac lege reum facere poterit. Ipſius enim injuria eſt. Et hoc conſtitutum eſſe PAPINIANUS ſcribit. [o] Conſtitutum vero eſt ab HADRIANO. [p] Sed nec quod minor viginti quinque annis maritus ſit, eo minus ad accuſationem admittetur, cum non debeat obtentu aetatis repelli, qui ſuum matrimonium vindicat. [q] Quin etiam libertus patronum jure mariti adulterii accuſare poterit, quomodo ſi atrocem injuriam ab eo paſſus eſſet. [r] Nam vel ex famoſa cauſa patronum in jus vocare liberto permittitur, ſi eum injuria graviſſima affecerit, [s] veluti ſi flagellis caeciderit, vel in ejus uxorem, filiamve ſtuprum commiſerit. Denique cuilibet marito, qui non ignominia notatus ſit, jure mariti adulterii accuſationem inſtituere conceditur. [t] Nec refert, ait ULPIANUS, [v] juſta an injuſta ſit uxor: quae verba obſcurum ſenſum habent. Nam ſi, ut in aliis multis locis, [x] juſtam uxorem hic interpretemur, quae civiliter nupta ſit, quo modo & juſtas nuptias dicimus ſecundum legum praecepta contractas, [y] neceſſe erit, injuſtam, quae ei opponitur, accipere, quae contra leges coiërit. Tum vero non conſiſtet ULPIANI ſententia. Etenim in ea muliere, in qua inceſtum committatur, vel quae, quamvis uxoris animo habeatur, uxor tamen eſſe non poſſit, puta quia contra leges, Senatuſconſulta, mandatave principum ducta ſit, vindicare maritus adulterium jure mariti non poteſt, [z] quia nec matrimonium eſt. [a] Ut ecce ſi libertinam Senator, pupillam tutor ante redditas rationes, praeſes provincialem feminam, vel quilibet filiamſam. ſine patris aſſenſu duxerit, violatae hujus conjunctionis nomine, in quam matrimonii nomen non cadit, jure mariti accuſatio non defertur. Secundum quae ſi minor duodecim annis domum deducta ſit, ejus adulterii, quod antequam juſtam aetatem attigiſſet, commiſerit, accuſari jure viri non poteſt, [b] quoniam nondum uxor erat. Minor enim duodecim annis domum ducta, non ante legitima uxor fit, quam eam aetatem apud virum impleverit. [c] Plane ſi ſponſalia deductionem in domum praeceſſerint, quia durant ea, quamvis in domo loco nuptae eſſe mulier coeperit: [d] ideo quaſi ſponſa poterit ex reſcripto Divi Severi accuſari. Quod ſi ſponſalia non praeceſſerint, cum neque ſponſalia intellegantur, quia non fuerunt, neque nuptiae, quod nuptiae eſſe non poſſint, quaſi extranea accuſari ſponſi maritive jure mulier non poterit. [e] Atque haec eo pertinent, ut ubicumque juſtae legitimaeque nuptiae non ſunt, nec mariti jure adulterii accuſatio competat. Magis eſt itaque, ut juſtam eo loci uxorem accipiamus, quae in manum convenerit: injuſtam, quae non in manum convenit, ſed uſu habetur. Uxorum enim, ut CICERO in *Topicis cap.* 3. tradit, aliae erant matresfamilias, quae, ſicuti etiam GELLIUS [f] interpretatur, in manum convenerant, certa confarreationis, [g] vel coëmptionis, quam BOETHIUS [h] & Virgilii interpres SERVIUS [i] aliquot locis exponunt, ſollemnitate. Et hae in manu ac mancupio viri erant, ſuorumque heredum jura in familia nanciſcebantur. [k] Ideoque ut mariti patresfamilias, ita hae matresfam appellabantur. [l] Aliae vero tantummodo uxores habebantur, quae ſcilicet in matrimonium citra coëmptionis ſollemnitatem convenerant. In quibus etiam adulterium vindicari a marito poteſt (*a*). Ad omnia enim matrimonia lex iſta

[m] *l.* 2. §. 5. *ſi publico. l.* 13. *ſi uxor.* §. 5. *judex. D. eod.*
[n] *l.* 6. §. *pen. D. de adulter.*
[o] *l.* 37. *filiumfam. D. de adult.*
[p] *d. l.* 6. §. *pen. D. eod.*
[q] *l.* 15. §. 6. *lex Julia. D. de adulter.*
[r] *l.* 35. §. *pen. D. eod. tit.*
[s] *l.* 10. *ſed ſi hac lege.* §. 12. *praetor ait. D. de in jus voc. l.* 7. *praetor edixit.* §. 2. *praeterea. D. de injur.*
[t] *l.* 24. *marito. in fin. D. de adult.*
[v] *l.* 13. *ſi uxor.* §. 1. *D. eod.*
[x] *l.* 25. §. 3. *ſi quis eo tempore. D. de liber. & poſthum. l.* 31. *D. de ritu nupt.*
[y] *pr. Inſtitut. de nupt.*
[z] *d. l.* 13. *ſi uxor.* §. 4. *ſed & ſi ea.*
[a] *l.* 3. §. 1. *D. de don. inter. vir. & tit. de ritu nupt.*
[b] *l.* 13. *ſi uxor.* §. 5. *ſi minor. D. de adulter.*
[c] *l.* 3. *D. de ritu nupt.*
[d] *l.* 9. *D. de ſponſalib.*
[e] *l.* 32. §. 27. *ſi quis ſponſam. D. de don. inter vir.*
[f] *Lib.* 18. *cap.* 6.
[g] *Ulp. in Inſtit. tit.* 9.
[h] *In Topicam Cic. lib.* 11.
[i] *In* 1. *Geor. v.* 31. *& in* 4. *Aen. v.* 103. *&* 214.
[k] *Ulp. in Inſtit. tit.* 22. §. 14. *& tit. ult.* §. 1. *Serv. in* 7. *Aeneid. v.* 424.
[l] *l.* 4. *nam civium. D. de his, qui ſui vel al. jur. ſunt.*

(*a*) POTEST] Sed juſta uxor non ſola erat illa, quae in manum convenerat, ſed & illa, quae tantum in juſto matrimonio erat, adeo, ut haec nullo pacto injuſta uxor vocari potuerit, ut poſt alios luculentiſſime probavit *Chriſt. Ulr. Grupenius* in *Tract. de Uxore Rom.* praecipue *cap.* 7. §. 9. *ſeqq.* Mihi interim, ſalvo aliorum judicio, ea ſedet ſententia, ULPIANUM in *L.* 13. §. 1. *D. ad L. Jul. de adult.* per uxorem injuſtam eam intelligere, cum qua quidem matrimonium juris gentium, haud a legibus expreſſe improbatum, non vero juſtae nuptiae conſiſtebant, ſive cum qua erat matrimonium ſine connubio, ut loquitur PAPINIANUS in *Coll. leg. Moſaic. & Rom. tit.* IV. §. 5. qui locus meae ſententiae non adverſatur: nam ULPIANUS non expreſſe dicit, virum jure mariti injuſtam uxorem ob adulterium accuſare poſſe: eſt ergo ita explicandus, ut accuſationem inſtituat de juſta quidem uxore jure mariti; de injuſta vero jure extranei, ita tamen, ut juxta PAPINIANUM *l. c.* etiam in hac accuſatione multis gaudeat praerogativis. Talis vero injuſta uxor, cum qua per leges ne matrimonium quidem juris gentium locum habebat, omnino ob adulterium accuſari non poterat, ſed ob ſtuprum

iſta pertinet, ut & Sex. Caecilius, quem ad hanc legem commentarios ſcripſiſſe conſtat, [m] ait, Homericum illud ex *Iliados lib.* ix. *v.* 342. adſerens:

> Οὐ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων
> Ἀτρεῖδαι;
> *Num ſoli diligunt uxores diverſilinguium hominum*
> *Atridae?*

Quo ſignificatur violati tori injuriam ad omnes ex aequo maritos pertinere. Cujus verſus ſententiam Virgilius ſic expreſſit: [n]

> *Conjuge praerepta, nec ſolos tangit Atridas*
> *Iſte dolor.*

[m] *l.* 27. *ſi poſtulaverit.* §. 5. *D. de adulter. l.* 12. *proſpexit.* §. 2. *D. qui & a quib.*

[n] *Lib.* 9. *Aen. v.* 138.

Itaque vel in ea uxore adulterium poſſe maritum vindicare Ulpianus ait, [o] quae vulgaris fuerit, id eſt, quae vulgo ſui copiam fecerit (*a*), (quo modo & vulgarem mulierem Suetonius in *Vitellio* dixit. [p]) quamvis ſi vidua eſſet, impune in eam ſtuprum committeretur. Cujus rei exemplum eſt apud Tacitum [q] de Viſtilia, Titidii Labeonis uxore, quae, quamquam licentiam ſtupri meretricum more apud Aediles profeſſa eſſet, adulterii tamen accuſata, & relegata eſt. Ex quibus efficitur jure mariti eos demum accuſare poſſe, qui ſecundum leges nuptias contraxerint: in concubinis, vel iis mulieribus, quae non jure ductae ſint (*b*), adulterium non vindicari, ne ſi quidem poſtea juſtae uxores eſſe coeperint. Quaeſtionis eſt, an & in ſponſae accuſatione praecipuum jus ex lege ſponſus habeat. Et de viro lex loquitur. Verba itaque legis ſponſum non admittunt. Sed tamen D. Severus [r] (nam vulgo male, Verus, ut ex alio ejuſdem legis loco [s] apparet, legitur) & Antoninus reſcripſerunt, etiam in ſponſa hoc idem vindicandum, quia neque matrimonium qualecumque, neque ſpem matrimonii violare permittitur. Et hoc Imp. Alexander *Herculiano* ita reſcripſit: [t] *Propter violatam virginem adultam, qui poſtea maritus eſſe coepit, accuſator juſtus eſſe non poteſt. Et ideo jure mariti crimen exercere non poteſt, niſi puella violata ſponſa ejus fuerat.* Eſt ergo reſcripti interpretatione ad ſponſum lex Julia porrecta. Ait lex: Viro patrique. Pater ergo in accuſatione filiae aequale jus cum marito habet. [v] Si tamen ſimul ad accuſationem ambo veniant, maritus praefertur. Nam & propenſiore jure, & majore dolore executurum eum accuſationem credendum eſt, in tantum, ut etiam ſi pater praevenerit, & libellos inſcriptionum depoſuerit, marito non neglegente, nec retardante, ſed accuſationem parante, & probationibus inſtante, atque imminente, ut facilius judicantibus de adulterio probetur, idem ſit dicendum. [x] *Niſi igitur*, ait Ulpianus, [y] *pater maritum infamem aut arguat, aut doceat, colludere magis cum uxore, quam ex animo accuſare, poſtponetur marito.* Ubi nemo non quaeſiturus eſt, an infamia maritum ab adulterii accuſatione repellat. Quod vix eſt, ut dici poſſit: quandoquidem ſuam, ſuorumque injuriam exſequentes infames audiantur: [z] & generaliter, qui alias idonei accuſatores non ſint, in iis cauſis ad accuſandum admittantur. [a] Sed nec hoc ſentit Ulpianus, maritum omnino ab accuſatione adulterii ob infamiam repelli, verum patri poſtponi. Famoſus igitur maritus, verbi gratia, leno vel hiſtrio, aut alia ignominia notatus, jure mariti accuſare volens, a patre ſubmovebitur. [b] Jure ſane extranei, id eſt, ut quilibet de populo ad accuſationem proſiliens, ea ratione non repelletur, quod ſuum matrimonium vindicet, cujus niſi vindictam exequeretur, omnino juſtus accuſator non eſſet. Cum vero integrae famae maritus, patre praevento accuſare inſtituerit, patri tempora non cedent. Sic tamen, ut quod antequam maritus praeveniſſet, temporis effluxerit, & ipſi marito, & patri, quia nihil eum patrem impedierit, cedat: at poſtquam maritus occupaverit reſi-

[o] *d. l.* 12. *ſi uxor.* §. 2. *D. de adult.*

[p] *Cap.* 1. *al.* 2.

[q] *Lib.* 2. *Annal. cap.* 85.

[r] *l.* 13. *ſi uxor.* §. 3. *divus. D. de adulter.*

[s] *d.* §. 8. *ſi minor.*

[t] *l.* 7. *propter. C. de adulter.*

[v] *l.* 14. *is cujus.* §. 2. *& l.* 15. *ſi maritus. D. de adulter.*

[x] *l* 2. § *pen. D. de adulter.*

[y] *l.* 3. *D. eod.*

[z] *l.* 8. *qui accuſare. l.* 11. *hi tamen. D. de accuſation.*

[a] *l.* 1. *&* 2. *& l.* 11. *D. de accuſat.*

[b] *Arg. l.* 24. *marito. in fin. D. de adulter.*

prum erat accuſanda, ſi alias ejus eſſet conditionis, ut ſtuprum in eam committi poſſet.

(*a*) Fecerit] Conf. *Andr. Alciati Parerg. lib.* 11. *cap.* 40. *Hoffmann. pag.* 122.

(*b*) Sint] Adhibita tamen diſtinctione, quam in praecedenti nota ſuppeditavi. Quod ad Concubinas attinet, ſingulare patroni privilegium notandum eſt, quod is in liberta ſua concubina adulterium vel quaſi, non quidem jure mariti, ſed jure tamen extranei, vindicare potuerit. *L.* 13. *pr. D. ad. L. Jul. de adult.*

reſidua tempora, quae ſexaginta diebus deſint, patri non cedent, qui accuſationem perferre non poſſit: [c] vulgata enim regula eſt, adverſus eos, qui agere nec ſi velint, poſſint, ex mora praeſcriptiones temporum, quae agentibus objiciuntur, non induci. Quae cum ex neglegentia non agentis locum habeant, in eorum perſona ceſſant, quibus neglegentia imputari nulla poteſt. [d] Itaque ſi maritus ſit in magiſtratu, & ideo accuſare non poſſit, patris quidem accuſatio impedietur, ne marito ſurripiatur jus ſuum, ſed quoad magiſtratu filius abierit, patri tempora non cedent. [e] Quod ſic accipiendum eſt, ſi cum magiſtratum maritus gerat, in quo agentes ſine fraude in jus evocari non poſſunt, id eſt, qui imperium habent, & qui coërcere aliquem poſſunt, & jubere in carcerem duci. [f] Hujuſmodi enim magiſtratus qui gerunt, interim accuſare prohibentur. [g] Ceterum pater innuptae tantum filiae accuſatione praecipuum jus habet: in viduae accuſatione extraneo non praefertur. (*a*) [h] Sed & eum demum patrem privilegiario jure accuſare poſſe puto, [i] qui in poteſtate habeat (*b*). Maritus vero etiam poſt accuſationem ab extraneo peractam, mulierem repetens, accuſationemque inſtaurans audietur, ſi idoneas cauſas alleget, quibus impeditus non inſtituit accoſationem. [k] Ait lex: SEXAGINTA DIES UTILES. Jure mariti, patriſve adulterii accuſare volentibus ſexaginta dies utiles computantur: [l] quorum CORNELIUS TACITUS meminit [m] illo loco: *Exactam & a Titidio Labeone, Viſtiliae marito, cur in uxore delicti manifeſta ultionem legis omiſiſſet? atque illo praetendente, ſexaginta dies ad conſultandum datos nondum praeteriiſſe, ſatis viſum de Viſtilia ſtatuere, eaque in inſulam Seriphon abdita eſt.* Utiles autem dies IMP. ALEXANDER [n] interpretatur, quibus in publico ejus facultas fuerit, apud quem reus, vel rea poſtulari poteſt. PAPINIANUS vero [o] ſic, dies quibus potuit maritus accuſationis ſollemnia implere. Idem adjicit, [p] Sexaginta hos dies feriatis quoque diebus, ſi modo facultatem praeſidis adeundi accuſator habuerit, numerari, quoniam de plano libellus dari poteſt. Accuſaturi enim libellos a ſe ſubſcriptos offerri ei, cujus de ea re notio erat, ſolebant, [q] quibus nomen rei deferebant, & crimen, ut erat admiſſum, indicabant, quod etiam in tranſitu & procedente praetore fieri potuit. Cum igitur accuſationi inſtituendae hi dies dentur, non illud exigimus, ut praeſes ſederit, ſed ut ſui copiam fecerit, & accuſator experiundi habuerit poteſtatem. Fieri enim poteſt, ut iis, quibus practor ſedit, diebus, accuſatori juſtiſſimis occupationibus impedito, accuſandi non fuerit poteſtas: quod in utilium dierum tractatu inprimis ſpectamus, in quorum computatione ineunda ii demum veniunt, quibus nulla idonea cauſa agere accuſareve impediatur. [r] Proinde ſive magiſtratum gerat maritus, ſive Reipub. cauſa abſit, ſive in vinculis, ſive apud hoſtes ſit, muneribuſve militaribus, vel alio publico miniſterio occupatus agere non queat, in ea cauſa eſt, ut ei dies non cedant: [s] cedant vero ii, quibus accuſare ei licuit, quamquam praetor pro tribunali jus non redderet. Sic fit, ut utiles dies interdum ſeſſionum ſint, interdum non ſeſſionum, aliterque in his, quae cauſae cognitionem deſiderant, & decretum expoſcunt; aliter in his, quae de plano expediri poſſunt, computentur. In illis enim, quoniam pro tribunali expediri debent, eos demum dies computamus, quibus more majorum praetor ſedens poſtulationibus reſponſum dederit: [t] in his vero omnes eos dies, quibus praetor ſui poteſtatem qualitercumque fecerit, etiam ſi non in jure. [v] Sexaginta porro hi dies ex die divortii marito cedere incipiunt. [x] Intra quos mariti, patreſve agentes, haec praecipua habent. Primum, quod aliis omnibus praeferuntur: deinde, quod ſine calumniae metu accuſant. Quod in marito quidem expreſſum eſt, [y] in patre vero etiam obtinere crediderim, cujus eadem cauſa eſſe, quae & mariti dicitur. Adde, quod qua ratione publico judicio mortem liberorum patrem vindicare Senatuſconſulto conſtitutum eſt, [z] eadem etiam ratione adulterium filiae vindicans, quod morte non minus grave eſt, periculum calumniae timere non debet. Tum vero Senatuſconſulti beneficium non in caedis

c *l. 4. D. de adulter.*
d *l. 16. contra. C. de inoff. teſt. l. 1. §. ult. C. de ann. except. l. 39. intra. D. de minorib.*
e *l. 15. ſi maritus. D. de adulter.*
f *l. 2. D. de in jus voc. l. 32. nec magiſtratibus. D. de injur.*
g *l. 8. qui accuſare. D. de accuſation.*
h *l. 22. nec in ea l. §. 1. D. de adulter.*
i *l. 14. is cujus. §. penult. D. de adulter.*
k *l. 4. §. ult. D. de adulter.*
l *l. 6. & l. 21. C. de adulter. l. 4. ſi marito l. 14. D. eod. l. 37. §. ult. D. de minorib. l. 12. §. 6. ſextus D. qui & a quibus.*
m *Lib. 2. Annal. cap. 85.*
n *In l. 6. C. de adulter.*
o *In l. 11. miles. §. 5. quidam D. eod.*
p *In d. l. 11. miles. §. 6. ſexaginta.*
q *l. 3. libellorum. D. de accuſation. l. 17. denuntiaſſe. D. ad l. Jul. de adult.*
r *l. 1. D. de diverſ. temp.*
s *l. 4. ſi maritus. D. de adult. l. 15. & l. 21. C. eod. tit. l. 40. ſi qua. D. ex quibus cauſ. major.*
t *l. 2. §. 1. dies. D. quis ord. in bon. poſſ.*
v *l. 11. miles. §. 5. quidam. & §. 6. ſexaginta. D. de adulter.*
x *l. 29. §. 5. ſex menſium. & §. praeterea. D. de adult. l. 13. §. pen. eod.*
y *l. 6. jure mariti. in fin. C. de adulter. l. 37. auxilium. §. 1. D. de minorib.*
z *l. ult. D. de public. judic.*

(*a*) PRAEFERTUR] Sed *Jac. Cujacius Obſ. lib.* VI. *cap.* 14. non ſine probabilitate ſtatuit, in *L. 22. D. ad L. Jul. de adult.* pro *accuſatione* legendum eſſe *occiſione.*

(*b*) HABEAT] Immo & emancipatam jure patris accuſare poteſt, juxta PAPINIANUM in *Coll. legg. Moſaic. & Rom. tit.* IV. §. 7. ubi vide *Interpp.* in *juriſpr. antejuſt pag.* 749.

dis dumtaxat quaeſtione locum habere, ſed & ad alias publicas accuſationes produci Imperator ALEXANDER reſcripſit. [a] Verum huic ſententiae valde obſtat, quod a PAULO ſcriptum eſt, patrem ſine periculo calumniae accuſare non poſſe: [b] quod idem de marito quoque SCAEVOLA [c] tradit: quos locos Accurſius, ut ſuperioribus conciliet, eo caſu procedere poſſe ait, quo tam evidens mariti vel patris calumnia eſt, ut excuſationem non habeat. Cum enim inſtigante dolore ſibi factam injuriam exequuntur, tum eos calumniae periculo ſubjici aequum viſum non eſt, ne ab accuſando, imminentis, ſi non probaverint, poenae metu deterreantur. Cum vero quaeſito violati tori colore, ad accuſandum vexandi rei cauſa, maloque animo proſiliunt, ſi quod propoſuerint, non probaverint, & in evidenti calumnia deprehendantur, impune ferre non debent. Et hoc, quando aliud probabilius non occurrit, ſequendum cenſeo (*a*). Plane ſi jure extranei poſt ſexaginta dies accuſationem inſtituant, calumniatorum poenae ſubjacent: quae tamen nec hoc quidem caſu facile marito irrogabitur, ſi juvenili facilitate, ductus, vel etiam fervore aetatis accenſus, ad accuſandum deſcenderit. [d] Praeterea marito ſingulari jure hoc conceditur, ut ex ſola ſuſpicione ream uxorem facere poſſit, utque inſcriptionis vinculo accuſans non contineatur, [e] quod ceteros omnes accuſatores ſimilitudine ſupplicii obſtringit. Datur vero marito, etſi duos reos ex alio crimine habeat, jure viri tertium accuſandi poteſtas, quoniam ea cauſa non cedit in numerum ceterarum accuſationum. [f] Is enim qui duos reos delatos habet, tertia accuſatione ita demum repellitur, ſi non ſuam ſuorumque injuriam exequatur (*b*). [g] Ex quibus definire facile eſt, quid ſit jure patris, [h] maritive [i] accuſare: cui opponitur jure extranei, [k] vel jure publico [l] accuſare, id eſt, jure communi, & ut quilibet de populo. Maritus porro, etiamſi jure mariti accuſationem inſtituerit, ab ea tamen impune non deſiſtit. Quinimmo ſine abolitione deſiſtens in Turpillianum incidit. Nec mutat, quod ſcriptum eſt, [m] eos, de quorum calumnia agere non permittitur, ſi deſtiterint, non incidere in poenam Senatuſconſulti. Hoc enim eo pertinet, ut parentes & patroni, de quorum calumnia queri liberis libertiſque non licet, [n] ſi ab accuſatione contra eos inſtituta deſtiterint, Turpilliano non teneantur. Quod beneficium ipſis tantum, non etiam liberis eorum praeſtatur. [o] Maritus igitur, ut ab accuſatione impune deſiſtat, abolitionem impetrare, adito pro tribunali praeſide, [p] neceſſe habet, niſi ſi publice abolitio interveniat. [q] Qua interveniente, etſi intra dies praeſtitutos reum non repetierit, Senatuſconſulti poenam non timet. Neque enim videtur deſiſtere, qui exemptum reum non defert. Eximitur autem publica abolitione interveniente. [r] Sed nec poſt abolitionem retractabitur in judicio repetendo de mariti jure. [s] Nam cum crimen repetit maritus, eodem jure repetit, quo & accuſabat. Neque poſſunt ei praeſcriptiones objici, quae ante abolitionem non ſunt objectae. [t] Atque hac occaſione abolitionum quaeſtionem Jureconſulti in libris de adulteriis [v] obiter explicaverunt. Ex quo tractatu duos ad hujus libri inſtitutum pertinentes locos explicare operae pretium fuerit. Videntur enim inter ſe pugnantia PAPINIANUS & MARCIANUS dicere: quorum unus etiam eos, qui ab accuſatione, quae praeſcriptione temporis ſummoveri potuiſſet, deſtiterint, ex Senatuſconſulto plecti ait: [x] alter de calumnia puniri eos negat, [y] qui praeſcriptione temporis excluſi cauſam adulterii perferre non potuerint. Male Accurſius hoc diſſidium componit: dicam quod ſentio, nihil eſt expeditu facilius. Alia eorum cauſa eſt, qui cum accuſationem intuliſſent, exceptione temporis ſummoti ſunt: longe alia eorum, qui ab accuſatione, quam praeſcriptio temporis ſummoviſſet, diſceſſerunt. Hi enim ſponte accuſationem omittunt, illi inviti ab accuſatione repelluntur. Denique Senatuſconſultum, quod in deſiſtentes ſcriptum eſt, ad eos non pertinet, quorum accuſatio exceptione eliſa, repulſaque eſt: illos vero Senatuſconſultum tenet, qui ab accuſatione, qualis qualis fuerit, deſtiterunt. [z] Ceterum publica abolitio eas demum accuſationes abolet, quae jam perlatae ſunt, & ex quibus reus quis factus eſt. [a] Ad eas enim, quae nondum inſtitutae ſunt accuſationes, abolitio

a *l. 2. mater. C. de calumniatorib.*
b *l. 30. pater. D. de adulter.*
c *l. 14. is cujus. in fin. D. eod. tit.*
d *l. 15. §. 6. lex Julia. D. de adult.*
e *l. 30. quamvis. C. de adulter.*
f *l. 6. §. ult. D. de adulter.*
g *l. 16. cum rationibus. C. de his, qui accuſ. non poſſ. l. 8. qui accuſare. l. 11. hi tamen. D. de accuſation.*
h *l. 24. in fin. D. de adulter.*
i *l. 2. §. 1. l. 13. cum ſuis. §. 5. l. 14. in fin. l. 6. §. ult. D. de adult. l. 6. C. eod.*
k *l. 13. §. 4. ſed & ſi ea ſit. l. 15. §. 6. lex Julia. D. de adulter.*
l *l. 14. quaeſitum D. de adulter.*
m *l. 15. in Senatusc. §. 2. eos. D. ad SC. Turpill.*
n *l. 2. bonos i. & l. 7. licet. D. de obſeq. parent. & patr. praeſt.*
o *l. 14. qui cum major natu. §. 2. D. de bonis libert.*
p *l. 1. §. 8. abolitio. D. ad SC. Turpillian.*
q *l 8. D. eod. tit.*
r *l. 12. D. ad SC. Turpill.*
s *l. 10. aut privatim. §. 1. D. eod. tit.*
t *l. 7. ſi quis repetere D. eod. tit.*
v *l. 8. l 10. l. 11. l. 12. l. 13. l. 16. D. ad SC. Turpillian.*
x *l. 1. §. 10. accuſationem. D. ad SC. Turpillian.*
y *l. 11. quaerebatur. D. ad Sen. Turpillian.*
z *l. 15. in Senatusconſultum. D. eod. tit.*
a *l. pen. D. eod. tit.*

(*a*) CENSEO] Adde *Hoffmanni Comm.* ad *h. l. pag.* 119. *ſeq.*

(*b*) EXEQUATUR] Quae hac de re dici poſſent, occupavit laudatus *Hoffmannus*, *pag.* 120. *ſeq.*

litio non pertinet. [b] Reſtat videamus, quae marito jure mariti accuſanti praeſcriptiones objiciantur. Inprimis, ſi repudiatam uxorem etiam poſt inſtitutam accuſationem reduxerit, non quaſi eodem matrimonio durante, ſed quaſi alio interpoſito, ex eo delicto, quod in priori matrimonio admiſit, accuſandi jus non habet. [c] Aboleviſſe enim prioris matrimonii delicta videtur reducendo eam. [d] Sed & ſi acturum ſe intra ſexageſimum diem negaverit, poſtea accuſare volens non audietur. [e] Idem multo magis ſi ab accuſatione inſtituta deſtiterit. [f] Utilis ergo erit illa adverſus agentem exceptio, *ſi non legem prodidiſſe dicatur, ob hoc, quod aggreſſus accuſationem adulterii, accuſare deſtitit.* [g] Quae praeſcriptio ex lege Petronia, ut opinor, deſcendit, quae hoc continebat, ut qui jure viri delatum adulterum non peregiſſet, poſtea ad accuſationem non admitteretur. [h] Quae lex an ea ſit, quae alias Junia Petronia appellatur, [i] conſtanter affirmare non poſſum. Certe ab ipſomet Senatuſconſulti Turpilliani auctore Petronio Turpilliano latam non dubito (*a*), qui cum Caeſonio Paeto una conſulatum Neronis temporibus geſſit: [k] de quo & illud praeterea legere me memini, curationem ei aquarum mandatam, [l] enmque cum exercitu a Nerone reprimendae ſeditionis cauſa miſſum ad Galbam defeciſſe. Sequitur in lege; POST AOS DIES. Poſt ſexaginta dies patri maritoque lapſos extraneis quibuslibet accuſandi facultas conceditur. Adulterii enim crimen inter judicia publica refertur, [m] quibus cuilibet e popnlo experiri licet, niſi cui ſpecialiter accuſandi poteſtas denegata eſt. [n] Nec tamen quod cuivis de populo haec accuſatio patet, idcirco publica eſt: ſed quia lege de hac re cautum eſt, quae publice accuſationem inducit. [o] Inter extraneos autem maritus quoque accuſare poterit, [p] ſed ita, ut eis non praeferatur, ſi praevenerint. Habent vero extranei quatuor utiles menſes ad accuſandum, qui eis poſt ſexaginta dies cedere incipiunt, [q] ultra quos patris maritive voluntatem expectare neceſſe non habent. [r] Qua non expectata, ſtatim agere, etiamſi nondum ſexaginta dies effluxerint, poterunt, ſi ſe maritus, paterque adulterii acturos intra ſexageſimum diem negaverint. [s] Cum enim poſt hanc negationem amplius agere illi non poſſint, extraneis ſtatim locus fit. Verum enimvero conſtante eo matrimonio, in quo adulterinm commiſſum eſſe dicitur, ab extraneo rea fieri mulier non poteſt. Probatam enim a marito uxorem, beneque concordatum ac quieſcens matrimonium alius turbare atque inquietare non debet. [t] Ac ne adulterum quidem interim accuſari poſſe PAPINIANUS ait. [v] Qui tamen ſibi ipſe repugnare alio loco [x] videtur his verbis: *Nupta quoque muliere, tametſi lenocinii vir prior non poſtuletur, adulterii crimen contra adulterum ab extrario poterit inferri.* Quod ſi ſic intellegamus, ut durante eo matrimonio, quod mulier a viro dimiſſa contraxit, adulter, etiamſi prior maritus lenocinii non accuſetur, accuſari poſſit, nullam res recipit dubitationem: ſin hoc ſenſiſſe eum dicamus, ut manente eodem matrimonio, in quo adulterium commiſſum eſſe dicitur, poſſit adulter, tametſi vir prius lenocinii non ſit poſtulatus, accuſari: pugnabit hoc ſuperiori loco, nec pugnam Accurſii leves atque inanes ſolutiones diriment. Sed enim huic capiti CONSTANTINI conſtitutio [y] derogavit, quae ad accuſationem adulterii quoslibet e populo admitti prohibet, ſed neceſſarias demnm perſonas, veluti fratrem, patruum, avunculum, quos verus dolor ad accuſationem impellit (*b*).

b *l.* 2. *C. de gener. abolit.*
c *l.* 40. *quaeſitum.* §. *ult. D. de adulter.*
d *l.* 13. *ſi uxor.* §. *pen. D. de adulter.*
e *l.* 15. *ſi maritus.* §. 5. *ſi negaverint. D. eod. tit.*
f *l.* 2. *D. ad SC. Turpillian.*
g *l.* 2. §. 1. *D. de adult.*
h *l.* 16. *abolitionem. in fin. C. de adult.*
i *l.* 24. *lege Junia. D. de manum. l.* 11. *circumcidere.* §. 2. *D. ad l. Corn. de ſicar.*
k *Corn. Tacit. lib.* 14. *Annal. cap.* 29.
l *Sext. Jul. Frontin. lib.* 2. *de Aquaeductib.*
m *l.* 1. *D. de public. judic. l.* 30. *quamvis. C. de adult.* §. 4. *item lex Julia. Inſtit. de publ. jud.*
n *l.* 43. *palam.* §. 10. *ſenatus. D. de ritu nupt.*
o *Arg. l.* 3. §. *ult. D. de praevaricator.*
p *l.* 15. §. 6. *lex Julia. D. de adulter.*
q *l.* 4. §. *pen. D. eod.*
r *l.* 13. §. *pen. D. eod.*
s *l.* 15. §. 5. *ſi negaverint. D. eod. tit.*
t *l.* 26. *conſtante. D. eod. tit.*
v *l.* 11. *miles.* §. 10. *volenti. D. eod.*
x *In l.* 39. *vim paſſam.* §. 1. *D. de adulter.*
y *In l.* 30. *quamvis. C. de adulter.*

VII.

NE QUIS INTER REOS.

Legis Juliae capite ſeptimo, quemadmodum ULPIANUS ſcribit, [z] cavebatur, ne quis inter reos eum referret, qui tunc ſine detractione Reipub. cauſa abeſſet. Regula autem juris eſt, abſentium Reipub. cauſa in nullo condicionem deteriorem fieri oportere. [a] Ideoque inter reos referri eos, dum Reipubl. operantur, iniquum viſum eſt. Idque generaliter lege Mem-

z *l.* 15. *ſi maritus.* §. 1. *D. de adulter.*
a *l.* 140. *abſentia. D. de reg. jur. l.* 6. *ſepulchri. D. de ſepulchr. viol.*

(*a*) DUBITO] Conf. praeter ſcriptores generales de legibus & SCtis, *Jac. Cujacii Parat.* ad *tit. Cod. ut intra cert. temp. Herm. Noordkerkii Diſquiſitionem de lege Petronia*, *Amſt.* 1731. 8.

(*b*) IMPELLIT] Eſt haec Conſtitutio *L.* 2. *C. Th. lib.* IX. *tit.* 7. ubi vide *Jac. Gothofredi* Commentarium. Adde *Jac. Cujac. Obſ. lib.* XX. *cap.* 28.

Memmia (*a*) olim vetitum fuiſſe Valerius [b] prodidit, cujus, ut probabile eſt, beneficio a Senatu impetraſſe Julium Caeſarem legimus, [c] ut ne, dum Reipub. cauſa abeſſet, reus perageretur. Atque hoc nomine Verrem acerbiſſime Cicero [d] inſectatur, quod abſentis Sthenii nomen deferri paſſus eſſet (*b*). Quamobrem & ab Ulpiano (*c*) in univerſum definitum [e] eſt, eum, qui Reipubl. cauſa abſit, accuſari non licere. Abſentes autem Reipub. cauſa anguſtius hic, quam in Praetoris edicto, [f] quo abſentibus ſuccurrit, accipimus. Eos enim demum excuſari lex Julia vult, qui propter abſentiam ſiſtere ſe judicio non poſſint, quique in alia provincia, quam in ea, in qua deferuntur, publici negotii cauſa abſint. Proinde ſi quis praeſens ſit, vice tamen abſentis habeatur, ut puta, inquit Ulpianus, [g] qui in vigilibus, vel in urbanis caſtris militat, dicendum eſt, hunc deferri poſſe: neque enim laborare habet, ut ſe repraeſentet. Vigilum in urbe ſeptem cohortes Auguſtus ex libertinorum ordine incendiorum cauſa conſcripſit, [h] in quibus, qui nomen dediſſent, militum numero locoque erant: [i] unde inter vigiles militare, ut hic, ita & in *Inſtitut.* Ulpianus [k] dicit, idque Strabo [l] στρατιωτικὸν τῶν ἀπελευθέρων appellat (*d*). Urbana vero caſtra Praetorianarum cohortium, & aliarum, quae ad urbis cuſtodiam in ſtationibus diſpoſitae erant, accipi oportet. Praetoriani enim, tametſi ab urbanis militibus in hiſtoriis ſeparantur, cum tamen Romae caſtris a Tiberio conſtitutis continerentur, in urbanis caſtris militantium appellatione merito comprehenduntur. Habebantur autem hi ab Imperatoribus ad corporis ſui cuſtodiam, ut Herodianus *lib.* 11. *cap.* 43. oſtendit, eaque de cauſa ceteris militibus ampliora ſtipendia accipiebant, aliisque praerogativis fruebantur: nam & binos in diem denarios merebant, & poſt ſextum decimum annum miſſionem, finitaeque militiae praemia accipiebant, cum alii ne diurnum quidem denarium mererent, longiorique tempore militiae obſtringerentur, quemadmodum Cornelius Tacitus [m] & Dion [n] declarant (*e*). Et hi ſunt, qui Romae militare alias dicuntur, [o] qui licet pro abſentibus Reipub. cauſa habeantur, [p] quod ad reſtitutionem in integrum attinet, in hac tamen lege abſentium appellatione non continentur, quae eorum dumtaxat abſentiam excuſatam eſſe voluit, qui corpore ab eo loco abeſſent, in quo deferuntur, adeo ut qui in ea provincia, in qua reipublicae cauſa operam dans abſens agit, adulterium commiſerit, ibidem accuſari ſalva legis ſententia poſſit, *niſi* addit Ulpianus, [q] *ea ſit perſona, quae ad Praeſidis cognitionem non pertinet.* Quae verba ad milites, contra quam quidem cenſent, male referuntur: hos enim extra militaria & caſtrenſia delicta [r] ab ejus provinciae, in qua facinus admiſerint, praeſide poena plecti debere Divi Severus & Antoninus reſcripſerunt. [s] Non male vero ad Decuriones (*f*) Principalesque civitatum referentur, quos punire Praeſidi provinciae, niſi aliter ſedari tumultus non poſſet, [t] vel res dilationem non reciperet, [v] non permittebatur. Recipere tantum in carcerem, vinctosque cuſtodire, & principi de eorum poena ſcribere licebat: [x] eratque hoc adeo diſerte mandatis Principalibus, quae Praeſidibus dabantur, cautum, [y] ut ſi id amiſiſſe Decuriones viderentur, propter quod relegandi extra provinciam in inſulam eſſent, Imperatori ſcriberetur. Praeſidali cognitioni & alii noviſſimorum principum conſtitutionibus eximuntur. [z] Verum enimvero non alias abſentia excuſatur, quam ſi ante

[b] *Lib.* 3. *cap.* 7. *ex.* 9.
[c] *Sueton. in Julio cap.* 23.
[d] 4. *in Verr. Orat ſ. Accuſat. lib.* 11. *cap.* 38. *ſeqq.*
[e] *l.* 12. *hos accuſare. D. de accuſat.*
[f] *Titul. ex quibus cauſ. major*
[g] *l.* 15 *ſi maritus.* §. 3. *D. de adulter.*
[h] *l.* 3. *D. de off. praeſ. vig. Suet. in Aug. cap* 25.
[i] *l. unica. D. de bon. poſſ. ex teſt. mil.*
[k] *Tit.* 3. §. 5.
[l] *Lib.* 5. *Geograph. pag.* 359. (235.)
[m] *Lib.* 1. *Annal. cap.* 17
[n] *Lib.* 57. *pag.* 604 *ſeqq.*
[o] *l.* 7. *milites. D. ex quibus cauſ. major.*
[p] *d l.* 7. *milites & l.* 35. *qui mittuntur.* § 3 *praefectus. D. ex quibus cauſ. major.*
[q] *l.* 15. *ſi maritus.* §. 4. *in fin. D. de adulter.*
[r] *l. pen. C. de juriſd. omn. judic. l.* 3. *D. de re milit.*
[s] *l. ult. D. de accuſ. & l.* 3. *D. de re milit.*
[t] *l. pen. D. ad l. Corn. de falſ.*
[v] *l.* 6. *ſi quis.* §. 9. *D. de injuſt. rupt.*
[x] *l.* 1. *in fine princ. D. quando appell. ſit. l.* 2. §. 1. *D. de bon. eor.*
[y] *d l.* 27. *divi.* §. *pen. & ult. D. de poenis.*
[z] *l.* 2. *C. de off. mag. mil.*

(*a*) Memmia] Quam alii Remmiam vocant. Vide praeter ſcriptores generales de Legibus, & *Interpp.* ad *Val. Max.* l. c. *Henr. Brencmanni Tract. de lege Remmia*, *cap.* 3. *Steph. Vinandi Pighii Annal. Reip. Rom. Tom.* 11. *pag.* 484. *ſeqq.*

(*b*) Esset] Sthenius tamen ille non reipublicae, ſed commodi ſui cauſa abſens erat. Exinde ergo patet, abſentes quoſcunque non temere olim inter reos receptos fuiſſe. Conf. *Jac. Cujac. Obſerv. lib.* xx. *cap.* 21. *Deſid. Herald. Rer. jud. cat. lib.* 1. *cap.* 9. *ſeq.*

(*c*) Ulpiano] Legis laudatae 12. *D. de Accuſat.* non Ulpianus, ſed Venulejus Saturninus auctor in Inſcriptione perhibetur.

(*d*) Appellat] Confer Auctoris *Select. Antiqq. lib.* 11. *cap.* 8.

(*e*) Declarant] Confer auctoris *Select. Antiqq. lib.* 11. *cap.* 6. quaeque ibi notavimus.

(*f*) Decuriones] Multo magis ergo hoc ſpectat ad Senatores urbis Romae, qui nullum alium judicem, quam Praefectum Urbis agnoſcebant. Vide *Auguſtini Campiani Tr. de Officio & poteſt. Magiſtr. pag.* 150. *ſeq.* A praeſidali etiam cognitione exemti erant omnes, qui erant in miniſterio aulico Imperatoris, immo & miniſtri alterius Praeſidis, qui ad ſuum Praeſidem, vel ad urbem Romam erant remittendi. (Vid. e. g. Cicero *Accuſ. in Verr. lib.* 1. *cap.* 19.)

ante coeptam cognitionem abeſſe quis coeperit. Itaque adulteram, ſi poſtea, quam crimen contra eam inchoatum eſt, provinciam exceſſerit, etiam abſentem inter reos recipi poſſe Imper. ALEXANDER reſcripſit: [a] An vero & condemnari? Et eſt jure civili conſtitutum, [b] abſenten capitali poena damnari non poſſe, pecuniarias vero poenas, vel eas, quae exiſtimationem contingunt, ſi ſaepius moniti per contumaciam deſint, ſtatui poſſe, & uſque ad relegationem procedi. Excuſantur etiam ii ſoli, qui bona fide abſunt, & ut ait lex: SINE DETRACTATIONE. Nam ſi quis evitandi criminis cauſa id egerit, ut Reipublicae cauſa abeſſet, nihil illi commentum hoc proficiet. [c] Admonent autem me haec legis verba, ut ULPIANI (*a*) locum [d] emendem, in quo eos, quos accuſare non licet, enumerans: *Item*, ait, *magiſtratum populi Romani, eumve, qui Reipubl. cauſa abfuerit, dum non retractandi leges cauſa abeſt.* Quod nullum bonum ſenſum habet. Legendum itaque ſuſpicer: *Dum non detractandi leges cauſa abſit.* Ut & alio [e] loco: *Qui non detractandi teſtimonii cauſa aberit.* & alias: [f] *Qui detractandae libertatis gratia abſit.* Porro qui inter reos adulterii receptus eſt, abſens defendi non poteſt. [g] Ad crimen enim publici judicii perſequendum fruſtra procuratorem intervenire, multoque magis ad defendendum, civilis conſtitutio eſt. [h] Cui tamen refragari ALEXANDRI reſcriptum creditur, quod ita eſt: [i] *Reos capitalium criminum abſentes etiam per procuratorem defendi, leges judiciorum publicorum permittunt.* Sed non omnia capitalia crimina judicii publici ſunt. Igitur in privatorum criminum cauſis defenſor recte intervenit, in publicorum judiciorum criminibus non recte intervenit. [k] In crimine autem adulterii nulla dabatur dilatio, niſi ut perſonae exhiberentur, aut judex ex qualitate negotii hoc cauſa cognita permiſiſſet. [l] Unde PAULUS *lib.* II. *Sententiar.* [m] *In cauſa*, ait, *adulterii dilatio poſtulata impartiri non poteſt.* In capitalibus certe cauſis, cauſa cognita reo tres dilationes, accuſatori duos dari potuiſſe conſtat. [n]

[a] *l.* 13. *C. de adulter.*
[b] *l.* 5. *abſentem. D. de poen. l.* 6. *C. de accuſation.*
[c] *d. l.* 15. *ſi maritus.* §. 2. *D. ad l. Jul. de adult.*
[d] *l.* 12. *hos accuſare. D. de accuſation.*
[e] *l.* 19 *inviti. D. de teſtib.*
[f] *l.* 22. *ſi legatario. in fin. de fideicomm. lib.*
[g] *l.* 11. *miles.* §. 2. *ea quae. D. de adulter.*
[h] *l. pen.* §. *ult. D. de public. judic.*
[i] *l.* 3. *C. de accuſation.*
[k] *l.* 31. *ſervum* §. 2. *publice. D. de procurat.*
[l] *l.* 41. *in crimine. D. de adult.*
[m] *Tit.* 26. §. *ult.*
[n] *l. ult. D. de feriis.*

VIII.

MINORIBUS XXV. ANNIS.

Lex Julia ſpecialiter quoſdam adulterii accuſare prohibebat, ut minores xxv. annis. [o] Nec enim juſtus accuſator viſus eſt, qui nondum robuſtae aetatis eſſet. Hoc vero in hac lege ſingulare eſt. Nam a ceteris vel capitalibus accuſationibus minores non repelluntur. [p] Unde MACER [q] in iis, qui propter aetatem accuſare non poſſunt, pupillum tantum numerat, id eſt, impuberem, qui nondum exacti conſilii capax eſt. Cui tamen ex conſilio tutorum patris mortem exequi, nec non de patris teſtamento agere permiſſum eſt. [r] Eum vero, qui puberem aetatem egreſſus judicium jam poſſit ad accuſationem inſtituendam adhibere, in publicis quoque judiciis, niſi quae lex nominatim refragetur, admitti conſtat. Sed enim alienam dumtaxat injuriam exequentes jure publico minores xxv. annis ex hac lege ſubmoventur. Violatum vero ſuum matrimonium minor, non tantum jure viri, ſed & extranei jure vindicare poteſt. [s] Nec enim ulla umquam praeſcripto objicitur ſuam injuriam exequenti. Ideoque & ex hac cauſa ad accuſandum admittuntur, qui alias idonei accuſatores non eſſent. [t] Eadem ratione violata virgo, injuriam ſuam aſſiſtentibus curatoribus ſine metu praeſcriptionis perſequetur. [u] Minorem xxv. annis hic accipimus etiam eum, qui annum viceſimum quintum aetatis agit, [v] aliter atque in lege AElia Sentia, in qua non tam minor xx. annis eſt, qui ſupremum diem anni vigeſimi agit. [x] Porro ceteri quoque, qui publico judicio accuſare non poſſunt, & ab hac accuſatione ſubmoventur: quales ſunt mulieres, ſervi, milites, famoſique homines (*b*) qui cum beſtiis depugnandi cauſa in arenam intromiſſi ſunt, quique

[o] *l.* 15. *ſi maritus.* §. 6 *lex Julia. D. de adulter.*
[p] *l.* 14 *qui cum major natu.* §. 1. *D. de bon. libert.*
[q] *l.* 8 *qui accuſare. D. de accuſation.*
[r] *l.* 2. *D. de accuſation.*
[s] *l.* 15. *ſi maritus.* §. 6. *lex Julia. D. de adult.*
[t] *l.* 1 *l.* 11. *hi tamen. D. de accuſation.*
[u] *l.* 7. *C. ad l. Jul. de adult.*
[v] §. 6. *lex Julia. d. l.* 15. *ſi maritus.*
[x] *l.* 1. *D. de manumiſſion.*

(*a*) ULPIANI] *L.* 12. *D. de Accuſ.* auctorem eſſe Venulejum Saturninum jam ſupra monui. Lectio *b. l.* in *edd.* valde differt. *Vulgata* habet: *retractandi leges*: *Haloandrina* exhibet: *detrectandi leges*: *Dionyſ. Gothofred.* edidit: *retractandae legis*: poſſet etiam legi: *detrectandae legis*: Quomodocunque vero legas, parum refert: nam verbum *retractare* nonnunquam poni pro *detrectare* hodie jam ex lexicographis notum eſt.

(*b*) HOMINES] Infamia notatos expreſſis verbis per legem Juliam ab accuſatione adulterii excluſos fuiſſe, & prae-

que artem ludicram vel lenocinium fecerint, calumniaeve cauſa publico judicio ſint damnati. Quos ULPIANUS hac occaſione libro ſecundo de adulteriis erat perſecutus. y

y l. 4. D. de accuſation.

IX.

SI SERVUS ADUTERII.

Hoc capite nono legis Juliae continebatur. z Poſſunt autem non liberi tantum homines, ſed & ſervi, lege Julia accuſari. a Nam & hi omnibus publicorum judiciorum legibus rei fiunt, quarum modo poena in eos cadit. b Cujuſmodi relegatio ne ſit, ab interpretibus dubitatur. Servorum certe poenis eam cunvenire argumento eſt, quod hac lege poſtulantur, cujus poenam relegationem eſſe, tam certum eſt, quam quod certiſſimum (*a*). Et relegatione ſervos, qui domini auctoritate ſepulchra violaverint, CONSTANTINUS plectit. c Unus creditur VENULEJUS d diſſentire: qui tamen ceteris conſentiet, ſi ejus verba haec: *Vel capitis poena, quae ſervorum poenis non convenit, ſicut relegatio*, ſic cum *Joanne*, antiquo interprete, accipias, ſicut relegatio ſcilicet convenit (*b*). Et ita ſaepe vox *Sicut* oppoſitam praecedentibus ſententiam ſignificat. e Exemplum vero capitis poenae, quae ſervi non convenit, deportationem afferri poſſe exiſtimo. Nam & ultimo ſupplicio plecti, & in metallum, vel in opus metalli, vel in ludum venatorium, vel ad beſtias dari ſolitos ſervos exploratum eſt: f non tamen in opus publicum perpetuum vel temporarium dari. g Sed nec deportari idcirco credo, quod ea poena libertate retenta civitatem adimat, quod in perſona ſervi non conſiſtit. Itaque ubi liberis hominibus deportatio legibus infligitur, ibi in ſervos ultimum ſupplicium conſtitui animadvertas, h ut legibus Corneliis, de falſis, ſicariis, & veneficis. Eadem autem ſollemnia in ſervorum, quae in liberorum hominum accuſatione implenda ſunt. i Itaque & inſcriptio praecedere debet, & ordine judicium peragi, perinde ac ſi liber homo in judicium crimenque vocaretur: & qui liberorum hominum idonei accuſatores non ſunt, nec ſervorum erunt. Hoc tantum intereſt, quod & de ſervo adulterii accuſato quaeſtio, ſi hoc accuſator deſideret, habetur: quo caſu ſervum aeſtimari lex vult, & duplum ei dari, ad quem ea res pertinet. Quibus verbis non domini tantum, ſed & hi, qui a non domino bona fide emerint, creditoreſque qui pignori acceperint, continentur. k Nam horum quoque intereſt, quaeſtionem non haberi. Quod ſi uſusfructus in ſervo alienus ſit, inter dominum & fructuarium aeſtimatio dividetur, & ſi communis plurium erit, inter eos quoque aeſtimatio erit dividenda. Verum ſi liber homo, qui bona fide ſerviat, tortus ſit, cui iſta poena praeſtanda ſit, videamus. Et magis eſt, quemadmodum SEX. CAECILIUS probat, ut utilis actio ipſi adverſus eum, qui per calumniam appetit, detur, ne impunita ſit calumnia ejus ob hoc, quod liberum hominem quaſi ſervum deduxit in quaeſtionem. Et ad hoc caput referenda eſt illa PAPINIANI lex, l quae ex ejus *lib.* II. *de adulteriis*, *in tit. de calumniatoribus*, eſt tranſlata. *De ſervo qui accuſatur, ſi poſtuletur, quaeſtio habetur, quo abſoluto in duplum pretium accuſator domino damnatur: ſed & citra pretii aeſtimationem quaeritur de calumnia ejus: ſeparatum eſt etenim calumniae crimen a damna, quod in ſervo propter quaeſtionem domino datum eſt.* Huc pertinet & illud DIOCLETIANI ſub eodem titulo collocatum reſcriptum: m *Dominis ſervorum, per accuſatoris calumniam tortorum, adverſus eum poena dupli lege Julia providetur.* Duplum autem hoc condictione ex lege Julia deſcendente petitur. n Eſtque hoc appoſitiſſimum condictionis ex lege exemplum. o Quando autem & hoc & ſuperiori

z l. 17. ſi poſtulaverit. §. alt. D. de adult.
a l. 5. ſervos. D. de accuſation.
b l. 12. hos accuſare. §. 4. omnibus. D. de accuſation.
c l. 2. C. de ſepul. viol.
d d. l. 12. hos accuſare. §. 4. omnibus.
e l. 2. in fin. D. pro ſolato. l. 19. & non tantum. in fin. D. de pet. hered.
f l. 8. aut damnum §. pen. D. de poen. Paul. lib. 5. Sentent. tit. 4. ad fin.
g l. 34. ſervus. D. de poen.
h l. 1. §. ult. D. ad l. Corn. de falſ. §. 7. item lex Cornelia. Inſtit. de public. judic.
i l. 13. ſi quis ſervos. C. de accuſat. l. 12. hos accuſare. §. 3. ſi ſervus. D. de accuſation.
k l. 27. ſi poſtulaverit. D. de adulter.
l l. ult. D. de calumniatorib.
m l. 6. dominis. C. de calumn.
n l. 28. quod eu bis. D. de adulter.
o l. un. D. de condict. ex lege.

praeterea etiam libertos quoſdam, probat *Hoffmannus pag.* 125. *ſeqq.*

(*a*) CERTISSIMUM] Quia tamen ſervi plerumque ſeverius puniuntur, quam liberi homines, non ſine ratione dubitatur, num ſervi ob hoc crimen condemnati relegati fuerint. Vide *Hoffmann. pag.* 139. Caeterum de quaeſtione, num ſervi potuerint relegari, vide quae diſputant *M. Anton. Muretus* in *Obſerv. juris*, *cap.* 2. *Petrus Faber Semeſtr. lib.* 11. *cap.* 5. *M. Lyclama Membr. lib.* 11. *cap.* 10. *Georg. d'Arnaud* in *Diſſ. de Jure ſervor.* (ſub praeſidio Cel. *Abrab. Wielingii* defenſa) *cap.* 9.

(*b*) CONVENIT] Cui haec explicatio non placet, is etiam in *l. c.* relegationem pro deportatione accipere poteſt, quae interdum confunduntur.

periori ſeptimo capite de adulterii reis diximus, videamus, ſi magiſtratus, aut is, qui in honore publicove miniſterio ſit, adulterium commiſiſſe dicatur, an accuſari poſſit. Et certum eſt, p quamdiu in magiſtratu poteſtateve eſt, accuſari eum non licere: ſed differri ejus accuſationem, & cautione judicio ſiſtendi cauſa promitti q in finem honoris, ut in aliis cauſis fieri aſſolet. r Non erit etiam ab hoc loco alienum, quae fuerit in adulterii quaeſtione libellorum accuſatoriorum s conceptio, exponere. Eam talem fuiſſe accepimus, ut die & conſule praepoſito ſcriberetur: Apud illum praetorem, vel proconſulem L. Titius profeſſus eſt, ſe Maeviam lege Julia ream deferre, quod dicat eam cum C. Sejo in civitate illa, domo illa, menſe illo, conſulibus illis, adulterium commiſiſſe. Utique enim & locus deſignandus erat, in quo adulterium commiſſum eſſet, & perſona, cum qua admiſſum diceretur, & menſis. Idque lege publicorum judiciorum cautum, generaliterque omnibus, qui aliquem deferrent, praeceptum Ulpianus ſcribit. t Quod ſi libelli legitime ordinati non eſſent, & aliquid circa inſcriptionem erratum eſſet, cauſa criminis abolebatur. Emendare tamen libellum, ſi tempora largiebantur, vel ex integro reum repetere licebat. v

p *l. 12. hos accuſare. D. de accuſation.*
q *l. 38. ſi adulterium. in fin. D. de adult.*
r *l. 2. §. 6. ſed ſi dubitetur. D. de judic.*
s *l. 17. denunciaſſe. §. 1. D. ad l. Jul. de adult.*
t *l. 3. libellorum. D. de accuſat.*
v *l. 35. accuſatus. D. de adulter. d. l. 3. libellorum. §. 1. D. de accuſat.*

X.

QUI POST MARITUM, &c.

Lege Julia hoc expreſſum fuiſſe Ulpianus teſtis eſt, x quod & in aliis publicis judiciis ſervatur, quibus cum experiri cuilibet liceat, ſi plures exiſtant, qui accuſare velint, eliget judex eum, qui accuſet cauſa cognita, aeſtimatis accuſatorum perſonis ex dignitate, vel ex eo, quod accuſantium intereſt, vel aetate, vel moribus, vel alia juſta de cauſa. y Erat olim de accuſatore conſtituendo proprium proditum judicium, quemadmodum Quinctilianus z & Gellius a declarant, quod *divinatio* appellabatur. Cujus judicii & Caelius b in *Epiſtol.* meminit. Eoque in genere Ciceronis *prima in Verrem actio* (*a*) verſatur. Publicorum vero judiciorum exemplo etiam illud in popularibus actionibus ſequitur, c ut ex pluribus deſiderantibus, eae actiones vel idonioribus, vel quorum intereſt potiſſimum, dentur: quod in actione de ſepulchro violato, d & in actione de effuſis & dejectis, e praetoris edicto expreſſum eſt. Ait lex Constitutio. Statuet vero cauſa cognita, comparatis eorum, qui ad accuſationem pariter accedunt, moribus, aetatibus, & cujus magis interſit. f Praeferentur vero primum, qui adulteram conſanguinitate, vel affinitate contingunt; & inter extraneos, qui idoniores erunt, quique fide, dignitate, induſtria, diligentia, conſilio praeſtabunt. Quae in accuſatorum delectu habendo diſpicienda eſſe Cicero in divinationis peroratione, & Quinctilianus g oſtendunt.

x *l. 2. § ult. D. de adult.*
y *l. 16. ſi plures. D. de accuſ.*
z *Lib. 3. cap. 10. al. 12. & lib. 7. cap. 4. al. 5.*
a *Lib. 2. cap. 4.*
b *Lib. 8. Epiſtol. Ciceron. Epiſt. 8.*
c *l. 2. D. de popularib. action.*
d *l. 3. §. 1. D. de ſepulchr. viol.*
e *l. 5. §. 1. D. de his, qui dejecer.*
f *Arg. l. 3. §. 12. ſi tamen plures. D. de libero hom. exhib.*
g *Lib. 7. cap. 4. al. 5.*

X I.

REOS ADULTERII, &c.

Adulterum & adulteram eodem tempore, & ex eadem cauſa reos fieri lex vetat, h ſed utroſque ordine peragi praecipit. Itaque nec ab extraneo, nec a marito ſimul, eodemque libello poſtulari poſſunt: & qui utrumque ſimul detulerit, nihil aget propterea quod eam accuſationem lex valere non patitur. i Poterit igitur quaſi neutrum detulerit, rurſus a quo velit, initium facere. k Quamquam autem inutilis ſit hujuſmodi delatio, tamen in utriuſque perſona neceſſaria eſt abolitio, ne in Turpillianum incidat, qui ab ea accuſatione deſiſtet. Qualiſcumque enim accuſatio illata cognoſcentis auctoritate, non accuſantis voluntate, aboleri debet. l Ceterum de adulterio tantum lex loquitur: nam inceſti commune crimen adverſus duos ſimul intentari poteſt: m quod in adulterio ne liceret, ſpecialiter lege prohiberi neceſſe fuit. Vetat autem lex ab eodem ſimul virum & mulierem poſtulari: a diverſis vero ſinguli ſimul poſtulari poſſunt, n dum ſi ante denuntiationem nupſerit mulier, prior accuſari non poſſit. Sed nec quicquam prohibet ſimul cum adul-

h *l. 8. C. de adulter.*
i *l. 39. vim paſſam. §. 6. duos. D. de adult.*
k *l 15. ſi maritus. in fin. D. de adulter.*
l *l. 1. §. 10. accuſationem. D. ad Turpill.*
m *l. 7. qui pupillam. in fin l. 39. vim paſſam. §. pen. D. de adulter.*
n *l. 17. §. 9. quaeritur. D. eod. tit.*

(*a*) Actio] Intelligit auctor Orationem illam, quae *Divinatio* inſcribitur.

adultero, vel adultera, enm quoque accuſare, qui domum ſuam praebuerit, vel conſilio fuerit, ut crimen redimeretur. [o]

o *l. 32. nihil. in fin. D. ad leg. Jul. de adult.*

XII.

SI MULIER, &c.

Ordo lege Julia in adulterii accuſatione praeſcriptus [p] hic eſt, ut ſi mulier ante denuntiationem nupſerit, ab adultero neceſſe habeat accuſator incipere, nec alias ad mulierem pervenire poſſit, quam ſi reum peregerit. [q] Et hoc eſt, quod IMP. GORDIANUS ait: [r] *Neque enim ab ea, quae jam nupta eſt, & adulterium paſſa, exordium accuſationis ſumi poteſt, ſi denuntiatio criminis nuptias non praeceſſit.* Competet ergo mulieri ante denuntiationem nuptae, ſi prior poſtuletur, ex lege Julia praeſcriptio. Atque ita interpretari poſſumus, quod ab ULPIANO quodam loco [s] ſcriptum eſt: *Ceterum juſte mulier nupta praeſcriptione utetur.* Sed ea uti plane, anteqnam inter reas recipiatur, debet. Nam ex lege Julia deſcendentes praeſcriptiones ante tractari ſolent, quam inter reos quis recipiatur. [t] Recepti vero inter reos, ASCONIO auctore, [v] tum intelleguntur, cum apud Praetorem legibus interrogati crimen negarunt, accuſatorique a magiſtratu inquirendorum criminum dies datus eſt. Porro nec ſi mulier ei, qui in ſuſpicionem adulterii incidit, nupſiſſe dicatur, ante accuſare poterit, quam adulter fuerit convictus, ne bene concordatum matrimonium turbetur. [x] Qua de cauſa prius in adulterum quaeri, quam in nuptam mulierem, lex voluit, nec niſi illo damnato, hanc inquietari. Cujus legis beneficio ut juvarentur mulieres, ſtatim atque a viris repudiatae adulterii cauſa fuerant, aliis ſe in matrimonium inhibendae accuſationis adulterii cauſa dabant. Hinc illud MARTIALIS: [y]

p *l. 8. C. de adulter.*
q *l. 2. D. de adulter.*
r *l. 14. ſi dum. C. eod. tit.*
s *l. 5. ſervos. in fin. D. de accuſat.*
t *l. 15. ſi maritus. §. 7. praeſcriptiones. D. de adulter.*
v *In Prooem. Act. in Verrem cap. 2. pag. 44.*
x *l. 11. miles. §. 11. licet D. eod.*
y *Lib. 6. Epigramm. 22.*

Quod nubis, Proculina, concubino,
Et moechum modo, nunc facis maritum,
Ne lex Julia te notare poſſit:
Non nubis, Proculina, ſed fateris.

Plerumque vero moechis ſuis nubebant: quae res tamen eas accuſationi non ſubtrahebat, Nam, ut eſt reſcriptum, [z] commiſſum ante adulterium cum eo, cui ſe poſtea nuptiis ſociavit, velamento matrimonii non extinguitur. Quinimmo hoc pro clariſſimo ante commiſſae turpitudinis judicio argumentoque MARTIALIS ſumit: [a]

z *l. 27. C. de adulter.*
a *Lib. 1. Epigramm. 75.*

Moechus erat: poteras tamen hoc tu, Paula, negare.
Ecce vir eſt: num quid, Paula, negare potes?

Ait lex: PEREGERIT. Agere reum, eſt accuſare & poſtulare. OVIDIUS: [b]

b *Lib. 1. Amor. Eleg. 7. v. 22.*

Egit me lachrymis ore ſilente reum.

Peragere, eſt ad exitum accuſationem perducere. TACITUS *Annal. lib.* IV. *cap.* 21. *Ceterorum, quae multa cumulabantur, receptur eſt reus, neque peractus, ob mortem opportunam.* VALERIUS MAXIMUS *lib.* VI. *cap.* 2. *ex.* 4. *Ita eodem judicio duos ſuſtinuit reos, eorumque alterum lege peregit, alterum profeſſione, qua ſolum poterat.* Peregiſſe autem hic alias non videtur, niſi condemnaverit. [c] Nam ſi perlata accuſatione adulter abſolutus ſit, mulier ſecura eſſe jubetur. Ita fit, ut adultero abſoluto mulier per eum vincat: ſed damnata ſit, damnato eo, non tamen mulier agat cauſam ſuam, ut obtinere fortaſſis vel gratia, vel juſtitia vel legis auxilio poſſit. [d] Porro hoc caput DIOCLETIANO & MAXIMIANO diſplicet, qui etiam ab ea, quae ante denuntiationem nupſerit, accuſationem exordiri permittunt. [e]

c *l. 2. D. de adulter.*
d *l. 17. denuntiaſſe. §. pen. D. eod.*
e *l. 28. ita nobis. C. eod. tit.*

XIII.

ADULTERO ABSOLUTO, &c.

Si adulter abſolutus ſit, nupta mulier per eum vincet, nec ultra accuſari poterit, non tantum ab eo, qui adulterum accuſaverit, ſed nec ab alio quidem. Proinde ſi per colluſionem cum adultero conſtiterit, iſque abſolutus fuerit, dabit mulieri nuptae adverſus omnes ſecuritatem. [f] Atque hoc ſingulari jure [g] in hac cauſa ex lege Julia ſervatur. Eam vero demum lex adultero abſoluto tuetur, quae nupta eſt eo tempore, quo adulter eſt accuſatus. Nam ſi cum mulier vidua eſſet, adulter electus ſit, licet tempore abſolutionis nupta inveniatur, tamen accuſari poterit. Sed etſi nupta eſſe deſierit, jure accuſabitur. Neque enim aliam lex tuetur, quam nuptam, quamdiu nupta eſt. [h] Porro quamvis adulter diem ſuum obierit, conſtitutum eſt tamen, nihilominus mulierem ſine ulla praeſcriptione accuſari poſſe. Mariti quoque mors, quominus ab alio mulier adulterii poſtuletur, non impedit [i] Idemque ſervabitur, etſi non mors, ſed poena alia eas perſonas ſubtraxerit.

f *l. 19. §. ult. D. de adulter*
g *l. 3. D. de praevaricator. l. 7 ſi cui crimen. §. 2. D. de accuſation.*
h *l. 19. adulter. infin. D. de adult.*
i *l. 11. miles. §. 8. defuncto. D. de adulter.*

XIV.

SI VIR QUI UXORI.

Ita demum ne ſecum prius, quam cum adultero agatur, nupta mulier jure recuſat, ſi ante denuntiationem nupſerit. Sin autem poſtquam ei maritus, vel extraneus denuntiaſſet, nupſerit, ab ea incipi poteſt. [k] Denuntiaſſe accepimus non tantum ſi ad judicem denuntiaverint, ſed & ſi adulterii ſe acturos extra judicium denuntiaverint. [l] Quod ſi non quidem denuntiaverint, verum libellos accuſatorios dederint, antequam mulier nuberet, eaque cum id cognoviſſet, nupſerit, putat ULPIANUS [m] non videri denuntiatum, & idcirco non poſſe accuſatorem ab ea incipere. Adulterii certe commemorationem quoquo modo feciſſe in denuntiatione ſatis eſt, etſi judex non ſit monſtratus. Ac vel per procuratorem, ant ſervum actorem facta denuntiatio valet. Rata eſt ad domum facta denuntiatio. [n] Nam ad domum utiliter denuntiatur, [o] cum ejus copiam non habemus, quem convenire volumus. Sed ſi ſpecialiter eum, cum quo adulterium mulier fecerit, denuntiatione complexus, velit cam ex alterius perſona accuſare, non audietur. Neque enim crimen, quod denuntiavit, objicit.

k *l. 16. qui uxori. D. de adult.*
l *l. 17. denuntiaſſe. D. eod. tit.*
m *d. l. 17. denuntiaſſe. §. 1.*
n *l. 39. §. 3. nupta. D. eod. tit.*
o *l. 3 § 1. D. de lib. agnoſc. l. 4. §. 6. totiens. D. de damno infect.*

XV.

SI VIDUA.

Aperte hoc lege Julia cautum fuiſſe JULIANUS ſcribit. [p] Itaque quamdiu in viduitate mulier perſeverat, quae adulterium commiſiſſe dicitur, in accuſatoris arbitrio eſt, utrum ab adultero, an ab adultera incipiat. [q] Sic erit electioni locus, poteritque, qui adulterum elegerit, ad mulierem etiam abſoluto adultero redire, quae lege in hoc caſu juvari non poteſt, quando eo tempore, quo adulter electus eſt, nupta non fuerit. Plane in viduae filiae accuſatione pater extraneo praevenienti non praeferetur (*a*). [r] Illud ſciendum eſt, quod a PAULO *libro primo de adulteriis* refertur, [s] ſi ventris nomine mulier in poſſeſſionem miſſa ſit, differendam adulterii accuſationem eſſe, ne praejudicium fiat ei, qui in utero eſt. Propter impuberem certe filium mulier dilationem ab accuſatore non impetrabit. [t] Haec enim quaeſtio ad Carbonianum non pertinet: quando quidem ſtatui infantis nihil praejudicat, cum poſſit & illa adultera eſſe, & impubes defunctum patrem habuiſſe.

p *l. 5. nuptum. D. de adulter.*
q *l. 15. ſi maritus. §. pen. D. de adulter.*
r *l. 22. nec in ea lege. §. 1. D. eod.*
s *l. 8. D. de vent. in poſſ. mitt.*
t *l. 11. miles. §. 9. D. de adulter.*

XVI.

(*a*) PRAEFERETUR] Pleriquc tamen eruditi probant *Jac. Cujacii* emendationem *h. l.* uti jam ſupra monui.

XVI.

QUI DOMUM SUAM PRAEBUERIT.

Praeter ſtupra atque adulteria, etiam quaedam alia crimina lege Julia vindicantur.[v] Veluti ſi domum ſuam praebuerit quis, ut ſtuprum materfamilias pateretur, aut pro comperto ſtupro pretium acceperit, quorum utrumque pro adulterio eadem lex punit. Sed de poſteriore erit ſequenti capite dicendi locus: prius illud nunc explicandum. Sciendum eſt autem, non omnia in univerſum lenocinia lege Julia coërceri: ſed nec ulla alia lege in lenones animadvertebatur (*a*): tantum praetoris edicto eos infamia comitabatur.[x] Primus, quemadmodum exiſtimo, Justinianus lenones eſſe prohibuit: quod & a Procopio *lib. I. de aedific. Juſtin. cap. 9, pag.* 406. (22.) relatum eſt, & Novellis ejuſdem principis conſtitutionibus continetur.[y] Plane eos, qui adulterantes domo excipiunt, lex Julia merito adulterii poenis ſubjacere voluit, quando ſine talium ſuſceptorum opera nec facile admitti adulteria, nec admiſſa latere poſſent. Eodem enim modo & receptatores pari cum delinquentibus poena puniuntur.[z] Ait autem lex: Qui domum quae verba ad utrumque ſexum pertinent. Mulier itaque hoc capite, quod domum ſuam praebuerit, tenebitur.[a] Domus appellatione habitationem quoque ſignificamus,[b] ut in capite tertio plenius expoſuimus. Tenetur autem & qui amici domum praebuit, & qui in agro balineove ſtuprum fieri praebuerit.[c] Sed & ſi in domum aliquam fuerint ſoliti convenire ad tractandum de adulterio, & ſi eo loco nihil admiſſum fuerit, verumtamen videtur is domum, ut ſtuprum fieret, praebuiſſe, quoniam ſine colloquio illo adulterium non committeretur. Mater autem familias ſignificatur non tantum nupta, ſed etiam vidua:[d] quamquam proprie materfam. non poſſit appellari, quae vidua eſt, ut nec ea, quae ſine filiis eſt, quemadmodum Sextus Pomp. Festus *lib.* xi. ſcribit.

v *l.37. auxilium. §. 1. D. de minorib. l. 3. §. 3. ſed etſi. D. de accuſat.*

x *l. 1. & l. 4. §. 2. ait praetor. D. de his, qui not. infam.*

y *Nov.* xiv. *de lenonib. tollend.*

z *l. 1. D. de receptato.*

a *l. 10. materfam. §. 1. D. de adulter.*

b *l. 8. qui domum. inſu. D. eod.*

c *l. 9. & ſi amici. D. eod. tit.*

d *l. 10. mater. D. eod.*

XVII.

QUI PRO COMPERTO STUPRO.

Qui ne deprehenſos in adulterio ſtuprove prodat, pecuniam acceperit, lenocinii crimine lege Julia tenetur. Unde Paulus: *Iſti quidem*, inquit,[e] *& in legem Julian incidunt, qui quid pro comperto ſtupro acceperunt.* Et hoc quoque pro adulterio eadem lege puniri Tryphoninus ſcribit.[f] Nec intereſt, utrum maritus ſit, qui acceperit, an alius quilibet. Quicumque enim ob conſcientiam ſtupri aliquid acceperit, ex hac parte plectitur. Ceterum ſi gratis quis remiſerit, ad legem non pertinet.[g] Eveniebat porro plerumque, ut in adulterio deprehenſi ſe ob vinculorum vel mortis metum redimerent, maritis commodum pecuniae matrimonii vindictae praeferentibus. Quo nomine maritum quendam Ausonius notat; *Epigram.* 90.

Semivir uxorem duxiſti, Zoile, moecham.
O quantus fiet quaeſtus utrinque tibi!
Cum dabit uxori molitor tuus, & tibi adulter,
Quantum (al. *Quanti*) *deprenſi damna pudoris ement!*

Hoc vero lenocinio proximum eſt. Ideoque adulterii poena merito coërcetur. Cui & illi ſubjacent, quorum ope conſilioque factum eſt, ut vir feminave in adulterio deprehenſi, pecunia aliave qua pactione ſe redimerent (*b*).[h] Illud ex mente legis quaeri poteſt, an eadem poena damnentur, qui cum adulteris paciſcuntur, & de his nihil lege Julia aperte cautum eſt. Sed nec hoc capite legis apprehendi eos manifeſte reſcripto Alexandri

e *l. 8. iſti quidem. D. quod met. cauſ.*

f *l.37. auxilium. in fin. D. de minorib.*

g *l. 29. mariti. §. 2. plectitur. D. de adult.*

h *l. 14. is cujus. D. de adult.*

(*a*) Animadvertebatur] Dubitat hac de re *Hoffmannus pag.* 150. *ſeq.*
(*b*) Redimerent] Ex laudata *l.* 14. *D. ad leg. Jul. de adult. Hoffmannus* peculiare legis Juliae caput, xviii. ſcilicet, ut ille numerat, fabricavit, *pag.* 157. Ego dubito: potuit enim hoc eſſe ex interpretatione hujus capitis, quod hic auctor explicat.

DRI ad Demetrianum declaratur, in quo ſeparata eorum cauſa conſtituitur, qui de adulterio uxoris paciſcuntur, & qui pro comperto ſtupro pretium accipiunt. Verba reſcripti ita ſe habent: [i] *De crimine adulterii paſci non licet: & par delictum eſt accuſatoris, praevaricatoris, & refugientis veritatis inquiſitionem. Qui autem pretium pro comperto ſtupro acceperit, poena legis Juliae de adulteriis tenetur.* Paciſci hic, quemadmodum & in Edicto de notatis infamia, [k] accipimus eum, qui cum pretio quantocumque paciſcitur, ſive pecuniam, ſive quid aliud pro pecunia acceperit. Veluti ſi obligatione ſit liberatus, [l] aut aliquid apud eum ex ea cauſa remanſerit. Non enim pretio vel modico accepto accuſationem omittere, licet. Injuriam vero ſuam gratis remittere nemo prohibetur. [m] Nec enim veniae datione interdicitur, ſed ſordidis pactionibus: proinde nec qui precibus exoratus vindictam doloris ſui omiſit, nec qui precibus impetravit, ne ſecum ageretur, illicitam rem feciſſe judicantur, contra quam ſi de crimine aliquo dato turpiter pacti ſint. Hi enim ex Senatuſconſulto poena legis Corneliae de falſis tenentur: Quod de iis quidem, qui ob non inſtituendam accuſationem pecuniam acceperint, expreſſum eſt. [n] Eandem vero reis, qui delatores redemerint, etiam poenam imminere quaſi convictis exiſtimo: & hoc ipſum Senatuſconſultum ab ULPIANO ſignificari, cum ait: [o] *In omnibus cauſis, praeterquam in ſanguine, qui delatorem corruperit, pro convicto ex Senatuſconſulto habetur:* idcirco autem (*praeterquam in ſanguine*) quoniam in his criminibus, quae poena mortis coërcentur, ſanguinis redimendi cauſa qualicumque pactione ſe ab adverſario liberare principalibus conſtitutionibus benigne eſt permiſſum: [p] at in iis, etiamſi ſi publicis judiciis, ex quibus vita in diſcrimen non vocatur, paciſcentes ex Senatuſconſulto falſi rei ſunt. Et hoc eſt, quod a DIOCLETIANO ſcriptum eſt: [q] *In aliis autem publicis crimininibus, quae ſanguinis poenam non ingerunt, tranſigere non licet citra falſi accuſationem.* Inſcite enim faciunt interpretes, qui ea verba ſic accipiunt, quaſi in omnibus publicis judiciis, quibus poena mors non eſt, tranſigere non liceat, excepto falſi crimine. Quorum errorem particulae ipſius, *Citra*, vis ſatis convincit. Nec vero quicquam habent, quo probent de falſo tranſigi licere, cum falſi poena, non mors, ſed deportatio fuerit. Nam VALERIANI & GALLIENI conſtitutio, [r] qua illi utuntur, ſuper inſtrumento, cujus fides in dubium veniebat, non ſuper falſi crimine tranſactionem factam approbat. Et hoc ait, vix eſſe, ut falſum accuſare permittatur id inſtrumentum, cui quis tranſactione acquieverit, licet ſuſpectam fidem ejus tunc temporis haberet. Quod tamen etiam poſtea IMPP. LAO & ANTHEMIUS permiſiſſe videntur. [s] Diocletiani vero ea procul dubio ſententia eſt, ſine metu accuſationis falſi tranſigi de his criminibus non poſſe, quae ultimo ſupplicio non vindicantur. Et ideo militem, qui cum adultero uxoris ſuae pactus ſit, ſacramento ſolvi deportarique debere PAPINIANUS ſcribit: [t] quae utique falſi poena eſt. Illud mihi permirum videtur, quod Diocletiani conſtitutionis [v] initio ſcriptum eſt: *Tranſigere vel paciſci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non eſt.* Nam in numerum capitalium criminum adulterium non venit, cujus poena ex Conſtantini demum conſtitutione, qui longo intervallo Diocletianum ſecutus eſt, capitalis eſſe coepit. Itaque nec dubitavit, qui penitus perſpexerit, quin ea verba Triboniani ſint, non Diocletiani. Plane qui ab inſtituta jam accuſationis executione pacto deſiſtunt, ex Turpilliano plecti eos non dubium eſt. [x] Enimvero in fiſcalibus cauſis, ut pro convictis habeantur, qui delatorem corruperint, [y] nominatim dicitur [z] eſſe conſtitutum. Conſtitutum vero eſt a SEVERO & ANTONINO Imperatoribus, quorum reſcriptum extat. [a] Reliquum eſt, ut quaeramus, an ſuperioribus cauſis dati repetitio competat. Repetitione quidem ejus, quod tranſigendi cauſa datum fuerit, regula juris adverſatur, quae in pari cauſa turpitudinis potiorem eum eſſe definit, qui tenet. [b] Quod ſi turpitudo ex ejus dumtaxat, qui acceperit, parte verſetur, veluti ſi innocens veritus, ne adverſarii potentiae ſuccumberet, quid dederit, repetitionem aditus praeſes dabit: quemadmodum a DIOCLETIANO reſcriptum eſt. [c] Sed etſi turpitudo ſubſit, ſi tamen cauta tantum, non etiam numerata pecunia fuerit, adverſus petentem exceptio competit: aut ſi hoc praetori liqueat, actio denegatur. [d] Secundum haec ſi quis in adulterio deprehenſus redemerit ſe, condictio quidem quaſi ob turpem cauſam dati ceſſat. [e] Utriuſque enim turpitudo verſatur.

Ce-

i *l. 10. de crimine. C. de adult.*
k *l. 1. & l. 6. §. 3. pactus. D. de not. infam. l. 18. non damnatos. C. ex quib. cauſ. infam.*
l *Arg. l. 2. D. de calumn.*
m *l. 29. mariti. §. 2 plectitur. D. de adult.*
n *l. ult. D. de concuſſion.*
o *l. ult. D. de praevaricator. l. 4. D. de jur. fiſc.*
p *l. 1. D. de bon. damnat.*
q *l. 18. tranſigere. C. de tranſaction.*
r *l. 7. Ipſe. C. ad leg. Corn. de falſ.*
s *l. 42. ſi ex falſis. C. de tranſact.*
t *l. 11. miles. D. de adulter.*
v *d. l. 18. tranſigere. C. de tranſact.*
x *l. pen. C. ad Turp. l. 23. ſervi. in fin. C. de adult.*
y *l. 4. D. de jur. fiſc.*
z *l. 29. ejus. D. de jur. fiſc.*
a *l. 34. Imperatores. D. eod. tit.*
b *l. 128. in pari. D. de reg. jur.*
c *l. 23. ſervi. C. de adulter.*
d *l. 9. C. de contrah. ſtip. l. 5. mercalem. C. de condict. ob turp. cauſ.*
e *l. 4. D. de condiction. ob turp. cauſ.*

Ceterum quod datum eſt, tamquam juſto metu extortum reſtitui praetor curat. [f] Nam & geſtum eſt malo more, & praetor non reſpicit, an adulter ſit, qui dedit, ſed hoc ſolum, quod hic accipit, metu mortis illato. Tenetur & hac lege, qui ex adulterio uxoris ſuae quaeſtum fecerit. Nec enim mediocriter delinquit, qui lenocinium in uxore exercet (*a*), & ideo adulterorum poenis ſubjicitur. [g] Quaeſtum autem ex adulterio uxoris ſuae facere intellegitur, qui quid accipit, ut uxor adulteretur meretricio quodam genere: quod ſi patiatur uxorem delinquere, non ob quaeſtum, ſed negligentiam, vel culpam, vel quandam patientiam, vel nimiam credulitatem, extra legem poſitus videtur. [h] Quamquam in lenocinii ſuſpicionem nimia mariti patientia cadat. [i] Hoc autem capite etiam mulier, quae ex adulterio viri quaeſtum fecerit, tenetur. [k]

f l. 7. §. ult. & l. ſeq. D. de eo, quod met. cauſa.
g l. 37. auxilium. in fin. D. de minorib.
h l. 29. §. 4. quaeſtum. D. de adult.
i Ovidius lib. II. Amor. eleg. ult. v. 57.
k l. 33. ſi quis adulterium. in fin. D. de adulter.

XVIII.

DAMNATAM ADULTERII, &c.

Qui adulterii damnatam ſciens uxorem duxerit, lege Julia pro adultero punitur. [l] Quod an ad ſtuprum porrigatur, quaeri poteſt: & magis eſt, ut ſtupri quoque damnata duci non poſſit. Quamobrem qui adulterii ſtuprique damnatas repudiaverint, cum per legem hujuſmodi uxores habere vetarentur, cauſam diſſidii praeſtitiſſe non videbuntur: quinimmo ita jus tractabitur, quaſi culpa mulierum facto divortio. [m] Nec damnatas modo, ſed nec reas quidem factas ante damnationem vivente marito uxores duci poſſe obtinuit. [n] Quod ſic accipiendum eſt, ſi inter reas recepta mulier fuerit. Nam ſi ſe adulterii acturum dumtaxat maritus minatus eſſet, nihil impediret, quominus ei, quem maritus ſuſpectum habuiſſet, mulier recte nuberet. [o] Eodem autem modo & maritus adulterii damnatam reamve factam uxorem reducere prohibetur, [p] narratque SUETONIUS, [q] Domitianum judicum albo equitem Romanum eraſiſſe, ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimiſſae adulterii crimen intenderat. Plane ream adulterii, quam vir jure mariti, vel extranei poſtulaverit, non prohibetur [r] poſt abolitionem uxorem denuo ducere. Abolitione enim cauſa criminis extinguitur, nomenque rei eximitur. [s] Itaque perinde atque ſi delata de adulterio mulier non eſſet, poſt abolitionem jure contractum matrimonium exiſtimatur. Sed & ſine legis Juliae metu revocare uxorem in matrimonium maritus poteſt, [t] ſi nihil amplius, quam libellos accuſationis attulerit. Is enim in legem tantum committit, qui publice de adulterio damnatam, vel inter reas jam receptam reducit. Rea autem ſolius libelli oblatione non fit. Enimvero cum Maevius quidam in adulterio Semproniae damnatus, eandem Semproniam non damnatam duxiſſe uxorem proponeretur, PAPINIANUS tale matrimonium non ſtare reſpondit. [v] Ceterum damnatas duci lex prohibet: in concubinatu vero haberi ſine legis offenſa, & ſine ſtupri crimine poſſunt. [x] Sic & in ea provincia, in qua quis adminiſtrat, uxorem ducere non poteſt, concubinam habere poteſt. [y] Item de damnatis lex loquitur: ſed & in adulterio deprehenſas ab ingenuis duci lex Julia de maritandis ordinibus prohibet. [z] Poſtremo hac lege hi demum tenentur, qui damnatas adulterii ducunt. Ex alia cauſa lege hac condemnatas, puta, quia domum ſtupri faciendi cauſa praebuerint, qui ducunt, lege non plectuntur. [a]

l l. 29. §. 1. D. de adult. l. 9. C. eod. l. 37. auxilium. D. de minorib.
m l. 11. miles. §. ult. D. de adult.
n l. 26. reus. D. de ritu nupt.
o l. 40. quaeſitum. D. de adult.
p l. 9. C. eod. tit.
q In Domitian. cap. 8.
r l. 34. §. 1. D. de ritu nupt.
s l. 12. ſi interveniente. D. ad SC. Turpill.
t l. 17. C. de adulter.
v l. 13. Claudius. D. de his, quae ut indign.
x l. 1. §. 2. qui autem. D. de concubin.
y l. ult. D. de concubin.
z l. 43. palam. §. pen. D. de ritu nupt.
a l. 29. §. 1. quod ait lex. D. de adult.

XIX.

QUI DEPREHENSUM, &c.

Maritum lex Julia coërcet, qui deprehenſam in adulterio uxorem retinuit (*b*), adulterumque dimiſit. [b] Hoc enim lenocinii [c] loco habet, eademque, qua & adulterium, poena perſequitur. [d] Et hoc PAULUS *lib.*

b l. 29. D. de adulter.
c l. 2. C. eod. tit.
d l. 37. auxilium. in fin. D. de minor. l. 3. §. 3. ſed etſi. D. de accuſ.

(*a*) EXERCET] De lenocinio mariti confer *Aegidii Menagii Amoen. Juris Civ. cap.* 10.

(*b*) RETINUIT] Multo magis ergo qui damnatam; quod capiti huic legis addendum eſſe cenſet *Hoffmann. pag.* 154.

lib. ſecundo Sententiarum in haec verba ſcribit: [e] *Eum, qui deprehenſam in adulterio uxorem non ſtatim dimiſit, reum lenocinii poſtulari placuit:* Tantam enim mariti lenitatem, qui uxori matrimonium violanti non iraſcatur, adulterumque in ipſa turpitudine deprehenſum non coërceat, non eſſe ferendam lex exiſtimans, in lenocinii crimine jure optimo ponit: quandoquidem aut lenonem eſſe aut plane ferreum neceſſe eſt, cui ſcienti prudentique ſine dolore tanta injuria infertur. Atque ita Claudium Gorgum clariſſimum virum, cum deprehenſam in adulterio uxorem retinuiſſe detectus eſſet, ſine accuſatore lenocinio damnatum ULPIANUS refert. [f] Nec vero reprehenſione caruiſſe illam tribuni militum patientiam PLINIUS [g] ait, qui poſt delatum adulterum uxorem retinuerat, quaſi contentus aemulum removiſſe. Sed enim lenocinii crimen hi demum contrahunt, qui deprehenſam in adulterio uxorem retinuerunt, non etiam qui ſuſpectam, neque tamen deprehenſam, vel convictam habuerunt. [h] Etenim ne aliqua incredibilitatis excuſatione maritus defendi poſſet, in ipſa turpitudine deprehenſum ab eo eſſe adulterum lex deſiderat, ut ſic excuſare ignorantiam ſuam non poſſit, vel praetextu incredibilitatis patientiam adumbrare. [i] Et hoc quoque a rege Rogerio in Neapolitanis legibus ita conſtituitur. [k] Poteſt autem de Solonis legibus hoc caput translatum videri. Nam illic ita erat: [l] Ἐπειδὰν δὲ ἕλῃ τὸν μοιχὸν, μὴ ἐξέςω τῷ ἑλόντι συνοικεῖν τῇ γυναικί. ἐὰν δὲ συνοικῇ, ἄτιμος ἔςω. *Poſtquam autem adulterum deprehenderit, ei, qui deprehenderit, porro in matrimonio habere mulierem eam ne liceat. Quam ſi retinuerit, ignominioſus eſto.* Enimvero haec lenocinii ex lege Julia deſcendens accuſatio, aeque atque adulterii, publica eſt. [m] Omnino enim lenociniis eadem, quae adulteriis, poena ſtatuitur. [n] Sed ex his demum cauſis, quae nominatim verbis legis comprehenduntur: videlicet, ſi maritus adulterum dimiſerit, uxoremque deprehenſam in adulterio retinuerit, pretiumve ob id acceperit, ut eam adulterari pateretur. Quibus veluti cancellis lenocinii crimen lex circumſcripſit. Hoc meo judicio ULPIANUS ſenſit his verbis. [o] *Lenocinii crimen lege Julia praeſcriptum eſt.* Lege enim definitae ſunt lenociniorum cauſae, extra quas inſtitui contra maritum ex lege accuſatio non poteſt. Itaque ſi quis uxorem ſuam [p] (ponam enim ejuſdem auctoris verba) non ob quaeſtum, ſed neglegentiam, vel culpam, vel quandam patientiam, vel nimiam credulitatem delinquere patiatur, matrimoniumque ſuum contemnat, contaminationique non indignetur, ei poena adulterii non infligitur. Quaeſtionis eſt, an ab accuſato adulterii poſſit marito lenocinii crimen referri. Placuit autem extraneum, poſtquam delatus eſt, lenocinium objicientem non audiri; uxorem audiri, [q] ſi eam maritus ream adulterii faciat, non quidem ut lenocinii allegatione ab accuſatione maritum repellat, crimenve ſuum relevet. Conſtitutionibus enim obſervatur, ut non relatione criminum, ſed innocentia reus purgetur. [r] Lenocinium igitur mariti ipſum onerat, non mulierem excuſat. Unde poterit & is, qui de adulterio cognoſcit, in maritum ob lenocinium ſtatuere, & vel ſine accuſatore, detectum lenocinium vindicare. [s] Hoc amplius & adulterii crimen ab uxore accuſata viro objici poterit, quamquam ei viri accuſandi ex lege poteſtas non ſit. Quod praeter interpretum opinionem perſpicue tamen PAPINIANUS (*a*) demonſtrat, cum ait: [t] *Judex adulterii ante oculos habere debet, & inquirere, an maritus pudice vivens, mulieri quoque bonos mores colendi auctor fuerit. Periniquum enim videtur eſſe, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipſe non exhibeat: quae res poteſt & virum damnare, non rem ob compenſationem mutui criminis inter utroſque communicare.* Hoc vero ex Imperatoris ANTONINI reſcripto ſumptum eſt, cujus particulam Beatus AUGUSTINUS *lib. ſecundo de Adulterinis conjug. ad Pollentium, cap.* 8. ex Codice Gregoriano (*b*) refert in haec verba: *Sane meae litterae nulla ex parte cauſae praejudicabunt. Neque enim ſi penes te culpa fuit, ut matrimonium ſolveretur, & ſecundum legem Juliam uxor tua Euplaſia* (al. *Eupaſia, ſ. Euphraſia*) *nuberet, propter reſcriptum meum adulterii damnata erit: niſi conſtet eſſe commiſſum. Habebunt autem ante oculos inquirere, an cum tu pudice viveres, illi*

quoque

e *Tit.* 26. §. 8.
f *l.* 2. §. 6. *unde. D. de adult.*
g *Lib.* 6. *Epiſt.* 31. *ad Corneliam.*
h *l.* 2. *C. de adulter.*
i *l.* 29. *D. de adulter.*
k *Lib.* 3. *tit.* 76.
l *Demoſt. κατὰ Νεαίρ. pag.* 529.
m *l.* 26. *conſtante. D. de adulter.*
n *l.* 3. §. 3. *ſed & ſi. D. de accuſ.*
o *l.* 2. §. 2. *lenocinii. D. de adulter.*
p *d.* §. 2. *lenocinii.* & *l.* 29. *mariti.* §. 4. *quaeſtum. D. eod. tit.*
q *l.* 2. §. 4. *qui hoc dicit. D. de adulter.*
r *l.* 5. *D. de publ. judic.*
s *l.* 2. § 6 *unde. D. de adulter.*
t *l.* 13. §. 5. *judex. D. eod.*

(*a*) PAPINIANUS] *L.* 13. *D. ad leg. Jul. de adult.* auctor in inſcriptione ULPIANUS vocatur. Caeterum de quaeſtione, quatenus ad mariti mores in accuſatione adulterii reſpiciatur, vide *Hoffmann. pag.* 123. *ſeq.*

(*b*) GREGORIANO] Exſtat inter reliquias hujus Codicis in *juriſpr. antejuſt. pag.* 705.

quoque bonos mores colendi auctor fuiſti. Periniquum enim mihi videtur eſſe, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipſe non exhibet: quae res poteſt & virum damnare, non ob compenſationem mutui criminis rem inter utrumque componere, vel cauſam facti tollere. Quae conſtitutio ſummam aequitatem religionemque habet, maritisque idem, quod LACTANTIUS [v] praeſcribit, exemplo continentiae docendas eſſe uxores, ut ſe caſte gerant. *Iniquum eſt enim, ut id exigas, quod ipſe praeſtare non poſſis.* Nam ut idem auctor alias, poſt QUINCTILIANUM (*a*), [x] ſcribit, uxor ejus, qui circa corrumpendas alienas uxores occupatur, ex eo irritata, aut imitari ſe putat, aut vindicare. Atque hac excuſatione adulterii crimen Clytaemneſtra apud EURIPIDEM deprecatur: (in *Electra*, v. 1036.)

v *Lib.6. Inſt. Divin. cap.* 23.

x *In Declamation.*

> Ὅταν δ' ὑπάρχῃ τῦ δ' ἁμαρτάνῃ πόσις,
> Τ' ἄνδον παρώσας λέκτρα, μιμεῖσθαι θέλει
> Γυνὴ τὸν ἄνδρα, χ' ἅτερον κτᾶσθαι φίλον.
> *Quum autem hoc ſtultitiae vitium mulieri ſubeſt, & maritus peccat,*
> *Domeſticum repellens atque faſtidiens lectum, & imitari vult*
> *Mulier virum, & alterum ſibi quaerere amicum.*

Hinc & SENECA ad *Lucilium:* [y] *Improbus eſt, qui ab uxore pudicitiam exigit, ipſe alienarum corruptor uxorum.* Aequum igitur eſt in adulterii quaeſtione mariti vitam in diſquiſitionem vocari, cujus vitio luxuriaque accenſa uxor, injuriam ſe non tam facere, quam referre exiſtimet. Verumtamen ex eo Antonini reſcripto, non bene meo quidem judicio B. AUGUSTINUS elicit, maritum uxorem de adulterii crimine accuſare non ſini, cui moribus ſuis caſtitatis exemplum non praebuerit. Neque enim lenocinii, vel incontinentiae crimen maritum accuſatione ſubmovet, cum ex hac cauſa compenſatio non admittatur, ut & ipſa reſcripti verba probant. Quamquam contradicere SCAEVOLA [z] videatur, cujus verba haec ſunt: *Cum mulier viri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur. Cur enim improbet maritus mores, quos ipſe aut ante corrupit, aut poſtea probavit? Si tamen ex mente legis ſumit quis, ut nec accuſare poſſit, qui lenocinium uxori praebuerit, audiendus eſt.* In cujus nodi diſſolutione valde Accurſius cum ſuis impeditus eſt, & excogitat inanes quaſdam differentias, quaſi in ſpecie a Scaevola propoſita lenocinium ab eo, qui jam inter reos receptus eſſet, allegetur. Qua de re mirum in tota lege ſilentium. Tum vero de muliere loquitur, quae etiam inter reas recepta, adulterii crimen referre poteſt. [a] Quamobrem ſemper probavi opinionem exiſtimantium, de accuſatione morum, quae inter conjuges ſoluto matrimonio inſtituebatur, [b] Scaevolae reſponſum accipiendum eſſe: cujus judicii hic exitus erat, ut alterutrius culpa divortium factum pronuntiaretur. [c] Plurimum enim ad dotis repetitionem intererat, bonane gratia, an alterius culpa matrimonium diſſolutum eſſet, idque & in rei uxoriae actione in quaeſtionem vocari ſolitum QUINCTILIANUS ipſe prodidit, [d] propterea quod illo caſu ſuum utrique conjugum ſalvum atque imminutum jus manebat. [e] Hoc vero maritus quidem, qui propter graviores ſuos mores diſſidii cauſam praeſtitiſſet, praeſentem atque integram dotem reddere cogebatur, [f] quae alioquin in diem tantum reddi debuiſſet. Mulier autem, cujus culpa divortium fieret, dotis parte multabatur. Morum enim ejus nomine, ut a PAULO [g] & ULPIANO [h] in *Inſtitutionibus* ſcriptum eſt, graviorum ſextam in ſingulos liberos dotis partem maritus retinebat; leviorum autem octavam. Graviores mores adulteria tantum erant, leviores omnes reliqui. Eaeque ſunt retentiones, quas ex dote olim ob mores factas JUSTINIANUS indicat. [i] Ex quo ſequitur jure antiquo mulierem, cujus culpa matrimonium ſolutum eſſet, integrae dotis damnum non ſubiiſſe. Ceterum THEODOSII conſtitutione, [k] quae juri antiquo in hac parte, quantum exiſtimo, derogat, mulier, quae culpas eadem lege definitas, quibus & alias tres praeterea JUSTINIANUS adjunxit, [l] contraxerit, totius dotis, donationisque propter nuptias amiſſione punitur: aut (quod eſt a Juſtiniano additum [m]) ſi ſine dote ducta ſit, quar-

y *Epiſt.* 94.

z *l.* 47. *cum mulier. D. ſoluto matrim.*

a *l.* 2. §. 2. *D. de adulter.*

b *l.* 5. *D. de pact. dotalib.*

c *l.* 39. *viro. D. ſolut. matr.*

d *Lib.* 7. *cap.* 4. *al.* 5.

e *l.* 6. *uxores. in fin. D. de divort.*

f *Cic. in Topic. cap.* 4. *Ulpian. in Inſtit. tit.* VI. *de dotib.* §. 13.

g *Apud Boethium lib.* II. *in Top. Cic. cap.* 4.

h *In Inſtit. tit.* VI. *de dotib.* §. 12.

i *l. un.* §. 5. *taceat. C. de rei ux. action.*

k *l.* 8. *conſenſu. C. de repud.*

l *l. pen. C. de repud. Nov.* XXII. *de nupt.*

m *In d. l. pen. C. de repud.*

(*a*) QUINCTILIANUM] Locus, quem LACTANTIUS *l. c.* adducit, hodie non legitur in Operibus QUINCTILIANI: eſt igitur fortaſſis ex Declamationibus ejus deperditis.

quartae partis bonorum damnum ſuſtinet. Unde fit, ut eos prudentum Imperatorumque, qui Theodoſium praeceſſerunt, locos, quibus culpa mulieris ſoluto matrimonio dotem apud virum remanere definitum eſt, n auſim dicere a Triboniano violatos eſſe, ut cum noviſſimis conſtitutionibus congruerent (*a*). Nam illo caſu certiſſimum eſt jure antiquo dotis tantum partem mulieri periiſſe. Quod etiam, ſi mulier adulterata fuiſſet, ſervabatur: ex ea enim cauſa eas, quas mox diximus, partes, maritus ex dote retinebat, vel judicio de moribus inſtituto auferebat, niſi ſi ipſe quoque maritus impudice vivens exemplo ſuo ad peccandum mulierem induxiſſet, vel eam ob quaeſtum adulterari paſſus eſſet. Tunc enim mores accuſare volens non audiebatur, quos vel jam ante corrupiſſet, vel poſtea probaſſet. Idque ex mente legis ſumi SCAEVOLA ait, quod & PAPINIANUS his verbis ſignificat: o *Viro atque uxore mores invicem accuſantibus, cauſam divortii utrumque dediſſe pronuntiatum eſt. Id ita accipi debet, ut ea lege, quam ambo contempſerunt, neuter vindicetur. Paria enim delicta mutua penſatione diſſolvuntur.* Multum ergo, ut hunc locum concludam, ab adulterii accuſatione morum accuſatio diſtat. Alterum enim publicum, alterum privatum judicium eſt: alterum, ſi a marito inſtituatur, lenocinii allegatione quaſi compenſatione mutui criminis excluditur, alterum non item. De moribus autem actio, accuſatio appellatur: p & ideo nemini mirum videri debet, quod Scaevola accuſandi verbo utitur. Quinetiam heredi olim ea actio non dabatur: q denique & a VALENTINIANO in criminalibus actionibus numeratur (*b*). r Abolita vero, & ſublata eſt a Juſtiniano. s

n *l. 38. D. ſol. matr. l 11. miles. § 3. ſocer. D. de adulter. l. 24. C. de jur. dot.*

o *In l. 39. viro. D. ſol. matr.*

p *In d. l. 39. viro.*

q *l. 15. rei ja dicatae. §. 1. D. ſol. matr. l. 1. de dotibus Cod. Theod. lib. 3. tit. 13.*

r *l. 1. vict. civ. crim. agere poſſ. Cod. Theod. lib. IX. tit 20.*

s *l. pen C. de repud. l. un. §. 5. taceat. D. de rei ux. act.*

XX.

MULIERI ACCUSANDAE, &c.

Sex menſium tempus ad accuſandam mulierem lex conſtituit: t ex quibus duo marito patrique jure privilegiario dantur, intra quos nulli alii accuſandi facultas eſt, v dum illorum voluntas expectatur. Extraneis vero quatuor menſes poſt patrem & maritum dantur, & ipſis utiles, x atque ita ſex menſes complentur. Nam ſexaginta dies, quos marito atque patri lex praeſtituit, duos menſes efficiunt: quamquam ubi lex duorum menſium facit mentionem, etiam qui ſexageſimo & primo die venerit, audiatur. y Horum vero ſex menſium ea fit ſeparatio, z ut in nupta quidem ex die divortii ſex menſes computentur, in vidua ex die commiſſi criminis. Poſt hoc vero tempus qui accuſationem inferunt, praeſcriptione ſummoventur. a

t *l. 29. §. 5. D. de adulter.*

v *l. 14. §. pen. D. de adulter.*

x *l. 4. §. 1. extraneis. D. de adulter.*

y *l. 101. ubi lex. D. de reg jur.*

z *l. 29. §. 5. ſex menſium. D. de adult*

a *l. 1. §. 10. accuſationem. D. ad Turpillian.*

XXI.

ADULTERUM ADULTERAMVE, &c.

Adulterii intra quinquennium, quod continuum numeratur, accuſari etiam defuncta muliere poſſunt, b poſt quinquennium non poſſunt, eaque praeſcriptio illis lege competit. c Hoc vero quinquennium ex die commiſſi criminis computatur, & ipſi quandoque mulieri utile eſt. Nam ſi ex die divortii ſexaginta tantum dies interceſſerint, ex commiſſi vero criminis die quinquennium praeterierit, mulier accuſari non poterit, quoniam continui quin-

b *l. 11. miles. §. 4. adulterii. D. de adulter.*

c *l. 1. §. 10. accuſationem. D. ad Turpill. l. 5. C. de adulter.*

(*a*) CONGRUERENT] Sed licet in legibus laudatis ſimpliciter tantum dotis mentio fiat, non auſim tamen affirmare, id neceſſario de tota dote eſſe intelligendum. Sic etiam quando in antiquis ſcriptoribus de dotis amiſſione ſermo fit, id non ſemper de tota dote accipi debet: potuit enim dos ſimpliciter pro parte dotis dici. Negare tamen nequeo, antiquiſſimis temporibus, ante jus certum hac in parte conſtitutum, mulieres interdum tota dote multatas fuiſſe: pendebat enim eo tempore res ab arbitrio magiſtratuum judicumve. Confer interim *Ant. Schultingii Jurispr. antejuſt. pag. 585. ſeq. Jac. Gothofredi Comm.* ad *L. 1. C. Theod. de dotibus lib.* III. *tit.* 13. *Jo. Gottl. Heinecii Comm. ad L. Jul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 19. *pag.* 326. *ſeqq.* ubi determinatam illam divortii poenam non ſine probabilitate ex lege Papia Poppaea deducit.

(*b*) NUMERATUR] Auctor non intellexit mentem VALENTINIANI, qui in lege laudata actionem de moribus inter civiles potius, quam inter criminales actiones refert. Vide ibi *Jac. Gothofredi Comment.*

quinquennii lapſu crimen ſopitum eſt. [d] Non tantum autem adulterio, ſed & ceteris criminibus, quae pro adulterio lex vindicat, quinquennium praeſtitutum eſt, ut ſive ſtuprum objiciatur, ſive lenocinium, ſive domus praebita arguatur, quinquennium obſervetur. [e] Ceterum qui per vim ſtuprum intulerint, ſine praefinitione temporis accuſari poſſunt, cum raptus crimen legis Juliae de adulteriis poteſtatem excedat, & ad legem Juliam de vi pertineat. [f] Praeſcriptione quoque quinque annorum crimen inceſti adulterio conjunctum non excluditur. [g] Inceſtus enim hac lege non coërcetur. [h] Sed nec ſuppoſiti partus accuſatio quinquennii praeſcriptione repellitur. [i] Relinquitur igitur ſolis adulteriis, & ſtupris ſine vi admiſſis, lenociniiſque, quae lege coërcentur, quinquennii ſpatium computari. Cetera fere omnia crimina, quae lege Julia non apprehenduntur, viginti annorum exceptione excluduntur. [k] Quinquennium autem ex eo die accipiendum eſt, quo quid admiſſum eſſe dicitur, & ad eum diem, quo quis poſtulatur, non ad eum diem, quo judicium de adulteriis exercetur. [l] Et quamquam continuo quinquennium numeretur, ſi tamen propter mulierem, quae prior rea facta fuerit, adulter eodem tempore reus fieri non potuerit, & diu tracta lite quinquennium tranſierit, vel is, qui intra quinquennium accuſationem intulerat, reum non peregerit, vel praevaricatus ſit, & alius eundem repetere velit, computationi quinquennii eximetur id tempus, quod per poſtulationem praecedentem conſumptum eſt. [m] Ex his definire poſſumus praeſcriptiones ex lege Julia deſcendentes. Quarum una quinquennii eſt, [n] altera ſex menſium, qua feminae adulterae accuſatio excluditur. [o] Altera eſt, qua utitur mulier nupta, ut ab adultero prius, quam a ſe incipiatur. Eſt & illa, quae accuſantem ideo repellit, quod minor viginti quinque annis ſit. Quarum omnium praeſcriptionum illud commune eſt, quod ante tractari debent, quam inter reos quis recipiatur. Poſteaquam vero ſemel receptus eſt, amplius objici non poſſunt. [p]

d *l. 29. §. 5. praeterea. D. de adulter.*
e *d. l. 29. §. 6. hoc quinquennium. D. eod.*
f *l. 5. in fin. D. ad leg. Jul. de vi publ. d. l. 29. §. ult. D. de adult.*
g *l. 39. §. 5. praeſcriptione. D. de adulter.*
h *l. 4. in inceſto. D. de quaeſtion.*
i *l. 19. in fin. D. de falſ.*
k *l. 12. querela. C. de falſ.*
l *l. 29. §. 7. quinquennium. D. de adult.*
m *l. 31. quinquennium. D. de adulter.*
n *l. 5. C. de adulter.*
o *l. 1. §. 10. accuſationem. D. ad Turpillian.*
p *l. 15. §. 7. praeſcriptiones. D. de adult.*

XXII.

DE SERVIS ANCILLISVE, &c.

Vetus juris conſtitutio eſt, in caput domini ſervos torqueri, vel de domino ſine quaeſtione interrogari non poſſe. Id quod propter eam, quam dominis praeſtare ſervi debent, reverentiam, aut etiam propter innatum mancipiorum in dominos odium, quorum dicto periculoſum videbatur domini ſalutem committi, more majorum comparatum fuit, quemadmodum Cicero *pro rege Dejotaro cap.* 1. auctor eſt: vel, ut a Cicerone Tacitus [q] diſſentiens ſcribit (*a*), Senatuſconſulto vetere conſtitutum. In cauſa tamen fraudati cenſus, laeſaeque majeſtatis, [r] & adulterii, [s] propter criminum atrocitatem ab hac regula receſſum fuit. Quibus & inceſtus crimen antiquitus annumerabatur. Sic enim Cicero *pro Milone cap.* 22. *De ſervis in dominum nulla quaeſtio eſt, niſi de inceſtu, ut fuit in Clodium.* Idem in *Partitionib. cap.* 35. *De noſtrorum etiam prudentiſſimorum hominum inſtitutis, qui cum de ſervis in dominos quaeri noluiſſent, de inceſtu tamen & conjuratione, quae facta me Conſule eſt, quaerendum putaverunt.* Itaque cum M. Antonius clariſſimus ſui temporis orator inceſti reus ageretur, in eo judicio ſervum ejus in quaeſtionem poſtulatum eſſe legimus. [t] Hinc etiam inceſtus accuſatam Minutiam Veſtalem a pontificibus juſſam in poteſtate familiam habere Livius *lib.* VIII. *cap.* 15. refert: quod in hac cauſa adverſus eam quaeſtio de familia haberi poterat. Verum enimvero poſt legem Juliam, quae in adulterii cauſa ſervorum adverſus dominos quaeſtionem introduxit, factum eſt, neſcio quo modo, ut inceſtus crimen, quod ea lege comprehenſum non erat, ex ea quoque legis ſeveritate evolaret. Unde Ulpianus: [v] *In inceſto, ut* Papinianus *reſpondit, & eſt reſcriptum, ſervorum tormenta ceſſant,*

q *lib. 2. Annal. cap. 30.*
r *l. 1. C. de quaeſt.*
s *l. 37. C. de adult. l. 17. D. de quaeſtion.*
t *Valerius libro 6. cap. 8. ex. 1.*
v *l. 4. in inceſto. D. de quaeſtion.*

(*a*) Scribit] Nullam hoc involvit contradictionem: ſaepe enim una res alibi generatim moribus; alibi legibus vel SCtis adſcribitur. Vid. Ger. *Noodt Probab. lib.* 1. *cap.* 3. De quaeſtionibus vero ſervorum in caput domini confer eundem *lib.* III. *Probabil. cap.* 5. *ſeq. Ant. Schultingii Juriſpr. antejuſt. pag.* 492. *ſeq. & Anton. Borremanſii Var. lect. cap.* 14.

ſant, *quia & lex Julia ceſſat* (*a*). Non aliter igitur hodie in dominorum perſonam in inceſtu ſervi torquentur, quam ſi adulterium inceſtui adjunctum ſit. [x] Sed nec in quaeſtione rapius ſtuprive de ſervis adverſus dominum quaeritur (*b*). [y] Quinetiam Aurelianum (*c*) conſtituiſſe TREBELLIUS POLLIO ſcribit, ut ne in majeſtatis quidem cauſa ſervi in dominorum caput torquerentur. Igitur tum demum ſervorum tormenta locum habent, cum in nuptam adulterium commiſſum eſſe dicitur. Et ita cum Octaviae Neronis uxori fictum adulterii cum ſervo commiſſi crimen objiceretur, actas ob id de ancillis ejus quaeſtiones, & vi tormentorum victas quaſdam, ut falſa annuerent, TACITUS *lib.* XIV. *Annal. cap.* 60. memorat. Torquentur vero primum ſervi ejus, qui quaeve adulterii poſtulatur, ſive proprietatem, ſive nudum fructum habeant. [z] Nam & fructuarii ſervi in ſervitute fuiſſe videntur, nec tam proprietatis cauſa ad quaeſtionem, quam miniſterii pertinet. Ergo & ſi bona fide reo ſervus alienus ſerviat, interrogari eum poſſe per quaeſtionem admittimus. Torquetur & is, cui fideicommiſſaria libertas debetur, [a] quod alias non temere fieri ſolet: & ita demum, ſi aliorum quaeſtionibus oneretur. [b] Itaque etſi dominus a familia occiſus eſſe dicatur, ad ejus, cui fideicommiſſaria libertas relicta eſt, tormenta non eſſe feſtinandum D. Pius reſcripſit. [c] Plane ſtatuliberos quaeſtioni poſtulari poſſe PAULUS *lib.* II. *de Adulteriis* ſcribit. [d] Hi enim, quoad ſtatutae libertatis caſus eveniat, tantiſper heredis ſunt, [e] ac vel venundari ex ſententia legis duodecim Tabularum, [f] ſpe tamen retenta, poſſunt. Divus etiam HADRIANUS Cornelio Latiniano reſcripſit, [g] & de exteris ſervis quaeſtionem haberi. Servi quoque parentum ejus, de quo, vel de qua quaeritur, qui eis in uſum conceſſi fuerint, quaeſtioni ex lege poſtulari poſſunt, [h] ſed juſtorum demum parentum, [i] non naturalium. Nec tantum marito, vel patre, ſed & extraneo accuſante, in caput dominorum ſervi torquentur (*d*). [k] Dat vero lex [l] patronis, ſervos, qui quaeſtioni ſubduntur, interrogandi poteſtatem. Quod ex more antiquo profectum *Budaeus* annotat, quo a patronis cauſarum teſtes palam interrogari ſolebant, ut QUINCTILIANUS indicat. [m] Quaeſtionis vero modum judices arbitrari oportere ULPIANUS *lib.* III. *de adulteriis* ſcribit, [n] atque ita quaeſtionem habere, ut ſervus ſalvus ſit vel innocentiae, vel ſupplicio.

x *l.* 5. *ſi quis viduam. D. de quaeſt.*
y *l.* 17. *extrario.* §. 1. *D. de quaeſt.*
z *l.* 27. *ſi poſtulaverit.* §. 8. *de eo. D. de adulter.*
a *l.* 27. *ſi poſtulaverit.* §. 8. *ſeqq. de eo. D. de adult.*
b *l.* 19. *D. de quaeſt.*
c *l.* 1. §. 5. *ſed in eo. D. ad Silanian.*
d *l.* 8. *in fin. D. de quaeſt.*
e *l.* 9. *D. de ſtatulib.*
f *l.* 25. *D. de ſtatulib.*
g *l.* 27. §. 6. *haberi. D. de adulter.*
h *d. l.* 27. §. 6. *haberi. D. de adult.* & *l.* 12. §. 3. *pater. D. qui & a quib.*
i *l.* 3. *C. de adulter.*
k *l.* 17. *D. de quaeſt.*
l *l.* 27. §. 7. *quaeſtioni. D. de adult.*
m *Lib.* 5. *cap.* 7.
n *l.* 7. *D. de quaeſtion.*

XXIV.

SERVUS DE QUO QUAESTIO, &c.

Jubet lex eos ſervos, qui quaeſtioni ſuppoſiti fuerint, publicari, [o] ne in poteſtatem dominorum revertantur. Ratio autem publicandorum ſervorum ea eſt, ut ſine ullo metu verum dicant, & ne dum timent ſe in reorum poteſtatem regreſſuros, obdurent in quaeſtione. Non tamen ante, quam quaeſtio habita fuerit, publicantur. Sed ſive accuſaverint, ſive negaverint nihilominus publicantur, ne ſpe meriti collocandi in eum, cujus in poteſtatem reverſuri ſunt, in mendacio perſeverent. Ex quo intellegimus, eos dumtaxat ſervos publicari, quorum dominium vel ad reum, vel ad accuſatorem pertineat. Nam alienos ſervos cur publicemus, cauſa nulla eſt. [p] Hanc autem ſervorum publicationem, ut ne majorum inſtituta offenderentur, quibus torquere in caput dominorum ſervi vetantur, remedii loco ab Auguſto inventam (*e*) DION ita ſcribit: [q] Ὅτι δ' οὐκ ἐξὸν δοῦλον κατὰ τοῦ δεσπό-

του

o *l.* 27. §. 11. *jubet. D. de adult.*
p *In d.* §. 11. *jubet. l.* 27. *D. de adult.*
q *Lib.* 55. *pag.* 551.

(*a*) CESSAT] Sed longe aliam hujus legis mentem eſſe, docet *Hoffmannus*, *pag.* 158. *ſeq.*

(*b*) QUAERITUR] Hoc poſt *Jac. Cujacium*, ex AMMIANO praecipue MARCELLINO *lib.* XXVIII. *cap.* 1. *circa finem*, confirmavit *Jac. Gothofredus* in *Comm. ad L.* 4. *C. Th. lib.* IX. *tit.* 7.

(*c*) AURELIANUM] Hoc ego de Aureliano nuſquam legi, cujus praeterea vitae Auctor FLAVIUS VOPISCUS vocatur. Hic vero auctor de Tacito Imp. hoc narrat, in ejus vita, *cap.* 9.

(*d*) TORQUENTUR] Hoc tamen non ex lege Julia eſſe, ſed ex Conſtitutionibus ſequentium Imperatorum, docet *Hoffmann. pag.* 141. *ſeq.* ex *Coll. leg. Moſaic. & Rom. tit.* IV. §. 11.

(*e*) INVENTAM] Hujus tamen publicationis, quae in lege Julia de adulteriis ſtatuitur, aliam eſſe rationem, quam illius, de qua DIO & TACITUS loquuntur, bene monet *Hoffmannus pag.* 143. *ſeq.*

τε βασανισθῆναι, ἐκέλευσεν. ὁσάκις ἂν χρεία τοιαύτη τις γένηται, τῷ δημοσίῳ αὐτὸν ἢ καὶ ἑαυτῷ πιπράσκεσθαι, ὅπως ἀλλότριος τοῦ κελευομένου ὢν ἐξετάζηται. *Quum vero non liceret ſervum contra dominum quaeſtioni ſubjici, hujuſmodi ſervum, ſi uſus poſtularet, vel reipublicae, vel ſibi vendi juſſit, ut a poteſtate rei alienus examiminari poſſet.* Idemque poſtea quotiens adverſus dominos ſervi torquendi erant, uſurpatum CORN. TACITUS indicat. *Et quia*, inquit, [r] *vetere Senatuſconſulto quaeſtio in caput domini prohibebatur, callidus, & novi juris repertor Tiberius, mancipari ſingulos actori publico jubet, ſcilicet ut in Libonem ex ſervis ſalvo Senatuſconſulto quaereretur.* Idem alias: [s] *Servos quoque Syllani, ut tormentis interrogarentur, actor publicus mancipio acceperat.* Quamquam nec hoc poſterioribus temporibus placuiſſe videatur, cum Jureconſulti definiant, [t] ſervum in caput ejus domini, a quo alienatus eſt, cuique aliquando ſervivit, in memoriam prioris domini, interrogari non poſſe (*a*). Illud etiam lege comprehenſum erat, [v] ut abſoluto reo, ſervorum aeſtimatione inita, ſive mortui eſſent, quantae pecuniae fuerant ante quaeſtionem: ſive ſalvi eſſent, quantae pecuniae in his damnum datum fuiſſet, condemnatio fieret. Idcirco caveri de ſervorum damno ei, ad quem ea res pertinebat, uſitatum erat: idemque generaliter obſervatum, quoties alieni ſervi in quaeſtionem poſtulabantur, PAULUS in *lib. Sententiar.* [x] & MODESTINUS [y] tradunt (*b*). Hinc & alias ſervum quaeſtionis habendae cauſa aeſtimatum datum legimus. [z] Atque huc transferendum eſt illud PAPIANI: [a] *Patre, vel marito de adulterio agente, & poſtulantibus de ſervis rei, ut quaeſtio habeatur, ſi vere cauſa perorata, teſtibus prolatis, abſolutio ſecuta fuerit, mancipiorum, quae mortua ſunt, aeſtimatio habetur. Secuta vero damnatione, quae ſuperſunt, publicantur.* Simplum autem, quod ex hoc capite deſcendit, condictione ex lege petetur. [b]

r *Lib.* 1. *Annal. cap.* 30.
s *Lib.* 3. *Annal. cap.* 67.
t *l.* 15. §. 6. *ſervus. D. de quaeſtion.*
v *l.* 27. §. *pen. de adulter.*
x *Lib.* 5. *tit.* 16. §. 3.
y *l.* 13. *certo. D. de quaeſtion.*
z *l.* 5. *D. de praeſc. verb.*
a *l.* 6. *patre. D. de quaeſtion.*
b *l.* 28. *D. de adulter.*

XXVI.

SERVI QUI QUAESTIONI.

Proſpexit legiſlator, ne mancipia quaeſtioni ſubducantur, dum intra ſexageſimum diem, ex die divortii numerandum, eos manumitti prohibet. [c] Manumiſſione enim libertatem adepti jam in aliorum caput torqueri non potuiſſent. [d] Ideo & in ceteris cauſis antiquitus coepta adverſus aliquem cognitione, ſi qua per ſervorum quaeſtionem veritatis eruendae ſpes erat, ab eo qui quaeſtioni praeerat, reo imperari ſolitum ex LIVIO [e] & PAEDIANO [f] colligimus, uti ſervos in poteſtate haberet, ne quis ex his manumiſſione quaeſtioni ſubtraheretur. Prohibet vero in univerſum lex Julia in totum mitti ſervos, qui quaeſtioni poſtulari poſſint. Itaque mulier, quae divertit, omnes omnino ſervos ſuos, etiamſi extra miniſterium ejus ſint, nec eos tantum, quos adulterii tempore in miniſterio habuerit, ſed & quos poſtea comparaverit, alienare manumittereve prohibetur, quia hi quoque quaeſtioni ſubjici poſſunt. [g] Sed hoc poſterius ut durum, a GRATIANO & VALENTIANO emendatur (*c*). [h] Pater vero, cujus in poteſtate filia fuerit, itemque mater, ea tantum mancipia manumittere alienareve prohibentur, quae in miniſterium uſumque filiae ab eis fuerint attributa. [i] Atque hinc exemplum accommodatiſſimum petetur ad illum SCAEVOLAE locum, [k] in quo ita eſt: *Si non lex Aelia Sentia, ſed alia lex, vel Senatuſconſultum, aut etiam conſtitutio, ſervi libertatem impediat, is neceſſarius fieri non poteſt, etiamſi non ſit ſolvendo teſtator.* Quod praeterea etiam ad legem Fabiam referri poteſt,

c *l.* 12. *proſpexit. D. qui & a quib. l.* 3. *C. de adulter.*
d *l.* 1. §. 8. 9. 13. *l.* 12. *ſi quis ne. D. de quaeſtion.*
e *Lib.* 8. *cap.* 15.
f *Paedian. in Argum. Milonian.*
g *d. l.* 12. *proſpexit.* §. 1. *D. qui & a quib.*
h *l.* 32. *in adulterii. C. de adult.*
i *d. l.* 12. *proſpexit.* §. 3. *pater. D. quib. & a quib. & l.* 27. *ſi poſtulaverit.* §. 6. *haberi. D. de adult.*
k *l.* 23. *ſi non lex. D. de hered. inſtit.*

(*a*) POSSE] Adde PAULI *Rec. Sent. lib.* v. *tit.* 16. §. 8. ibique *Interpp.* in *juriſpr. antejuſt. pag.* 493. Ego obiter moneo, in PAULI *Sent. l. c.* legi *dominii*; in *L.* 18. §. 6. *D. de quaeſt.* vero *domini*: quae utraque quidem lectio conſiſtere poteſt: ego tamen priorem poſteriori praefero.

(*b*) TRADUNT] Quando tamen id jam legibus comprehenſum eſt, tunc nulla ſpeciali cautione opus eſt, ut recte monet *Hoffmannus*, *pag.* 145.

(*c*) EMENDATUR] Eſt *L.* 4. *C. Theod. ad leg. Jul. de Adult. lib.* IX. *tit.* 7. ubi conſule *Jacobi Gothofredi Commentarium.* Licet vero lex Julia omnem ſervorum alienationem intra ſtatutum tempus ſine diſtinctione prohibuerit: non puto tamen de omnibus ſervis quaeſtionem habitam fuiſſe, ſed de illis tantum, arbitrio judicis, qui aliquam facti notitiam habere poterant. Et hac ratione forte non inepte ſtatui poteſt, Conſtitutionem hanc Gratiani & Valentiniani magis eſſe benignam legis Juliae interpretationem, quam correctionem.

teſt, qua ſervus, qui plagium admiſerat, pro quo poenam dominis intuliſſet, intra decem annos manumitti prohibebatur. [l] Poteſt & huc referri quod a Marcello ſcriptum eſt, [m] Militem teſtamento ſuo manumittendo nihil efficere in eo, cujus libertas lege Aelia Sentia, vel aliqua impeditur. Illud practermittendum non eſt, ſervum pure manumiſſum, cujus ſtatus propter adulterii quaeſtionem ex hac lege ſuſpenditur, cum ei libertas propter impedimentum juris poſt aditam hereditatem non competat, ex eodem teſtamento neque legata, neque fideicommiſſa pure data ſperare poſſe, [n] cum eorum dies inutiliter cedat, antequam libertas ex teſtamento contigerit. Sed nec utiliter cum libertate ſervus adulterii accuſatus a domina heres inſtituitur, ut conſtitutione Severi & Antonini ſignificatur, cujus verba haec ſunt: [o] *Servum adulterii accuſatum, non jure teſtamento manumiſſum ante ſententiam ab ea muliere videri, quae rea fuerit ejuſdem criminis poſtulata, rationis eſt.* In hoc vero reſcripto Justinianus [p] non *accuſatum*, ſed adulterio *maculatum* legit: quod & probabilius videtur, quandoquidem eodem tempore ſimul mulierem atque ſervum accuſari lex Julia non patiebatur (*a*). Ceterum intra ſexageſimum diem divortii manumittere lex Julia prohibet. Quare ſive divertit mulier, ſive repudio miſſa ſit, manumiſſio impedietur. Sed ſi bona gratia, id eſt, communi utriuſque conſenſu, vel morte mariti, vel aliqua poena matrimonium finitum ſit, manumiſſio vel alienatio non impedietur. [q] Plane ſi conſtante matrimonio mulier, dum divortium cogitat, manumittat, vel alienet, & hoc dilucidis probationibus fuerit approbatum, quaſi in fraudem legis factum ſit, non debet manumiſſio vel alienatio valere. [r] Quinetiam ultra ſexageſimum diem manumiſſio impeditur, ſi diutius cognitio adulterii trahatur, ut intra ſexaginta dies finiri non poſſit: & hoc prudentes, ad legem ſupplevere. [s] Quaeret quis, ſi intra ſexageſimum diem maritus deceſſerit, an pater, mater, mulierve manumittere, vel alienare poſſint? Ulpianus probat, [t] non poſſe. Quamvis enim a marito mulier accuſari non poſſit, poteſt tamen a patre. Enimvero ſi intra ſexageſimum diem teſtamento ſupraſcriptae perſonae libertatem ſervis reliquerint, omnino inutilis libertatis datio non eſt. Quamquam enim ad puram libertatem, legatumque pure ex eo teſtamento conſequendum, non proficiat, tamen pro libertate in diem ſtatuta valet. Erit igitur hujuſmodi ſervus ſtatuliber, [v] & ſpem libertatis poſt ſexageſimum diem adipiſcendae, ſtatu interim extrinſecus ſuſpenſo, [x] ſecum trahet. Porro etiam muliere intra ſexageſimum diem mortua, quamquam crimen extinctum ſit, eadem tamen tempora obſervari Justinianus [y] conſtituit, propter civiles de dotis lucro quaeſtiones: in quibus eum mulieris crimen in judicium vocetur, ut ejus probationem per ſervorum quaeſtionem maritus habeat, ſervari in duos menſes familiam praecipit.

l *l. 12. D. de manum. l. 12. §. 16. D. de capt.*
m *l. 29. ſi a milite. §. 1. D. de milit. teſt.*
n *l. 76. cum filius. §. 4. ſervus. D. de leg. II.*
o *l. 48. §. 2. interdum. D. de hered. inſtit.*
p *In pr. ver. eſt tamen caſus. Inſtit. de hered. inſtit.*
q *l. 14. ſed ſi maritus. §. 1. ſeqq. D. qui & a quib.*
r *d. l. 14. ſed ſi maritus §. pen. D. qui & a quib.*
s *l. 12. proſpexit. §. 6. ſextus. D. qui & a quib.*
t *In d. l. 14. ſed ſi maritus. D. eod.*
v *l. 13. quod ſi. D. qui & a quib.*
x *l. 76. cum filius. §. 4. ſervus. D. de legat. II.*
y *l. ult. C. de adulter.*

XXVII.

ADULTERII DAMNATO.

Damnatam adulterii mulierem lex Julia de adulteriis teſtem produci, vel dicere teſtimonium vetabat. [z] Unde Paulus lib. II. de adulteriis: [a] *Ex eo*, ait, *quod probibet lex Julia de adulteriis teſtimonium dicere condemnatam mulierem, colligitur, etiam mulieres in judicio teſtimonii dicendi jus habere.* Non tantum autem mulierem, ſed & adulterii damnatum quemlibet a teſtimonio dicendo lex Julia repellebat. Itaque ad teſtamentum faciendum adhiberi adulterii damnatus non poterat, nec ſi adhibitus fuiſſet, valebat teſtamentum: adeo ut neque hereditas adiri ex eo, neque bonorum poſſeſſio peti poſſet. Quemadmodum a Papiniano libro ſingulari de adulteriis ſcriptum erat. [b] In adulterii porro cauſa praetorem quoque teſtimonium dare debere Senatus cenſuit. [c] Apud Papinianum *lib. I. de adulteriis* agitabatur, [d] an in hac cauſa teſtimonii dictio eſſet calumniae cauſa publico judicio damnatis. Neque enim Remnia lege, quae de calumniatoribus lata eſt, [e] nec ulla alia lege teſtimonium perhibere vetantur: ſed quod legibus omiſſum

z *l. 20. qui teſtamento. §. 6 mulier. D. de teſtament.*
a *l. 18. ex eo. D. de teſtib.*
b *l. 14. D. de teſtib.*
c *l. 21. §. 1. D. de teſtib.*
d *l. 13. D. de teſtib.*
e *l. 1. §. 1. D. ad Turpill.*

(*a*) Patiebatur] Confer Interpp. *Ant. Mureti Obſerv. juris, cap. 8.* ad loca *Inſt.* & *Pand.* laudata, & *M.*

ſum eſt, non omittetur religione judicantium: ad quorum officium pertinet, ejus quoque teſtimonii fidem, quod integrae frontis homo dixerit, perpendere. Ceterorumque, qui in aliis publicis judiciis teſtes idonei non ſunt, teſtimonium hic non recipietur.

XXVIII.
DIVORTIA SEPTEM CIVIBUS.

Caput hoc duobus locis probatur. Unus eſt ex ULPIANI *lib. quadrageſimo ſeptimo ad Edictum*, in quo ita eſt: [f] *Item Julia de adulteriis, niſi certo modo divortium factum ſit, pro infecto habet.* Alter eſt PAULI ex *libro ſecundo de adulteriis*, in haec verba: [g] *Nullum divortium ratum eſt, niſi ſeptem civibus Romanis puberibus adhibitis, praeter libertum ejus, qui divortium faciet.* Et hoc quoque SUETONIUS in *Auguſto* ſignificat: *Cumque etiam*, ait, [h] *immaturitate ſponſarum, & matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi ſentiret, tempus ſponſas habendi coartavit, divortiis modum impoſuit* (*a*). Ceterum divortia ex duodecim tabulis certis pactiſque verbis fiebant, & certa ſollemnitate (*b*). Verba legitima uſitataque haec fuiſſe CAJUS tradit: [i] RES TUAS TIBI HABETO, RES TUAS TIBI AGITO. CICERO II. *Philipp. cap.* 28. *Mimam exegit: res ſuas ſibi habere juſſit ex duodecim tabulis.* MARTIALIS *lib.* X. *Epigr.* 41.

Menſe novo Jani veterem, Proculeja, maritum
Deſeris, atque jubes res ſibi habere ſuas.

Fuit autem priſcis temporibus tanta matrimoniorum concordia, ut per annos ferme ſexcentos ab Urbe condita nulla repudium ſenſiſſe domus dicatur. Quamquam in annorum numero leviter aliquantulum auctores diſſentiant (*c*). [k] Poſtea ita fuere frequentia divortia, ut a quibuſdam mulieribus non jam conſulum, ſed maritorum numero annos computari SENECA conqueratur. [l] Hinc & illud MARTIALIS: [m]

Julia lex populis ex quo, Fauſtine, relata eſt,
Atque intrare domos juſſa pudicitia,
Aut minus, aut certe non plus triceſima lux eſt.
Et nubit decimo jam Theleſina viro.
Quae nubit toties, non nubit, adultera lege eſt.
Offendor moecha ſimpliciore minus.

TERTULLIANUS in *Apologetico*: [n] *Repudium vero jam & votum eſt, & quaſi matrimonii fructus.* Cui malo ut ſubveniret Auguſtua, certam faciendorum divortiorum formam praeſcripſit, extra quam divortia facta irrita eſſent. Itaque quod CAJUS ſcribit: [o] *Si ex lege repudium miſſum non ſit*, ſic accipiendum eſt, ex lege olim XII. Tabul. hodie Julia. Eodemque modo interpretandum, quod alias [p] legitur: *Si non ſecundum legitimam obſervationem divortium factum ſit, donationes poſt tale divortium factas nullius momenti eſſe, cum non videatur ſolutum matrimonium.* Exigit autem lex ſeptem teſtium numerum (*d*), ut aliquo pudore levitatis, tot inſpectantibus teſtibua, divertentes afficiantur. Nec quoslibet teſtes admittit, ſed cives Romanos demum, eoſque puberes. Impuberes ergo repellit, qui & in teſtamentis omni-

f *l. un. in fin. D. unde vir & uxor.*
g *l.* 9. *nullum. D. de divort.*
h *Cap.* 34.
i *l.* 2. §. 1. *D. de divort.*
k *Gell. lib.* 4. *cap.* 3. *& lib.* 17. *cap.* 21. *& Valer. lib.* 2. *cap.* 1. *ex.* 4. *Tertullian. in Apologet. cap.* 6.
l *Lib.* 3. *de Beneficc. cap.* 16.
m *Lib.* 6. *Epigramm.* 7.
n *Cap.* 6.
o *l. pen. D. de adult.*
p *l.* 35. *ſi non ſecundum. D. de donat. int. vir. & ux.*

(*a*) IMPOSUIT] *Jo. Gottl. Heineccius* in *Comm. ad L. Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 19. *pag.* 326. hunc SUETONII locum unice ad legem ſuam quam illuſtrat, & ad poenas divortii in ea ſtatutas, trahere vult. Ego vero cauſam non video, cur SUETONIUS, qui brevitati ubique ſtudet, non ſimul ad legem hanc Juliam, & ad modum in ea divortiis praeſcriptum, reſpicere potuerit. Caeterum recte vir ille doctus contra *Jac. Gothofredum* defendit, caput hoc de divortiis, & ſequens de fundo dotali, ad legem Juliam de adulteriis, non ad legem Juliam vel Paplam Poppaeam de maritandis ordinibus pertinere. Confer etiam *Hoffmanni Comm. pag.* 113. *ſeq.*

(*b*) SOLLEMNITATE] Erat tamen differentia inter matrimonia legitima ſimplicia, & ea, quae per in manus conventionem erant contracta; priora enim ſolis verbia ſollemnibus olim; poſteriora non niſi aliis adhibitia actibus ſollemnibua diſſolvebantur. Conf. *Jo. Gottl. Heineccii Synt. Antiq. lib.* 1. *App.* §. 44. *ſeqq.*

(*c*) DIASENTIANT] De tempore primorum divortiorum confer quae diſſerunt *Jac. Cujacius Obſerv. lib.* 1. *cap.* 39. *Hieron. Magius Miſcell. lib.* 11. *cap.* 15. *Ever. Otto* in *Praef.* ad *Tom.* IV. *Theſauri Juris. Jo. Guil. Hoffmannus* in *Comm. ad Leg. Jul. de Adult. cap.* 1. §. 15. *pag.* 21. *ſeqq.*

(*d*) NUMERUM] Ad imitationem fortaſſis Coëmptionis & Remancipationis, in nuptiia & divortiis olim uſitatiſſimae. Conf. *Tractat.* meam *de Teſtamentiſ. cap.* 3. §. 11. *pag.* 82. *ſeqq.*

q *Inſtit. de teſtament. in princ.*

nibuſque, quae per aes & libram fiebant, mancipationibus, a teſtimonio arcebantur. q Quod autem ait lex: PRAETER LIBERTUM, id Accurſius male interpretatur, quaſi ultra ſeptem teſtium numerum liberti praeſentia deſideretur: cum ea legis ſententia ſit, ut a ſeptem teſtium numero libertos ejus, qui diverteret, repelli velit, quaſi non idoneos in hac cauſa futuros teſtes (*a*).

XXIX.

DOTALE PRAEDIUM.

r *l. 1 D. de fund. dot.*
s *Tit. 22. ſ. 21. B. §. ult.*
t *l. 2. l. 3 l. 6. l. 12. l. 13. l. 14. D. de fund. dot.*
v *l. 13. D. de fund. dot.*

Legem Juliam, quae *De fundo dotali* vulgo appellatur, r partem fuiſſe legis Juliae de adulteriis, PAULUS *lib. ſecundo ſententiarum* s apertiſſime indicat. *Lege*, ait, *Julia de adulteriis cavetur, ne dotale praedium maritus invita uxore alienet*. Idemque & ex inſcriptionibus legum ſub titulo *de fundo dotali* poſitarum intelligimus: quae fere omnes t ex Jureconſultorum de adulteriis libris tranſcriptae ſunt. Dotale autem praedium, ut ULPIANUS interpretatur, v accipere debemus tam urbanum, quam ruſticum. Ad omne enim aedificium lex Julia pertinet. Sed enim dotale id demum eſt, cujus dominium marito quaeſitum ſit, ut nunc alienatio ejus prohibeatur. Nec intereſt, ipſa mulier dederit, an alius ejus nomine. Cum enim propter uxorem ad maritum fundus perveniat, dotalis eſt. x Sed etſi marito debitori fundi id, quod debebat, doti mulier promiſerit, dotalis fundus efficietur: y ſi modo in mariti dominio is fuerit. Nam ſi alienus ſit, in pendenti erit: & tunc fiet dotalis, cum ad eum pervenerit. z Plane ſi fundum aut decem debenti, id quod debet, doti promiſſum ſit, in arbitrio ejus eſt, quod in dote ſit. Hinc conſequens eſt, ſi ei promittatur, qui Cornelianum, aut Sempronianum fundum debeat, utrum eorum mallet, eum dotalem futurum: & utrum volet, alienaturum, maritum alterum alienare non poſſe. a Si tamen alienatum rurſus redimat, adhuc in ejus poteſtate eſt, an eum, quem retinuiſſet, alienari velit, ita ambulatoria erit legis Juliae poteſtas: quia & ea dotalis obligationis natura fuit. Quod ſi Stichum aut fundum debet, Stichu mortuo, fundus in dotem erit. Sed ſi doti fundus aeſtimatus datus ſit, videamus, an is ad legem Juliam pertineat quaſi dotalis. Et probandum eſt, ita demum in eo fundo legem Juliam locum habere, ſi convenerit, ut electio mulieri ſervetur: quo caſu SEVERI & ANTONINI reſcriptum procedit. b At ſi marito electio data ſit, aut etiam nihil de electione adjectum, contra erit. c Nam cum utroque caſu liceat marito, ſi hoc malit, fundi pretium quaſi venditione facta offerre, ſine mulieris injuria fundus recte alienatur. Fundum plane ſibi legatum, ſi mulier dotis cauſa repudiaverit, vel etiam ſubſtituto viro hereditatem aut legatum omiſerit, dotalis fundus fiet. Dotali quoque ſervo legatus fundus, quoniam mulieri adquiritur, quaſi dotalis lege Julia continetur. Ait lex: PRAEDIUM. Unde apparet, in rebus tantum ſoli legem Juliam locum habere. d Mobiles vero res, vel ſe moventes alienari poſſe. Quamobrem & ſervi dotales manumitti a viro conſtante matrimonio poſſunt, ſi is ſolvendo ſit. e Praedii appellatione etiam pars continetur. f Proinde ſive totum praedium in dotum ſit datum, ſive pars praedii, alienari non poterit. Nam & pars fundi recte fundus appellatur: g eodemque modo, quod Praetor edixit: *Ejus rei, de qua jusjurandum delatum erit*, ſic accipimus, ſive h de tota re, ſive de parte ſit juratum.

x *l. 14. §. 1. D. de fund. dot.*
y *l 9. D. de fund. dot.*
z *l. 14. §. pen. eod.*
a *l. 9. D. de fund. dot.*
b *l. 1. C. de fund. dot.*
c *l. 11. quod ſi fundus. D. eod.*
d *In pr. Inſtitut. quib. alien. lic.*
e *l 21. ſervum dotalem. D. de manumiſſ.*
f *l. 13. § 1. D. de fund. dot.*
g *l. 34. in fin. D. de leg. 1.*
h *l. 7. D. de jurejur.*

Sequitur in lege, ITALICUM. Lex enim Julia ad Italica dumtaxat praedia pertinebat, i id eſt, quae in Italico ſolo (*b*) eſſent. Porrecta vero eſt a Juſtiniano ad provincialia praedia. Ex cujus conſtitutionibus eadem provincialium, quae Italicorum praediorum, cauſa eſt. k Itaque quae in praediis Italicis dumtaxat antea locum habebat uſucapio, etiam in provincialibus ex Juſtiniani con-

i *l un. §. 15. & cum lex. C. de rei ux. act.*
k *§. 40. per traditionem Inſtit. de rer. diviſion.*

(*a*) TESTES] Immo Accurſius hic melius mentem legis percepit, quam auctor noſter, ut jam bene notarunt *Dionyſius Gothofredus* in *not.* ad *L.* 9. *D. de divort.* & *Hoffmannus pag.* 113. Jam dudum enim eruditi ex JUVENALI *Sat.* VI. *v.* 145. obſervarunt, libertum plerumque in divortiis adhibitum fuiſſe ad ſollemnia verba pronuncianda. Quamvis vero dicere nolim, libertum neceſſarium fuiſſe in hoc actu: (quid enim prohibuit, quominus ipſe maritus ſollemnia verba pronuntiaret?) ſi tamen ad hanc ſollemnitatem adhiberetur, tunc mariti perſonam quodammodo repraeſentabat, & hine non poterat ſimul inter teſtes numerari. Nemo enim in actu aliquo ſollemni duplicem ſimul perſonam repraeſentare poteſt.

(*b*) SOLO] Id eſt in tali ſolo, quod jure Italico gauderet, de quo jure nuper late egi in *Select.* meis *Antiqq. Part.* I. *cap.* IV. §. 48. *ſeqq.*

conſtitutione procedit uſucapio, ſublata jam antiqua praediorum mancipi & nec mancipi differentia (*a*). [l] Quod autem de marito hoc capite conſtituitur etiam ad ſponſum produci, [m] &, quod de uxore dicitur, ad ſponſam quoque pertinere [n] placuit. Ait lex: NE ALIENATO. Alienatio dicitur omnis actus, per quem dominium transfertur. [o] Itaque non tantum diſtrahi dotalis fundus, ſed & donari, & legari, & permutari, & in ſolutum dari prohibetur. His enim omnibus modis dominium tranſit. Ac ne, ſi quidem miles dotalem fundum legaverit, legatum propter legem Juliam ratum erit. [p] Nam & quae in militari teſtamento adverſus leges ſcribuntur, nullam vim habent. [q] Alienatum autem proprie non videtur, quod adhuc in dominio noſtro manet; quamquam venditum recte dicatur: [r] ſed tamen alienatione prohibita, eos quoque caſus comprehendi intelligimus, quibus vel a dominio ſeparatum jus in re aliquod transfertur. [s] Quare nec ſervitutes dotali praedio imponere, [t] nec uſumfructum, vel uſum in alium transferre maritus poterit, ſive ſolus, ſive proprietati junctus in dotem uſusfructus datus ſit. [v] Simili modo dicetur nec jus ἐμφυτευτικὸν vel ἐμβατευτικὸν, alienari poſſe, ſi hoc in dotem datum ſit: quamvis jus praedii potius ſit. [x] Hoc amplius, nec ſervitutes praedio dotali debitas maritus remittere, vel non utendo amittere poteſt. [y] Alienare enim & is videtur, [z] qui non utendo amiſit ſervitutem. Cui conſequens eſt, libertatem ſervitutis urbano praedio dotali debitae ex mariti ceſſione patientiave non competituram, ne per hoc deterior condicio praedii fiat. [a] Quamobrem ſi maritus fundum Titii dotali praedio ſervientem acquiſierit, eundemque Titio ſine reſtauratione ſervitutis reddiderit, quia liber in eum tranſiit, confuſa propter mariti adquiſitionem ſervitute, litis aeſtimationem maritus praeſtare debebit, cujus facto ſervitus extincta ſit. Quo caſu ſi is ſolvendo non erit, utilis actio mulieri adverſus Titium ad reſtaurandam ſervitutem dabitur. [b] Hic quaeritur, an dividere ſibi fundum dotalem cum alio communem maritus poſſit: nam diviſio alienationem habet. [c] Et quidem provocatum a ſocio maritum dividere poſſe placet, provocare vero ipſe ad diviſionem non poteſt. [d] Illo enim caſu neceſſaria alienatio eſt, hoc voluntaria. Atque eodem modo minores xxv. annis, quorum res ſine decreto alienari prohibentur, ad communis praedii diviſionem ſine judice provocare non poſſunt, quod alienationis ſpeciem ea provocatio habet. [e] Quod ſi ſocius provocet, ſine decreto diviſio recte fiet. [f] Non enim ſponte eorum fit, ſi qua inde contingit alienatio. Secundum haec ſi fundus communis in dotem datus ſit, & ſocius egerit cum marito communi dividundo, adjudicatuſque fundus ſocio fuerit, alienatio tenebit, & in dotem erit pretii quantitas. [g] Sola autem lege Julia alienatio prohibetur, quae voluntaria eſt, non quae cauſam juris habet neceſſariam. Itaque ſi ob id, quod maritus damni infecti non cavebat, miſſus ſit vicinus in praedii dotalis poſſeſſionem; deinde cum perſeveraret non cavere, juſſus ſit poſſidere, per longum tempus dominus fiet: [h] quia haec alienatio non ex voluntate mariti ſit, ſed ex praetoris auctoritate, cujus officium eſt jubere, ut is, qui in poſſeſſionem miſſus eſt, longo tempore rem capiat. [i] Quo exemplo & pignori capi juſſu magiſtratus, & diſtrahi res minorum poſſunt, & in earum poſſeſſionem damni infecti legatorumve ſervandorum cauſa recte praetor mittit, & ſi non caveri ducetur, etiam poſſidere jubet. [k] Item quaeri poteſt, ſi fundus dotalis a marito petitus ſit, nec reſtituatur, an litis aeſtimatio oblata alienationem pariat. Et magis eſt, ut pariat. Haec enim alienatio non ſponte mariti fit. [l] Qua ratione & creditores, qui pignori fundum, antequam dotalis efficeretur, acceperant, jus ſuum in eo exequi lex non impedit. Et generaliter verum eſt, alienatione prohibita, voluntariam ſolam prohibitam intellegi, non etiam eam, quae ex neceſſitate fit. [m] Idque & in rebus eorum, qui ſub tutela curave ſunt, & in iis, quas teſtator alienari vetat, [n] & in iis, quarum alienationem lex vel conſtitutio prohibet, ſervatur. Alienationis plane appellatione etiam uſucapio continetur, cum vix ſit, ut non alienet, qui patitur uſucapi. [o] Et ideo ad hanc quoque ſpeciem lex Julia pertinet. Proinde ſi a marito emptum, vel alia ex cauſa traditum ſibi fundum dotalem quis acce-

l *l. un. C. de uſucap. transfor. Inſtit. de uſucapion. in princ.*
m *l. 4. D. de fund. dot.*
n *l. 5. C. de bon. quae lib.*
o *l. 1. C. de fund. dot.*
p *l. 16. D. de milit. teſt.*
q *l. 19. §. 1. D. de milit. teſt.*
r *l. 67. alienatum D. de verbor. ſignific.*
s *l. ult. C. de reb. alien.*
t *l. 5. D. de fund. dot.*
v *Arg. l. 3. §. 5. nec uſusfructus. D. de reb. eor.*
x *Arg. d. l. 3. §. 4. ſi jus. D. de reb. eor.*
y *l. 5. D. de fund. dot.*
z *l. 28. alienationis. D. de verbor. ſign.*
a *l. 6. D. de fund. dot.*
b *l. 7. D. de fund. dot.*
c *l. 1. C. comm. utr. jud.*
d *l. ult. C. de fund. dot. l. 18. ex caſt. cauſ. §. 2. D. de caſtr. pecul.*
e *l. & eleganter. in l. fin. l. 12. & ideo. §. 1. D. de condict. furt.*
f *l. 1. D. de reb. eor. l. 17. inter. C. de praediis minor.*
g *l. 78 cum in fundo. §. 4. ſi fundus. D. de jur. dot.*
h *l. 1. D. de fund. dot.*
i *l. 5. praetoris. D. de damn. inf.*
k *l. 3. §. 1. ſed & in poſſeſſionem. D. de reb. eor.*
l *Arg. l. 3. §. 2. ita quaeri. D. de reb. eor.*
m *l. 13. alienationes. D. fam. erciſc.*
n *l. 114. filiusfam. §. 14. divi. D. de leg. 1.*
o *l. 28. alienationis. D. de verb. ſign.*

(*a*) DIFFERENTIA] Differentia inter res mancipi & nec mancipi plane huc non pertinet: neque ea eſt diviſio praediorum, ſed rerum in genere earum, quae in pleno & civili dominio eſſe poterant. Omnia vero hujus naturae & conditionis praedia res mancipi erant, caetera vero praedia ad hanc diviſionem prorſus non pertinebant. Conf. Nobiliſſ. *Gerardi Meerman Diſſ. de Rebus mancipi & nec mancipi*, §. 125.

Digitized by Google

acceperit, tempore dominium non acquiret: ac ne Publiciana qnidem interim utetur, quam Praetor hoc caſu poſtulanti denegat, ne contra leges faciat. [p] Nec multum facit, bona fide poſſeſſor ſit an non. Etenim ubi lex reſiſtit, bona fides poſſidenti nihil prodeſt. [q] Verum enimvero legis Juliae prohibitio uſucapionem qnidem inchoari impedit: non tamen eam poſſeſſionem interpellat, quae per longum tempus ſit, ſi antequam dotalis fundus conſtitueretur, uſucapio coepta fuerit. [r] Sed ſi eum maritus a poſſeſſore petere neglexerit, culpae hujus nomine tenebitur, periculoqne ejus uſucapio implebitur, niſi ſi pauciſſimi dies ad uſucapionem deerant tunc, cum in dotem ei fundus datus eſt: tunc enim nihil erit, quod marito imputetur. [s] Quamquam autem alienari lex Julia dotale praedium vetet, ſi tamen maritus ſundum dotalem vendiderit, & tradiderit, in matrimonioque poſtea decedente muliere tota dos lucro mariti ceſſerit, venditio confirmabitur, [t] nec avelli, fundus poſſeſſori poterit. Nec huic contrarium eſt, quod de libertate objicitur, quae alieno ſervo citra domini conſenſum data non convaleſcit, quamvis poſtea manumiſſor domino heres extiterit. [v] Hoc enim longe diſſimile eſt: quippe cum prior manumiſſio nihil egerit, nova vindictae impoſitione opus eſt, ut libertas competat, quae contingere ex inutili manumiſſione jure civili non poteſt. At illo caſu non aeque ab initio vitioſa venditio eſt, quam lex in ſolam mulieris gratiam irritam facit. Itaque quemadmodum aliena re pignori data pignus confirmari receptum eſt, ſi deinde dominus ejus rei eſſe coeperit, qui dedit, [x] ita & dotalis ſundi venditio confirmatur, ſi morte mulieris dotem maritus, qui vendidit, lucratus ſit. Quod quando accidat, videndum eſt. Accidere autem interpretes tum putant, cum pactum de dote morte mulieris lucranda interceſſit. Mihi veriſimile non ſit, de hoc caſu Jureconſultos ſenſiſſe, cum hoc utique, ſi ita eſſet, praetermitti ab eis ſine ſcelere non potuerit. Exiſtimo ergo in adventicia dote hoc procedere, quam etiam ſine ulla conventione penes maritum, mortua in matrimonio muliere, remanſiſſe conſtat, [y] praeterquam ſi is, qni dederat, ſibi eam reddi ſtipulatus fuiſſet. Atque ita, ut ſemel dicam, omnes Pandectarum locos [z] accipiendos cenſeo, quibus deſuncta in matrimonio mulieri totam dotem mariti lucro cédere ſcriptum eſt. In partem vero dotem tum lucrabatur, [a] cum a patre profecta dos ad eum revertebatur, & liberi ex eo matrimonio ſupererant. [b] Ceterum invita uxore ſundum dotalem alienari lex prohibet. Conſentiente vero ea, vel quod a marito geſtum ſit, ratum habente, alienatio valet.[c] Tranſit & per univerſitatem praedium dotale, eo quo poteſt modo, velnti ad heredem mariti, cum ſua tamen cauſa, ut alienari non poſſit. [d] Sed & uxore herede inſtituta utiliter a marito fundus dotalis legatur, ſi deductis legatis dotis qnantitas in hereditate remaneat. Quod ſi non tota quantitas ex hereditate reſici poſſit, id ex fundo mulier retinebit, quod quantitati dotis deerit. [e] Sed etſi poſt dotale praedium venditum uxori maritus legatum dederit, emptoriſque fidei commiſerit, ut amplius pretium ei reſtituat: accepto legato, mulier praedii venditionem irritam ſacere volens, doli exceptione repelletur. [f] Toties autem fundi in dotem dati alienatio impeditur, quoties mulieri de dote actio competit, aut omnimodo competitura eſt. [g] Quod ſi alii dos reſtituenda ſit, lex Julia ceſſat, quae ſolis mulieribus proſpicit, ut ne indotatae ſummo Reipublicae malo maneant. [h] Enimvero ſi ante revocatam fundi dotalis alienationem mulier deceſſerit, heredi ejus legis auxilium praeſtatur. [i] Ait lex: Neve Consentiente Ea Obligato. Lex Julia alienationes rerum dotalium inhibet, quae invita muliere fiunt: hypothecas vero earum etiam volente ea. [k] Hoc ideo, qnia legiſlator facilius obligaturas mulieres, quam alienaturas cogitavit. Qua tamen ex re non minus incommodi plerumque ad eas, quam ex alienatione pervenit, cum ex pignore ad alienationem res perducatur. Justinianus vero facilitati mulierum ſuccurrens, quae vel ſragilitate ſexus, vel mariti amore ductae, facile rerum ſuarum alienationibus conſenſum accommodant, rerum dotalium alienationes, ne conſentiente quidem muliere ea, valere patitur. [l] Quas tamen pontifices jurejurando interpoſito firmas manere praecipiunt. [m]

Haec habui, qnae de lege Julia de Adulteriis dicerem, cujus multo plura fuiſſe capita non ignoro: de ea certe, quaecumque libris noſtris continentur, ea a me in hunc librum fere omnia conjecta eſſe credo.

F I N I S.

p *l. 12. §. 4. ſi res talis. D. de Publician.*
q *l. 24. ubi lex. D. de uſucap*
r *l. 16. D. de fund. dot. arg. l. 14. D. fam. erciſc.*
s *l. 16. D. de fund. dot.*
t *l. 42. cum vir. D. de uſucap. l. pen. D. de fund. dot.*
v *l. 20. ſi ſervo. D. qui & a quib.*
x *l. 41. rem alienam. D. de pignorat. act.*
y *Ulpian. in Inſtitut. tit. VI. de dotib. §. 5.*
z *l. 5. D. de bon. damnat. l. 16. in eum. cum ll. ſeq. D. de religioſ. l. 10. ſi ab hoſtibus. in fin. D. ſolut. matr. l. ult. D. ut leg. nom. cav. l. 27. D. de jur. fiſc. & l. pen. in fin. D. quod falſo tut. & l. 42. cum vir. D. de uſucap. l. pen. D. de fund. dot.*
a *l. pen. in fin. D. quod falſ. tut.*
b *Ulpian. in tit. de dotib. VI. §. 4.*
c *l. 23. ſi praedium. C. de jur. dot.*
d *l. 1. D. de fund. dot.*
e *l. 13. §. ult. D. de fund. dot.*
f *l. 77. cum pater. §. 5. qui dotale. D de leg. II.*
g *l. 3. D. de fund. dot.*
h *l. 1. D. ſolut. matrim.*
i *l. 13. §. 3. heredi. D. de fund. dot.*
k *l. un. §. 15. & eum lex. C. de rei ux. act. pr. Inſtit. quib. alien. lic.*
l *d. §. 15. & cum lex. l. un. C. de rei ux. act. & pr. Inſtit. quibus alien. lic.*
m *cap. 28. cum contingat. de jurejur. in Decret. Epiſtol. Greg. cap. 2. licet mulieres. eod. tit. in VI.*

BAR-

BARNABAE BRISSONII JC.

E T

CONSILIARII REGII,

COMMENTARIUS

I N

L. Dominico, De ſpectaculis, in C. Theod.
& l. Omnes dies, Cod. De feriis.

EX RECENSIONE

ET CUM

OBSERVATIUNCULIS

ALBERTI DIETERICI TREKELL. JC.

Digitized by Google

VIRO CLARISSIMO
CHRISTOPHORO THUANO
PARISIENSIS CURIAE PRIMICERIO PRAESIDI, SACRIQUE AUDITORII ET CONSISTORII CONSILIARIO
S.

Sera gratulatio, Vir Clariſſime, acquiori longe animo atque ſera conſolatio excipi ſolet. Nam haec quidem, niſi in tempore, & in ipſo moleſtiarum puncto articuloque adhibeatur, doloribus mederi non poteſt: qui cum longitudine temporis conſenuerint, ad eos leniendos comparatam orationem qui tardius adſerunt, aut curato jam vulneri remedia ferentes, ridiculos; aut ulcus commemoratione refricando, moleſtos ſe praebent. Argumento eſt ſcitum Auguſti reſponſum, quo intempeſtivam Ilienſium conſolationem eluſit: vice quoque mutua dolere ſe teſtatus, quod egregium civem Hectorem amiſiſſent. Gratulationis vero, quantumvis tardae, alia cauſa eſt: quae ſi delectationis minus, offenſionis certe nunquam quicquam habet. Quorſum haec, inquies? Nimirum ut ſerius haec ad te perlata gratulatio tarditatis ſuae vitium probabili aliqua excuſationis ſpecie deprecetur. Annus enim jam agitur, ex quo ejus, quae tum recens tibi acceſſerat, dignitatis nomine gratulandi, nec voce modo, ſed & ſcripto aliquo laetitiae meae declarandae, ingens me cupido inceſſit. Atque illud quidem mihi, cum univerſo populo, jure laetandum eſſe videbam, quod ea in te ornamenta collata eſſent, quae virtus tua & induſtria, ingeniique praeſtantia ſuo quaſi jure poſtulabant. Ipſaque adeo fori noſtri ſubſellia idem mecum geſtire videbantur: quae eum ducem nacta eſſent, qui Herculis labores in forenſi noſtra ac togata militia adaequet. Nam quos ille in Augiae ſtabulo perpurgando, & Hydrae ſubinde renaſcentibus capitibus abſcindendis, exantlaſſe labores fertur, eoſdem haud abſimili in genere abs te in litibus, ex omni malitiarum col-

luvione

luvione natis, ſecandis, ac juſto judicio dirimendis, perpetua & infracta animi contentione capi cottidie cernimus. Nec minora, quam quae illum exercuerunt monſtra, tibi depugnanda populare noſtrae Galliae cacoëthes objicit. Erat ergo communis hujus gaudii tibi teſtificandi non mediocris inflammatus ardor. Pungebant & me privati mei gaudii ſenſus, quod ad id honoris faſtigium provectus is eſſet, cujus eximium & ſingulare erga me ſtudium officiis plurimis perſpexiſſem. Itaque cum primum poſitis armis, publice quies, & privatim mihi forenſibus occupationibus feſtorum dierum beneficio otii vel tantillum contigit, ceſſandum non ultra ratus, quicquid & integri & ſolidi, & interciſi ac ſubſecivi temporis corradi potuit, id totum ad hoc opuſculum contexendum, id eſt, ad officii debiti ſignificationem aliquam dandam contuli. Argumentum porro & materiam ſcribendi ex ipſa dierum, in quibus otiari mihi dabatur, ratione ſumpſi: nihil veritus ne me ſacra prophanis miſcere malevoli calumniarentur. Nam ſi divinarum ſibi atque humanarum rerum cognitionem Jurisprudentia, vel ipſa teſte definitione, vendicat, non video cur in alienas poſſeſſiones Jurisconſultus irruere, cum de rebus ſacris verba facit, dicatur. Poſſem ex vetuſta memoria Labeonis Antiſtii, Attei Capitonis, aliorumque conſultorum exempla proferre, qui in divino jure explicando operam aeque, atque in humano poſuere: ut quod illis in fictitia ſua & ementita religione licuit, idem nobis in vera noſtra, propter conjunctam utriuſque juris ſcientiam, citra injuriam denegari poſſe non videatur. Quod nec te improbaturum confido: eoque commentationem hanc noſtram gratiorem tibi futuram ſpero, quod diebus ipſis, quibus elaborata eſt, accommodata, & e re nata, ſuſcepta inſtitutaque fuerit. Plane ſi neque utilitate, nec venuſtate, aut elegantia; at certe auctoris ſtudio, ac propenſa in laudes tuas voluntate, deditiſſimoque tibi animo libellus hic ſe tibi noſter ſatis commendabit. Vale. Pariſiis, Calend. Januar. MDLXIII.

A D

A D

L. V. DOMINICO,

D E

SPECTACULIS,

I N

C. Theod. lib. XV. *tit.* V.

COMMENTARIUS.

Dominico, qui ſeptimanae totius primus eſt dies & Natale, atque Epiphaniorum Chriſti, Paſchae etiam & Quinquageſimae diebus, quamdiu coeleſtis lumen lavacri imitantia novam ſancti baptiſmatis lucem veſtimenta teſtantur, quo tempore & commemoratio apoſtolicae paſſionis, totius Chriſtianitatis magiſtrae, a cunctis jure celebratur, omni Theatrorum atque Circenſium voluptate per univerſas urbes earumdem populis denegata, totae Chriſtianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupentur. Si qui etiam nunc vel Judaei impietatis amentia, vel ſtolidae paganitatis errore atque inſania detinentur, aliud eſſe ſupplicationum noverint tempus, aliud voluptatum. Ac ne quis exiſtimet in honorem Numinis noſtri, veluti majore quadam Imperialis officii neceſſitate compelli, & niſi divina religione contempta, ſpectaculis operam praeſtat, ſubeundam forſitan ſibi noſtrae ſerenitatis offenſam, ſi minus circa nos devotionis oſtenderit, quam ſolebat, nemo ambigat, quod tunc maxime manſuetudini noſtrae ab humano genere deſertur, cum virtutibus Dei omnipotentis ac meritis univerſis obſequium orbis impenditur. Dat. Cal. Feb. Conſtantinop. Theod. XI. & Valentiniano Caeſ. Conſ.

PER-

AD L. DOMINICO, DE SPECTACULIS

in C. Theod.

Perſtringuntur conſtitutione hac praecipui Chriſtiani ritus feſti dies, ſumma ſemper, quantum ab ultima antiquitate repetere licet, obſervantia ac veneratione culti, & anniverſaria ſollemnitate ab univerſis, quacunque ſe Eccleſia diffudit, celebrati: quemadmodum Origenes *lib.* VIII. *contra Celſum*, & B. Augustinus *Epiſt.* CXVIII. (LIV. *cap.* I. *ed. nov.*) *ad Januarium* teſtantur. In his primus *Dominicus dies* occurrit, qui ejuſmodi nomine a primis noſtrae religionis auctoribus donatus eſt, antiquata & abrogata ea appellatione, qua gentiles hunc diem ſignaverant. Conſtat quippe *Solis diem* a paginis vocitatum. Id quod *Tribonianus* ad Valentiniani, Theodosii & Arcadii conſtitutionem quandam addidiſſe videtur, quae in *l.* 7. *omnes dies*, C. *de feriis*, refertur: ut ex ejus legis cum *l.* 2. *eod. tit. in* Cod. *Theodoſiano*, *Lib.* II. *tit.* 8. collatione deprehendetur (*a*). Et hac prophana appellatione hunc diem nuncupant Impp. in *l.* 3. *Omnes judices.* C. *de feriis. l.* I. *eod. tit. in* Cod. *Theod. lib.* II. *tit.* 8. *l.* 2. *de ſpectaculis*, *in eodem* Cod. *lib.* XV. *tit.* 5. Habemus etiam hujuſmodi appellationis teſtem non contemnendum Gregorium Turonensem *lib.* III. *hiſt. Francorum*, *cap.* XIII. apud quem ita eſt: *Ecce dies Solis adeſt. Sic enim barbaries diem Dominicum vocitare conſueta eſt.* Maximus quoque Epiſcopus in *Sermone de Pentecoſte*, qui Ambroſii orationibus interſeritur (*b*), Dominicum diem ab hominibus ſeculi Solis diem appellari ſcribit. Sed ejus nominis piam magis & religioſam, quam veram atque rationi conſentaneam originem reddit. Solis enim diem inde dictum tradit, quod eam ſol juſtitiae Chriſtus illuminet. Certiſſimum quippe eſt, diebus nomina a ſeptem errantibus ſtellis (quas Graeci *planetas* vocant) antiquitus indita fuiſſe. Quod etſi a *Politiano Miſcellan. cap.* 8. jam ante me adnotatum eſt, non erit tamen inutile, neque a propoſito alienum, omiſſis Dionis Cassii ex *lib.* XXXVII. *pag.* 37. *ſeq.* & aliquot paucis ab illo congeſtis teſtimoniis, alios non minus aperte id ipſum teſtificantes veterum auctorum locos proferre. Quorum recenſendorum initium ab Ausonio faciam, cujus hi ſunt in *Eidylliis* (ſive *Eclogar. num.* IV.) verſus:

Nomina, quae ſeptem vertentibus apta diebus
Annus habet, totidem errantes fecere planetae:
Quos indefeſſa volvens vertigine mundus,
Signorum obliqua jubet in ſtatione vagari.
Primum ſupremumque diem radiatus habet ſol.
Proxima fraternae ſuccedit Luna coronae.
Tertius aſſequitur Titania lumina Mavors.
Mercurius quarti ſibi vindicat aſtra diei.
Inluſtrant quintam Jovis aurea ſidera Zonam.
Sexta ſalutiferum ſequitur Venus alma parentem.
Cuncta ſupergrediens Saturni ſeptima lux eſt.
Octavum inſtaurat revolubilis orbita Solem.

Eusebius Emissenus *Homil.* XI. *de Paſcha: Mortifera*, ait, *Idololatriae conſuetudo in tantum homines occoecaverat, ut Solis, Lunae, Martis, atque Mercurii, Jovis, Veneris, Saturni, & diverſis elementorum ac daemonum appellationibus dies vocitarent, & luci tenebrarum nomen imponerent.* Beda quoque in *lib. de ratione temp.* (*c*) *cap.* IV. *Hebdomada ſeptem diebus conſtat, Octavus autem dies idem primus eſt, ad quem reditur, eoque rurſus hebdomada orditur. His nomina a planetis gentilitas indidit, habere ſe credentes a Sole ſpiritum, a Luna corpus, a Marte ſanguinem, a Mercurio ingenium & linguam, a Jove tem-*

(*a*) Deprehendetur] Ad verba enim: *diei ſolis*: Tribonianus addidit: *quos dominicos rite dixere majores.*

(*b*) Interseritur] Et quidem in antiquis *edd. num.* 61. in *Romana* 60. in *Pariſ.* vero *Benedict. ed.* omittitur. Exſtat etiam in *Bibliotheca Patrum.*

(*c*) Temp.] Sive potius in libro *de Temporibus*, qui Epitome eſt libri *de Temporum ratione.* Uterque liber reperitur *Tom.* II. *Opp.* & locus hic exſtat *pag.* 119. in *ed. Colon.* 1612.

Digitized by Google

temperantiam, *a Venere voluptatem*, *a Saturno tarditatem.* Idem in *Hymnis* (*a*).

Ordo planetarum variat ſeriem feriarum:
Quippe dies a Diis placuit vocitare poëtis.
Tertia Martis erat, *Stilphontis quarta manebat.*
Inde Jovi quintam tribuendo vocant Jovianam.
Sexta fuit Veneris, *poſtrema Deûm genitoris.*
Has Diis addebant, *ſeque his conſtare putabant.*
Juvit temperiem Jupiter, *Cyllenius artem*,
Pneumate Sol, *una Mars ſanguine*, *corpore Luna.*
Vel dedit humorem, *Venus ipſa libidinis ignem*

Nec non ISIDORUS HISPALENSIS *lib.* V. *Etymologiarum*, *cap.* XXX. *Dies*, ait, *dicti a diis*, *quorum nomina Romani quibuſdam ſideribus ſacraverunt. Primum enim diem a Sole appellaverunt*, *qui princeps eſt omnium ſiderum*, *ſicut & idem dies caput eſt cunctorum dierum. Secundum a Luna*, *quae Soli & ſplendore & magnitudine proxima eſt*, *& ex eo mutuatur lumen. Tertium a ſtella Martis*, *quae veſper vocatur: Quartum a ſtella Mercurii*, *quam quidam candidum circulum dicunt: Quintum a ſtella Jovis*, *quam Phaëthontem ajunt. Sextum a Veneris ſtella*, *quam Luciferum adſerunt*, *quia inter omnia ſidera plus lucis habet. Septimum a ſtella Saturni*, *quae ſexto coelo locata triginta annis fertur explere curſum ſuum.* Cujus gentilium inſtituti eamdem ille cum Beda rationem reddit. Plane Solis & Saturni dierum JUSTINUS MARTYR *ſecunda* (*b*) *pro Chriſtianis dicta apologia*, *pag.* 98. meminit: Καὶ τῇ, inquit, τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται. Id eſt: *Die*, *qui Solis dicitur*, *omnium*, *qui & in oppidis*, *& qui ruri habitant*, *in unum conventus fit.* Et paulo poſt: *pag.* 99. Τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα, ἐπειδὴ πρώτη ἐστὶν ἡμέρα, ἐν ᾗ ὁ Θεὸς, τὸ σκότος καὶ τὴν ὕλην τρέψας, κόσμον ἐποίησε. Καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη. τῇ γὰρ πρὸ τῆς κρονικῆς ἐσταύρωσαν αὐτὸν, καὶ τῇ μετὰ τὴν κρονικὴν, ἥτις ἐστὶν ἡλίου ἡμέρα, φανεὶς τοῖς Ἀποστόλοις αὐτοῦ καὶ μαθηταῖς ἐδίδαξε ταῦτα. Id eſt: *Solis autem die communes coetus & concurſus facimus: quandoquidem primus hic eſt dies*, *quo Deus caligine diſpulſa orbem condidit. Et Jeſus Chriſtus ſervator noſter eodem die a mortuis excitatus eſt. Nam eo die*, *qui Saturni diem antecedit*, *in crucem eum ſuſtulerunt: Et eo die*, *qui Saturni diem ſequitur*, *qui quidem Solis eſt dies*, *Apoſtolos ſuos & diſcipulos*, *quibus conſpicuum ſe praebuit*, *haec docuit.* Utriuſque pariter diei TERTULLIANUS *Apologetici cap.* XVI. meminit. *Aeque*, inquiens, *ſi diem Solis laetitiae indulgemus*, *alia longe ratione*, *quam religione Solis*, *ſecundo loco ab eis ſumus*, *qui diem Saturni otio & victui decernunt*, *exorbitantes & ipſi a Judaico more*, *quem ignorant.* Sed & CLEMENS ALEXANDRINUS *lib.* VII. *Stromat. cap.* 12. *pag.* 877. dierum Mercurii & Veneris mentionem facit, his verbis: Οἶδεν αὐτὸς καὶ τῆς νηστείας τὰ αἰνίγματα τῶν ἡμερῶν τούτων, τῆς τετράδος καὶ τῆς παρασκευῆς λέγω. Ἐπιφημίζονται γὰρ, ἡ μὲν, Ἑρμοῦ, ἡ δὲ, Ἀφροδίτης. Id eſt: *Novit ipſe quartae & quintae* (*c*) *feriae jejunii abſtruſos intellectus. Appellantur autem*, *illa quidem*, *dies Mercurii*; *haec vero*, *dies Veneris.* Et lunae hebdomadas, pro ſeptimo quoque die lunae, ſunt qui interpretentur apud GELLIUM *lib.* XV. *Noct. Attic. cap.* 2. Sabbatum plane Judaicum *Saturni diem* appellat DIO, non modo *libro triceſimo ſeptimo*, *pag.* 36. *ſeq.* ſed & *lib.* XLIX. *pag.* 405. quo Hieroſolyma a Cajo Soſſio, Syriae & Ciliciae praeſide, capta & expugnata, eo ipſo religioſiſſimo eorum die narrat. Quem eundem caſum poſtea Veſpaſiano expugnatore paſſam eam civitatem XIPHILINUS, qui Dionem in epitomen contraxit, *lib.* LXVI. *pag.* 746. ita ſcribit: Οὕτω μὲν τὰ Ἱεροσόλυμα ἐν αὐτῇ τῇ τοῦ Κρόνου ἡμέρᾳ, ἣν μάλιστα ἔτι καὶ νῦν Ἰουδαῖοι σέβουσιν, ἐξώλετο. Id eſt: *Hieroſolymorum urbem expugnavit ipſo Saturni*, *quem hodieque Judaei religioſe colunt*, *die.* Quamquam Latinos auctores interdum *Sabbati* nomen, in eo die deſignando uſurpaſſe reperio. SENECA *lib.* XV. *epiſt.*, 95. *Accendere aliquem lucernas Sabbatis prohibeamus.* SUETONIUS in *Tiberio*, *cap.* XXXII. *Diogenes Grammaticus diſputare Sabbatis Rhodi ſolitus.* Idem in *Auguſto*, *cap.* 76. *Ne Judaeus quidem*, *mi Tiberi*, *tam diligenter Sabbatis jejunium ſervat*, *quam ego ſervavi hodie.* OVIDIUS *lib.* I. *De remedio amoris v.* 219.

Nec pluvias opta, *nec te peregrina morentur*
Sabbata.

Idem περιφραστικῶς eum diem ſic expreſſit *lib.* I. *de Arte amandi v.* 417.

Quaeque die redeunt rebus minus apta gerendis,
Culta Palaeſtino ſeptima feſta viro.

Ju-

(*a*) HYMNIS] Locus hic legitur inter *Verſus de variis computus regulis*, *pag.* 410. *ed. cit.* ubi *v.* 6. pro *ſeque bis*, legitur: *ſe quis.*

(*b*) SECUNDA] Eſt *prima* in editione recentiſſima *Londinenſi*, *pag.* 97. *ſeq.*

(*c*) QUINTAE] *Sextae* vertere debuiſſet auctor. Vide *Jo. Potteri* notas ad *h. l.*

Juvenalis *Satyra* VI. *v.* 158.

Obſervant ubi feſta mero pede Sabbata reges.

Meminit & Sabbati Justinus *lib.* XXXVI. *Epitomes hiſtor. Trogi Pompeji cap.* 2. Cujus diei etymon (ut hoc obiter & per tranſennam admoneam) Lactantium, ſummum alioquin virum, ignoraſſe mirari ſatis non poſſum. Is enim *lib.* VII. *Inſtit. Divinarum, cap.* XIV. *lingua Hebraeorum hunc diem a numero ſeptenario nomen accepiſſe* ſcribit: cum tamen vel mediocriter eruditis notum ſit, a requie ita appellatum: quod poſt mundum ſex dierum ſpatio conſummatum, ſeptimo die Dominus ab operibus ſuis requieverit. Nam ut Gregorius Nazianzenus in *Oratione de Pentecoſte* (*Orat.* XLIV. *pag.* 706.) ſcriptum reliquit, ἡ τῦ σαββάτυ προσηγορία κατάπαυσιν Ἑβραϊκῶς σημαίνει. *Sabbati nomen quietem Hebraea lingua ſignificat.* Cujus originis locupletiorem Josepho teſtem citare non poſſem, qui *lib.* I. *Antiq. Judaicarum, cap.* I. (*al.* 2.) ita ſcribit: Καὶ τὸν κόσμον ἐν ἓξ ταῖς πάσαις ἡμέραις Μωϋσῆς καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ φησὶ γενέσθαι. τῇ δὲ ἑβδόμῃ ἀναπαύσασθαι, καὶ λαβεῖν ἀπὸ τῶν ἔργων ἐκεχειρίαν. ὅθεν καὶ ἡμεῖς σχολὴν ἀπὸ τῶν πόνων κατὰ ταύτην ἄγομεν τὴν ἡμέραν, προσαγορεύοντες αὐτὴν σάββατα. δηλοῖ δ' ἀνάπαυσιν κατὰ τὴν Ἑβραίων διάλεκτον τὸ ὄνομα. *Et mundum ſex quidem illis diebus, cum omnibus, quae in eo ſunt, Moyſes conditum eſſe dicit: ſeptima autem quieviſſe Deum, & ab operibus ceſſaſſe: unde & nos per illam diem vacamus a laboribus, appellantes eam Sabbatum: quae vox requiem Hebraeorum lingua denotat.* Quod & ante eum a Philone proditum erat in *lib.* περὶ τῶν Χερουβίμ, *de Cherubim, pag.* 122. his verbis: Καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὸ σάββατον, ἑρμηνεύεται δ' ἀνάπαυσις, Θεοῦ φησὶν εἶναι Μωϋσῆς. *Et ideo Sabbatum, quod interpretantur quies, Dei eſſe Moſes dicit.* Licet alias paſſim planioris intelligentiae cauſa Sabbatum ἱερὰν ἑβδόμην vocat. Idque nec inferioris claſſis auctores latuit. Eſt enim a Zonara vera nominis hujus origo tradita, *Tomo primo Annalium, lib.* I. *pag.* 16. ut & a Suida in verbo, σάββατον, & Isidoro *lib. Etymologiarum* VI. *cap.* XVIII. quorum verba referre nihil attinet. Sed ut Lactantii ignorantia excuſatione nulla defendi poteſt, ita Plutarcho, qui propter eum, quem ſibi rerum Judaicarum ignoratione finxerat errorem, ridiculam aliam & abſurdam Sabbati notationem commentus eſt, facilius venia ab aequis judicibus tribuetur. Quis enim, niſi plane iniquus, a gentili & pagano homine exactam ſacrae hiſtoriae cognitionem deſideret? Sic autem de Sabbati etymo ille *lib.* IV. *Sympoſiacor. cap. ult. pag.* 671. ratiocinatur, quaſi ad Bacchi cultum hujus feſtivitatis ratio revocanda ſit. Ait enim: Οἶμαι δὲ καὶ τὴν τῶν σαββάτων ἑορτὴν μὴ παντάπασιν ἀπροσδιόνυσον εἶναι. Σαββάτυς (*a*) γὰρ καὶ νῦν ἔτι πολλοὶ τὺς Βάκχυς καλῦσι, καὶ ταύτην ἀφιᾶσι τὴν φωνὴν ὅταν ὀργιάζωσι τῷ Θεῷ. *Opinor etiam Sabbatorum ferias non plane a Baccho eſſe alienas. Sabbatos* (Sabbos) *enim etiamnunc multi Bacchos appellant, eamque edunt vocem, dum orgia Bacchi celebrant.* At Censorinus Judaicam hujus diei obſervationem myſticae ſeptenarii numeri obſervationi tribuiſſe videtur *lib. De die natali, cap.* XII. cum ita ſcribit: *Alter autem ille partus, qui major eſt, majore numero continetur: ſeptenario ſcilicet, quo vota humana finitur, & ut Solon ſcribit, & Judaei in dierum omnium numeris ſequuntur: & Hetruſcorum rituales libri videntur indicare.* Prophani porro ſcriptores fabuloſa multa & a veritate aliena de Judaici populi origine, vita, moribus, religioneque excogitarunt. Quale eſt, quod ab Ida monte, extenſo Barbarorum more vocabulo, Judaeos dictos Cornelius Tacitus *lib.* XVI. (*b*) *Hiſtoriae Auguſtae* ſcribit: quem tamen librum (ut hoc ſtrictim attingam) pro quinto ejus auctoris libro citat Tertullianus *cap.* XVI. *Apologet.* Unde colligi poteſt aliter apud antiquos ejus auctoris libros diſpoſitos ac digeſtos fuiſſe, quam ut nunc leguntur, aut certe μνημονικῷ ἁμαρτήματι, quo nonnunquam peritiſſimi quique lapſi ſunt, Tertullianum in numero librorum falſum. Extitiſſe etiam quoſdam, qui *Hieroſolymorum* urbem ἀπὸ τῦ ἱερῦ συλᾶν, nomen inveniſſe crederent, Josephus *lib.* I. *de Antiq. Judaic. adverſus Appionem* (*circa fin.*) auctor eſt, ubi & multa a fide hiſtoriae abhorrentia de Judaeis eſſe Graecorum commentis prodita docet: quorum totam hiſtoriam valde Romanis incognitam fuiſſe, facile intelliget, qui cum Moſis libris Justini *librum* XXXVI. Strabonis *lib.* XVI. *pag.* 1103. *ſeqq.* (760. *ſeqq.*) & Dion. *lib.* XXXVII. *pag.* 36. *ſeq.* contulerit. De Judaeis plane & eorum Sabbato operae pretium fuerit Rutilii Claudii verſus ex *Itinerarii lib.* I. ſubjungere, ex quibus, quid ille de eorum religione ſenſerit, liquido patet: (*v.* 383.)

Namque loci curam querulus Judaeus agebat,
Humanis animal diſſociale cibis.
Vexatos frutices, pulſatas imputat algas,
Damnaque libatae grandia clamat aquae.
Reddimus obſcoenae convicia debita genti,
Quae genitale caput propudioſa metit.

Ra-

(*a*) Σαββάτυς] In editione *Francof.* 1620. legitur: Σάββυς. Utraque lectio non eſt reprehendenda, ut perſpici poteſt ex Suida *voc.* Σαβάζιος & Σάβος.

(*b*) Lib XVI.] Immo locus legitur *lib.* V. *Hiſtor. cap.* 2. ut hodie libri Taciti diſtincti ſunt: quae diſtinguendi ratio cum ea, quae Tertulliani aevo obtinuit, exacte convenit.

Radix ſtultitiae, cui frigida ſabbata cordi:
Sed cor frigidius religione ſua eſt.
Septima quaeque dies turpi damnata veterno,
Tanquam laſſati mollis imago dei.
Cetera mendacis deliramenta cataſtae,
Nec pueros omnes credere poſſe reor.
Atque utinam numquam Judaea ſubacta fuiſſet
Pompeji bellis, imperioque Titi.
Latius exciſae peſtis contagia ſerpunt,
Victoreſque ſuos natio victa premit.

Verum ille auctor non Judaicae modo religioni, ſed & cultui noſtro infeſtus fuiſſe videtur. In monachorum enim ſeceſſum, & paupertatis ſpontaneum ſtudium ita ludit eodem libro: *v.* 439.

Proceſſu pelagi jam ſe Capraria tollit,
Squalet lucifugis inſula plena viris.
Ipſi ſe monachos Grajo cognomine dicunt,
Quod ſoli nullo vivere teſte volunt.
Munera fortunae metuunt, dum damna verentur:
Quiſquam ſponte miſer, ne miſer eſſe queat.
Quaenam perverſi rabies tam ſtulta cerebri,
Dum mala formides, nec bona poſſe pati?
Sive ſuas repetunt ex fato ergaſtula poenas,
Triſtia ſeu nigro viſcera felle tument.
Sic nimiae bilis morbum aſſignavit Homerus
Bellerophontaeis ſollicitudinibus.
Nam juveni offenſa ſaevi poſt tela doloris,
Dicitur humanum diſplicuiſſe genus.

Sed ad propoſitum tandem aliquando redeamus. Dierum ſupra relatas, gentiliumque communi ſermone uſurpatas appellationes, Chriſtianae fidei adſertores abolere, earumque loco alias religioni noſtrae magis convenientes ſubſtituere conati ſunt. Solis certe diem *dominicum* vocarunt: Cujus appellationis origo ſi a capite arceſſenda ſit, quos potius quam Apoſtolos ipſos auctores laudare debeam, non video. Etenim *Apocalyp. cap.* I. *v.* 10. haec verba leguntur: Ἐγενόμην ἐν πνεύματι ἐν κυριακῇ ἡμέρᾳ. *Eram (a) in ſpiritu in Dominica die.* Reliquos vero dies *feriarum* nomine nuncuparunt, diſcretis ac diſtinctis pro numeri ordine earum appellationibus. Unde BEDA in *Hymnis:*

Noſtro more dies feriae ſunt nomen habentes (b).

Et poſt (*c*):

Sed primam, quartam feriam ſextamque vocantes,
Sabbati ab antiqua mutuamus lege vocamen:
Mercurii Veneriſque dies hos priſca vocabat
Aetas: falſorum venerans portenta deorum,
Saturnique, patrem quem credidit eſſe Deorum.

Harum vero appellationum Silveſtrum Pontificem auctorem Beda ciet. Quod ut in dubium vocare omnino non auſim, ita compertum habeo, τοῦ τετράδος, πέμπτης, καὶ ἕκτης, καὶ παρασκευῆς nominibus, in hebdomadae diebus exprimendis uſos eos, qui Silveſtrum longo intervallo anteceſſerunt. Sic IGNATIUS, Antiochenae Eccleſiae tertius poſt Petrum Epiſcopus, in *Epiſtola ad Philipp.* quartam feriam τετράδα, ſextam autem παρασκευὴν nominat. Auctor (*d*) etiam *lib. Reſponſionum ad orthodoxos* ἐρωτήσει ξέ· *quaeſtione* LXV. Ἀπόδειξις, inquit, οὐ μὴ τῇ τετράδι, ἀλλὰ τῇ πέμπτῃ παραδεδόσθαι τὸν Χριστόν. *Demonſtratio, non quarto, ſed quinto die proditum eſſe Chriſtum.* Et CLEMENS ALEXANDRINUS, quem conſtat Severi, & Antonini filii ejus temporibus floruiſſe, quem vulgo diem Mercurii, τετράδα; quem Veneris, ἡμέραν παρασκευῆς *lib.* VII. *Stromat. cap.* 12. *pag.* 877. vocat. *Paraſceves* quoque vocabulo in die Veneris ſignificanda uſus eſt TERTULLIANUS *lib.* 4. *adverſus Marcionem, cap.* 12. Permanſiſſe vero & ad poſteros eorum eaſdem appellationes manaſſe nunc oſtendam. SOCRATES namque *lib. hiſt. Eccleſiaſt.* VII. *cap.* XXII. de Theodoſio juniore: Καρτερὸς δὲ οὕτως ἦν, ὡς καὶ κρύος καὶ καῦμα γενναίως ὑπομένειν· νηστεύειν τε τὰ πολλά, καὶ μάλιστα τὰς καλουμένας τετράδας, καὶ τὰς παρασκευὰς ἡμέρας. *Fortitudo vero & tolerantia tanta in eo fuit, ut algorem pariter & aeſtum generoſo animo ſuſtineret; jejunaret etiam frequentiſſime, ac praeſertim quarta & ſexta feria.* Quam poſtremam clauſulam CASSIODORUS *lib.* XI. *hiſt. tripartitae, cap.* XVII. ita reddidit: *Plerumque jejunabat, & maxime quarta feria & ſexta, ſtudio Chriſtianitatis.* Idem SOCRATES *lib.* V. *cap.* XXII. Αὖθις δὲ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῇ τετράδι, καὶ τῇ λεγομένῃ παρασκευῇ γρα-

(*a*) ERAM] Id eſt: *raptus eram in ecſtaſin*, ut bene explicat *Andr. Oſiander* in ſuo *Bibl. Sacr. Lat.* editione.

(*b*) HABENTES] Verſus hic legitur ſtatim poſt illos, quos ſupra Auctor recitavit.

(*c*) POST] Hi, qui ſequuntur, in *ed. Opp. Colon.* 1612. leguntur inter *verſus de celebritate quatuor temporum, pag.* 404. Ego tamen, ut ſenſus melior conſtet, duos verſus antecedentes adſcribam & primum verſum, uti in *ed. cit.* impreſſus eſt:

Quartus enim ſextusque dies ac ſeptimus iſtis
Nonnulla ratione ſacris reputatur agendis:
Sed primos quarta feriam ſextamque vocantes.

(*d*) AUCTOR] Qui vulgo quidem JUSTINUS MARTYR perhibetur; ſub cujus nomine plerumque etiam laudatur ab auctore noſtro: ipſe tamen infra adgnoſcit, Scriptorem hujus Operis omnino eſſe juniorem. Vide *Rob. Coci Cenſuram, pag.* 118. *ed. Helmſt.* alioſque, qui de *Scriptt. Eccleſ.* commentati ſunt.

γράφαι τε ἀναγινώσκονται, καὶ οἱ διδάσκαλοι ταῦτα ἑρμηνεύουσι. *Praeterea Alexandriae quarta feria, & ea, quae dicitur paraſceve, leguntur, ſacrae ſcripturae, eaſque doctores interpretantur.* Et qui vulgo *dies Jovis*, ἡμέρα πέμπτη ab eodem appellatur *lib.* VII. *cap.* XL. Παρασκευῆς quoque, & μιᾶς τοῦ σαββάτου vocabula uſurpavit SOZOMENUS (*a*) *lib.* VII. *hiſtor. Eccleſ. cap.* XIX. Beatus vero AUGUSTINUS Jovis diem *quintam ſabbati* appellat *Epiſtola* CXVIII. (LIV. *cap.* 4. *ed. nov.*) *ad Januarium.* quo modo & B. HIERONYMUS diem vulgo *Martis* dictam, *tertiam Sabbati* nominat, in *Epitaphio Paulae matris* (*b*) ad finem. Eademque loquendi figura EUSEBIUS *lib.* VIII. *hiſtor. Eccleſiaſticae* (*c*) ſecundum quorundam editionem ἡμέραν τετράδα τοῦ σαββάτου dicit. *Sabbati* plane nomen ex Judaeorum lingua retentum eſt, Saturnoque deſiit dies hic adſcribi, & ita cum AMBROSIO *lib.* IIII. *de ſacramentis*, *cap. ult.* reliquos omnes loqui invenias. Verum ut ad Dominicum diem redeamus, qui nobis totius diverticuli anſam praebuit, non dubium eſt, quin is peculiari hac *Dominici diei* nota inde ſignatus ſit, quod in eo Dominus noſter Jeſus Chriſtus a mortuis excitatus ſit. Quapropter IGNATIUS, ad hujus diei cultum Magneſianos excitans, eo illum ornat elogio, ut ſubjiciendum id mihi videatur; ſed Latinis potius ex vulgari tranſlatione, in qua quid reprehendam non habeo, ſumptis, quam Graecis verbis, quo lectoribus peraeque omnibus conſulatur. *Dominicum*, ait, *diem omnis Chriſti amans feſtum celebret, diem reſurrectionis, Regalem omnium dierum ſupremum, quem exſpectans propheta, dicebat: In finem pro octava in quo & vita noſtra exorta eſt, & mortis in Chriſto victoria facta.* Eum quoque diem ἁγίαν ἡμέραν vocat DIONYSIUS, Corinthi Epiſcopus, apud *Euſebium lib.* IV. *hiſtoriae Eccleſiaſticae*, *cap.* XXIII. Plane JUSTINUS MARTYR cultus, qui huic diei impenditur, duplicem rationem reddit, ad finem *Apologiae* pro Chriſtianis *ſecundae*, *pag.* 99. quod nimirum eo die, tenebris diſcuſſis, lux in orbem recens conditum diffuſa ſit: & quod eodem Chriſtus reſurrexerit. Ebionaeos etiam, licet Judaicae legi in pleriſque adhaerentes, Chriſtianis tamen conſenſiſſe in Dominicorum dierum obſervantia, EUSEBIUS *lib.* III. *hiſtoriae Eccleſiaſticae*, *cap.* XXVII. ſcribit, εἰς μνήμην (ut ille loquitur) τῆς σωτηρίου (*d*) ἀναστάσεως. *in memoriam reſurrectionis ſervatoris.* Beatus quoque AUGUSTINUS in *Epiſt.* CXIX. (LV. *cap.* 13. *ed. nov.*) *ad Januarium*, & in *lib.* II. *de peccato originali contra Pelagium & Caeleſt. cap.* 31. *diem in hebdomadarum recurſibus octavum reſurrectione Domini declaratum eſſe, & ex illo coepiſſe habere feſtivitatem ſuam* tradit. Nec non MAXIMUS Epiſcopus *ſermone de Pentecoſte*, qui inter Ambroſianos Sermones eſt ſexageſimus primus (*e*). *Dominica*, ait, *nobis ideo venerabilis & ſollemnis eſt, quia in ea Salvator, velut ſol oriens, diſcuſſis infernorum tenebris, luce reſurrectionis emicuit.* Eadem ISIDORUS *lib.* VI. *Etymolog. cap.* XVIII. & *lib.* I. *de Eccleſ. offic. cap.* XXIV. AUGUSTINI ex *Epiſt. ad Januarium* a me jam prolatis verbis tradit. In fidem vero & indicium reſurrectionis Dominicae ſtantes, atque erecto ad coelum vultu, non pronos, & in genua procidentes, eo die majores noſtros oraſſe mihi compertum eſt. Docet hoc, eaque, quam dixit, ratione inſtitutum tradit JUSTINUS MARTYR in libro *Reſponſionum ad Orthodoxos cap.* CXV. Atque adeo nefas habitum, *eo die de geniculis adorare*, TERTULLIANUS in *lib. De corona militis cap.* 3. prodidit. Idem ſuis temporibus obſervatum B. HIERONYMUS *adverſus Luciferianos*, *pag.* 294. *Tom.* IV. *Part.* II. & B. AUGUSTINUS *Epiſt. centeſima decima nona* (CLV. *cap.* 15. *ed. nov.*) *ad Januarium*, & ISIDORUS *lib.* I. *de Eccleſiaſticis Officiis*, *capite trigeſimo tertio* conteſtantur. MAXIMUS quoque, Taurinenſis (ni fallor) Epiſcopus, in eo ſermone *de Pentecoſte*, ex quo jam ante teſtimonium protuli, Dominicis diebus non ad exorandum Deum genibus ſuccidiſſe Chriſtianos, ſed erectos & feriatos reſurrectionem Domini celebraſſe, diſerte ſcribit. Nec non RABANUS MAURUS, qui abhinc octingentis annis vixit, *lib.* II. *De inſtit. cleric. cap.* 42. *Unde etiam*, ait, *in Dominico die ſtantes oramus, quod eſt ſignum futurae Reſurrectionis.* In urbem ſane eo die ex agris frequentem populum Juſtini temporibus precum cauſa conveniſſe, & ab omni opere quieviſſe, ex ejus Apologeticis orationibus patet. Ac eo quoque die jejunium vel ab ipſis naſcentis Eccleſiae exordiis inhibitum, utpote triſtitiam omnem laeti ejus diei feſtivitate reſpuente, quemadmodum TERTULLIANUS in *lib. De corona militis cap.* 3. tradit. Quare & ſexageſimo quarto (*al.* quinto)

(*a*) SOZOMENUS] Sed hic loco laudato per ἡμέραν παρασκευῆς intelligit diem ante feſtum Paſchatos: per μιᾶν σαββάτου vero diem dominicam intelligit.

(*b*) MATRIS] Reperitur inter ejus *Epiſtoll.* in veteribus *edd. num.* XXVII. In *nov. ed. Bened. num.* LXXXVI. *pag.* 669. *Tom.* IV. *Part.* II. locus exſtat *pag.* 689.

(*c*) ECCLESIASTICAE] Sive potius in Libello *de Martyribus Palaeſtinae*, *cap.* 1. qui ad calcem *lib.* VIII. *Hiſt. Eccleſ.* reperitur.

(*d*) Σωτηρίου] Pro τῆς σωτηρίου in *ed. Valeſii* legitur: τοῦ κυρίου

(*e*) PRIMUS] In veteribus ſcilicet *edd.* In *Romana* vero *ed.* eſt 60. in noviſſima *Bened. ed.* eſt omiſſus. Legitur etiam in *Biblioth. Patrum.*

to) capite *Canonum*, qui *Apoſtolici* vocantur, clericis ſub depoſitionis poena Dominico die jejunare interdicitur. Itaque cum inſtituta ab Eccleſia jejunia Euſtathius Sebaſtenſis epiſcopus reprobaret, novaque induceret, Gangrenſi Concilio dogma in hanc ſententiam proditum eſt: *Si quis tanquam hoc continentiae convenire indicans, aut in ejus diei contemptum, die Dominico jejunaverit, anathema eſto.* Quod decretum ex ejus Concilii capite XVIII. GRATIANUS tranſcripſit in *Canone* 8. *Si quis tanquam, diſtinct.* XXX. Manichaeos etiam ob iſtius diei jejunia jure damnatos pronunciat AMBROSIUS *Epiſt. lib.* X. *Epiſtol.* LXXXIII. (*a*) Jam ut ad politicas ſanctiones deſcendamus, exſtant de cultu huic diei impendendo duae conſtitutiones: Ambae CONSTANTINI ad Helpidium, eodem quidem anno, nimirum Criſpo II. & Conſtantino (*b*) Coſſ. propoſitae. Ceterum diverſis menſibus. Prior Nonis Martii, poſterior v. Non. Julii. Illa quidem relata eſt in *l.* 3. *Omnes C. de feriis* in haec verba: *Omnes Judices, urbanaeque plebes, & cunctarum artium officia, venerabili die Solis quieſcant. Ruri tamen poſiti agrorum culturae libere licenterque inſerviant; quoniam frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta ſulcis, aut vineae ſcrobibus mandentur: ne occaſione momenti pereat commoditas coeleſti proviſione conceſſa.* Poſterior vero ejus Imperatoris conſtitutio habetur in *l.* 1. *de feriis*, in *Cod. Theod. lib.* II. *tit.* 8. his verbis: *Sicut indigniſſimum videbatur, diem Solis, venerationis ſuae celebrem, altercantibus jurgiis & noxiis partium contentionibus occupari; ita gratum & jocundum eſt, eo die quae ſunt maxima votiva compleri. Atque ideo emancipandi & manumittendi die feſto cuncti licentiam habeant, & ſuper his rebus acta* (*c*) *non prohibeantur.* Quibus conjungenda ſunt, quae de eo Imperatore EUSEBIUS *libro* De vita ipſius *quarto, cap.* 18. & 19. ſcribit: cujus verba uti ſunt a Muſculo latine reddita, paucis dumtaxat mutatis, in quibus auctoris mentem non ſatis expreſſit, ſubjiciam: *Omnes*, ait, *Imperio populi Romani ſubditos diebus ſervatori nuncupatis feriari praecipiebat. Similiter ut & eas, quae ſunt Sabbati* (*d*), *venerarentur, propter memoriam* (*ut mihi videtur*) *eorum, quae in illis a communi Servatore geſta memorantur. Salutarem quidem diem, quam lucis & Solis agnominem eſſe contingit, a militaribus viris ſtudioſe coli docens, illis quidem, qui divinae fuerant fidei facti participes, Eccleſiam Dei libere ac ſedulo frequentandi, ut & preces abſque ullo impedimento facerent, otium ac copiam dedit. Aliis vero, qui nondum divinam fuerant conſecuti doctrinam, ſecundaria lege mandavit, ut Dominicis diebus in ſuburbiis in nudum ac purum campum meditatam precem ex uno ſymbolo cuncti ſimul Deo deſtinarent.* Sed & Praeſidibus provinciarum legem de ejus diei obſervatione ab eo dictatam eſſe poſtea *cap.* 23. ſcribit. Ceterum Conſtantini ductus exemplo THEODOSIUS, emancipandi quoque ac manumittendi diebus Dominicis licentiam, ceteris cauſis vel litibus quieſcentibus, tribuit: ut ex *l.* 2. *Cod. de feriis* apparet. Sed hanc diei venerationem negligi aut intermitti (ut credibile eſt) LEO Imperator cernens, praedeceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtens, hunc quoque diem feriatum eſſe, & ab omni legis actione liberum conſtitutione ſua ſanxit. Sic enim in libello, qui Collectanea quaedam ex *Eccleſiaſtica* THEODORI *hiſt.* continet, ſcriptum eſt: Λέων ἐνομοθέτησε, τὴν κυριακὴν παρὰ πάντων ἀργεῖσθαι ἀπρακτόν τε εἶναι καὶ σεβασμίαν. *Leo praecipit, ut dies dominicus ab omnibus abſque labore omni per otium tranſigeretur, utque feſtus eſſet ac venerabilis.* Quod ab eo Imperatore conſtitutum eſſe NICEPHORUS quoque *lib.* XV. *hiſt. Eccleſiaſticae. cap.* XXII. refert. Eaque eſt (niſi me animus fallit) LEONIS conſtitutio, quae in *l. ult. Cod. de feriis*, memoratur his verbis: *Dominicum diem ita ſemper honorabilem decernimus, & venerandum, ut cunctis excuſetur, nulla quemquam urgeat admonitio, nulla fidejuſſionis flagitetur exactio, taceat apparitio, advocatio deliteſcat. Sit ille dies a cognitione alienus; praeconis horrida vox ſileſcat, reſpirent a controverſiis litigantes, & habeant foederis intervallum. Ad ſeſe ſimul veniant adverſarii*, & quae ſequuntur. Nec vero minorem huic diei reverentiam exhibendam Clotharius & Theodoricus reges cenſuere, qui eo in totum ab operibus ruſticis ſubditos ſuos abſtinere voluerunt. Alemannorum namque legibus, ut ex earum *tit.* XXXIX. patet, Clotharius in hunc modum cavit: *Die Dominico nemo opera ſervilia praeſumat facere, quia hoc lex prohibuit, & ſacra ſcriptura in omnibus contradicit. Si quis ſervus*

(*a*) LXXXIII.] Ita in editionibus veteribus: in *Romana ed.* eſt *Epiſt.* III. *Tom.* IV. In *noviſſ.* vero *ed. Pariſ. Bened.* eſt *Epiſt.* XXIII.

(*b*) CONSTANTINO] Adde & hic II. id eſt A. C. 321. Vide *Faſtos* & *Jac. Gothofredi Chronol. Cod. Theod.* ejusque *Comment.* ad *L.* 1. *de feriis*, *lib.* II. *tit.* 8.

(*c*) ACTA] Ita non tantum in optimis *Codd. MSS. Cod. Theod.* legitur, ſed & in *L.* 8. *C. Inſt. eod. tit.* Nihilominus *Jac. Gothofredus* edidit a*ctus*, & de actibus legitimis explicat. Sed prior lectio melior eſt: ſolebant enim omnes actus ſollemnes apud Rom. in *acta* referri.

(*d*) SABBATI] Locus in textu Graeco obſcurus, & forte etiam corruptus eſt. *Valeſius* in *not. pag.* 242. cenſet legendum eſſe: τὴν πρὸ τοῦ σαββάτου: & hinc ita eſſe Latine reddendum: *Utque diem, qui eſt pridie Sabbati ſimiliter honorarent.*

vus in hoc vitio inventus fuerit, vapulet fuſtibus: liber autem corripiatur uſque ad tertiam vicem. Si autem poſt tertiam correptionem in hoc vitio inventus fuerit, & Deo vacare die Dominico neglexerit, & opera ſervilia fecerit, tunc tertiam partem de hereditate perdat. Si autem ſuper haec inventus fuerit, ut diei Dominico honorem non impendat, & opera ſervilia fecerit, tunc coactus, & convictus coram Comite, ubi tunc Dux ordinaverit, in ſervitium tradatur, & quia noluit Deo vacare, in ſempiternum ſervus permaneat. Bajoariis vero Theodoricus ita edixit: *Si quis die Dominico operam ſervilem fecerit, liber homo, id eſt, ſi bovem junxerit, & cum curru ambulaverit, dextrum bovem perdat. Si autem ſiccaverit foenum, vel collegerit, aut meſſem ſiccaverit, aut collegerit, vel aliquod opus ſervile fecerit die Dominico, corripiatur ſemel, vel bis, & ſi non emendaverit, rumpatur dorſum ejus* L. *percuſſionibus.* & cetera. In vetuſta etiam quadam manuſcripta Canonum Eccleſiaſticorum a majoribus noſtris proditorum Rapſodia, caput de hac re offendi, quod ita habet: *Inter cetera admonitionis noſtrae officia ſatis illud nobis neceſſarium viſum eſt, ut populis fidelibus terribiliter denuncietur, ut diem Dominicum, in quo auctor vitae reſurrexit a mortuis, honorabiliter colant. Nam ſi pagani ob memoriam & reverentiam Deorum ſuorum dies colere, & Judaei more carnali Sabbatum carnaliter obſervare ſatagunt; quanto magis Chriſtianae religionis devotio ob memoriam Dominicae reſurrectionis eundem diem venerabiliter atque honorabiliter colere debet?* Sed & Matiſconenſis Synodi ſecundae *cap.* 1. de hoc die obſervando, ita patres caverunt: *Cuſtodite diem Dominicam, quae nos denuo peperit, & a peccatis omnibus liberavit. Nullus veſtrum litium fomitibus vacet, nullus actiones exerceat, nemo ſibi talem neceſſitatem exhibeat, quae jugum cervicibus jumentorum imponere cogat. Eſtote omnes in hymnis & laudibus Dei animo corporeque intenti. Si quis veſtrum proximam habeat Eccleſiam, properet ad eandem & ibi Dominica die ſeipſum precibus lacrymiſque afficiat. Sint oculi manuſque veſtrae toto illo die ad Deum expanſae: Ipſe eſt enim dies requietionis perpetuus, ipſe nobis per ſeptimae diei umbram inſinuatus noſcitur in lege & prophetis. Juſtum igitur eſt, ut hanc diem unanimiter celebremus, per quam facti ſumus, quod non fuimus: Fuimus enim ante ſervi peccati, ſed per hanc facti ſumus filii juſtitiae. Exhibeamus Domino liberam ſervitutem, cujus nos novimus pietate de ergaſtulis liberatos erroris: non quia Dominus noſter a nobis expetit, ut corporali abſtinentia diem Dominicam celebremus, ſed quaerit obedientiam, per quam nos calcatis terrenis actibus, ad coelum uſque miſericorditer provehat. Si quis itaque veſtrum hanc ſalubrem exhortationem parvipenderit, aut contemptui tradiderit, ſciat ſe pro qualitatis merito principaliter a Deo puniri, & deinceps ſacerdotali quoque irae implacabiliter ſubjacere. Si cauſidicus fuerit, irreparabiliter cauſam mittet; ſi ruſticus aut ſervus, gravioribus fuſtium ictibus verberabitur; ſi clericus aut monachus, menſibus ſex a conſortio ſuſpendetur fratrum.*

Haec namque omnia, & placabilem erga nos Dei animum reddunt, & plagas morborum, & ſterilitatem amovent atque repellunt. Gregorius Turonensis *libro* x. *hiſtoriar. capite* 29. *Sanctus*, ait, *hic dies, qui in principio lucem conditam primus vidit, ac Dominicae reſurrectionis teſtis factus emicuit. Ideoque omni fide obſervari debet, ne fiat in eo omne opus publicum.*

Quibus conſentanea Beda, in libello (*a*) *De ordinatione feriarum Paſchalium per Theophilum Epiſcopum Caeſarienſem ac reliquorum Epiſcoporum ſynodum* facta, tradit his verbis: *Quem credimus factum fuiſſe in mundo primum, niſi Dominicam diem? Theophilus Epiſcopus dixit: Probate quod dicitis. Reſponderunt Epiſcopi: Secundum ſcripturae auctoritatem factum eſt veſpere & mane dies primus; deinde ſecundus, tertius, quartus, quintus, ſextus, ſeptimus, in quo ſeptimo requievit Deus ab omnibus operibus ſuis, quem diem ſabbatum appellavit. Ergo cum noviſſimum diem ſignet ſabbatum, quis poteſt eſſe primus, niſi Dominicus dies?* Ibidemque hunc diem multis benedictionibus a Deo ſanctificatum Epiſcopi probant. Nam & in ipſo tenebras remotas, lucemque apparuiſſe, & eo die de terra Aegypti, velut de tenebris peccatorum, quaſi per fontem baptiſmi, per mare rubrum Iſraëliticum populum liberatum, eodem die coeleſtem cibum manna hominibus datum; primum quoque hunc diem cum noviſſimo die obſervari Moſen ad populum mandaſſe, ac poſtremo eo die reſurgere a mortuis Dominum dignatum eſſe. Ideoque hunc tot ac tantis benedictionibus ſanctificatum diem priſcos noſtros patres impenſiori cultu proſecutos eſſe mirum nemini videri debet, qui nobis & lucis & vitae aeternae primordia inchoaverit. Quae etiam compendioſe Isidorus *lib. de Eccleſiaſticis officiis* 1. *c.* 24. & ab eo mutuatus Rabanus Maurus *lib. de inſtitution. clericorum* II. *cap.* 42. ita perſtringit: *Apparet autem hunc diem etiam in ſcripturis ſanctis eſſe ſollemnem. Ipſe enim eſt dies primus ſeculi: in ipſo formata ſunt elementa mundi: in ipſo creati ſunt Angeli, in ipſo quoque a mortuis reſurrexit Chriſtus: in ipſo Spiritus ſanctus ſuper Apoſtolos deſcendit: Manna in eo die in eremo primum de coelo datum eſt.*

Sed ad Imperatores noſtros revertamur. Ajunt illi: Atque Natali.]

Hunc

(*a*) Libello] Libellus hic exſtat in *Opp.* Bedae, *ed. Colon.* 1612. *Tom.* II. *pag.* 232.

Hunc diem in religioſiſſimis numerarunt & meliore lapillo notarunt priſci noſtrae religionis antiſtites. B. Crysostomus in Oration. de B. *Philogonio: Appetit enim feſtum omnium feſtorum maxime venerandum adorandumque: quod ſi quis appellet omnium feſtorum metropolim, haudquaquam aberret. Quod autem hoc eſt? Chriſti juxta carnem nativitas. Ab hoc enim illuſtratio Dei, feſtum videlicet Epiphaniorum ac ſacrum Paſcha, Aſcenſio & Pentecoſte originem ac fundamentum ducunt: niſi enim ſecundum carnem natus eſſet Chriſtus, nequaquam baptizatus eſſet; nam id eſt feſtum Theophaniorum: nequaquam fuiſſet crucifixus; nam hoc eſt feſtum Paſchae: Nequaquam miſiſſet Spiritum ſanctum; quod eſt feſtum Pentecoſtes. Itaque ab hoc ceu fonte quopiam hi diverſi amnes orti. Nota ſunt nobis haec feſta, verum non ob hoc tantum par eſt hunc diem ceteris anteponi, ſed etiam ob id, quod id, quod in hoc natum eſt, ceteris omnibus eſt venerabilius.* B. Ambrosius *Serm.* xvi. (*a*) *Bene quodammodo ſanctam hanc diem natalis Domini Solem novum vulgus appellat, & tanta ſui auctoritate id confirmat, ut Judaei etiam atque gentiles in hac voce conſentiant. Quod libenter nobis complectendum eſt, quia oriente ſalvatore non ſolum humani generis ſalus, ſed etiam Solis ipſius claritas innovatur.* Poſſent & alia praeclara hujus diei encomia ex veterum Theologorum ſcriptis proferri, ſed ſuperiora duo ſufficere mihi viſa ſunt. Itaque mirum non eſt, hunc diem inter feriatos & judiciaria contentione ſtrepituque forenſi vacuos ab Impp. ſtatui in *l.* 2. & *l.* 7. *Omnes dies. Cod. de feriis.*

Sequitur, Atque Epiphaniorum Christi.]
Eſt hic qnoque dies ex eorum nnmero, quos publica religio jam olim conſecravit. Ammianus Marcellinus *lib.* xxi. *cap.* 2. *Et ut haec*, ait, *interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes menſe Januario Chriſtiani Epiphaniam dictitant, progreſſus in eorum Eccleſiam ſollemniter numine adorato diſceſſit.* Ob Chriſti autem numen manifeſtatum celebritatem hanc inſtitutam, ipſa nominis origo ſatis declarat (*b*). Verum qua in re aut primum aut potiſſimum ſe Chriſti potentia pateſecit, quaeque ejus apparitio huic celebritati locum dederit, non ſatis video inter antiquos convenire. Ambrosius enim de die ſancto Epiphaniae *Sermon.* xxi. (*c*) pleroſque in Epiphaniae die hactenus a Domino memorabilia facta eſſe commorare ſcribit, ut rogatus ad nnptias aquae ſubſtantiam in vini ſpeciem commutarit, ac liquorem fontium in meliorem uſum ſui benedictione tranſtulerit: quo mirabili ſigno divinitatis ſuae primum ille virtutem declaraverit. Nonnullos vero in ea die, a Joanne eum baptizatum in Jordane teſtari ejuſque baptiſmi memoriam hac Epiphaniae celebritate conſignatam. Idem *Sermon.* xxii. (*d*) utramque opinionem refert, & conciliare nititur, quaſi aliud de alio ſignum contineatur. *Nam cum baptizatus eſt Dominus*, inquit, *& myſterium lavacri inſtituit, & humanum genus velut vilem aquam in aeternam ſubſtantiam divinitatis ſapore convertit. Similiter & cum hydrias plenas liquore fontium vertit in vinum, utrumque operatus eſt: & ſpeciem magis neceſſariam nuptiis praeſtitit, & demonſtravit corpora hominum per lavacrum Spiritus Sancti ſpiritali replenda eſſe ſubſtantia.* Idem *Sermon.* xviii. (*e*) ordine factum docet, ut poſt natalem Domini confeſtim feſtivitas haec ſeqneretur. Idque ita rationem exegiſſe, ut poſt ejus diei, quo natus eſt, commemorationem, alterius diei, quo renatus eſt, quoque eum pater colendum gentibus manifeſtavit, commemoratio conſequenter ſubjungeretur. Clarius vero & craſſiori (quod ajunt) Minerva hoc exponit Maximus Epiſcop. in *ſermone* quodam, Ambroſianis ſermonibus interſerto (*f*). *Epiphaniae*, ait, *hodie procuramus gaudia. Quaerat forte aliquis, quid interpretetur hoc verbum, ſcilicet quia ἐπιφαίνειν Graece, Latine dicitur* apparere. *Ergo quia tunc primum apparuit Salvator in mundo, ipſa dies eodem vocabulo Epiphania nuncupata eſt. Quomodo autem apparuerit requiramus, non quod in mundo ante non fuerit, cum mundus per ipſum factus ſit: ſed quod tunc primum ſignis atque miraculis credentium cordibus Deus Chriſtus illuxerit, & in tenebroſas conſcientias hominum fidei ſplendor advenerit.* Signum autem, quod operatus fuit, ut divinitatem ſuam hominibus declararet, & humanis mentibus tanquam novus & inopinatus appareret, fuiſſe aquae in vinum mutationem tradit. At Gregorius Nazianzenus ad baptiſmi Chriſti recordationem feſtivitatem hanc referendam cenſebat, ut ex ejus *oratione* xxxix. quae εἰς τὰ ἅγια φῶτα τῶν Ἐπιφανιῶν, *in ſancta lumina Epiphaniorum*, inſcribitur, perſpicue colligimus. Unde Leo *Epiſt.* 62. ad Epiſcopos per Siciliam con-

(*a*) Serm. xvi.] Ita in *vett. edd.* In *ed.* vero *Rom.* eſt *Sermo* x. in *nov. ed. Pariſ. Bened.* eſt *Sermo* vi.

(*b*) Declarat] Confer *Jac. Gothofredi Comment.* ad hanc ipſam, quam auctor interpretatur, legem, qui bene notat, initio feſtum Epiphaniorum non fuiſſe diſtinctum a die Natali Chriſti: deinde vero paullatim diſtingui coepiſſe, in Occidente primum, deinde etiam in Oriente.

(*c*) Sermon. xxi.] Ita in antiquis *edd.* in *ed. Rom.* eſt *Sermo* xv. in *Pariſ.* vero x.

(*d*) Sermon. xxii.] Ita in antiquis *edd.* in *ed. Rom.* eſt *Sermo* xvi. in *Pariſ.* vero xi.

(*e*) Sermon. xviii.] Ita in antiquis *edd.* in *ed. Rom.* eſt *Sermo* xvii. in *Pariſ.* vero *Sermo* xii.

(*f*) Interserto] In *edd. vett.* eſt *Sermo* xix. in *ed. Rom. Sermo* xiii. in *ed.* vero *Pariſ. Sermo* viii. inter *Sermones* D. Ambrosii.

conſtitutos, (*can.* 14. *diſtinct.* IV. *de conſecrat.*) quoſdam exiſtimaſſe ſcribit, Epiphaniae feſtivitatem idcirco privilegium habere baptiſmatis debuiſſe, quod in eadem die Dominus ad baptiſmum Joannis acceſſiſſet. Quam tamen ſententiam improbat, illius baptiſmi aliam fuiſſe gratiam dicens, nec ad eandem pertinuiſſe virtutem. Isidorus vero *lib.* I. *de Eccleſiaſt. offic. cap.* 26. tribus ex cauſis ſollemnitatem hanc *Epiphaniorum* nomen inveniſſe ſcribit: ſive, quia tunc in baptiſmo ſuo Chriſtus populis oſtenſus fuerit; ſive quod eo die ſideris ortu Magis ſit proditus, ſive quod primo ſigno, per aquam vino facto, multis ſit manifeſtatus. Quam triplicem hujus feſtivitatis rationem Pontius Paulinus his verſibus concluſit, *lib. de natali Felicis* IX. (*a*)

Ut veneranda dies cunctis, qua virgine natus
Pro cunctis hominem ſumpſit Deus; utque deinde
Qua puerum, ſtella duce, myſtica dona ferentes,
Suppliciter videre Magi; ſeu qua magis illum
Jordanis trepidans lavit tingente Joanne,
Sacrantem cunctas recreandis gentibus undas.
Sive dies eadem magis illo ſit ſacra ſigno,
Quo primum Deus egit opus, cum flumine verſo,
Permutavit aquas praedulcis nectare vini.

Isidorus porro ibidem ex *Caſſiano* adjicit, apud Graecos nativitatem Domini & Epiphaniorum ſollemnitatem non biſarie, ut in occiduis provinciis, ſed unius diei feſtivitate celebratam. Quibus addenda ſunt, quae idem auctor *lib.* VI. *Etymolog. cap.* XVIII. ſcribit. Epiphaniorum utique diem ſine ſtrepitu judiciali forenſique contentione obſervari Imp. Theodosius praecipit in *l.* 2. *Cod. de feriis.* Rurſuſque eum diem feriatum eſſe habendum Impp. Valentin. Theod. & Arcad. conſtitutio edicit, quae in *l.* 7. *Omnes dies. Cod. eodem tit.* refertur.

Sequitur, Paschae etiam.]

Omnium Chriſtianae religionis celeberrimum auguſtiſſimumque habitum ab antiquis Paſchalem diem obſervavi: quem illi praecipua quadam veneratione in memoriam Dominicae reſurrectionis ſemper ſunt proſecuti. Beatus quidem certe Chrysostomus *Homilia* VII. de reſurrectione Domini: *Licet*, ait, *omnes ſollemnitates, quae in Eccleſiis pro Dei honore celebrantur, ſanctae ſint atque venerabiles, tamen hodierna Dominicae reſurrectionis dies praecipuam quamdam ac peculiarem feſtivitatem habet.* Gregorius Nazianzenus in *ſermone* de hac feſtivitate II. ſive *Orat.* XLII. *pag.* 676. Αὕτη, inquit, ἑορτῶν ἡμῖν ἑορτὴ, καὶ πανήγυρις πανηγύρεων, τοσοῦτον ὑπεραίρουσα πάσας, οὐ τὰς ἀνθρωπινὰς (*al.* ἀνθρωπικὰς) μόνον, καὶ χαμαὶ ἐρχομένας, ἀλλ' ἤδη καὶ τὰς αὐτοῦ Χριστοῦ, καὶ ἐπ' αὐτῷ τελουμένας, ὅσον ἀστέρας ἥλιος. *Haec nobis Feſtivitatum feſtivitas, & celebritatum celebritas tanto ceteris omnibus, non ſolum humanis & humi defixis, ſed etiam, quae ipſius Chriſti ſunt, ac propter ipſum celebrantur, ſuperior, quanto ſol ſtellas antecellit.* Inter cetera vero feſtivitatis hujus ſollemnia, noctem ejus pervigilio tranſmitti conſueviſſe, ſciendum eſt. Tertullianus in *lib.* 2. *ad uxorem cap.* 4. *Quis*, ait, (de gentili marito loquitur) *nocturnis convocationibus, ſi ita oportuerit, a latere ſuo eximi* (al. *adimi*) *libenter feret? Quis denique ſollemnibus Paſchae abnoctantem ſecurus ſuſtinebit?* Quod & Eusebius *hiſt. Eccleſiaſt. libr.* VI. *cap.* IX. aperte indicat, de Narciſſo agens: Κατὰ τὴν μεγάλην, inquit, ποτὲ τοῦ πάσχα διαπαννυχίζουσιν, τοὔλαιον φασὶ τοῖς διακόνοις ἐπιλιπεῖν. (*al.* ὑπολιπεῖν) id eſt, ut Rufinus vertit: *Accidit aliquando in die ſollemni vigiliarum Paſchae oleum deeſſe luminaribus.* Idem ejuſdem libri *cap.* XXXIV. de Philippo Imp. Τοῦτον κατέχει λόγος Χριστιανὸν ὄντα, ἐν ἡμέρᾳ τῆς ὑστάτης τοῦ πάσχα παννυχίδος, τῶν ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας εὐχῶν τῷ πλήθει μετασχεῖν ἐθελῆσαι. Quae verba ita Rufinus vertit: *De hoc traditum nobis eſt, quod Chriſtianus fuerit, & in die Paſchae, id eſt, in ipſis vigiliis, cum intereſſe voluiſſet, & communicare myſteriis,* (ſic enim legendum eſt) *ab epiſcopo loci non prius eſſe permiſſum, niſi confiteretur peccata ſua, & inter poenitentes ſtaret.* De hoc etiam pervigilio accipienda ſunt haec ejuſdem Eusebii verba: καὶ μάλιστα τὰς τῆς μεγάλης ἑορτῆς παννυχίδας, *atque inprimis pervigilia magnae ſollemnitatis*, quae *lib.* II. *hiſt. Eccleſ. cap.* XVII. leguntur. Lactantius *lib.* VII. *Inſtit. divinarum, cap.* 19. *Et haec eſt nox, quae a nobis propter adventum Regis ac Dei noſtri pervigilio celebratur. Cujus noctis duplex ratio eſt, & quod in ea vitam tum recepit, cum paſſus eſt, & poſtea orbis terrae regnum recepturus eſt.* Quae verba ex eo nonnullis additis Isidorus *lib.* VI. *Etymolog. cap.* 17. tranſcripſiſſe videtur. Huc pertinet, quod de nocte diem feſtum Paſchae praecedente luminibus & flammis coruſcante Gregorius Nazianzenus in *ſermon. de Paſcha* II. ſive *Orat.* XLII. *pag.* 676. ita ſcribit: Καλὴ μὲν ἦν (*al.* καὶ) ἡ χθὲς ἡμῖν λαμπροφορία καὶ φωταγωγία, ἣν ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ συνεστησάμεθα, πᾶν γένος ἀνθρώπων μικροῦ καὶ ἀξία πᾶσα δαψιλεῖ τῷ πυρὶ τὴν νύκτα

(*a*) Felicis IX.] Exſtant hi verſus inter *Opera Poëtarum veterum eccleſiaſticorum*, edita *Baſil.* 1564. 4. per *Georg. Fabricium*, *pag.* 864. ibique ita incipiunt *Eſt veneranda* &c.

νύκτα καταφωτίζοντες, καὶ τοῦ μεγάλου φωτὸς ἀντίτυπον. *Praeclara quidem nobis quoque fuit heſterna facium ac luminum geſtatio, quam privatim juxta publiceque peregimus, omne genus hominum ferme, atque omnes magiſtratu & dignitate inſignes, largo igne noctem colluſtrantes, magnumque illud lumen referens &c.* Idem in *oratione funebri in patrem*, (*or.* XIX.) noctem quoque eam Paſchalem vigiliis transactam, & luminum ſplendore illuſtratam, oſtendit his verbis: (*pag.* 303. *ſeq.*) Ὁ καιρὸς ἦν τὸ ἅγιον πάσχα καὶ περίβλεπτον, ἡ βασίλισσα τῶν ἡμερῶν ἡμέρα, καὶ ἡ λαμπρὰ νὺξ λύουσα τὸ σκότος τῆς ἁμαρτίας, καθ' ἣν ἡμεῖς ὑπὸ πλουσίῳ φωτὶ τὴν σωτηρίαν ἡμῶν αὐτῶν ἑορτάζομεν. *Tempus erat ſanctum & celebre paſcha, dies dierum rex, ac ſplendida illa nox, peccati tenebras ſolvens, in qua nos cum magna luminis copia ſalutis noſtrae feſtum celebramus.* GREGORIUS quoque NYSSENUS in *oratione de feſto Paſchae* IV. *pag.* 867. *ſeq.* hoc idem perſpicue comprobat, cujus verba, ſi Latine, quam Graece loquentem audire quis malit, ſunt ejuſmodi: *Quod oculis cernitur lumen, nocte nobis per lampadas in nube ignis praeferebatur. Sermo autem per totam noctem aures noſtras circumſonans in Pſalmis, hymnis, cantionibuſque ſpiritualibus, tanquam flumen quoddam gaudii per aures in animum influens, nos optima ſpe replevit. Quoniam haec igitur lucida nox, commixtis lampadum luminibus cum matutinis radiis Solis, unum continuum nullarum interpoſitione tenebrarum diremptum diem effecit,* &c. De hac etiam Paſchali nocte verſus AUSONII (*a*) proferam, quibus Chriſtum ſic affatur;

Ad temet properant vigilatu convenientes.
Nox lucem revehet funalibus anteferendam:
Nox lumen pariens credentibus indubitatum:
Nox flammis operum meditatrix ſyderiorum.

SOCRATES quoque *hiſt. Eccleſiaſt. lib.* VII. *cap.* 5. cum de *Sabbatio* tractat, magnam ad eum confluxiſſe in feſto Paſchae multitudinem, τῆς ἐξ ἔθους παννυχίδα ποιούντων, *ſollemne juxta conſuetudinem pervigilium celebrantium*, narrat. De hac autem nocte Matiſconenſis ſecundi Concilii canon primus accipiendus eſt, in quo ita eſt: *Noctem quoque ipſam, quae nos ſupernae & luci inacceſſibili reddidit, ſpiritualibus exigamus excubiis, nec dormiamus in ea, quemadmodum dormitant, qui nomine duntaxat Chriſtiani eſſe noſcuntur: ſed oremus & vigilemus operibus ſacris, ut digni habeamur in regno coheredes fieri Salvatoris.* Hinc facilius intelligetur, quod B. HIERONYMUS (*b*) Vigilantium ſcribit ideo vigilias & pernoctationes in baſilicis martyrum exiſtimaſſe reſpuendas, ne Paſcha crebrius celebrari videretur. Plane PROCOPIUS *lib.* 1. *de bello Perſico*, *cap.* 18. *pag.* 258. (53.) Chriſtianos feſtum Paſchae diem magna feſtivitate celebraviſſe, & primo ejus die (*c*) jejunos toto die, immo & in multam noctem perſtitiſſe commemorat. Unde AUSONIUS in *Carmine de Dominica reſurrectione*; (*Eidyll.* 1. *v.* 1.)

Sancta ſalutiferi redeunt ſollemnia Chriſti:
Et devota pii celebrant jejunia myſtae.

At die ipſo Paſchae jejunia dirempta, idem alio verſu Eidyllii ſecundi docet:

Tu menſis dirimis jejunia relligioſa.

Ideoque PONTIUS PAULINUS *Epiſt. ad Amandum*, ſollemnitatem Paſchalem revocaſſe dies Prandiorum dicit. Nimirum quia olim non ad meridiem uſque (ut fit hodie) ſed ad veſperam uſque jejunia obſervabantur. Quod ille auctor non uno loco indicat, veluti Epiſtola eadem, cum ait: *Nam cum in diebus Quadrageſimae adveniſſet, & eum ut clericum fraterno excepiſſemus affectu; quotidiana jejunia non refugit, & pauperem menſulam veſpertinus conviva non horruit.* Idem *lib.* 3. *Epiſt. ult.* ad Severum; *Fraternitatemque monacham, veſpertinus poſt jejunia cibis avidam duplici miniſterio fermentatis utribus aut ſoluto ventre diſtentat.* Idem alia ad eundem Severum Epiſtola: *Videant ergo nos non mane ebrii, ſed veſpere jejuni.* Idem *lib.* VII. *Natalis Felicis*:

Noſtis eum morem, ut jejunare ſolemus
Ante diem, & ſero libatis veſpere ſacris,
Quiſque ſuas remeare domos: tunc ergo ſolutis
Coetibus a templo Domino, poſtquam data feſſis
Corporibus requies, ſumpta dape coepimus hymnos
Exultare Deo, & Pſalmis producere noctem.

Huc

(*a*) AUSONII] Hic locus eſt ex *Oratione paſchali*, verſibus Rophalicis ſcripta, quae hodie a doctis AUSONII abjudicatur, & hinc quoque in *noviſſ.* ejus *ed. in uſum Delph.* non conſpicitur. Ex eadem *Orat.* eſt & verſus, qui paullo poſt tanquam ex *Eidyll.* II. profertur.

(*b*) HIERONYMUS] Locus exſtat in *libello adverſus Vigilantium*, *pag.* 285. *Tom.* IV. *Part.* II. *Opp.* ex *ed. nov. Benedict.*

(*c*) DIE] Auctor forte ſcribere voluit: *pridie ejus diei.* Locus ipſe ita ſonat. Ἑορτὴ δὲ ἡ πασχαλία ἐπίκειτο ἡμέρᾳ, ἐπιγενησομένη τῇ ὑστεραίᾳ, ἣν δὴ σέβονται Χριστιανοὶ πασῶν μάλιστα. ἡμέραν τε ταύτης προτέραν σιτίων τε καὶ ποτοῦ ἀπεχόμενοι, οὐ διημερεύειν νενομίκασι μόνον, ἀλλὰ καὶ πόῤῥω που νύκτας τὴν νηστείαν ἄγειν. *Inſtabat, die nempe celebrandum proxima, feſtum paſchale, quod omnium eſt ſanctiſſimum Chriſtianis, ob id ſolitis pridie non diem modo ſolidum tranſire ſine cibo ac potu, ſed ad multam etiam noctem jejunium protrahere.*

Huc etiam pertinet quod Aurelianenſis 4. Synodi *cap.* 2. quadrageſimali toto tempore monachis non niſi Dominico die prandere permittitur. Item quod Turonicae Synodi 2. *cap.* 18. a Paſcha ad quinquageſimam, quod quidem, tempus a jejuniis vacuum eſt, prandium monachis, ſolis Rogationum diebus exceptis, parari praecipitur. Jam vero Paſchales ferias quo honore Chriſtiani principes coluerint praeter eam, in cujus interpretationem verſamur conſtitutionem, etiam ex aliquot aliis eorum Conſtitutionibus intelligimus, quas operae pretium duxi ſecundum ordinis & temporis, quo emiſſae, propoſitae, dataeque ſunt, rationem ſubjicere. Ac primum IMP. VALENTINIANI, VALENTIS & GRATIANI *Conſtitution.* 3. Non Maji Lupicino & Joviano (ſic enim non in codicis modo Theodoſ. exemplari, ſed & apud SOCRATEM *lib.* 4. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 11. poſterioris Coofulis nomen effertur, licet a MARCELLINO, CASSIOOORO in *Chronico*, & MAAIANO SCOTO *pag.* 405. *Tom.* 1. *Script. rer. Germ. Jo. Piſtorii*) *Jovinus* nuncupetur, qui perperam *Jovinianus lib.* 7. *hiſt. tripart. cap.* 22. dicitur (*a*) Coſſ. id eſt, anno a Chriſto oato 366. (*al.* 367.) data, in Cod. Theodoſ. refertur ſub *tit.* 38. *de indulgentiis crimin. lib.* IX. *num.* 3. in haec verba: *Ob diem Paſchae, quem intimo corde celebramus, omnibus, quos reatus adſtringit, carcer incluſit, clauſtra diſſolvimus. Attamen ſacrilegus, in majeſtate reus, in mortuos veneficus, ſive maleficus, adulter, raptor, homicida, communione iſtius muneris ſeparentur.* Iidemque principes anno ſequenti, ſecundo priorum (*b*) duorum Conſulatu, aliam conſtitutionem ediderunt, quae in eodem Codicis Theodoſ. titulo *num.* 4. legitur. Ea ſic habet: *Paſchae celebritas poſtulat, ut quoſcunque nunc aegra exſpectatio quaeſtionis poenaeque formido ſollicitat, abſolvamus. Decretis tamen veterum mos gerendus eſt, ne temere homicidii crimen, adulterii foeditatem, majeſtatis injuriam, maleficiorum ſcelus, inſidias venenorum, raptuſque violentiam ſinamus evadere.* Propter quas, ea conſtitutiooe comprehenſas, exceptiones IMPER. GRATIANUS, VALENTINIANUS, & THEOOOSIUS in *l.* 6. *Paſchalis*, *eod. tit.* ajunt: *Paſchalis laetitiae diem ne illa quidem temere ſinere ingenia, quae flagitia fecerunt.* Aliam deinde IMPP. GRATIANUS, VALENTINIANUS & THEODOSIUS, Richomere & Clearcho Conſulibus, qui anno ſalutis reparatae 383. (*al.* 384.) Coofulatum geſſere, conſtitutionem ad Martianum vicarium emiſerunt, quae in eodem *tit. de indulgent. crimin. num.* 7. exſtat his verbis: *Religio anniverſariae obſervationis hortatur, ut omnes omnino periculo carceris, metuque poenarum eximi jubeamus, qui leviore crimine rei ſunt poſtulati. Unde apparet, eos excipi, quos atrox cupiditas in ſcelera compulit ſaeviora, in quibus eſt primum crimen & maximum majeſtatis, deinde homicidii, veneficiique, ac maleficiorum, ſtupri atque adulterii, parique immanitate ſacrilegii, ſepulchrique violati, raptus, monetaeque adulteratae figuratio.* At anno poſt, id eſt, Arcadio & Bautone (vel, ut CASSIODORUS (*c*), *Baudone*; ut SOCRATES *lib.* 5. *hiſt. Eccleſ. cap.* 12. cum MARIANO SCOTO, (ad A. 385. *pag.* 408. *ed. c.*) *Baudone.*) Coſſ. deinceps oon exſpectanda indulgentiae ſuae reſcripta, ad laxandas vinctis ob Paſchalem feſtivitatem carcerum fores, cooſtitucrunt: ſed ubi primum Paſchalis dies extitiſſet, omnium cooſeſtim vincula ſolvi, nullumque carcere teneri incluſum: quemadmodum ex *l.* 3. *Nemo, de Epiſcop. audient.* in *Cod. Juſtinian* & *l.* 8. *Nemo, de indulgent. crim.* in *Cod. Theod. lib.* IX. *tit.* 38. apparet (*d*). Non tamen id beneficii omnibus generaliter & indiſtincte reis indulgent. Ab iis enim ſecernuot eos, quibus dimiſſis laetitia communis contaminaretur. *Quis enim* (inquiunt) *ſacrilego diebus ſanctis indulgeat? quis adultero, vel inceſti reo tempore caſtitatis ignoſcat? Quis non raptorem in ſumma quiete & gaudio communi perſequatur inſtantius? Nullam accipiat requiem vinculorum, qui quieſcere ſepultos quadam ſceleris immanitate non ſinit: patiatur tormenta veneficus, maleficus, adulteratorque* (ſic enim melius in codice Theodoſiano, quam in Juſtiniano legitur) *monetae:. homicida quod fecit ſemper exſpectet: reus etiam majeſtatis de Domino, adverſum quem talia molitus eſt, veniam ſperare non debet.* Poſtmodum Timaſio & Promoto Coſſ. id eſt, anno ſalutis inſtauratae 389. edita ab IMPER. VALENTINIANO, THEODOSIO & ARCADIO *conſtitutio* eſt, qua ſanctos Paſchae dies, qui ſepteno numero vel praecedunt, vel ſequuntur,

(*a*) DICITUA] Multa hie moneri poſſent: ſed evitandae prolixitatis gratia lectores ablego ad Faſtos Conſulares, Chronologiam *Cod. Theod.* A. C. 367. *Jac. Gothofredi Comm.* ad *legg. oll. Sam. Petiti Comm.* ad *Legg. Attic. pag.* 38. Addo tantum: (1) perperam ab auctore laudari MARCELLINUM. quippe cujus *Chron.* ab A. C. 379. Auſonio & Olybrio Coſſ. demum incipiat. (2) In *noviſſ. ed. Hiſtor. Trip.* CASSIODORI, perinde ut in Chronico, legi JOVINUS.

(*b*) PRIORUM] Principum ſcilicet VALENTINIANI & VALENTIS.

(*c*) CASSIODOAUS] In *Hiſt.* ſcilicet *Trip. lib.* IX. *cap.* 22. In ejus *Chronico* vero legitur BAUTO.

(*d*) APPARET] De hac indulgentia paſchali multa veterum loca collegit *Jac. Gothofredus* in *Comm.* ad *tit. Cod. Theod. de indulgent. crim.* Formulam hujus indulgentiae, a CASSIODORO PRAEF. PRAET. datam, vide in hujus *Var. lib.* XI. *Epiſt. ult.* ex qua diſcimus, hunc etiam ritum a Gothis in Italia dominantibus fuiſſe obſervatum.

tur, feriatos manere conſtituerunt. Et eo amplius, in quindecim Paſchalibus diebus compulſionem & annonariae functionis, omniumque publicorum ac privatorum debitorum differri exactionem: nt plenius in *l.* 7. *omnes dies. Cod. de feriis* continetur. Secuta eſt tribus poſt annis Arcadio A. II. & Ruffino Coſſ. alia conſtitutio, quae in *l.* 8. *actus*; *Cod. de feriis* refertur, qua actus omnes ſive publicos, ſive privatos diebus quindecim Paſchalibus conquieſcere iidem Imperatores ſanxerunt (*a*): Ita tamen ut mancipandi & manumittendi libera cuique eo tempore eſſet poteſtas. His vero conſtitutionibus apte Gregorii Nysseni verba adjungentur, ex *oratione tertia de reſurrectione Chriſti*, *pag.* 852. quae hoc Latine ſonant: *Nullus adeo aegritudine preſſus & obnoxius eſt, quin per hujus feſti* (de Paſcha loquitur) *magnificentiam, mali ſui remiſſionem ſentiat atque levamen. Hoc die nexi ſolvuntur, debitor dimittitur, ſervus bono & humano praeconio atque edicto eccleſiae manumittitur.* Porro ſuperiora decreta, quae judiciarias quaeſtiones omnes a Paſchalibus diebus ſubmoverunt, Honorio & Theodosio viſum eſt una exceptione temperare atque moderari. Provinciarum namque Praeſides in quaeſtionibus latronum, & maxime Iſaurorum, nullum remittere tempus, ne Paſchali quidem die excepto, voluerunt. *l.* 10. *provinciarum praeſides*, *C. de feriis* (*b*). Quod nemini mirum videbitur, qui quanto odio, quantaque invidia publica infames, quo vicinas ſibi provincias infeſtabat, latrocinii ergo Iſauri laborarint, reputabit. Latrociniis enim infamata jam inde a priſcis temporibus ea gens fuit. Dion *lib.* 55. *pag.* 567. Ἴσαυροί τε, ait, ἐκ λῃστείας ἀρξάμενοι, καὶ ἐς πολέμου δεινότητα προήχθησαν. *Iſauri facti a praedationibus initio, uſque ad belli molem provecti ſunt.* Namque, ut Ammianus Marcellinus *lib.* xiv. *cap.* 2. ſcribit, uſitatum iis erat ſaepe pacari, ſaepeque inopinis excurſibus cuncta miſcere. Cumque ex latrociniis occultis parta impunitas adoleſcentem in pejus audaciam aleret, ad bella gravia multoties proruperunt. Strabo *lib.* xii. *Geograph. pag.* 853. (568.) Ἰσαυρία, ait, κώμας δύο ἔχουσα ὁμωνύμους, τὴν μὲν Παλαιὰν καλουμένην Εὐερκῆ (*c*). ὑπήκοοι δ' ἦσαν ταύταις καὶ ἄλλαι κῶμαι συχναὶ, λῃστῶν δ' ἅπασαι κατοικίαι. παρέσχον δὲ καὶ Ῥωμαίοις πράγματα, καὶ τῷ Ἰσαυρικῷ προσαγορευθέντι Πεβλίῳ Σερβηλίῳ, ὃν ἡμεῖς εἴδομεν, ὃς καὶ ταῦτα ὑπέταξε Ῥωμαίοις, καὶ τὰ πολλὰ τῶν πειρατῶν ἐρύματα ἐξεῖλε τὰ ἐπὶ θαλάττῃ. Id eſt: *Iſauria duos pagos habet ejusdem nominis: Veterem quidem ex his vocatum Euercem. His & alii frequentes pagi ſubjacebant, latronum plane ſedes & domicilia. Exhibuerunt autem negotia Romanis, & Publio Servilio, qui inde cognomen Iſaurici reportavit, quem nos vidimus, qui ea loca Romanis ſubdidit, & multa piratarum propugnacula ad mare ſita expugnata evertit.* Eutropius *lib.* 6. *cap.* 3. *Ad Ciliciam & Pamphyliam miſſus eſt Publ. Servilius, ex conſule, vir ſtrenuus. Is Ciliciam ſubegit, Lyciae urbes clariſſimas expugnavit & cepit.* Et mox: *Iſauras quoque aggreſſus, in deditionem coëgit, atque intra triennium bello finem dedit. Primus omnium Romanis in Iſauriam iter fecit. Revertens triumphum accepit & nomen Iſaurici meruit.* Hoc & Florus teſtatur in *Epitoma lib.* 93. *Livii.* Sed & Ammianus Marcellinus *lib.* xiv. *cap.* 8. Iſauriam antea moenium potentem, olim ſubverſam, & rebellatricem internecinam, aegre veſtigia priſtinae claritudinis monſtrare admodum pauca, ait: Eam vero bello Piratico catervis mixtam, praedonum, a Servilio Proconſule miſſam ſub jugum. Narrat & Trebellius Pollio, *de triginta tyrannis*, *cap.* 26. ſub Gallieno Trebellianum quendam factum in Iſauria principem, ipſis Iſauris ſibi ducem quaerentibus: quem cum alii *Archipiratam* vocaſſent, ipſe ſe Imperatorem appellavit. Monetam etiam cudi juſſit, palatium in arce Iſauria conſtituit; qui cum ſe in intima Iſaurorum loca, munitus difficultatibus locorum & montibus, contuliſſet, aliquandiu apud Cilicas imperavit. Hic tandem a Gallieni duce, nomine *Cauſiſoleo* victus, & occiſus eſt. Nec tamen poſtea Iſauri metu, ne in eos ſaeviret Gallienus, ad aequalitatem perduci quavis humanitate potuerunt. Denique poſt Trebellianum pro Barbaris habiti ſunt, & cum in medio Romani nominis ſolo regio eorum eſſet, novo tamen genere cuſtodiarum, quaſi limes incluſa eſt, locis defenſa, non hominibus. Non enim erant ſtatura decori, non virtute graves, non inſtructi armis, non conſiliis prudentes, ſed hoc ſolo ſecuri, quod in editis poſiti, adiri nequirent. Eos quidam Claudianus Imperator ad hoc perduxerat, ut a ſuis ſemotos locis in Cilicia collocaret, daturus uni ex amiciſſimis omnem Iſaurorum poſſeſſionem, ne quid ex ea poſtea rebellionis oriretur. At Probus Imperator (ut ex Flavio Vopisco in *ejus vita*, *cap.* 16. didi-

(*a*) Sanxerunt] Quae ſanctio eo minus miranda eſt, quum veteres Chriſtiani toto Quadrageſimae tempore a litibus diligenter abſtinere ſolerent, neque facile extra neceſſitatis caſum in reos animadvertere. Vide *Aegidii Menagii Amoenit. juris civ. cap.* 26.

(*b*) Fariis] Haec lex in *Cod. Theod.* ſub *tit. de quaeſt. lib.* ix. *tit.* 35. *num.* 7. reperitur, ubi conſulendus *Jac. Gothofredi Comment.* qui plura veterum recentiorumque loca adducit.

(*c*) Εὐερκῆ] Dubitant eruditi, utrum Παλαιὰν, an Εὐερκῆ ſit nomen proprium prioris pagi. Poſterius adſerit *Guil. Xylander*, quem auctor ſequitur. Prius pro nomine proprio habet *Iſaac. Caſaubonus* in *not.* poſt veterem interpretem, qui ideo poſterius verbum *bene munitum* reddidit.

didici) eum Orientem petiiſſet, in itinere potentiſſimo quodam latrone Palſurio capto & interfecto, omnem Iſauriam liberavit, populiſque ac urbibus Romanis legibus reſtitutis, Barbarorum, qui apud Iſauros erant, vel per terrorem, vel per voluntatem, loca ingreſſus eſt; quae cum peragraſſet, hoc dixit; *facilius eſſe ab illis locis latrones arcere, quam tollere*: veteraniſque omnia illa, quae anguſte adeuntur, loca privata donavit: addens, ut eorum filii ab anno octavo decimo, mares dumtaxat, ad militiam mitterentur, ut ne ante latrocinari, quam militare diſcerent. At Gallo imperante perduelles ſpiritus irrequietis motibus erigentes e latebris ſuis proſiliere, & oram maritimam populati in Lycaoniam ſe contulerunt: quam hiſtoriam Ammianus Marcellinus *libro* xiv. *cap.* 2. exequitur. Et alias quoque ſaepe, ut ex Zonara & Suida in voce βρύχιος, & Ἡράκλειος, & aliis intelligimus, publicam pacem latrociniis ſuis turbarunt. Merito igitur in eos etiam diebus feſtis inſurgere Praeſides provinciarum jubentur; utpote qui nulla poenarum vacatione frui debeant. Cujus rei alia commodior ratio proferri non poſſet, quam quae a Marco Tullio redditur, *Orat. pro Coelio, init.* cur accuſatio Coelii ipſis feſtis diebus ludiſque publicis, quibus lites & judicia interquieſcebant, exerceretur. Verba illius haec ſunt: *Si quis, judices, forte nunc adſit ignarus legum, judiciorum, conſuetudinis noſtrae, miretur profecto, quae ſit tanta atrocitas bujuſce cauſae, quod diebus feſtis ludisque publicis, omnibus negotiis forenſibus intermiſſis, unum hoc judicium exerceatur; nec dubitet, quin tanti facinoris reus arguatur, ut eo neglecto civitas ſtare non poſſit. Idem cum audiat, eſſe legem, quae de ſeditioſis ſceleratiſque civibus, qui armati ſenatum obſederunt, magiſtratibusque vim intulerunt, Rempublicam quoque oppugnarunt, quotidie quaeri jubeat; legem non improbet, crimen quod verſatur in judicio requirat.* A quo non abhorret, quod Prosper in *Epigrammatis* (*num.* 84.) ita canit: (*pag.* 652. *ed.* G. *Fabricii*, inter *Poët. eccleſ.*)

Nulla dies actus hominum non damnat iniquos,
Omnia conveniunt tempora juſtitiae.

Sed ut hoſtium publicae tranquillitatis ſupplicia ac poenas differri vetantes Imperatorum conſtitutiones laudandae ſunt, ita nunquam ſatis damnabitur Levigildi Arriani Gothorum regis quavis barbara feritate ſuperior immanitas, qui Hermigildum filium ſuum ob fidei catholicae inexpugnabilem confeſſionem ipſo Paſchae die ſecuri percuti juſſit: quemadmodum a Frecolpho *lib. ult. Chronicorum, cap.* 25. & Beda in *lib. de temp. ration.* (*a*) refertur. Ceterum de conſtituendo Paſchalis feſtivitatis die ſumma olim Epiſcoporum diſſenſione certatum eſt. Verum (ut Beda in *lib. de ſex aetatibus* tradit) (*b*) Pio Romae Epiſcopatum tenente, Hadriano imperante, Hermes librum ſcripſit, in quo Paſcha die dominico celebrandum docuit. Victor deinde, duodecimus (*c*) Urbis Romae Epiſcopus, late datis libellis conſtituit, Paſcha ſimiliter die Dominico celebrari. Eleutherus vero a decima quarta luna primi menſis uſque in viceſimam primam: cujus decretis favens Theophilus Caeſareae Palaeſtinae Epiſcopus ſcripſit adverſus eos, qui decima quarta luna cum Judaeis Paſcha celebrabant, cum ceteris Paleſtinae Epiſcopis ſynodicam epiſtolam. Idem Beda Hippolytum Epiſcopum decennalem (*d*) paſchae circulum reperiſſe ſcribit, Euſebioque, qui ſuper eodem die decennovennalem circulum compoſuit, occaſionem dediſſe: Dionyſium denique temporibus Juſtiniani *paſchales circulos* ſcripſiſſe: alioſque quam plurimos, quos ibidem recenſet, quoad ea res vulgo innotuit, ſcriptis ſuis hanc quaeſtionem illuſtraſſe commemorat. Quae ſi quis plenius copioſiuſque ſcire, & Epiſcoporum de hac re contentiones accuratius intelligere volet, ei legendi ſunt Eusebius *lib.* v. *cap.* 23. *ſeqq. hiſtoriae Eccleſiaſt.* & *lib.* iii. *de vita Conſtantini, cap.* 5. & 18. *ſeqq.* Ambrosius *Epiſt.* 83. *lib.* x. (*e*) Socrates *lib.* v. *hiſt. Eccleſ. cap.* 22. Beda in *Chronicis, paſſim.* Isidorus *lib.* vi. *Etymologiar. cap.* 17. Plane propter diei hujus incertum, ne qua vel ignorantia, vel praeſumptione diverſitas in ejus celebritate incorreret, futurus Paſchalis dies Epiſcopis denuntiari ac ſignificari ſolebat, ut ex Leonis *Epiſtola* 96. ad Epiſcopos Galliarum & Hiſpaniarum miſſa, & ex *Epiſtola* Vigilii Papae ad *Eleutherum* liquet. Atque adeo Synodi Aurelianenſis 4. *cap.* 1. cautum fuit, ut Paſchae feſtivitas ſingulis annis ab Epiſcopo Epiphaniorum die in Eccleſiis denunciaretur. Carthaginenſis vero concilii 3. *cap.* 41. & Carthaginenſis 5. *cap.* 7. formatarum ſubſcriptione eam omnibus intimari placuit: quod a Gratiano relatum eſt,

(*a*) Ration.] In hoc libro nihil reperi, quod huc ſpectaret: ſed facinus hoc narratur in ejus *Chronico*, ſive *libro de ſex mundi aetatibus*, ad A. M. 4557. ſub Imp. Mauritio, *pag.* 115. *Tom.* ii. *Opp. ed. Colon.* 1612.

(*b*) Tradit] Vide Bedae *Chronicon* ad A. M. 4090, 4145, 4171, 4518. *pag.* 111. & 115. *Tom.* ii. *Opp. ed. cit.*

(*c*) Duodecimus] *Decimus tertius* legitur apud Bedam: & paullo poſt: *a decima quinta luna.*

(*d*) Decennalem] *Sedecennalem* apud Bedam legitur.

(*e*) Lib. x.] Ita in *edd. vett.* In *ed. Rom.* eſt *Epiſt.* 3. *Tom.* iv. in *ed.* vero *nov. Pariſ.* eſt *Epiſt.* xxiii.

eſt in *Canon.* 24. *Placuit de conſecratione. diſtinct.* 3. Formatas autem (nam vox ea interpretationem deſiderat) mos Latinus *Canonicas Epiſtolas* appellavit, quarum certam a Patribus Niceae congregatis praeſcriptam, & ab omnibus obſervari juſſam conceptionem ac formulam idem GRATIANUS exponit, exemplisque planam facit, *diſt.* 73. Unde illuceſcit, quod OPTATUS *Milevitanus Epiſcopus lib.* 2. *de ſchiſmate Donatiſtarum*, *pag.* 39. *formatarum commercio in una communionis catholicae ſocietate, totum orbem Chriſtianum concordaſſe* ſcribit: & quod concilio Laodicenſi conſtitutum fuit; *Ne quis etiam laicus ad peregrinandum ſine formata proficiſceretur*, ut habetur in *Canon.* 36. *Non oportet. de conſecratione, diſtinct.* 5. Hujusmodi vero Epiſtolae a commendatitiis & pacificis ſeparantur in *Canon.* 4. *Eccleſiis*, 68. *diſtinct.* Porro cur anniverſarius dies celebrandae Dominicae reſurrectionis non ad eundem redeat anni diem, ſicut dies, qua traditur natus, propter Dominici diei & Lunae obſervationem fieri B. AUGUSTINUS *Epiſt.* 119. (55. *cap.* 1. *ed. nov.*) *ad Januar.* & ab eo doctus ISIDORUS *lib.* 1. *de Eccleſiaſt. offic. cap.* 31. declarant. Praeterea cur ſolo verno tempore feſtivitas ea celebretur B. AMBROSIUS *Exaëmer. lib.* 1. *cap.* 4. explicat. Sed & de varietate rituum, quibus feſtivitas iſta in eccleſiis & Orientalibus & Occidentalibus celebrabatur, fuſe SOCRATES agit *lib.* 5. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 22. Et SOZOMENUS *lib.* 7. *cap.* 19. Extremum illud erit, quod tamen prius eſſe debuerat, *Paſchae* vocabulum non a paſſione Domini & verbo Graeco πάσχειν (quod quibusdam videtur) deſcendere, ſed ab Hebraeo idiomate, quo tranſitus ſignificatur, originem ducere: quod GREGORIUS NAZIANZENUS ita exponit: (*Orat.* XLII. ſive II. *de Paſch. pag.* 682. *ſeq.*) Τὸ πάσχα, ait, τοῦτο τὸ μέγα καὶ σεβάσμιον φάσκα τοῖς Ἑβραίοις προσαγορεύεται κατὰ τὴν ἐκείνων φωνήν. δηλοῖ δ' ἡ φωνὴ τὴν διάβασιν. ἱστορικῶς μὲν διὰ τὴν ἐξ Αἰγύπτου πρὸς τὴν Χαναναίαν φυγὴν καὶ μετανάστασιν, πνευματικῶς δὲ διὰ τὴν ἐκ τῶν κάτω πρὸς τὰ ἄνω, καὶ τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας πρόοδον (*al.* πρόσοδον) καὶ ἀνάβασιν. *Hoc Paſcha magnum & venerandum Paſcha ab Hebraeis juxta eorum linguam nominatur: (quae vox tranſitum ſonat) hiſtorica quidem ratione, propter Iſraëlitarum ex Aegypto in Chananaeam regionem fugam & migrationem: ſin autem ſpiritualem ſenſum ſpectemus, propter noſtram ex his inferioribus ad ſuperiora, atque ad promiſſionis terram progreſſionem & adſcenſum.* Et mox: Τοῦ δὲ (*al.* γὰρ) σωτηρίου πάθους ὄνομα τοῦτο εἶναι νομίσαντες, ἔπειτα ἐξελληνίζοντες (*al.* ἐξελληνίζοντες) τὴν φωνήν, κατὰ τὴν τοῦ Φ, πρὸς τὸ Π, καὶ τοῦ Κ, πρὸς τὸ Χ μεταποίησιν, πάσχα τὴν ἡμέραν προσηγορεύκασι. *Quidam enim ſalutiferae paſſionis nomen hoc eſſe arbitrati, ac deinde per litterae* Φ *in* Π, *&* Κ *in* Χ *mutationem, hanc vocem ad linguam Graecam accommodantes, hunc diem Paſcha nominarunt.* Quod & ISIDORUS admonuit *lib.* 6. *Etymologiar. cap.* 17. & *lib.* 1. *de Eccleſiaſt. offic. cap.* 31. Unde B. AMBROSIUS *lib.* 1. *de Cain. & Abel. cap.* 8. *Paſcha Domini*, ait, *tranſitus eſt a paſſionibus ad exercitia virtutis. Et ideo paſcha Domini dicitur, quoniam & tunc in typo illo agni veritas dominicae paſſionis annunciabatur, & nunc ejus celebratur gratia.* Et tamen idem ipſe in libello *de myſterio Paſchae* (ſi modo foetus ille Ambroſianus eſt (*a*)) Paſchae ſacrum nomen a Domini paſſione deſcendere ſcribit.

Sed reliqua conſtitutionis noſtrae verba perſequamur.

ET QUINQUAGESIMAE.] Sic appellant Pentecoſtes diem (*b*), qui Latine loquentibus *quinquageſimam* ſonat. Erat vero, vel ISIDORO *lib.* 6. *Etymologiar. cap.* 18. teſte, apud Hebraeos quoque celebris hic dies, & poſt quinque decadas Paſchae celebrabatur. Unde & nomen ſumpſit: in quo die ſecundum legem panes propoſitionis de novis frugibus offerebant. MAXIMUS Epiſcopus *ſermone de feſto Pentecoſtes* (*c*), hunc diem non minore laetitia quam ſanctum Paſchae, diem celebrari, & utrobique jejunari ſabbato, vigilias celebrari, orationibus pernoctanter inſiſti tradit. Beatus quoque AUGUSTINUS *Epiſt.* 119. (LV. *cap.* 16. *ſeq. ed. nov.*) *ad Januar.* Pentecoſten & adventum de coelo Spiritus Sancti anniverſaria ſolemnitate in toto orbe Chriſtiano a fidelibus univerſa celebrari ſcribit. Sane per totum quinquaginta dierum, qui a Paſcha ad Pentecoſten intercedunt, ſpatium, nec genua in orando flecti, nec jejunia agitari ſolebant. Cujus obſervationis ut ab Apoſtolis per manus traditae auctor *lib. Reſponſion. ad Orthodoxos*, *cap.* 115. meminit his verbis: Εἰ τὸ κλίνειν τὸ γόνυ ἐν ταῖς προσευχαῖς, ἢ τοὺς (*al.* τοῦ, *omiſſa* ἢ) ἑστῶτας προσεύχεσθαι μᾶλλον Θεῷ τοὺς εὐχομένους παρίστησι, καὶ πλεῖον ἐφέλκεται τὴν θείαν συμπάθειαν, διὰ τί ἐν ταῖς κυριακαῖς ἡμέραις, καὶ ἀπὸ τοῦ Πάσχα ἕως τῆς Πεντηκοστῆς, γόνυ οὐ κλίνουσιν οἱ εὐχόμενοι; Id eſt: *Si genu flexo orantes, Deum ſibi potius conciliant, magisque proprium reddunt, quam qui*

(*a*) EST] In *noviſſ. ed. Pariſ. Benedict.* exſtat inter *Opera Suppoſititia* in *Appendice*, & quidem inter *Sermones*, *num.* XXXV.

(*b*) DIEM] Immo totum illud quinquaginta dierum ſpatium a Paſchate, Quinquageſimae, ſive Pentecoſtes nomine veniſſe, obſervat *Jo. Alb. Fabricius* in *Bibliogr. antiq. cap.* 10. *pag.* 337. ubi multos de hoc feſto ſcriptores indicat, quibus adde *Jo. Chriſt. Hebenſtreit Diſſ. de Pentecoſte veterum*, *Lipſ.* 1715. in qua praecipua huc ſpectantia breviter & perſpicue explicantur.

(*c*) PENTECOSTES] De quo vide, quae ad initium hujus Operis notavi.

qui ſtantes precantur; quid cauſae eſt, quod dominicis diebus, & per eos dies, qui inter Paſcha & Pentecoſten interpoſiti ſunt, genua in orationibus minime flectuntur? Quam obſervationem in Eccleſiam duabus de cauſis invectam ſcribit, quod videlicet duarum rerum nos perpetuo meminiſſe oporteat: Noſtri nimirum in peccatum lapſus, & gratiae Chriſti, per quam jacentes ſublevati & erecti ſumus. Itaque genu flexionem, quae in ſex hebdomadae diebus uſitata eſt, lapſus noſtri ſignum & indicium eſſe ſcribit. Quod vero Dominica ſtantes oramus, Symbolum eſſe reſurrectionis, per quam Dei gratia a peccatis & in ipſis contrita peremptaque morte liberati ſumus. Ab Apoſtolicis autem temporibus morem iſtum initium duxiſſe adſerit: teſtemque producit Irenaeum, Lugdunenſis Eccleſiae Epiſcopum, quem in oratione de Paſcha (cujus nec ab Eusebio, nec a B. Hieronymo in libris Irenaei recenſendis mentionem fieri miror (*a*), niſi quis id ſcriptum eſſe, quod ab Eusebio *lib.* 5. *cap.* 26. refertur, malit) etiam Pentecoſtes meminiſſe ſcribit, in qua nec genua ab orantibus curvarentur: quod eandem cum Dominica die vim, poteſtatem, ac rationem haberet. Atque hic vel unus locus (quamquam ſunt & alia multo certiora apertioraque ejus rei argumenta) ſatis abundeque ſufficeret ad eorum refellendam convincendamque opinionem, qui Juſtino Martyri, quem Irenaeo paulo antiquiorem fuiſſe conſtat, illum Reſponſionum ad Orthodoxos librum tribuunt: qui ad alium quemvis potius, quam Juſtinum auctorem referendus eſt. Ex diverſo plane Irenaeum *quinto adverſus haereſes libro* Juſtini teſtimonio uſum, Eusebius *lib.* IV. *Hiſtor. Eccleſiaſtic. cap.* 18. nec non B. Hieronymus in *Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum*, *cap.* 23. notant. Enimvero quando in Irenaei mentionem incidimus (licet πάρεργα noſtra τῶν ἔργων πλείω futura malevoli criminentur) tacitus tamen praeterire non poſſum, Graece ne ille, an Latine ſcripſerit, vulgo quaeri & dubitari ſolere. *Eraſmus* enim nutat, &, ut fit, dum in dubio eſt animus, paulo momento huc illuc impellitur. Nam quae circumferuntur Irenaei ſcripta, rudia & impolita eſſe, Graeciſmisque, imo vero & Soloeciſmis, ſcatere non negat: &.quod majus pondus habet, a B. Hieronymo, *Ezechielis cap.* 36. enarrante, inter ſcriptores Graecos eum recenſeri, non ignorat. Levibus vero conjecturis a vera ſententia, quam audacius *Rhenanus* amplexus eſt, abducitur. Equidem Graeca lingua ſcriptos fuiſſe ejus libros, eos vero, qui nunc extant, *adverſus Haereſes*, de Graecis elegantibus Latinos factos rudes adfirmare, omnique adeo adſeveratione contendere, & contra ſentientes ſacramento provocare non dubitabo (*b*). Itaque operae pretium fuerit, quae ejus verba Graeca reperiuntur, cum Latina interpretatione, quae pro genuinis auctoris verbis paſſim recepta eſt, conferre. Eusebius quidem *lib.* IV. *Hiſt. Eccleſiaſt. cap.* XI. ex *libro* I. Irenaei *adverſus haereſes*, verba, quae ſubjeci, profert, quae in Latinis codicibus ſub *cap.* 28. & 29. (*cap.* 27. *pag.* 105. *ſeq. ed. Paris.*) collocantur: Κέρδων δέ τις ἀπὸ τῶν περὶ τὸν Σίμωνα τὰς ἀφορμὰς λαβὼν, καὶ ἐπιδημήσας ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπὶ Ὑγίνου, ἔνατον κλῆρον τῆς ἐπισκοπῆς διαδοχῇ (*c*) (ſic enim legendum, non Irenaei modo verſio convincit, ſed & Euſebio familiaris loquendi mos, qui ἐπισκοπῆς vocem ſemper abſolute uſurpat) ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων ἔχοντος, ἐδίδαξε, τὸν ὑπὸ τοῦ Νόμου καὶ Προφητῶν κεκηρυγμένον Θεὸν, μὴ εἶναι πατέρα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. τὸν μὲν γὰρ γνωρίζεσθαι, τὸν δὲ ἀγνῶτα εἶναι. καὶ τὸν μὲν δίκαιον, τὸν δὲ ἀγαθὸν ὑπάρχειν. Διαδεξάμενος δὲ αὐτὸν Μαρκίων ὁ Ποντικὸς ηὔξησε τὸ διδασκαλεῖον, ἀπηρυθριασμένως βλασφημῶν. Ea vero, Latione dicam, an barbarie addubito, ſic ab interprete donata ſunt: *Cerdon autem quidam ab iis, qui ſunt erga Simonem, occaſionem accipiens, cum veniſſet Romam ſub hoc* (*d*) *Hygino, qui nonum locum Epiſcopatus per ſucceſſionem ab Apoſtolis habuit, docuit, eum, qui a lege & Prophetis annunciatus ſit Deus, non eſſe patrem Domini noſtri Chriſti Jeſu. Hunc enim cognoſci; illum autem ignorari: & alterum quidem juſtum; alterum autem bo-*

(*a*) Miror] Hieronymus in *Catalogo Script. Eccleſ. cap.* 35. de *Irenaeo* agens, mentionem quidem fecit *Epiſtolarum* ejus ad *Victorem de Quaeſtione Paſchae*: nullius vero hac de re *Orationis*. Sed verba Graeca Auctoris *Reſp. ad Orthod.* ἐν τῷ περὶ τοῦ πάσχα λόγῳ, non praeciſe *Orationem* denotant: ſed Auctor ille prae oculis habere potuit unam *Epiſtolarum* Irenaei *de Paſcha*. Vide *Renati Maſſueti Proleg.* ad *Irenaeum*, *Diſſ.* II. *art.* 3. §. 60. Liber vero ab Euſebio commemoratus ſine dubio fuit diverſiſſimus.

(*b*) Dubitabo] Irenaeum Graece ſcripſiſſe hodie omnes fere fatentur, eamque ſententiam noviſſime etiam probavit *Renatus Maſſuetus* in *Proleg.* ad *nov. ed. Pariſ.* 1710. *fol. Diſſ.* II. *art.* 2. §. 51. *ſeq.* (Confer *Jo. Alb. Fabricii Bibl. Lat. lib.* IV. *cap.* 3. §. 3.) Hinc recentiores editores, praecipue *Jo. Ern. Grabius* & *Renat. Maſſuetus*, Graecum quoque textum ex variis ſcriptoribus, quantum fieri potuit, diligentiſſime conquiſiverunt, & cum textu Latino ſimul ediderunt, addita etiam in quibuſdam meliori *Billii* verſione.

(*c*) Διαδοχῇ] In Euſebii tamen *Codd.* conſtanter legitur: Διαδοχῆς, uti etiam Maſſuetus edidit in *Opp.* Irenaei.

(*d*) Hoc] Pronomen *hoc* in *nov. ed. Pariſ.* non legitur. Paullo poſt pro *Nonum*, Interpretem veterem ſcripſiſſe *octavum*, & in Graeco etiam textu olim ὄγδοον ſcriptum; Euſebium vero vitioſis Codd. uſum fuiſſe, multis contendit *Maſſuetus* in *not.* ad *h. l.* Adde etiam *Valeſii not.* ad *Euſeb. pag.* 64. *ed. Mogunt.*

bonum eſſe. Succedens autem & Marcion Ponticus adimplevit doctrinam impure blaſphematus (a).

Idem Eusebius *libr.* iv. *cap. penult.* ex eodem Irenaei *lib.* i. haec verba promit: Ἀπὸ Σατορνίνου καὶ Μαρκίωνος οἱ καλούμενοι Ἐγκρατεῖς, ἀγαμίαν ἐκήρυξαν, ἀθετοῦντες τὴν ἀρχαίαν πλάσιν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἠρέμα κατηγοροῦντες τοῦ ἄρρεν καὶ θῆλυ εἰς γένεσιν ἀνθρώπων πεποιηκότος. καὶ τῶν λεγομένων παρ᾽ αὐτοῖς ἐμψύχων ἀποχὴν εἰσηγήσαντο, ἀχαριστοῦντες τῷ πάντα πεποιηκότι Θεῷ. ἀντιλέγουσί τε τῇ τοῦ πρωτοπλάστου σωτηρίᾳ. καὶ τοῦτο νῦν ἐξευρέθη παρ᾽ αὐτοῖς, Τατιανοῦ τινὸς πρώτως ταύτην εἰσενέγκαντος τὴν βλασφημίαν, ὃς Ἰουστίνου ἀκροατὴς γεγονὼς, ἐφ᾽ ὅσον μὲν συνῆν ἐκείνῳ, οὐδὲν ἐξέφηνε τοιοῦτον. μετὰ δὲ τὴν ἐκείνου μαρτυρίαν ἀποστὰς τῆς Ἐκκλησίας, οἰήματι διδασκάλου ἐπαρθεὶς καὶ τυφωθεὶς, ὡς διαφέρων τῶν λοιπῶν, ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλείου συνεστήσατο. αἰῶνάς τινας ἀοράτους ὁμοίως τοῖς ἀπὸ Οὐαλεντίνου μυθολογήσας. τὸν γάμον τε φθορὰν καὶ πορνείαν παραπλησίως Μαρκίωνι καὶ Σατορνίνῳ ἀναγορεύσας. τῇ δὲ τοῦ Ἀδὰμ σωτηρίᾳ παρ᾽ ἑαυτοῦ τὴν αἰτιολογίαν (b) ποιησάμενος. Ea apud interpretem reperiuntur *capite* 30. & 31. (*cap.* 28. *pag.* 106. *ſeq. ed. Pariſ.*) quae capita imperite ille ſenſus continentia diviſa disjunxit. Sic autem habent: *A Saturnino & Marcione, qui vocantur Abſtinentes* (c), *abſtinentiam a nuptiis annunciaverunt, fruſtrantes antiquam plaſmationem Dei, & oblique accuſantes eum, qui & maſculum & feminam ad generationem hominum fecit: & eorum, quae dicuntur apud eos animalia, abſtinentiam induxerunt, ingrati exiſtentes ei, qui omnia fecit, Deo: contradicunt quoque ejus ſaluti, qui primus plaſmatus erat. Et hoc nunc adinventum eſt apud eos, Tatiano quodam primo hanc introducente blaſphemiam, qui cum eſſet Juſtini auditor, in quantum quidem apud eum erat, nihil enarravit tale, poſt vero ejus martyrium abſiſtens ab eccleſia, & praeſumptione magiſterii* (d) *elatus & inflatus, quaſi prae ceteris eſſe proprium characterem doctrina conſtituta: non quaſdam inviſibiles, ſimiliter atque hi, qui a Valentiniano ſunt, aeonas fabulam enarrans: nuptiarum autem corruptelas & fornicationes, ſimiliter ut Marcion & Saturninus, dicens: Adae autem ſaluti ex ſe contradictionem faciens.* Praeterea alia quaedam Irenaei ex eodem libro hauſta (tametſi ille numerum libri non deſignat) verba Eusebius nobis ſuppeditat *libri* iv. *cap.* ii. quae ita habent: Οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν νυμφῶνα κατασκευάζουσι, καὶ μυσταγωγίαν ἐπιτελοῦσι, μετ᾽ ἐπιρρήσεων τινῶν τοῖς τελουμένοις, καὶ πνευματικὸν γάμον φάσκουσιν εἶναι τὸ ὑπ᾽ αὐτῶν γινόμενον, κατὰ τὴν ὁμοιότητα τῶν ἄνω συζυγιῶν. οἱ (e) δὲ ἄγουσιν τῶν πάντων, εἰς τὸν κατελθόντα εἰς τὸν Ἰησοῦν, ἄλλοι δὲ εἰς ὕδωρ, καὶ βαπτίζοντες, οὕτως ἐπιλέγουσιν. Εἰς ὄνομα ἀγνώστου πατρὸς τῶν ὅλων, εἰς ἀλήθειαν μητέρα, Ἑβραϊκὰ ὀνόματα ἐπιλέγουσι, πρὸς τὸ μᾶλλον καταπλήξασθαι τοὺς τελουμένους. Deprehendi vero eum locum apud interpretem *libri primi*, *cap.* 18. (*cap.* 21. §. 3. *pag.* 94. *ſeq. ed. Paris.*) his verbis converſum: *Quidam enim ex ipſis ſponſale cubiculum quoddam adaptantes* (f) *& quaſi myſticum conficiunt, cum quibuſdam prophanis dictionibus, his, qui ſacrantur; & ſpiritales nuptias dicunt eſſe id, quod ab eis fit, ſecundum ſimilitudinem ſupernarum conjugationum. Alii autem adducunt ad aquam, & baptizantes ita dicunt.: In nomine ignoti patris omnium, in veritate matris omnium, & in nomine deſcendentis Jeſu* (g), *ad unitionem, & redemptionem, & communionem virtutum. Alii autem & Hebraica nomina ſuperſantur, ut ſtupori ſint, vel perterreant eos, qui ſacrantur.* At ex *ſecundo* Irenaei *contra haereſes libro*, idem Eusebius *libr.* v. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 7. haec verba refert: Τοσοῦτον δὲ ἀποδέουσι τοῦ νεκρὸν ἐγεῖραι, καθὼς ὁ Κύριος ἤγειρε, καὶ οἱ Ἀπόστολοι διὰ προσευχῆς, καὶ ἐν τῇ ἀδελφότητι πολλάκις διὰ τὸ ἀναγκαῖον, τῆς κατὰ τόπον ἐκκλησίας πάσης αἰτησαμένης μετὰ νηστείας πολλῆς καὶ ἁγνείας (h); ἐπέστρεψε τὸ πνεῦμα τοῦ τετελευτηκότος, καὶ ἐχαρίσθη ὁ ἄνθρωπος ταῖς εὐχαῖς τῶν ἁγίων. Quorum verborum ſententia in Latino codice Irenaei *lib.* 2. *cap.* 56. (*cap.* 31. *pag.* 164. *ed. Pariſ.*) ita reddita reperitur: *Tantum autem abſunt ab eo, ut mortuum excitent, quemadmodum Dominus excitavit, & Apoſtoli per orationem, & in fraternitate ſaepiſſime propter aliquid neceſſarium, ea, quae eſt in quoquo loco, Eccleſia univerſa poſtulante per jejunium & ſupplicationem*

(a) Blasphematus] Ultima periodus in *nov. ed. Pariſ.* ita legitur: *Succedens autem ei Marcion Ponticus adampliavit doctrinam, impudorate blaſphemans.*

(b) Αἰτιολογίαν] Melius legitur ἀντιλογίαν. Vide *Valeſii not.* ad *h. l. pag.* 84.

(c) Abstinentes] In *ed. Pariſ.* legitur: *Continentes.*

(d) Magisterii] In *ed. Pariſ.* legitur: *Magiſtri.* Et paullo poſt ita editur: *caeteris eſſet, pr. ſb. doctrinae conſtituit, Aeonas quoſdam* &c.

(e) Οἱ] Neſcio, quibus editionibus uſus fuerit auctor. Hodie enim non tantum apud Euſebium; ſed & apud Epiphanium, verba ſequentia hoc ordine ita leguntur: Οἱ δὲ ἄγουσιν ἐφ᾽ ὕδωρ καὶ βαπτίζοντες οὕτως ἐπιλέγουσιν· εἰς ὄνομα ἀγνώστου πατρὸς τῶν ὅλων, εἰς ἀλήθειαν μητέρα τῶν πάντων, εἰς τὸν κατελθόντα εἰς τὸν Ἰησοῦν. [Epiphanius addit: εἰς ἕνωσιν, καὶ ἀπολύτρωσιν, καὶ κοινωνίαν τῶν δυνάμεων.] ἄλλοι δὲ Ἑβραϊκὰ [Epiphanius addit: τινα] ὀνόματα &c. Pro καταπλήξασθαι, in quibuſdam Euſebii *Codd.* ut notat *Valeſius*, legitur: καταπλῆξαι. Pro τελουμένους apud Epiphanium legitur: τελειουμένους.

(f) Adaptantes] In *noviſſ. edd. Oxon.* & *Pariſ.* legitur: *adaptant.*

(g) Jesu] In *nov. edd.* ita legitur: *In nomen incogniti p. o. in veritatem matrem omnium, in deſcendentem in Jeſum* &c. Paullo poſt pro *perterreant*, legitur: *deterreant.*

(h) Ἁγνείας] Valeſius in *notis*, *pag.* 93. ex MSS. & *Nicephoro* (ubi hic locus pariter legitur) pro hac voce reponendum eſſe λιτανείας cenſet.

nem multam, reverſus eſt ſpiritus mortuo (a), & donatus eſt homo orationibus ſanctorum. Ex eodem libro ſecundo alius ab Euſebio itidem locus profertur his verbis: Εἰ δὲ καὶ τὸν Κύριον φαντασιωδῶς τὰ τοιαῦτα πεποιηκέναι φάσκουσιν, ἐπὶ τὰ προφητικὰ ἀνάγοντες αὐτούς, ἐξ αὐτῶν ἐπιδείξομεν, πάντα οὕτως περὶ αὐτοῦ καὶ προειρῆσθαι καὶ γεγονέναι βεβαίως, καὶ αὐτὸν μόνον εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ· διὸ καὶ ἐν τῷ ἐκείνῳ (al. ἐκείνου) ὀνόματι οἱ ἀληθῶς αὐτοῦ μαθηταί, παρ' αὐτοῦ λαβόντες τὴν χάριν, ἐπιτελοῦσιν ἐπ' εὐεργεσίᾳ τῇ τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων, καθὼς εἷς ἕκαστος αὐτῶν τὴν δωρεὰν εἴληφε παρ' αὐτοῦ. Οἱ μὲν γὰρ δαίμονας ἐλαύνουσι βεβαίως καὶ ἀληθῶς, ὥστε πολλάκις καὶ πιστεύειν αὐτοὺς ἐκείνους καθαρισθέντας ἀπὸ τῶν πονηρῶν πνευμάτων, καὶ εἶναι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ· οἱ δὲ καὶ πρόγνωσιν ἔχουσι τῶν μελλόντων, καὶ ὀπτασίας, καὶ ῥήσεις προφητικάς. Ἄλλοι δὲ τοὺς κάμνοντας διὰ τῆς τῶν χειρῶν ἐπιθέσεως ἰῶνται καὶ ὑγιεῖς ἀποκαθιστᾶσιν. ἤδη δέ, καθὼς ἔφαμεν, καὶ νεκροὶ ἠγέρθησαν, καὶ παρέμειναν σὺν ἡμῖν ἱκανοῖς ἔτεσι. καὶ τί γάρ; οὐκ ἔστιν ἀριθμὸν εἰπεῖν τῶν χαρισμάτων, ὧν κατὰ παντὸς τοῦ κόσμου ἡ ἐκκλησία παρὰ Θεοῦ λαβοῦσα, ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, ἑκάστης ἡμέρας ὑπ' (al. ἐπ') εὐεργεσίᾳ τῇ τῶν ἐθνῶν ἐπιτελεῖ, μήτε ἐξαπατῶσά τινας, μήτε ἐξαργυριζομένη, ὡς γὰρ δωρεὰν εἴληφε παρὰ Θεοῦ, δωρεὰν καὶ διακονεῖ. Quae ita ſunt ab interprete Latine expoſita lib. 2. cap. 57. (cap. 32. pag. 166. ed. Pariſ.) *Si tamen* (al. *autem*), *& Dominum per phantaſmata hujuſmodi feciſſe dicunt, ad prophetica reducentes eos, ex ipſis monſtrabimus, omnia ſic de eo & praedicta eſſe, & facta firmiſſime, & ipſum ſolum eſſe Filium Dei. Quapropter & in illius nomine, qui vere illius ſunt diſcipuli, ab ipſo accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisque accepit donum ab eo. Alii enim daemones excludunt firmiſſime, & vere, ut etiam ſaepiſſime credant ipſi, qui emundati ſunt a nequiſſimis ſpiritibus, & ſint in eccleſia. Alii autem & praeſcientiam habent futurorum, & viſiones, & dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliqua infirmitate per manus impoſitionem curant & ſanos reſtituunt. Jam etiam, quemadmodum diximus, & mortui reſurrexerunt, & perſeveraverunt nobiſcum annis multis. Et quid autem? Non eſt numerum dicere gratiarum, quas per univerſum mundum Eccleſia a Deo accipiens, in nomine Chriſti Jeſu, crucifixi ſub Pontio Pilato, per ſingulos dies in opitulationem gentium perficit, neque ſeducens aliquem, nec pecuniam ei auferens. Quemadmodum enim gratis accepit a Deo, gratis miniſtrat.* Ex tertii vero libri cap. 1. eodem Euſebio lib. 5. cap. 8. locum proferri animadverti, in quo ita fuiſſe ſcribit: Ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν Εὐαγγελίου, τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων, καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν. μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον, Μάρκος ὁ μαθητὴς καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρου, καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε. καὶ Λουκᾶς δὲ ὁ ἀκόλουθος Παύλου, τὸ ὑπ' ἐκείνου κηρυσσόμενον εὐαγγέλιον ἐν βιβλίῳ κατέθετο. ἔπειτα Ἰωάννης ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου, ὁ καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ ἀναπεσών, καὶ αὐτὸς ἐξέδωκε τὸ εὐαγγέλιον ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων. Quae ſic interpres reddidit: *Ita Matthaeus in Hebraeis ipſorum lingua ſcripturam edidit Euangelii, cum Petrus & Paulus Romae euangelizarent, & fundarent eccleſiam. Poſt vero horum exceſſum, Marcus diſcipulus & interpres Petri, & ipſe, quae a Petro annunciata erant, praeſcripta* (al. *per ſcripta*) *nobis tradidit. Et Lucas autem ſectator Pauli, quod ab illo praedicabatur euangelium, in libro condidit. Poſtea & Joannes diſcipulus Domini, qui & ſupra pectus ejus recumbebat, & ipſe edidit Euangelium, Epheſi Aſiae commorans.* Hoc amplius ex eodem Irenaei libro locus ab Euſebio *lib. 5. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 6.* citatur, qui, prout Latinus interpres in capita eos libros digeſſit, ad *caput tertium* pertinet. In eo ita fuiſſe ſcribit: Θεμελιώσαντες οὖν καὶ οἰκοδομήσαντες οἱ μακάριοι Ἀπόστολοι τὴν ἐκκλησίαν, Λίνῳ τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρισαν. τούτου τοῦ Λίνου Παῦλος ἐν ταῖς πρὸς Τιμόθεον ἐπιστολαῖς μέμνηται. διαδέχεται δὲ αὐτὸν Ἀνάκλητος. (al. Ἀνέγκλητος) μετὰ τοῦτον δὲ τρίτῳ τόπῳ ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων τὴν ἐπισκοπὴν κληροῦται Κλήμης, ὁ καὶ ἑωρακὼς τοὺς μακαρίους Ἀποστόλους, καὶ συμβεβληκὼς αὐτοῖς, καὶ ἔτι ἔναυλον τὸ κήρυγμα τῶν Ἀποστόλων, καὶ τὴν παράδοσιν πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχων, οὐ μόνος. ἔτι γὰρ πολλοὶ ὑπελείποντο τότε ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων δεδιδαγμένοι. ἐπὶ τούτου οὖν τοῦ Κλήμεντος στάσεως οὐκ ὀλίγης τοῖς ἐν τῇ Κορίνθῳ γενομένης ἀδελφοῖς, ἐπέστειλεν ἡ ἐν Ῥώμῃ ἐκκλησία ἱκανωτάτην γραφὴν τοῖς Κορινθίοις, εἰς εἰρήνην συμβιβάζουσα αὐτούς, καὶ ἀνανεοῦσα τὴν πίστιν αὐτῶν, καὶ ἣν νεωστὶ ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων παράδοσιν εἰλήφει. Et aliquot paucis interpoſitis verſibus haec, quae ſequuntur, ibidem Irenaeum ſcripſiſſe ſubjicit: Τὸν δὲ Κλήμεντα τοῦτον διαδέχεται Εὐάρεστος, καὶ τὸν Εὐάρεστον Ἀλέξανδρος. εἶθ' οὕτως ἕκτος ἀπὸ τῶν ἀποστόλων καθίσταται Ξύστος, μετὰ δὲ τοῦτον Τελεσφόρος, ὃς καὶ ἐνδόξως ἐμαρτύρησεν. ἔπειτα Ὑγῖνος, εἶτα Πῖος. μεθ' ὃν Ἀνίκητος. διαδεξαμένου τὸν Ἀνίκητον Σωτῆρος, νῦν δωδεκάτῳ τόπῳ τὸν τῆς ἐπισκοπῆς ἀπὸ τῶν ἀποστόλων κατέχει κλῆρον Ἐλεύθερος. τῇ αὐτῇ τάξει, καὶ τῇ αὐτῇ διαδοχῇ (b), ἥ τε ἀπὸ τῶν ἀποστόλων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ παράδοσις, καὶ τὸ τῆς ἀληθείας κήρυγμα κατήντηκεν εἰς ἡμᾶς. Quae Latine in noſtro vulgari Irenaeo ſic habentur: *Fundantes igitur & inſtruentes beati Apoſtoli Eccleſiam, Lino Epiſcopatum adminiſtrandae Eccleſiae tradiderunt. Hujus Lini Paulus in his, quae ſunt*

ad

(a) Mortuo] In *ed. Pariſ.* legitur: *mortui.*
(b) Διαδοχῇ] Ita legendum eſſe cenſent plurimi, licet Codd Euſebii exhibeant: διδαχῇ. Vide *Valeſii* & *Maſſueti* notas.

ad Timotheum, *Epiſtolis meminit. Succedit autem ei Anacletus: poſt eum tertio loco ab Apoſtolis Epiſcopatum ſortitur Clemens, qui & vidit ipſos Apoſtolos, & contulit cum eis, & cum adhuc inſonantem praedicationem Apoſtolorum & traditionem ante oculos haberet. Non ſolus enim, adhuc multi* (*a*) *ſupererant tunc ab Apoſtolis docti. Sub hoc igitur Clemente diſſenſione non modica inter eos, qui Corinthi erant, fratres facta, ſcripſit quae eſt Romae Eccleſia potentiſſimas literas Corinthiis, ad pacem eos congregans, & reparans eorum fidem, & annuncians quam in recenti ab Apoſtolis receperant traditionem.* Et mox: *Huic autem Clementi ſuccedit Euareſtus, & Euareſto Alexander, ac deinceps ſextus ab Apoſtolis conſtitutus eſt Sixtus, & ab hoc Teleſphorus, qui etiam glorioſiſſime martyrium fecit, ac deinceps Hyginus, poſt Pius, poſt quem Anicetus. Cum autem ſucceſſiſſet Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Epiſcopatum ab Apoſtolis habet Eleutherus. Hac ordinatione & ſucceſſione ea, quae eſt ab Apoſtolis in Eccleſia, traditio & veritatis praedicatio ad nos pervenit* (*b*). Reliqua vero ejus capitis verba apud eundem EUSEBIUM *lib.* 4. *hiſt. Eccleſiaſt. cap.* 14. referri obſervavi; quae ſi ſuperioribus annectamus, paene integrum caput ſumus habituri. Scripta ſuiſſe in hunc modum ait: Καὶ Πολύκαρπος δὲ οὐ μόνον ὑπ᾽ ἀποστόλων μαθητευθεὶς, καὶ συναναστραφεὶς πολλοῖς τοῖς τὸν Χριστὸν ἑωρακόσιν, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ ἀποστόλων κατασταθεὶς εἰς τὴν Ἀσίαν, ἐν τῇ ἐν Σμύρνῃ ἐκκλησίᾳ ἐπίσκοπος, ὃν καὶ ἡμεῖς ἑωράκαμεν ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ· (ἐπιπολὺ γὰρ παρέμενος (*c*), καὶ πάνυ γηραλέος, ἦν ἔνδοξος καὶ ἐπιφανέστατα μαρτυρήσας, ἐξῆλθε τοῦ βίου) ταῦτα διδάξας ἀεὶ, ἃ καὶ παρὰ τῶν ἀποστόλων ἔμαθεν, ἃ καὶ ἡ ἐκκλησία παραδίδωσιν. ἃ καὶ μόνα ἐστὶν ἀληθῆ. μαρτυροῦσιν (*d*) αἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐκκλησίαι πᾶσαι, καὶ οἱ μέχρι νῦν διαδεδεγμένοι τὸν τοῦ Πολυκάρπου θρόνον (*e*), πολλῷ ἀξιοπιστότερον καὶ βεβαιότερον ἀληθείας μάρτυρα ὄντα Πολύκαρπον, Οὐαλεντίνου, καὶ Μαρκίωνος, καὶ τῶν λοιπῶν κακογνωμόνων. Ὃς καὶ ἐπὶ Ἀνικήτου ἐπιδημήσας τῇ Ῥώμῃ, πολλοὺς ἀπὸ τῶν προειρημένων αἱρετικῶν ἐπέστρεψεν εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, μίαν καὶ μόνην ταύτην ἀλήθειαν κηρύξας ὑπὸ τῶν ἀποστόλων παρειληφέναι, τὴν ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας παραδεδομένην. καὶ εἰσὶν οἱ ἀκηκοότες αὐτοῦ, ὅτι ὁ Ἰωάννης, ὁ τοῦ κυρίου μαθητὴς, ἐν τῇ Ἐφέσῳ πορευθεὶς λούσασθαι, καὶ ἰδὼν ἔσω Κήρινθον, ἐξήλατο τοῦ βαλανείου μὴ λουσάμενος, ἀλλ᾽ ἐπειπών· φυγώμεθα, μὴ καὶ τὸ βαλανεῖον συμπέσῃ, ἔνδον ὄντος Κηρίνθου, τοῦ τῆς ἀληθείας ἐχθροῦ. Καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Πολύκαρπος Μαρκίωνί ποτε εἰς ὄψιν αὐτῷ ἐλθόντι, καὶ φήσαντι· Ἐπιγίγνωσκε ἡμᾶς (*f*), ἀπεκρίθη· Ἐπιγινώσκω τὸν πρωτότοκον τοῦ Σατανᾶ. τοσαύτην οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτῶν ἔσχον εὐλάβειαν, πρὸς τὸ μηδὲ μέχρι λόγου κοινωνεῖν τινὶ τῶν παραχαρασσόντων τὴν ἀλήθειαν, ὡς καὶ Παῦλος ἔφησεν· Αἱρετικὸν ἄνθρωπον μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτοῦ, εἰδὼς ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος, καὶ ἁμαρτάνει ὢν αὐτοκατάκριτος. ἔστι δὲ καὶ ἐπιστολὴ Πολυκάρπου πρὸς Φιλιππησίους γεγραμμένη ἱκανωτάτη, ἐξ ἧς καὶ τὸν χαρακτῆρα τῆς πίστεως αὐτοῦ, καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας, οἱ βουλόμενοι καὶ φροντίζοντες τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας, δύνανται μαθεῖν. Quae interpres ita convertit: *Et Polycarpus autem non ſolum ab Apoſtolis edoctus, & converſatus cum multis ex eis, qui Dominum noſtrum viderunt, ſed etiam ab Apoſtolis in Aſia, in ea, quae eſt Smyrnis, Eccleſia conſtitutus Epiſcopus, quem & nos vidimus in prima noſtra aetate; (multum enim perſeveraverat,* [al. *perſeveravit*] *& valde ſenex glorioſiſſime & nobiliſſime martyrium faciens exivit de hac vita) Hic* [al. *Haec*] *docuit ſemper, quae ab Apoſtolis didicerat, quae & Eccleſiae tradidit, & ſola ſunt vera.* [*Et*] *teſtimonium his perhibent, quae ſunt in Aſia Eccleſiae omnes, & qui uſque adhuc ſucceſſerunt Polycarpo, qui vir multo majoris authoritatis, & fidelioris* [al. *fidelior*] *veritatis eſt teſtis, quam Valentinus, & Marcion, & reliqui, qui ſunt perverſae ſententiae. Is enim eſt, qui ſub Aniceto cum adveniſſet in urbem, multos ex his, quos praediximus, haereticos convertit in Eccleſiam Dei, unam & ſolam hanc veritatem annuncians ab Apoſtolis percepiſſe ſe, quam & Eccleſiae tradidit. Et ſunt, qui audierunt eum dicentem, quoniam Joannes Domini diſcipulus in Epheſo iens lavari, cum vidiſſet intus Cerinthum, exilierit de balneo non lotus, dicens, quod timeat, ne balneum concidat, cum intus eſſet Cerinthus inimicus veritatis. Et ipſe autem Polycarpus Marcioni aliquando occurenti ſibi & dicenti:* Cognoſce nos; *reſpondit:* Cognoſco te primogenitum Sathanae. *Tantum Apoſtoli & horum diſcipuli habuerunt timorem, ut ne verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem, quemadmodum & Paulus ait:* Haereticum autem hominem poſt unam (*g*) correptionem devita; ſciens quoniam perverſus eſt, qui

(*a*) MULTI] In *ed. Pariſ.* ita legitur: *Non ſolus, adhuc enim multi.* Paullo poſt pro *erant*, legitur: *eſſent.* Et deinde pro *receperant*, ex MSS editur: *acceperat.*

(*b*) PERVENIT] *In ed. Pariſ.* legitur: *pervenit uſque ad nos.*

(*c*) Παρέμενος] Apud Euſebium hodie legitur: παραμείνας, quam lectionem ſequitur *Maſſuetus.* Paullo poſt pro ἦν ἔνδοξος legitur: ἐνδόξως.

(*d*) Μαρτυροῦσι] Valeſius ex MSS. addidit: τούτοις.

(*e*) Θρόνον] In *noviſſ.* Euſebii & Irenaei *edd.* editur: τὸν Πολύκαρπον: caetera enim verba a recentiori manu addita eſſe cenſent editores: uti & paullo poſt repetitum vocabulum Πολύκαρπον.

(*f*) Ἡμᾶς] In quatuor Codd. MSS. interrogativo modo ita legitur: ἐπιγινώσκεις ἡμᾶς; quam lectionem praeferunt *Grabius* & *Maſſuetus*: & hinc in textu quoque Latino ita ediderunt: *cognoſcis nos?*

(*g*) UNAM] Deeſſe hic librariorum culpa verba: *& alteram*; vel *ſecundam*, cenſet *Maſſuetus.*

qui eſt talis, & a ſeipſo damnatus. *Eſt autem & Epiſtola Polycarpi ad Philippenſes ſcripta perfectiſſima, ex qua & characterem fidei ejus, & praedicationem veritatis, qui volunt, & curam habent ſuae ſalutis, poſſunt diſcere.* At ex ſequenti ejuſdem libri capite idem Euſebius *lib. 4. cap. 11.* verba haec in medium producit: Οὐαλεντῖνος μὲν γὰρ ἦλθεν εἰς Ῥώμην ἐπὶ Ὑγίνου· ἤκμασε δὲ ἐπὶ Πίου, καὶ παρέμεινεν ἕως Ἀνικήτου. Κέρδων δὲ ὁ πρὸ Μαρκίωνος, καὶ αὐτὸς ἐπὶ Ὑγίνου, ὃς ἦν ἔνατος (a) ἐπίσκοπος, εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐλθὼν, καὶ ἐξομολογούμενος οὕτως διετέλεσε, ποτὲ μὲν λαθροδιδασκαλῶν, ποτὲ δὲ πάλιν ἐξομολογούμενος, ποτὲ δὲ ἐλεγχόμενος ἐφ᾽ οἷς ἐδίδαξε κακῶς, καὶ ἀφιστάμενος τῆς τῶν ἀδελφῶν συνοδίας. Haec vero ſic Anonymus ille interpres vertit: *Valentinus enim venit Romam ſub Hygino: increvit vero ſub Pio, & prorogavit tempus uſque ad Anicetum. Cerdon autem, qui ante Marcionem, & hic ſub Hygino, qui fuit octavus Epiſcopus, in eccleſiam veniens, & exomolegeſin faciens, ſic conſummavit; modo quidem latenter docens, modo vero exomolegeſin facieas, modo vero ab aliquibus traductus in iis, quae docebat male, & abſtentus eſt a religioſorum hominum conventu.* Aliud inſuper libri tertii fragmentum notavi apud Euſebium *lib. 5. cap. 8.* in quo ita κατὰ λέξιν ab Irenaeo reſcriptum refert: Ὁ Θεὸς οὖν ἄνθρωπος ἐγένετο, καὶ αὐτὸς Κύριος ἔσωσεν ἡμᾶς, δοὺς τὸ τῆς παρθένου σημεῖον. ἀλλ᾽ οὐχ ὡς ἔνιοί φασι τῶν νῦν τολμώντων μεθερμηνεύειν τὴν γραφήν· Ἰδοὺ ἡ νεᾶνις ἐν γαστρὶ ἕξει, καὶ τέξεται υἱόν, ὡς Θεοδοτίων ἡρμήνευσεν ὁ Ἐφέσιος, καὶ Ἀκύλας ὁ Ποντικός, ἀμφότεροι Ἰουδαῖοι προσήλυτοι, οἷς κατακολουθήσαντες οἱ Ἐβιωναῖοι, ἐξ Ἰωσὴφ αὐτὸν γεγενῆσθαι φάσκουσι. Et mox ab eodem ſcripturam refert: Πρὸ γὰρ τοῦ Ῥωμαίους κρατῦναι τὴν ἀρχὴν αὐτῶν, ἔτι τῶν Μακεδόνων τὴν Ἀσίαν κατεχόντων, Πτολεμαῖος ὁ Λάγου φιλοτιμούμενος τὴν ὑπ᾽ αὐτοῦ κατασκευασθεῖσαν (al. κατεσκευασμένην) βιβλιοθήκην ἐν Ἀλεξανδρείᾳ κοσμῆσαι τοῖς πάντων ἀνθρώπων συγγράμμασιν, ὅσαγε σπουδαῖα ὑπῆρχεν, ᾐτήσατο παρὰ τῶν Ἱεροσολυμιτῶν εἰς τὴν Ἑλληνικὴν διάλεκτον σχεῖν αὐτῶν μεταβεβλημένας τὰς γραφάς, οἱ δὲ (ὑπήκουον γὰρ ἔτι τοῖς Μακεδόσι τότε) τοὺς παρ᾽ αὐτοῖς ἐμπειροτάτους τῶν γραφῶν, καὶ ἀμφοτέρων τῶν διαλέκτων, ἑβδομήκοντα πρεσβυτέρους ἔπεμψαν Πτολεμαίῳ, ποιήσοντος τοῦ Θεοῦ ὅπερ ἐβούλετο· ὁ δὲ ἰδίᾳ πεῖραν αὐτῶν λαβεῖν θελήσας, εὐλαβηθείς τε μήπως ἄρα συνθέμενοι, ἀποκρύψωσι τὴν ἐν ταῖς γραφαῖς διὰ τῆς ἑρμηνείας ἀλήθειαν, χωρίσας αὐτοὺς ἀπ᾽ ἀλλήλων, ἐκέλευσε τοὺς πάντας τὴν αὐτὴν ἑρμηνείαν γράφειν. καὶ τοῦτο ἐπὶ πάντων τῶν βιβλίων ἐποίησε. συνελθόντων δὲ αὐτῶν ἐπὶ τὸ αὐτὸ παρὰ τῷ Πτολεμαίῳ, καὶ συναντιβαλλόντων ἑκάστου τὴν ἑαυτοῦ ἑρμηνείαν, ὁ μὲν Θεὸς ἐδοξάσθη, αἱ δὲ γραφαὶ ὄντως θεῖαι ἐγνώσθησαν, τῶν πάντων τὰ αὐτὰ ταῖς αὐταῖς λέξεσι, καὶ τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασιν ἀναγορευσάντων ἀπ᾽ ἀρχῆς μέχρι τέλους, ὥστε καὶ τὰ παρόντα ἔθνη γνῶναι, ὅτι κατ᾽ ἐπίπνοιαν τοῦ Θεοῦ εἰσιν ἡρμηνευμέναι αἱ γραφαί. καὶ οὐδέν γε θαῦμα ἦν τὸν Θεὸν τοῦτο ἐνηργηκέναι, ὅσγε καὶ ἐν τῇ ἐπὶ Ναβουχοδονόσορ αἰχμαλωσίᾳ τοῦ λαοῦ, διαφθαρεισῶν τῶν γραφῶν, καὶ μετὰ ἑβδομήκοντα ἔτη τῶν Ἰουδαίων ἀνελθόντων εἰς τὴν χώραν αὐτῶν, ἔπειτα ἐν τοῖς χρόνοις Ἀρταξέρξου, τοῦ Περσῶν βασιλέως, ἐνέπνευσεν Ἔσδρᾳ, τῷ ἱερεῖ ἐκ τῆς φυλῆς Λευὶ, τοὺς τῶν προγεγονότων προφητῶν πάντας ἀνατάξασθαι λόγους, καὶ ἀποκαταστῆσαι τῷ λαῷ τὴν διὰ Μωσέως νομοθεσίαν. Quae apud interpretem tribus capitibus, viceſimo tertio nimirum, viceſimo quarto, & viceſimo quinto diſtincta diviſaque legere eſt (b): *Deus igitur homo factus eſt, & ipſe Dominus ſalvabit nos, ipſe dans virginis ſignum. Non ergo vera eſt quorundam interpretatio, qua ita audent interpretari ſcripturam:* Ecce adoleſcentula in ventre habebit, & pariet filium, *quemadmodum & Theodotion Epheſius eſt interpretatus, & Aquila Ponticus, utrique Judaei proſelyti, quos ſectati Ebionaei, ex Joſeph generatum eum dicunt: [tantam diſpoſitionem Dei diſſolventes, quantum ad ipſos eſt, fruſtrantes prophetarum teſtimonium, quod operatus eſt Deus. Prophetatum eſt quidem, priuſquam in Babylonem fieret populi tranſmigratio, id eſt, antequam Medi & Perſae acciperent principatum. Interpretatum vero in Graeco ab ipſis Judaeis multum ante tempora adventus Domini noſtri ut nulla relinquatur ſuſpicio, ne forte morem nobis gerentes Judaei haec ita ſint interpretati. Qui quidem ſi cognoviſſent nos futuros, & uſuros his teſtimoniis, quae ſunt ex ſcripturis, nunquam dubitaſſent ipſi ſuas comburere ſcripturas, quae & reliquas omnes gentes manifeſtant participare vitae, & eos, qui gloriantur domum ſe eſſe Jacob, & populum Iſraël, exhereditari oſtendunt a gratia Dei (c).] Prius enim quam Romani poſſiderent regnum ſuum, adhuc Macedonibus Aſiam poſſidentibus, Ptolomaeus Lagi filius, cupiens eam bibliothecam, quae a ſe fabricata eſſet in Alexandria, omnium hominum dignis conſcriptionibus ornare, petiit ab Hieroſolymis in Graecum ſermonem interpretatas habere eorum ſcripturas. Illi vero (obaudiebant enim tunc adhuc Macedonibus) eos, quos habebant perfectiores ſcripturarum intellectores, & utriuſque loquelae, ſeptuaginta ſeniores miſerunt Ptolomaeo, facturos hoc, quod ille voluiſſet. Ille autem experimentum eorum ſumere volens, & metuens, ne forte conſentientes eam veritatem, quae eſſet in ſcripturis, abſconderent per interpretationem, ſeparans eos ab invicem, juſſit omnes eandem interpretari ſcripturam, & hoc in omnibus libris fecit. Convenien-*

(a) Ἔνατος] Ὄγδοος legendum eſſe cenſent *Valeſius* & *Maſſuetus*. Paullo poſt pro ἐδίδαξε apud *Euſebium* legitur: ἐδίδασκε.

(b) Est] In *nov. ed. Pariſ.* omnia exſtant ſub *cap. 1. pag. 215. ſeq.*

(c) Dei] Verba, quae uncis incluſi, non reperiuntur hodie in Graeca lingua. Pro *exhereditari*, in *nov. ed. Pariſ.* legitur: *exhereditatos.* Et paullo poſt pro *Hieroſolymis*, legitur: *Hieroſolymitis.*

nientibus autem ipſis in unum apud Ptolemaeum, & comparantibus ſuas interpretationes, Deus glorificatus eſt, & ſcripturae vere divinae creditae ſunt, omnibus eadem, & iiſdem verbis, ac iiſdem nominibus, recitantibus ab initio uſque ad finem, uti & praeſentes gentes cognoſcerent; quoniam per aſpirationem Dei interpretatae ſunt ſcripturae. Et non eſſe mirabile Deum hoc in eis operatum, quando in ea captivitate populi, quae facta eſt a Nabuchodonoſor, corruptis ſcripturis, & poſt ſeptuaginta annos Judaeis deſcendentibus in regionem ſuam, poſt deinde temporibus Artaxerxis Perſarum Regis inſpiravit Eſdrae, ſacerdoti tribus Levi, praeteritorum prophetarum omnes rememorare ſermones, & reſtituere populo eam legem, quae data eſſet per Moyſem. Ex *quinto* vero IRENAEI *libro* (*cap.* 30.) duos nobis locos ſubminiſtrat. EUSEBIUS *lib.* 3. *hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 18. (*b*) & *lib.* 5. *cap.* 8. quorum prior ita habet: Τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων, καὶ ἐν πᾶσι δὲ τοῖς σπουδαίοις καὶ ἀρχαίοις ἀντιγράφοις τοῦ ἀριθμοῦ τούτου κειμένου, καὶ μαρτυρούντων αὐτῶν ἐκείνων τῶν κατ᾽ ὄψιν τὸν Ἰωάννην ἑωρακότων, καὶ τοῦ λόγου διδάσκοντος ἡμᾶς, ὅτι ὁ ἀριθμὸς τοῦ ὀνόματος τοῦ θηρίου κατὰ τὴν τῶν Ἑλλήνων ψῆφον διὰ τῶν ἐν αὐτῷ γραμμάτων ἐμφαίνεται. Sic aotem interpres tranſtulit: *His autem ſic ſe habentibus, & in omnibus antiquiſſimis & probatiſſimis & veteribus ſcripturis numero hoc poſito, & teſtimonium perhibentibus his, qui facie ad faciem Joannem viderunt, & rationem docentibus* (*i*), *quoniam numerus nominis beſtiae ſecundum Graecorum computationem per litteras, quae in eo ſunt ſexcentos habebit & ſexaginta ſex.* Alterius vero loci haec verba ab Euſebio memorantur: Ἡμεῖς οὖν οὐκ ἀποκινδυνεύομεν περὶ τοῦ ὀνόματος τοῦ Ἀντιχρίστου ἀποφαινόμενοι βεβαιωτικῶς. Εἰ γὰρ ἔδει ἀναφανδὸν τῷ νῦν καιρῷ κηρύττεσθαι τοὔνομα αὐτοῦ, δι᾽ ἐκείνου ἂν ἐρρέθη τοῦ καὶ τὴν ἀποκάλυψιν ἑωρακότος. οὐδὲ γὰρ πρὸ πολλοῦ χρόνου ἑωράθη, ἀλλὰ σχεδὸν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς, πρὸς τῷ τέλει τῆς Δομετιανοῦ ἀρχῆς. Quorum verborum loco Latina tranſlatio ita ſcriptum habet: *Nos tamen non periclitabimur in eo, nec aſſeverantes pronunciabimus, hoc eum nomen habiturum, ſcientes, quoniam ſi oporteret manifeſte praeſenti tempore praecontari* (*a*) *nomen ejus, per ipſum utique editum fuiſſet, qui & Apocalypſin viderat. Neque enim ante multum temporis viſum eſt, ſed pene ſub noſtro ſeculo, ad finem Domitiani imperii.* Hactenus ille. Sed quid fragmenta conſector, & in laceris tabulis colligendis diutius immoror, cum bonam *prioris adverſus haereſes* IRENAEI *libri* partem tranſcriptam apud EPIPHANIUM in *libro* ejuſdem argumenti *primo tomo ſecundo, Haereſ.* XXXI. §. 9. *ad* 32. *ind.* habeamus? Ab ipſo enim *Prooemia* ad *caput* uſque *ſextum*, (*excl.* ſive *cap.* XI. *ed. Paris.*) & eo plus liber primus Irenaei, Graece, id eſt, nativo ſuo ſermone deſcriptus inde reſtitui poteſt. Reliqua vero ejus libri pars (*b*) a *capite nono* (ſive VIII. vel XIII. *ed. Paris.*) ad *decimum nonum*, (*excl.* ſive XXI. *incl. ed. Paris.*) apud eundem EPIPHANIUM tranſcripta eſt *lib.* I. *tomo* III. *Haereſ.* XXXIV. §. 2. *ad* 20. *incl.* quo Marcioſorum haereſim oppugnat. Verum quia huc transferri commode propter verſuum multitudinem non poſſunt, quaecumque Epiphanius nobis ſuppeditat, digitum ad fontes intendiſſe contentus, deſcribendi labore ſuperſedebo. Tantum prooemii initium unius literulae detractione corruptum referam; quod inde deceptus Epiphanii interpres dici non poteſt quam longe a ſcopo aberraverit. Sic autem orſum fuiſſe Irenaeum EPIPHANIUS recitat: ἐπὶ τὴν ἀλήθειαν ἀποπεμπόμενοί τινες (*c*). Quae verba *Cornarius* ita male interpretatas eſt: *Quidam ad veritatem emiſſi.* Non dubito autem vocula ἐπὶ, cui ε deeſt, in fraudem inductum, ſic in ipſo, quod ajunt, limine impegiſſe. Legendum enim eſt ἐπεὶ; & hoc ſignificat IRENAEUS; Quandoquidem veritatem quidam rejicientes vel amandantes & ablegantes. Nam eam eſſe verbi, ἀποπέμπομαι, ſignificationem, exemplis idoneiſque teſtimoniis, quae recenſeri nihil attinet, demonſtrat *Budaeus* in *Commentariis linguae Graecae.* Ceterum ex Epiphanio non inelegans Homeri Cento reſtitueretur, quem valde ſiniſtro Apolline Interpres ille vetus convertit. Citatur & alius ab IRENAEI *lib.* I. *cap.* 5. (*cap.* XI. in fine, *ed. Paris.*) verſus: quem Homeri eſſe Eraſmus quidem ſubolfecit, non tamen ſedem ejus patefecit, quae detegente me cuivis prodetur. Credo enim ex ea, quam apud HOMERUM *lib.* 2. *Iliad.* Therſites habet, oratione ab Irenaeo depromptum fuiſſe hoc carmen (*d*) (*v.* 235.) Ὦ πέπονες, κάκ᾽ ἐλέγχε᾽, Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ᾽ Ἀχαιοί. *O imbelles, mala vituperia, Achaeides, non jam Achivi.* Ubi Eu-

(*b*) CAP. 18.] Ibi tantum particula quaedam loci poſterioris Irenaei reperitur.

(*i*) DOCENTIBUS] In *nov. ed. Pariſ.* legitur: *& ratione docente nos.*

(*a*) PRAECONTARI] In *ed. Pariſ.* legitur: *praeconari*; & recte quidem: eo enim verbo ejus aevi ſcriptores uſi ſunt pro praedicare. Vide *Fabri* Lexicon ſub voce *praeco.*

(*b*) PARS] Intermedia etiam ex variis Epiphanii locis reſtituta ſunt in *noviſſ. edd. Opp.* Irenaei.

(*c*) Τινες] Ita etiam in editione, quae cura *Dionyſii Petavii* prodiit *Colon.* 1682. legitur: niſi quod pro ἀποπεμπόμενοι ibi reperiatur ὑποπεμπόμενοι, quod verbum etiam *Maſſuetus* in nova *ed. Pariſ.* IRENAEI retinuit, & quoad ſenſum cum altero unum idemque eſt. Quod vero ad corruptam particulam ἐπὶ attinet, auctoris noſtri ſententiam poſt alios defendit laudatus *Maſſuetus* in notis ſuae editionis.

(*d*) CARMEN] Auctoris ſententiam probant etiam *Billius* & *Feuerardentius* in notis ad Irenaeum, *pag.* 46. *ſeq. ed. Pariſ.*

Euſtathius vocabulum πέπονες, quod integrum, uti invenerat, interpres, fortaſſe vim ejus ac poteſtatem ignorans, retinuit, ἀνάλυτοι interpretatur, id eſt, *diſſoluti*, *molles*, *effeminati*. Poſteriora vero verba tantumdem valere ait, quantum haec: *Mulieres & non viri.* Jam vero illa adjurationis clauſula, qua veluti ſanctione quadam ſuos περὶ τῆς ὀγδοάδος libros adverſus librariorum injurias errataque Irenaeus munierat, Latine quidem a B. Hieronymo in *Catalogo Script. Eccleſ. cap.* 35. cui in Latino ſermone Graece loqui non placebat, expreſſa eſt: [*Adjuro te; qui tranſcribis librum iſtum, per Dominum Jeſum Chriſtum, & per glorioſum ejus adventum, quo judicaturus eſt vivos & mortuos, ut conferas, poſtquam tranſcripſeris, & emendes illum ad exemplar, unde ſcripſiſti, diligentiſſime: hanc quoque obteſtationem ſimiliter transferas, ut inveniſti in exemplari.*] ab auctore tamen hiſce Graecis verbis ſcripta fuerat, quae ſunt ab Euſebio *lib.* v. *hiſt. Eccleſ. cap.* xx. prodita Ὁρκίζω σε τὸν μεταγραψόμενον τὸ βιβλίον τοῦτο, κατὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ κατὰ τῆς ἐνδόξου παρουσίας αὐτοῦ, ἣν ἐλεύσεται (*al.* ἧς ἔρχεται) κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, ἵνα ἀντιβάλλῃς ὃ μετεγράψω, καὶ κατορθώσῃς αὐτὸ πρὸς τὸ ἀντίγραφον τοῦτο, ὅθεν μετεγράψω ἐπιμελῶς, καὶ τὸν ὅρκον τοῦτον ὁμοίως μεταγράψῃς, καὶ θήσεις ἐν τῷ ἀντιγράφῳ. Sophronius tamen veſtigiis verborum B. Hieronymi, quem vertendum ſuſceperat, inſiſtens, paulo aliter hanc obteſtationem extulit: qui utique diligentior ac curioſior in ipſiſmet Irenaei inveſtigandis verbis eſſe debuerat. Ex quibus nemini jam dubium relictum iri credo, quod probare inſtitueramus, Irenaei libros Graeco ſermone conſcriptos fuiſſe. Nec movere nos oportet, quod *Prooemio libri primi* orationis ornatum a ſe minus requirendum proteſtatur. Hujus enim rei cauſam in Graeci ſui ſermonis diſſuetudinem, cujus uſum propter alienam ac peregrinam eorum, quibuscum in Galliis verſabatur, linguam, intermittere cogebatur, rejicit: ipſaque adeo praefatio Graece ab Epiphanio relata, hoc quod adſtruimus, citra omnem dubitationem comprobat. Inſcriptionem porro eorum quinque librorum, qui nunc *adverſus haereſes* praenotantur, fuiſſe hujuſmodi: Ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, βιβλία πέντε, Euſebius *lib.* v. *hiſt. Eccleſ. cap.* vii. perſpicue indicat. Unde conjicere poſſumus, ſermonis compendio & brevitatis cauſa eis titulum, quem nunc praeferunt, inditum fuiſſe. Verum longior haec & a propoſito alienior digreſſio, reprehenſionem invidorum vix effugiet. Ego tamen dum in commune conſulam, reique litterariae proſim, delicatorum iſtorum morſus nauci non facio.

Ut autem unde divertit, eo revocetur oratio, illam, qua de agebamus, eccleſiaſticam obſervationem jam inde a Tertulliani temporibus invaluiſſe, declarant ejus verba, quae ex libro *De corona militis cap.* 3. ſubjungam. *Die*, ait, *Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare: Eadem immunitate a die Paſchae in Pentecoſten uſque gaudemus.* Niceni quoque Concilii capite viceſimo firmatam hanc fuiſſe obſervationem, conſtat. Sic enim a patribus cccxviii. qui in eo Concilio convenerunt, ſtatutum fuiſſe accepimus: Ἐπειδή τινές εἰσιν ἐν τῇ κυριακῇ γόνυ κλίνοντες, καὶ ἐν πεντηκοστῆς ἡμέραις, ὑπὲρ τοῦ πάντα ἐν πάσῃ παροικίᾳ φυλάττεσθαι, ἑστῶτας ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ Θεῷ. Id eſt: *Quoniam ſunt in Dominica die quidam ad orationem genua flectentes, & in diebus Pentecoſtes, propterea utique ſtatutum eſt a ſancta ſynodo, quoniam conſona & conveniens per omnes Eccleſias cuſtodienda conſuetudo eſt, ut ſtantes ad orationem vota Domino reddamus.* Quod tamen caput a Rufino *libro* i. *Appendicis* ad *Euſeb. capite* vi. in Nicenae Synodi canonibus recenſendis praetermiſſum eſt.

Facere plane non poſſum, quin tota hac de re egregium Basilii Magni locum ſubjiciam, ad quem nos Photius *Nomocanonis Tit.* vii. *capite* v. ad intelligendam hujus ritus rationem rejicit. Habetur autem in *capite viceſimo ſeptimo libri De Spiritu Sancto ad Amphilochium*, *pag.* 56. *Tom.* iii. *Opp.* quo περὶ τῶν ἀγράφων Eccleſiae νομίμων agens ita ſcribit: Καὶ ὀρθοὶ μὲν πληροῦμεν τὰς εὐχὰς ἐν τῇ μιᾷ τοῦ σαββάτου, τὸν δὲ λόγον οὐ πάντες οἴδαμεν. οὐ γὰρ μόνον ὡς συναναστάντες Χριστῷ, καὶ τὰ ἄνω ζητεῖν ὀφείλοντες, ἐν τῇ ἀναστασίμῳ ἡμέρᾳ τῆς δεδομένης ἡμῖν χάριτος, διὰ τῆς κατὰ τὴν προσευχὴν στάσεως ἑαυτοὺς ὑπομιμνήσκομεν· ἀλλ' ὅτι δοκεῖ πως τοῦ προσδοκωμένου αἰῶνος εἶναι εἰκών. διὸ καὶ ἀρχὴ οὖσα ἡμερῶν, οὐχὶ πρώτη παρὰ Μωϋσέως, ἀλλὰ μία ὠνόμασται. Ἐγένετο γὰρ, φησιν, ἑσπέρα, καὶ ἐγένετο πρωῒ ἡμέρα μία, ὡς τῆς αὐτῆς ἀνακυκλουμένης πολλάκις. καὶ μία τοίνυν ἡ αὐτὴ, καὶ ὀγδόη, τὴν μίαν ὄντως ἐκείνην, καὶ ἀληθινὴν ὀγδόην, ἧς καὶ ὁ ψαλμῳδὸς ἔν τισιν ἐπιγραφαῖς τῶν ψαλμῶν ἐπεμνήσθη, δι' ἑαυτῆς ἐμφανίζουσα, τὴν μετὰ τὸν χρόνον τοῦτον κατάστασιν, τὴν ἄπαυστον ἡμέραν, τὴν ἀνέσπερον, τὴν ἀδιάδοχον, τὸν ἀλήκτον ἐκεῖνον, καὶ ἀγήρω αἰῶνα. Ἀναγκαίως οὖν τὰς ἐν αὐτῇ προσευχὰς ἑστῶτας ἀποπληροῦν τοὺς ἑαυτῆς τροφίμους ἡ ἐκκλησία παιδεύει, ἵνα τῇ συνεχεῖ ὑπομνήσει τῆς ἀτελευτήτου ζωῆς τῶν πρὸς τὴν μετάστασιν ἐκείνην ἐφοδίων μὴ ἀμελῶμεν. Καὶ πᾶσα δὲ ἡ πεντηκοστὴ τῆς ἐν τῷ αἰῶνι προσδοκωμένης ἀναστάσεώς ἐστιν ὑπόμνημα. ἡ γὰρ μία ἐκείνη καὶ πρώτη ἡμέρα ἑπτάκις ἑπταπλασιασθεῖσα τὰς ἑπτὰ τῆς ἱερᾶς πεντηκοστῆς ἑβδομάδας ἀποτελεῖ. ἐκ πρώτης γὰρ ἀρχομένη, εἰς τὴν αὐτὴν καταλήγει, δι' ὁμοίων τῶν ἐν τῷ μέσῳ ἐξελιττομένη πεντηκοντάκις. διὸ καὶ αἰῶνα μιμεῖται τῇ ὁμοιότητι, ὥσπερ ἐν κυκλικῇ κινήσει ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἀρχομένη σημείων, καὶ εἰς τὰ αὐτὰ καταλήγουσα. ἐν ᾗ τὸ ὄρθιον σχῆμα τῆς προσευχῆς προτιμᾶν, οἱ θεσμοὶ τῆς ἐκκλησίας ἡμᾶς ἐξεπαίδευσαν, ἐκ τῆς ἐναργοῦς ὑπομνήσεως, οἱονεὶ μετοικίζοντες ἡμῶν τὸν νοῦν ἀπὸ τῶν παρόντων ἐπὶ τὰ μέλλοντα. καὶ καθ' ἑκάστην δὲ γονυκλισίαν καὶ διανάστασιν,

 ἔργῳ

ἔργῳ δείκνυμεν, ὅτι διὰ τῆς ἁμαρτίας εἰς γῆν κατερρίφημεν, καὶ διὰ τῆς φιλανθρωπίας τοῦ κτίσαντος ἡμᾶς εἰς οὐρανὸν ἀνεκλήθημεν. Id eſt, ſecundum interpretis verſionem: *Et erecti perficimus preces in una ſabbati: Rationem autem non omnes novimus. Non enim ſolum ut qui reſurreximus cum Chriſto, & qui ſuperna quaerere debeamus, in reſurrectionis die datae nobis gratiae per hoc, quod ſtamus in precando, nos ipſos commonefacimus: ſed quod etiam venturi ſeculi is dies quodammodo imago eſſe videatur.*

Quapropter etiam cum principium ſit dierum, non prima a Moſe, ſed una appellata eſt. Factum eſt enim, inquit, veſpere & mane dies una velut eadem ſaepe revolvatur: una itaque eadem & octava, unam illam revera ac veram octavam, cujus Pſalmographus in quibuſdam Pſalmorum inſcriptionibus meminit, per ſeipſum demonſtrans, ſtatum videlicet poſt hoc tempus, diem non deſituram, veſperam non babentem, & ſucceſſionem non admittentem, aevum illud numquam finiendum ac ſenii expers. Neceſſario igitur eccleſia erudit alumnos ſuos, ut ſtantes preces abſolvant, quo per aſſiduam commonefactionem vitae non deſiturae viaticorum ad illam transmigrationem parandorum non negligentes ſimus. Sed & totus quinquaginta dierum numerus Pentecoſte appellata, reſurrectionis, quam in illo ſeculo expectamus, monumentum. Una enim illa & prima dies ſepties ſeptemplicata ſeptem ſacrae Pentecoſtes hebdomadas efficit. Ex prima enim initium ſumens in principium deſinit, per ſimiles intermedios quinquagies evoluta: unde & aevum ſimilitudine refert, velut in circulari motu ab iiſdem ſignis initium ſumens, & in eadem deſinens. In qua erectam figuram in adoratione praeferre Eccleſiae leges nos erudierunt, ex manifeſta commonefactione velut transferentes mentem noſtram a praeſentibus ad futura. Quin & quoties genua flectimus & rurſus erigimur, re ipſa oſtendimus, quod propter peccatum in terram delapſi ſumus, & per benignitatem ejus, qui condidit nos, ad coelum revocati ſumus. Epiphanius etiam circa finem *libri* III. *contra haereſes, capite*, quo compendiariam fidei catholicae doctrinam ſeorſim complexus eſt, §. 22. Καὶ δι' ὅλου, ait, μὲν τοῦ ἔτους ἡ νηστεία φυλάττεται ἐν τῇ ἁγίᾳ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, φημὶ δὲ τετράδι καὶ προσαββάτῳ, ἕως ὥρας ἐνάτης, δίχα μόνης τῆς πεντηκοστῆς ὅλης τῶν πεντήκοντα ἡμερῶν, ἐν αἷς οὔτε γονυκλισίαι γίνονται, οὔτε νηστεία προστέτακται. Id eſt: *Et per totum quidem annum jejunium hoc ſervatur in eadem ſancta Catholica Eccleſia, quarta, inquam, & ſexta feria, uſque ad horam nonam, excepta ſola Pentecoſte, per totos quinquaginta dies, in quibus neque genua flectuntur, neque jejunium imperatum ordinatumque eſt.* Beatus quoque Hieronymus in *lib. adverſus Luciferianos pag.* 294. *Tom.* IV. *Part.* II. inter ea, quae per traditionem in Eccleſiis obſervantur, auctoritatemque ſibi ſcriptae legis uſurpant, hoc quoque commemorat, die Dominico & per totam Pentecoſtem nec de geniculis adorare, & jejunium ſolvere. Idemque in *lib. adverſus Montanum* (*a*) a jejuniis tempus Quinquageſimae excipit. Sed & B. Augustinus *epiſt.* CXIX. (LV. *cap.* 17. *ed. nov.*) *ad Januar.* de Pentecoſtes diebus tractans: *Ut autem* (inquit) *alleluja per illos ſolos dies quinquaginta in eccleſiis cantetur, non uſquequaque obſervatur. Nam & in aliis diebus varie cantatur alibi atque alibi: ipſis autem diebus ubique. Ut autem ſtantes in illis diebus & omnibus Dominicis oremus, utrum ubique ſervetur, ignoro.* Maximus Epiſcopus in *Sermone de Pentecoſte*, qui inter Ambroſianos eſt *ſexageſimus primus* (*b*), Chriſtianis per quinquaginta dies, quorum intervallo Paſcha a Pentecoſte disjungitur, jugem ac continuatam fuiſſe feſtivitatem tradit, ita ut hoc toto tempore neque ad obſervandum jejunia indicerentur, neque ad exorandum Deum genibus ſucciderent, ſed ſicut Dominica ſolebat fieri, & erecti & feriati reſurrectionem celebrarent: inſtar denique Dominicae eorum dierum curricula celebrari, & omnes eos dies velut Dominicos deputari ſcribit, quod poſt reſurrectionem tota quinquageſima Chriſtus cum hominibus ſit commoratus. Isidorus *libro* I. *de Eccleſiaſt. offic. cap.* 33. *Idcirco autem totius Quinquageſimae dies poſt Domini reſurrectionem reſoluta abſtinentia in ſola laetitia celebrantur, propter figuram futurae reſurrectionis, ubi jam non labor, ſed requies erit laetitiae. Ideoque bis diebus nec genua in orationibus flectuntur, quia, ſicut quidam ſapiens ait, Inflexio genuum poenitentiae & luctus indicium eſt. Unde etiam per omnia eandem in illis ſollemnitatem, quam die Dominico cuſtodimus, in qua majores noſtri nec jejunium agendum, nec genua eſſe flectenda, ob reverentiam Dominicae reſurrectionis, tradiderunt.* Exceptis vero Dominicis & Pentecoſtes diebus, Chriſtianos non niſi genibus pronis ſupplices Deo preces fudiſſe, nemini obſcurum eſt: Eumque fuiſſe noſtri proprium ac peculiarem precandi morem Eusebius *libro* 5. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 5. de Chriſtianis, qui in legionibus Romanis ſub M. Aurelio ſtipendia merebant, agens, ita ſcribit: Ἐν τῇ πρὸς τοὺς πολεμίους παρατάξει γόνυ θέντας ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ τὸ οἰκεῖον ἡμῖν τῶν εὐχῶν ἔθος, ἐπὶ τὰς πρὸς τὸν Θεὸν ἱκεσίας τραπέσθαι. Id eſt: *In procinctu in ipſaque acie genu flexo in terram uſque (qui noſtrarum precationum proprius mos eſt) ad ſupplicandum Deo eſſe converſos.*

QUAN-

(*a*) Montanum] Vocatur etiam *Epiſtola* ad *Marcellam*, & extat inter *Epiſtoll.* Hieronymi *num.* LIV. in *edd. vet.* in nova vero *Bened. ed. num.* XXVII. *pag.* 65. *Tom.* IV. *P.* II. *Opp.*

(*b*) Primus] Ita in *vett. edd.* in *Rom.* vero *ed.* eſt LX. In *nov. Pariſ. Bened. ed.* eſt omiſſus: legitur etiam in *Biblioth. Patrum.*

Digitized by Google

Quandiu coeleſtis lumen lavacri imitantia novam sancti baptiſmatis lucem veſtimenta teſtantur.] Ex hoc loco duo notanda ſunt ad ſacramentum baptiſmi pertinentia. Unum eſt, adminiſtrandi olim baptiſmi duo ſtata, ac ſollemnia tempora fuiſſe, Paſcha ſcilicet & Pentecoſten (*a*): extra quae non niſi aegrotantes, vel infirmi, & qui mortis, aegritudinis, obſidionis, naufragii neceſſitate periculoque urgebantur, tingi conſueverant: Quinimmo reliquis omnibus feſtivitatibus baptiſmi celebrationem interdictam fuiſſe, ex Gerundenſis Concilii *capite* 4. Compendienſis *cap.* 3. Vuormacienſis *capite* 10. Burchardus *libro* 4. *decret. cap.* 6. & 7. Yvo Carnutensis primae partis Decretorum, quibus Pannoniae titulum praeſcripſit, *cap.* 60. Et Gratianus in *canon.* 15. *de catechumenis*, *de conſecration. Diſtinct.* 4. docent. Idem etiam Siricii Papae ad Himerum Taraconenſem Epiſcopum, Leonis ad Epiſcopos Siculos, Gregorii ad Clerum & plebem Taraconenſem reſcriptis fuiſſe prohibitum, referunt Burchardus ejuſdem libri *capite* 5. Yvo *cap.* 58. 59. & 63. Gratianus in *canon.* 11. *Non ratione*, *Canon.* 12. *Duo tempora*, *Canon.* 17. *Venerabilis*, *Canon.* 18. *baptizandi*, *de conſecration. diſtinction.* 4. Tertullianus in libro *de baptiſmo*, *cap.* 19. *Diem*, ait, *ſollemniorem baptiſmo Paſcha praeſtat*, *cum & paſſio Domini*, *qua* (al. *in quam*) *tingimur*, *adimpleta eſt.* Exinde Pentecoſte ordinandis lavacris latiſſimum ſpatium eſt: quod & Dominica reſurrectio inter diſcipulos frequentata eſt, & gratia Spiritus ſancti dedicata, & ſpes adventus Domini ſuboſtenſa. B. Ambrosius in libello *de myſteriis Paſchae* (*b*); *cap.* 5. *Haec*, *inquam*, *eſt illa coeleſtium myſteriorum gratia*, *hoc Paſchae donum*; *haec optabilis anni feſtivitas*; *haec exordia gignentium rerum: hinc vitalis lavacri ſacrae Eccleſiae editi puerperio infantes*, *parvulorum ſimplicitate renati*, *barathro innocentis perſtrepunt innocentiae.* Hujus etiam obſervationis Eccleſiaſticae Nicephorus *hiſt. Eccleſiaſticae libro* xiii. *capite* 19. teſtis adduci poteſt. Sed & Mariſconenſis ſecundae Synodi *capite.* 3. ita conſtitutum fuit: *Relatione quorundam fratrum noſtrorum comperimus*, *Chriſtianos non obſervantes legitimum diem baptiſmi*, *paene per ſingulos dies ac natales martyrum filios ſuos baptizare*, *ita ut vix duo vel tres reperiantur in ſancto Paſcha*, *qui per aquam & ſpiritum regenerentur. Idcirco cenſemus*, *ut ex hoc tempore nullus eorum permittatur talia perpetrare*, *praeter illos*, *quos infirmitas nimia*, *aut dies extremus compellit filios ſuos baptiſmum percipere.* In Theſſalia plane Paſchae dumtaxat diebus baptiſmata fieri conſueviſſe, eoque eveniſſe, ut plurimi abſque baptiſmo morerentur, Socrates *libri* v. *hiſtor. Eccleſiaſt. capite* 22. auctor eſt. In reliquis vero pene omnibus orbis Chriſtiani partibus baptiſmatis praerogativam Paſchae & Pentecoſtes celebritates, ſpecialiter ac proprio jure ſibi vindicaſſe, in Eccleſiaque longa ſeculorum ſucceſſione morem hunc conſtanter retentum invenio. Nam & Gregorius Turonensis in uſu id ſuis temporibus fuiſſe non uno loco indicat: *Libro* ſiquidem *quinto Hiſtor. cap.* 11. *Sacerdos*, ait, *orans*, *ut converſi ad Dominum velamen ab eis litterae rumperetur*, *quidam ex his ad ſanctum Paſcha ut baptizaretur expetiit.* Rurſus eodem capite: *Gaviſus autem nuntio Pontifex nocte ſancta Pentecoſtes vigiliis celebratis ad baptiſterium extramuranum egreſſus eſt: ibique omnis multitudo populi coram eo proſtrata baptiſmum flagitavit.* Idem *libro* vi. *capite* 27. *Dieſque Paſchae cum multa jocunditate tenuit*, *filiumque ſuum baptiſmo tradidit.* Quod & Annonius Monachus, aut, ut quibuſdam placet, Aymoinus *lib.* iii. *de geſtis Francor. cap.* 49. referens *Chilperio*, ait, *filius naſcitur*, *quem ſequente anno Pariſiis in Paſchali feſto baptizari fecit.* Nec non Otho Phriſingenſis *libro* 6. *hiſt. c.* 1. *Northmanni*, inquit, *per mare Ligerin intrantes*, *civitatem Nannetas irrumpunt*, *ac in ſancto ſabbato Paſchae Epiſcopum ex more generali baptiſmum celebrantem cum clericis interficiunt.* Rupertus quoque Tuicenſis more hoc paulatim propter auctam fidelium multitudinem abrogato, veſtigia tamen ejus ſua aetate vel in paucis, qui ad baptiſmum in Paſchali feſtivitate offerrentur, uſurpata *lib.* iv. *de divinis officiis*, *cap.* 18. ita ſcribit: *Moris quippe erat olim in ſancta Eccleſia non alio tempore regenerationis hujus celebrari ſacramentum*, *niſi in his*, *quibus forte ſuperveniente infirmitate vel aegritudine mortis immineret periculum. Cuncta paene Eccleſiae proles*, *quam per annum verbo praedicationis novam gignere poterat*, *inſtante Paſchali hac die ſua nomina dabat & per ſequentes dies uſque ad Paſchae ſollemnitatem*, *audiens quiſque regulam fidei* (unde & catechumenus dicitur, catechumenus namque auditor interpretatur) *lactatus & grandeſcens tandem*, *in plenitudine temporis poſtquam luna plena eſt*, *plena fide in ſollemnitate ſancti baptiſterii ſymbolum reddens Chriſto commoriebatur*, *& conreſurgebat. At poſtquam Chriſtianitas crevit & ſagena illa verbi Dei*

(*a*) Pentecosten] Toto illo temporis decurſu a paſcha ad pentecoſten hoc ſacramentum adminiſtratum fuiſſe, notat *Jac. Gothofredus* in *Comm.* ad *h. l.* §. 4. Negandum tamen non eſt, praecipuum & maxime ſollemne tempus hujus ſacramenti adminiſtrandi fuiſſe ipſam Paſchatos & Pentecoſtes vigiliam. Ita diſſentientes facile in concordiam rediguntur.

(*g*) Paschae] In *ed. Bened.* relatus eſt inter Sermones dubios Augustini *in Appendice*, *num.* xxxv. ubi ultima verba ita leguntur: *halatu innocentis perſtrepunt conſcientiae.*

Digitized by Google

Dei piſcibus impleta eſt, quia periculoſum erat tantam multitudinem differre propter occaſiones mortis, quae in multitudine hominum multae ſunt, propter turbam infantium ex Chriſtianis parentibus ſuccreſcentium, quorum vita perſaepe levi occaſione ſucciditur: Viſum eſt ſanctae Eccleſiae paſſim indulgentia baptizandi conceſſa, imo obluta, cuncta antevenire pericula. Baptiſmi tamen ſollemnitatem vel in paucis cum Dominica reſurrectione, cui ſimilis eſt, celebrare. Hactenus ille. Ex quibus nemini jam obſcurum erit, quod B. Ambrosius in *Comm. ad Epiſtolam ad Epheſiós, cap.* 4. *v.* 12. ſcribit, non quocunque die credentes tinctos, niſi aegros. Quanquam in ipſis naſcentis Eccleſiae initiis definita diſtinctaque non fuiſſe baptizandi tempora ibidem notat, ſed petentibus quibuslibet baptiſmum datum, quibuſcumque diebus vel temporibus occaſio ſe offerret. Cauſam vero, cur hos potiſſimum dies baptiſimo olim Eccleſia dicaverit, praeter eam, quae ex Tertulliani ſupra allegato loco colligitur, hanc Leo Pontifex in *Epiſtola ad Siculos* miſſa adſignat, quod B. Paulus, quicumque baptizati ſunt in Chriſto, in morte ejus baptizatos eſſe tradat: conſepultoſque nos eſſe cum illo per baptiſmum in mortem, ut quo modo ſurrexit Chsiſtus a mortuis per gloriam, ita & nos in novitate vitae ambulemus. Quandoquidem ſi complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimus & reſurrectionis. Ex cujus doctrinae ſpiritu regenerandis filiis hominum, & in ſilios Dei adoptandis, illud tempus electum, in quo per ſimilitudinem myſterii ea, quae geruntur in membris, his, quae in ipſo capite geſta ſunt, congruerent, dum in baptiſmatis regula & mors intervenit, interfectione peccati; & ſepulturam triduanam imitatur trina demerſio; & ab aquis elevatiu, reſurgentis ad inſtar eſt de ſepulchro: ipſaque operis qualitas docet, celebrandae generaliter gratiae eum eſſe legitimum diem, in quo orta eſt virtus muneris & ſpecies actionis. Subjicit, addi huic obſervantiae etiam Pentecoſtes ex adventu Spiritus ſancti ſacram ſollemnitatem, quod ea de Paſchali feſti pendeat articulo, & cum ad alios dies alia feſta pertineant, haec ſemper ad eundem, qui reſurrectione Domini inſignis eſt, occurrit, porrigens quodammodo auxilianti gratiae manum, ut hi, quos a die Paſchae aut moleſtia infirmitatis, aut longinquitas itineris, aut navigationis difficultas interclusit invitos, aut quibuslibet neceſſitatibus impeditos, deſiderii ſui effectum dono Spiritus Sancti conſequantur. Eumque receptum morem Apoſtolicae auctoritatis exemplo niti docet, quando B. Petrus eo die, quo omnem credentium numerum promiſſus Spiritus Sancti replevit adventus, trium millium populum ſua praedicatione converſum lavacro baptiſmatis conſecravit. Unde generaliter definiens baptizandis in Eccleſia electis ſola illa duo tempora eſſe legitima, Epiſcopos per Siciliam cunſtitutos monet, ut nullos alios dies huic obſervantiae miſceant: non interdicta tamen licentia periclitantibus & his, quorum vita in has duas ſibimet cognatas & conjunctas feſtivitates differri non poſſit, quocumque tempore ſubveniendi. Totus autem hic Leonis locus integrior atque emendatior in Gratiani *Decretis*, quam in vulgatis Epiſtolarum Leonis exemplaribus reperietur. (*Can.* 12. 13. 16. *diſtinct.* IV. *de conſecrat.*) Accedat & Basilii Magni auctoritas, qui in *Homilia exhortatoria ad ſanctum baptiſma, pag.* 114. *Tom.* II. *Opp.* ita ſcribit: Τὸ δ' ἂν γένοιτο τῆς ἡμέρας τοῦ πάσχα συγγενέστερον πρὸς τὸ βάπτισμα; ἡ μὲν γὰρ ἡμέρα μνημόσυνόν ἐστιν ἀναστάσεως· τὸ δὲ βάπτισμα δύναμίς ἐστι πρὸς τὴν ἀνάστασιν. ἐν ταύτῃ τῇ ἀναστασίμῳ ἡμέρᾳ τῆς ἀναστάσεως τὴν χάριν ὑποδεξόμεθα. Διὰ τοῦτο πόρρωθεν ἡ ἐκκλησία τοὺς ἑαυτῆς τροφίμους ὑψηλῷ κηρύγματι συγκαλεῖ, ἵν' οὓς πάλαι ὤδινεν, ἀποκυήσῃ ποτὲ, καὶ ἀπογαλακτίσασα αὐτοὺς τὸν λόγον (*al.* τῶν λόγων) τῆς κατηχήσεως, γεύσῃ τῆς στερεᾶς τῶν δογμάτων τροφῆς. Id eſt, ut interpres vertit: *Quid vero magis cognatum baptiſmati eſſe poſſit quam dies Paſchatis? Dies enim ipſa memoriale eſt reſurrectionis: Baptiſma vero potentia eſt ad reſurrectionem. Itaque in reſurrectionis die reſurrectionis gratiam ſuſcipiamus. Quapropter Eccleſia alumnos ſuos alto praeconio eminus convocat, ut quos olim parturiit, tunc pariat: & catechiſmi inſtitutione prima velut lacte remotis, ſolidum dogmatum alimentum guſtandum praebeat.* Atque haec prima eſt, quae ex his, ad quae pedetentim pervenimus, conſtitutionis noſtrae verbis duci elicique poſſe viſa eſt obſervatio. Alterum, quod ex hoc loco colligitur, eſt, albatos & candidatos fuiſſe eos, qui baptiſmo initiabantur. Hoc enim ſignificant ea verba: Coelestis lumen lavacri imitantia novam sancti baptismatis lucem vestimenta.

Quod ex Pontio Paulino, & Fortunato *Beatum Rhenanum*, antiquitatis eccleſiaſticae ſtudioſum indagatorem, jam adnotaſſe ſcio in *lib.* Tertulliani *de Corona militis.* Confirmari vero ſequentibus teſtimoniis poteſt. B. Ambrosius *lib. ſingulari de his, qui myſteriis initiantur, cap.* 7. *Accepiſti poſt haec veſtimenta candida, ut eſſet indicium quod exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiae caſta velamina.* Greoorius Turonensis *lib.* V. *cap.* 11. *Renatuſque Deo per baptiſmi ſacramentum cum albatis reliquis in albis & ipſe procedit.* Et poſtea: *Flagrabant cerei lampades, albicabat tota civitas de grege candido.* Paulus Diaconus *lib.* VI. *hiſt. Longobard. cap.* 15. de Codrate Rege Angloſaxonum: *Is*, ait, *cum Romam perveniſſet, a Sergio Papa baptizatus, Petruſque appellatus, & adhuc in albis conſtitutus, ad regna coeleſtia migravit.* Idem & Nicepuorus per-

perſpicue docet *lib.* VII. *hiſt. Eccleſiaſt. cap.* 33. (*a*) SOCRATES etiam *lib.* VII. *hiſt. Eccleſiaſt. cap.* 17. de Paulo Novatianorum Epiſcopo, a quo Judaeus baptiſmum petiit: Εὐτρεπίζει, ait, τὰ πρὸς τὸ βάπτισμα, ἐσθῆτα τε αὐτῷ λαμπρὰν ὠνησάμενος, καὶ τὴν κολυμβήθραν τοῦ βαπτιστηρίου πληρωθῆναι κελεύσας, ἦγεν ἐπ' αὐτὸν τὸν Ἰουδαῖον, ὡς βαπτίσων αὐτόν. Id eſt: *Quae ad baptiſmum pertinent, parat, veſtemque illi ſplendidam coëmit, ac fontem baptiſterii impleri jubet, & Judaeum, tanquam illum jam baptizaturus, adducit.* Verum enimvero, quoniam non quaeſito, ſed oblato ab ea, in cujus interpretatione verſamur, conſtitutione, argumento, in baptiſmi quaeſtionem ingreſſi ſumus, non erit a propoſito alienum, rituum in baptiſmo receptorum antiquitatem veterum ſcriptorum auctoritate teſtimoniiſque comprobare. Qua in re ut aliquis ordo teneatur, parvulos, eoſque, qui a primis cunabulis tingebantur, ab iis, qui adulta jam & provecta aetate ad religionem noſtram accedebant, ſeparandos duco. Parvulos quidem parentum manibus ut plurimum geſtari, & ab iis baptiſmo offerri conſueviſſe, B. AUGUSTINUS *lib. Hypognoſticon.* 6. *cap.* 7. indicat, cum ait: *Novimus etiam parvulos, quibus uſus liberi arbitrii non eſt, ut de bonis aut malis eorum meritis judicemus, parentum manibus ad gratiam ſacri baptiſmatis deportatos, & cum in uno eorum per manus ſacerdotis myſterium fidei adimpleretur, aliquoties alterum in parentum manibus factum exanimem.* Hoc aeque aperte expreſſit idem auctor *Epiſt.* 23. (98. *cap.* 6. *ed. nov.*) *ad Bonifac. Sic enim*, inquiens, *ſcribens dicis:* ut ſicut parentes fuerunt auctores ad eorum poenam, per fidem parentum identidem juſtificentur: *cum videas multos non offerri a parentibus, ſed etiam a quibuslibet extraneis, ſicut a dominis ſervuli aliquando offeruntur. Et nonnunquam mortuis parentibus ſuis parvuli baptizantur, ab eis oblati, qui illis hujuſmodi miſericordiam praebere potuerunt. Aliquando etiam quos crudeliter parentes expoſuerunt, nutriendos a quibuslibet, nonnunquam a ſacris virginibus colliguntur, & ab eis offeruntur ad baptiſmum, quae certe proprios filios nec habuerunt ullos, nec habere diſponunt.* Baptiſmum plane eorum, qui jam adulta aetate tingebantur, praecedebat κατήχησις, qua per aliquod tempus myſterio ſubſecuturo initiabantur, ut ejus fidei ac religionis, ad quam aditus eis per baptiſmum dabatur, praeceptis inſtituti atque informati, in Eccleſiam rectius introducerentur. SOCRATES *lib.* 7. *hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 17. de Paulo Epiſcopo, ad quem Judaeus baptiſmum experiens acceſſit: Ὁ δέ, ait, ἀπεδέχετο μὲν αὐτοῦ τὴν προαίρεσιν, οὐ πρότερον δὲ ἔφη δώσειν τὸ βάπτισμα, εἰ μὴ κατηχηθείη τὰ περὶ τῆς πίστεως λόγον, μετὰ τοῦ νηστείαις σχολάσαι ἡμέρας πολλάς. Ὁ οὖν Ἰουδαῖος παρὰ γνώμην νηστεύειν ἀναγκαζόμενος, σπουδαιότερον ἐγίνετο βαπτισθῆναι παρακαλῶν. Id eſt: *Laudavit quidem ille Judaei propoſitum: verum baptiſma illi ſe daturum negavit, niſi prius in doctrina fidei inſtructus eſſet, ac complures dies jejuniis vacaſſet. Judaeus itaque praeter animi ſententiam jejunare coactus, diligentius urgebat, obſecrans, ut baptizaretur.* Sic NICEPHORUS *Hiſtor. Eccleſ. lib.* XIV. *cap.* 12. de alio Judaeo paralytico, quem baptiſmi cupiditate captum & incenſum fuiſſe narrat: *Hoc ubi*, ait, *Attico Epiſcopo renunciatum eſt, de rebus ſacris more noſtro eum inſtituit, & ſpem bonam in Chriſtum habere per Euangelium rite docuit.* Ac tribus quidem appellationibus diſtinctos fuiſſe eos, qui ad fidem accedebant, ISIDORUS *libro* 2. *de origine Eccleſiaſticor. officior. cap.* 20. tradit. Quorum gradus primus erat, Catechumenorum, Secundus, Competentium, Tertius, Baptizatorum. Catechumenos vero eos dictos ibidem docet, qui primum de gentilitate veniebant, ducti voluntate credendi in Chriſtum, quos *audientes* appellatos a Latinis ſcribit. Unde RABANUS MAURUS *lib.* I. *De inſtitution. cleric. cap.* 26. Catechumenus autem dicitur pro eo, quod adhuc doctrinam fidei audit, needum tamen baptiſmum accepit. Nam κατηχούμενος Graece, Latine *auditor* interpretatur. Et ita ſane a TERTULLIANO in libro *de poenitentia cap.* 6. & CYPRIANO *libro tertio Epiſt.* 17. & 22. (*b*) Catechumeni *Audientes* vocantur, & a BEDA *novae vitae Auditores* in libro ſecundo *Commentariorum Eſdrae, cap.* 11. Solebant autem Catechumenis per totam quadrageſimam praecipua fidei noſtrae capita tractari atque exponi, ut ita lavacro futuro, cujus praeſtatio in Paſchales ferias differebatur, praepararentur. Hoc indicat B. HIERONYMUS ad *Pammachium adverſus errores Joannis Hieroſolymitani* (*c*), cum ait: *Conſuetudo apud nos hujuſmodi eſt, ut iis, qui baptizandi ſunt, per quadraginta dies publice tradamus ſanctam & adorandam trinitatem.* Bracarenſis utique Concilii ſecundi *capite primo* conſtitutum fuit, ut ante viginti dies baptiſmi ad purgationem exurciſmi Catechumeni concurrerent, in quibus diebus omnino Symbolum fidei, ſpecialiter

(*a*) CAP. 33.] Ubi hiſtoriola, ſive potius fabella narratur, quomodo Conſtantinus M. cum filio Criſpo Romae baptizatus fuerit: additurque in fine *cap.* καὶ ἄμφω τὴν στολὴν λευκὴν ἐνεδύσαντο, *& ambo candidam veſtem induerunt.*

(*b*) EPIST. 17. ET 22.] Neſcio quanam editione uſus fuerit auctor. Ego Catechumenos *Audientes* vocatos reperio a CYPRIANO *Epiſt.* 13. & 24. *ed. Pamel.* quae ſunt *Epiſt.* 18. & 29. *ed. Oxon.*

(*c*) HIEROSOLYMITANI] Eſt inter *Epiſtoll.* HIERONYMI *num.* LXI. in *veter. edd.* in *nov.* vero *Bened. num.* XXXVIII. *pag.* 306. *ſeqq. Tom.* IV. *Part.* II. Locus *cit.* exſtat *pag.* 314.

ter docereotur. Quod ab BURCHANDO *libro* 4. *cap.* 8. & YVONE CARNUT. *lib.* I. *Pannomiae*, *cap.* 75. & GRATIANO io *Canon.* 13. *Placuit. Cauſ.*.10. *quaeſtion.* 11. refertur: rurſuſque nb eodem GRATIANO repetitum eſt in *Canon.* 55. *Ante*, *de conſecratione*, *diſtinctione* 4. ubi pro *ſpecialiter*, *ſpiritualiter*, perperam, ·ut quidem, exiſtimo, ſcriptum eſt. BEOA etiam io *Commentariis Eſdrae*, *lib.* 2. *cap.* 11. *Novae*, ait, *vitae auditoribus ſymbolum fidei tradimus*, *quod per duodecim Apoſtolos ordinatum eſt*, *& totidem ſententiis comprebenſum.* Nec vero ſola Catechumenis fides inſinuabatur, ſed & de moribus ad Chriſtinoam vitam pertinentibus monebantur. Itaque B. AUGUSTINUS *lib. unico de fide & operibus cap.* 6. *ſeqq.* eos, qui baptizandis fidei dumtaxnt, non etiam morum praecepta trndenda ac docenda credebant, reprehendit. Et B. AMBAOSIUS *lib. de bis*, *qui myſteriis initiantur*, *cap.* 1. his, qui nd ſacri lavacri petitionem vencraot, ſe de moralibns cottidianum ſermonem habuiſſe profitetur: cum vel Patriarcharum geſta, vel proverbiorum legerentur praeceptn; ut his informati aſſueſcerent majorum ingredi vias, eorumque iter carpere, ac divinis obedire inſtitutis; quo renovati per baptiſmum, ejus vitae uſum tenerent, quae ablutos deceret. Sed & BEDA in *commentariis Eſdrae lib.* 2. *Pulcbre*, ait, *in Eccleſia bic ſalubris mos doctrina patrum inolevit*, *ut iis*, *qui catechiſantur*, *quatuor Euangeliorum ſacramentum explanetur*, *ac recitentur exordia.* Poſt Cntechumenos ſecundus *Competentium* gradus crat. Competentes autem, ut ISIDORUS exponit *lib.* 2. *de origine Eccleſiaſt. officior. cap.* 21. dicebantur, qui jam poſt doctrinam fidei, poſt doctrinam vitae nd gratiam Chriſti percipiendam feſtinabant. Ideoque appellabantur *Competentes*, id eſt, gratiam Chriſti petentes. Nam Catechumeni tantum nudiebant, nec dum petebaot. Erant enim qunſi hoſpites & vicini fidelium, deforis nudientes myſteria, audientes gratiam, ſed adhuc non nppellabantur fideles. Competentes autem jnm petebant, jam nccipiebant, jam catechizabantur, id eſt, imbuebntur inſtructione ſncrameotorum. Iſtis enim ſnlutare ſymbolnm tradebatur, quaſi communicatorium fidei & ſanctae confeſſionis indicium, quo inſtructi agnoſcerent, quales jnm nd gratiam Chriſti exhibere ſe deberent. Quod nutem ait foris ſtetiſſe Catechumenos, ex eo confirmatur, quod Auctor (*a*) libri *de Coeleſti Hierarch. cap.* 3. tradit Catechumeois, Energumenis & poenitentibus pſalmorum quidem cantus & ſacrarum ſcripturarum lectiooem audire licuiſſe: ad ea nutem quae deinde perngebantur myſteria non fuiſſe admiſſos, ſed excluſos. Iſidori vero illa verba, ut ferme omnia tranſcripſit RANANUS MAURUS in *lib.* 1. *de inſtitutione clericorum*, *cap.* 26. Traditam vero ab utroque Catechumeoorum & Competentium differentiam AUGUSTINI ex libro unico *de fide & operibus cap.* 6. ſubjecta verba comprobant. *An uſque adeo*, nit, *diſſimulamus a ſenſibus noſtris*, *ut vel nos ipſos non recordemur*, *quam fuerimus attenti atque ſoliciti*, *quid nobis praeciperent*, *a quibus catecbizabamur*, *cum fontis illius ſacramenta peteremus*, *atque ob hoc Competentes etiam vocaremur*: *vel non intueamur alios*, *qui per annos ſingulos ad lavacrum regenerationis accurrunt*, *quales ſint ipſis diebus*, *quibus catecbizantur*, *exorcizantur*, *ſcrutantur*, *quanta vigilantia conveniant*, *quo ſtudio ferveant*, *qua cura pendeant*? Et mox: *Quod autem fit per omne tempus*, *quod in Eccleſia ſalubriter conſtitutum eſt*, *ut ad nomen Chriſti accedentes Catecbumenorum gradus accipiant*: (al. *excipiant*) *boc fit multo diligentius & inſtantius bis diebus*, *quibus Competentes vocantur*, *cum ad percipiendum baptiſmum ſua nomina jam dederunt.* Idem *libro unico de cura pro mortuis gerenda*: *Poſt iſta convaluit*, *perrexit Hipponem*, *Paſcba jam appropinquabat*, *dedit nomen inter alios Competentes.* Ex quibus apparet bnptizandos oominn dediſſe: quemndmodum ex Carrhaginenſis quarti Concilii *cap.* 85. relato in *Canon.* 18. *Baptizandi*, *de Conſecration. diſtinction.* 4. & ex ejuſdem AUGUSTINI *Epiſt.* 155. (258. *ed. nov.* in fine) *ad Martianum* liquet, in qua ita eſt: *Tua mereri ſcripta* (al. *Tua ſumere reſcripta*) *deſidero*, *& te nomen dediſſe inter Competenter*, *vel daturum eſſe*, *jam jamque cognoſcere.* Competentibus vero tenendam memoriter fidei & ſymboli contexionem datnm fuiſſe idem auctor indicat *lib.* 1. *Retractationum cap.* 17. Quod & CYPRIANUS, ſive quis alius ejus libri auctor eſt (*b*), oſtendit in *Opuſculo in ſymbolum Apoſtolorum* §. 3. *In Eccleſia*, inquiens, *tamen urbis Romae boc non invenitur* (al. *deprebenditur*) *factum*, *quod ego pro eo eſſe arbitror*, *quod neque baereſis ulla binc* (al. *illic*) *ſumpſit exordium*, *& mos ibi ſervatur antiquus*, [*apud*] *eos*, *qui gratiam baptiſmi ſuſcepturi ſunt*, *publicè*, *id eſt*, *fidelium populo audiente*, *ſymbolum reddere*, *& utique adjectiones* (al. *adjectionem*) *unius ſaltem ſer-*

(*a*) AUCTOR] Auctor librorum tum *de Coeleſti*, tum *de Eccleſiaſtica Hierarcbia*, vulgo *Dionyſius Areopagita* perhibetur. Vide *Roberti Coci Cenſuram*, *pag.* 92. *ſeqq. ed. Helmſt.* alioſque, qui de Scriptoribus eccleſiaſticis ex inſtituto egerunt: inprimis vero *Jo. Dallaei* Opuſculum *de ſcriptis quae ſub Dionyſii Areopagitae & Ignatii nomine circumferuntur.* Locus hic non in libro de *Coeleſti Hier.* ſed in libro *de Eccleſiaſtica Hierarchia* reperitur: qui duo libri, in *Operibus Dionyſii* ſeparati, a multis ſaepe confunduntur.

(*b*) EST] In vetuſto quodam Codice adſcribitur *Rufino Torano*, Aquilejenſis Eccleſiae presbytero, ut indicant noviſſimi editores Cypriani.

ſermonis eorum, qui praeceſſerunt, in fide, non admittit auditus. Quinctiam Synodi Laodicenae *caput* 46. Burchardus citat, quo eos, qui ad baptiſma veniebant, fidem diſcere, & quinta feria ſeptimanae majoris Epiſcopo aut presbyteris reddere videbantur. Quod caput Graece ſic habet: Ὅτι δεῖ τοὺς φωτιζομένους τὴν πίστιν ἐκμανθάνειν, καὶ τῇ πέμπτῃ τῆς ἑβδομάδος, ἀπαγγέλλειν τῷ ἐπισκόπῳ ἢ τοῖς πρεσβυτέροις. Refertur autem & à Gratiano in *Canon.* 58. *Baptizandos, de conſecration. diſtinction.* 4. qui verbum ἑβδομάδος, non, ut Burchardus, *majoris*; ſed *ultimae ſeptimanae* vertit. Similiter & Agathenſis Concilii *cap.* 12. Symbolum octo dies ante Dominicam reſurrectionem publice in Eccleſia Competentibus tradi decretum fuiſſe Burchardus *libro quarto cap.* 29. & Gratianus in *Canon.* 56. *Symbolum. de conſecrat. diſtinction. quarta* memorant. Idemque ſextae Synodi, quae in Trullo habita eſt, *capite* 79. poſtea renovatum eſt: in cujus interpretatione Balsamon fidei ſuae rationem baptizandos inſtitutoribus ſuis, qui κατηχισταὶ dicebantur, reddidiſſe ſignificat. Ceterum Catechumeni, ut Isidorus *libro primo de orig. Eccleſiaſt. officior. capite* 20. ſcribit, exorcizabantur primum. Nam ut Beatus Augustinus *libro unico de Eccleſiaſt. dogmatibus* (*a*) auctor eſt, in univerſis Eccleſiis uniformiter id obſervabatur, ut ſive parvuli, ſive juvenes ad baptiſmum venirent, non prius fontem vitae adirent, quam exorciſmis & exufflationibus clericorum ſpiritus ab eis immundus abigeretur. Exorciſmum autem Isidorus definit ſermonem increpationis contra immundum ſpiritum in Energumenis ſive Catechumenis factum: per quem ab illis nequiſſima diaboli virtus & inveterata malitia vel violenta incurſio expulſa fugabatur. Quem ritum in baptiſmum inductum lunatici exemplo docet, quem increpavit Dominus & exivit ab illo daemonium, ut habetur *Matthaei* 17. *capite.* Poteſtatem autem diaboli exorcizari & inſufflari in Catechumenis idem ſcribit; ut ei renuntient, atque eruti a poteſtate tenebrarum in regnum Domini ſui per ſacramentum baptiſmatis transferantur. Quod in parvulis, quia per ſe renuntiare non poſſunt, per corda & ora geſtantium adimpletur. Optatus, Milevitanus Epiſcopus, *libro quarto de ſchiſmate Donatiſtarum*, *pag.* 118. *Neminem fugit, quod omnis homo, qui naſcitur, quamvis de parentibus Chriſtianis naſcitur*, (al. *naſcatur*) *ſine ſpiritu immundo* (al. *mundi*) *eſſe non poſſit, quem neceſſe ſit ante ſalutare lavacrum ab homine excludi, & ſuperari.* (al. *ſeparari*) *Hoc exorciſmus operatur, per quem ſpiritus immundus depellitur, & in loca deſerta fugatur.* Et poſtea: *Vos rebaptizando exorcizatis hominem fidelem, & dicitis Deo habitanti: Maledicte exi foras.* Exufflatos plane & exorcizatos fuiſſe infantes, in eumque ritum omnes per totum orbem diffuſas Eccleſias unanimiter conſenſiſſe B. Augustinus aliis inſuper locis teſtatur. *Libro* quidem *ſecundo De nuptiis & concupiſcentia ad Valer. Comit. cap.* 18. *Ac ſic*, inquit, *accuſat Eccleſiam toto orbe diffuſam, in qua utique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exufflantur, niſi ut ab eis princeps mundi mittatur foras, a quo neceſſe eſt vaſa irae poſſideantur, cum ex Adam naſcuntur, ſi in Chriſto non renaſcantur.* Idem *libro ſecundo contra Pelagium & Coeleſtium de peccato originali, cap.* 40. *Ipſa ſanctae eccleſiae ſacramenta ſatis indicant, parvulos a partu etiam recentiſſimos per gratiam Chriſti de diaboli ſervitio liberari. Excepto enim quod in peccatorum remiſſionem, non fallaci, ſed fideli myſterio baptizantur, etiam prius exorcizatur in eis & exufflatur poteſtas contraria, cui etiam verbis eorum, a quibus portantur, ſeſe renuntiare reſpondent.* Idem *libro tertio contra Julian. Pelagian. cap.* 3. *Lavantur, ſed non abluuntur; exorcizantur & exufflantur, ſed a poteſtate diaboli non eruuntur.* Et rurſus *lib.* 6. *contra eundem Julian. cap.* 5. *Sed etſi nulla ratione indagetur, nullo ſermone explicetur: verum eſt tamen, quod antiquitus veraci fide catholica praedicatur, & creditur per eccleſiam totam, quae filios fidelium nec exorcizaret, nec exufflaret, ſi non eos de poteſtate tenebrarum & a principe mortis erueret.* Idem Augustinus *lib.* 3. *contra epiſt. Parmeniani*, ad fin. *Orbis terrarum baptiſmis* (al. *baptiſmus*) *exufflatur.* Idem *lib.* 2. *contra Creſconium, c.* 4. *Quid exufflatis? quare rebaptizatis?* & *cap.* 5. *Cum apud nos jam baptizatum nec coepiſſe dicunt eſſe Chriſtianum, cum tanquam paganum exufflant, cum catechumenum faciunt.* Et *lib.* 5. *hypognoſtic. contra Pelagianos, cap.* 8. *Falſum de parvulis dicere conticeſce, qui propterea catechizantur, & exufflantur, ac baptizantur, ut princeps mundi hujus diabolus ex eis foras mittatur: aut ſi non in illis diabolus exufflatur, cujus opere, id eſt, vitio peccati per Adam, tenentur obnoxii, dicite, cur imagini Dei fit injuria? Vos vero, opinor, quod eis baptiſmo veſtro baptizandis minime exuffletis, ne non imagini Dei, ſed diabolo faciatis injuriam.* Idem *Epiſtola centeſima quinta* (194. *cap.* 10. *ed. nov.*) *ad Sixtum: Circumſtipantur enim & divinarum auctoritate lectionum, & antiquitus tradito & retento firmo Eccleſiae ritu in baptiſmo parvulorum, ubi apertiſſime demonſtrantur infantes, & cum exorcizantur, & cum ei ſe per eos, a quibus geſtantur, renuntiare reſpondent, a dia-*

(*a*) Dogmatibus] Ego hoc in libello iſto (qui in *ed. Bened. Pariſ.* exſtat *Tom.* viii. in *Appendice*) reperire non potui.

diaboli dominatione liberari. Et mox: *Verumtamen ſecundum iſtam ſuam calliditatem, non inveniunt, quid ad hoc reſpondeant, quod exorcizantur & exſufflantur infantes? hoc enim proculdubio fallaciter fit, ſi diabolus in eis non dominetur.* Huic exorciſmorum muneri praeerant olim in Eccleſia, quos *Exorciſtas* appellabant: quos Isidorus *lib.* 7. *Etymologiarum cap.* 12. Latine *adjurantes* verti poſſe ait (*a*), indeque nomen accepiſſe, quod ſuper catechumenos, vel ſuper eos, qui ſpiritu immundo torquerentur, nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti invocarent, adjurantes per eum, ut egrederetur ab eis. Cujus verbi vim etiam B. Augustinus in *lib. de beata vita, cap.* 18. ſic explicat: *Vel ille*, ait (de ſpiritu autem immundo loquitur) *qui extrinſecus invadit animum, ſenſuſque conturbat, & quendam hominibus infert furorem: cui excludendo, qui praeſunt, manum imponere, vel exorcizare dicuntur, hoc eſt, per divina eum adjurando expellere.* Cyprianus *epiſt.* 7. *lib.* 4. (*b*) *Quod hodie etiam geritur, ut per exorciſtas voce humana & poteſtate divina flagelletur, & uratur, & torqueatur diabolus.* Quod eorum officium Pontius Paulinus in *carmine* de *Natali Felicis* 1. his verſibus declarat:

Inde gradum coepit cui munus voce fideli
Admirare malos & ſacris pellere (ſic enim emendo) *verbis*

Unde idem auctor *Epiſt.* 5. *ad Amandum ad fin.* exorciſtam daemoniis terribilem dicit. Cui rei Julius quoque Firmicus, religionis licet noſtrae expers, teſtimonium dat *lib.* 2. *Matheſ. cap.* 5. *Erunt*, inquiens, *omnibus daemonibus terribiles, quorum adventum pravi daemones fugiant: & qui ſic laborantes homines non vi verborum, ſed ſola ſui oſtenſione liberent, & quamvis ſit violentus daemon, qui corpus hominum animumque quatiat, ſive ille aëreus ſit, terrenus, aut infernus, iſtius hominis juſſione fugiet, quia praeceptis cum quadam veneratione tenebitur. Hi ſunt, qui a vulgo Exorciſtae dicuntur.* Idem ejuſdem *lib. cap.* 9. *Faciet Exorciſtas, & qui laborantes daemonum incurſione homines aptis remediis liberent.* Exorciſmis ergo Catechumeni ab immundi ſpiritus poteſtate liberabantur. Unde Beda in *Commentariis Regum*, ſive *Samuël. lib.* 3. *cap.* 2. (*c*) *Recti*, ait, *ordinis eſt, ut doctores veritatis prius ab auditorum praecordiis omnem ſpiritum immundum exſufflando, & catechizando abigant; & ſic eos, qui fuerant caſtra daemonum, ſed facti jam poſſeſſio ſpiritualis Iſraël, ſocietati fortis* (al. *forti*) *ſanctorum, myſteriis ſalutaribus imbuendo, aggregent.* Sed & jejuniis Catechumenos purgari & ad baptiſmum praeparari conſueviſſe, non Socratis modo a me ſupra ex *libro* 7. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 17. prolatus locus, verum etiam Burchardus cum Gratiano indicat, qui ex Concilii Carthaginenſis quarti, *capite* 77. dogma proferunt, quo baptizandi nomen ſuum dare, & diu ſub abſtinentia vini & carnium, & manus impoſitionis crebra examinatione, baptiſmum percipere jubebantur, ut refertur in *Canon.* 60. *baptizandi, de conſecratione, diſtinct.* 4.

Hinc Tertullianus in libro *de baptiſmo cap.* 20. *Ingreſſuros*, ait, *baptiſmum orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confeſſione omnium retro delictorum.* Idem etiam Balsamon in Commentariis ad *cap.* 45. Synodi Laodicenae comprobat. Sal praeterea in myſterio Catechumenis dari a patribus inſtitutum, Isidorus *lib.* 2. *de Eccleſiaſt. offic. capite* 20. teſtis eſt, ut ejus guſtu condimentum ſapientiae perciperent, neque diſſiparentur a ſapore Chriſti, nec eſſent fatoi, & retro reſpicerent, ſicut uxor Loth. Et ideo ſale initiari ſolitos Catechumenos Beda in libros Regum ſcripſit, ut eſt a Gratiano relatum in *Canon.* 65. *Sal coeleſtis, de conſecration. diſtinct.* 4. Aquam autem baptiſmatis adituri, ſed & aliquanto prius, in eccleſia ſub antiſtitis manu conteſtabantur, ſe renuntiare diabolo, & pompae, & angelis ejus, quemadmodum Tertullianus in libro *De corona militis cap.* 3. ſcribit: Ex quo idem in libro *De habitu muliebri ſ. de cultu feminar.* 1. *cap.* 2. *Hi ſunt*, ait, *nimirum angeli, quos judicaturi ſumus. Hi ſunt angeli, quibus in lavacro renunciamus.* Idem in libro *de ſpectaculis cap.* 4. *Cum aquam ingreſſi Chriſtianam fidem in legis ſuae verba profitemur, renuntiaſſe nos diabolo, & pompae, & angelis ejus ore noſtro conteſtamur.* Angelos enim quoſdam a Deo ob liberum arbitrium profugos factos, quorum princeps eſt, qui dicitur diabolus, B. Augustinus in *lib. de correptione & gratia cap.* 10. ſcribit, quibus utique in baptiſmo abrenuntiari conſueviſſe, Basilius Magnus in *libro de Spiritu Sancto, cap.* 27. *pag.* 55. *Tom.* III. *Opp.* tradit his verbis: Ἀλλὰ καὶ ὅσα περὶ τὸ βάπτισμα, ἀποτασσόμεθα τῷ Σατανᾷ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, ἐκ ποίας ἐστὶ γραφῆς; οὐκ ἐκ τῆς ἀδημοσιεύτου ταύτης καὶ ἀπορρήτου διδασκαλίας, ἣν ἐν ἀπολυπραγμονήτῳ καὶ ἀπεριεργάστῳ σιγῇ οἱ πατέρες ἡμῶν ἐφύλαξαν, καλῶς ἐκεῖνοι (al. ἐκεῖνο) δεδιδαγμένοι, τῶν μυστηρίων τὰ σεμνὰ (al. τὸ σεμνὸν) σιωπῇ διασώζεσθαι, ἃ γὰρ οὐδὲ ἐποπτεύειν (al. ἐποπτεύειν) ἔξεστι τοῖς ἀμυήτοις,

(*a*) Ait] Apud Isidorum ita legitur: *Exorciſtae ex Graeco in Latinum* Adjuratores, *ſive* Increpantes *vocantur.*

(*b*) Lib. iv.] Eſt *Epiſt.* lxxvi. in *ed. Pamelii*, & *Epiſt.* lxix. in *ed.* Oxon.

(*c*) Cap. 2.] Sive ſecundum hodiernam Sacri Codicis diſtinctionem, *ad lib.* 1. *Samuel. cap.* 17. *v.* 53.

τις, τέτων πῶς ἂν ἦν εἰκὸς τὴν διδασκαλίαν θριαμβεύειν (*al.* *ἐκθριαμβεύειν*) *ἐν γράμμασι;* *Reliqua autem, quae ſunt in baptiſmo, velut renunciare Satanae & angelis ejus, ex qua ſcriptura babemus? Nonne ex minime publicata & arcana bac doctrina, quam patres noſtri ſilentio quieto minimeque curioſo ſervarunt? Quippe illud probe didicerant, myſteriorum reverentiam ſilentio conſervari.* Quorum verborum (*a*) hujuſmodi apud Gratianum in *Canon. 6. Eccleſiaſticarum diſtinction.* 11. tranſlatio reperitur: *Huc accedit, quod ter immergimus,* (ſic enim legendum eſt) *quod baptizatos oleo ungimus, verbis abrenunciare Satanae & angelis ejus informamur. Unde & baec, & alia in bunc modum non pauca, niſi quia tacita ac myſtica traditione a patribus Eccleſiaſtico more, ac reverentiori diligentia, ſunt in myſteriis obſervata magie ſilentio, quam publicata ſcripto?* Hujus quoque ejerationis Origenes *Homilia* 8. in *Exod.* meminit. B. Ambrosius *Exaëmeri libro* 1. *capite* 4. *Deſerit*, inquit, *qui abluitur, intellegibilem illum Pbaraonem, principem iſtius mundi, dicens; Abrenuncio tibi diabole, & angelis tuis, & operibus tuis, & imperiis tuis.* Idem Ambrosius in libro ſingulari *de his, qui myſteriis initiantur, capite* 2. *Ingreſſus es jam regenerationis ſacrarium, repete quid interrogatus ſis, recognoſce quid reſponderis. Renuntiaſti diabolo, & operibus ejus, mundo, & luxuriae ejus, ac voluptatibus.* Et mox: *Ingreſſus es igitur, ut adverſarium tuum cerneres, cui renuntiandum mox putares* (al. *in or putaris*) *Ad orientem converteris: qui enim renuntiat diabolo, ad Chriſtum convertitur, illum directo cernit obtutu.* Ex quo colligitur, poſt abrenuntiationem ab Occidente ad Orientem converti ſolitos baptizandos. Quod paulo copioſius Dionysius *lib. de Eccleſiaſtica hierarchia, cap.* 2. exponit, cujus verba Latine potius, ut ſunt ab interprete reddita, quam Graece, planioris intelligentiae cauſa, referam: nec verebor ipſum pene integrum caput referre, quod ad baptiſmalium ceremoniarum, de quibus agimus, tractatum apprime pertineat. Sic autem habet: *Porro qui tam ſublimium ac tam coeleſtium munerum ſacro fuerit deſiderio & amore captus, accedit ad aliquem ex fidelium numero, oratque ut ſe ad Pontificem ducat, ſecuturum omnia, quae ſibi tradentur, penitus atque ex toto animo ſpondens: precaturque, tum ut ſe adducat, tum ut reliquae deinceps gerendae vitae ſuae ſuſcipiat curam. Illum, & ſi ſalutis ejus ſacro amore ſuccenditur, celſitudinem tamen rei bumanamque infirmitatem metientem, continuo borror & anguſtia difficultatis invadit. Poſtremo tamen facturum, quod ille poſtulat, benigniſſime pollicetur: aſſumenſque bominem ad Pontificem ducit. Ille magna cum laetitia (non ſecus quam ovem perditam) in bumeris virum ſuſcipiens, primum quidem ſecretus ex corde gratias agit, tum in orantis quoque babitum ſternitur, adoratque ſupplex, atque veneratur ſummum illud beneficumque principium, a quo & vocanda vocantur, & ſalvanda ſalvantur. Denique ſacros omnes gradus, ut ſibi cooperentur, ac pro ſalute viri ſimul congaudeant agantque divinae clementiae gratias, in ſanctam Eccleſiam cogit: atque initio quidem bymnum aliquem ſacris libris inſertum ſimul cum omnibus Eccleſiae ordinibus canit. Poſt baec deoſculatis ſanctis altaribus ad virum aſtantem proficiſcitur, percontaturque ab eo, quidnam volens convenerit. Illo autem (juxta quod a ſuſceptore ſuo fuerat doctus) impietatem & veri boni ignorantiam accuſante, ac divinae vitae opere tam diu ſe fuiſſe deſtitutum ingemiſcente, atque orante, ut ejus ſacratiſſimo munere ac prece, Deo diviniſque myſteriis frui mereatur, conteſtatur ei, oportere ex integro totoque corde accedere ad Deum per cuncta perfectum & immaculatum. Tum divinae quoque converſationis ac vitae illi explicans rationem, an ita velit deinceps vivere ſciſcitatur. Quod ubi ille pollicitus fuerit, imponit ejus capiti manum, conſignanſque illum, ſacerdotibus mandat, ut virum ſuſceptoremque deſcribant. Poſtea vero quam illi deſcripſere, ſacram effundit precem, quam cum ſecum omnis Eccleſia terminaverit, diſcingit quidem ipſum, ac miniſtrorum manibus exuit. Deinde occidentem verſus illum ſtatuent, intendentem, manuſque impingentem ad eandem regionem converſas, inſufflare illum ter Satanam jubet, ac praeterea abrenuntiationem profiteri. Et cum poſt trinam abrenuntiationis conteſtationem, tertio ſe illa abrenuntiare profeſſus fuerit, ad orientem illum traducit, aſpicientemque in coelum, atque intendentem manus, Chriſto ſacriſque omnibus divinitus traditis conſentire jubet.*

Ad orientem ſane converti eos, qui Deo preces ſundunt, Eccleſiae non ſcripta, ſed ab Apoſtolis profecta traditione, auctor libri *Reſponſionum ad Orthodox. quaeſtion.* 118. & Basilius Magnus, *cap.* 27. *de Spiritu Sancto ad Ampbiloch. pag.* 54. *Tom.* III. *Opp.* memorant. Ut autem ad illam, a qua divertimus, abrenuntiationem redeamus, Chrysostomus *Homilia* 21. ad populum Antiochenum, qua baptizandos inſtruit: *Vocis*, ait, *recorderis, quam, cum ſacris inſtituereris, emiſiſti: Abrenuntio tibi Satanae, & pompae, & cultui tuo.* B. Augustinus *libro primo de nuptiis & concupiſcent. ad Valer. Comit. cap.* 20. *Ab bac igitur poteſtate tenebrarum, quarum*

(*a*) Verborum] Immo & quorundam antecedentium, quae ab auctore infra Graeca proferuntur lingua. Non vero haec a Gratiano tranſlata ſunt ex ipſis Basilii ſcriptis: ſed proferuntur ab eo ex Augustini *Libro ex Dictis Baſilii*: hic vero ſine dubio ad ſenſum magis, quam ad verba reſpexit. Hinc adſtrictiorem interpretationem ex *nov. Bened.* editione adjeci.

rum eſt diabolus princeps, id eſt a poteſtate diaboli, & Angelorum ejus, quisquis erui, cum baptizantur, negaverit parvulos, ipſorum Eccleſiae ſacramentorum veritate convincitur. Et mox: *In veritate itaque, non in falſitate, poteſtas diabolica exorcizatur in parvulis: eique renuntiant, quia per ſua non poſſunt, per corda & ora geſtantium, ut eruti a poteſtate tenebrarum in regnum ſui Domini transferantur.* Tractat & de hac in baptiſmo uſurpata abrenuntiatione B. BERNARDUS in *ſermone de duplici baptiſmo. Non tantum autem diabolo abrenuntiare, ſed & fidei ſuae profeſſionem edere baptizandum juſſum certiſſimum eſt.* TERTULLIANUS in libro *de ſpectacul. cap.* 4. *Cum aquam ingreſſi, Chriſtianam fidem in legis ſuae verba profitemur.* CYPRIANUS *Epiſt.* 12. *libro* 1. (al. *Epiſt.* LXX.) *Sed & ipſa interrogatio, quae fit in baptiſmo, teſtis eſt veritatis. Nam cum dicimus: Credis in vitam aeternam, & remiſſionem peccatorum per ſanctam Eccleſiam? intelligimus remiſſionem peccatorum non niſi in Eccleſia dari: apud haereticos autem, ubi Eccleſia non ſit, non poſſe peccata dimitti.* AMBROSIUS *libro unico, de his, qui myſteriis initiantur, cap.* 4. *Tu autem baptizatus es in nomine trinitatis, confeſſus es patrem, recordare quid feceris, confeſſus es filium, confeſſus es Spiritum Sanctum.* Et *capite* 5. *Deſcendiſti igitur, recordare quid reſponderis, quod credas in patrem, credas in filium, credas in Spiritum Sanctum.* Proinde duabus in baptiſmo pactionibus fideles adſtringi, ISIDORUS *libro* 2. *de offic. Eccleſiaſt. capite* 24. notat. Una quidem pactione diabolo & pompis ejus renuntiari: Altera vero fidei in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum conteſtationem confeſſionemque fieri. Pro parvulis autem parentes, aut alios, a quibus baptiſmo offerebantur, ad ejuſmodi interrogata reſpondiſſe, oſtendit B. AUGUSTINUS *Epiſt.* 23. (98. *cap.* 7. *ed. nov.*) *ad Bonifacium: Si itaque de moribus ejus futuris nihil audes certi promittere, & de ejus praeſenti cogitatione: quid eſt illud, quod quando.* inquiens, *ad baptiſmum offeruntur*, (de infantibus loquitur) *pro eis parentes tanquam fidedictores reſpondent, & dicunt illos facere, quod illa aetas cogitare non poteſt, aut ſi poteſt, occultum eſt. Interrogamus enim eos, a quibus offeruntur, & dicimus: Credit in Deum? de illa aetate, quae utrum Deus ſit, ignoret. Reſpondent: credit, & ad cetera ſic reſpondetur ſingula, quae quaeruntur.* Unde miror, parentes in iſtis rebus tam fidenter pro parvulis reſpondere, ut dicant, eum tanta bona facere, quae ad horam, qua baptizatur, baptizator interrogat. Ideoque eos, qui parvulos offerrent, & ſponſores pro eis fierent, periculo ingeri TERTULLIANUS dicit in libro *de baptiſmo, cap.* 18. quod proventu malae indolis falli poſſent (*a*). Jam quo certius exploraretur, an poſt Satanae renuntiationem ſacra verba datae fidei radicitus eorde Catechumeni defixiſſent, Scrutinia fieri olim ſolita *Rhenanus* ex BURCHARDO admonuit. Qua de re RUPERTI TUICIENSIS ex *libro.* 4. *de divinis offic. cap.* 17. ſubjungam, ex quibus verbi non ita triti ac pervulgati vis ae poteſtas innoteſcet. *Scrutinia*, ait, *dicuntur a ſcrutando, videlicet quia perſcrutandum erat in his, qui accedebant, ne aliqua radix amaritudinis ſubeſſet, veluti fuit in Simone Mago, in haereticis & haereſiarchis quam plurimis, ut ſancta non illis darentur, niſi prius Chriſtiana fides in mentibus eorum radices altas fixiſſet.* Et *capite* 21. *Juxta ordinem*, ait, *uſque in ſabbatum in vigilia Paſchae ſeptem agebantur Scrutinia, ut dum ſeptenario numero implerentur Catechumeni, daretur illis gratia ſeptiformis Spiritus Sancti. Quorum primum erat, tertia quadrageſimae hebdomada feria ſecunda, qua magnum quartae feriae ſcrutinium ſic erat ad Catechumenos pronuntiandum: Scrutinii diem, dilectiſſimi fratres, quo electi noſtri divinitus inſtruantur, imminere cognoſcite; ibidemque ſollicita devotione ſequenti quarta feria circa horam tertiam convenire dignemini, ut coeleſte myſterium, quo diabolus cum ſua pompa deſtruitur, & janua regni coeleſtis aperitur, inculpabili myſterio peragere valeamus. Item feria quarta, finitis miſſarum ſollemniis, annuntiabat presbyter, ut in ipſa hebdomada reverterentur ad ſcrutinium, ita dicendo: Die ſabbati veniente, colligite vos temporius ad eccleſiam illam. Iterum atque iterum annuntiabat presbyter qualem diem noviſſet, ita dicendo: Illa feria venientes colligite vos temporius ad eccleſiam illam, donec ſeptem (ut dictum eſt) ſcrutinia complerentur* Atque eo ſenſu ſcrutari Catechumenos B. AUGUSTINUS dixit (*b*). Enimvero in Paſchali feſtivitate Catechumenos contenta voce citari atque ad baptiſmum convocari moris fuiſſe BASILIUS MAGNUS *homilia de baptiſmo* (*c*) ſignificare videtur. Quinetiam eos cervice inclinata, in humilitate pedum, cum cilicio in Eccleſiae conſpectum ſigillatim productos, B. AUGUSTINUS *libro* 2. *de ſymbolo, capite* 1. ſignificat, cum ait: *Hac nocte circa nos actum eſt, quod ceteris noctibus actum*

(*a*) POSSENT] Verba ipſa ita ſonant: *Quid enim neceſſe eſt, ſponſores etiam periculo ingeri? quia & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt, & proventu malae indolis falli.* Ad quem locum *Ph. Priorius* ita commentatur: *Puerorum ſuſceptores, qui Graecis* ἀνάδοχοι, *quaſi fidejuſſores ſunt: eorum officium eſt, infantem inſtruere, & ad bene vivendum adhortari, & hinc ſenſum auctoris elicere poter.*

(*b*) DIXIT] Intelligit forſan Auctor locum jam ſupra adductum ex *libro de fide & operibus, cap.* 6.

(*c*) BAPTISMO] Sive in *Homilia exhortatoria ad Baptiſma, pag.* 114. *Tom.* II. *Opp.* Verba ipſa auctor ſupra jam adduxit.

actum non eſt, quod ex locis ſecretis ſinguli produceremini in conſpectu totius Eccleſiae: ibique cervice humiliata, quae male fuerat ante exaltata, in humilitate pedum, cilicio ſubſtrate, in vobis celebraretur examen, atque ex vobis extirparetur diabolus ſuperbus, dum ſuper vos invocatus eſt humiliter altiſſimus Chriſtus. Idem *libro quarto de ſymbolo, cap.* 1. *Omnia*, ait, *ſacramenta, quae acta ſunt, & aguntur in vobis per miniſterium ſervorum Dei, exorciſmis, orationibus, canticis ſpiritualibus, inſufflationibus, cilicio, inclinatione cervicum, humilitate pedum, pavor iſte omni ſecuritate appetendus. Haec omnia, ut dixi, eſcae ſunt, quae vos reficiunt in utero, ut renatos in baptiſmo hilares vos mater exhibeat Chriſto.* Ita Catechumenos, priuſquam ad baptiſmi gratiam admitterentur, deprimendos humiliandoſque veteres cenſuerunt: quos & a fidelibus ſeparatos, nec eccleſiae precationum participes factos CHRYSOSTOMUS *Homilia ſeptuageſima nona tomi quinti* (*b*), & *Homilia viceſima quarta in caput Joannis tertium* docet. Laodicenae utique Synodi *capite* 19. μετὰ τὰς τῶν ἐπισκόπων ὁμιλίας ἰδίᾳ τῶν κατηχουμένων εὐχὴν ἐπιτελεῖσθαι conſtitutum fuit: id eſt, *Poſt epiſcoporum homilias catechumenorum precationes ſeparatim fieri: Deinde Eccleſia eos abigi.* Merito autem μετὰ τὰς ὁμιλίας: quoniam Epiſcopos verbum veritatis tractantes Catechumeni audiebant, ut ex Beati AUGUSTINI *libro. 6. confeſſion. capite tertio* liquet. Arauſicani inſuper Concilii *capite* 18. & 19. & 20. Catechumenis Euangelia non legi: a baptiſterii quoque aditu eos repelli, & ſegregatos praeceptis fidei informari; ſignandoſque ac benedicendos ſeorſim a fidelibus offerri, praeceptum eſt. Quinetiam ab altari penitus excluſos, & dum ſacris operarentur Eccleſiae miniſtri, procul ire eos Levitarum voce juſſos, indeque Miſſae vocabulum fluxiſſe, ISIDORUS *libro. 6. Etymologiarum, capite* 19. tradit: *Miſſa*, inquiens, *tempore ſacrificii eſt, quando catechumeni foras mittuntur clamante Levita: Si quis catechumenus remanſit, exeat foras: & inde miſſa, quia ſacramentis altaris intereſſe non poſſunt, qui nondum regenerati noſcuntur.* Quod & DIONYSIUS libro *de Eccleſiaſt. Hierarch. cap.* 3. teſtatur, qui poſt pſalmorum cantus, & ſacrae ſcripturae lectionem ἔξω γίγνεσθαι τῆς ἱερᾶς περιοχῆς τοὺς κατηχουμένους, *ſacrorum ambitu arceri Catechumenos*, ſcribit, ut & Arreptitios [ἐνεργουμένους] ac Poenitentes: remanſiſſeque dumtaxat τοὺς τῆς τῶν θείων ἐποψίας καὶ κοινωνίας ἀξίους. *Divinorum adſpectu & communione dignos.* Cruce plane ſignatos fuiſſe Catechumenos Beatus AMBROSIUS teſtatur *libro unico de his, qui myſteriis initiantur, capite* 4. Beatus AUGUSTINUS *libro de catechizandis rudibus, cap.* 26. *His dictis interrogandus eſt, an haec credat, atque obſervare deſideret. Quod cum reſponderit, ſollemniter utique ſignandus eſt, & Eccleſiae more tractandus.* Idem *libro ſecundo de Symbolo, cap.* 1. Catechumenos alloquens: *Nondum quidem adhuc per ſacrum baptiſmum renati eſtis: ſed per crucis ſignum in utero ſanctae matris Eccleſiae jam concepti eſtis.* Et iterum *libro quarto de Symbolo, cap.* 1. *Dum per ſacratiſſimum crucis ſignum vos ſuſcepit in utero ſancta mater Eccleſia, quae ſicut & fratres veſtros cum ſumma laetitia ſpiritualiter pariet; nova proles futura tantae matris, quouſque per lavacrum ſanctum regeneratos mox luci reſtituat.* THEODORITUS quoque idem ſignaculum (quod δεσποτικὴν σφραγῖδα vocat, & DIONYSIUS σταυροειδῆ σφραγῖδα, libro *Eccleſ. Hierarch. capite* 5.) his, qui gratiam Chriſti accepturi erant, imponi ſolitum oſtendit *libro quarto hiſtor. Eccleſiaſt. capite* 15. Dextra vero id ſignaculum imprimi in Eccleſia receptum admonet auctor libri *Reſponſion. ad Orthodox.* in *reſponſion.* ad *quaeſtion.* 108. Quando autem de catechiſmi ſollemnibus hactenus ſparſim ac promiſcue egimus, ut ejus tota ratio lectoribus conſtet, RABANI MAURI verba, quibus catechiſmi formam ſua aetate (vixit autem ad annum uſque D. CCCLV.) obſervatam deſcribit, ſubjicere, & quatenus antiquorum patrum traditionibus conſentiant, quae ab eo traduntur, excurrere non pigebit. Hunc vero ille *libro primo de inſtitutione clericorum, capite* 27. catechizandi ordinem fuiſſe ſcribit, ut primum interrogaretur paganus, an abrenuntiaret diabolo, & omnibus damnoſis ejus operibus atque fallacibus pompis. Deinde Apoſtolicae fidei Symbolum ei oſtenſum, quaeſitumque ab eo, an crederet in Deum patrem omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum, Dominum noſtrum & in Spiritum ſanctum, unum Deum trinitate & unitate; an confiteretur unam eſſe Eccleſiam catholicam, & an crederet remiſſionem peccatorum, & carnis reſurrectionem.

Poſteaquam vero ita ſe per confeſſionem verae fidei in alterius commendaſſet dominium, & per abrenuntiationem prioris poſſeſſoris ſe alienaſſet ſervitio, exufflatam tum ab eo fuiſſe ſaevam poteſtatem, ut per pium ſacerdotis myſterium Spiritui Sancto cederet fugiens ſpiritus malignus. Signatum mox ſignaculo ſanctae crucis tam in fronte, quam in corde, ut ipſe diabolus in vaſe ſuo priſtino interemptionis ſuae cognoſcens ſignum, jam ſibi deinceps ſciret illud eſſe alienum. Exinde

(a) QUINTI] Neſcio qua editione uſus fuerit *Briſſonius*, & nunc ſcire quoque nequeo, quamnam intelligit Homiliam. Agit vero praecipue hac de re CHRYSOSTOMUS in *Homilia ſecunda* in *Epiſtol.* 11. *Pauli ad Corinthios.*

de dictas ſuper eum orationes, ut fieret Catechumenus.

Tunc datum eſſe ei ſal benedictum in os, ut per ſal typicum ſapientiae ſale conditus foetore careret iniquitatis, & nec a vermibus peccatorum ultra putrefieret: ſed magis illaeſus ſervaretur ad majorem gratiam percipiendam. Dehinc iterum exorcizatum fuiſſe diabolum, ut ſuam nequitiam agnoſcens, & juſtûm judicium Dei timens, recederet ab eo, nec jam contenderet eum arte ſua ſubvertere. Poſtea tactas ei nares & aures cum ſaliva, dictumque ei illud verbum Euangelicum, quod Jeſus, quando ſurdum & mutum ſanavit, tangens cum ſputo linguam ejus, & mittens digitos ſuos in auriculas ejus, dixit: *Ephata*, quod eſt, adaperire. Nimirum, ut per ſalivam typicam ſacerdotis & tactum, ſapientia & virtus divina ſalutem ejuſdem Catechumeni operaretur, ut aperirentur ei nares ad accipiendum odorem notitiae Dei, & aures ad audienda mandata Dei, ſenſuque intimo cordis reponenda. Deinde benedictione ſacerdotali munitum, ut ad ſacrum baptiſmum cum fide accepta cuſtodiretur: unctum illius tunc pectus de oleo ſanctificato cum invocatione ſanctae trinitatis, ut nullae reliquiae latentes inimici in eo reſiderent: ſed in fide ſanctae trinitatis mens ejus conſortaretur. Unctum & inter ſcapulas oleo fuiſſe refert, ut undique muniretur, & ad bona opera facienda per Dei gloriam roboraretur. Quas omnes cerimonias fontis conſecrationem praeceſſiſſe narrat. Sed an ejus demum aevo ritus iſti in baptiſmum inducti ſint, an vero vetuſtiorem originem habeant, videamus. De abrenuntiatione quidem & ejeratione diaboli, ſatis multa priſcorum & melioris notae auctorum teſtimonia ſupra protulimus. Quibus addi interpretationis loco velim, quae B. AUGUSTINUS *libro* 3. *de Symbolo*, *capite* 1. ſcribit. Initiatos vero fidei noſtrae rudimentis, primiſque inſtructionum ſacramentis imbutos, nomina ſua dediſſe, ut per baptiſmum regenerarentur, Competenteſque exinde vocatos, jam ante diximus, & B. AUGUSTINUS *lib.* 8. *Confeſſionum cap.* 2. & *lib.* 9. *cap.* 6. planum facit. His fidei Chriſtianae ſummam certis ac conceptis ſymboli verbis comprehenſam, traditam fuiſſe, quam memoriae mandarent, mandatamque poſtea redderent, idem B. AUGUSTINUS innumerabilibus prope locis, maximeque *quatuor* ſuis *de Symbolo libris* teſtatum reliquit. Et quidem Dominica in ramis Palmarum (ut vocant) Symbolum competentibus traditum, propter confinem Paſchae ſollemnitatem, ut, qui jam ad Dei gratiam feſtinabant, quam confiterentur, fidem cognoſcerent, ISIDORUS *lib.* 6. *Etymologiarum*, *cap.* 18. & *lib.* 1. *de Eccleſiaſt. offic. cap.* 27. tradit. Itaque inter Beati AUGUSTINI opera *Sermo* (*a*) refertur eo Palmarum die habitus, cujus hujuſmodi eſt exordium: *Symbolum, quod vobis tradituri ſumus, fratres chariſſimi, comprehenſio eſt fidei noſtrae atque perfectio, ſimplex, breve, plenum, ut ſimplicitas conſulat audientium ruſticitati; brevitas memoriae; plenitudo doctrinae. Quod enim Graece Symbolum dicitur, Latine collatio nominatur. Collatio ideo, quia collata in unum totius catholicae legis fides ſymboli colligitur brevitate, cujus textum vobis Deo annuente dicemus.* Alius etiam ad Competentes inſcriptus *ſermo*, eodem die prolatus, legitur (*b*), cum tali prooemio: *Hodie, fratres chariſſimi, ſpecialiter ad Competentes humilitatis noſtrae ſermo dirigitur. Et quamvis omnibus etiam fidelibus baptizatis admonitio noſtra conveniat, & unuſquiſque, qui de animae ſuae ſalute ſollicitudinem gerit, unde proficere poſſit, credimus, quod in iſta humili ſuggeſtione noſtra reperiat: peculiariter tamen eos, qui nunc baptiſmi ſacramenta deſiderant, voluimus adornare.* (al. *admonere.*) *Primum ergo Competentes iſti, quare hoc nomine vocentur, agnoſcant. Competentes dicuntur, ſimul petentes: quomodo conſidentes nihil eſt aliud, niſi ſimul ſedentes, & colloquentes nihil aliud eſt, niſi ſimul loquentes, concurrentes ſine dubio non intelliguntur, niſi ſimul currentes: ita & Competentes non poſſunt aliud intelligi, niſi ſimul petentes.* Sic autem traditum Competentibus Dominica palmarum Symbolum, eis per ultimam quadrageſimae hebdomadam ediſcendum, altaque mente reponendum relinquebatur. Exigebatur vero ab eis ſabbato Paſchali, quo die Competentes ſymbolum reddidiſſe, ex ſermonibus a B. AUGUSTINO eo die habitis, patet. Nec non ex *Homilia* 42. (*Serm.* 58. *cap.* 1. *ed. nov.*) de commendatione orationis Dominicae, in qua ita eos alloquitur: *Quicumque autem veſtrum non bene ſymbolum reddiderunt, habent ſpatium, teneant, quia die ſabbati audientibus omnibus, qui aderunt, reddituri eſtis, die ſabbati noviſſimo, quo die baptizandi eſtis.* Romae autem competentes fidem ſuam ex loco editiori in conſpectu populi fidelis profiteri conſueviſſe auctor eſt B. AUGUSTINUS *lib.* 8. *Confeſſion. cap.* 2. *ſect.* 5. quo de Victorino rhetore in hunc modum ſcribit: *Denique ut ventum eſt ad horam profitendae fidei, quae verbis certis conceptis, retentiſque memoriter, de loco eminentiore in conſpectu populi fidelis Romae reddi ſolet ab eis, qui acceſſuri ſunt ad gratiam, tum* (al. *tuam*) *oblatum eſſe dicebant* (al. *dicebat*) *Victorino a presbyteris, ut* ſe-

(*a*) SERMO] Olim inter *ſermones de Tempore*, *num.* 115. exſtabat: poſtea in *App. num.* 42. relatus eſt: *in Pariſ.* vero *Bened. ed.* reperitur inter *ſuppoſititios Sermones*, in *App. num.* 241.

(*b*) LEGITUR] In *veter.* quidem *edd.* inter *ſerm. de Tempore*, *num.* 116. in nova vero *Pariſ. Bened. ed.* inter *ſuppoſititios ſermones* in *App. num.* 267.

ſecretius redderet, ſicut nonnullis, qui verecundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat: illum autem maluiſſe ſalutem ſuam in conſpectu ſanctae multitudinis profiteri. Quam etiam Romanae Eccleſiae conſuetudinem CYPRIANI ex *lib. de ſymbolo*, a me ſupra prolatus locus teſtatur. Poſt redditam vero a Competentibus fidei regulam, eodem ſabbato Paſchali protinus orationem Dominicam, quam ad octo dies redderent, eis traditam fuiſſe, indicat *ſermo quartus* (*a*), ſabbato Paſchae ab eodem AUGUSTINO de expoſitione orationis Dominicae poſt redditum ſymbolum habitus. Indicat, & ejusdem *homilia* 42. (*Serm.* 58. *cap.* 1. *ed. nov.*) de commendatione orationis Dominicae. Jam ſignaculi Dominici impoſitionem, quam Rabanus exſufflationi ſubnectit, ipſis Ambroſii & Auguſtini temporibus obſervatam uſitatamque fuiſſe ſupra probavimus. De ſalis vero in os ingeſtione haud ſcio (nec enim temere quicquam adfirmare auſim, ac, ne ſi auſim, velim quidem) an certa aliqua poſſit ex vetuſtiorum monumentis auctoritas proferri. Sale quidem certe initiatos Catechumenos, ISIDORUS, qui circiter annum D. cxxx, floruit, & BEDA, qui uſque ad annum D. ccc. xxxii, vixit, docent, ut teſtimonia a me ex eorum ſcriptis ſupra prolata comprobant. Eoque forte (non enim ſatis liquet) pertinet concilii Carthaginenſis tertii, Caeſario & Attico viris clariſſimis Coſſ. id eſt, juxta Mariani Scoti ſupputationem, anno Chriſti cccxcviii. (*al.* cccxcvii.) Syricii Pontificis temporibus geſti, *caput quintum*, in quo ita eſt: *Item placuit, ut per ſollemniſſimos Paſchales dies ſacramentum Catechumenis non detur, niſi ſolitum ſal: quia ſi fideles per illos dies Sacramenta non mutant, nec catechumenis oportet mutari.* Eodem etiam videntur referenda B. AUGUSTINI ex *libro* 1. *Confeſſionum, capite* 11. verba: *Audieram enim ego adbuc puer de vita aeterna nobis promiſſa per humilitatem Domini Dei noſtri deſcendentis ad ſuperbiam noſtram, & ſignabar jam ſigno crucis ejus, & condiebar ejus ſale.* Quod vero ad narium atque aurium contrectationem attinet, ejus ritus, ſine ulla tamen ſputi adbibiti mentione, AMBROSIUS non uno loco meminit: veluti *libro primo de Sacramentis, capite primo. Ergo*, ait, *quid egimus ſabbato? Nempe apertionem. Quae myſteria celebrata ſunt Apertionis, quando aures tibi tetigit ſacerdos & nares. Quod & ſignificat Dominus noſter Jeſus Chriſtus in Euangelio: cui cum oblatus eſſet ſurdus & mutus, tetigit aures ejus & os ejus. Aures, quia ſurdus erat; Os quia mutus, & ait: Ephata, quod Hebraicum verbum eſt, quod Latine dicitur: Adaperire. Ideo ergo ſacerdos aures tibi tetigit, ut aperiantur aures tuae ad ſermonem, & ad alloquium ſacerdotis.* Fit & hujus apertionis rurſus mentio apud eundem *lib. unico, de his, qui myſteriis initiantur, cap.* 1. in quo ita eſt: *Aperite igitur aures, & bonum odorem vitae aeternae inhalatum vobis munere ſacramentorum carpite: quod vobis ſignificavimus, cum apertionis celebrantes myſterium, diceremus; Ephata, quod eſt, Adaperire, ut venturus unuſquiſque ad gratiam, quid interrogaretur, cognoſceret; quid reſponderet, meminiſſe deberet. Hoc myſterium celebravit Chriſtus in Euangelio, ſicut legimus, cum mutum curaret & ſurdum. Sed illos tetigit* (*b*), *quia & mutum curabat & virum. In altero, ut os ejus infuſae ſonum vocis aperiret: in altero, quia tactus iſte virum decebat, feminam non decebat.* At BEDA, ut ex ejus *lib.* 1. *Hom.* 19. YVO CARNUT. refert, morem in Eccleſia inoleviſſe ſcriptum reliquit, ut ſacerdotes illius his, quos percipiendis baptiſmi ſacramentis praepararent, prius inter cetera conſecrationis exordia, de ſaliva oris ſui nares tangerent, & aures, dicentes: Ephata. Per ſalivam quidem oris ſui guſtum, quo initiandi ſunt ſupernae ſapientiae deſignantes: Per tactum vero narium, ut abjectis delectationibus noxiis, ſolum Chriſti ſemper amplectantur odorem. Sequitur de Catechumenorum unctione oleique illinitu dicere: de cujus ritus probatione non laboraremus, ſi de *Epiſtola*, quae Beati CLEMENTIS nomine circumſertur, inter omnes conveniret. Sic enim illic, prout Clementem Latine loquentem nobis Rufinus reliquit, ſcriptum eſt: *Baptizetur unuſquiſque in aquis perennibus, nomine trinae beatitudinis invocato ſuper ſe: perunctus primo oleo per orationem ſanctificato, ut ita demum poſt haec conſecratus poſſit percipere locum cum ſanctis.* Similiter DIONYSIUS, cui vel ſtylus ipſe orationiſque gravitas magnum vetuſtatis ſpecimen praebet, *libro de Eccleſiaſtica hierarchia cap.* 2. Antiſtites oleo baptizandos iuunxiſſe, unctioneque inchoata eum, qui baptizabatur, toto corpore inungendum ſacerdotibus tradidiſſe ſcribit. BASILIUS MAGNUS *de Spiritu Sancto ad Amphiloch. cap.* 27. *pag.* 55. *Tom.* III. *Opp.* Εὐλογοῦμεν δὲ, τό τε ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος, καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, καὶ προσέτι αὐτὸν τὸν βαπτιζόμενον, ἀπὸ ποίων ἐγγράφων; οὐκ ἀπὸ τῆς σιωπωμένης καὶ μυστικῆς παραδόσεως; τί δὲ; αὐτὴν τοῦ ἐλαίου τὴν χρίσιν, τίς λόγος γεγραμμένος ἐδίδαξε; Id eſt: *Benedicimus autem & aquam baptiſmatis, & oleum unctionis, inſuperque eum, qui baptizatur, ex quibus ſcriptis? nonne a tacita & arcana traditione? Ipſam vero olei illitionem quae doctrina ſcripta docuit?* NICEPHORUS de Conſtantini Im-

(*a*) QUARTUS] Intelligitur forſan *Sermo* 135. *de Tempore*, in *veter. edd.* ſive *Sermo* 59. in *ed. Pariſ. Bened. cap.* 1.

(*b*) TETIGIT] Locus in MSS. & editis Codd. varie legitur: In *nov. Pariſ. ed.* editur: *ſed ille os tetigit.* Paullo poſt pro *ſonum*, legitur ibi *ſono*.

Imperatoris baptiſmo tractans, *lib.* 7. *cap.* 33. *Etiam*, ait, *oleo unctus, lavacrum ille ingreditur, atque more recepto ſanctiſſimae Trinitatis ſit invocatio.* Sed & B. AUGUSTINI ex *Homilia ad Neophytos* (*a*) verba, YVO CARNUTENSIS primae decretorum partis, *cap.* 193. *ſeq.* & GRATIANUS in *Canon.* 73. *Prima igitur, de conſecration. diſtinction.* 4. longam verborum ſeriem citant, ex qua baptizatorum, priuſquam ad fontem ſanctum venirent, aures & nares oleo benedictionis oblitas unctaſque fuiſſe, ſecundum Eccleſiaſticam traditionem, quae tunc temporis ab hominibus catholicis ſacerdotibus obſervaretur, apparet. Quod ea nimirum ratione factum exponitur, quia introitus totius ſanctae doctrinae ad animum per aures admittitur & de auditu intellectus exoritur. Adhibita ergo auribus unctio hoc ſignificabat, ut omnes extra diſciplinam ſermones, quaſi doctrinae Chriſti obloquentes, averſarentur ac fugerent, & ad ſolius Dei verba audienda aures ſuas eloquiis Chriſti conſecratas accommodarent. Nares vero eodem modo unctas, ut, qui ad baptiſmum veniebant, admonerentur tanti myſterii ſacramentum uſque ad mortem inviolatum & integrum cuſtodire, ut quamdiu ſpiritum naribus traherent, a Chriſti cultu non recederent. Ad haec illius olei, quod in Chriſti nomine & virtute benedictum eſſet, odorem baptizandos ad odoratum provocaſſe ſpiritalem, ut ad corporei ſenſus ſimilitudinem, mentis ſenſibus Chriſti ſuavitatem odorarentur ac perciperent. His igitur praeviis ceremoniis baptizandus ad fontem accedebat: quem auctor *lib. Reſponſion. ad Orthodox. quaeſtion.* 137. & SOCRATES *lib.* 7. *hiſtor. Eccleſiaſt. capite* 17. & ZONARAS in Leone Iſauro, *lib.* XV. *pag.* 102. *cap.* 2. & alii κολυμβήθραν vocant. DIONYSIUS allegorice μητέρα τῆς υἱοθεσίας, *matrem adoptionis*, in *lib. De coeleſti* (ſive potius *eccleſiaſtica*) *hierarchia.* Fons porro in Baſilicis proprio & baptiſmi officio ſpecialiter dicato loco concludebatur: cujus appellationem Latini verborum inopes, a Graecis mendicantes, locum eum *baptiſterium* nuncupant: Graeci ſuum illud Latinis commodatum verbum intempeſtive repetere nolentes, φωτιστήριον dicunt AMBROSIUS *regenerationis ſacrarium* appellat *lib.* VII. *de his, qui myſter. initiant. cap.* 2. Extat PAULINI ad Severum *Epiſtola*, qua duas ab eo factas baſilicas, baptiſterio, quod utriuſque pariter uſibus deſerviret, interpoſito, narrat. Quam in diſpoſitionem ac ſtructuram ludit his verſibus:

Iſte duas inter diverſi culminis aulas,
Turrito fontem tegmine conſtituit.
Laeta novos geminis partus Eccleſia mater
Excipiet ſinibus, quos aqua protulerit.
Aula duplex tectis, Eccleſia teſtamentis,
Una ſed ambobus gratia fontis adeſt.

Alios praeterea de ipſo baptiſterio a ſe conditos verſus, idem PAULINUS memorat, quos itidem adſcribam:

Hic reparandarum generator fons animarum,
Vinum divino lumine flumen agit,
Sanctus in hunc coelo deſcendit ſpiritus amnem:
Coeleſtique ſacras fonte maritat aquas.
Concipit unda Deum, ſanctamque liquoribus almis
Edit ab aeterno ſemine progeniem.
Mira Dei pietas, peccator mergitur undis,
Mox eadem emergit juſtificatus aqua.

Id vero baptiſterium Severus aliquot picturis virorum ſanctitate praeſtantium exornarat, ut emergentibus e ſacro fonte ſequenda, imitandaque eorum facta ob oculos proponerentur: Fons autem hic, ubi tingendorum Competentium dies ceſſerat, aqua replebatur, ut SOCRATES *lib.* 7. *hiſt. Eccleſiaſt. cap.* 17. & Paſchaſius Epiſcopus apud MARIANUM SCOTUM *lib.* 2. *Chronicor.* (Ad A. C. 445. *pag.* 415. *Tom.* I. *Scriptt. rer. Germ. Ja. Piſtorii*) oſtendunt. Plane priuſquam in fontem deſcenderent orationibus ac benedictionibus ſacerdotum conſecrari ſanctificatique aqua conſueverat. Teſtis eſt DIONYSIUS *lib. de Eccleſiaſt. hierarch. cap.* 2. Ὕδωρ, inquiens, ταῖς ἁγίαις ἐπικλήσεσι καθαγιάσας. *Cujus aquas poſtquam ſacris invocationibus ſanctificavit.* Et BASILIUS MAGNUS *cap.* 27. *de Spiritu Sancto ad Amphiloch. pag.* 55. *Tom.* III. *Opp.* Εὐλογοῦμεν δὲ καὶ τὸ ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος. *Benedicimus autem & aquam baptiſmatis.* AMBROSIUS *libro* I. *de Sacramentis, capite quinto. Quare prior Chriſtus deſcendit, poſtea Spiritus Sanctus, cum forma baptiſmatis & uſus hoc habeat, ut ante fons conſecretur, & tunc deſcendat qui baptizandus eſt? Nam ubi primum ingreditur ſacerdos, exorciſmum facit: ſecundo ſuper creaturam aquae invocationem: Poſtea precem defert* (*b*), *ut ſanctificetur fons & adſit praeſentia trinitatis aeternae.* Idem *lib. un. de his, qui myſteriis init. c.* 3. aquam baptiſmatis ſalutari crucis myſterio conſecrari dicit. Quinetiam infuſum in aquam fuiſſe unguentum DIONYSIUS *lib.*

(*a*) NEOPHYTOS] Auguſtini Sermones ad Neophytos in *ed. Pariſ. Bened.* inter Opera ſuppoſiti referuntur in *Append. Tom.* VI.

(*b*) DEFERT] In *ed. Pariſ.* locus ita legitur & diſtinguitur: *exorciſmum facit ſecundum creaturam aquam, invocationem poſtea & precem defert.*

lib. de Eccleſiaſt. hierarchia cap. 2. indicat. Similiterque oleum aquae miſcuiſſe in baptiſmo quoſdam Valentiniani ſectatores Irenaeus *libr.* 1. *adverſus haereſes, capite* 18. (*cap.* 21. §. 4. *pag.* 96. *ed. Pariſ.*) narrat. In fonte autem, baptizandi interrogabantur: An in Patrem, filium & Spiritum Sanctum crederent. Ad quae interrogata ſingulatim reſpondebant: tum mergebantur: ut ex Augustini verbis patet, quae ex ejus *homiliis ad Neophytos* ab Yvone Carnutenſi & Gratiano *Can.* 73. *diſt.* 4. *de conſecrat.* referuntur in hunc modum: *In hoc ergo fonte antequam vos toto corpore tingeremus, interrogavimus: Credis in Deum, patrem omnipotentem? Reſpondiſtis: Credo. Rurſum interrogavimus: Credis & in Jeſum Chriſtum filium ejus, qui natus eſt de Spiritu Sancto ex Maria virgine? Reſpondiſtis ſinguli: Credo. Iterum interrogavimus: Et in Spiritum Sanctum? Reſpondiſtis ſimiliter: credo.* Subjicit etiam interrogatos, *An in Eccleſiam & remiſſionem peccatorum crederent?* Cujus interrogationis meminit Cyprianus *epiſt.* 12. *lib.* 1. (al. *Epiſt.* lxx.) Et hoc eſt, quod Tertullianus in *lib. de ſpectaculis*, *cap.* 4. aquam ingreſſos Chriſtianam fidem in ſuae legis verba profeſſos ait. Hinc & B. Hieronymus *Epiſt.* 1. (ad *Heliodorum* ſive *Epiſt.* v. *Tom.* iv. *Part.* ii. *pag.* 7.) *Recordare*, ait, *Tyrocinii tui diem, quo Chriſto in baptiſmate conſepultus es, in ſacramenti ejus verba juraſti.* Eodemque pertinet a B. Augustino *lib.* 1. *De adulterinis conjug. ad Pollent. cap.* 26. propoſita quaeſtio: *An Catechumenis in hujus vitae ultimo conſtitutis, ſi morbo, ſeu caſu aliquo ſic oppreſſi ſint, ut quamvis adhuc vivant, petere ſibi tamen baptiſmum, vel ad interrogata reſpondere non poſſint proſit eis, quod eorum in fide Chriſtiana jam nota voluntas eſt, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas adhuc nulla patuit?* Ex illis autem *Auguſt.* ab Yvone Carnut. relatis verbis patet, in fontem penitus demitti ac mergi, totoque corpore tingi conſueviſſe eos, qui baptizantur. Quod & Tertullianus in *libr. De baptiſmo cap.* 2. ſubindicat, cum ait: *Quoniam tanta ſimplicitate, ſine pompa, ſine apparatu novo aliquo, denique ſine ſumptu homo in aquam demiſſus, & inter pauca verba tinctus, non multo, vel nihilo mundior reſurgit.* Indicio eſt etiam quod Laurentius *homilia de poenitentia* ſcribit: *Aut forte quaerere debeo dexteram ſacerdotis, quae me mergat in fontem, & inde iterum purificet.* Et hac de cauſa baptizandum veſtibus exutum apud Dionysium *libro de Eccleſiaſt. hierarch. cap.* 2. & Nicephorum *lib.* 3. *hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 37. legimus. Quamquam idem Dionysius *capite ſequenti* (*a*) baptizandum *γυμνὸν ϗ ἀνυπόδετον*, *nudum & diſcalceatum*, idcirco coram Epiſcopo ſiſti, omnia ad myſticam rationem referens, ait, quo vitam ſe priorem exuere teſtetur. Eaque una fuit olim diſputandi cauſa, an qui in infirmitate & languore gratiam Dei conſequerentur, habendi eſſent legitimi Chriſtiani. Qua de re dubitatum, dubitationemque moviſſe, quod aqua ſalutari non eſſent loti, ſed perfuſi, Cyprianus *Epiſt.* 7. *lib.* 4. (*Epiſt.* lxxvi. *ed. Pam. Ep.* lxix. *ed. Oxon.*) oſtendit. In eoque infirmitatis articulo baptizatos Clinicos appellatos eſſe idem indicat: utpote ἐν τῇ κλίνῃ ᾗ διὰ νόσον ἔκειτο περιχυθέντας: quemadmodum apud Eusebium *lib.* 6. *hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 43 Cornelius Papa loquitur, id eſt: *aqua regenerationis in lecto, in quo aegri decumbebant & jacebant, perfuſos.* Quo ex genere Clinicorum fuiſſe Novatum ex eodem Euſebii loco patet. Eunomiani utique (quemadmodum a Theodorito *lib.* 4. *compendii haereſeon*, *cap.* 3. proditum eſt) baptizantes ad pectus uſque duntaxat aqua madefaciebant, reliquis autem partibus corporis, tanquam abominandis, aquam adhibere prohibebant. Qua de cauſa quando in folio quidem baptizabant, quum hominem extra id ſtatuiſſent, ejus caput uſque ad pectus ſemel in aquam deprimebant. Cum vero capite ad folium impacto ſauciari quempiam contigiſſet, excogitarunt aliud genus baptiſmatis. In aliquo enim ſubſellio pronum hominem, extra id autem caput ſublime erigentes, effundebant aquam, quae nullam aliam partem attingebat. Alii ex his alium quoque modum baptiſmatis invenerunt. Maximam enim vittam componebant, eamque conſecrabant, & ea hominem ad ungues uſque involvebant, a pectore incipientes, deinde ſic aquam infundebant. Caeterum non ſemel, ſed iterum, ac tertio, ad ſingula Trinitatis nomina, & in ſingulas perſonas olim mergebantur (*b*): ſicut Tertullianus *lib. adverſus Praxeam cap.* 26. docet. Idem in *libr. De corona militis cap.* 3. *Dehinc*, ait, *ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes, quam Dominus in Euangelio determinavit.* Dionysius in *libr. de Eccleſiaſt. hierarchia cap.* 2. Τρὶς μὲν αὐτὸν ὁ ἱεράρχης βαπτίζει, ταῖς τρισὶ τῆς πλημμύρας καταδύσεσι ϗ ἀναδύσεσι τὰς τελεστὰς τῆς θείας μακαριότητος ἐπιβοώμενος ὑποστάσεις. Id eſt: *Ter illum Epiſcopus mergit, hac trina illius merſione & emerſione tres beatitudinis divinae perſonas inclamans.* Basilius Magnus *de Spiritu Sancto ad Amphiloch. cap.* 27. *pag.* 55. *Tom.* iii. *Opp.*

(*a*) Sequenti] Immo locus legitur in ejusdem *capitis* 2. *parte ſequenti*, ſive *tertia*, ut liber diſtinguitur in *ed. Opp. Antwerp.* 1634. *fol.*

(*b*) Mergebantur] Diverſae hujus ritus rationes ab ipſis veteribus redduntur, quemadmodum notat *Nicol. Rigaltius* in notis ad *Tertullian. de Corona*, *cap.* 3. ubi plura veterum teſtimonia adducit.

Opp. Τὸ δὲ τρὶς βαπτίζεσθαι τὸν ἄνθρωπον πόθεν; Id eſt: *At ter immergi hominem unde?* Trinam etiam merſionem in baptiſmo factam *Canon Apoſtolorum* 49. comprobat, in quo ita eſt: Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος μὴ τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως ἐπιτελέσει, ἀλλ' ἓν βάπτισμα τὸ εἰς τὸν θάνατον τοῦ κυρίου διδόμενον, καθαιρείσθω. οὐ γὰρ εἶπεν ὁ κύριος, εἰς τὸν θάνατόν μου βαπτίσατε. ἀλλὰ πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Id eſt: *Si quis Epiſcopus aut presbyter non tres unius initiationis aſperſiones fecerit, ſed unam, quae fiat in mortem Domini, deponatur. Non enim dixit Dominus, in mortem meam baptizate, ſed, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Beatus HIERONYMUS *adverſus Luciferian. pag.* 294. *Tom.* IV. *Part.* II. *Nam & multa alia, quae per traditionem in Eccleſiis obſervantur, auctoritatem ſibi ſcriptae legis uſurpaverunt: Velut in lavacro ter caput mergitare.* AMBROSIUS *libro ſecundo de ſacrament. cap.* 7. *Interrogatus es: Credis in Deum patrem omnipotentem? Dixiſti. Credo, & merſiſti, hoc eſt, ſepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & in crucem ejus? Dixiſti: Credo, & merſiſti, ideo & Chriſto es conſepultus. Qui enim Chriſto conſepelitur, cum Chriſto reſurgit. Tertio interrogatus es: Credis & in Spiritum Sanctum? Dixiſti: Credo, & tertio merſiſti, ut multiplicem lapſum ſuperioris aetatis abſolveret trina confeſſio.* LEO quoque Pontifex *Epiſtola* ad Epiſcopos per Siciliam conſtitutos: (*can.* 13. *diſtinct.* IV. *de conſecrat.*) *Dum*, inquit, *in baptiſmatis regula & mors intervenit, interfectione peccati; & ſepulturam triduanam imitatur trina demerſio; & ab aquis elevatio reſurgentis inſtar eſt de ſepulchro.* B. BERNARDUS in *ſermone de Coena Domini: Denique ipſe baptiſmus initium ſacramentorum omnium, in quo complantamur ſimilitudini mortis ejus, unde & trina merſio tridui, quod nunc celebrandum eſt, figuram gerit.* RABANUS MAURUS *lib.* I. *de inſtitutione cleric. capite* 28. *Poſt haec igitur conſecratur fons, & ad ipſum baptiſmum Catechumenus accedit, & ſic in nomine ſanctae Trinitatis trina ſubmerſione baptizatur. Et recte homo, qui ad imaginem ſanctae trinitatis conditus eſt, per invocationem ſanctae Trinitatis ad eandem renovatur imaginem, ut qui tertio gradu peccati, id eſt, conſenſu cecidit in mortem, tertio elevatus de fonte per gratiam reſurgat ad vitam. Poteſt & haec trina merſio triduanam Domini ſepulturam ſignificare, maxime cum dicat Apoſtolus: Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ejus baptizati ſumus: Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in morte, ut quomodo ſurrexit Chriſtus a mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus, & reliqua. Oportet ergo cum invocatione ſanctae Trinitatis ſub trina merſione baptiſmum confici, ut ſecundum perſonarum differentiam myſterium baptiſmi celebretur, & ſecundum unitatem ſubſtantiae unum baptiſma fiat.* Atque ob triduanae Chriſti ſepulturae imaginem, trinam illam in baptiſmo merſionem inſtitutam, DIONYSIUS *capite* 2. *de Eccleſiaſtica Hierarchia* credit, τρισὶ ἐν τῷ ὕδατι καταδύσεσι, τὸν θεαρχικὸν τῆς τριημερονύκτου ταφῆς Ἰησοῦ μιμεῖσθαι θάνατον, *tribus in aquam immerſionibus & emerſionibus divinam trium dierum ac noctium ſepulturae Jeſu mortem imitari* dicens. Quam hujus ritus rationem GREGORIUS Pontifex *Epiſt.* 41. *libro* 1. ſequitur. Beatus vero HIERONYMUS in *Commentariis Epiſtol. ad Epheſ. capite* 4. *v.* 4. ter mergi eos, qui baptizantur, propter Trinitatis myſterium opinatur. Quod ex eo notat GRATIANUS in *Canon.* 81. *Eodem modo, de conſecrat. diſtinction.* 4. Utramque vero probat & copulat B. AUOUSTINUS *Homilia* 4. (*a*) in qua duplici myſterii ſignificatione tertio in fonte capita eorum, qui baptizantur, demergi ait: Recte enim tertio mergi, ut qui baptizentur in nomine Trinitatis, & qui baptiſmum accipiant in nomine Jeſu Chriſti, qui tertia die reſurrexit a mortuis: Illam enim tertio repetitam demerſionem typum gerere dominicae ſepulturae, pee quam Chriſto conſepulti in baptiſmo, & cum eo ſurgimus in fide. At hunc ritum unanimi totius eccleſiae conſenſione tum receptum, (cujus etiam teſtimonium exemplumque ex NICEPHORO *lib.* 3. *hiſtoriar. Eccleſiaſt. cap.* 37. peti poteſt) ſubvertere primus Eunomius eniſus eſſe dicitur, ter immergi debere negans eum, qui baptizetur, nec Trinitatem invocari, ſed ſemel duntaxat in mortem Chriſti tingendum eſſe adſerens, ut a THEODORITO refertur *lib.* 4. *compendii haereſeon, cap.* 3. Quod & SOZOMENUS *lib.* 6. *hiſt. Eccl. c.* 26. narrat his verbis: Φασὶ δὲ τινες πρῶτον τοῦτον Εὐνόμιον τολμῆσαι εἰσηγήσασθαι ἐν μιᾷ καταδύσει χρῆναι ἐπιτελεῖν τὴν θείαν βάπτισιν, καὶ παραχαράξαι τὴν ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων εἰσέτι νῦν ἐν πᾶσι φυλαττομένην παράδοσιν. Et poſtea, de Eunomianis agens: Καὶ περὶ τὴν θείαν βάπτισιν ἐνεωτέρισαν, οὐκ εἰς τριάδα, ἀλλ' εἰς τὸν τοῦ Χριστοῦ θάνατον βαπτίζεσθαι εἰσηγησάμενοι. Id eſt: *Primum hunc Eunomium introducere auſum ferunt, una & ſimplici merſione ſacrum baptiſmum celebrare, & adulterare ab Apoſtolis ad haec noſtra uſque tempora ubique ſervatam conſuetudinem.* Et poſt: *Innovarunt*, ait, *Eunomiani aliqua circa baptiſmum, non in Trinitatis nomen, ſed in Chriſti mortem*

(*a*) HOMILIA IV.] Haec *Homilia*, ſive *ſermo de myſterio baptiſmatis* in *ed. Pariſ. Bened.* exſtat inter *Sermones ſpurios*, in *App. Tom.* VI. *Opp. pag.* 290.

tem tingere introducentes. Tandem tamen concilii Toletani quarti, *capite* 5. ſimplam teneri baptiſmatis merſionem placuit, ut a Gratiano refertur in *Canon.* 85. *Propter vitandum, de conſecration. diſt.* 4. Id quod Concilii quoque Wormacienſis, *capite quinto* adprobatum invenio. Nocte plane Paſchali lavacri myſteria peracta fuiſſe oſtendit Epiſtola Paſchaſini apud Marianum Scotum *lib.* 2. *Chronicor.* (Ad *a.* 445. *pag.* 445. ap. *Piſtor.*) Quod & B. Augustinus conjiciendum relinquit *libro* 2. *de Symbolo, cap.* 1. cum ait, Nocte Catechumenos in aſpectum Eccleſiae prolatos ac productos. Nec obſcure hoc idem deſignat in *Concione* (*a*) *ad Catechumenos contra Judaeos, Paganos & Arrianos, cap.* 1. cujus ipſamet verba promam: *Exigit enim,* ait, *a nobis ratio hujus tantae congregationis, & noctis tranſactae vobis reddere rationem, & iſtius diei de tanto ſacramento percepto veram ſempiternamque demonſtrare ſalutem. Si enim, dilectiſſimi, opera tenebrarum* (*b*) *tranſactae noctis conſideremus, & quid egerimus, Domino donante, explicare valuerimus, inveniemus nos in nocte, non opera noctis, ſed diei peregiſſe. Neque enim delectatione ſomni ſopitos ſenſus noſtros agnovimus, nec vanis phantaſmatibus animas noſtras illuſas, nec ipſa corpora noſtra ſtramentorum calore depreſſa in alto ſopore requies inclinavit: ſed vigilando, orando, pſallendo, contra adverſarium diabolum dimicando, & magnam lucem infuſam cordibus noſtris ſenſimus, & in nocte opera Dei* (al. *diei*) *peregimus. Quid enim egimus in hac nocte? Diabolum fugavimus, Chriſtum introduximus. Quid egimus in hac nocte? Captivatorem captavimus. Quid egimus in hac nocte? Tenebras diabolicas a cordibus veſtris excuſſimus,* (al. *excluſimus*) *lumen veram hauriendum eſſe demonſtravimus. Quid enim actum eſt in hac nocte? Veniens vera fortitudo alligavit fortem, & vaſa demus ejus diripuit. Quid actum eſt in hac nocte? Extirpata eſt ſuperbia, introducta eſt humilitas. Quid actum eſt in hac nocte? Princeps omnium vitiorum expulſus eſt, fons omnium bonorum ſuſceptus eſt. Videtis, dilectiſſimi, quae bona habeatis praeparata, & ex quo onere, vel ex quibus ſarcinis peccatorum relevamini ab iſto, qui vos vocat, ut ſuſcipiatis jugum ejus ſuave,* (al. *lene*) *& ſarcinam ejus levem. Deponentes itaque opera tenebrarum, induite vos arma lucis. Quid ſit hoc ex verbis ſymboli, quod modo accepiſtis, vobis expoſitum eſſe cognoſcitur. Quid eſt deponere opera tenebrarum, niſi renunciare diaboli pompis & angelis ejus? Et quid eſt, induite vos arma lucis, niſi credite in Deum patrem omnipotentem?* Ac ne ſolis conjecturis niti videamur, aperte hoc ipſum nos docet Rabanus Maurus *lib.* 11. *de inſtitut. clericor. capite* 38. quo de ſabbato ſancto Paſchae ita ſcribit: *Hac autem die inclinante ad veſperam, ſtatuta celebratio noctis dominicae in eccleſia incipitur, & primum ſecundum inſtitutionem Zoſimi Papae, Archidiacono Cereum benedicente, apte quidem fit, ut in conſecratione luminis paſchalis celebratio incipiat, quae aeternae lucis nobis contulit claritatem. Deinde lectionum veteris teſtamenti & orationum ordo peragitur, ut innoteſcat quanta expectatione a primordio mundi per Patriarchas & Prophetas ſalus noſtra praeſagiebatur, quae in ſalvatoris noſtri paſſione & reſurrectione completa eſt. Deinde litaniae aguntur, ut communicatio & memoria & oratio ſanctorum nos ad ventura gaudia conſequenda adjuvet: quas ſequitur baptiſmi ſacramentum: & aſcendit grex dealbatorum de lavacro.* Et mox: *Notandum vero, quod apud Hieronymum legimus, quod in Orientalibus mos ſit in hac nocte, ante mediam noctem fideles ab Eccleſia non recedere, horam illam expectantes in ſacris vigiliis, de qua ſcriptum eſt: Media nocte clamor factus eſt,* & reliqua. Rupertus Tuiciensis *libro* 6. *de divinis officiis, capite* 24. de eadem nocte tractans:

Quis enim dies nocte hac inſignior? Qua alia noſtra eſt neomenia, niſi illa, qua hac nocte in Chriſto per baptiſmum renaſcitur nova Eccleſia? Et *capite* 25. *Dicitur autem ſabbatum hoc* (de Paſchali ait) *ſanctum, tum propter alia plura, tum maxime propter hoc, quod ad ſuſcipiendam tantam luminis claritatem nova Eccleſia ſacri baptiſmi fonte ſanctificatur. Hac enim die ſollemne eſt juxta veram & Evangelicam patrum traditionem fontes benedici, & praeparata per fidem tam corporum, quam animorum credentium vaſa regeneratione nova ſanctificari.* Hanc vero noctem pervigilio tranſactam, cereiſque & funalibus accenſis ita illuſtratam, ut ſplendore ipſo cum die certaret, ſupra docuimus. Quod & hi, quos auctarii loco ſubjiciam, Prudentii atque Drepanii vatum Chriſtianorum verſus indicant. Prudentius namque in carmine *De ſabbati Paſchalis luminibus,* ſ. *Cathemerinon, Hymn.* v. *v.* 137. hujus noctis talem facit mentionem:

Nos feſtis trahimus per pia gaudia
Noctem conciliis, votaque proſpera.
Certatim vigili congerimus prece,
Extructoque agimus liba ſacrario.
Pendent mobilibus lumina funibus,
Quae ſuffixa micant per laquearia,
Et de languidulis fota natatibus
Lucem perſpicuo flamma jacit vitro.

Dre-

(*a*) Concione] Haec *Concio* ſive *Sermo* in *ed. Pariſ. Bened.* extat inter *Opera ſuppoſititia,* in *App. Tom.* viii. *pag.* 11.

(*b*) Tenebrarum] Haec vox abeſt ab *ed. Pariſ. Bened.* & merito quidem: nam *tenebrarum* vocabulum in malo ſenſu ſumi ſolet a ſcriptoribus eccleſiaſticis, ut vel ex hoc ipſo loco patet.

Drepanii vero hi ſunt de eodem argumento verſus (*a*):

Aſpice conſtructam tanta in myſteria plebem,
Unum quae trino celebrat ſub nomine numen.
Non ſic Idaeis ſimulantur Dindyma Gallis,
Attica nec Grajis nuribus vigilatur Eleuſis,
Orgia Thebanus vel agit nocturna Citbaeron,
Nil babet inſanum ſtrepitu, nil thure vaporum,
Sanguine nil madidum, nil curſibus immoderatum.

Et poſt:

Hunc (de Chriſto autem ſentit) *ut per totam poſſimus dicere noctem,*
Inferimus claros ſanctis altaribus ignes.
Veſtibus innumeris tereti circumflua gyro,
Aequoream cobibet formatrix cera papyrum,
Cera domus mellis: jam cetera turba colentum
Nigrantes tenuat vario ſplendore tenebras,
Ubertat ſtuppar, fervet diſcordia concors,
Ut dum ſacra pio peraguntur myſtica ritu,
Aemula ſidereis vigilent funalia flammis.
Hac tibi, Cbriſte, (ſic enim emendo) *tui patris indiſcreta propago,*
Multa luce micans, terra nox ſplendet in omni,
Nox claro mage clara die:

Unde & eam feſtivitatem τὴν ἁγίαν τῶν φώτων ἡμέραν, id eſt, *ſanctam luminarium diem* a Gregorio Nazian. in *oratione* LX. *de ſancto baptiſmate, pag.* 637. vocari exiſtimo, ut a Nicephoro ἐπιλύχνιον ἡμέραν τῆς ἀναστάσεως, *luculentum reſurrectionis diem*, *libro* 8. *biſt. eccleſiaſt. capite* 37. Nam quod illic Nicephorus narrat, ex Sozomeni *libro* 2. *biſtor. Eccleſiaſt. capite* 11. hauſit: apud quem edictum Saporis propoſitum dicitur κατὰ τὴν ἡμέραν, ἐν ᾗ τοῦ μὲν πάθους τοῦ Χριστοῦ ἡ ἀνάμνησις, (*b*) (ita quippe legendum eſſe, non tantum ſenſus expoſcit, ſed & Cassiodori verſio *lib.* 3. *biſtor. tripart. cap.* 2. docet) ἐπετελεῖτο, τῆς δὲ ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως ἡ πανήγυρις προσεδοκᾶτο. *Eo ipſo die, quo paſſionis quidem Cbriſti memoria celebrabatur, reſurrectionir vero exſpectabatur feſtivitas.* Quo verborum ambitu ſeptimam diem majoris ſive ultimae quadrageſimalis hebdomadae ab eo ſignificari credo. Meminit & hujus feſtivitatis Alcimus Avitus, *Homilia de prima feſti Rogationum inſtitutione ad populum Vienneñſem*, his verbis: *Tracta ſunt haec inter timores publicos & rumores privatos, uſque ad imminentem vigiliarum ſollemnium noctem, qua celebrari feſtum Dominicae reſurrectionis, annua conſuetudo poſcebat. Siquidem hanc omnes laborum opem, malorum finem, metuentium ſecuritatem, communibus animis operiebantur. Adfuit igitur nox illa venerabilis, quae ad ſpem publicae abſolutionis votivum ſollemne patefaceret.* Illa vero nocte Iſraëliticae gentis per mare rubrum tranſitus hiſtoriam legi ſolitam, indicat idem Avitus *lib.* 5. ſui poëmatis, cum ait: (*pag.* 424. *ed. G. Fabricii*, inter *Poët. eccleſ.*)

Inclytus egregium ſollemni carmine ductor
Deſcribit factum, toto quod pſallitur aevo, (al. *Deſcribit, toto quod pſallitur orbe, trophaeum*)
Cum purgata ſacris deletur culpa fluentis,
Emittitque novam parientis lympha lavacri
Prolem, poſt veteres quos edidit Eva reatus.

Per illum ſiquidem maris rubri tranſitum typum baptiſmatis praefiguratum Ambrosius *lib.* 1. *de ſacramentis, cap. ult.* & *lib. unico de bis, qui myſteriis initiantur, cap.* 3. & Augustinus *Tractatu* XLV. *cap.* 9. in *Joannis Euang.* 10. *cap.* interpretantur. *Egreſſi* porro *de lavacro* (ipſamet etenim Tertulliani libro *de Bapt. cap.* 7. verba ponam) *perungebantur benedicta unctione, de priſca diſciplina, qua ungi oleo de cornu in ſacerdotium ſolebant.* Itaque Synodi Laodicenae *cap.* 48. conſtitutum legimus: Ὅτι δεῖ τοὺς φωτιζομένους μετὰ τὸ βαπτίσματος χρίεσθαι χρίσματι ἐπουρανίῳ, καὶ μετόχους εἶναι τῆς βασιλείας τοῦ Χριστοῦ. Quae verba hoc ſignificant, oportere illuminandos & baptizandos poſt lavacrum ungi unguento ſupercoeleſti, & participes eſſe regni Chriſti. Cyprianus *epiſt.* 12. *lib.* 1. (*c*) *Ungi quoque neceſſe eum, qui baptizatus ſit, ut accepto cbriſmate, id eſt, unctione, unctus eſſe Dei, & babere in ſe Cbriſti gratiam poſſit. Porro autem Euchariſtia & unde baptizati unguntur, oleum in altari ſanctificatur.* Quae non unius Cypriani, ſed 84. Epiſcoporum, qui Carthagine Decio imperante convenerunt, verba ſunt: quemadmodum Graeca epiſtola, quae huic concilio, (cui non interfuit modo, ſed praefuit Cyprianus) praeponitur in *lib. conciliorum* a Balsamone compilatorum, oſtendit, quae de Latina Cypriani

(*a*) Versus] Drepanii verſus *de Cereo Paſcbali* leguntur inter *Opera Poëtarum eccleſiaſticorum*, ex editione *Georgii Fabricii*, *Baſil.* 1564. 4. *pag.* 730.

(*b*) Ἀνάμνησις] Ita etiam hodie recte legitur in *ed. Valeſii*: olim vero vitioſe legebatur: ἀνάστασις.

(*c*) Lib. 1.] Eſt *Epiſt.* LXX. tam in *Pamel.* quam in *Oxon. ed.* Poſterior hujus loci periodus in MSS. & editis Codd. varie legitur. *Bened.* in *nov. ed.* ita ediderunt: *Porro autem euchariſtia eſt, unde baptizati unguntur oleo, in altari ſanctificato.*

priani Graeca facta videtur. Ac proinde commodius non potuiſſe quam Cypriani illius modo prolatae epiſtolae tranſcriptione verti. Ad Jovianum autem ſcripta dicitur, niſi in nomine error ſit, & in *Jubajani* locum *Jovianus* irrepſerit. Nam de haereticorum baptiſmo Jubajanum per litteras coëpiſcopos conſuluiſſe, ex multis Cypriani locis liquet. Quaerit autem auctor *libri Reſponſionum ad Orthodoxos*, *quaeſt.* 137. cum ante ſepulturam Chriſtus a Maria unguento delibutus ſit, nos autem in baptiſmo paſſionis Chriſti & reſurrectionis ſigna celebremus: cur tandem primum quidem oleo ungimur, deinde his, quae in fonte peraguntur, impletis, chriſmate poſtea conſignamur. B. Augustinus *lib.* 15. *de Trinitate cap.* 26. donum gratiae viſibili ſignificari unguento dicit, quo baptizatos ungit Eccleſia. Et Laurentius presbyter *Homilia de poenitentia: Ex illa die, illaque hora, qua egreſſus es de lavacro, ipſe tibi es fons jugis & diuturna remiſſio. Non opus habes doctore, non dextra ſacerdotis. Mox aſcendiſti de ſacro fonte, veſtitus es veſte alba, & unctus unguento myſtico, facta eſt ſuper te invocatio, & venit ſuper te trina virtus, quae novum vas hac perfudit nova doctrina.* Et alias: *Atque in his tribus ſpeciebus immunda mulier in lachrymis & capillis, & unguento quaſi fontem baptiſmi de pedibus Chriſti extraxit. Nam in fonte baptiſmi, quid aliud eſt, quam aqua, & chriſma, & veſtis alba? huic mulieri pro aqua fletus fuit, pro chriſmate oleum, pro veſte capilli.* Baptiſmati quoque chriſmatis unctio adjici praecipitur Concilii Arauſicani primi, *cap.* 1. Unctum plane fuiſſe baptizatorum caput, docet Ambrosius *lib. unico, de his, qui myſter. initiantur, cap.* 6. & *lib.* III. *de ſacramentis, cap.* 1. *Heſterno die*, ait, *de fonte diſputavimus, cujus ſpecies veluti quaedam ſepulchri forma eſt, in quem credentes in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum recipimur, & demergimur, & reſurgimus, hoc eſt, reſuſcitamur. Accipis autem myſterium* (*a*), *hoc eſt, unguentum ſupra caput. Quare ſupra caput? quia ſenſus ſapientiae in capite eſt, ait Salomon.* Et ideo, credo, Isidori temporibus in Hiſpania infantium capita lavari invaluerat, ne quadrageſimae obſervatione ſordidati ad unctionem accederent, quem diem inde *Capitilavii* vulgare nomen accepiſſe, ſcribit *lib.* 6. *Etymologiar. cap.* 18. & *lib.* 1. *De origine officior. Eccleſiaſt. cap.* 27. De hac etiam lavacro copulata Chriſmatis unctione aliquot ex veteri quodam carmine de Bebiano verſus, quorum incertus eſt auctor (*b*), ſubjiciam:

Credidit oranti, & ſitientem flumina vitae,
Praecinctus puro perfudit Epiſcopus amni.
Quo peragente pios ſolito mox ordine ritus,
Et divale ſacrum libans, & chriſmate fragrans,
Attonitum mira ſe majeſtate fatetur.
Sed quis odor, quaerit, quem ſentiat in ſua labi
Pectora, praedulci medicantem nectare fibras?
Sedula tunc conjunx omen de nomine Chriſti
Unguentum ſpirare docet.

Gregorius Turonensis *lib.* 5. *hiſtoriar. cap.* 11. *Ibique omnis multitudo populi coram eo proſtrata baptiſmum flagitavit. At ille prae gaudio lacrymans, chriſmate liniens, in ſinum matris Eccleſiae congregavit.* Tractat & de chriſmatis in baptiſmo unctione Rabanus *lib.* 1. *de inſt. clericor. cap.* 28. ubi & illud ex geſtis Pontificum memorat, Sylveſtrum papam in eccleſia Romana conſtituiſſe, ut ſicut Epiſcopo ſoli chriſmatis conficiendi, & baptizati per manus impoſitionem cum ipſo baptiſmate conſignandi poteſtas data eſt, ita presbyteris liceret eodem chriſmate linire baptizatum levatum ex aqua propter occaſionem tranſitus mortis. Quod & Rupertus Tuiciensis *lib.* 5. *de divinis officiis, cap.* 16. narrat in haec verba: *Legitur autem in geſtis pontificalibus quod Sylveſter papa conſtituit, ut baptizatum liniat presbyter chriſmate levatum de aqua, propter occaſiones tranſitus mortis, ne propter abſentiam Epiſcopi, & difficultatem eum conſequendi, ſine manus impoſitione baptizati migrent.* Presbyteris itaque baptizatos chriſmate ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum, non tamen frontem, (quod ſolis debetur Epiſcopis) ſed verticem. Ex his admonendi ſumus, duplicem in baptiſmo unctionem interveniſſe. Quarum una lavacrum antecedebat, altera ſequebatur. Illam Graeci auctores ἐλαίῳ ἐπιχρίσει, hanc ἁγίῳ μύρῳ σφραγίσματι factam dicunt. Hac enim nominum differentia utramque unctionem auctor *libri Reſponſion. ad orthodoxos, quaeſtion.* 137. diſtinguit. Verba ejus, quae nos hoc docent, haec ſunt: Πρῶτον μὲν ἐλαίῳ χριόμεθα, ἔπειτα δὲ τὰ προλεχθέντα ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ, τελέσαντες σύμβολα, τῷ μύρῳ σφραγιζόμεθα. *Quomodo*

(*a*) Mysterium] In *ed. Pariſ. Bened.* emendatur μύρον: ex hac enim voce ſine dubio alterum notius fecerunt imperiti librarii. Ultima verba ita ibi leguntur: *quia ſenſus ſapientis in capite ejus, Salamon ait.*

(*b*) Auctor] Exſtant inter *Opera Poëtarum eccleſiaſticorum*, quae *Baſ.* 1564. 4. edidit *Georg. Fabricius, pag.* 781.

modo primum oleo ungimur, ac deinde in ſacro lavacro, quae dicta ſunt, ſymbolis peractis, poſt illa unguento conſignamur. Idem in reſponſione eidem quaeſtioni ſubjecta: Χριόμεθα δὲ τῷ παλαιῷ μύρῳ, ἵνα γινώμεθα Χριστοὶ, τῷ δὲ μύρῳ, πρὸς ἀνάμνησιν τῆς τῶ χρίσεως τῶ μύρου ἐνταφιασμὸν ἑαυτῶ λογιζομένου. *Veteri vero oleo inungimur, ut Chriſti unctique ſiamus: unguento autem ad recordationem ejus, qui unguenti unctionem ſepulturam ſuam eſſe reputavit.* Ubi χρίσιν ἐλαίου καὶ μύρου ſeparari videmus. Quod autem Latini auctores *unguentum*, & Graeco verbo, quo tamen jam conſuetudo pro Latino utitur, *chriſma* dicunt, id ἅγιον μύρον ab illo auctore dici patet ex *Quaeſtion.* 14. quo loci baptiſma ab haereticis datum, τῇ ἐπιχρίσει τῶ ἁγίου μύρου διορθῶσθαι ſcribit, id eſt, (ut Isidorus *lib.* 11. *de Eccleſiaſt. offic. capite* 24. ſcribit) *chriſmate purgari* (*a*). Similiter Dionysius *libro de coeleſti hierarch. cap.* 2. τῶ ἐλαίου καὶ μύρου χρίσιν, in baptiſmi ritibus recenſendis diverſo ordine collocat. Nec vero dubium eſt, quin chriſma balſami atque aromatum mixturam jam olim habuerit, ut ex Ruperto Tuiciensi *lib. de divinis offic.* v. *capite* 16. & Concilii Cabilonenſis II. *cap.* 16. & Tribunenſis *capite* 22. intelligimus. Unde chriſma arte myropolica compoſitum fuiſſe unguentum dicitur *libro.* II. *Recognitionum* Clementis. Et in *lib. de Eccleſiaſt. hierar. cap.* 4. Ἡ τῶ μύρου σύνθεσις dicitur eſſe συναγωγή τις εὐπνόων ὑλῶν ἐν ἑαυτῇ πλουσίως ἔχουσα ποιότητας εὐόσμους, ἧς οἱ μετασχόντες εὐωδιάζονται. Id eſt: *Chriſmatis compoſitio dicitur eſſe collectio quaedam odorum & ſuave fragrantium materiarum, abundanter continens qualitates odoriferas, cujus qui participes ſiunt, odoris ſuavitate replentur.* Unde in illis de Bebiano paulo ante a me prolatis verſibus chriſmatis odor praedicatur. A myſtica autem Judaeorum unctione ad noſtri Chriſmatis uſum manaſſe B. Augustinus *lib.* I. *de conſenſu Euangeliſtarum, cap.* 13. & Isidorus *lib.* VII. *Etymologiar. cap.* 2. docent (*b*). Coenaeque dominicae die etiamnum ſua aetate confici ſolitum Chriſma, idem Isidorus auctor eſt *lib.* 6. *Etymologiar. cap.* 18. Eductos vero de lavacro veſte candida ſtatim amictos fuiſſe Dionysius *lib. de Eccleſiaſt. hierarch. cap.* 2. ſignificat. Hoc enim eſt, quod ait, Περιβαλόντες ἐσθῆτα τῷ τετελεσμένῳ (*al.* τελουμένῳ) κατάλληλον (*c*). *Ubi initiatum veſte congrua amicuerunt.* Quod planius expreſſit *cap.* 2. ejuſdem libri (*d*), cum ait: Ἑξῆς δὲ φωτοειδεῖς ἐσθῆτας περιβάλλουσι (*al.* ἐπιβάλλουσι) τῷ τετελεσμένῳ. (*al.* τελουμένῳ). Id eſt: *Baptizato autem confeſtim candore lucidas veſtes injiciunt.* Albatos enim recens baptizatos fuiſſe jam ſupra monuimus. Inde eſt, quod Laurentius presbyter *Homilia de poenitentia*, veſtem albam inter baptiſmi externos ritus ponit. Qua de re qui plura ſcire deſiderat, legat Rabanum Maurum ejus ritus cauſas pertractantem *lib.* I. *de inſtitution. clericorum, cap.* 29. & Rupertum Tuiciensem *lib.* VII. *de divinis offic. cap.* 9. Addit Rabanus tectum poſt ſacram unctionem baptizati caput myſtico velamine fuiſſe, ut intelligeret ſe diadematis regalis & ſacerdotalis dignitatis (ſicut loquitur) portitorem. Cujus cerimoniae ſuo tempore obſervatae Nicephorus *lib.* 3. *hiſtor. Eccleſiaſt. cap. ult.* meminit (*e*), qui cereum quoque baptizatorum dextrae ſua aetate inſeri ſolitum docet. Cerei plane Paſchalis benedictionem a Sozimio, (*al.* Zoſimo) Eccleſiae Romanae trigeſimo nono, ut ille ait: ut vero Marianus Scotus quadrageſimo primo Pontifice, (*Chron.* ad A. C. 417. *pag.* 411. *Tom.* I. *ap. Piſtor.*) inſtitutam, Rupertus Tuiciensis *lib.* 6. *de divinis offic. cap.* 28. auctor eſt. Quod & ante eum Rabanus *lib.* 2. *de inſtitution. clericorum, cap.* 32. prodiderat. Enimvero poſt egreſſum de lavacro lactis & mellis concordiam praeguſtaſſe baptizatos (*f*) ad infantiae ſignificationem, Tertullianus in libro *de corona militis, cap.* 3. & B. Hieronymus *adverſus Luciferian. pag.* 294. *Tom.* IV. *Part.* II. tradunt. Alia inſuper baptiſmi ſollemnia Gregorius Nazianzenus, perſtringit *Oratione* XL. *de ſancto baptiſmate, pag.* 672. ad finem: Ἡ στάσις, inquiens, ἣν αὐτίκα στήσῃ μετὰ τὸ βάπτισμα πρὸ τῶ μεγάλου βήματος, τῆς ἐκεῖθεν δόξης ἐστὶ προχάραγμα. ἡ ψαλμῳδία, μεθ' ἧς δεχθήσῃ, τῆς ἐκεῖθεν ὑμνῳδίας προοίμιον. αἱ λαμπάδες ἃς περ ἀνάψεις, τῆς ἐκεῖ (*al.* ἐκεῖθεν) φωταγωγίας μυστήριον, μεθ' ἧς ἀπαντήσομεν τῷ νυμφίῳ, φαιδραὶ καὶ παρθένοι ψυχαὶ φαιδραῖς τῆς λαμπάσι τῆς πίστεως. Id eſt: *Statio, in quam poſt baptiſma ante magnum altare conſtitueris, venturae gloriae eſt praeludium; Pſalmodia cum qua ſuſcipieris, laudis venturae eſt anteambulatrix. Lampades, quas accendimus, venturae ſunt illuminationis myſterium, cum qua obviabimus ſponſo, ſplen-*

(*a*) Purgari] Locus ita ſonat: *Haeretici autem, ſi tamen in Patris, & Filii, & Spiritus Sancti atteſtatione docentur baptiſma ſuſcepiſſe, non iterum ſunt baptizandi, ſed ſolo chriſmate & manus impoſitione purgandi.*

(*b*) Docent] Adde *Sermonem*, qui vulgo falſo Augustino tribuitur, *Tom.* VI. *Opp.* ejus in *App. pag.* 291. ex *ed. Pariſ. Bened.* ubi & de ritu lavandi pedes poſt baptiſmum agitur.

(*c*) Κατάλληλον] Ubi Maximus in *Scholiis*: νιφάδα λευκήν. *Id eſt, candida.*

(*d*) Libri] Sive potius *ejuſdem cap.* 2. *parte tertia*, non longe a fine: ut diſtinguitur in *ed. Antwerp.* 1634. *fol.*

(*e*) Meminit] Ubi μυστικὴν κόρυν, *arcanam galeam*, vocat.

(*f*) Baptizatos] De hoc ritu poſt alios diligentiſſime egit *Chriſtoph. Henr. Zeibichius* in peculiari *Diſſ.* de *Infantatione per concordiam lactis & mellis baptiſmati, Witteb.* 1736.

ſplendidae & virginales animae ſplendidis lampadibus fidei. Ad extremum ait Rabanus *lib. primo de inſtit. cler. capite* 29. corpore & ſanguine dominico baptiſmi ſacramentum confirmatum, ut baptizatus Deum haberet in ſe habitatorem. Nam qui tincti fuerant, & regenerationis lavacro renovati, protinus ad Coenam quoque Dominicam vocabantur, ut oſtendit Dionysius *lib. de Eccl. hier. cap.* 2. in fine, his verbis: Ἐν τέλει δὲ πάντως ὁ ἱεράρχης ἐπὶ τὴν ἱερωτάτην εὐχαριστίαν καλεῖ τὸν τετελεσμένον, καὶ τῆς τῶν τελεσιουργῶν μυστηρίων αὐτῷ μεταδίδωσι κοινωνίας. Id eſt: *Tandem autem Epiſcopus initiatum baptiſmo ad ſacratiſſimam Euchariſtiam vocat, participemque facit ſacrorum myſteriorum.* Quod & B. Ambbosius clare expreſſit *lib. unic. de his, qui myſt. init. c.* 8. *His*, ait, *abluta plebs dives inſignibus, ad Chriſti contendit altaria, dicens:* Et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui laetificat juventutem meam. *Depoſitis enim inveterati erroris exuviis, renovata in aquilae juventute, coeleſte illud feſtinat adire convivium. Venit igitur, & videns ſacroſanctum altare compoſitum, exclamans, ait:* Pabasti in conſpectu meo menſam. Hanc ſacramentorum conjunctionem etiam aperte Pontius Paulinus his verſibus deſcribit:

Inde parens ſacro ducit de fonte ſacerdos,
Infantes niveos corpore, corde, habitu.
Circundanſque rudes feſtis altaribus agnos,
Pura ſalutiferis imbuit ora cibis.

Inde Ambrosius *lib.* 4. *De ſacramentis*, *cap.* 2. poſt antecedentia baptiſmi ſollemnia expoſita: *Sequitur*, ait, *ut venias ad altare.* Et *cap.* 3. *Veniſti ad altare, vidiſti Sacramenta poſita ſuper altare.* Itaque *cap. ult. De his, qui myſteriis initian.* ita concludit: *His igitur ſacramentis paſcit Eccleſiam ſuam Chriſtus, quibus animi firmatur ſubſtantia.* Hinc & B. Hieronymus *adverſus Luciferianos, pag.* 302. *Tom.* iv. *Part.* ii. *Hilarius*, ait, *cum diaconus de Eccleſia receſſerit, ſoluſque, ut putat, incola mundi ſit,* (al. *turba ſit mundi*) *neque Euchariſtiam conficere poteſt, Epiſcopos & presbyteros non habens: neque baptiſma ſine Euchariſtia tradere.* Sed & B. Aucustinus *lib.* 5. *hypognoſticωn*, *cap.* 5. *Quomodo igitur vitam aeternam promittis* (*a*) *non renatis ex aqua & Spiritu Sancto, non cibatis carne, atque potatis ſanguine Chriſti, qui fuſus eſt in remiſſionem peccatorum.* Nec vero dubium eſt, quin vel infantibus (*b*) ipſis ad ſalutem neceſſariam Euchariſtiae cum baptiſmate ſumptionem veteribus nonnullis perſuaſum fuerit. Unde in Legum Francicarum capitulis ab Anſegiſo Abbate collectis *libro* 1. *cap.* 155. ita conſtitutum legitur: *Ut presbyter ſemper Euchariſtiam habeat paratam, ut quando quis infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur.* Quinetiam Mediolani poſt baptiſmum, unguentique myſtici tactum, Euangelium lectum, quo Apoſtolis pedes laviſſe Chriſtus narratur, exindeque ſuccinctum ſacerdotem pedes baptizatis laviſſe, B. Ambbosius *lib.* iii. *de ſacramentis*, *cap.* i. & *lib. unic. de his, qui myſteriis initiant. cap.* 6. indicat. Quam tamen conſuetudinem Romanam Eccleſiam non habuiſſe dicit: Idque adeo Elibertini Concilii *cap.* 48. prohibitum fuiſſe videtur (*c*). *Noviſſime autem*, inquit Rabanus *libro primo, de inſtitutione clericorum, cap.* 30. *a ſummo ſacerdote per impoſitionem manus baptizato tradebatur Spiritus Sanctus, ut roboraretur per Spiritum Sanctum, ad praedicandum aliis idem donum, quod ipſe in baptiſmo conſecutus erat, per gratiam vitae donatus aeternae. Signabatur enim baptizatus cum chriſmate per ſacerdotem in capitis ſummitate, per pontificem vero in fronte, ut priori unctione ſignificaretur Spiritus Sancti ſuper ipſum deſcenſio ad habitationem Deo conſecrandam; in ſecunda quoque, ut ejuſdem Spiritus Sancti ſeptiformis gratia cum omni plenitudine ſanctitatis & ſcientiae & virtutis venire in hominem declararetur.* Et poſtea: *Nec mirum*, ait, *ſi homo bis eodem chriſmate ad accipiendum Spiritum Sanctum ungatur, cum idem Spiritus bis ipſis Apoſtolis datus fuerit, id eſt, in terra ſemel, quando poſt reſurrectionem ſuam Dominus inſufflaverit in eos & dixerit, Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt: Et de coelis ſemel, quando poſt aſcenſionem Domini in die Pentecoſtes in linguis igneis ſuper Apoſtolos venit, & omnium gentium linguis eloqui conceſſerit.* Hoc vero antiquiorum auctorum teſtimoniis nunc comprobandum atque confirmandum eſt. Tertullianus in libro *de baptiſmo cap.* 8. *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum Sanctum.* Cyprianus in libro *de haereticis baptizandis*: (ſive *Epiſt.* lxxiii. tam *ed. Pamel.* quam *Oxon.*) *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, per praepoſitos* (al. *Praepoſitis*) *Eccleſiae offerantur, & per noſtram orationem ac manus impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur, & ſigna-*

(*a*) Promittis] In *ed. Pariſ. Bened.* ita legitur: *Quomodo igitur vitam regni coelorum promittitis parvulis non &c.* Et paullo poſt pro *atque*, legitur *neque.*

(*b*) Infantibus] Confer hac de re *Petri Zornii Hiſtoriam euchariſtiae infantium, ed. Berolini* 1736. 8.

(*c*) Videtur] Recte hic intelligendus eſt auctor. Concilium Elibertinum hunc ritum prohibuit non in eccleſia Romana; ſed in eccleſiis Hiſpanicis. Vide *Benedict.* notas ad locum Ambbosii priorem, ubi etiam de hoc ritu in eccleſiis Gallicanis & Africanis differunt.

gnaculo dominico conſummentur. Idem in *lib. ad Pompejum contra epiſt. Stephani:* (ſive *Epiſt.* LXXIV.) *Aut ſi effectum baptiſmi majeſtati nominis tribuunt, ut qui in nomine Chriſti Jeſu ubicunque & quomodocunque baptizantur, innovati & ſanctificati judicentur, cur non in ejuſdem Chriſti nomine illic & manus baptizato imponitur, ad accipiendum Spiritum Sanctum?* EUSEBIUS EMISENUS *Hom. de Pentecoſte: Quod nunc in Neophytis manus impoſitio tribuit ſingulis, hoc tunc Spiritus Sancti deſcenſio in credentium populo donavit univerſis.* Quo loci de manus impoſitione & confirmatione gratiae, quam regeneratis per baptiſmum inde conferri dicit, copioſe tractat. Beatus HIERONYMUS, *Epiſtola* (ſive *Dialogo*) *adverſus Luciferianos:* (*pag.* 294. *Tom.* IV. Part. II.) *An neſcis etiam hunc Eccleſiarum eſſe morem, ut baptizatis poſtea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus Sanctus.* B. AMBROSIUS *libro tertio de ſacram. cap. ult. Sequitur ſpiritale ſignaculum, quod audiſtis hodie legi, quia poſt fontem supereſt, ut perfectio fiat, quando ad invocationem ſacerdotis Spiritus Sanctus infunditur, Spiritus ſapientiae & intellectus, Spiritus conſilii atque virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus ſancti timoris, ſeptem quaſi virtutes Spiritus.* ISIDORUS etiam *lib. 2. de Eccleſiaſt. offic. capite* 26. poſt baptiſmum per Epiſcopos dari Spiritum Sanctum cum manuum impoſitione ſcribit. Chriſmate utique in fronte ſignatos fuiſſe baptizatos perſpicue tradit Syntagma Caroli Magni auſpiciis, adverſus Synodum in Graecia pro adorandis imaginibus geſtam compoſitum: in quo *lib.* 1. *cap* 23. ita eſt: *Et non in materialibus imaginibus eſt accipiendum, quae utique ſicut & ceteris dignitatibus lumine carent: ſed in vexillo crucis, quod accepto baptiſmatis ſacramento per ſacroſanctum unguinis liquorem noſtris frontibus imprimitur, & per id Sancto Spiritui, qui eſt lumen incnarrabile, qui etiam ſuper diſcipulos in igne apparuit, ad nos veniendi aditus aperitur. In crucis enim impreſſione lumen eſt vultus Dei, id eſt, Spiritus; qui a patre filioque procedit, quia ſemper in eis creditur radiare, qui ſuam innocentiam, vel ſanctitatem pravis operibus non patiuntur violare. Ut ergo ejus in nobis habitaculum non violemus, admonet nos Apoſtolus dicens: Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis.* Et iterum *lib.* 2. *cap.* 17. *Signati itaque ſumus in eo, quando ſecundum Apoſtolum in morte ejus baptizati ſacroſancti unguinis liquore delibuti ſumus, & accepimus Chriſtiani nominis praerogativam.* Unde LAURENTIUS presbyter *Homilia de poenitentia: Violavi,* inquit, *Symbolum meum: corrupi pactum in ipſo veſtibulo frontis conſcriptum.* Pari de cauſa PRUDENTIUS in *Hymno ad omnes horas v.* 83.

> *Dic*, ait, *triumphalem crucem:*
> *Pange vexillum, notatis quod refulget frontibus.*

Quo pertinent & ſequentes verſus ex ejus *Hymno ante ſomnum* prompti: *v.* 125.

> *Cultor Dei memento*
> *Te fontis & lavacri*
> *Rorem ſubiſſe ſanctum,*
> *Te chriſmate innovatum.*

Idem in *Pſychomachia: v.* 360.

> *Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula, per quae*
> *Unguentum regale datum eſt, & chriſma perenne.*

Ex quo perſpicuum eſt, Prudentii temporibus, qui ſub Gratiano Imperatore floruit, baptizatorum frontes chriſmate conſignare moris fuiſſe. Sed & hunc conſignationis morem jam ante ea tempora in Eccleſia receptum teſtatur *Epiſtola* CORNELII PAPAE apud EUSEBIUM *lib.* VI. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 43. Quo loci de Novato, quem in lecto tinctum narrat, ita ſcribit: Οὐ μὴν οὐδὲ τῶν λοιπῶν ἔτυχε, διαφυγὼν τὴν νόσον, ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα, τοῦ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου, τούτου δὲ μὴ τυχών, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔτυχε; Quae verba ita *Rufinus* convertit (*a*): *Addi autem etiam hoc, quod ipſe Novatus in juventute ſpiritu immundo vexatus ſit, & cum tempus aliquantum conſumpſiſſet apud Exorciſtas, aegritudinem incurrerit gravem, ita ut deſperaretur, & quod jacens in lecto pro neceſſitate perfuſus ſit, nec reliqua in eo, quae baptiſmum ſubſequi ſolent ſollemniter adimpleta ſunt, nec ſignaculo chriſmatis conſummatus ſit, unde nec Spiritum Sanctum unquam potuerit promereri.* Hujuſmodi porro conſignationis jus poteſtatemque ſibi ſoli Epiſcopi vindicarunt atque adrogarunt: presbyteris vero idem jus denegatum eſt. ISIDORUS *lib.* 7. *Etymolog. cap.* 12. *Presbyteri*, ait, *licet ſint ſacerdotes, tamen Pontificatus apicem non habent, quia nec chriſmate frontem ſignant: nec Spiritum Sanctum dant, quod ſolis Epiſcopis deberi lectio Actuum Apoſtolorum indicat.* Nec non BEDA in *caput octavum Actuum Apoſtolorum, v.* 14. Presbyteris concedi ait, ſive extra, ſive praeſente Epiſcopo, chriſmate, quod tamen ab Epiſcopo fuerit conſecratum, ungere: non tamen frontes ex eodem oleo ſignare, quod

(*a*) CONVERTIT] Verba RUFINI plura comprehendunt, quam ex Graeco textu auctor adduxit. In tyronum gratiam adſcribam etiam *Valeſii* interpretationem Graecorum verborum adſtrictiorem: *Sed neque poſtquam liberatus eſt morbo, reliqua percepit, quae juxta eccleſiaſticam regulam percipi debent, neque ab epiſcopo conſignatus eſt; hoc autem ſignaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum Sanctum potuit accipere.*

quod ſolis Epiſcopis competere ſcribit, cum tradunt Spiritum Sanctum baptizatis. Idem ex Decretis Innocentii Papae refertur in *Canon.* 120. *Presbyteris*, *de conſecration. diſtinct.* 4. Cui & Gaegorii Pontificis ſuſfragium ex *libro* 3. *regiſtri Epiſtol. ad Januar.* accedat. (ib. *can.* 121.) Ceterum ſolos ab initio Epiſcopos baptiſmi dandi jus habuiſſe, Presbyteris vero & Diaconis poſtea id conceſſum, ea tamen lege, ut his, qui ab illis baptizati eſſent, ab Epiſcopis poſtea manus imponerentur (*a*), Tertullianus cum B. Hieronymo oſtendit. Ille quidem *lib. de baptiſmo cap.* 17. ſic ait: *Supereſt ad concludendam materiolam, de obſervatione quoque dandi & accipiendi baptiſmum commonefacere. Dandi quidem habet jus ſummus ſacerdos, qui eſt Epiſcopus. Dehinc presbyteri & diaconi: non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiae honorem: quo ſalvo, ſalva pax eſt.* Et ita baptiſmi munere fungi apud Dionysium de *Coeleſti* (ſive potius *Eccleſiaſtica*) *hierarch. cap.* 2. non alius narratur, praeter τὸν ἱεράρχην: qua appellatione ſecundum Tertulliani interpretationem, Epiſcopus exaudiendus eſt. Quod & Theodoritus *libr.* 2. *hiſt. Eccleſiaſt. cap.* 23. comprobat: quo loci pretioſae cujuſdam ſtolae mentionem facit, quam Conſtantinus, Hieroſolymitanam Eccleſiam honorans, ejus Epiſcopo dono dederat, ut ea indutus baptiſmatis munia obiret. B. vero Hieronymi *adverſus Luciferianos pag.* 295. *Tom.* iv. *Part.* ii. verba haec ſunt: *Non quidem abnuo hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus* (*b*) *per presbyteros & diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem Spiritus Sancti manum impoſiturus excurrat.* Isidorus *lib.* 2. *de eccleſiaſt. offic. c.* 26. *Spiritum autem Sanctum accipere poſſumus, dare autem non poſſumus, ſed ut detur, Deum invocamus.* Hoc autem, quod poſt baptiſma fiat, quemadmodum Papa Sanctus Innocentius ſcribit, ſubjiciam. Dicit enim non ab alio, quam ab Epiſcopo fieri licere. Nam presbyteri, licet ſint ſacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem ſolis pontificibus deberi, ut vel conſignent, vel ut paracletum Spiritum Sanctum tradant, non ſolum eccleſiaſtica conſuetudo demonſtrat, verum & illa lectio Apoſtolorum, quae aſſerit Petrum & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Itaque Wormacienſis concilii *capite octavo* ita conſtitutum memoratur: *Similiter presbyteris non liceat per impoſitionem manus paracletum Spiritum tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontes ſignare.* Haec enim omnia illicita eſſe presbyteris cognoſcuntur, quia pontificalem apicem non habent. Enimvero in baptiſmo dando certis ac conceptis verbis Epiſcopos uſos fuiſſe, ex eo intelligimus, quod Ambrosius in *commentario in Pauli Epiſtolam ad Corinth. capite primo v.* 17. ait, Non omnem, qui baptizat, idoneum eſſe & euangelizare: propterea quod verba ſollemnia ſunt, quae dicuntur in baptiſmate. Idemque in unctione facienda haec effatum ſacerdotem *libro ſecundo de ſacramentis, capite ultim.* dicit: *Deus pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, conceſſitque tibi peccata tua, ipſe te ungat ad vitam aeternam.* Atque haec ſunt baptiſmi ſollemnia, quae quidem veterum ſcripta non incurioſe legendo obſervare potui, fere omnia: quorum bonam partem Cyprianus in *libro de baptiſmo Chriſti* (*c*), hujusmodi verborum compendio complexus eſt: *Verborum ſollemnitas, & ſacri invocatio nominis, & ſigna inſtitutionibus Apoſtolicis ſacerdotum miniſteriis attributa, viſibile celebrant Sacramentum: Rem vero ipſam Spiritus Sanctus format & efficit, & conſecrationibus viſibilibus inviſibiliter manum totius bonitatis auctor apponit, & plenitudinem gratiae unctionis divinae pinguedo ſanctificationibus officialibus infundit, & rem ſacramenti conſummat & perficit.* Eaque ſunt τὰ νόμιμα, quae Eusebius in Conſtantini baptiſmo ab Epiſcopis peracta, *libro* ipſius vitae *quarto*, *cap.* 62. ſcribit. Recens autem baptizati, a Graecis νεόφυτοι & νεοφώτιστοι vocantur. B. Augustinus Neophytum recentem dixit *libro ſecundo Confeſſion. capite tertio*, cum de utroque parente agens, ita ſcribit: *Nam ille adhuc Catechumenus, & haec recens erat.* Ex ea vero die, qua baptizati erant, lavacro quotidiano per totam hebdomadem abſtinebant, ut Tertullianus in *lib. de Corona milit. cap.* 3. auctor eſt. Et ideo B. Augustinus *Sermone in die dominica Palmarum* 3. baptizatis non modico poſt baptiſmum tempore voluptatibus abſtinendum monet (*d*).

Ajunt

(*a*) Imponerentur] Hoc ſine dubio, ut jam ab aliis notatum eſt, occaſionem dedit, Confirmationem a Baptiſmate, tanquam peculiare ſacramentum, ſeparandi. Hinc diſtinctio orta eſt inter unctionem Baptiſmatis & Confirmationis, quarum prior a Presbytero in vertice; poſterior a ſolo Epiſcopo in fronte fieret. Quae tamen diſtinctio pro commento poſteriorum temporum merito habetur, & ideo fruſtra ad antiquiores Patres explicandos adhibetur, ut fecit. v. g. *Phil. Priorius* in notis ad *Tertull. de Baptiſmo*, *cap.* 7. *pag.* 226. *ed. Pariſ.*

(*b*) Urbibus] In Sorbonico Codice legi: *qui longe a majoribus urbibus*, teſtantur Benedictini, quae lectio vulgari melior eſſe videtur.

(*c*) Christi] In *nov. Bened. ed.* inter *Opera ſpuria* refertur, *pag.* lxxxi. *ſeqq.* Locus non longe a principio exſtat.

(*d*) Monet] Auctor forſan intelligit *Orat.* 157. *de Temp.* in antiquioribus editionibus: quae poſtea in *Append. num.* 86. relata eſt: in *ed.* vero *Pariſ. Bened.* exſtat in *Append.* inter *ſpurios ſer-*

Ajunt deinde Imperatores: OMNI THEATRORUM ATQUE CIRCENSIUM VOLUPTATE PER UNIVERSAS URBES EARUNDEM POPULIS DENEGATA, TOTAE CHRISTIANORUM AC FIDELIUM MENTES DEI CULTIBUS OCCUPENTUR.] Vetant ergo Imperatores feſtis, de quibus ſupra egimus, diebus, theatrales ac Circenſes ludos edi. Ejuſmodi namque ludorum celebrationem ab eorum dierum religione alienam merito exiſtimarunt. Scenica certe ſpectacula, ut irritamenta vitiorum, & ad corrumpendos animos potentiſſime valentia, caute ac ſtudioſe fugienda divinae legis interpretes ſemper admonuere: longeque ab his primos Chriſtianos animo & voluntate abhorruiſſe, TERTULLIANUS *capite trigeſimo octavo Apologetici* indicat: *Aeque*, inquiens, *ſpectaculis veſtris in tantum renuntiamus, in quantum originibus eorum, quas ſcimus de ſuperſtitione conceptas, cum ipſis rebus, de quibus exiguntur, praeterimus* (*a*). *Nihil eſt nobis dictu, viſu, auditu, cum inſania Circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenae, cum xyſti vanitate.* Foeditatem quoque eorum, quae in theatris ac ſcena de Gentilium diis repraeſentabantur ridet cap. 15. ejuſdem libri. Omniaque adeo ſpectacula proprio libro, quem de ſpectaculis inſcripſit, acerrime exagitat. CYPRIANUS quoque *Epiſt.* 2. [*lib.* 2.] *Converte*, ait, *hinc vultus ad diverſi ſpectaculi non minus poenitenda contagia. In theatris quoque conſpicies, quod tibi & dolori ſit & pudori. Coturnus eſt Tragicus priſca facinora carmine recenſere. De parricidis* (al. *parricidiis*) *& inceſtis horros antiquus expreſſa ad imaginem veritatis actione replicatur, ne ſeculis tranſeuntibus exoleſcat, quod aliquando commiſſum eſt. Admonetur omnis aetas auditu fieri poſſe, quod aliquando factum eſt. Nunquam aevi ſenio delicta moriuntur, nunquam crimen temporibus obruitur, nunquam ſcelus oblivione ſepelitur. Exempla ſunt, quae jam eſſe facinora deſiterunt. Tunc delectat in mimis turpitudinum magiſterio, vel quid domi geſſerit recognoſcere, vel quid gerere poſſit audire. Adulterium diſcitur cum videtur, & lenocinante ad vitia publicae auctoritatis malo, quae pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat, de ſpectaculo revertitur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes, quae probrorum fomenta, quae alimenta vitiorum, hiſtrionicis geſtibus inquinari? Videre contra foedus juſque naſcendi patientiam inceſtae turpitudinis elaboratam? Evirantur* (ſic enim lego) *mares, omnis honor, & vigor ſexus enervati corporis dedecore emollitus, pluſque illic placet quiſquis virum in feminam magis fregerit. In laudem creſcit ex crimine, & eo peritior, quo turpior judicatur. Spectatur hic, proh nefas! & libenter.* ARNOBIUS etiam *libro* 4. *adverſus gentes, pag.* 152. ipſiſmet paganis velut pudendum objicit, quod theatra non diſſolverent: in quibus infamiae numinum propudioſis cottidie publicarentur in fabulis. Effundit & eloquentiae ſuae flumen in theatris inſectandis LACTANTIUS *l.* 6. *Divin. Inſt. c.* 20. *In ſcenis*, ait, *quoque neſcio an ſit corruptela vitioſior. Nam & Comicae fabulae de ſtupris virginum loquuntur & amoribus meretricum: & quo magis ſunt eloquentes, qui flagitia illa finxerunt, eo magis ſententiarum elegantia perſuadent, & facilius inhaerent audientium memoriae verſus numeroſi & ornati. Item Tragicae hiſtoriae ſubjiciunt oculis parricidia, & inceſta regum malorum, & coturnata ſcelera demonſtrant. Hiſtrionum quoque impudiciſſimi motus quid aliud, niſi libidines, docent & inſtigant? quorum enervata corpora & in muliebrem inceſſum habitumque mollita impudicas feminas inhoneſtis geſtibus mentiuntur. Quid de mimis loquar, corruptelarum praeferentibus diſciplinam? qui docent adulteria dum fingunt, & ſimulatis erudiunt ad vera? Quid juvenes, aut virgines faciant, cum haec & fieri ſine pudore, & ſpectari libenter ab omnibus cernunt? Admonentur utique, quid facere poſſint, & inflammantur libidine, quae aſpectu maxime concitatur, ac ſe quiſque pro ſexu in illis imaginibus praefigurat: probantque illa dum rident, & adhaerentibus vitiis, corruptiores ad cubicula revertuntur: nec pueri modo, quos praematuris vitiis imbui non oportet, ſed etiam ſenes, quos peccare jam non decet,* [*in talem vitiorum ſemitam dilabuntur* (*b*).] Et mox: *Vitanda ergo ſpectacula omnia, non ſolum, ne quid vitiorum pectoribus inſideat, quae ſedata & pacifica eſſe debent, ſed ne cujus nos voluptatis conſuetudo deliniat, & a Deo atque a bonis operibus avertat. Nam ludorum celebrationes deorum feſta ſunt: ſiquidem ob natales eorum, vel templorum novorum dedicationes ſunt conſtituti. Et primitus quidem venationes, quae vocantur munera, Saturno attributae ſunt; ludi autem ſcenici Libero, Circenſes vero Neptuno. Paulatim tamen & ceteris diis idem honos tribui coepit, ſingulique ludi nominibus eorum conſecrati ſunt, ſicut Siſinnius Capito in libris ſpectaculorum docet. Si quis igitur ſpectaculis intereſt, ad quae religionis gratia con-*

ſermones, *num.* 172. Sunt tamen & aliae Orationes monitoriae in Operibus Auguſtini. Miror vero auctorem verba ſequentia Conſtitutionis, quam illuſtrandam ſuſcepit, plane non attigiſſe: *quo tempore & commemoratio apoſtolicae paſſionis, totius chriſtianitatis magiſtrae a cunctis jure celebratur:* de cujus ſenſu eruditi valde fluctuant. Legi ergo debet *Jac. Gothofredi Comment.* ad *h. l.* §. 6. *ſeq.* ubi hunc defectum ſupplevit.

(*a*) PRAETERIMUS] In *ed. Pariſ.* ita legitur: *quin & ipſis rebus, de quibus tranſiguntur, praeterſumus.* Deinde verba: *dictu, viſu, auditu*, in hac editione deſunt.

(*b*) DILABUNTUR] Ultima verba uncis incluſi, quia pro gloſſemate habentur a criticis recentioribus.

conventitur, diſceſſit a Dei cultu, & ad Deos ſe contulis, quorum natales & feſta celebravit. Idem Lactantius *cap.* 6. (*cap.* 63. *ed. Heum.*) *Epitomes: Quid ſcena, num ſanctior? in qua Comoedia de ſtupris & amoribus; Tragoedia de inceſtis & parricidis fabulatur: Hiſtrionici* (al. *Hiſtrionum*) *etiam impudici geſtus, quibus infames feminas imitantur, libidines, quas ſaltando exprimunt, docent. An non minus corruptela diſciplinarum eſt* (a)*? in quo fiunt per imaginem, quae non ſunt, ut fiant ſine pudore, quae vera ſunt. Spectant baec adoleſcentes, quorum lubrica aetas, quae frenari, ac regi debet, ad vitia & peccata bis imaginibus eruditur.* Et mox: *Fugienda igitur omnia ſpectacula, ut tranquillum mentis ſtatum tenere poſſimus: renuntiandum noxiis voluptatibus, ne deliniti ſuavitate peſtifera, in mortis laqueos incidamus.* Et B. Augustinus *lib.* 2. *de Symbolo, cap.* 2. *Alius fortaſſis theatri amator admonendus ſit, quid fugiat, & quo delectetur, ac ſi voluntatem ſpectandi non perdat, ſed mutet; in theatris labes morum diſcere turpia, audire inboneſta, videre pernicioſa. Sed ut adjuvante Domino ea ex cordibus noſtris fortiter repellamus, ſingula ſingulis comparemus. Illic intuentur ſpectatores propoſitum neſcio quem confictum Deum Jovem, & adulterantem & tonantem.* Et paulo poſt: *Chorus illic ac cantio Pantomimi elicit auditum, ſed expagnat ſanctum aſpectum.*

Idem tragicorum ſpectaculorum vanitatem ridet *lib.* 3. *confeſſion. capite* 2. Sed non eſt quiſquam, qui acrius acerbiuſque theatra inſectetur, quam B. Chrysostomus, cujus vix ulla homilia hujuſmodi ſpectaculorum reprehenſione vacat. Nam & *bomilia* 29. in *capite* 6. *Matthaei*, Scenicos ludos civitatis peſtem vocat, & *bomilia* 69. in *capite* 21. ejuſdem *Matthaei*, Theatralem chorum malorum omnium ſontem, ſcaturiginem ac ſomitem, & *bomilia octava de poenitentia, bomiliaque* 62. *ad populum Antiochenum*, Theatra peſtilentiae cathedram, incontinentiae gymnaſium, luxuriae officinam, impudicitiae orcheſtram, Babylonicam ſornacem vocat. Idem a Theatris abſtinendum diſtincte praecipit, ſpectatoreſque Scenicorum ludorum graviter objurgat & increpat, ſed & theatrorum ingreſſum Chriſtianis interdicit, *Homilia in pſalmum quinquageſimum*, & *bomilia in Pſalm.* 118. & *homilia* 1. in verba Eſaiae: *Vidi Dominum*, & *bomilia* 2. & 6. in *caput* 2. Matthaei & *bomilia* 31. in *caput quartum Joannis*, & *bomilia quadrageſima ſecunda* in *c.* 19. *Actor. Apoſtol.* & *bom.* 13. *ad populum Antiochenum*, & in *oratione de eccleſia Dei.* Epiphanius quoque ad *fin. librorum*, quos contra haereſes ſcripſit, Eccleſiam catholicam ſpectacula, ut equeſtria certamina vituperare ac damnare ſcribit. Et Beatus Augustinus Theatra caveas turpitudinum & publicas profeſſiones flagitiorum vocat *libro primo de conſenſu Euangeliſtarum, capite* 33. Nec vero Chriſtianorum dumtaxat iſta ſuit de ſpectaculorum corruptela opinio. Priſci namque Maſſilienſes, quorum diſciplinam atque gravitatem, non ſolum Graeciae, ſed & cunctis gentibus anteponere, Cicero in *oratione pro Flacco cap.* 26. non dubitat, antequam fando ad eorum aures nomen Chriſti perveniſſet, Mimis, quorum argumenta majore ex parte ſtuprorum continebant Actus, nullum in ſcenam aditum dabant, ne (quemadmodum eleganter Valerius Maximus *libro ſecundo, capite* 6. *ex.* 7. ſcribit) talia ſpectandi conſuetudo, etiam imitandi licentiam ſumeret. *Vitiis enim noſtris*, ut praeclare Quinctilianus *declamation.* 1. *cap.* 6. ait, *in animum per oculos via eſt*, &, ut Chrysostomus *bomilia prima. in Pſal. quinquageſimum* loquitur, *Oculi noſtri tanquam feneſtrae ſunt animae.* Promptiſſime ergo celerrimeque animos irritant & accendunt, quae oculis objiciuntur. Ac vel ſolo tabularum pictarum aſpectu ad talia admittenda perpetrandaque hominum mentes inflammari certum eſt, qualia ſunt quae ſpectantur. Hinc enim ſe libidine incenſum, audacioremque ad eam explendam factum, apud Terentium *Eunuch. Act.* III. *Sc.* 5. *v.* 35. Chaerea ſic narrat:

> *Virgo*, ait, *in conclavi ſedet*
> *Suſpectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictura baec, Jovem*
> *Quo pacto Dianae miſiſſe ajunt quondam in gremium imbrem aureum.*
> *Egomet quoque id ſpectare coepi: & quia conſimilem luſerat*
> *Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi,*
> *Deum ſeſe in hominem convertiſſe, atque per alienas tegulas*
> *Veniſſe clanculum, per impluvium: fucum factum mulieri.*
> *At quem Deum? qui templa coeli ſumma concutit.*
> *Ego bumuncio boc non facerem? Ego illud vero ita feci, ac lubens,*

Quod exemplum etiam a B. Augustino in eandem ſententiam adducitur *libro.* 1. *Confeſſion. capite* 16. Merito ergo ſecularibus ſpectaculis Chriſtiani interdicti ſunt Synodi Carthaginenſis *primo capite* 15. & aliis plurimis conciliis, quorum aliquot in Nomocanonum libro capita citantur. Nec vero Circenſibus minus, quam Scenicis ſpectaculis ve-

(a) Est] Cel. *Heumannus* locum ita emendavit: *Annon Mimus corruptelarum diſciplina eſt?* Et paullo poſt pro *quae non ſunt*, emendat, *quae pudenda ſunt.*

veteres Theologos infeſtos fuiſſe comperio. LACTANTIUS namque *libro 6. divinar. inſtitution. capite* 20. ita in Circi inſaniam invehitur: *Circenſium quoque ludorum ratio, quid aliud habet, niſi levitatem, vanitatem, novitatem* (*a*), *inſaniam? Tanto namque impetu concitantur animi in furorem, quanto illic impetu curritur: ut jam plus ſpectaculi exhibeant, qui ſpectandi gratia veniunt, cum clamore efferri & exilire caeperint.* Idem rurſus *Epitomes c.* 6. (*cap.* 63. *ed. Heum.*) *Circus non* (*b*) *innocentior aeſtimatur: ſed major hic furor eſt. Siquidem mentes ſpectantium tanta efferuntur inſania, ut non modo in convitia, ſed etiam in rixas, nec non & in praelia & contentiones ſaepe conſurgant.* B. AUGUSTINUS *libro* 2. *de Symbolo, capite* 2. *Amator es quiſpiam Circi? Quid delectat in Circo? Aurigas videre certantes, populos inſana furia anhelantes, quemlibet celerem praecedentem, adverſarii ſui equum frangentem. Iſta eſt omnis delectatio, clamare, quia vicit, quem diabolus vicit, & exultare & inſultare quod adverſa pars perdiderit equum, cum is, qui tali ſpectaculo delectatur, jam perdiderit animum.* Et mox: *Sed ſi te pompa illa, & figura, equorum compoſitio, curruum ornatus, & aurigae ſuperſtantis equos regentis, vincere cupientis, ſi te haec, ut dixi, pompa delectat, nec hanc tibi denegavit qui pompis diaboli renuntiare praecipit: habemus & nos ſpiritalem noſtrum aurigam, ſanctum prophetam Heliam.* Idem etiam *libro 6. Confeſſionum, cap.* 7. Circenſium ſubſannat inſaniam. Accedat ISIDORUS *libro* 18. *Etymologiar. capite* 27. *Ludi*, ait, *Circenſes ſacrorum cauſa, ac deorum gentilium celebrationibus inſtituti ſunt. Unde & qui eos ſpectant, daemonum cultibus inſervire videntur. Nam res Equeſtris antea ſimplex agebatur, & utique communis uſus reatus non erat. Sed cum ad ludos coactus eſt naturalis uſus, ad daemoniorum cultum translatus eſt. Itaque Caſtori & Polluci deputantur hae ſpecies, quibus equos a Mercurio diſtributos hiſtoriae docent. Sed & Neptuno Equeſtris ludus eſt, quem Graeci* ἵππιον *vocant. Sed & Marti & Jovi in ludis equi ſunt conſecrati, & ipſi quadrigis praeſunt.* De Circenſium autem ludorum pompa totoque apparatu, alius, ſpero, dabitur aliquando commodior dicendi locus. Jam vero gladiatorios ludos (ut omnia gentilium ſpectacula comprehendam) ſumma verborum attrocitate CYPRIANUS proſequitur, [*lib.* 2.] *Epiſtol.* 2. *Paratur*, inquit, *gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium luminum ſanguis oblectet. Impletur in ſuccum cibis fortioribus corpus, & arvina aſſidui nidoris* (al. *& arvinae toris*) *membrorum moles robuſta pingueſcit, ut ſaginatus in poenam, carius pereat. Homo occiditur in hominis voluptatem: & ut quis poſſit occidere, peritia eſt, uſus eſt, ars eſt. Scelus non tantum geritur, ſed & docetur. Quid poteſt inhumanius, quid acerbius dici? Diſciplina eſt, ut perimere quis poſſit, & gloria eſt quod peremit.* LACTANTIUS *lib. 6. divinar. inſtitution. c.* 20. *Nam qui hominem, quamvis ob merita damnatum, in conſpectu ſuo jugulari pro voluptate computat, conſcientiam ſuam polluit, tam ſcilicet, quam ſi homicidii, quod fit occulte, ſpectator & particeps fiat. Hos tamen ludos vocant, in quibus humanus ſanguis effunditur. Adeo longe ab hominibus receſſit humanitas, ut, cum animas hominum interficiant, ludere ſe opinentur, nocentiores iis omnibus, quorum ſanguinem voluptati habent. Quaero nunc, an poſſint pii & juſti homines eſſe, qui conſtitutos ſub ictu mortis, ac miſericordiam deprecantes, non tantum patiuntur occidi, ſed efflagitant, feruntque ad mortem crudelia & inhumana ſuffragia, nec vulneribus ſatiati, nec cruore contenti: quinetiam percuſſos jacenteſque repeti jubent, & cadavera ictibus diſſipari, ne quis illos ſimulata morte deludat. Iraſcuntur etiam pugnantibus, niſi celeriter e duobus alter occiſus eſt, & tanquam humanum ſanguinem ſitiant, oderunt moras. Alios illis compares dari poſcunt recentiores, ut quamprimum oculos ſuos ſatient. Hac conſuetudine imbuti humanitatem perdiderunt. Itaque non parcunt etiam innocentibus, ſed exercent in omnes, quod in malorum trucidatione didicerunt. Hujus igitur publici homicidii ſocios & participes eſſe non convenit eos, qui juſtitiae viam tenere nituntur.* Idem *divinarum Inſtit. Epitomes c.* 6. (*cap.* 63. *ed. Heum.*) *Quid tam horribile, tam tetrum, quam hominis trucidatio? Ideo ſeveriſſimis legibus vita noſtra mulctatur* (*c*)*: ideo bella execrabilia ſunt. Inventa tamen conſuetudo, quatenus homicidium ſine bello ac ſine legibus faciant, & hoc ut ſcelus vindicent. Quod ſi intereſſe homicidio ſceleris conſcientia eſt, & eodem facinore ſpectato obſtrictus eſt, quo & admiſſor, ergo & his gladiatorum ſceleribus non minus cruore perfunditur, qui ſpectat, quam ille, qui facit: nec poteſt eſſe immunis a ſanguine, qui voluit effundi; aut videri non interfeciſſe, qui interfectori & favit, & praemium poſtulavit.* Itaque munerum editiones, gladiatoriaque ſpectacula Conſtantinus Magnus poſtquam ad fidem noſtram converſus eſt, ſuſtulit: quemad-

(*a*) NOVITATEM] Haec vox ab editione *Heumann.* abeſt. Paullo poſt non male pro *cum clamore efferri*, ibi legitur: *quum exclamari & efferri.*

(*b*) NON] In MS. Taurinenſi legitur: *Circus vero:* quae lectio optima eſt ob ſequentem particulam adverſativam *ſed.* Non ergo neceſſe eſt, ut cum Cel. *Heumanno* emendetur: *Nec circus.*

(*c*) MULCTATUR] Cel. *Heumannus* ex *Cod.* MSS. emendavit: *munitur.* Sequentis periodi verba tam in editis, quam in MSS. *Codd.* varie leguntur, ut vera lectio divinari facile nequeat. Vide interim *Interpp.* ad *h. l.* Paullo poſt pro *ergo & his gladiatorum ſceleribus*, in *ed. Heum.* editur: *ergo & in his gladiatorum caedibus.*

admodum Euſebius *lib.* 4. *de ipſius vita, cap.* 25. ſcribit; Ἔνθεν, ait, εἰκότως ἐπαλλήλοις τε νόμοις καὶ διατάξεσι τοῖς πᾶσι διεκελεύετο, μὴ θύειν εἰδώλοις, μὴ μονομάχων μιαιφονίαις μολύνειν τὰς πόλεις. i. e. *Unde reciprocis legibus & conſtitutionibus omnibus inhibuit idolis ſacrificare, & gladiatorum inter ſe commiſſionibus polluere atque inquinare civitates.* Sozomenus *lib.* 1. *hiſt. Eccleſiaſt. c.* 8 Παρὰ δὲ Ῥωμαίοις τότε πρῶτον ἡ τῶν μονομάχων ἐκωλύθη θέα. *Apud Romanos vero interdicta fuerunt gladiatorum ſpectacula.* ubi vulgo male legitur μοναχῶν, ut & ἐν κεφαλαίοις *quarti libri* Euſebii *de vita Conſtantini*, μοναχιῶν, pro μονομαχιῶν. Hac de re extat in *l. un. de gladiatoribus. lib.* 11. *Cod.* Conſtantini ad Maximum Praefectum Praetorio conſtitutio, propoſita Kal. octob. Paulino & Juliano Coſſ. in haec verba: *Cruenta ſpectacula in otio civili & domeſtica quiete non placent. Quapropter omnino gladiatores eſſe prohibemus.* Cujus conſtitutionis reliqua quae in Juſtiniani Codice deſunt, ex Theodoſiano ſuppleri poſſunt (*a*). Quamquam autem ſimul cum ſacrificiis gladiatoria ſpectacula interdicta fuiſſe Euſebius innuere videatur, tamen prius ea, quam cruenta ſpectacula prohibita fuiſſe ſciendum eſt. Nam conſtitutio ad Valerium Maximum Praefectum urbis (ſic enim *l.* 1. *de paganis in Codice Theod. lib.* XVI. *tit.* 10. reſtituenda eſt) Criſpo 2. & Conſtantino 2. Coſſ. data, jam ante prohibita fuiſſe ſacrificia domeſtica demonſtrat. At quadriennio demum (ut ex ſerie Coſſ. liquet) poſt eam conſtitutionem data illa eſt, qua gladiatorii ludi tolluntur. Poſt Conſtantini tamen obitum in uſum revocata gladiatoria ſpectacula fuiſſe, judicio eſt Conſtantii A. & Juliani Caeſar. ad Orfitum urbis praefectum, relata in *l.* 2. *de gladiatoribus. C. Theodoſii lib.* XV. *tit.* 12. Conſtitutio: qua Munerarios prohibent, auctoratos militiae vel palatina praeditos dignitate in ludum producere, multa propoſita iis, qui contra tentaverint. Ex quo colligitur ad gladiatorum ludum alias perſonas impune licitoque jure vocatas fuiſſe. Quod & aliud Conſtantii reſcriptum ad Catullinum praefectum urbis, relatum in *l.* 3 *Quamquam. de paganis in Codice Theodoſ. lib.* XVI. *tit.* 10. indicat. Habemus vero certum & indubitatum teſtimonium ex Beati Auguſtini *lib.* 6. *Confeſſionum, capite* 8. quo ſua aetate gladiatorios ludos exhibitos Romae docet. Sic enim, de Alypio agens, qui Romam juris diſcendi cauſa venerat, ſcribit: *Et ibi gladiatorii ſpectaculi hiatu incredibili & incredibiliter abreptus eſt. Cum enim averſaretur & deteſtaretur talia, quidam ejus amici & condiſcipuli, cum forte de prandio redeuntibus obvius eſſet, recuſantem vehementer & reſiſtentem, familiari violentia duxerunt in amphitheatrum crudelium & funeſtorum ludorum diebus, haec dicentem: Si corpus meum in illum locum trahitis & ibi conſtituitis, numquid & animum & oculos meos in illa ſpectacula poteſtis intendere? Adero itaque abſens, & ſic & vos, & illa ſuperabo. Quibus auditis, illi nihilo ſecius eum adduxerunt ſecum, idipſum explorare cupientes, utrum poſſet efficere. Quo ubi ventum eſt, & ſedibus, quibus potuerunt, locati ſunt, fervebant omnia immaniſſimis voluptatibus. Ille clauſis foribus oculorum, interdixit animo, ne in tanta mala procederet, atque utinam & aures obturaſſet. Nam quodam pugnae caſu, cum clamor ingens totius populi vehementer eum pulſaſſet, curioſitate victus, & quaſi paratus, quicquid illud eſſet, etiam viſum contemnere & vincere, aperuit oculos. Et percuſſus eſt graviore vulnere in anima, quam ille in corpore, quem cernere concupivit: ceciditque miſerabilius, quam ille, quo cadente, factus eſt clamor.* Denique Prudentius ad ea abroganda & ex omni memoria evellenda ſpectacula ita Honorium cohortatur, *lib.* 2. *contra Symmachum, ad fin.* (v. 1121.)

Arripe dilatam tua, dux, in tempora famam,
Quodque patri ſupereſt, laudis ſucceſſor habeto.
Ille urbem vetuit taurorum ſanguine tingi:
Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litari.
Nullus in urbe cadat, cujus ſit poena voluptas,
Nec ſua virginitas oblectet caedibus ora.
Jam ſolis contenta feris infamis harena,
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.
Sit devota Deo, ſit tanto principe digna,
Et virtute potens, & criminibus inſcia Roma.
Quemque ducem belli ſequitur, pietate ſequatur.

Atque adeo alia tandem ratione motus Honorius ludum gladiatorium ſuſtulit, quemadmodum a Theodorito *libro* 5. *hiſtor. Eccleſiaſticae, capite* 26. proditum eſt. Cujus verba Caſſiodorus *lib.* 10. *Tripart. hiſtor. cap. ſecundo* ita Latine reddidit: *Honorius itaque ſuſcipiens Occidentis imperium, ludum gladiatorium, qui dudum Romae celebrabatur, hujuſmodi cauſa removit. Quidam Tilemachius, converſatione monaſtica, pro hac cauſa ab oriente*

(*a*) Poſſunt] Exſtat haec Conſtitutio in *Cod. Theod. lib.* XV. *tit.* 12. *leg.* 1. ubi utiliter conſuli poteſt *Jac. Gothofredi Commentarius*, qui totam prohibitionis hujus hiſtoriam accurate texit, ex quo ea, quae ab auctore hic dicuntur, emendari ſupplerive poſſunt. Docet enim Conſtantini M. Conſtitutionem non fuiſſe univerſalem, ſed localem tantum, ut adeo ludi gladiatorii ante Honorium nondum in univerſum prohibiti fuerint.

te venit ad Romam. Dumque neſandum illud ſpectaculum ageretur, etiam ipſe intravit in ſtadium, & deſcendens nitebatur pugnantes adverſum (al. *inter*) *ſe gladiis ſeparare. Cumque ſpectatores adverſum eum ſaevirent, & in effuſione ſanguinis graſſarentur, proviſorem pacis lapidibus occiderunt. Hoc agnoſcens mirabilis imperator, illum quidem inter victores martyres numeravit: neſandum vero ſpectaculum penitus abſcidit.* Sola vero crueota ſpectacula Chriſtiani priocipes legibus ſuis prohibuere: at ludicras artes, reclamarent licet Antiſtites, in civitatibus exerceri atque agitari, ne ex nimia earum reſtrictione triſtitia generaretur, Impp. ARCADIUS & HONORIUS permiſere: Majumae dumtaxat (cujus vocis interpretatio ex SUIDA *voc.* Μαϊουμᾶς petenda eſt) foedo atque obſceno ſpectaculo interdicto, ut ex *l. ult. de Majuma, in Cod. Theod. lib.* XV. *tit.* 6. apparet. Qua cooſtitutiooe revocata eſt Majumae celebrandae licentia, quam aliquot ante annos iidem priocipes provincialibus indulſerant. Atque ita ea cooſtitutio, illam eorumdem Imperatorum conſtitutionem abrogat, quae ſola a TRIBONIANO in Juſtinianeo Cod. relata eſt (*a*). Id quod utriuſque legis inſcriptio planum facit. Nam quae in Juſtiniani Codice extat, ea quidem data eſt Arcadio 4. & Honorio 3. AA. Coſſ. ac proinde anno Chriſti triceſimo nooageſimo ſexto, ſecundum Mariani ſupputationem. Altera vero, qua Majuma ioterdicitur, tribus poſt annis, nimirum Theodoro Viro Clariſſimo Cooſule, data eſt. Theodorus autem is cum Eutropio Eunucho eodemque Arcadii cubiculario Conſulatum una geſſit. Verum Eutropio capitali poena affecto, ac memoria ejus damnata, nomioeque ex Conſulum faſtis expuncto, nec quoquam in ejus locum ſuffecto, ſolius collegae nomeo remanſit. Teſtis eſt SOCRATES *libro.* 6. *Hiſtoriae Eccleſiaſticae, capite* 5. cujus verba ipſa errati cujuſdam emendandi cauſa, ſimul & quod ſcitu dignam hiſtoriam continent, adſcribam. Sic autem habent: Εὐτρόπιος γὰρ εὐνοῦχος προεστὼς τοῦ βασιλικοῦ κοιτῶνος, καὶ τὴν τοῦ ὑπὸ αὐτοῦ ἀξίαν πρῶτος εὐνούχων παρὰ βασιλέως λαβών. ubi pro ὑπὸ αὐτοῦ, ὑπάτου proculdubio legendum eſt. Significat enim primum ex Eunuchis Cooſulem Eutropium factum. Quod SOZOMENUS ita dilucide ſcribit, *libro octavo hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 7. Οὗτος γὰρ, ait, (de Eutropio autem verba facit) μείζων ὢν τῆς βασιλέως ἀνέχων, μόνος καὶ πρῶτος ὧν ἴσμεν ἢ ἀκηκόαμεν ὑπάτου καὶ πατρὸς βασιλέως ἀξίᾳ ἐτιμήθη. Id eſt: *Hic Eunuchorum Imperatoris major, primus & ſolus ex his, quos unquam vidimus, aut audromus, Conſulari & patricia dignitate ornatus eſt.* Similiter MARCELLINUS COMES, in *Chronico*: (*pag.* 36. *ſeq. ed. Scalig.*) *Hic Eutropius*, ait, *omnium ſpadonum primus atque ultimus Conſul fuit: de quo* CLAUDIANUS *poëta ait*: (*lib.* 1. *in Eutrop. v.* 8.)

Omnia ceſſerunt Eunucho Conſule monſtra.

Eum autem ſacri palatii cubicularium fuiſſe, idem Marcellinus alio loco ſcribit. Sequitur apud SOCRATEM: Ἀμύνασθαί τινας προσφεύγοντας τῇ ἐκκλησίᾳ βουλόμενος, σπουδὴν πεποίηται νόμον παρὰ τῶν αὐτοκρατόρων προτεθῆναι, κελεύοντα μηδένα προσφεύγειν τῆς ἐκκλησίας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἤδη προσφεύγοντας ἀφέλκεσθαι. δίκη δὲ εὐθὺς ἐπηκολούθει. προὔκειτο γὰρ ὁ νόμος, καὶ μετ' οὐ πολὺ προσκρούσας τῷ βασιλεῖ ὁ Εὐτρόπιος, ἐν τοῖς προσφυγοῦσιν ἦν. ὁ δὲ ἐπίσκοπος, τοῦ Εὐτροπίου ὑπὸ τὸ θυσιαστήριον κειμένου, καὶ ἐκπεπληγότος ὑπὸ τοῦ φόβου, καθεσθεὶς ἐπὶ τοῦ ἄμβωνος, ὅθεν εἰώθει καὶ πρότερον ὁμιλεῖν χάριν τοῦ ἐξακούεσθαι, λόγον ἐλεγκτικὸν ἐξέτεινε κατ' αὐτοῦ, ἐφ' ᾧ πλέον ἐδόκει προσκρούειν τισὶν, ὅτι τὸν ἀτυχοῦντα οὐ μόνον οὐκ ἠλέει, ἀλλ' ἔτι τοὐναντίον καὶ ἤλεγχεν. Εὐτροπίου μὲν οὖν τότε τὸν ὕπατον ἀξίαν ἐγχειρίζοντος, διά τινα πταίσματα ὁ βασιλεὺς τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθῆναι ἐκέλευσε· ἐκ δὲ τοῦ καταλόγου τῶν ὑπάτων περιῃρέθη τὸ ὄνομα, καὶ μόνον τοῦ συνυπατεύοντος Θεοδώρου ἐγέγραπτο. Quae verba CASSIODORUS *lib.* 10. *hiſt. trip. c.* 4. ita in Latioum coovertit: *Eutropius enim Eunuchus, praepoſitus cubiculi* (hoc enim vocabulum addendum eſſe patet (*b*)) *Imperatoris, & habens Conſulis dignitatem, volens in quibusdam refugientibus ad eccleſiam vindicare, ſtuduit ab Imperatoribus legem poni, jubentem, ut nullus ad eccleſiam confugeret: imo qui dudum refugerant, traherentur. Sed Dei ſecutum eſt repente judicium. Erat ergo propoſita lex: poſt paucos vero dies cum ipſe Eutropius offendiſſet Imperatorem, inter refugas erat apud eccleſiam. Epiſcopus vero, Eutropio ſub altare jacente, nimioque repercuſſo timore, reſidens ſuper ambonem, ubi ſolebat prius facere conſuete ſermonem, homiliam increpatoriam fecit adverſus eum. Unde magis plurimos offendebat, eo quod homini in infelicitate poſito, non ſolum miſeratus non eſt, ſed etiam nec objurgare deſiſteret. Igitur Eutropii, tunc Conſulatus dignitatem habentis, propter quaedam vitia caput Imperator juſſit auferri, & ex ordine Conſulum ejus nomen penitus abrogari. Quamobrem Theodori ſolummodo, qui cum eo Conſul fuit, nomen adſcriptum eſt.*

Quam

(*a*) EST] Quaeque primo loco io *Cod. Theod.* ſub *tit. ult.* reperitur. Caeterum de hac feſtivitate vide *Jac. Gothofredi Comm.* ad *h. t. Cod. Theod.* aliaque ſcripta, quae in *Bibl. Jurid. Lipenio-Jenichiana* ejusque *Supplementis* ſub hoc titulo; nec non in *Jo. Alb. Fabricii Bibliogr. antiq. cap.* 22. §. 8. *pag.* 643. indicantur.

(*b*) PATET] Abeſt tamen etiam a noviſſimis editionibus, ideoque credibile eſt, illud ab ipſo CASSIOOORO, dum vitioſos SOCRATIS, vel potius Interpretis ejus, Codices prae oculis haberet, fuiſſe omiſſum.

Quam eandem hiſtoriam SOZOMENUS *libro octavo hiſtor. Eccleſiaſt. c.* 7. refert: additque, legem illam, auctore Eutropio latam, abrogatam, & ex tabulis actiſque publicis deletam & obliteratam fuiſſe, ut proinde fruſtra ſit eam quis in Theodoſii vel Juſtiniani Codice requiſiturus. Eadem de Eutropio narrantur a SUIDA in verbo Εὐτρόπιος. MARIANUS quoque SCOTUS in *Chronic.* (*pag.* 409. *Tom.* 1. *Script. rer. Germ. Jo. Piſtorii*) *Anno*, ait, *Chriſti triceſimo nonageſimo nono, & imperii Arcadii* 4. *Manlius Theodorus*, (ſic enim lego, inducta particula, *&*, qua duo haec nomina velut diverſa male disjunguntur) *cum hoc conſulatum inierat Eutropius Eunuchus, qui mox & honore & vita dejectus eſt.* Sed ut ad ludos revertar, eorum feſtivitati intereſſe, & eorum editione favorem populi demereri, HONORIUS & THEODOSIUS magiſtratibus conceſſere, ut ex *l. ult. de expenſis ludor. in Cod. Theodoſ. lib.* xv. *tit.* 9. patet. Ad gymnici quoque agonis ſpectacula populum cohortari ſe profitentur Imperatores VALENS, GRATIANUS & VALENTINIANUS in *l.* 3. *non invidemus*, *de ſcenicis*, *in eod. Cod. lib.* xv. *tit.* 7. aurigarumque adeo, agitatorumque factionibus multos tumultus eſſe Conſtantinopoli concitatos, ex hiſtoriis notum eſt. Verum hanc ſcenicorum & Circenſium ſpectaculorum libertatem, una exceptione, quae noſtra conſtitutione continetur, Imperatores temperandam cenſuerunt, dies feſtos, de quibus egimus, ejuſmodi Spectaculis impendi vetantes. Data eſt autem haec conſtitutio Theodoſio xi. & Valentiniano Caeſ. Coſſ. id eſt, anno Chriſti quadringenteſimo viceſimo ſexto, ſecundum MARIANI SCOTI (in *Chron. pag.* 412. *ed. cit.*) ſupputationem. (*al.* A. C. 425.) At jam ante GRATIANUS, VALENTINIANUS & THEODOSIUS Senior, die Dominico ſpectacula edi prohibuerant. Ad finem namque eorum conſtitutionis, quae in *lege ſecunda de ſpectaculis* in *Cod. Theodoſii lib.* xv. *tit.* 5. refertur, haec verba ſubdita ſunt: *Illud etiam praemonemus, ne quis in legem noſtram, quam dudum tulimus, committat. Nullum* (*a*) *Solis die ſpectaculum praebeat, nec divinam venerationem confecta ſollemnitate confundat.* Quae conſtitutio data eſt Honorio N. P. & Euodio V. C. Coſſ. quorum conſulatus anno Chriſti 386. ſecundum MARIANI chronologiam (*pag.* 408. *ed. cit.*) geſtus eſt. Notae autem hae, *N. P. Nobili puero*, ſignificant. Ex quarum vitioſa interpretatione foedum apud PROSPERUM mendum commiſſum animadverti (*b*), quod utrum librariis, an ipſi auctori adſcribi debeat, addubito. Nam illic duabus vocibus in unam inepte conflatis, *Nepote*, pro, *Nobili puero*, ſcriptum eſt. Idcirco autem, *Nobilis pueri* epitheton Honorio additum eſt, quod tum vix dum trimus eſſet, annumque ad ſummum tertium ageret. Utique enim Richomere (non ut perperam apud Proſperum *Nicomede* (*c*)) & Clearcho Coſſ. editus fuit, quemadmodum cum MARCELLINO COMITE, CASSIODORUS in *catalogo Coſſ.* & MARIANUS SCOTUS in *libro ſecundo Chronicor.* (*pag.* 408. *ed. cit.*) conſentiunt: Qui conſulatus juxta ejuſdem SCOTI ſupputationem, incidit in annum Chriſti 384. Eodemque modo hae notae interpretandae ſunt in ſubſcriptione *l.* 3. *Nemo martyres. C. de ſacroſanct. Eccleſ. l. un. C. de his, qui ad ſtatuas confug. l. un. C. ſi de momentan. poſſeſſion. fuer. appellat. l.* 13. *Solis die, de exactionib. in C. Th. lib.* xi. *tit.* 7. quae omnes hoc quoque Honorii & Euodii Conſulatu datae ſunt. Igitur ut conſtitutiones ſupradictae ad veram temporum rationem revocentur, Conſtitutio illa, quae & aliam dudum ante de ea re latam memorat, quadraginta, & quod excurrit, annis ante hanc, quam interpretamur, data eſt. Qua conſtitutione inſuper magiſtratibus interdictum eſt, Theatralibus ludis, aut Circenſium certaminibus, aut ferarum curſibus vacare, niſi illis tantum diebus, quibus in lucem editi Principes, vel imperii erant ſceptra ſortiti: & hoc amplius ante meridiem duntaxat ad ſollemnitatem illam conveniri: poſt epulas vero ad ſpectaculum redire vetitum fuit. Poſtea ſimili modo ZENO die Dominico ita laxari otia conceſſit, ut tamen non pateretur privatis quemquam voluptatibus detineri. Itaque nec licentiam aliquam ſibi eo die vindicare ſcenam Theatralem, aut Circenſe certamen, aut ferarum lachrymoſa ſpectacula, poena ſtatuta in eos, qui praeceptum hoc transgrederentur, conſtituit, ut ex *l. ult. Cod. de feriis*, plenius cognoſcetur. Sed & *capite* 66. Synodi in Trullo habitae Circenſe, vel aliquod aliud ſpectaculum publicum Paſchali hebdomade edi nominatim prohibitum fuit. Reliqua conſtitutionis noſtrae verba, quia per ſe clara ſunt, nec interpretatione noſtra planiora fieri poſſunt, omittam (*d*). Aliam vero ei ad finem, propter argumenti conjunctionem,

Con-

(*a*) NULLUM] *Nullus* edidit *Jac. Gothofredus*: alteram tamen lectionem, quae in *ed. Tili* reperitur, quamque auctor ſequitur, non improbat.

(*b*) ANIMADVERTI] Quod tamen in *Joſ. Scaligeri* editione, ad calcem *Euſebii*, *pag.* 189. jam ſublatum eſt.

(*c*) NICOMEDE] In *ed. Scalig. pag.* 188. legitur: *Recimere*.

(*d*) OMITTAM] Legi tamen merentur, quae ad eorum illuſtrationem affert *Jac. Gothofredus* in *Comm.* ad *h. l.* §. 8. *ſeqq.*

Conſtitutionem adjungam. *Ad l. 7. omnes. C. de feriis.*

IMPP. VALENTIN. THEOD. ET ARCAD. A. A. A. ALBINO P. V.

Omnes dies jubemus eſſe juridicos. Illos tantum manere feriarum dies fas erit, quos geminis menſibus ad requiem laboris indulgentior annus excepit: aeſtivos [quidem dies] fervoribus mitigandis; per (al. *&*) *autumnos fructibus decerpendis. Kalendarum quoque Januariarum conſuetos dies otio mancipamus. His adjicimus natalities dies urbium maximarum, Romae atque Conſtantinopolis: In quibus debent jura differri, quia & ab his ipſis nata ſunt. Sacros quoque Paſchae dies, qui ſepteno numero, vel praecedunt, vel ſequuntur: dies etiam Natalis, atque Epiphaniarum Chriſti, & quo tempore commemoratio apoſtolicae paſſionis totius Chriſtianitatis magiſtrae a cunctis jure celebratur; in quibus etiam praedictis ſanctiſſimis diebus neque ſpectaculorum copiam reſeramus, in eadem obſervatione numeramus* (*a*). *Et dies Solis, quos dominicos rite dixere majores, qui repetito in ſeſe calculo revolvuntur, in quibus parem neceſſe eſt habere reverentiam: ut nec apud ipſos arbitros, vel a Judicibus flagitatos, vel ſponte electos, ulla ſit cognitio jurgiorum. Noſtris etiam diebus, qui vel lucis auſpicia, vel ortus imperii protulerunt. In quindecim autem Paſchalibus diebus compulſio annonariae functionis, & omnium publicorum privatorumque debitorum differatur exactio. Dat. 2. Id. Auguſt. Romae, Timaſio & Protomo Coſſ.*
Ut ſemel definiret TRIBONIANUS, quinam eſſent feriati, & a ſtrepitu forenſi, judiciariiſque cognitionibus vacui dies, tres Impp. conſtitutiones in unam contulit. (*b*). Eſt enim caput hoc ex tribus, quae in Cod. Theod. diſtinctim ſeorſimque referuntur, compoſitum, atque coagmentatum, nt ex *l. 2. de feriis, lib. 11. tit. 8. & l. 13. Solis, de exactionibus, lib. XI. tit. 7. & l. ult. de ſpectac. lib. XV. tit. 5.* conjunctione liquet. Generaliter autem, omnes eſſe utiles & ſeſſionum dies pronunciant Impp. praeter eos, quos ſpecialiter excipiunt. Quorum paucitatem, nec abs re mirabitur, qui vel cum unſtris, vel paganorum feriis eos contulerit. Nam in Romana Republica, antequam falſorum deorum cultus religio noſtra evertiſſet, innumerabiles prope fuiſſe ferias privatas & publicas, veterum auctorum ſcripta teſtantur, de quibus alius erit dicendi locus. Nunc quoſnam Chriſtiani priucipes, qui una cum paganorum ſacrificiis eorum pleraſque, ferias abo-leverunt, feriis adſcribi dies voluerint, diſcutiamus. Ac primum ajunt:

ILLOS TANTUM FERIARUM MANERE DIES FAS ERIT QUOS GEMINIS MENSIBUS AD REQUIEM LABORIS INDULGENTIOR ANNUS EXCEPIT, AESTIVOS QUIDEM DIES FERVORIBUS MITIGANDIS, PER AUTUMNOS FRUCTIBUS DECERPENDIS.)

Quorum verborum involucris, feriae meſſium vindemiarumque cauſa indulgeri ſolitae ſignificantur: quarum originem ULPIANUS ab Oratione divi MARCI repetere videtur. Sic enim in *l. 1. ff. de feriis*, ſcribit: *Ne quis meſſium vindemiarumque tempore adverſarium cogat ad judicium venire, Oratione divi Marci exprimitur: quia occupati circa rem ruſticam, in forum compellendi non ſunt.* Sed vel ante divi Marci tempora eas ferias obſervatas & uſu receptas fuiſſe, STATIUS PAPINIUS, quem conſtat Domitiani temporibus floruiſſe, oſtendit *lib. 4. Sylvar.* in *carmine 4. ad Marcellum*, quo hujuſmodi ferias ita ſcite deſcribit: *v.* 39.

> *Certe, jam Latiae non miſcent jurgia leges,*
> *Et pacem piger annus habet, meſſeſque reverſae*
> *Dimiſere forum: nec jam tibi turba reorum*
> *Veſtibulo, querulique rogant exire clientes:*
> *Ceſſat centeni moderatrix judicis haſta.*

Atque ad has meſſium ferias referendum eſt, quod PLINIUS *Epiſtola* 21. ad *Arrianum, libro octavo*, Julio menſe lites maxime interquieſcere ſcribit. Idem quod GELLIUS *libri noni, cap. decimo quinto* per feriarum tempus aeſtivarum Neapolim ſe conceſſiſſe narrat profectum. Vindemialium vero feriarnm meminit B. AUGUSTINUS *libro nono confeſ. c.* 2. De quibus etiam creditur mentio fieri apud eundem GELLIUM, *lib. 16. c. 4.* cum ait: *Deinde ita concipiebatur jusjurandum, ut adeſſent, his additis exceptionibus niſi harunce quae cauſa erit, funus familiare, feriae vindemiales.* Sed ille locus corruptus eſt. Emendandum namque eſt, *feriaeve denicales.* Quam, ut ita loquar, ſexagenariam vocem, ponte temere dejecit *Aegidius Maſſerius*, expunctaque ea vulgatiorem aliam conſtituit. Rectius *Moſellanus* veterem, & quidem probam lectionem retinuit. *Denicales* namque appellatas

(*a*) NUMERAMUS] Haec verba & ad priorem, & ad poſteriorem periodum recte referri poſſunt: immo forte ſunt geminanda, ne una periodus ſit manca. Cui tamen haec non placet geminatio, is, mea opinione, optime ea cum antecedenti copulabit periodo, ſequentem vero periodum ita poteſt incipere: *ut &*: ita non multum a diſtinctione & lectione *Cod. Theod.* receditur.

(*b*) CONTULIT] Ita tamen, nt varia in verbis hinc inde mutaverit. Obiter obſervo *L. 13. C. Th. de exaction.* reperiri etiam in *eod. Cod. L. 3. de exſecut. & exact. lib.* VIII. *tit.* 8.

tas *ferias*, quibus mortui hominis cauſa familia purgabatur, Cicero *libro* 2. *de legib. cap.* 22. & Sext. Pomp. Festus *lib.* 4. & Columella *lib.* 2. *de re ruſt. cap. ult.* oſtendunt. Curandum ergo cuique eſt, in antiquam ut poſſeſſionem, a qua pulſa eſt, vox iſta poſthac reſtituatur. Verum quot dies olim hae feriae occuparent, non ſatis liquet. Paulus quidem Praeſides provinciarum ex conſuetudine cujuslibet loci, ſolitos meſſis vindemiarumque cauſa tempus ſtatuere ſcribit, in *l.* 4. *praeſides. D. de feriis.* At Imp. Theodosius certis finibus, temporumque intervallis eas ferias circumſcripſit. Nam a die octavo Cal. Julii uſque in Calend. Aug. meſſis ferias; a decimo vero Kalendarum Septembris uſque in Idus Octobris vindemiales ferias concedi conſtituit, in *l.* 2. *ut in die Dominico, C. de feriis.* Quanquam eam legem legitimam & genuinam eſſe praeſtare non auſim, ut quae nec in *Cod. Theod.* nec in vetuſtis aliquot Juſtiniani Codicis libris extet. In geminos utique menſes has ferias ſeſe extendiſſe declarant Imperatores, non in hoc modo capite, ſed in *l.* 5. *publicas, C. eodem tit.* Ab hoc vero feriarum otio certae cauſae excipiuntur, de quibus etiam meſſis vindemiarumque tempore jus dici poterat: quae ab Ulpiano in *l.* 1. *&* 2. & *l.* 3. *ſolet. D. de feriis* & Impp. in *d. l.* 5. *publicas* enumerantur.

Kalendarum quoque Januariarum consuetos dies otio mancipamus.]

Dat ergo Kalendis Januariis a forenſibus negotiis vacationem. Quam ſuis etiamnum temporibus eis indultam teſtatur (*a*) Ovidius *Faſtorum libro primo* de hoc die agens, his verſibus: (*v.* 71.)

Proſpera lux oritur, linguiſque animiſque favete,
Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.
Lite vacent aures, inſanaque protinus abſint
Jurgia, differ opus livida turba tuum.
Cernis odoratis ut luceat ignibus aether,
Et ſonet accenſis ſpica Ciliſſa focis?
Flamma nitore ſuo templorum verberat aurum,
Et tremulum ſumma ſpargit in aede jubar.
Veſtibus intactis Tarpejas itur in arces,
Et populus feſto concolor ipſe ſuo eſt.
Jamque novi praeeunt faſces, nova purpura fulget:
Et nova conſpicuum pondera ſentit ebur.
Colla rudes operum praebent ferienda juvenci,
Quos aluit campis herba Phaliſca ſuis.
Jupiter arce ſua totum cum ſpectet in orbem,
Nil niſi Romanum quod tueatur habet.
Salve feſta dies, meliorque revertere ſemper,
A populo rerum digna potente coli.

Conſtat autem hoc die magiſtratum iniiſſe Conſules (*b*), ſicuti vel unus Suetonius, ut alios miſſos faciam, indicat in *Auguſto*, *c.* 26. Ex quo Martialis *lib.* x. *Epigr.* 41. jocus in eam, quae a marito, praetore deſignato, Calendis Januariis diverterat, quo ſumptus, qui in purpuram novi magiſtratus impendendi erant, vitaret. Vota quoque eo die nuncupabantur (*c*). Itaque Aelium Verum e provincia reverſum, cum Kalendis Januariis per ſomnum periiſſet, votorum cauſa ab Adriano lugeri vetitum, Spartianus in *Adriano*, *cap.* 23. & *Aelio Vero cap.* 4. refert. Eum quoque diem laetis precationibus fauſtum ſibi invicem Romanos ominatos Plinius *lib.* xxviii. *hiſtor. natur. c.* 2. auctor eſt. Et ſtrenas eo die ultro citro miſſitatas nemini eſt ignotum. Et ita Auguſto abſenti Calendis Januariis ſtrenam jactam Tranquillus memorat in *Auguſto*, *c.* 57. Alexandrum quoque Severum Aelius Lampridius in *ejus vita*, *cap.* 37. Calendis Januariis lautius ac ſumptuoſius ſolito, ut & feſtis aliis praecipuis diebus, coenaſſe narrat. Sed nec pridie eas Calendas magiſtratus jus dicere vel ſui poteſtatem facere conſueverant, quemadmodum Ulpianus ſcribit in *l.* 5. *pridie D. de feriis.* Extat vero in ſermo-

(*a*) Testatur] Ex eodem tamen infra *v.* 165. *ſeqq.* diſcimus, non plane hunc diem, feſtum licet, a litibus & negotiis vacuum fuiſſe apud priſcos Romanos, idololatriae deditos; levia tamen delibabantur tantum boni ominis & auſpicii gratia.

(*b*) Consules] Nec non & reliqui magiſtratus patricii: non vero magiſtratus plebeji, quippe qui jam ante menſe Decembri magiſtratum inibant, ut vel ex compendiis Antiqq. Rom. diſci poteſt. De Quaeſtoribus tamen dubium adhuc eſſe, quando magiſtratum inierint, obiter noto. Caeterum *de ritibus primae anni diei ſollemnibus inter priſcos Rom.* librum ſingularem ſcripſit *Jo. Gerard. Wagner*, *Brunſw.* 1727. 8. Legi etiam poſſunt ſcriptores de ſtrenis, aliique, quos indicat *Jo. Alb. Fabricius* in *Bibl. antiq. cap.* 10. *pag.* 330.

(*c*) Nuncupabantur] Vota ſcilicet pro Republica noviſque magiſtratibus. Vota vero pro Principe domoque regnatrice nuncupabantur die tertio poſt *Kal.* id eſt, *Prid. Non. Januar.* ut ex *l.* 233. §. 1. *D. de V. S.* & ex Calendariis patet.

monibus Ambroſianis (*a*) aſpera, & acerba eorum increpatio, qui cum gentilibus Calendas Januarias celebrabant. Ac plane Synodi Turon. ſecundae *c.* 23. Kalendarum Januariarum cultus nominatim prohibitus fuit. Sequitur in conſtitutione:

HIS ADJICIMUS DIES NATALITIOS URBIUM MAXIMARUM ROMAE ATQUE CONSTANTINOPOLIS.)

Natalitios dies urbium accipe, quibus eae conditae ſunt: quo genere loquendi CAPITOLINUS in *Pertinace cap.* 12. utitur. *Sane*, inquiens, *nullum ex his, quos Commodus rebus agendis impoſuerat, mutavit, exſpectans urbis natalem, quod eum diem rerum principium volebat eſſe.* Graeci ſimiliter γενεθλίας ἡμέρας dicunt. SOZOMENUS *lib. quinto hiſtor. Eccleſiaſt. c.* 17. Ἐπεὶ γὰρ καιρὸς παρῆν βασίλεια δωρεῖσθαι στρατιώταις· γίνεται δὲ τοῦτο ὡς ἐπίπαν ἐν ταῖς Ῥωμαίων ἱερομηνίαις, καὶ βασιλέων, καὶ βασιλίδων πόλεων ἐν γενεθλίοις ἡμέραις. Quae ſic CASSIODORUS *hiſt. tripartit. libro* 6. *cap.* 30. convertit: *Cum veniſſet enim tempus, quo Imperialia milites ſolent dona accipere. Hoc enim agitur plerumque die Kalendarum Januariarum, & natali principum & urbium regiarum.* MAMERTINUS in *Panegyrico Maximini, cap.* 1. *Tibi potiſſimum, Imperator invicte, laudes canimus, & gratias agimus, quem ſimilitudo ipſa ſtirpis tuae, ac vis tacita naturae ad honorandum natalem Romae diem tam liberalem facit, ut urbem illam ſic colas conditam, quaſi ipſe condideris.* Sic & natalem annum urbis Romae dixit OROSIUS *lib. ſeptimo cap.* 20. Quis autem fuerit utriuſque Romae veteris & novae natalis dies, explicemus. Romam quidem certe Palilibus conditam fuiſſe non eſt ignotum. VARRO *lib.* 2. *de re ruſtica, cap.* 1. de Remo & Romulo agens: *Non ipſes quoque*, ait, *fuiſſe paſtores obtinebit, quod Palilibus potiſſimum condidere urbem?* CICERO *lib.* 2. *de divinatione cap.* 47. *Lucius quidem Tarutius Firmanus, familiaris noſter, in primis Chaldaicis literis eruditus, urbis etiam noſtrae natalem diem repetebat ab iis Palilibus, quibus eam a Romulo conditam accepimus: Romamque, cum eſſet in jugo Luna, natam eſſe dicebat, nec ejus fata canere dubitabat. O vim maximam erroris! Etiamne urbis natalis ad vim ſtellarum & lunae pertinebat?* OVIDIUS *lib.* 4. *Faſtorum: v.* 817.

Apta dies legitur, quo moenia ſignat aratro:
Sacra Pales aderat: inde movetur opus.

VELLEJUS PATERCULUS in *fragmentis hiſt. lib.* 1. *cap.* 8. *Sexta Olympiade, poſt duos & viginti annos, quam prima conſtituta fuerat, Romulus, Martis filius, ultus injurias avi, Romam urbem Palilibus in Palatio condidit.* PROPERTIUS *lib.* 4. *Elegiar. el.* 4. *v.* 71.

Urbi feſtus erat, dixere Palilia patres,
Hic primus coepit moenibus eſſe dies.

EUSEBIUS quoque in *Chronicis* ad *Ann.* MCCLXV. Palilibus urbem Romam conditam ſcribit. Quo autem die Roma ſit condita, liquidius ita PLUTARCHUS in *Romulo pag.* 23. exponit: Ὅτι μὲν οὖν ἡ κτίσις ἡμέρᾳ γένοιτο τῇ πρὸ ἕνδεκα καλενδῶν Μαΐων, ὁμολογεῖται, καὶ τὴν ἡμέραν ταύτην ἑορτάζουσι Ῥωμαῖοι, γενέθλιον τῆς πατρίδος ὀνομάζοντες. Quem locum ſic interpres reddidit: *Urbem igitur ad* XI. *Kal. Maji condi coeptam eſſe opinione omnium ſatis conſtat, eumque diem feſtum Romani agunt, natalem patriae nuncupantes.* Ex quo apparet Romae natalem diem fuiſſe XI. Kalend. Maji. Quod & idem auctor in *Numa pag.* 61. tradit, his verbis: Ἡμέρᾳ δὲ γεγονὼς κατὰ δή τινα θείαν τύχην, ἐν ᾗ τὴν Ῥώμην ἔκτισαν οἱ περὶ Ῥωμύλον. αὕτη δέ ἐστι πρὸ δεκαμιᾶς καλενδῶν Μαΐων. *Divino quodam caſu eadem genitus fuit die, qua Romulus condiderat Romam: ea eſt* XI. *Kal. Majas.* Ubi male interpres urbem Romam 14. Kalen. Majas conditam vertit. Natalem ſiquidem ejus diem fuiſſe XI. Calend. Majas Latini auctores teſtantur PLINIUS *lib.* 18. *natur. hiſt. c.* 26. *Aſſyriae autem* 12. *Calendas. Hoc eſt vulgo appellatum* Sydus Palilicium: *quoniam* XI. *Calend. Maji urbis Romae natalis.* SOLINUS *Polyhiſtor. cap.* 2. (*cap.* 1. *ed. Salmaſ.*) *Ibi*, ait, *Romulus manſitavit, qui auſpicato murorum fundamenta jecit, duodeviginti natus annis,* XI. *Calend. Majas hora poſt ſecundam ante tertiam.* EUTROPIUS *lib.* 1. *cap.* 1. *Is cum inter paſtores latrocinaretur decimo octavo anno nativitatis ſuae, urbem exiguam in Palatino monte conſtituit* XI. *Calendas Maji, Olympiadis ſextae anno tertio.* ZONARAS *tomo ſecundo Annalium, lib.* VII. *pag.* 316. Ἡ δὲ κτίσις τῆς πόλεως ταύτης ἡμέρᾳ τετέλεστο τῇ πρὸ ἕνδεκα καλενδῶν Μαΐων, ἣ ἂν εἴη εἰκοστὴ Ἀπριλλίου, καὶ τὴν ἡμέραν ταύτην ἑορτάζουσι Ῥωμαῖοι, γενέθλιον τῆς πατρίδος ὀνομάζοντες. Id eſt: *Urbis aedificatio* XI. *Kalendas Maji, hoc eſt, vigeſimo Aprili eſt abſoluta: qui dies Romanis feſtus eſt, & patriae natalis appellatur.* Conſtantinopolis vero natalem V. Id. Majas fuiſſe, ZONARAS nos docet *tom.* 3. *Annalium, lib.* XIII. *pag.* 6. de Conſtantino agens: Τὴν πόλιν φιλοτίμως οἰκοδομεῖ, Κωνσταντινούπολιν αὐτὴν ἐπὶ τῷ ὀνόματι τῷ οἰκείῳ καλεῖ, καὶ ἀνατίθησιν αὐτὴν τῇ παρθένῳ καὶ θεομήτορι. ἤδη δὲ ἀπαρτισθείσης τῆς πόλεως

(*a*) AMBROSIANIS] Eſt in antiquis *edd. Opp.* AMBROSII *Serm.* XVII. in *ed. Rom. Serm.* XI. in *nov.* vero *ed. Pariſ. Bened. Serm.* VII.

λιως, κατὰ τὴν ἑνδεκάτην τοῦ Μαΐου μηνὸς, πλεῖ τὰ ταύτης γενέθλια, ἢ ἐγκαίνια, ἔτους ἐνεστηκότος πεντακισχιλιοστοῦ ὀκτακοσιοστοῦ τριακοστοῦ ὀγδόου. i. e. *Urbem ſtudioſe condit, a ſe Conſtantinopolim vocat, & matri Dei conſecrat. Urbe ad* 11. *Maji abſoluta, natalem ejus ſeu dedicationem celebrat anno ab orbe condito quinquies milleſimo octogenteſimo triceſimo octavo.* Eſt autem Conſtantinopolis Paeatiano & Hilariano Coſſ. condita, auctore Cassiodoro *in Conſulum catalogo*, ſive *Chronico*. Ceterum plura de Conſtantinopolis conſtructione ſcire deſideranti, legendi ſunt Socrates *libro primo hiſt. Eccl. capite* 16. & Sozomenus *libro ſecundo capite* 3. Indeque petenda eſt ejus interpretatio, quod Justinianus eam Deo propitio, melioribus quam veterem Romam auguriis conditam ſcribit in *l.* 1. *Cod. de vetere jure enucleando.* Nimirum quia non ut illa vulturum auſpiciis, ſed divino oraculo, ut & Zonaras *Annal. lib* xiii. *pag.* 6. notat, condita eſt. Niſi eo alluſiſſe Juſtinianus exiſtimandus eſt, quod idem Zonaras *l. c.* ſcribit, Calcedone opere inchoato aquilas devolaſſe, fabrorumque funiculos raptos freto ſuperato juxta Byzantium dejeciſſe. Fit deinde in noſtra conſtitutione earum feſtivitatum mentio, de quibus ſatis ſuperque ſupra diximus. Itaque omiſſa proxime ſequentium verborum interpretatione, ad eum locum veniam, quo in feriatis diebus ponunt Impp. eos, quibus in lucem editi, vel ad imperii faſtigium evecti erant, his verbis:

Nostris etiam diebus Qui vel lucis auspicia vel ortus imperii protulerunt.) Natales plane ſuos dies praecipua quadam religione ac laetitia privatim quiſque olim proſequebatur. Cujus moris infinita prope poſſunt ex veterum libris teſtimonia proſerri, quae nos in aliam jam mente conceptam ſcriptionem differimus. Itaque mirum nemini videri debet principum natales in feriatorum dierum ordinem ac numerum referri. Natalis quidem certe Auguſti, cum is in Apollinares ludos incidiſſet, celebrationem in ſequentem diem Senatum rejeciſſe Dio *lib.* 48. *hiſt.* ſcribit (*a*), propterea quod Sibyllinis verſibus alii Deo quam Apollini eam diem feſtam eſſe interdictum eſſet. Idem Dio *lib.* 54. *pag.* 539. refert Natalem Auguſti diem Julium Antonii F. Praetorem equeſtri certamine & venatione celebraſſe, & ex Senatusconſulto epulum Auguſto & Senatoribus in capitolio praebuiſſe. Natalitiis namque principum epulum cum ludis populo datum indicio eſt, quod apud eundem Dionem *lib.* 54. *pag.* 543. in gratiam Auguſti conceſſum legimus, ut Natalitiis ejus caelibes inter alios ſpectare epuliſque intereſſe poſſent. Natalem etiam Caji ludis & certaminibus celebratum idem narrat *lib.* 59. *pag.* 644. Natalem tamen ſuum Claudius honorari minime paſſus eſt, ut idem auctor eſt *libro* 60. *pag.* 667. Sed & hi dies, quibus principatum adepti erant Imperatores, hilaritate ſumma publicoque adeo gaudio tranſmitti conſueverant. Inde Plinius ad Trajanum *libro* 10. *Epiſtolar. ep.* 103. *Diem*, ait, *in quem tutela generis humani feliciſſima ſucceſſione translata eſt, debita religione celebramus, commendantes imperii tui auctoribus & vota publica, & gaudia.* Cui Epiſtolae ita Trajanus reſpondet *ep.* 104. *Diem imperii mei debita laetitia & religione a commilitonibus & provincialibus, praeeunte te, celebratum, libenter, mi Secunde chariſſime, cognovi literis tuis.* Atque ad has, quae in principum gratiam publice agitabantur, feſtivitates, referendum videtur, quod Tertullianus *Apologetici capite* 35. in haec verba ſcribit: *Propterea igitur publici hoſtes Chriſtiani, quia Imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant: quia verae religionis homines etiam ſollemnia eorum conſcientia potius, quam laſcivia celebrant. Grande ſcilicet officium, focos & choros* (al. *toros*) *in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernae habitu adolefacere*, (al. *abolefacere*) *vino lutum cogere, catervatim curſitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinum* (al. *libidinis*) *illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? haeccine ſollemnes dies principum decent, quae alios dies non decent?* Verum apertius uſitatam in principum natalibus laetitiam exprimit Maximus Epiſcopus *Sermone*, qui inter Ambroſianos eſt decimus quartus (*b*). *Laetitia*, ait, *quanta ſit, quantuſque concurſus, cum imperatoris mundi iſtius natalis celebrandus eſt, bene noſtis: quemadmodum duces ejus, & principes omnes etiam militantes accurate ſericis veſtibus accincti, operoſis cingulis auro fulgente precioſis ambiant ſolito nitidius in conſpectu regis incedere. Credunt enim majus eſſe Imperatoris gaudium, ſi viderit majorem ſuae apparitionis ornatum, tantoque illum laetum futurum, quanto ipſi fuerint in ejus feſtivitate devoti: ut quia Imperator tanquam homo corde non conſpicit, affectum eorum circa ſe probet, vel habitum contuendo. Ita fit, ut ſplendidius ſe accuret, quiſquis regem fidelius diligit. Deinde, quia in die Natalis ſui ſciunt*

(*a*) Scribit] Auctor ſine dubio prae oculis habuit locum Dionis *lib.* xlvii. *pag.* 337. *ſeqq.* ubi tamen non de Auguſti, ſed de Julii Caeſaris die natali ſermo eſt: narrat enim ibi, ob ludos Apollinares pridie ejus diei natalitia Caeſaris celebrata fuiſſe.

(*b*) Quartus] In antiquis ſcilicet *edd. Opp.* Ambroſii, in *ed. Rom.* eſt *Serm.* iv. in *Pariſ.* vero *Bened. ed.* omiſſus eſt. Reperiri etiam poteſt in Bibliotheca Patrum. In hoc *Serm.* pro *corde*, forte legendum eſt *corda.*

ſciunt eum largum futurum, ac donaturum plurima vel miniſtris ſuis, vel iis, qui in domo ejus abjecti putantur & viles, tanta prius theſauros ejus replere divitiarum varietate feſtinant, ut in quantum prorogare voluerit, in tantum prorogatio copioſa non deſinat, & ante voluntas donandi deficiat, quam ſubſtantia largiendi. Ad horum etiam dierum feſtivitatem pertinet, quod in *l.* 2. *de ſpectacul. in C. Theod. lib.* xv. *tit.* 5. Impp. praecipiunt, nullum omnino Judicum aut Theatralibus ludis, aut Circenſium certaminibus vacare, niſi illis tantum diebus, quibus vel in lucem editi, vel imperii eſſent ſceptra ſortiti. In honorem quoque principum ferias extra ordinem nonnunquam indictas ULPIANUS teſtatur in *l.* 26. *Sed & ſi.* §. 7. *Si feriae. D. Ex quibus cauſis majores.*

F I N I S.

B. BRIS-

ELENCHUS
CAPITUM
LIBRI PRIMI.

Cap. I. *De modo & altitudine antiquorum aedificiorum, parietumque craſſitudine.* Pag. 1
— II. *De legitimo inter vicinas aedes interjici ſolito ſpatio.* 3
— III. *Explicatur, quod Ulpianus ſcribit, multae animadverſionem hodie pecuniariam eſſe: & de modo aeſtimationeque multarum.* 4
— IV. *Declaratur Ulpiani locus, & de diverſo matronarum meretricumque veſtitu.* 6
— V. *De vetuſto bonorum, liberorumque profitendorum more.* 9
— VI. *Quorſum Paulus lanionis inſtrumento trutinam contineri dixit.* 12
— VII. *De mancipationis ſollemnibus.* 13
— VIII. *Quales olim emerentur venderenturque nummi.* 14
— IX. *Notata in veterum cautionibus vox, Recte.* 15
— X. *De aqua equis ſpargi ſolita, & agitatoribus quaedam.* 16
— XI. *Explicata lex ultima C. de Emancipationibus, & de veteri emancipationum manumiſſionumque ſollemnitate.* ibid.
— XII. *Vetus de adſeſſoribus Conſtitutio cum aliquot ad eam pertinentibus locis explicata.* 19
— XIII. *Quid ſit ad peregrinitatem redigi, & de Romanae civitatis jure.* 20
— XIV. *Collegia illicita quibus Legibus, Senatusconſultis, Conſtitutionibusque coërceantur.* 23
— XV. *De jure nundinarum.* 25
— XVI. *De Principum orationibus.* ibid.
— XVII. *De Quaeſtorum ſub Imperatoribus munere.* 26
— XVIII. *Obſervata quaedam de uxorum ad viros deductione.* 27
— XIX. *Exemplis demonſtrata antiqua ſervitutum recipiendarum formula.* 29
— XX. *Explicatur Pomponii in l. 2. D. de Origine juris locus.* ibid.

LIB. II.

Cap. I. *De ordine exercendorum publicorum judiciorum.* 32
— II. *Obſervata veterum in concipiendis ſententiis verba.* 35
— III. *Unde originem habuerit Medicis conceſſa immunitas.* 36
— IV. *Medicos olim χειρούργους fuiſſe demonſtratur.* 39
— V. *Qui ſint caligati milites, & unde appellentur.* 40
— VI. *De veteri militaris ordinis conferendi ritu.* 41
— VII. *De militum cingendorum & diſcingendorum ratione.* 42
— VIII. *De incendiorum cura apud Rom. & inſtrumentis ad arcenda incendia comparatis.* 44
— IX. *De ſervis compeditis, deque ergaſtulis.* 47
— X. *Expoſitum Marcelli reſponſum, & de unionum diſſolutione.* 49
— XI. *Unde ſicariorum nomen, & de ſicae forma.* 50
— XII. *De veritate lectionis l. Fulcinius. §. illud ſciendum. verſic. denique. Ex quibus cauſ. in poſſeſſ. & de ſtationibus ac tabernis in foro.* 51
— XIII. *De jactatione motuque capitis fanaticorum.* 52
— XIV. *De jure ſepulchrorum.* 54
— XV. *Qui & quatenus religioſus locus fiebat.* 56
— XVI. *Maceriis ſepulchra olim includi conſueviſſe.* 58
— XVII. *De teſtium numero legibus quibuſdam conſtituto.* ibid.
— XVIII. *De poena injuſte provocantium.* 59
— XIX. *De appellationum temporibus.* ibid.

Cap. XX. *Praegnantium mulierum poenam Romanorum aliorumque populorum inſtitutis differri ſolitam demonſtratur.* Pag. 60
— XXI. *Conſtitutionis, qua ſpadones fieri prohibentur, auctor demonſtratur.* ibid.

L I B. III.

Cap. I. *De legitimo uſurarum modo, & legitimae uſurae appellatione.* 64
— II. *Unde legitima aetas appellata ſit.* 66
— III. *Legis Juliae Miſcellae ſententia in aliquot Juriſconſultorum locis demonſtratur.* 67
— IV. *Quibus magiſtratibus, & qua lege multam dicere permiſſum fuerit.* ibid.
— V. *De vetuſta aquae & ignis interdictione, & ea, quae in locum ejus ſucceſſit, deportatione.* 69
— VI. *Conſtitutiones duae de interdictis proferuntur.* 70
— VII. *De libellis, qui Principibus offerebantur.* 71
— VIII. *Vetus rerum venalium proſcribendarum mos explicatur.* 72
— IX. *Quae ſint ſervilia verbera.* ibid.
— X. *De Aedilibus municipalibus.* 74
— XI. *Quae fuerint olim ſollemnia patrimoniorum onera.* ibid.
— XII. *De pupillarium tabularum appellatione, & earum conſcribendarum forma.* 76
— XIII. *De veterum habitationibus in hortis.* ibid.
— XIV. *De Magiſtratuum, Proconſulum, Praeſidumque inſignibus.* 77
— XV. *De ſellis & praetextis Magiſtratuum.* 80
— XVI. *De ſenatoriis ornamentis.* 81
— XVII. *De praemiis delatorum, eorumque coërcitione.* 82
— XVIII. *De Procuratoribus Caeſaris.* 84
— XIX. *De Praefecto aerarii.* 85
— XX. *De Procuratore rei privatae.* 87
— XXI. *De fiſci patrono, ſive advocato.* ibid.

L I B. IV.

Cap. I. *Qualiter accipienda ſit poſſeſſionis definitio a Javoleno tradita in l. 115. Quaeſtio. D. de verb. ſign.* 90
— II. *Extraordinariae executiones olim quaenam appellarentur.* 91
— III. *Quae ſint ſollemnia munera in l. 12. cum plures. §. 3. cum tutor. D. de admin. tut.* 92
— IV. *Illicitarum olim mercium exempla.* 93
— V. *De agrorum formis & earum aeneis tabulis.* ibid.
— VI. *De legibus agrorum.* 94
— VII. *De legibus Juliis judiciorum.* 95
— VIII. *De itinerum per lapides dimetiendorum ratione & Leuga Francica.* 96
— IX. *Quaenam in jure dominii impetrando olim forma ſervaretur.* 97
— X. *De plus petentibus.* ibid.
— XI. *De ſtatuis, imaginibuſque Principum.* 98
— XII. *De viarum curatoribus.* 99
— XIII. *De Decurionibus.* 100
— XIV. *Explicata l. 32. abeſſe. D. Ex quibus cauſis major. particula.* 102
— XV. *Expoſitum tabernae caſeariae verbum in Ariſtonis reſponſo.* ibid.
— XVI. *Conjunctam olim fuiſſe Juris divini & humani ſcientiam.* ibid.
— XVII. *De maſtigophoris ad l. ult. D. de muneribus & honoribus.* 104
— XVIII. *In borrea quae res olim reconderentur.* 105
— XIX. *Quod honori veteres ducebant morientium teſtamentis ſibi aliquid relinqui.* ibid.
— XX. *De legis actionibus.* 106
— XXI. *De actis judiciariis & notis.* 108
— XXII. *Explicatur l. unica. C. de nudo jure Quiritum tollendo.* 109
— XXIII. *Reſtitutum antiquum verbum in l. 13. mulieris. D. de verbor. ſignif.* 110

B. BRIS-

Digitized by Google

B. BRISSONII JC.

ET IN

SUPREMA PARISIENSI

CURIA ADVOCATI

DE

RITU NUPTIARUM

LIBER SINGULARIS.

ITEM DE

JURE CONNUBIORUM

LIBER SINGULARIS.

AD

AMPLISSIMUM CLARISSIMUMQUE

VIRUM

MICHAELEM HOSPITALIUM,

SUMMUM GALLIAE CANCELLARIUM.

EX RECENSIONE

ET CUM

OBSERVATIONIBUS

ALBERTI DIETERICI TREKELL JC.

Digitized by Google

AMPLISSIMO INTEGERRIMOQUE

VIRO

D. MICHAELI HOSPITALIO

SUMMO GALLIAE

CANCELLARIO

B. BRISSONIUS S.

Ut primum commendatione tua aditus mihi ad Margaritae, Illuſtriſſimae Allobrogum Biturigumque Ducis, gratiam datus eſt, duos hoſce, qui nunc demum in lucem prodeunt, libros conſcribere, gratique ac memoris animi teſtificandi cauſa tibi inſcribere inſtitui. Tam praeclarum enim tum mihi apud eam tui de me judicii teſtimonium dediſti, ut ejus beneficii memoriam ſancte ac religioſe colere, & crebris ſermonibus uſurpare parum eſſe cenſuerim, niſi praeterea ejus quoque monumentum aliquod, aere, ut ille ait, perennius in vulgus emanaret. Verum, quae ſint deinde conſecuta tempora, ſilentio praeterire, quam triſti & acerba recordatione perſequi malo. In noſtris certe vere Gallicis tumultibus, quorum communis concordiae cauſa voluntaria oblivione conterendas injurias te auctore boni omnes ducunt, ut manum ad ſcribendum adferrem, imperare quidem mihi potui; ut animi alacritatem adferrem, non potui. Ita factum eſt, ut jam diu debitum, ſed varietate temporum interruptum officium tibi tardius reddatur. Nec idcirco tamen, vel graviſſimarum uſurarum, quae propter moram debitoribus infligi ſolent, poenam recuſo. Interuſurium enim aliorum librorum acceſſione propediem farciturum me, his apud te, non epiſtolae, ſed chirographi vim habituris litteris, recipio. Vale. Pariſiis. Calend. Mart. MDLXIII.

B. BRIS-

B. BRISSONII JC.

ET IN SUPREMA PARISIENSI CURIA ADVOCATI

DE

RITU NUPTIARUM

LIBER SINGULARIS.

De Sponſalibus.

Dicturus de ritu nuptiarum, pauca de ſponſalibus, quae earum celebritatem antecedunt, praefabor (*a*). Fuit autem hoc in more priſcis temporibus poſitum (*b*), ut qui uxorem ducturus eſſet, ab eo, unde ducenda erat, eam in matrimonium datum iri ſtipularetur: idque, qui nuptum daturus erat, ſponderet: qui contractus ſtipulationum ſponſionumque dicebatur *ſponſalia*. Hoc Servium Sulpitium in libro *de dotibus*, Neratium Priscum in libro *de nuptiis* tradidiſſe Gellius ſcriptum reliquit.[a] Quibus Ulpianus & Florentinus conſentiunt,[b] qui *ſponſalia* quoque a *ſpondendo* dicta, & *ſponſi ſponſaeque* appellationem inde ductam credunt, quod veteribus ſtipulari, & ſpondere uxores futuras moris eſſet (*c*). Varro *lib.* v. *de lingua lat. pag.* 58. *Spondebatur pecunia, aut filia nuptiarum cauſa. Appellabatur & pecunia, & quae deſponſa erat*, ſponſa. *Quae pecunia inter ſe contra ſponſum rogata erat*, *dicta* ſponſio. *Cui deſponſa quod erat*, ſponſus. *Quo die ſponſum erat*, ſponſalis. *Qui ſpoponderat filiam*, deſpondiſſe *dicebatur, quod de* ſponte *ejus, id eſt, voluntate exierat. Non enim, ſi volebat, dabat, quod ſponſu erat alligatus. Nam in Comoediis vides dici:*

Sponden' tuam gnatam filio uxorem meo?

Quod tum & praetorium jus ad legem, & cenſorium judicium ad equum aeſtimabatur (*d*). Et paulo poſt, pag. 59. *Ita quiſquis dicit in Tragoedia:*

Me-

a *lib.* 4. *Noct. Attic. cap.* 4.

b *In l.* 2. *& l.* 3. *D. de ſponſa. lib. l.* 7. *ſponſio. D. de verb. ſignific.*

(*a*) Praeparor] Auctor merito Sponſaliorum doctrinam praemittit: ſolent enim plerumque nuptiis ſponſalia praecedere, licet id nulla lege expreſſe cautum ſit, quemadmodum ſibi *Anton. Hotomannus* in *lib. de ritu nupt. cap.* 9. perſuaſit.

(*b*) Positum] Hunc morem Romani a Latinis didicerunt: fuiſſe tamen olim ante legem Juliam hac in re aliud jus in Latio, quam Romae, ex loco Gellii laudato diſci poteſt: eos enim, qui hunc locum ad jus Romanum trahunt, errare, notavit optime *Jo. Gottl. Heineccius* in *Elem.* J. C. *ſecundum ord. Pand.* P. iv. §. 155. & in *Syntagm. Antiqq. Append.* ad *lib.* I. *cap.* I. §. 49.

(*c*) Esset] Quando Sponſalia *l.* I. *D. h. t.* definiuntur: *Mentio & repromiſſio futurarum nuptiarum*: non intelliguntur praecedentes tractatus: ſed ipſa interrogatio & reſponſio, quae plerumque intercedere ſolebant. JCtus tamen generalioribus huiſce verbis ideo ſine dubio uſus eſt, quia & per nudum pactum ſponſalia fieri poterant. Negandum tamen non eſt, ſponſaliorum verbum interdum in latiori ſumi ſenſu, ut praecedentes tractatus non excludantur. Hoc ſi recentiores JCti, v. g. *Hotomanni* utrique & *Albericus Gentilis*, animadvertiſſent, non tam acriter de hac definitione inter ſe diſputaſſent.

(*d*) Aestimabatur] Ita ſemper ſe res habebat. Praetores enim juxta leges judicare debebant: Cenſores nullis legibus erant adſtricti, ſed ex aequo & bono, & ex propria conſcientia judicabant: unde etiam punire poterant facta, quae ſecundum leges poenae non erant ſubjecta. Quaeritur vero, quomodo Praetores, & quomodo Cenſores de Sponſalibus judicaverint. Vulgo putant,

ſpon-

Meminiſtine te deſpondere mihi gnatam tuam?

Quod ſine ſponte ſua dixit, cum eo agi non poteſt ex ſponſu. Donatus in *Andr. Act.* I. *Sc.* I. ad ea verba: *v.* 75.

Placuit, deſpondi, hic nuptiis dictus eſt dies.

Deſpondi, ait, *ex veteri more, quo ſpondebat etiam petitoris pater. Unde* ſponſus & ſponſa *dicitur* (*a*). Idem in *Adelph. Act.* IV. *Sc.* 7. ad verba: *v.* 16.

—— —— *Quin jam virginem deſpondi.*

Deſpondet, ait, *puellam qui petit. Spondet a quo petitur.* Nec clam me eſt, horum nominum originem a Graeco fonte Verrium Flaccum idoneum auctorem derivaſſe, qui, ut apud Sex. Pomp. Festum voc. *ſpondere* legimus, ſponſorum, & ſponſarum nomen inde tractum exiſtimabat, quod *σπονδὰς* interpoſitis rebus divinis facerent (*b*). Sed a priore harum vocum notatione qui diſſentiret, praeter unum Verrium, praeterea inveni neminem. Veteris certe moris, quo prius illud etymon nititur, multa ſunt in Plauti Comoediis non obſcura impreſſa veſtigia. Sic enim ille in *Aulularia Act.* II. *Sc.* 2. *v.* 77. Megadorum ab Euclione filiam ſtipulantem facit:

M. *Quid nunc? etiam mihi deſpondes filiam?* E. *Illis legibus,*
Cum illa dote, quam tibi dixi. M. *ſponden' ergo?* E. *Spondeo.*

In *Trinummo Act.* V. *Sc.* 2. *v.* 33. quoque Lyſiteles a Charmide ita ſtipulatur.

L. *Sponden' ergo tuam gnatam uxorem mihi?* Ch. *ſpondeo, & mille auri Philippum dotis?*

Et paulo poſt: *v.* 38.

L. *Iſtbac lege filiam tuam ſponden' mihi uxorem dari?*
Ch. *Spondeo.* Ca. *& ego ſpondeo idem hoc.*

Sed

ſponſalia, licet ſtipulatione confirmata, iisque etiam poena adjecta fuiſſet, nullam civilem produxiſſe actionem, quia libera erat renunciatio. Sed hac non obſtante, ego exiſtimo, hanc ſtipulationem omnes habuiſſe effectus, (actionem ſcilicet & exceptionem) quos aliae producebant ſtipulationes, quamdiu nempe ſponſalia ipſa durabant. Hinc durantibus ſponſalibus ſine dubio ad implementum agi poterat: alias enim una pars alteram, dum neque impleret, neque renuntiaret, ludibrio habere potuiſſet. Hinc etiam ille, qui durantibus prioribus ſponſalibus, alia inſuper celebraret, infamia notabatur. Sed libere tamen ab una parte, invita altera, diſſolvi poterant ſponſalia per repudium, ſecus ac olim in Latio. Diſſolutis vero ſponſalibus Praetor adhuc judicare poterat de eo, cujus culpa diſſoluta eſſent ſponſalia, & quidem vel ratione arrharum, vel ratione ejus, quod intereſt, cujus nomine certam quoque poenam adjici potuiſſe exiſtimo. Putant quidem vulgo, poenam adjectam plane non valuiſſe: ſed id ego tantum accipio de poena ea lege adjecta, ut omnino non diſſolverentur ſponſalia: (id enim fuiſſet contra leges & bonos mores) non vero prohibitum fuiſſe puto, ſi loco ejus, quod intereſt, certa adjiceretur poena, in eum caſum, ſi ſine cauſa unius culpa diſſolverentur ſponſalia. Cenſores praeterea, ſi haec omnia ceſſarent, ex aequo & bono de ſponſalibus judicare poterant, & partem, cujus culpa eſſent diſſoluta, variis modis notare. Eſt hic etiam conſiderandus locus notabilis Plutarchi in *Catone Uticenſ. pag.* 762. quem nunc non excutio. Legi etiam merentur, quae de hoc Varronis loco attulit *Ger. Noodt de Form. emend. dol. mal. cap.* 6.

(*a*) Dicitur] Adde verba ſequentia: Despondi *proprie: nam de ſponſo dicitur: quia* ſpondet *puellae pater*; deſpondet *adoleſcentis.*

(*b*) Facerent] Non eſt haec etymologia penitus rejicienda: ſed cum priori, tanquam remota cum proxima, conjungenda. (Vide *And. Dacerii not.* ad *l. c.* Ferati) Verum enim eſt, ſponſalia, aeque ac foedera, non tantum apud Graecos, ſed & apud Romanos, interpoſitis rebus divinis celebrata fuiſſe. Utrum etiam auſpicia, & auſpices in ſponſalibus adhibiti fuerint, (ut quidam volunt) pro certo affirmare non audeo, licet haud improbabile ſit. Sunt etiam, qui auſpices eosdem cum conciliatoribus & proxenetis fuiſſe exiſtimant. (Vid. *Anton. Hotomann. de ritu nupt. cap.* 2. *Alex. ab Alexandro Dier. Gen. lib.* II. *cap.* 5. ibique Interpp. *Thom. Dempſter. Paralip.* ad *Roſin. Antiqq. lib.* V. *cap.* 37. *pag.* 967.) Id etiam ex Festo *voc. prima* notari meretur, ſponſalia a veteribus prima, vel ſecunda diei hora, boni ominis cauſa, celebrata fuiſſe.

Sed & in *Curculione Act.* v. *Sc.* 2. *v.* 74. Phaedromus ita a milite ſtipulatur:

> Ph. *Spondeſne, miles, mihi hanc uxorem?* M. *ſpondeo.*

Inde ARNOBIUS *libro* IV. *adverſus gentes*, *pag.* 140. fabuloſa gentilium deorum conjugia ridens, *Uxores*, ait, *Dii habent, atque in conjugalia foedera conditionibus veniunt ante quaeſitis? Habent ſperatas, habent pactas, habent interpoſitis ſtipulationibus ſponſas?* Memini etiam idem ipſum SERVIUM grammaticum adnotare ad eum VIRGILII verſum, qui eſt *lib.* x. *Aeneid. v.* 79.

> *Quid ſoceros legere, & gremiis abducere pactas* (*a*)?

Nec vero a filiae dumtaxat patre nuptum datum iri, ſed & a patre viri ductum iri ſponſio interponebatur (*b*), ſi modo DONATO fides accommodanda eſt, qui TERENTII verba ex prima *Andriae* ſcena ad eam rem expendit, quae ita habent: *v.* 72.

> *Hac fama impulſus Chremes*
> *Ultro ad me venit, unicam gnatam ſuam*
> *Cum dote ſumma filio uxorem ut daret.*
> *Placuit: deſpondi: hic nuptiis dictus eſt dies.*

Ad conſtituenda plane ſponſalia nudus conſenſus ſufficiebat (*c*): nec quicquam intererat, utrum teſtatio interponeretur, an aliquis ſine ſcriptura ſponderet. Denique & abſenti abſens per epiſtolam vel internuntium recte deſpondebatur (*d*).[c] In tabulas tamen ut plurimum ſponſalitiae conventiones referebantur. Ex quo illud JUVENALIS *Sat.* VI. *v.* 199.

[c] *l. 4. ſufficit. l. 7. in ſponſalibus. D. de ſponſalib.*

> *Si tibi legitimis pactam junctamque tabellis*
> *Non es amaturus* (*e*).

TER-

(*a*) PACTAS] Vide etiam NONIUM *lib.* II. *num.* 811. & *lib.* v. *num.* 73. Addantur his *Conventae* ex FESTO *h. v.* & JUVENALE *Sat.* VI. *v.* 25. Non vero uno eodemque modo hae voces a doctis viris explicantur. (Vide e. g. *Anton. Hotomann. de ritu nupt. cap.* 1. *Franc. Hotomann. de Sponſal. cap.* 3. *Jac. Gronov.* ad *Gellium Noct. Att. lib.* IV. *cap.* 4. *Gundlingiana Part.* x. *pag.* 380.) Praecipua vero exinde oritur confuſio, quod non diſtinxerint inter virginem ſive ſponſam ſperatam, & inter uxorem ſperatam: prior enim appellatio ante ſponſalia; poſterior poſt ſponſalia, ante nuptias tamen, locum habet: eodemque modo inter ſponſalia ſperata, & nuptias ſperatas eſt diſtinguendum. Conventae modo eaedem ſunt cum ſperatis: modo eaedem cum pactis: modo in media quodammodo inter haſce conditione.

(*b*) INTERPONEBATUR] Si utraeque perſonae in patria eſſent poteſtate, tunc inter ſolos parentes ſponſalia poterant concludi: idque olim apud Romanos patria poteſtas ſecum ferebat, ut pater, non tantum filiam, ſed & filium inſcium & invitum deſpondere poſſet, id quod vel ex *l. c.* TERENTII apparet. Poſtea tamen, quum majeſtas illa patria in multis detrimentum caperet, & ad ſeculi mores emendaretur, receptum fuit, ut filii conſenſus requireretur, in filia vero ſufficeret, ſi non diſſentiret. Vide *Georg. Henr. Ayrer. Diſſ. de Jure Connub.* §. 4.

(*c*) SUFFICIEBAT] Nuptias etiam ſolus conſenſus faciebat: neque tamen propterea confunduntur jura ſponſaliorum & nuptiarum: aliud eſt enim conſenſus ſponſalitius; aliud conſenſus nuptialis; prior perficit ſponſalia; poſterior nuptias. Canoniſtae vero, qui haec diſtinguere neſciverunt, fabricarunt exinde duplicis generis ſponſalia, de praeſenti, (quae jure Romano non differunt a nuptiis) & de futuro, quae ſola proprie ſic dicta ſponſalia ſunt. Confer *Gundlingiana Part.* x.

(*d*) DESPONDEBATUR] Per nudum ſcilicet pactum: nam per ſtipulationem non niſi inter praeſentes celebrari potuiſſe ſponſalia, facile eſt ad intelligendum. Haec per nudum pactum conſtituta ſponſalia ab aliis non differebant, niſi in eo, quod jure civili actionem producere non poſſent.

(*e*) AMATURUS] Adde eundem *Sat.* II. *v.* 119. ex quo ſimul diſcimus, ſignatis tabulis ſollemne illud FELICITER adclamatum fuiſſe. Tabulae hae vocabantur *nuptiales*, ſive *matrimoniales*, ſive *dotales*, de quibus vide Auctoris noſtri *Select. Antiqq. lib.* 1. *cap.* 5. ejuſque Opus *de Formulis*, *lib.* VI. *pag.* 517. *ſeq.* (542.) *Th. Dempſteri Paralip.* ad *Roſini Antiqu. lib.* v. *cap.* 37. *pag.* 971. Harum tabularum originem JCtis deberi, nemo forte negabit: quod vero jam dicam, quomodo accepturi ſint eruditi, neſcio: dicam tamen. Mihi veroſimile fit, originem harum tabularum ex conventione in manus per coëmtionem eſſe arceſſendam. In mancipationibus enim Romani ſolebant conditiones in tabulas redigere, eaſque in ipſo ſollemni actu nuncupare, ut docui in *Tr.* mea *de Teſtamenti fact. cap.* 3. §. 21. *pag.* 115. Hinc JCti docuerunt, ut pacta ſponſalitia & matri-

Tertullianus in libro *de virginibus velandis cap.* 12. *Hae ſunt tabellae priores naturalium ſponſaliorum & nuptiarum.* Quae tabulae ſignatoriis eorum, qui interfuerant, annulis obſignabantur (*a*). Unde Juvenalis de nuptiis contrahendis agens, *Sat.* x. *v.* 336.

Veniet, ait, *cum ſignatoribus auſpex.*

Apulejus *Apolog.* ii. *pag.* 539. *Habes, Aemiliane, cauſam totam, cur tabulae nuptiales inter me & Pudentillam non in oppido ſint, ſed in villa ſub urbana conſignatae.* In argumentum etiam contractorum ſponſaliorum a ſponſo ſponſae arrhae dabantur: quemadmodum ex Paulo *lib.* ii. *Sententiarum Recept.* & ex Gratiani, ac Valentiniani, aliorumque Imperatorum conſtitutionibus intelligimus (*b*). [d] Quin & annulus ſponſae pignoris loco mittebatur, quem *pronubum* Tertullianus in lib. *de cultu feminarum* (*c*) vocat, *Aurum*, inquiens, *nulla norat, praeter uno* (al. *unico*) *digito, quem ſponſus oppigneraſſet pronubo annulo.* Isidorus Hispalensis *lib.* xix. *Etymolog. cap.* 32. *Feminae*, ait, *non uſae ſunt annulis, niſi quos virgini ſponſus miſerat: neque amplius quam binos aureos in digitis babere ſolebant.* Idem *lib.* ii. *de divin. offic.* ſive *offic. eccleſ. cap.* xix. *Quod in primis*, ait, *nuptiis* (*d*) *annulis a ſponſo ſponſae datur, fit nimirum vel propter mutuae dilectionis ſignum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Unde & quarto annulus digito inſeritur, ideo, quia in eo vena quaedam, ut fertur, ſanguinis ad cor uſque perveniat.* Quam eandem rationem Gellius [e] & Macrobius [f] ex Appione & Attejo Capitone reddunt, cur apud Romanos communi aſſenſu receptum eſſet, annulum in digito, qui minimo vicinus eſt, quem & medicinalem vocant, atque adeo manu praecipue ſiniſtra geſtare. Nicolaus quoque Pontifex ad conſultationem Bulgarorum reſcribens, ut eſt apud Gratianum *c.* 4. *cauſ.* 30. *qu.* 5. *Et poſtquam*, ait, *arrhis ſponſam ſibi ſponſus per digitum fidei annulo inſignitum deſponderit.* Sed & hunc ipſum morem Juvenalis a me ſubjecti verſus indicant: *Sat.* vi. *v.* 25.

d *l.* 38. *ſi qui officium D. de ritu nupt. l.* 3. *Arrhis. l.* 5. *mulier. C. de ſponſalibus & arrhis.*

e *l.* i. *Noct. Attic. cap.* 10.

f *lib.* vii. *Saturnal. cap.* 13.

Conventum tamen, & pactum, & ſponſalia noſtra
Tempeſtate paras, jamque a tonſore magiſtro
Pecteris, & digito pignus fortaſſe dediſti.

His a Paulo [g] relatam ſpeciem adjungamus licet, in qua ſponſum alienum annulum ſponſae muneri miſiſſe proponit. Ferreum vero annulum, eumque ſine gemma, ſponſae mitti aetate ſua conſueviſſe Plinius *lib.* xxxiii. *Naturalis Hiſtoriae*, *cap.* i. auctor eſt (*e*). Ceterum a qua aetate ſponſalia contrahi olim poterant, ex Mo-

g *In l.* 36. *ſi donatae.* §. 1. *D. de donation. int. vir. & ux.*

trimonialis in tabulas redigerentur, eaque in ipſo ſollemni coëmtionis actu nuncuparentur. Unde Isidorus *Origg. lib.* ix. *cap.* 5. tabulas haſce matrimoniales vocat *inſtrumenta emptionis.* Adde eundem *lib.* v. *Origg. cap.* 24.

(*a*) Obsignabantur] Qui ideo *ſignatores* vocabantur, & ſine dubio iidem erant cum teſtibus, qui ſponſalibus intereſſe ſolebant, ſive conditiones in ſcripturam redigerentur, & ſignarentur; ſive ſine ſcriptura ſponſalia celebrarentur. Non vero certum teſtium numerum in ſponſalibus requirunt leges uſquam: unde duos teſtes ſuffeciſſe exiſtimo. Majoris tamen ſollemnitatis gratia plures plerumque adhibitos fuiſſe facile credo, & ex conſuetudine fortaſſis decem. Ita intelligo locum Ambrosii *de lapſu virginum*, *cap.* 5. *Nam ſi inter decem teſtes confectis ſponſalibus, nuptiis conſummatis, quaevis femina, viro conjuncta mortali, non ſine magno periculo perpetrat adulterium* &c. Nam decennarius numerus non erat neceſſarius, niſi ſimul ſponſa in manus ſponſi per confarreationem conveniret, de qua infra: ex qua tamen conſuetudine numerus iſte decennarius originem forte habere potuit. Signatores illos non tantum ſponſalibus, ſed & nuptiis deinceps interfuiſſe, putat *Mercerus* in *not.* ad *Alex. ab Alex. lib.* ii. *cap.* 5.

(*b*) Intelligimus] De arrhis hiſce, aliiſque donationibus, quae ſub communi ſponſalitiae largitatis nomine comprehendi ſolent, vide *Chriſt. Godofr. Hoffmanni Diſſ. de donatione propter nuptias*, §. 3. *Georg. Henr. Ayrer. Diſſ. de jure connub.* §. 5. *Ant. Hotomann. de ritu nupt. cap.* 10. Oſculum etiam interdum, non tamen ſemper, ſponſalibus interveniſſe, colligi poteſt ex Tertulliano *de virgin. veland. cap.* ii. & ex *L.* 15. *C. de donat. ante nupt.* Conf. *Jac. Gothofredi Comment.* ad *L.* 5. *C. Theod. de ſponſal.*

(*c*) Feminarum] Locus non in hoc libro, ſed in *Apologia*, *cap.* 6. legitur.

(*d*) Nuptiis] Haec vox non legitur in *ed. Opp. Colon.* 1617. *fol.* Ibi paulo poſt pro *dilectionis* legitur *fidei*, & pro *ideo quia in eo* ibi legitur: *quod per eum.*

(*e*) Auctor Est] Plinius tamen non expreſſe dicit, hunc fuiſſe annulum pronubum. Aut ergo dicendum eſt, praeter annulum

Modestino *lib.* 4. *Differentiarum* liquet, cujus ipſamet verba ponam: [h] *In ſponſalibus contrahendis aetas contrahentium definita non eſt, ut in matrimoniis. Quapropter a primordio aetatis ſponſalia effici poſſunt, ſi modo id fieri ab utraque perſona intelligitur: id eſt, ſi non ſint minores quam ſeptem annorum.* Quae verba certam nominatim ſponſalibus contrahendis praeſcriptam aetatem non fuiſſe ſignificant. Quamquam quod ad legis Papiae praemia attinet, ea demum ſponſalia probari admittique Auguſtus conſtituit, quibus biennio poſt juſtae ac legitimae nuptiae accedere poſſent, ut proinde minores natu decem annorum virgines fruſtra ſponſae haberentur. Cujus rei conſtituendae cauſa fuit, quod ſponſaliorum obtentu, quae ad exitum & effectum brevi perduci per ſponſarum immaturam aetatem non poterant, legi fraudem fieri animadvertiſſet. Id quod ex Dione *lib.* LIV. *pag.* 532. didici, cujus haec ſunt verba: *Ὡς δ' ἂν βρέφη τινὲς ἐγγυώμενοι, τὰς μὲν τιμὰς τῶν γεγαμηκότων ἐκαρποῦντο, τὸ δὲ ἔργον αὐτῶν οὐ παρείχοντο, προσέταξε μηδεμίαν ἐγγύην ἰσχύειν, μεθ' ἣν οὐδὲ δυοῖν ἐτοῖν διελθόντοιν γαμήσει τις, τουτέστι δεκάτιν πάντως ἐγγυᾶσθαι τόν γέ τι ἀπ' αὐτῆς ἀπολαύσοντα. Δώδεκα γὰρ ταῖς κόραις ἐς τὴν τοῦ γάμου ὥραν ἔτη πλήρη, καθάπερ εἶπον, νομίζεται.* Quorum verborum ſententiam quia nec aſſecutus eſt, nec expreſſit interpres, ego in eorum gratiam, quibus Graeca lingua minus innoteſcit, in Latinum ea convertam, ut potero. *Quoniam autem,* ait Dio, *quidam infantes puellas deſpondentes, praemiis quidem conjugum fruebantur, ceterum effectum rei, & conjugum opus non praeſtabant, ea ſponſalia vires nullas habere conſtituit, poſt quae duobus tranſactis annis ſponſa duci minime poſſet: Hoc eſt, ut omnino decennis virgo deſponderetur, ſi quidem ex ea commodi quid capere ſponſus vellet. Duodecimo namque anno virgo matura viro & nubiiis, ut jam ante dixi, exiſtimatur.* Quam eamdem Auguſti conſtitutionem Zonaras *Annal. lib.* x. *pag.* 536. totidem prope verbis retulit, quae ſunt ab ejus interprete, ne quem debita laude fraudem, fidelius, ac planius quam ab illo altero, viro alioquin erudito, ac bene de Graecis merito, reddita. Atque hoc nimirum eſt, quod breviter, ac ſtrictim more ſuo Tranquillus in ejuſdem principis vita ſcribit his verbis: [i] *Cumque etiam immaturitate ſponſarum, & matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi ſentiret, tempus ſponſas habendi coarctavit.* Quo procul dubio pertinet Caji [k] locus, quem ex ejus *lib.* I. *ad L. Juliam & Papiam* Pandectarum concinnatores delibarunt. In eo ita eſt: *Saepe juſtae ac neceſſariae cauſae non ſolum annum, vel biennium, ſed etiam triennium, aut quadriennium, & ulterius trahunt ſponſalia: veluti valetudo ſponſi, ſponſaeve, vel mortes parentum, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes, quae ex neceſſitate fiunt.* Itaque a ſeptimo anno utiliter quidem contrahi ſponſalia potuiſſe non dubium eſt: verum eorum demum ſponſaliorum nomine, quae cum virginibus decem ad minus annos natis contraherentur, ex lege Papia commodi lucrive quid percipi poterat (*a*).

h *l.* 14. *in ſponſalibus. D. de ſponſ.*

i *cap.* XXXIV.

k *l. pen. D. de ſponſalib.*

De Nuptiis, earumque temporibus.

Haec de ſponſalibus, quae viam ad explicanda nuptiarum ſollemnia muniant, breviter praedicenda cenſui. Sponſalibus factis, conſequens erat nuptiis diem dici. Nec vero temere, & e re nata, ac quolibet, prout incidiſſet, die nubebant: ſed in ea re non levem menſium, temporum ac dierum delectum habebant. Nonarum certe Calendarum (*b*) poſteros omnes dies a nuptiis habitos alienos, Sex. Pomp.

nulum illum aureum pronubum, qui in ipſis ſponſalibus ſponſae a ſponſo dabatur, alium ferreum deinde miſſum fuiſſe: aut conſuetudinem, quae Plinii aetate adhuc obtinuit, poſtea mutatam fuiſſe neceſſe eſt. Vario modo conciliationem tentarunt eruditi: Vide, praeter ſcriptores generales de ſponſalibus & de annulis, nec non Interpretes ad loca Tertulliani & Plinii laudata, *Petri Mulleri Diſſ. de annulo pronubo*, (quae prodiit *Jenae* 1672. 4.) *cap.* 6. *Frid. Aug. Junii Commentationem de annulo Romanorum ſponſalitio*, (quae prodiit *Lipſ.* 1744. 4.) §. 14. *ſeqq.* [qui tamen utrique auctores nihil ſingulare afferunt, ſed in ſententia *Fr. Junii*, quam in *notis* ad *Tertullianum* propoſuit, adquieſcunt.] Confer etiam *Conr. Rittershuſii Epiſt.* ad *Kirchmannum*, quae cum *Epiſtoll. Marq. Gudii* edita fuit, *num.* 174. *pag.* 247. *Fr. Lindenbrogii not.* ad *Terent. Eunuch. Act.* III. *Sc:* 4. *v.* 3.

(*a*) Poterat] Conf. *Jo. Gottl. Heineccii Comment.* ad *L. Jul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 5. Ultimo loco adhuc notandum eſt, ad ſponſalia, aeque ac ad nuptias, multos ſaepe adhibitos fuiſſe amicos, eoſque ſplendida plerumque coena, in domo ſponſae, ejuſve patris, ex horumque ſumptibus, exceptos fuiſſe, de qua infra auctor agit.

(*b*) Calendarum] Immo & Iduum & Nonarum: quia omnes poſteri ſive poſtridiani, ut vocantur, dies atri habebantur: atris vero diebus nihil auſpicati fieri poterat. (Vide, praeter Festum *l. c.* Macroaium *Sat. lib.* I. *cap.* 15. 16. Gellium *lib.* v. *cap.* 17. Plutarchum *Quaeſt. Rom.* 25. *pag.* 269. *ſeqq.* Varronem *de ling. Lat. lib.* v. *pag.* 49. *ſeq.* Nonium Marcellum *lib.* I. *num.* 40. Ovidium *Faſtor. lib.* I. *v.* 57. *ſeqq.*)

Feriis

Pomp. Festus *libro* xii. voc. *Nonarum* ſcribit. Menſis item Majus, quemadmodum Plutarchus ἐν αἰτίοις ſive *Quaeſt. Rom.* 85. (*al.* 86.) teſtatur, nuptiis infauſtus & inauſpicatus exiſtimabatur. Ex quo illud olim vulgi ſermone tritum proverbium: *menſe Majo nubunt malae.* Ovidius *lib.* v. *Faſtor. v.* 487.

Nec viduae taedis eadem, nec virginis apta
Tempora: quae nupſit, non diuturna fuit.
Hac quoque de cauſa, ſi te proverbia tangunt,
Menſe malas Majo nubere vulgus ait.

Dies etiam alios, qui nuptiis contrahendis vitabantur, Macrobius *Sat. libro* i. *cap.* xv. recenſet: cujus ipſamet verba ſubjicere ſatius fuerit. *Nec hoc praetermiſerim*, ait, *quod nuptiis copulandis Calendas, Nonas & Idus religioſas, id eſt, devitandas cenſuerunt. Hi enim dies praeter Nonas feriati ſunt: feriis autem vim cuique fieri piaculare eſt. Ideo tunc vitantur nuptiae, in quibus fieri vis virginibus videtur. Sed* Verrium Flaccum, *juris Pontificii peritiſſimum, dicere ſolitum refert* Varro, *quia feriis tergere veteres foſſas liceret, novas facere jus non eſſet, ideo magis viduis, quam virginibus, idoneas eſſe ferias ad nubendum. Subjiciet aliquis: Cur ergo Nonis, ſi feriatus dies non eſt, prohibetur celebritas nuptiarum? Hujus quoque rei in aperto cauſa eſt. Nam primus nuptiarum dies verecundiae datur: poſtridie autem nuptam in domo viri dominium incipere oportet adipiſci, & rem divinam facere. Omnes autem poſtriduani dies, ſeu poſt Calendas, ſeu poſt Nonas Iduſve, ex aequo atri ſunt. Ideo & Nonas inhabiles nuptiis eſſe dixerunt, ne nupta aut poſtero die auſpicaretur libertatem uxoriam, aut atro immolaret, quo nefas eſt ſacra celebrari.* Idem etiam auctor *cap.* xvi. ejuſdem libri ex Varrone, *Mundus*, ait, *cum patet, deorum triſtium atque inferum quaſi janua patet. Propterea non modo praelium committi, verum etiam delectum rei militaris cauſa habere, ac militem proficiſci, navem ſolvere, uxorem liberum quaerendorum cauſa ducere religioſum eſt.* Parentalibus quoque, quae menſe Februario celebrabantur, conjugium propter infauſtos & ominoſos ejuſmodi dies vitandum eſſe, Ovidius *libro* ii. *Faſtorum* praecipit his verſibus: *v.* 555.

Poſtea praeteriti tumulis redduntur honores,
Prodigiiſque venit funeribuſque modus.
Dum tamen haec fiunt, viduae ceſſate puellae,
Expectet puros pinea taeda dies.
Nec tibi, quae cupidae matura videbere matri,
Comat virgineas haſta recurva comas.
Conde tuas, Hymenaee, faces, & ab ignibus atris
Aufer, habent alias moeſta ſepulchra faces.

Pomponii tamen nuptias pridie Idus Februar. celebratas Cicero *lib.* ii. *Epiſt. ad Q. Frat. Epiſt.* 3. indicat (*a*). Sed & Saliorum diebus feſtis abſtinendum nuptiis idem Ovidius ſuadet *lib.* iii. *Faſtor. v.* 393.

Nubere, ait, *ſi qua volet, quamvis properabitis ambo,*
Differ, habent parvae commoda magna morae.

Contra conjugio aptiſſimum eſſe id tempus, quod Idus Junias ſequitur, oſtendit *lib.* vi. *v.* 221. quo loco filiae diuturnam ſalutem precatus ita concludit.

Hanc ego cum vellem genero dare, tempora taedis
Apta requirebam, quaeque cavenda forent.
Tunc mihi poſt ſacras monſtratur Junius idus
Utilis & nuptis, utilis eſſe viris.
Primaque pars hujus thalamis aliena reperta eſt,
Nam mihi ſic conjunx ſancta dialis ait.

Atque

Feriis etiam nuptias celebrare haud licebat: quidam tamen viduis hoc permiſerunt. (Vide, praeter Macrobium *ll. cc.* Plutarchum *Quaeſt. Rom. num.* 102. *al.* 103. *ſive* 105. *pag.* 289. Conf. *Corn. Phil. Hoffmanni Diſcurſum hiſtorico-juridicum de die & nocte nuptiali. Reg.* & *Lipſ.* 1731. 4.

(*a*) Indicat] Quod tamen Ovidio non adverſatur. Hic enim ſignificat tantum, Feralibus, ſive Parentalibus, nuptias non fuiſſe celebratas, quae poſtea demum incidebant.

Atque ad hunc ſuperſtitioſum dierum nuptialium delectum referenda ſuſpicor haec CICERONIS ex *lib.* II. *Epiſt. ad Q. fratrem Ep.* 4. verba (*a*): *De noſtra Tullia, tui mehercule amantiſſima, ſpero cum Craſſipede nos confeciſſe. Dies erant duo, qui poſt Latinas habentur religioſi; ceteroquin confectum erat.* Jam ubi nuptiis dictus dies venerat, maxima citra comendam ornandamque ſponſam cura impendebatur. Quod priuſquam exponam, recte atque ordine facturum me puto, ſi uſurpatas ab antiquis matrimoniorum contrahendorum formas aperiam. Tribus autem generibus uxores quaeſitas *Formae matrimoniorum* invenio: *Uſu, Farre, Coëmptione.* ARNOBIUS *lib.* IV. *adverſus gentes pag.* 140. *Uxores enim Dii habent, atque in conjugalia foedera veniunt conditionibus ante quaeſitis? uſu, farre & coëmptione genialis lectuli ſacramenta condicunt?* At CICERO *Topicis cap.* 3. duo tantum uxorum genera facit. *Si ita*, inquit, *Fabiae pecunia legata eſt a viro, ſi ea uxor materfamilias eſſet, ſi in manum viri non convenerat, nihil debetur. Genus eſt enim uxor: ejus duae formae › una matrum familiarum; hae ſunt, quae in manum convenerunt: Altera earum, quae tantummodo uxores habentur.* Sed enim diſcidium hoc facile ULPIANI interventu componitur: qui in manum tam farre, quam coëmptione, conveniri in *Inſtitutionum fragmentis* docet (*b*). Itaque BOETHIUS ad illum *Ciceronis* locum, *lib.* II. *Commentar.* totidem, quot ARNOBIUS, uxorum quaerendarum modos conſtituit: Et confarreationem quidem ſolis Pontificibus conveniſſe ſcribit (*c*). Tametſi a primo urbis ortu id ritus genus inſtitutum, om-

Formae matrimoniorum.

De Confarreatione.

(*a*) VERBA] Hic tamen locus pertinet non ad nuptias, ſed ad ſponſalia: in quibus concludendis dies etiam religioſos, ut in omnibus alicujus momenti negotiis, vitatos fuiſſe, non male exinde colligitur. Caeterum num haec dierum ſuperſtitioſa obſervatio ad ipſam nuptiarum ſollemnitatem, ſive ad ſollemnem domum deductionem tantum pertinuerit; an vero & in ſollemni conventione in manus ſervata fuerit, non adeo expeditum eſt. Id interim monere volo, non neceſſe fuiſſe, ut uno eodemque die conventio illa in manus, & celebritas nuptialis ſive ſollemnis domum deductio celebraretur. Nuptiarum tamen vocabulum mox in latiori, mox in ſtrictiori ſignificatione ſumitur. Vide *Ayrer. Diſſ. de jure connub.* §. 8.

(*b*) DOCET] Si duo nempe conjungantur loca, quorum alter in *Fragment. tit.* IX. (ubi de Confarreatione) reperitur; alter vero a BOETHIO ex *Inſtitutionibus* ejus adducitur in *Comm.* ſuo ad *Topic. Cic. lib.* II. ubi de Coëmtione egit. Ex quibus eluceſcit, duos fuiſſe modos nuptias celebrandi, vel per in manus conventionem, vel ſine in manus conventione. In manus conventio tribus rurſus modis fiebat, Confarreatione, Coëmtione & Uſu. Ita doctrina haec obſcura optime proponi poteſt, ut praeclare docuit *Ulr. Grupenius* in *Tr. de Uxore Rom. cap.* I. & 2.

(*c*) SCRIBIT] BOETHIUS non tantum in eo erravit, quod Confarreationem ſolis Pontificibus conveniſſe ſcribat: ſed & in eo, quod ſolam Coëmtionem pro conventione in manus habuerit, vel ſaltem putaverit, eas ſolas matresfamilias fuiſſe vocatas, quae per coëmtionem in manus convenerint. Sed hos alioſque veterum ac recentiorum errores ſolide refutavit laudatus *Grupen.* in *Ux. Rom. cap.* 4. Poteſt tamen Boëthius aliquo modo defendi, vel ſaltem excuſari. Nam (1) certum eſt, Confarreationis ritum diutius in uſu manſiſſe apud Pontifices, praeſertim apud Flamines Diales, quam apud alios homines. (2) Potuit etiam reſpicere, ad conſtitutionem Tiberii, de qua TACITUS *Annal. lib.* IV. *cap.* 16. Ab eo enim tempore Confarreatio in Flamine & Flaminica Diali non amplius fuit veri nominis conventio in manus, quoad effectus civiles; ſed tantum ſacrorum cauſa, id eſt, eatenus, quatenus hoc neceſſe erat ad ſacra publica ſimul obeunda. Quamvis vero in caeteris hominibus nihil mutaverit Tiberius, probabile tamen omnino eſt, apud alios hunc ritum per ſe in deſuetudinem plane ab eo uſque tempore abiiſſe. Quum vero Coëmtio diutius ſine dubio in uſu manſerit, hinc genericum forte nomen, *Conventio* ſcilicet *in manus*, huic ſpeciei, *Coëmtioni* nempe, κατ' ἐξοχὴν fuit attributum: quum tertius praeſertim modus, *Uſus* nimirum, non ſtatim effectus habuerit conventionis in manus, ſed exacto demum anno: id quod Boëthio & Servio fraudi eſſe potuit, quominus tam diſtincte, ut oporteret, rem propoſuerint. Multi tamen recentiores male exinde collegerunt, Confarreationem ſolam non fuiſſe modum in manus conventionis, ſed accedere debuiſſe Coëmtionem: quam opinionem, licet ſolide refutatam a laudato *Grupen. l. c.* noviſſime reſuſcitavit *Georg. d'Arnaud Conjectur. lib.* I. *cap.* 28. Argumenta ſua ducit: (1) ex CICERONE *pro Flacco cap.* 34. Putat enim Ciceronis argumentationem fuiſſe inanem, ſi tertius adfuiſſet modus, licet ille inter paucos tantum fuerit in uſu. Sed orator non alios debuit modos afferre, quam de quibus in illa cauſa, quam tractat, ſuſpicio eſſe poterat. De Confarreatione vero nulla erat ſuſpicio, non modo ob infrequentiam, ſed ob praeſentiam inprimis Pontificum. (Vide *Tract.* meam *de Teſtamentif. pag.* 81. *ſeq.*) Immo, ſi, ut probabile, matrimonium illud in provincia fuit contractum, ob eandem cauſam ne Confarreatio quidem adhiberi potuit. (2) Ex SERVIO ad *Georg. lib.* I. *v.* 31. Sed ad hoc dubium removendum idem valet, quod paulo ante de Boëthio monui: & hic tamen auctor tantum non diſertis verbis negat, confarreationem cum coëmtione fuiſſe conjunctam.

 (3) Ex

omnibuſque peraeque nuptiis far intervenisſe DIONYSIUS HALICARNASSEUS indicare videtur, cum ita ſcribit: [1] Ἐκάλουν δὲ τοὺς ἱεροὺς οἱ παλαιοὶ γάμους, ῥωμαϊκῇ προσηγορίᾳ περιλαμβάνοντες, φαῤῥακία (*a*), ἐπὶ τῆς κοινωνίας τοῦ φαῤῥος, ὃ καλοῦμεν ἡμεῖς ζέαν. *Veteres vocarunt ſacras nuptias Romana voce Confarreationem, a communione farris, quod nos Zeam vocamus.* Idem ſubjicit, non nuptiis modo, ſed & ſacrificiis omnibus, far a priſcis Latinis adhibitum (*b*). Quod & ARNOBIUS *lib.* VII. *adverſus gentes pag.* 232. teſtatur. *Tus*, ait, *neque ipſe Romulus, aut religionibus artifex* in *comminiſcendis Numa, aut eſſe ſcivit, aut naſci: ut pium far monſtrat, quo peragi mos fuit ſacrificiorum ſollemnium munia.* OVIDIUS *lib.* 1. *Faſtor. v.* 337.

[1] lib. 2. Antiquit. pag. 95.

Ante Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica ſalis.
Nondum pertulerat lachrymatas cortice myrrhas
Acta per aequoreas hoſpita navis aquas.
Tura nec Euphrates, nec miſerat India coſtum,
Nec fuerant rubri cognita fila croci.

ASCONIUS in III. *contra Verrem oration.* ſive in *Accuſat. lib.* 1. *cap.* 2. *pag.* 69. *Nefarium eſt, quod ſacra polluit, farre pio ſolita celebrari.* Incruenta quippe, & a ſanguine pura priſca ſacrificia ex Numae inſtituto erant, atque ut PLUTARCHUS in *ejus vita, pag.* 65. loquitur, Ἀναίμακτοι, αἱ πολλαὶ δι' ἀλφίτου, καὶ σπονδῆς, καὶ τῶν εὐτελεστάτων ποιούμεναι (*c*): *Incruenta ſacrificia farina & libatione vini plerumque faciebant, & rebus ſimpliciſſimis.* Quinetiam inter ejus inſtituta idem auctor hoc refert, *pag.* 69. Μὴ θύειν ἄνευ ἀλφίτων. *Ne ſacrificent ſine frugibus.* VALERIUS MAX. *lib.* II. *Memorabil. cap.* 5. *ex.* 5. de priſcis Romanis agens: *Erant adeo continentiae attenti, ut frequentior apud eos pultis uſus, quam panis eſſet. Ideoque in ſacrificiis Mola, quae vocabatur, ex farre & ſale conſtat.* Mola quippe, ſecundum SEXTI POMP. FESTI *lib.* XI. *h. v.* interpretationem, nihil aliud erat, quam far toſtum & ſale aſperſum: & quod eo molito hoſtiae aſpergerentur, inde Molae nomen invenit. VIRGILIUS *lib.* II. *Aeneid. v.* 133.

Et

(3) Ex ipſa natura Confarreationis. Quia enim hic ritus tantum fuit ſacer, ille non potuit producere effectus civiles. Sed licet ritus eſſet ſacer, fuit tamen ſimul ritus jure civili approbatus, & hinc effectus quoque producere potuit civiles. Produxiſſe vero confarreationem effectus etiam civiles, clariſſime patet ex TACITO *Annal. lib.* IV. *cap.* 16. Quid enim opus fuiſſet, ut Tiberius in Flaminica Diali effectus confarreationis civiles tolleret, ſi non niſi in ſacris habuiſſet effectum. Putat quidem *G. d'Arnaud* effectus illos civiles perveniſſe ex conjuncta Coëmtione. Sed ſic Flamines ipſi & Flaminicae effectus civiles impedire potuiſſent, ſi Coëmtionem modo intermiſiſſent, ut nulla adeo lege fuiſſet opus. (4) Ex numero decennario teſtium, qui duplicem interceſſiſſe ritum indicaret. Sed ULPIANUS expreſſe dicit, in ſola confarreatione decem teſtium praeſentiam neceſſariam fuiſſe. Si ergo acceſſiſſet coëmtio, alii quinque, vel potius ſeptem (connumeratis libripende & anteſtato) teſtes intervenire debuiſſent. Nihil ergo eſt, quod perſuadeat, confarreationem cum coëmtione fuiſſe conjunctam. Quum tamen in Flaminibus Dialibus Confarreatio poſt legem Tiberii non amplius haberet effectus civiles: coëmtionem fortaſſis adhibere etiam debebant, ſi re vera & civiliter Flaminica in manus Flaminis convenire vellet. Sed quum omnes in manum conventiones ab iis uſque temporibus rarae eſſent, hoc fortaſſis nunquam fuit factum. Confarreationis tamen ritus, ita ut a Tiberio fuit temperatus, inter Flaminem & Flaminicam Dialem ſemper ſine dubio manſit in uſu: in caeteris vero hominibus haud dubie ab iis uſque temporibus plane ceſſavit. Ita conciliari poſſunt diverſae opiniones *M. Vertranii Mauri de jure liber. cap.* 30. & *G. d'Arnaud l. c.* qui tamen & in eo errat, quod veſtigium harum nuptiarum in *L.* 66. *D. de donat. inter vir. & ux.* reperiſſe ſibi viſus ſit: aquam enim & ignem in omnibus nuptiis ſollemnibus adhibitum fuiſſe infra videbimus.

(*a*) Φαῤῥακία] *Frid. Sylburgius* in *notis* ad *h. l.* notat, Farratia nuſquam apud Latinos reperiri. Ego tamen puto, veteres promiſcue, Confarreationem & Farreationem uſurpaſſe: ex quo poſteriori verbo Dionyſius φαῤῥακία efformavit.

(*b*) ADHIBITUM] Differebat tamen ſine dubio uſus farris in ſacrificiis & nuptiis communibus a ſpeciali farris uſu in Confarreatione. In hac enim, praeter fruges & molam ſalſam, libum ſive panem etiam farreum (antiquiſſimis forte temporibus pultem) adhibitum fuiſſe, ex PLINIO & ULPIANO poteſt colligi: qua de re pluribus egit Cel. *Grupen.* in *Ux. Rom. cap.* 4. ubi bene etiam illis reſpondit, qui Numam farris demum uſum introduxiſſe putant. Caeterum utrum de libo ſive pane illo farreo utrique, maritus & uxor, ſimul veſci ſoliti fuerint, ut mihi fit probabile, in ſilentio veterum neque affirmari, neque negari tuto poteſt.

(*c*) Ποιούμεναι] In *ed. Francof. Opp.* legitur πεποιημέναι. Paulo poſt pro ἄνευ ibi legitur ἄτερ.

Digitized by Google

Et ſalſae fruges, & circum tempora vittae.

Ubi SERVIUS, *Salſae fruges*, ait, *ſal & far, quod dicitur mola ſalſa: qua & frons victimae, & foci aſpergebantur, & cultri. Fit autem de borna fruge, & borno ſale. Ut Horatius: Et borna fruge.* Quae HORATII verba habentur *lib.* III. *Carmin. Od.* XXIII. *v.* 3. Ex quo eodem loco in fine duos itidem verſus proferam, in quibus ita eſt:

Mollibit averſos Penates
Farre pio, & ſaliente mica.

Quo genere loquendi etiam TIBULLUS utitur *Elegia* IV. *lib.* III. *v.* 9.

Et vanum, ait, *metuens* (al. *ventura*) *bominum genus, omina* (Sic enim lego) *noctis*
Farre pio placant, & ſaliente ſale.

Simili modo OVIDIUS *lib.* IV. *Faſtor. v.* 407.

Farra Deae, micaeque licet ſalientis bonorem
Detis, & in veteres turea grana focos.

At VIRGILIUS non in *ſecundo* dumtaxat *Aeneid.* unde paulo ante verſum retuli, ſed & *lib.* XII. *v.* 173. fruges ſalſas dixit.

Dant fruges, inquit, *manibus ſalſas.*

Quod SERVIUS interpretatur, far & ſal: *quibus rebus*, ait, *& cultri aſpergebantur & victimae.* Quo exemplo ARNOBIUS *lib.* III. *adverſus gentes pag.* 114. *Niſi tura*, inquit, *& ſalſas fruges Dii acceperint, nequeunt bene facere* (*a*). Idem *lib.* VI. *init. pag.* 189. *Non tura, neque fruges ſalſas, non denique vinum liquens paterarum effuſionibus inferamus.* Eaque de cauſa Mola ſalſa dicebatur. HORATIUS *lib.* 2. *Sermon. Sat.* III. *v.* 200.

Ante aras, ſpargiſque mola caput, improbe ſalſa.

Et MARTIALIS alicubi (*lib.* VII. *Epigr.* 53. *v.* 5.)

Conſumpſi ſalſaſque molas, & turis acervos.

OVIDIUS farra mixta ſale dixit *lib.* I. *Faſtor.* in his verſibus: (127.)

Inde vocor Janus, cui cum Cereale ſacerdos
Imponit libum, farraque mixta ſale.

Far plane genus eſſe frumenti optimi SERVIUS in *lib.* I. *Georg. v.* 73. adnotat. Ceterum ut Latini, farreas molas, ita Graeci κριθινὰς οὐλὰς, *molas ex bordeo*, ſacrificiis ſuis adhibebant, quemadmodum eſt ab EUSTATHIO accurate copioſeque expoſitum in *lib.* I. *Iliad.* qui ex DIONE οὐλὰς, *molas*, eſſe docet, τὸ μίγμα τὸ ἐκ κριθῆς καὶ ἁλῶν, *miſtura ex bordeo & ſale.* Meminit & SUIDAS in verbo οὐλοθυτεῖν. Quo in vocabulo mendum eſſe apud MOSCHOPULUM in *lib.* περὶ σχεδῶν admoneo: ubi ὀλαὶ pro οὐλαὶ legitur. Quem errorem ipſa ſatis definitio convincit. Sic enim explicat: Αἱ ἁλσὶ μεμιγμέναι κριθαὶ καὶ τοῖς θύμασιν ἐπιβαλλόμεναι. *Sale mixtum bordeum, & victimis impoſitum.* Sed ut ad propoſitum tandem aliquando redeat oratio, conſentanea his, quae de farris uſu diximus, PLINIUS, propius ad noſtrum argumentum accedens, *lib.* XVIII. *natural. biſtor. cap.* III. tradit. *Quin & in ſacris*, ait, *nibil religioſius confarreationis vinculo erat: novaeque nuptae farreum praeferebant..* Unde APULEJUS *lib.* 2. *Metamorpb. ſ. de aſino aur. pag.* 843. matrimonium confarreare dixit. Nec vero uxorem duci olim, niſi ſacrificiis peractis (*b*), potuiſſe SERVIUS notat in. III *Aeneid.* ad eum verſum: (136.)

Con-

(*a*) BENE FACERE] Locus, quem auctor ex memoria fortaſſis adduxit, ita hodie legitur: *Niſi enim tura, & ſalſas accipiant fruges, benefacere Dii nequeunt.*

(*b*) PERACTIS] Multiplex ſacrificiorum & precum uſus erat in nuptiis: nam & ante nup-

Connubiis arviſque novis operata juventus.

Inde Seneca in *Octavia Actu* IV. *v.* 688.

—— —— Vidit attonitus tam
Formam Senatus, tura cum ſuperis dares,
Sacraſque grato ſpargeres aras mero,
Velata ſummum flammeo tenui caput.
Et ipſe lateri junctus atque haerens tuo
Sublimis inter civium laeta omina
Inceſſit, habitu atque ore laetitiam gerens
Princeps ſuperbo. Talis emerſam freto
Spumante Peleus conjugem accepit Thetin.

Valerius Flaccus *lib.* VIII. *Argonautic. v.* 243.

Inde ubi ſacrificas cum conjuge venit ad aras
Aeſonides, unaque adeunt, pariterque precari
Incipiunt, ignem Pollux undamque jugalem
Praetulit, ut dextrum pariter vertantur in orbem (*a*).

Et mox: (*v.* 278.)

Primus & ecce fero, quatioque hanc lampada veſtro
Conjugio: primus celebro dotalia ſacra.

Plane apud Hetruſcos & Priſcos Latinos in conjunctione nuptiali a novo marito & a nova nupta primum porcum immolari conſueviſſe Varro *lib.* II. *de re ruſtic. cap.* IV. auctor eſt. Ut ut ſit, quo ritu olim confarreatio peragere-tur, unus Ulpianus, ac ne is plene quidem, explicat in fragmentis Titulorum ex ejus corpore excerptorum, *Tit.* IX. cum ita ſcribit: *Farre convenitur in manum certis verbis, & teſtibus decem praeſentibus, & ſollemni ſacrificio facto, in quo panis farreus adhibetur* (*b*). Quemadmodum autem confarreatione jungebantur, ita

nuptias, & in ipſis nuptiis, & poſt nuptias rem divinam faciebant. Vide Festum *voc. ſpondere:* Servium ad *Aeneid.* IV. *v.* 166. Macrobium *Sat. lib.* I. *cap.* 15. Confer de ſacris nuptialibus *Ulr. Grupen. Tr. de Uxore Rom. cap.* 4. *Georg. Henr. Ayrer. Diſſ. de jure connub.* §. II. Quamvis vero in omnibus nuptiis ſacrificia adhiberentur, nihilominus tamen peculiaria fuiſſe quaedam ſacrificia, quae in ſola celebrabantur Confarreatione, omnino eſt credibile.

(*a*) Orbem] Ex hiſce verbis peculiarem nuptiarum ritum eruere voluit *Caſp. Barthius Adverſar. lib.* II. *cap.* 10. Sed ego in ſilentio veterum haec verba ad communem precantium ritum referre malo.

(*b*) Adhibetur] Ulpianus ſine dubio in hoc titulo non tantum de Confarreatione plenius egit: ſed & de caeteris in manum conveniendi modis: verum haec omnia temporis injuria perierunt. Dum tamen ſignificat, hunc ritum non ſolis ſacrificiis, ſed & certis verbis in praeſentia teſtium fuiſſe explicatum, eo ipſo indicat, fuiſſe ritum non modo ſacrum, ſed & civilem ſimul. Qui tamen exinde concludunt, coëmtionem quoque acceſſiſſe, illi refutantur, quod veteres coëmtionem ſemper a confarreatione diſtinguant. Potuit tamen & in confarreatione ſollemnis aliqua traditio novae nuptae in manus mariti intercedere, ſive ea a patre tutoribuſve, ſive a Pontificibus facta fuerit. Immo quum Pontificum praecipue partes eſſent in hoc negotio peragendo, non improbabile forte eſt, Pontifices ſponſam primum manu apprehendiſſe, & quaſi captam abduxiſſe, deinde vero eam marito ſollemniter tradidiſſe. Eatenus igitur admitti forte poteſt, in hiſce in ſpecie nuptiis raptum ſimulatum fuiſſe, ſimulque adeo in iis raptum Sabinarum fuiſſe quodammodo repraeſentatum, id quod jam quidam ſuſpicati ſunt. Eſt ſane haec probabilior ſententia, quam *Jac. Raevardi* ad *Legg.* XII. *Tabb. cap.* 26. & *Georg. d'Arnaud Conject. lib.* I. *cap.* 27. qui uſucapionem uxorum ex raptu Sabinarum deducere volunt. Et licet non negem, in omnibus nuptiis ſollemnibus ſponſam per vim ſimulatam abreptam fuiſſe: (de quo ritu infra) hoc tamen non impedit, quo minus ſingulari quadam ratione in confarreatione raptus quidam, ſive captura ſimulata intercedere potuerit. Sum quoque aliquando in eam delatus opinionem, conventionem in manus in univerſum originem habuiſſe ex raptu Sabinarum. Quum enim viri revera in tales mulieres, tanquam captas, ſummam haberent poteſtatem, Romulus hanc certis legibus certiſque ritibus adſtrinxit. At tales conjecturas nemini obtrudo, ſed libero eruditorum judicio relinquo. Poſſumus & alios quoſdam confarreationis ritus ex Servii ſchedis, quae poſt Briſſonii demum obitum lucem adſpexerunt, diſcere: veluti (*1*) conjun-

ita diffarreatione conjugia dirimebantur (*a*) Sex. Pomp. Festus *lib.* iv. *b. v. Diffarreatio genus erat ſacrificii, quo inter virum & mulierem fiebat diſſolutio: dicta diffarreatio, quod fieret farreo libo adhibito.* Sed omiſſam ſuo jam tempore confarreandi adſuetudinem, aut certe inter paucos retentam, Tiberius Imp. apud Cornelium Tacitum *Annal. libro* iv. *cap.* 16. narrat. Igitur ad alia duo matrimoniorum genera, coëmptione & uſu contracta, gradum faciamus. Prioris Cicero in *Oratione pro Muraena cap.* 12. meminit (*b*) Concipi vero certis verbis coëmptionem ſolitam idem indicat *lib.* 1. *de Oratore cap.* 56. cum ait: *Nam neque illud eſt mirandum, qui, quibus verbis coëmptio fiat, neſciat, eundem ejus mulieris, quae coëmptionem fecerit, cauſam poſſe defendere.* De ejus certe formula, totoque adeo coëmptionis ritu, quod proferam, aliud nihil habeo, praeterquam quod eſt a Boethio *lib.* ii. *commentarior. ad Topica Ciceronis cap.* 3. ex Ulpiani *Inſtitutionibus* relatum. Boëthio certe in ipſis lapſae jam Latinitatis ruinis, &, ut ita dicam, parietinis nato, ut & aliis ejusdem ſeculi ſcriptoribus tantum tribuo, quantum eum ex veterum libris, quibus nos injuria temporum orbati ſumus, hauſiſſe video. Nec enim ſum neſcius, eum in illis ſuis Topicorum commentariis (quorum ſex dumtaxat libri, ex ſeptem, quos ſe conſcripſiſſe ipſemet *lib.* 1. *de differentiis topic.* teſtatur, ad nos ſalvi pervenerunt) in craſſos ac ſupinos errores eſſe prolapſum. Quale illud eſt, quod ad explicationem ejus loci adfert, quo Cicero *cap.* 2. legem jubere ſcribit, *Aſſiduo aſſiduum vindicem eſſe.* Quod juſſum legi Aeliae Sentiae (etenim Sanctiae, contra ejus, ut exiſtimo, mentem libri impreſſi ſcriptum habent, quando nulla ejus nominis lex in veterum monumentis, quod ſciam, extat) attribuit: cujus utique nec interpres eſſe Sextus Aelius, ex quo interpretationem aſſidui Cicero producit, potuit: ac nec ipſe Tullius ex ea lege, quae poſt ejus demum obitum imperante Auguſto in aliam penitus ſententiam lata eſt, exemplum, niſi fatidico ſpiritu & mentis afflatu, proferre. Qui error eo pernicioſior eſt, quod ex ejus commentariis in ordinem verborum Ciceronis manavit. Etenim imperitus quidam legis verbum, quod erat a Cicerone, de lege xii. Tabularum ſentiente, ut ex Gellio patet, m ſimpliciter, ſicut & alio ejuſdem libri loco, n prolatum, explanare volens, margini ex Boëthii commentariis interpretationem vitioſam adſcripſit, quae deinde in contextum irrepſit. Quod vitium Boe-

De Coëmtione.

m *lib.* xvi. *Noct. Attic. cap.* x.

n *in loco ex comparatione cap.* 4.

junctionem per Pontificem Max. & Flaminem Dialem, per fruges & molam ſalſam. (ad *Georg.* i. *v.* 31.) (2) Aquae & ignis adhibitionem. (ad *Aen.* iv. *v.* 103. & 339.) (3) Dextrarum conjunctionem. (*ib. v.* 104.) (4) Collocationem in ſellas duas jugatas, ſuperinjecta pelle ovili, ejus ovis, quae hoſtia fuit. (*ib. v.* 374.) Sed hoſce ritus (praeter Pontificis Max. & Flaminis Dialis praeſentiam) in aliis quoque nuptiis ſollemnibus locum habuiſſe probat *Grupen. l. c.* At pro Servio tamen dici poteſt, vel hoſce ritus originem babuiſſe ex confarreatione, & poſtea demnm in aliis quoque nuptiis fuiſſe adhibitos; vel illos alia etiam ratione in confarreatione, alia vero in reliquis nuptiis intereeſſiſſe. Id quoque notari meretur, Confarreationem per tonitru fuiſſe diremtam, teſte Servio ad *Aen.* iv. *v.* 339. & 374. Id quod neque in dubium vocandum, neque ad communia nuptiarum auſpicia vel ſacrificia trahendum eſt. Tonitru enim per ſe vel bonum vel malum auſpicium facit: ſunt tamen quidam actus, (v. g. comitia & confarreationes) qui ſemper per tronitu dirimuntur & vitiantur.

(*a*) Diaimebantur] Ad hocce Divortiorum genus pertinet locus notabilis Plutarchi in *Quaeſt. Rom. num.* 49. (*al.* 50.) ad quem intelligendum ſciendum eſt, olim Flamini Diali plane divortium facere non licuiſſe, ex ſingularibus vero rationibus hoc permiſiſſe Domitianum. Debebat tamen fieri per Diffarreationem, quia Flaminica iis adhuc temporibus per confarreationem in manus Flaminis (licet ſacrorum tantum cauſa ſine effectibus civilibus) conveniret. In caeteris nuptiis confarreatis, quum eae adhuc in uſu eſſent, non plane quidem prohibitum erat divortium: ſed difficilius tamen forſan, quam in aliis matrimoniis, & non niſi cauſa per Pontifices cognita, permittebatur.

(*b*) Meminit] Hunc, ut & ſequentem Ciceronis locum, ad hanc Coëmtionem plane non pertinuiſſe, putat *Ulr. Grupen. de Ux. Rom. cap.* 5. Sed ego nondum ſufficientem video rationem, cur huc non pertinuerint. Nam (1) quod ad locum priorem attinet, licet formula illa *Ubi tu Cajus es, ego Caja*, in omnibus nuptiis fuerit adhibita, id tamen non impedit, quo minus JCti κατ' ἐξοχὴν Cajas eas appellaverint mulieres, quae per coëmtionem in manus convenerunt; quemadmodum ſingulari quadam ratione eae Matresfamilias appellantur, quae in maritorum manu ſunt, licet quaevis alias femina honeſta ſui juris ita appellata fuerit. Senes tamen coëmtionales huc non pertinere conſentio. (2) Quod ad poſteriorem locum attinet, licet fatear, feminas non coëmiſſe maritos, poteſt tamen locutio illa: *coëmtionem facere*, paſſive accipi, pro per coëmtionem in manus convenire. Nihil igitur impedit, quominus haec loca ad coëmptionem nuptialem pertineant. In eo tamen lubens conſentio, ipſam coëmtionis vocem non ſemper ad nuptias & conventionem in manus eſſe referendam.

altiſſimas deinde radices in omnibus codicibus egit (*a*). Similiter & illud apud Boethium nota dignum eſt, quod maximae capitis diminutionis exemplum a deportatione ſumit: o qua tamen conſtat, libertate ſalva, ſolam civitatem amitti. Nam deportati quidem ἀπόλιδες fiunt, & ad peregrinitatem rediguntur, ceterum libertatem naturalem, & ea omnia, quae meri ſunt gentium juris, retinent. p Et quamvis erroris ejus Callistratus, aut forte Calliſtrati titulo Tribonianus, patronus advocari poſſit (*b*), q non eo tamen ab inſtituta accuſatione deſtiſtam: in eaque ſubſcriptores melioris notae veteres omnes conſultos habebo: qui mediae capitis diminutioni, aquae & ignis interdictionem, & eam, quae in ejus locum ſucceſſit, deportationem ſubjiciunt. r Verum haec nihil ad hujus libri inſtitutum pertinent: ad quod ut redeam, ipſamet Boethii de coemptionis ritu verba recenſebo. *Coëmptio*, ait, *certis ſollemnitatibus peragebatur: & ſe ſe in Coëmendo* (perperam enim in impreſſis codicibus *communicando* legitur) *invicem interrogabant: vir ita;* An ſibi mulier materſamilias eſſe vellet? *illa reſpondebat:* velle. *Item mulier interrogabat;* An vir ſibi paterſamilias eſſe vellet? *ille reſpondebat:* velle. *Itaque mulier in viri conveniebat manum, & vocabantur hae nuptiae per coëmptionem, & erat mulier materfamilias viro loco filiae.* Haec ille: quae totidem verbis refert Servius (*c*) in *lib.* iv. *Aeneid. v.* 214. occaſione ſumpta ex illis Virgilii verbis;

o lib. 11. commentar. in locum: ab adjunctis, cap. 4.

p l. 17. ſunt quidam §. 1. D. de poenis. l. 1. ſi incertus § 2. D. de legat. 3. l. 13. Idem eſt § 2. D. de milit. teſt.

q l. 5. cognitionum. § ult. D. de var. & extraord. cognit.

r Ulpianus in fragment. Tit. xi. §. 12.

Repulit, & dominum Aeneam in regna recepit.

Idem ad eum ex *lib.* 1. *Georgicor.* verſum; (31.)

Teque ſibi generum Thetis emat omnibus undis.

Quod ait: emat, inquit ille, *ad antiquum nuptiarum pertinet ritum; quo ſe maritus & uxor invicem emebant: ſicut habemus in jure.* Quo etiam Virgilium reſpexiſſe Nonius Marcellus in *lib. de propriet. ſermon. antiq. lib.* xii. *num.* 50. exiſtimat: cui interpretationi & Isidorus *libro* v *Etymolog. cap.* 24. accedit (*d*). Coëm-

(*a*) Egit] Varia ratione locum Ciceronis emendarunt Critici: vide *Interpretes & Jac. Gothofredum* ad *legg.* xii. *Tabb. Tab.* i.

(*b*) Possit] Callistratus errori Boethii non patrocinatur. Ille enim duas tantum ſpecies capitis deminutionis facit, & ſub magna comprehendit maximam & mediam; libertatem vero intelligit non tantum juris gentium, ſed & juris civilis ſive Quiritarii. (Vide de h. l. *M. Lyclama Membr. lib.* 1. *cap.* 22. *Henr. Bernh. Reinold. Var. cap.* 29. *Ger. Noodt Obſerv. lib.* 11. *cap.* 21. *Guil. Beſt Rat. emend. legg. pag.* 51. *ed. Lipſ.* quoſque ibi in notis laudat. *Jo. Wendelin. Neuhaus.*) Boethius vero, dum diſtincte tres recenſet ſpecies, deportationem non ad maximam, ſed ad mediam capitis deminutionem referre debuiſſet. Confuſio tamen libertatis juris gentium & juris civilis errandi forſan cauſam illi praebuit.

(*c*) Servius] Hi ergo ſcriptores ſine dubio ex eodem hauſerunt fonte. Sunt, qui de hiſce interrogationibus dubitent. Cel. *Gerard. Meerman* in *Diſſ. de rebus mancipi* §. 208. *ſeq.* eas illo tantum caſu admittit, quando mulier ſui juris in mariti manum convenerit. Ego tamen potius cum Ampl. *Grupen. cap.* 5. §. 17. ſentio, qui in omni coëmtione haſce interceſſiſſe interrogationes exiſtimat. Immo fortaſſis & in aliis in manum conveniendi modis intercedebant, quam tamen opinionem, utpote nullo veterum teſtimonio ſuffultam, nemini obtrudo.

(*d*) Accedit] Ex hiſce locis multi collegerunt eruditi, mutuam emtionem viri & mulieris in Coëmtione interceſſiſſe: quam ſententiam noviſſime reſuſcitavit *Georg. d'Arnaud Conject. lib.* i. *cap.* 26. qui (1) in genere provocat ad teſtimonia Boëthii, Servii, Iſidori, Nonii. Sed quod ad *Nonium* attinet, eum ad generales potius nuptiarum, quam ad coëmtionis ritus pertinere, docuit *Grupen. l. c. Boethius & Servius* ad *Aen.* iv. *v.* 214. de mutua tantum interrogatione; non de mutua emtione loquuntur. Idem etiam *Servius*, dum *ib. v.* 103. dicit: *Coëmtio eſt, ubi libra & aes adhibetur, & mulier atque vir inter ſe quaſi coëmtionem faciunt:* non diſerte dicit, illos ſeſe invicem coëmiſſe. Faciebant quidem utrique coëmtionem: ſolus tamen maritus emebat mulierem. Remanet ergo ſolus locus *Servii* ad *Georg. lib.* 1. *v.* 31. & *Iſidori. l. c.* qui ultimus ſua ſine dubio ex priori hauſit, eaque novis auxit commentis. Sed hi auctores nihil valent contra rationem juris. (2) In ſpecie urget rationem, quam addidit Iſidorus: *ne videretur ancilla uxor.* Sed quemadmodum in omni contractu cauſa reſpiciebatur: ita ex ipſa coëmtione, ejuſque tabulis, ſatis apparebat, maritum matrimonii cauſa, &, ut ſibi eſſet filii loco, uxorem emiſſe. (3) Putat, mulierem ſine emtione non potuiſſe locum adquirere in familia & in ſacris mariti. Sed vidit ipſe, hocce dubium exemplo adoptionis infringi poſſe, & hinc objicit, adoptionem publica populi, vel magiſtratus ſaltem auctoritate confirmatam fuiſſe. At, licet coëmtio intra privatos tantum parietes celebraretur, potuit tamen, vel lege, vel conſuetudine,

Coëmtionem porro imaginariis venditionibus peractam (*a*), ut & adoptionem, credibile eſt: in eaque facienda nummos aliquot dicis cauſa interveniſſe. Id enim in aliis quoque legitimis actibus obſervabatur, in quibus ſpecie tenus Mancipationum ſollemnia repraeſentanda erat. Cujus moris veſtigia a nobis in noſtris nuptiis uſurpari quidam opinantur, tredecim nummorum numeratione. Ego ex Barbararum coloniarum, quae in Gallias ex Germania migrarunt, ſerroque & armis ſedes occuparunt, moribus id in uſu manſiſſe potius crediderim. Tam enim Burgundiones, quam Saxones, uxores ſuas a parentibus vel tutoribus earum, emiſſe obſervavi: idque ex *capite* ſeu *titulo* XIV. & XXXIV. earum legum, quas Gundobaldus, Rex, Burgundionibus ſcripſit, & ex *Tit.* VI. IX. & XVII. legum Saxonicarum patet. Idque pretium nuptiale appellatur in *Tit.* XII. legum Burgundionum, & erat CCC. Solidorum ex Saxonum legibus: ut *caput* VI. docet (*b*). Enimvero quae coëmptione in manum convenerant uxores, proprie matrumfamilias nomine exaudiebantur, ut CICERO *Topicis cap.* 3. auctor eſt (*c*). GELLIUS *lib.* XVIII. *cap.* VI. *Illud compendio probabilius eſt, quod idonei vocum antiquarum enarratores tradiderunt, matronam dictam eſſe proprie, quae in matrimonium cum viro conveniſſet, quoad in eo matrimonio maneret: etiam ſi ſibi liberi nondum nati forent, dictamque eſſe ita, a matris nomine, non adepto jam, ſed cum ſpe & omine mox adipiſcendo: unde ipſum quoque matrimonium dicitur. Matrem autem familias appellatam eſſe eam, quae eſſet in mariti manu, mancipioque, aut in ejus, in cujus maritus manu, mancipioque eſſet: quoniam non in matrimonium tantum, ſed in familiam quoque mariti & in ſui heredis locum veniſſet.* Eadem harum vocum differentia a SERVIO traditur in *lib.* XI. *Aeneid. v.* 476. quem quisquis cum Gellio contulerit, non dubitabit *mancipi*, pro *mancipia*, ſemel atque iterum mendoſe apud illum ſcriptum eſſe. Matrisſamilias vero ex ULPIANI *lib.* LIV. aut. LIX. *ad edictum* (variant enim codices) nobis a TRIBONIANO in *l.* 46. §. 1. *D. de. V. S.* propoſita definitio, verbis, in quorum interpretatione verſabatur, aptata fuit, non ad priſci ſermonis proprietatem relata (*d*). Illud conniventibus oculis praetereundum non eſt, quod in viri ſamiliam veniſſe GELLIUS ſcribit eam, quae in manum

ne, effectum habere, ut mulier per eam, ſicuti in manum, ita etiam in familiam ſacraque mariti tranſiret. (4) Denique poſt alios ad ipſam etiam ſignificationem vocis *coëmtionis*, & phraſis *coëmtionem facere* provocat. Sed quemadmodum phraſis illa *coëmtionem facere* totum denotat actum, adeoque tam de muliere, quam de viro dici poſſit, licet hic ſolus proprie emerit: ita etiam ipſa *coëmtionis* vox non neceſſario mutuam ſignificat emtionem, ut jam probavit *Grupen. cap.* 5. §. 5. & 16. Immo Coëmtionem plurium rerum ſimultaneam emtionem potius denotaſſe; & ideo hunc in manus conveniendi modum ita vocatum fuiſſe, quia maritus cum uxore ſimul bona ejus emeret, acute conjecit Nobiliſſimus *Gerardus Meermannus* in *Acceſſionibus* ad *Diſſ. laud.* quas mecum amice communicavit.

(*a*) PERACTAM] Sive per aes & libram, (ut ait SERVIUS ad *Aen.* IV. *v.* 103.) vel, quod idem eſt, per mancipationem: ut late probarunt *Ulr. Grupen. cap.* 5. §. 6. *ſeqq.* Cl. *Meerman* in *Diſſ.* laudata §. 206. *ſeqq.* & ipſe in *Tract. de Teſtamentif. pag.* 8. *ſeq.* In feminis, quae ſub patria erant poteſtate, nullam habet dubitationem, quin a patre emtae fuerint per aes & libram: id quod probari etiam poſſet ex marmore quodam Patavino, quod ex *Connano*, *Tiraquello*, aliiſque adduci ſolet, ſi modo de antiquitate ejus ſatis conſtaret. In perſonis vero ſui juris dubitari adhuc poteſt, quomodo per mancipationem emtae fuerint. (Vide quae hac de re diſſerunt Viri laudati, *Ulr. Grupen.* §. 17. & *Ger. Meerman* §. 208. *ſeq.*) Ego vero non dubito, quin mulier ſui juris ſe ipſam mancipare potuerit. (Ad quam formulam forte alludit PLAUTUS in *Bacch. Act.* 4. *ſc.* 1. *v.* 60. & in *Mil. glor. Act.* III. *Sc.* 1. *v.* 23.) Nullus enim veterum indicat, in ipſa coëmtionis forma differentiam aliquam fuiſſe inter mulieres ſui juris, & ſub patria poteſtate conſtitutas. In omni tamen in manus conventione mulierum ſui juris tutoris auctoritate opus fuiſſe, paulo poſt ipſe auctor obſervat.

(*b*) DOCET] De veteri emtione uxorum populorum Germanicae originis vide *Nicolai Hieronymi Gundlingii Diſſ. de emtione uxorum. Lipſ.* 1731. 4. *Georg. Henr. Ayrer. Diſſ. de jure connubiorum apud veteres Germanos. Gotting.* 1738. *Jo. Gottl. Heineccium*, alioſque *Juris Germanici* ſcriptores.

(*c*) AUCTOR EST] Immo CICERO, GELLIUS & SERVIUS *ll. cc.* ſignificant potius, per omnem in manus conventionem uxorem matrem familias in ſenſu proprio factam fuiſſe: ut adeo non attendenda ſint, quae ex BOETHIO & alio SERVII loco in contrarium afferantur. Vide tamen, quae ſupra pro defendendis, vel ſaltem excuſandis hiſce ſcriptoribus attuli.

(*d*) RELATA] Matrisfamilias enim, aeque ac Matronae, appellatio varias admittit ſignificationes. Vide *Ulr. Grupenium de Ux. Rom. cap.* 1. §. 5. *ſeqq.*

num conveniret (*a*). Nam hujus in alienam familiam tranſitus ratione, capite minui cenſebatur: indeque in minimis capitis minutionibus conventio in manum numeratur. ULPIANUS *Tit.* XI. *Fragmentor.* §. 13. *Minima capitis diminutio eſt, per quam, & civitate, & libertate ſalva, ſtatus dumtaxat hominis mutatur: Quod fit adoptione, & in manum conventione.* Hinc illuſtratur, quod CICERO in *Topicis cap.* 4. ſcribit: *Si ea mulier teſtamentum fecit, quae ſe capite nunquam diminuit, non videtur ex edicto Praetoris ſecundum eas tabulas poſſeſſio dari.* Ubi BOETHIUS: *Mulieres*, ait, *antiquo jure tutela perpetua continebat. Recedebant vero a tutoris poteſtate, quae in manum conveniſſent. Itaque fiebat eis priorir ſtatus permutatio, & erat capite deminuta, quae viri conveniſſet in manum.* Quod autem de perpetua mulierum tutela BOETHIUS notat, ULPIANI verbis comprobatur, quae ſub *Tit.* XI. *Fragmentor.* §. 1. ſunt poſita. Sic autem habent: *Tutores conſtituuntur tam maſculis, quam feminis: ſed maſculis quidem impuberibus dumtaxat, propter aetatis infirmitatem: feminis autem tam impuberibus, quam puberibus, & propter ſexus infirmitatem, & propter forenſium rerum ignorantiam.* CICERO pro *Muraena cap.* 12. *Mulieres omnes propter infirmitatem conſilii majores in tutorum poteſtate eſſe voluerunt.* Quamobrem Auguſtum memoriae proditum eſt, ſummi beneficii loco, & jure ſingulari, Liviae uxori & Octaviae ſorori conceſſiſſe, τὰ σφέτερα ἄνευ κυρίου τινὸς διοικεῖν *ſua ſine tutore adminiſtrare.* Haec enim ſunt DIONIS *lib.* XLIX. *pag.* 414. hoc ipſum referentis verba: quae indultum eis fuiſſe ſine tutore auctore res ſuas gerere ſignificant. Quod & Veſtalibus licuiſſe PLUTARCHUS in *Numa pag.* 66. docet, qui inter reliqua earum virginum privilegia hoc recenſet: Καὶ τ' ἄλλα πράττειν ἄνευ προστάτου διαγούσας ὥσπερ αἱ τρίπαιδες, *& alia facere ſine tutore, tanquam quae tres liberos haberent.* Sed enim inter mulierum ac pupillorum tutores lata erat differentia. Nam pupillorum quidem pupillarumque tutores, ut ULPIANUS in *Fragment. Tit.* XI. §. 25. explicat, & negotia gerebant, & auctoritatem interponebant: Mulierum autem tutores auctoritatem dumtaxat interponebant. Idcirco Ca-
a lib. XXXIV. cap. 2. to apud LIVIUM [a] majores voluiſſe dicebat, nullam ne privatam quidem rem
* cap. 7. feminas ſine auctore agere. Cui L. Valerius apud eumdem * reſpondens: *Numquam*, inquit, *ſalvis ſuir exuitur ſervitus muliebris, & ipſae libertatem, quam viduitas & orbitas facit, deteſtantur.* Unde APULEJUS *Apolog. pro ſe ipſo ſecunda pag.* 561. emptionis a Pudentilla factae teſtem, ut auctorem, ejus tutorem Caſſium Longinum vocat. *Adeſt*, ait, *etiam tutor, auctor mulieris, vir graviſſimus & ſanctiſſimus, omni cum honore mihi nominandus, Caſſius Longinus. Quaere, Maxime, cujus emptionis auctor fuerit?* Ex illa vero tutorum differentia CICERO *Topicis cap.* 11. argumentum a diſſimili ita ducit: *Non, quemadmodum quod mulieri debeas, recte ipſi mulieri ſine tutore auctore ſolvas, ita quod aut pupillae, aut pupillo de-*

(*a*) CONVENIRET] Id quod latius probarunt *Ulr. Grupen. de Ux. Rom. cap.* 3. §. 2. *ſeqq.* & *Georg. d'Arnaud Conject. lib.* 1. *cap.* 29. Hinc de iis, quae in manus convenerunt, recte & proprie dicitur, quod *enubant* e gente paterna, & *innubant* in gentem mariti. (Vide LIVIUS *lib.* 1. *cap.* 34. & *lib.* x. *cap.* 23.) Quo pertinere arbitror, quod NONIUS MARCELLUS *lib.* 11. *num.* 432. ſcribit, *innubere* a veteribus dictum fuiſſe pro *tranſire*, licet auctor *Select. Antiqq. lib.* 1. *cap.* 18. ad ſimplicem domum deductionem trahat. Non tamen propterea neceſſe fuiſſe arbitror, ut uxor nomen gentilitium mariti adſumeret, ut adoptati adoptantis: licet ita cenſeant *Thom. Reineſius* in *Synt. Inſcript. pag.* 42. & 402. *Nic. Hier. Gundlingius* in *Gundlingianis Part.* XXXVII. *num.* 1. §. 17. *pag.* 103. *Ulr. Grupen.* in *Ux. Rom. cap.* 3. §. 23. *Staniſlaus Santinelli in Diſſ. de diſciplina & mor. fem. cap.* 2. *pag.* 101. *ſeqq.* Quemadmodum enim adſumtio nominis gentilitii non praebet argumentum tranſitionis in gentem: (nam & liberti patroni & novi cives ejus, cujus beneficio civitatem impetraverant, nomen gentilitium adſumebant, & tamen non fiebant illorum gentiles) ita etiam tranſire aliquis in gentem alicujus poterat, ut tamen propterea non mutaret nomen ſuum gentilitium. Uxores etiam proprie non fiebant, ut adoptati, maritorum filiae: ſed erant tantum, quoad juris quoſdam effectus loco filiarum. Contrarium praeterea (ut de Livia, Auguſti uxore, ſileam, quod ipſe ſibi exemplum objecit *Santinelli*) patet ex LIVIO *lib.* x. *cap.* 23. Ibi enim Virginia, Volumnii uxor, e patribus enupſiſſe dicitur: quod dici de ea non potuiſſet, niſi conveniſſet in manum mariti) & tamen nomen ſuum gentilitium retinuit. Miror vero, *Jo. Gottl. Heineccium* in *Synt. Antiqq. lib.* 1. *tit.* 10. §. 6. exinde probare voluiſſe, uxores maritorum nomina adſumſiſſe, quod nomen mariti ſaepiſſime uxoris nomini in ſecundo caſu adjiciatur. (ut v. g. Marcia Catonis apud LUCANUM *lib.* II. *v.* 343.) Quis enim non videt, hanc eſſe ellipticam locutionem, & ſubintelligi vocem *uxor*. Vid. SERVIUS *lib.* 1. *Aeneid. v.* 45. & conf. *Gisb. Cuperi Harpocratem, pag.* 127. (*pag.* 489. *Tom.* II. *Theſ. Antiqq. Poleni*) *Raph. Fabretti Inſcriptt. pag.* 56. *ſeqq.*

debeas, recte poſſis eodem modo ſolvere. Ubi Boethius *lib.* iv. *Comment.* (nam, quae ab eo bene dicta ſunt, non reticeo) *Mulieres*, ait, *antiquitus perpetua tutela tenebantur: pupilli item ſub tutoribus agunt. Sed mulieribus, ſi quid debitum fuiſſet, ſine tutoris auctoritate poterat ſolvi: pupillis vero minime.* Et mox: *Illae perpetua tutela etiam provecta jam aetate continentur: Illorum tutelae certus annorum numerus terminum facit. Differt enim perſona mulierum a perſona pupillorum vel in eo, quod pupilli non perpetua reguntur tutela: mulieres vero perpetua. Vel quod pupillus nullum ſuae etiam miniſtrandae utilitatis judicium habere poteſt: cum ſit aliquis mulieribus, etſi non firmus in explicanda familiaris rei utilitate delectus.* Hactenus ille. Nec tamen quod tutore minime auctore mulier promiſerat, magis debebatur, quam quod pupillus ſine tutoris auctoritate ſpopondiſſet, ut ex Cicerone pro *Caecinna cap.* 25. liquet: nec mulier, quae in tutela erat, manumittendi jus potius quam pupillus habebat, quod eſt ab Ulpiano *Tit.* i. §. 17. traditum. Praeterea pupillos ſuos adrogandos dare tutores non poterant, quod tantam eſſe tutoribus in pupillos auctoritatem poteſtatemque fas veteres non ducerent, ut caput liberum, fidei ſuae commiſſum, alienae ditioni ſubjicerent: quemadmodum ex Gellio didicimus. t At mulieri in manum convenienti tutores utiliter au- *t Libr. v. Noct. Attic. Cap. xix.*
ctoritatem praeſtabant; licet ex conventione in manum eadem prope, quae ex adrogatione, effecta ſequerentur. Et vero ſine tutorum auctoritate non potuiſſe in manum mulierem convenire Cicero *pro Flacco cap.* 34. ſatis dilucide oſtendit. Inde idem *pro Cluentio cap.* 5. *Nubit genero ſocrus, nullis auſpicibus, nullis auctoribus.* Quod autem ea tutela legitima tam a Cicerone, quam ab Ulpiano appellatur, indicio eſt lege xii. Tab. introductam. Id quod verum puto, & ex Athenienſium legibus hoc caput a Decemviris deſcriptum, quandoquidem & apud illos mulieres tutorum, quos *κυρίους* vocabant, poteſtate continerentur, ut eſt a Budaeo in *linguae Graecae Commentar.* obſervatum (*a*). Jam propinquorum tutela conventione in manum mulieres liberatas, ut Boethius ſupra citato loco perſtrinxit, mirum non eſt: cum eo modo capite minuerentur, ſtatumque ac familiam mutarent, & in virorum mancipium redigerentur, in quorum manu eas fuiſſe, etiam Cato in eo, quem paulo ante produxi, Livii loco dicit. Quinetiam in manum conveniendo mulierem cum capite fortunas quoque ſuas in familiam ac domum mariti tranſtuliſſe ſciendum eſt. Nam ut Cicero *Topicis*, *cap.* 4. in loco ab effectis, ſcribit: *cum mulier viro in manum conveniebat, omnia, quae ejus fuerant, viri fiebant dotis nomine.* Unde Boethius, uxore defuncta, quae in manum conveniſſet, bona ejus ad virum pertinuiſſe, bene colligit (*b*). Quapropter Lucio Flacco inter cetera vitio datum legimus, quod Valeriae gentilis ſuae, quae Androni Seſtilio nupſiſſe dicebatur, bona avertiſſet, ejuſque hereditate virum, ad quem ea legitimo jure pertinebat, fraudaſſet. Quod crimen Cicero in ea, quam pro eo reo dixit, *oratione cap.* 34. ita refellit, ut in manum Seſtilio conveniſſe Valeriam neget: idque argumento ab enumeratione partium ducto probat. Nam ſi in manum conveniſſe dicatur, utique uſu vel coëmptione conveniſſe eam neceſſe fuiſſe dicit, cum hae ſolae eſſent inter ejus conditionis & qualitatis perſonas uſitatae matrimoniorum ſpecies. Atque uſu convenire in manum non potuiſſe, docet hac ex jure ſumpta ratione, quod de tutela legitima,

qua

(*a*) Observatum] Immo haec tutela perpetua feminarum moribus potius fuit introducta, & hinc ſine dubio jam ante leges XII. Tabb. Romae fuit in uſu. Conf. *Jo. Gottl. Heineccii Synt. Antiqq. lib.* 1. *tit.* 13. §. 16.) Immo, ſi dicendum quod res eſt, haec conſuetudo olim univerſalis fuiſſe videtur, ut adeo ad jus gentium ſecundarium, ut vocant, quodammodo referri queat. Caeterum de tutela perpetua feminarum poſt alios accuratiſſime egit Vir Ampliſſ. *Ever. Otto.*

(*b*) Colligit] Mulier igitur, quae in mariti manu erat, perinde ut filiafamilias, nihil habebat proprii, &, ſi quae illi a viro concederentur, ea jure peculii cenſebantur, & hinc poſt ejus mortem ad virum rurſus recidebant, ut adeo talis mulier nullum proprie heredem vel ſucceſſorem habere potuerit. Hinc minus accurate loquuntur, qui dicunt, mulierem & maritum ſibi invicem ſucceſſiſſe: nam mulier quidem ut ſua heres ſuccedebat, ipſa vero non magis, quam filiafamilias, ſucceſſorem habebat. Poterat tamen, ut puto, mulier in manum conveniendo quaedam ex bonis ſuis recipere ſibique expreſſo pacto retinere, quae exinde vocabantur *bona receptitia*, ut ſervus receptitius apud Gellium *lib.* xvii. *cap.* 6. Caeterarum vero mulierum, quae non in maritorum manu erant, bona nulla ad maritum pertinebant, niſi quae ſpecialiter in dotem eſſent data. Reliqua bona, & ſine expreſſa receptione, manebant mulieris propria, &, ſi quae ex iis marito ſponte utenda concederet, ea proprie *parapbernalia* vocabantur: licet haec denominatio in latiori ſenſu de omnibus interdum bonis mulierum propriis adhibeatur. Ita optime diſſenſum veterum recentiorumque JCtorum componi poſſe ſtatuo.

qua majorum more Valeria continebatur, nihil potuerit abſque tutorum omnium auctoritate uſu diminui; ut proinde ei non licuerit, tutoribus minime auctoribus factis, alienae ſe ditioni ſubjicere, in alienamque familiam ſe & bona ſua transferre. A quo non abhorret, quod idem *lib.* 1. *Epiſt. ad Attic. Ep.* 5. ita ſcribit: *De Tadiana re mecum Tadius locutus eſt, te ita ſcripſiſſe, nihil eſſe jam, quod laborares, quoniam hereditas uſu capta eſt. Id mirabamur, te ignorare, de tutela legitima, in qua dicitur eſſe puella, nihil uſucapi poſſe* (*a*). Diminuendi enim verbo in hanc ſententiam uſos veteres apparet ex Senatuſconſulto de petitione hereditatis. v Coëmptione vero, quod erat alterum partitionis membrum, in manum peraeque convenire non potuiſſe Valeriam contendit, cum ei rei auctoritatem Flaccus, qui e tutorum numero erat, non praeſtitiſſet: ac per hoc ſine eo auctore dicta ab ea dote nihil actum eſſe, ibidem adſeverat. Quod & in *Oratione pro Caecinna cap.* 25. pro certo ac conſtanti ponit. Ideoque ex lege Julia de maritandis ordinibus (*b*) a Praetore urbano tutor mulieri virginive, quae ex ea ipſa lege nubebat, ad dotem dandam, dicendam, promittendamve dabatur, ſi legitimum tutorem ea non haberet, ut eſt ab ULPIANO memoriae proditum. x Atque haec erant jura, quae ſibi conventionis in manum beneficio maritus in bonis uxoris vindicabat. Vice verſa etiam uxor eorumdem & bonorum & ſacrorum cum viro ſocia ac particeps fiebat (*c*). Qua communione merito exiſtimavit Romulus inter ſe arctiori vinculo colligatos conjuges iri. Eſt enim hujus rei origo ab ejus legibus arceſſenda, quibus hoc comprehenſum fuiſſe DIONYSIUS HALICAR. auctor eſt: y Γυναῖκα γαμετὴν κατὰ νόμους ἱερὺς συνελθῦσαν ἀνδρὶ κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι χρημάτων τε καὶ ἱερῶν. *Uxorem, quae ſecundum leges ſacras in manum convenerit viri, participem etiam eſſe bonorum & ſacrorum omnium.* Unde mirum non eſt, Nuptias a MODESTINO z divini & humani juris conjunctionem definiri, & a GORDIANO a uxorem rei divinae & humanae ſociam appellari (*d*). Quapropter nec turpe judicium ob res viro ſubtractas adverſus eam dari prudentibus placuit, b quam ſocietas vitae quodammodo dominam faceret. Hinc quoque forte ab initio moribus comparatum fuit, ut ne inter conjuges factae donationes valerent. Quod & aliis poſtea rationibus utile viſum eſt (*e*). Quas inter etiam hanc PLUTARCHUS ἐν Αἰτίοις ſive *Quaeſt. Rom.* 7. *pag.*

v *l.* 20. *Item veniunt. §.* 6. *Item placere. & l.* 21. *deperditum. D. de petition. hered.*

x *Tit.* XI. *§.* 20.

y *lib.* II. *pag.* 95.

z *in l.* 1. *D. de ritu nupt.*

a *in l.* 4. *adverſus. C. de crim. expil. hered.*

b *l.* 1. *D. rer. amot.*

(*a*) POSSE] Immo in hoc loco ſermo eſt de tutela pupillari, & de rebus tantum pupillae, non de ejus perſona. Nam ſi haec regula valuiſſet de perpetua feminarum viri potentium tutela, nunquam ſane uſucapio locum habere potuiſſet contra ſexus ſequioris perſonas. Minus recte ergo *Georg. d'Arnaud Conject. lib.* 1. *cap.* 27. ex hoc loco concludit, mulieres ſui juris non potuiſſe uſu in manum convenire, quae opinio ex loco CICERONIS *pro Flacco, cap.* 34. ſatis refellitur, quem fruſtra emendat, vel potius corrumpit ille.

(*b*) ORDINIBUS] Capite XIV. juxta *Heineccium*, cujus *Commentarium* vide *lib.* II. *cap.* 13.

(*c*) FIEBAT] Non vero talis communio bonorum hic eſt ſtatuenda, qualis ex veteribus Germanorum legibus adhuc paſſim apud Germanicae originis populos obtinet: (ea enim aequalitatem quodammodo & condominium producit) ſed talis, qualis inter patrem & liberos in poteſtate conſtitutos erat. Uxor enim per in manus conventionem mariti filiafamilias quoad juris effectus fiebat. Inter maritum vero & uxorem, quae non in manu ejus erat, nulla alia erat communio bonorum, quam quae vel ex benevolentia, vel ex uſu & ſocietate domeſtica oriebatur. Sic etiam quoad ſacrorum ſocietatem magna erat differentia inter uxores, quae in manus & quae non in manu mariti erant: priores enim participes fiebant omnium ſacrorum mariti privatorum, non tantum domeſticorum, ſed & gentilitiorum, & familiarium: poſteriores vero per deductionem in domum in ſocietatem tantum domeſticorum ſacrorum veniebant. Late haſce differentias explicavit poſt alios *Ulr. Grupen. de Ux. Rom. cap.* 3. & 7. qui tamen ex paucis hiſce, quae dixi, ſuppleri & emendari poteſt.

(*d*) APPELLARI] Appellationes hae non ad ſolas nuptias per in manus conventionem contractas pertinent: ſed ad omnes: obſervata tamen differentia illa, quam priori nota ſuppeditavi: id quod optime in *L.* 4. *C. de crim. expil. hered.* indicatur per vocem *domus*, quae non ad vocem *divinae*, ſed ad antecedentem vocem *ſocia* quoad ſenſum eſt trahenda, vel ad totum comma, ita, ut idem ſit, ac *domeſticae*, vel *quoad domum*. Nulla ergo vel tranſpoſitio, vel mutatio hujus legis eſt neceſſaria: per hanc enim vocem indicatur, illam rei divinae & humanae ſocietatem in nuptiis communibus (quae eo tempore tantum in uſu erant) non ultra domeſticum uſum eſſe extendendam. (Confer quae nuper de hac lege dixi in *Relationibus litterariis Hamburg. A.* 1745. *Num.* 60. *pag.* 475.)

(*e*) EST] Inter virum & uxorem, quae in manu erat, nullae poterant locum habere donationes, quia ea, tanquam filiafamilias, unam cum marito conſtituebat perſonam. Quoad caetera vero matrimonia donationes mutuae prohibitae ſunt ob alias rationes, quas praeter PLUTARCHUM *l. c.* recenſent leges ſub hoc titulo.

pag. 265. commemorat: Ὅτι δεῖ κοινὰ καὶ γυναιξὶν εἶναι τὰ ἀνδρῶν, καὶ ἀνδράσι τὰ γυναικῶν. *Debere uxoribus virorum bona eſſe communia, & viris uxorum.* Ex iiſdem etiam Romuli legibus deſcendiſſe HALICARNASSEUS *l. c.* admonet, quod uſu apud Romanos invaluit, ut viro mortuo ſuperſtes uxor, non aliter ac patri filia, heres exiſteret; & quidem eo ſine liberis defuncto totam ex aſſe hereditatem ſibi vindicaret; liberis vero relictis, aequam cum iis partem ferret. Ac plane ſuorum heredum loco ac numero ejuſmodi uxores habitas, & perinde atque illos heredes vel exheredes ſcribi debuiſſe, ne praeteritione earum teſtamenta vitiarentur, ex veteri jurisprudentia intelligimus. Sic enim ULPIANUS in *fragmentis titulorum* ex ejus corpore excerptorum, ſcribit: [c] *Sui heredes inſtituendi* c *Tit.*
ſunt, vel exheredandi. Sui autem heredes ſunt liberi, quos in poteſtate habemus, tam XXII.
naturales, quam adoptivi. Item uxor, quae in manu eſt, & nurus, quae in manu eſt §. 14.
filii, quem in poteſtate habemus. Et alias: [d] *Adgnaſcitur ſuus heres, aut adgnaſcen-* d *Tit.*
do, aut adoptando, aut in manum conveniendo, aut in locum ſui heredis ſuccedendo. XXIII.
Quod nec SERVIUM latuit, qui in VII. *Aeneid.* ad illum VIRGILII verſum: §. 3
(423.)

——— ——— *Quaeſitas ſanguine dotes*
Abnegat, externuſque in regnum quaeritur heres.

De jure, ait, *traxit, ut non generum, ſed heredem diceret. Nam per coëmptionem facto matrimonio, ſibi invicem ſuccedebant.* His conſequens eſt, a muliere herede ſcripta viro, cui ea in manum conveniſſet, inutiliter legatum relictum fuiſſe: ut & juris ipſa ratio dictat, & ex eo inferri poteſt, quod ULPIANUS *Tit.* XXIV. *Fragmentor.* §. 24. definit, his verbis: *Ei, cujus in poteſtate, manu mancipioque eſt heres ſcriptus, legari non poteſt.* Quinetiam mancipari eam a viro potuiſſe (*a*), argumento eſt, quod SEX. POMP. FESTUS *lib.* XVI. *voc. remancipatam* ex Aelio Gallo ſcribit, Remancipatam eam dictam, quae mancipata erat ab eo, cui in manum convenerat. Itaque in eo, quod ab ULPIANO ſcriptum eſt, [e] e *Tit.* XI.
eum, qui liberum caput, mancipatum ſibi, vel a parente, vel a coëmptore, ma- §. 5.
numiſit, per ſimilitudinem patroni tutorem fiduciarium effici, videndum eſt, ne ad maritum coëmptoris nomen potius, quam ad alium quenquam, referendum ſit (*b*). Ex his ſatis patere arbitror, quid eſſet, in manum convenire. Quod loquendi genus ab APULEJO *lib.* VIII. non ſemel eſt uſurpatum. Caeterum
de uxorum uſu quaerendarum forma nihil a quoquam veterum auctorum literis *De uſu*
pro-

(*a*) POTUISSE] Vir uxorem, quae in manu ejus erat, poterat alteri rurſus matrimonii gratia, [de qua uxorum κοινωνίᾳ, (ut vocat PLUTARCHUS in *Numa*, *pag.* 76.) id eſt, *communicatione*, (ſic enim Latine vocare malo, quam *communionem*) vide *Jo. Guil. Hoffmanni lib. ſing. ad L. Jul. de Adulter. cap.* 1. §. 9. ejuſque *ſingularia capita ex hiſtoria Triumviratus*, §. 17.] vel ob alias etiam cauſas mancipare: poterat illam emancipare, ſi non amplius in manu habere, vel matrimonium plane ſolvere vellet. [Non vero ſimpliciter manumittere: quia ſimplices, ſine praecedenti imaginaria venditione, manumiſſiones ad ſolos ſervos, eoſque, qui ſervorum loco ſunt, non ad filios filiasve familias, quorum in numero erant hujus quoque generis uxores, pertinebant.] Poterat denique & debebat eam remancipare patri, ſi nempe praecedenti coëmtioni contractus fiduciae erat adjectus: & huc proprie locus FESTI laudatus ſpectat, ut jam olim ſuſpicatus ſum in *Tract.* mea *de Teſtamentifact. cap.* 3. §. 11. *pag.* 83. quam opinionem probavit Cel. *Meermannus* in *Diſſ. de rebus mancipi*, §. 207.

(*b*) SIT] Recte ita ſtatuit auctor. Senſus ergo hujus loci eſt: omnis pater fiduciarius, cui filius filiave familias (quarum in numero etiam uxores eſſe paulo ante monui) mancipatus mancipatave ſit, ſive a patre naturali, aut adoptivo, ſive a marito coëmtore, (ſine contracta ſcilicet fiducia) is manumittendo tutor efficitur. Quamvis enim maritus non ſimpliciter poſſet manumittere uxorem, utpote filiam ſuam familias: poterat tamen eam ſimpliciter manumittere extraneus, cui eam ſimpliciter mancipaverat maritus. Sic enim & naturalis pater filium filiamve familias non poterat ſimpliciter, ſine praecedenti ſcilicet imaginaria venditione, manumittere: poterat tamen hoc facere extraneus, cui ſine fiducia mancipatus mancipatave erat: quia hae perſonae intuitu extraneorum quoad hunc effectum loco ſervorum erant. Maritus ergo, perinde ut pater naturalis, ſi fiduciam interpoſuit, remancipatam uxorem manumittere, & ſic emancipare poterat, & exinde tutor ejus fieri. Quia tamen haec tutela ſine dubio odioſa erat, hinc credibile eſt, patres naturales, vel tutores legitimos, in coëmtione interpoſuiſſe plerumque contractum fiduciae, ut nimirum ſoluto matrimonio maritus uxorem vel patri naturali, vel eo mortuo, tutoribus legitimis remanciparet, ut priori caſu rurſus veniret in poteſtatem patris naturalis; poſteriori vero, manumiſſa a tutoribus ſuis legitimis, ſub horum potius, quam mariti, qui divortium fecerat, tutela maneret.

proditum reperi. Tentari quidem certe non incolorate poſſet, nec vero quid obſtet, praeter juris rationem, qua Flacci partes tueri CICERO niſus eſt, video. Uſu partas ac quaeſitas uxores eas fuiſſe, quae matrimonii cauſa in domum abſque coëmptionis ſollemnibus deductae, toto vertente anno cum viro adſueſſent: quae poſt id temporis ex XII. Tab. in manu mancipioque viri fuerint, quaſi uſu, id eſt, poſſeſſione viro mancipatae (*a*). Uſum enim pro poſſeſſione veteres dicebant. Et ita XII. Tab. ſcriptum erat: ANNUUS USUS ESTO. Unde & uſucapionis nomen. Uſum vero legitimum fuiſſe dominiorum quaerendorum & adipiſcendorum modum nemo ambigit. Et vel juris civilis auctoribus tacentibus, ejus rei unus locupletiſſimus eſſet teſtis HORATIUS *lib.* II. *Ep.* 2. *v.* 158. cum ait:

Si proprium eſt, quod quis libra mercatur & aere,
Quaedam, ſi credis conſultis, mancipat uſus.

Proinde quemadmodum res mobiles, vel ſe moventes, anno poſſeſſae, poſſeſſoris ex jure Quiritium fiebant: ita mulierem, quae cum viro una matrimonii cauſa anno integro morata eſſet, ei uxorem cum re & effectu (*b*) partam conciliatamque fuiſſe ſuſpicari poſſumus. Probabile hoc facit, quod annui hujus uſus interrumpendi interpellandique gratia trinoctio perfecto a viro uxorem abnoctare lex XII. Tab. jubebat. (*c*). Hoc enim de uſurpatione uxorum, id eſt, uſus earum inter-

(*a*) MANCIPATAE] Recte ſeſe habet auctoris ſententia, eamque noviſſime docte explicarunt & confirmarunt *Ulr. Grupen.* in *Ux. Rom. cap.* 6. & *Georg. d'Arnaud Conject. lib.* 1. *cap.* 27 Id tamen praecipue hic notandum, non ſolum matrimonium juſtum uſucapiendi titulum praebuiſſe, ſed neceſſe praeterea fuiſſe, ut ea conditione mulier, conſentiente patre tutoribuſve, matrimonium contraxerit, ut impleto anno in mariti manum conveniret. (Unde SERVIUS ad *Georg. lib.* 1. *v.* 31. minus accurate addit: *licet ſine legibus.*) Sunt tamen circa hunc in manus conveniendi modum errores adhuc quidam *Georgii d'Arnaud* notandi. Nam (1) male ille cum *Jac. Raevardo* originem hujus uſucapionis ex raptu Sabinarum deducit: mulieres enim illae raptae non poſt annum demum in maritorum manum pervenerunt, ſed ſtatim, accedente tamen ſollemni conſarreationis ritu, ex lege Romuli, ut DIONYSIUS HALICARN. ſignificat. Neque facile concipi poteſt, quomodo raptus, ſi in hocce modo fictus fuerit, effectum demum poſt annum impletum habere potuerit. Valde etiam dubitari poteſt, num hicce modus ante leges XII. Tabb. in uſu jam fuerit apud Romanos. Proxima ergo cauſa ex ipſis legibus XII. Tabb. eſt petenda: remotam vero, ſive potius occaſionem praebuit dominium Quiritarium parentum in liberos, quod & in alium transferri poterat. Quia tamen alias liberum caput uſucapi non poterat: (liberi enim reſpectu patris tantum, non aliorum, erant res) hinc peculiari lege hic in manus conveniendi modus in XII. Tabulis fuit introductus, (ut ipſe laudatus *d'Arnaud* bene obſervavit) qui prae caeteris ea haberet commoda: (α) quod non tantis in eo opus eſſet ſollemnitatibus: (β) quod uxor per illum non ſtatim in manus mariti veniret, ſed poſt annum demum exactum, ita ut interea poenitentiae locus eſſet, quam declarabat mulier, ſi intra annum adimpletum trinoctium abeſſet. Per hanc tamen abſentiam non ipſum diſſolvebatur matrimonium, (quod olim non licebat mulieribus) ſed uſucapio & in manus conventio tantum impediebatur. Quia igitur per mulieris uſurpationem ſatis ſignificabatur, illam a priori conſenſu receſſiſſe: hinc ſubſequentibus temporibus ea non amplius poterat uſucapi, neque neceſſe erat, ut hanc uſurpationem ſingulis annis iteraret, niſi novus poſtea conſenſus, iiſdem, ut antea, auctoribus, acceſſiſſet. In eo vero (2) errat *G. d'Arnaud*, quod putet, ideo peculiari lege in XII. Tabulis de uſucapione uxorum actum fuiſſe, ne illae ex vulgari uſucapione ancillae potius, quam uxores fierent. Hoc enim per ſe ex ipſo uſucapionis titulo patebat, ſicuti in coëmtione ex ipſa mancipationis lege, ut ſupra monui. (3) Etiam in eo ille errat, quod tacitum patris conſenſum in hoc in manus conveniendi modo ſuffeciſſe exiſtimet. Pater enim (aeque ac tutores) expreſſe declarare debebat, utrum mulierem in matrimonium tantum traderet, an vero in manum etiam mariti, impleto ſcilicet anno. (4) Quod mulieres ſui juris plane non potuiſſe uſu in manus convenire ſtatuat: ſed hunc errorem jam ſupra refutavi.

(*b*) EFFECTU] In manus ſcilicet conventionis.

(*c*) JUBEBAT] In eo ergo haec uſucapio inprimis differebat a vulgari, quippe quae per momentaneam etiam uſurpationem interrumpi poterat. Hoc vero ſine dubio leges ideo introduxerunt: (1) ne nimis facile haec uxorum uſucapio interrumperetur: (2) ne fieret per iracundiam, ſine deliberato conſilio: (3) ut animus mulieris certo aliquo ſigno declaretur: potuiſſet enim alias facile mulier caſu aliquo, ſine conſilio uſurpatum eundi, abnoctare. Ob haſce igitur cauſas leges trinoctium requiſiverunt, illudque continuum eſſe debuiſſe, & ante anni finem adimpleri, exiſtimo. Potuit tamen ſine dubio mulier multo etiam ante anni finem poenitentiam ſuam per trinoctii abſentiam declarare: Scaevola enim exempli tantum cauſa illud tempus affert.

Digitized by Google

interruptione, ex Q. Mutio Scaevola Gellius, [f] & ab eo mutuatus Macrobius, [g] prodiderunt. Cujus uſurpationis quae fuiſſet utilitas, non video, niſi in manum & mancipium viri per annuam poſſeſſionem mulier tranſitura fuiſſet. Quorſum enim, quaeſo, de uſurpatione annui uxorum uſus lege cautum fuiſſet, ſi nuu ejuſmodi uſu aliquid viro praeter nudum matrimonii nomen acceſſiſſet? Nam ad uxoris inane conſortium (id eſt conventionis in manum viribus deſtitutum) conſequendum, annum expectari nihil attinebat, quod mero conſenſu, mutuaque voluntate, protinus conjuges nanciſcebantur. Neceſſe eſt igitur amplius aliquid annuo uſu maritum nactum ac conſecutum fuiſſe. Quae res exiſtimandi copiam praebet, ut, quemadmodum ſervus venditus & traditus, neque tamen emptori mancipatus, nec in jure ceſſus, nec ab ipſo anno poſſeſſus, in bonis tantum ejus erat, non autem, quoad horum quid interveniſſet, ex jure Quiritium ejus fiebat. Sic quae nec farre, nec coëmptione in manum conveniſſet, ſed in domum duntaxat pro uxore deducta eſſet mulier, uxor quidem habebatur: caeterum non ante in manum viri conveniſſe cenſebatur, quam apud eum annum, nulla trinoctii abſentia interpoſita, impleviſſet. Transacta vero annua die, tum uſu viro quaeſita uxor judicabatur, pro eoque erat, ac ſi in manum ſollemnibus verbis conveniſſet, utpote uſu ac poſſeſſione, quod ſollemnitati defuerat, ſupplente. Sed haec, ut ſunt in conjectura poſita, & a me inveſtigandi tantum, non etiam adfirmandi gratia propoſita, ita a lectoribus accipi & aequi bonique conſuli velim. Liberum enim ſuum cuique de his judicium, immo vero liberam ſuſpicionem relinquo. Ad eam certe uxorum uſu quaeſitarum ſpeciem Plautus, ſive quis alius argumenti *Amphitruonis* auctor eſt, adluſiſſe videtur his verſibus:

f lib. 3. cap. 2.
g lib. 3. cap. 3.

In faciem verſus Amphitruonis Juppiter,
Dum bellum gereret cum Thelebois hoſtibus,
Alcumenam uxorem cepit uſurariam.

Adluſiſſe dico propter alia. Niſi quis malit ex alio Prologi verſu, (*v.* 108.) quo uſuram corporis ejus cepiſſe eum ſcribit, verba ea interpretari (*a*). Equidem aſſentiri iis non poſſum, qui ſolo uſu uxores cum concubinis confundere conantur (*b*). Aliud enim ſemper fuit Uxorum, aliud Concubinarum nomen. Nec uxorii nominis dignitas concubinis unquam eſt tributa. Hoc ergo inter eas, quae quoquo modo in matrimonium conveniſſent, quas Cicero tantummodo uxores, Gellius Matronas appellatas ſcribit, & Concubinas intererat, quod illae Matrimonii; hae conſuetudinis ſolius cauſa haberentur. Atque ex affectu & animo habentis ea res plerumque cenſebatur. Quamquam in liberae mulieris, ejuſque ingenuae (*c*), quae corpore quaeſtum non feciſſet, conſuetudine, non concubinatus, ſed Matrimonium intelligebatur: ut Modestinus *lib.* 1. *Regular.* ſcribit: [h] qui & illud eodem libro tradiderat, [i] Stuprum committere eum, qui liberam mulierem conſuetudinis, non matrimonii cauſa, contineret. Honeſtae quippe vitae, & ingenuam minime proſtituti corporis mulierem in concubinatu habere non licebat: ſed vel in matrimonio habere neceſſe erat, vel qui hoc recuſabat, in legem Juliam de adulteriis incidere, ſtuprique crimen committere judicabatur. [k] Ex earum vero mulierum, quae vel in matrimonio, vel in concubinatu promiſcue haberi poterant, conſuetudine utrum matrimonium, an concubinatus induceretur, ex deſtinatione animi eorum, qui eas habebant, pendebat. Nam ſi maritali eas honore & affectione viri proſequerentur, uxores; ſin minus, concubinae cenſebantur. Ex illis ſuſcepti liberi, juſti

h *l.* 24. *in liberae. D. de ritu nupt.*
i *L.* 34. *ſtuprum. D. ad L. Jul. de adult.*
k *L.* 3. *in concubinatu. D. de concubin.*

(*a*) Interpretari] Haec interpretatio priori longe eſt praeferends: nullus enim bonus ſcriptor uxorem, quae vel jam uſucapta, vel in conditione uſucapiendi eſt, uſurariam uxorem vocavit. Immo dubito, an de uxore, quae vel in matrimonium convenit cum conditione uſucapiendi, vel jam uſucapta eſt, recte & accurate dici poſſit, quod uſu tantum uxor ſit, vel habeatur.

(*b*) Conantur] Probe ſunt diſtinguendae: (1) Uxores, quae in juſtum tantum matrimonium convenerunt: (2) Uxores, quae cum conditione uſucapiendi in juſto ſunt matrimonio: (3) Uxores, quae per uſum in manus convenerunt, id eſt, quae jam uſucaptae ſunt: (4) Uxores, quae ſine connubio in matrimonio tantum juris gentium vivunt: (5) Uxores, quae in matrimonio jure civili expreſſe prohibito vivunt: quae proprie injuſtae ſunt uxores, licet & proxime antecedentes ita vocari poſſint: (6) Concubinae: (7) Pellices.

(*c*) Ingenuae] Immo forte etiam libertinae honeſtae poſt legem Juliam & Papiam Poppaeam, ut cenſet *Heineccius* in *Comment. pag.* 127. quod tamen dubitationem adhuc habere videtur, ut indicavi in notis ad Auctoris *librum ad legem Julìam de Adulteriis.*

ſti ac legitimi, ex his, vulgo quaeſiti ac ſpurii exiſtimabantur (*a*). Quamobrem obſcurum jam nemini eſſe puto, quod concubinam ex ſola animi deſtinatione aeſtimare oportere, PAULUS ſcribit. [l] Exemplum appoſitum ſuppeditat CAPITOLINUS *cap. ult.* in M. Antonino Philoſopho: qui, Fauſtina uxore mortua, a ſecundis nuptiis eum Imperatorem abſtinuiſſe ſcribit. Eniſam tamen eſſe quandam Fabiam, ut in ejus matrimonium coiret: ſed illum, ne tot liberis ſuperduceret novercam, concubinam duntaxat ſibi adſciviſſe, procuratoris uxoris ſuae filiam. Aliud etiam occurrit ex PAPINIANO *lib.* VIII. *Reſponſor.* [m] quo Coccejum Caſſianum virum clariſſimum Rufinam quandam ingenuam, pleno honore, dilexiſſe, ex eaque filiam ſuſcepiſſe memorat: cum tamen pro concubina eam habuiſſet, nec uxorio eam nomine dignatus eſſet, & filiam alumnae nomine nuocupaſſet, vulgo quaeſitam eam filiam judicatam refert (*b*). Itaque quae coocubina fuerat, mutata voluntate uxor haberi poterat. Teſtem habemus eundem PAPINIANUM *lib.* XII. Reſponſor. *Donationes*, ait, [n] *in concubinam collatas, non poſſe revocari convenit: nec ſi matrimonium inter eoſdem poſtea fuerit contractum, ad irritum recidere, quod ante jure valuit. An autem maritalis honor & affectio pridem praeceſſerit, perſonis comparatis, vitae conjunctione conſiderata, perpendendum eſſe reſpondi. Neque enim tabulas facere matrimonium.* Cui optime quadrat, quod QUINCTILIANUS *Inſt. Orat. lib.* V. *cap.* XI. ita ſcribit: *Ex contrario: Nibil obſtat, quominus juſtum matrimonium ſit mente coëuntium, etiam ſi tabulae ſignatae non fuerint. Nibil enim proderit ſignaſſe tabulas, ſi mentem matrimonii fuiſſe non conſtabit.* Mens ergo & voluntas viri uxorem a concubina (quae modo in coocubinatu retineri jure poterat) ſeparabat: cum ad matrimonii ſubſtantiam tabularum ouptialium obſignatio neceſſaria non eſſet. Unde IMP. PROBUS Fortunato reſcripſit, [o] quam liberorum procreandorum cauſa domi habuerat uxorem, non eo minus ei juſtam uxorem eſſe, quod tabulae nuptiales nullae interceſſiſſent. Dignitate item uxor a coocubina diſtinguebatur, ut noſter ULPIANUS ſignificat: [p] Atque ideo Aelius Commodus Verus, SPARTIANO referente, *cap.* 5. uxorem dignitatis eſſe nomeo, ooo voluptatis dicebat. Sed & dotiſdatio, dictio, uxores a concubinis ſecernebat. PLAUTUS *Trinum. Act.* III. *Sc.* II. *v.* 63.

Sed ut inops, infamis ne ſim, ne mibi banc famam differant,
Me germanam meam ſororem in concubinatum tibi
Sic ſine dote dediſſe magis, quam in matrimonium.

Dos enim argumentum erat certiſſimum matrimonii. Plane eam, quae uxoris loco ſine nuptiis in domo eſſet, Pellicem ex quorundam ſententia appellatam eſſe, PAULUS refert. [q] Cujus tamen vocis aliam idem interpretationem ex MASSURII SABINI *libro Memorialium* adducit, ubi rectius, meo quidem judicio, *Memorabilium* legeretur. Nam hanc fuiſſe libri cujuſdam ab eo editi ioſcriptionem, MACROBIUS *lib.* III. *Saturnalior. cap.* VI. oſteodit. At GELLIUS *Noct. Attic. lib.* IV. *cap.* 3. pellicem appellatam, probroſamque habitam, quae juncta conſuetaque eſſet cum eo, in cujus manu mancipioque alia matrimonii cauſa foret, Numae lege docet, in qua ita erat: PELLEX AEDEM JUNONIS NON TANGITO. SI TANGIT, JUNONI CRINIBUS DIMISSIS AGNUM FEMINAM CAEDITO (*c*). Ac de uxorum quidem generibus & differentiis ſatis. Ceterum antiquitus nuptiae non niſi captatis prius auguriis fiebant, iiſque faciendis Auſpices (quo nomine τὰς ἐπ' οἰωνοῖς ἱερῆς appellatos PLUTARCH. ἐν Αἰτίαις ſive in *Quaeſt. Rom.* ſcribit (*d*)) olim

l L. pen. D. de concubin.

m L. 16. cum tabulis §. 1. quoniam. D. de bis, quae ut indig.

n L. 31. Donationes. D. de donationib.

o L. 9. Si vicinis. C. de nupt.

p L. 49. Item legato. §. 4. D. de legat. 3.

q In L. 144. Maſurius. D. de verb. ſignif.

De Nuptiarum ſollemnibus.

De auſpiciis.

(*a*) EXISTIMABANTUR] Proprie tamen loquendo ex Coocubina naſcebantur liberi naturales, ſive nothi: nam vulgo quaeſiti & ſpurii proprie tantum naſcebantur ex muliere vulgari, quae ſe, ſive mercede, ſive gratis, proſtituit: id quod ipſe auctor in libro *de Jure Connubiorum* adgnoſcit. Confer *Jo. Gottl. Heineccii Syntagma Antiqq. Rom. lib.* 1. *tit.* 10. §. 19. *ſeq.* ejuſque *Comment. ad L. Jul. & Pap. Popp. lib.* 11. *cap.* 4. *pag.* 169. *ſeq.*

(*b*) REFERT] Confer *Jo. Gottl. Heineccii Comment. ad L. Jul. & Pap. Popp. lib.* 11. *cap.* 1. *pag.* 109. *ſeq.*

(*c*) CAEDITO] Olim ante legem Papiam Poppaeam differentia inter pellicem & coocubioam non obſervabatur: poſtquam vero per laudatam legem concubioatus peculiarem accepit formam, multum inter ſe differebant pellex & concubina, ut docuit laudatus *Heineccius* io Commentario ſuo ad dictam legem *lib.* 11. *cap.* 4. §. 3. & in *Synt. Antiqq. Append.* ad *lib.* 1. §. 38.

(*d*) SCRIBIT] PLUTARCHUS loco laudato dicit, Auſpices deinde Augures dictos fuiſſe. Nimirum auſpicum vocabulum, ut & auſpiciorum, eſt geoerale; Augurum, ut Auguriorum, eſt ſpeciale: ita enim ii vocabantur auſpices, qui Romae publica auctoritate ad auſpicia, ſive potius auguria, in

olim interponantur, ut VALERIUS MAXIMUS *lib.* II. *cap.* I. *ex.* I. tradit his verbis: *Apud antiquos non ſolum publice, ſed etiam privatim nihil gerebatur, niſi auſpicio prius ſumpto: Quo ex more nuptiis etiam nunc auſpices interponuntur: qui quamvis auſpicia petere deſierint, ipſo tamen nomine veteris conſuetudinis veſtigia uſurpant.* Sic TACITUS de nuptiis Meſſalinae tractans, *libr.* XI. *Annal. cap.* 27. & de Neronis cum Pythagora conjugio, *lib.* XV. *Annal. cap.* 37. agens, utrobique auſpicum adhibitorum meminit. PLAUTUS etiam in *Prologo Caſinae v.* 86.

> *Ultro*, ait, *ibit nuptum, non manebit Auſpices.*

CICERO *pro Cluentio, cap.* 5. *Nubit genero ſocrus, nullis auſpicibus, nullis auctoribus, funeſtis ominibus omnium.* LUCANUS *lib.* II. *de bello Pharſal. v.* 370.

> *Pignora nulla domus, nulli coire propinqui,*
> *Junguntur taciti, contentique auſpice Bruto.*

JUVENALIS *Sat.* X. *v.* 334.

> *Tyriusque palam genialis in hortis*
> *Sternitur, & ritu decies centena dabuntur*
> *Antiquo, veniet cum ſignatoribus Auſpex.*

SYM-

in cauſis publicis captanda conſtituti erant, certumque aliquod formabant collegium. Alii vero, qui privata tantum auctoritate, in cauſis privatis, auſpicia captabant, ii auſpices vocabantur. (Vid. FESTUS *voc. publici augures pag.* 401. & *pag.* 28. in *Fragm. ed. Amſtel.* SERVIUS ad *Aeneid. lib.* I. *v.* 402. & *lib.* III. *v.* 20. & *l.* IV. *v.* 340.) Inter hoſce igitur Auſpices erant etiam Auſpices nuptiarum. Poſtquam vero, ut CICERO *de Divinat. lib.* I. *cap.* 16. ſignificat, in cauſis privatis auſpicia peti paulatim deſierunt, & Romani extiſpicio magis operam dederunt: ſine dubio privatorum etiam auſpicum numerus ſenſim diminutus; haruſpicum vero auctus fuit. Nuptiarum tamen auſpices caeteris diutius permanſerunt, & deinceps, relictis auſpiciis, ad alia ſine dubio negotia in nuptiis adhibiti fuerunt, ut colligi poteſt ex locis laudatis CICERONIS & VALERII MAXIMI, quorum poſterior ſua ex priori hauſit. Enimvero varia adhuc oriuntur dubia, partim circa auſpicum numerum, partim circa auſpicum officia, tam antiquiora quam recentiora, partim denique circa eorum differentiam ab aliis, qui ſponſalibus & nuptiis interveniunt, quales v. g. conciliatores, proxenetae, ſignatores, paranymphi, pronubi, pronubae: de quibus multa congeſſerunt *Alexander ab Alexandro Dier. Gen. lib.* II. *cap.* 5. ibique Interpretes: *Thom. Dempſterus* in *Paralip. ad Roſin. Antiqq. lib.* V. *cap.* 37. *Anton. Hotomannus de ritu nupt. cap.* 2. *ſeqq. Georg. Henr. Ayrer.* in *Diſſ. de jure connub.* §. 10. Quod ad numerum attinet, plures quidem Auſpices adhibitos fuiſſe, vel exinde poteſt colligi, quod nomen illud ſemper in plurali occurrat numero: qui tamen putant, duos ſemper adfuiſſe, illi vitioſa TACITI *Annal. lib.* XV. *cap.* 37. lectione decepti ſunt, ut jam notavit *Mercerus* in notis ad *Alex. ab Alex. l. c.* Apud Romanos ſemper maſculi tantum ad hocce adhibebantur officium: pronubas enim pro ſponſa, ut auſpices pro ſponſo, auſpiciis operam dediſſe, nuſquam a bono proditum eſt ſcriptore; quin pro utriſque potius auſpicia captaſſe auſpices, ex loco VARRONIS infra adducendo apparet. Neque contrarium tuto colligi poteſt ex SENECA in *Troade v.* 861. Ibi enim abuſive Helena dicitur auſpex: niſi forte alia apud Graecos fuerit conſuetudo, quam nunc non inquiro. Olim quum adhuc revera captarentur auſpicia, ſine dubio ad totum nuptiarum (immo forte & ad ſponſaliorum) negotium fuerunt adhibiti, ut nihil in eo ſine Deorum voluntate, quam ex variis eliciebant ſignis, ſuſciperetur. Omnia infauſta nuptiarum recenſent TERENTIUS in *Phorm. Act.* IV. *ſc.* 4. *v.* 25. *ſeqq.* & VIRGILIUS *Aeneid. lib.* IV. *v.* 166. ibique veteres & recentiores Interpretes. Fauſta quaedam ſigna collegit *Ayrer. l. c.* Quamvis vero deinceps ſollemniter in nuptiis auſpicia petere deſierint Romani, obſervarunt tamen adhuc ſigna ominaque ſponte oblata. Sine dubio in ſacrificiis etiam nuptialibus extiſpicio operam dederunt, ideoque haruſpices adhibuerunt Romani. Quaenam igitur poſtea horum auſpicum officia fuerint, & quomodo ab aliis, qui nuptiis interfuerunt, ſint diſtinguendi, id in veterum ſilentio expediri haud facile poteſt. Fortaſſis etiam poſtea in memoriam veterum in auſpiciorum ſollemnia quaedam verba pronuntiarunt, ut colligi poteſt ex TACITO *Annal. lib.* XI. *cap.* 27. Dos etiam apud illos deponebatur interdum & obſignabatur, & hinc cum ſignatoribus tabulis totalibus & nuptialibus conficiendis intererant, ut jam ſaepe ab aliis fuit obſervatum. Caetera, quae a recentioribus traduntur ſcriptoribus, partim ſunt incerta, partim plane improbabilia. Sic incertum v. g. num ſponſum ad cubiculum euntem comitati fuerint: improbabile plane, quod ſtatuit *Mercerus* in *not. ad Alex. ab Alex. l. c.* illos in ipſo cubiculo inhoneſtis quibuſdam officiis functos fuiſſe. Si enim vel maxime ſponſum comitati fuerint, cubiculo tamen ſine dubio exierunt una cum paranymphis pronubiſque. (Vid. AUGUSTINUS *de Civ. Dei, lib.* VI. *cap.* 9.)

SYMMACHUS *lib. Epiſtoll.* VI. *Ep.* 3. *Sororem Pompejam olim, viro maturam, te auſpice, in manus optat accipere.* Huc etiam pertinet apud eum *Ep.* 14. *lib.* IV. SERVIUS in *lib.* I. *Aeneid.* ad illum verſum: (349.)

Cui pater intactam dederat, primiſque jugarat
Ominibus.

Id eſt, *auguriis. Et ſecundum Romanos locutus eſt, qui nihil niſi captatis faciebant auguriis, praecipue nuptias.* Idem in *lib.* IV. *Aeneid.* ad eos verſus: (45.)

Diis equidem auſpicibus reor & Junone ſecunda
Huc curſum Iliacas vento tenuiſſe carinas.

Dii, ait, *qui ſunt auſpices matrimoniorum, Aeneam huc venire fecerunt. Nuptiae enim captatis auguriis fiebant.* Quod ille LUCANI & JUVENALIS paulo ante prolatis teſtimoniis comprobat (*a*). Hinc CLAUDIANUS in *Epiſt. ad Serenam*, *v.* 49.

Atque utinam ſub luce tui contingeret oris,
Conjugis in caſtris, & ſolio generi,
Optatum celebrare diem! me jungeret Auſpex
Purpura, me ſancto cingeres aula toro.

Idem in *Rufin. lib.* I. *v.* 83.

—— —— *Hae auſpice taedae*
Oedipodem matri, natae junxere Thyeſten.

SENECA in *Troade Act.* IV. *Sc.* I. *v.* 859.

Quicunque hymen funeſtus, illaetabilis,
Lamenta, caedes, ſanguinem, gemitus habet,
Eſt auſpice Helena dignus.

Ac de hujuſmodi auſpicibus accipiendus eſt ille SUETONII in *Claudio* locus, *cap.* 26. quo Valeriam Meſſalinam uxorem ſupplicio adfeciſſe eum Imperatorem narrat, dote prius inter auſpices conſignata. Erat autem proſperrimi augurii nuptialibus negotiis accipitris circi altero pede claudi aſpectus, ut PLINIUS *lib.* X. *cap.* VIII. prodidit. Quin etiam his conjugalibus auſpiciis antiquitus Pilumnum & Picumnum deos deputatos NONIUS MARCELLUS, *Varronis* auctoritate adductus, in *cap.* XII. *de doctorum Indagine num.* 36. ſcribit (*b*). Sane SIXTUS Pontifex, in *lib.* De cultu. *de caſtitate*, conqueritur, ſua aetate, id eſt, Valentiniani temporibus, illum adhuc morem in uſu eſſe. His ita expoſitis tempus eſt ad novae nuptae cultum, veſtitum, ornatumque tranſeamus. Ac primum, ut a vertice incipiam, ſenis crinibus eam ornari ſolitam reperio: ſive quod is ornatus vetuſtiſſimus eſſet, ſeu quod eo virgines Veſtales ornabantur, quarum caſtitatem viris ſuis nubentes ſpondebant, quemadmodum SEX. POMPEJUS FESTUS *v. ſenis*, *lib.* XVII. tradit (*c*).

Cae-

(*a*) COMPROBAT] In SERVII Fragmentis, poſt auctoris demum obitum editis, additur: VARRO *de Pudicitia ait: Auſpices in nuptiis appellantur ab auſpiciis, quae a marito & nova nupta per hos auſpices captabantur in nuptiis.*

(*b*) SCRIBIT] Tellurem etiam in auſpiciis nuptialibus advocatam fuiſſe, tradidit SERVIUS ad *Aeneid. lib.* IV. *v.* 166. Caeterum, poſtquam auctor de auſpiciis egit, commode etiam de aliis ſacris nuptialibus, inprimis de ſollemnibus ſacrificiis, agere potuiſſet: ſed eam doctrinam ſparſim tantum attigit, partim ſupra, ubi de confarreatione, partim infra, ubi de Junone nuptiarum Praeſide egit.

(*c*) TRADIT] Quid ſit *ſenis crinibus ornari*, nondum expeditum eſt. *Joſephus Scaliger* & *Andr. Dacerius* in notis ad Feſti *l. c.* ſex crinium ſertas intelligunt. *M. Zuerius Boxhornius* in *Quaeſt. Rom.* 26. hoc rejicit, quia illud non tam peculiare nubentium, quam commune omnium feminarum fuiſſet ornamentum; & hinc putat, ſenis alicujus, ſive canis capillis novae nuptae caput fuiſſe ornatum. Sed hoc neque verbis, neque menti Feſti convenire videtur. Tentandum, num Feſtus fortaſſis intelligat ſex crinium cincinnos, annulatim dependentes, ſicuti hodie ſponſae virgines in nuptiali feſtivitate in plurimis locis ornari ſolent, qui ritus ex ultima forſan antiquitate originem habet. Significare ſane Feſtus videtur, hunc ornatum ex antiquitate in ſolis nubentibus & virginibus Veſtalibus in uſu manſiſſe. Sed meretur uberiorem hic ritus diſquiſitionem, quam aliis in praeſenti relinquo.

Coelibari praeterea haſta (*a*), quae io corpore gladiatoris abjecti occiſique ſtetiſſet, nubentis caput, eodem auctore *lib.* III. comebatur: ut quemadmodum illa fuerat conjuncta cum corpore gladiatoris, ſic ipſa cum viro eſſet: vel quia matronae in Junonis Curitis tutela eſſent, quia ita a fereoda haſta (quae Sabinorum lingua *curis* dicitur) appellabatur: vel ut fortes viros geoituram ominarentur: vel quod nuptiali jure imperio viri ſubjiciebatur nubeos, quia haſta ſumma armorum & imperii eſt. Hanc autem conſuetudinem, alia hujus inſtituti addita ratione, PLUTARCHUS in *Romulo pag.* 26. retulit: Ἔνιοι δὲ λέγουσι, καὶ τὸ τὴν κόμην τῆς γαμουμένης αἰχμῇ διακρίνεσθαι δορατίου, σύμβολον εἶναι τοῦ μετὰ μάχης καὶ πολεμικῶς τὸν πρῶτον γάμον γενέσθαι, περὶ ὧν ἐπὶ πλέον ἐν τοῖς αἰτίοις εἰρήκαμεν. *Quidam dicunt, comam uxoris diſcerni cuſpide haſtae, idque ſymbolum eſſe poſt praelium bellicum primas nuptias factas eſſe, de quibus prolixius in quaeſtionibus diximus.* Quibus verbis PLUTARCHUS nos ad eum librum rejicit, qui vulgo Ῥωμαϊκὰ inſcribitur, quem tamen ipſe Αἰτιῶν inſcripſiſſe videtur. Verba autem ejus in eo *libro cap.* 86. (*al.* 87.) *pag.* 285. haec ſunt: Διὰ τί τῶν γαμουμένων αἰχμῇ δορατίου τὴν κόμην διακρίνουσι; *Propter quam cauſam nubentium coma cuſpide haſtae diſcernitur?* Cujus rei cauſas complures, hanc vero Sexto Pompejo concordantem adfert: Ἢ τὰ μὲν πλεῖστα τῶν γαμικῶν εἰς τὴν Ἥραν ἀνῆπται· Ἥρας δὲ ἱερὸν τὸ δόρυ νενόμισται, καὶ τῶν ἀγαλμάτων αὐτῆς δόρατι στηρίζεται τὰ πλεῖστα· καὶ Κυρῖτις ἡ θεὸς ἐπωνομάσθη· τὸ γὰρ δόρυ κύριν ἐκάλουν οἱ παλαιοί. *Aut quia pleraque ad nuptias pertinentia ad Junonem referuntur. Junoni autem ſacra habetur haſta, & pleraeque ejus ſtatuae haſta nituntur. Ipſaque dicitur Dea Quiritis: haſta enim antiquis* Curis *dicebatur.* Curitis porro Junonis etiam MARTIANUS FELIX CAPELLA *lib.* II. *de nupt. Philolog. pag.* 47. inter cetera ejus deae cognomina meminit. Nec noo SEXTUS POMPEJUS FESTUS *lib.* III. *h. v. Curitim*, ait, *Junonem appellabant, quia eandem ferre haſtam putabant.* OVIDIUS *lib.* II. *Faſtor. v.* 477.

Sive quod haſta curis priſcis eſt dicta Latinis.

Eum vero, de quo agere coepimus, morem idem OVIDIUS *libr.* II. *Faſtor. v.* 559. eo, qui jam a me ſupra relatus eſt, loco perſtringit, menſe Februario, quo inferis parentabatur, nuptiis abſtinendum hac periphraſi mooeos:

Nec tibi, quae cupidae matura videbere matri,
Comat virgineas haſta recurva comas.

ARNOBIUS *lib.* II. *adverſus gentes, pag.* 91. Veteres quoſdam ritus, diſſuetudine ſublatos, recenſens: *Cum in matrimonia*, inquit, *convenitis, toga ſternitis lectulos, & maritorum genios advocatis? nubentium crinem coelibari haſta mulcetis?* Corona deinde redimiri novae nuptae conſueverant (*b*). TERTULLIANUS in *lib. de corona militis cap.* 13. *Coronant & nuptiae ſponſos.* CATULLUS in *carmine de nuptiis Julii & Manl.* LVIII. *v.* 6. *al.* LXII.

Cinge tempora floribus
Suave olentis amaraci.

LUCANUS de nubente loquens, *lib.* II. *Pharſalic. v.* 358.

Turritaque premens frontem matrona corona
Tranſlata vitat, & quae ſequuntur.

CLAUDIANUS etiam Stiliconem ad nuptiarum apparatum corona tempora cingere ſic admonet (*c*):

Soli-

(*a*) HASTA] Hanc ideo coelibarem vocatam fuiſſe, quia tollit coelibatum, exiſtimat *M. Zuerius Boxbornius* in *Comm.* ad *Plutarchi Quaeſt. Rom. pag.* 141.

(*b*) CONSUEVERANT] Coronati erant omnes, qui nuptiis intererant: ita etiam ſponſus, (*Vid.* TERTULLIANUS *l. c.*) cognati (*Vid.* CLAUDIAN. *l. c.*) nec non caeteri amici invitati. (CLAUDIANUS *de raptu Proſerp. lib.* II. *v.* 328. *Grata coronati peragunt convivia Manes.*) Quod eo minus mirandum, quum & in aliis laetioribus feſtivitatibus & conviviis coronam ſumere ſolerent Romani. Confer ſcriptores de coronis, inprimis nuptialibus, quorum recentiſſimus *Jo. Gottl. Boſſeck*, cujus *Stephanomata ſponſi & ſponſae* prodierunt *Lipſiae* 1740. 4.

(*c*) ADMONET] Exſtat hic locus in *Epithalamio*, quod inſcribi ſolet: *In nuptias Honorii Auguſti & Mariae Feſcennina, v.* 92: ſive,

Solitas galea
Fulgere comas,
Stilico, molli
Nećte corona.

Enimvero recta tunica novae nuptae induebantur (*a*), qualem prima Caja Caecilia texuit, ut eſt a PLINIO *libr.* VIII. *natural. hiſtor. cap.* XLVIII. relatum. Quod quidem ex felici textricis conjugio in uſum veniſſe non dubito, cujus memoriam boni ominis cauſa in nuptialibus ritibus novas nuptas uſurpaſſe conſtat. Et hoc eſt, quod vult FESTUS *lib.* XVI. *h. v. Regillis*, inquiens, *tunicis albis, & reticulis luteis utriſque rectis, textis ſurſum verſum a ſtantibus, pridie nuptiarum diem virginibus indutae, cubitum ibant ominis cauſa, ut etiam in togis virilibus dandis obſervari ſolet.* Cingulo inſuper nupta cingebatur (*b*), quod vir in lecto ſolvebat. Factum id ex lana ovis, SEX. POMP. FESTUS *lib.* III. *h. v.* ſcribit, ut ſicut illa in glomis ſublata, conjuncta inter ſe eſt, ſic vir ſuus ſecum vinctus cinctuſque eſſet. Cingulum id Herculano nodo vinctum vir ominis gratia ſolvebat, ut ſic ipſe felix in ſuſcipiendis liberis eſſet, ſicut Hercules fuit, qui LXX. liberos reliquit. Inde CATULLUS in *nupt. Jul. & Manlii* LVIII. *v.* 51. *al.* LXII.

Te ſuis tremulus parens
Invocat: tibi virgines
Zonula ſolvunt ſinus

Et in carmine *ad Januam* LXIV. *v.* 27. *al.* LXVIII.

Nec quaerendum aliunde foret nervoſius illud,
Quod zonam poſſet ſolvere virgineam (*c*).

Et alias *Carm.* II. *v.* II.

Tam gratum eſt mihi, quam ferunt puellae
Pernici aureolum fuiſſe malum,
Quod zonam ſolvit diu ligatam.

OVIDIUS in *Epiſtola Phyllidis* ad *Demophoontem v.* 115.

Cui

ſive, ut ab aliis dividitur, *Od.* III. *v.* I. Diſtinctionem verſuum, quam auctor exhibet, probavit etiam *Caſp. Barthius* ex *Cod. Cujaciano*: vulgo vero hic locus in duos tantum verſus diſtingui ſolet.

(*a*) INDUEBANTUR] Non ipſo nuptiarum die, ſed pridie nuptiarum, ut ex FESTO apparet. Confer *Merceri* notas ad *Alex. ab Alex. lib.* II. *cap.* 5. Ubi varia quidem lectu digna de hoc ritu affert; quaedam tamen etiam incerta admiſcet. Sic v. g. non adeo certum eſt, num eodem die praetextam poſuerint ſponſae, an vero ipſo demum nuptiarum die: quum in cubiculum deducerentur, uti quidam colligunt ex FESTO *v. praetextum.* Sed neque hic locus rem determinat. Id tamen ex ARNOBIO *lib.* II. *pag.* 91. certum eſt, novas nuptas praetextam (quam *togulam* vocat) depoſitam ad Fortunam Virginalem detuliſſe: neque hoc in dubium vocari debuit a Viro Cl. *Julio Carolo Schlaegero* in *Diſſ. ep.* infra laudanda, *pag.* 18. ob eam rationem, quod toga non fuerit veſtitus honeſtarum feminarum. Verum enim hoc tantum eſt de ſimplici toga, non de toga praetexta, quae non a pueris tantum, ſed & a puellis, uſque dum nuberent, geſtabatur, ut ex innumeris veterum teſtimoniis probari poſſet, niſi res eſſet notiſſima. Patet ſimul quoque exinde, minus recte *Alexandrum ab Alexandro l. c.* & *Mercerum* in *notis* poſuiſſe, rubentes cum tunica recta, ſive regillis, una induiſſe togam puram: hoc enim pueri tantum tirocinii ſui die faciebant: puellae vero nubentes, poſita praetexta, ſtolam ſumebant, quam illis novus maritus dabat, ut colligi poteſt ex CICERONE *Philipp.* II. *cap.* 18.

(*b*) CINGEBATUR] Cingulis, ſive zonis, communiter quidem feminae utebantur: (Vid. VARRO *de L. L. lib.* IV. *pag.* 29. *L.* 23. §. 2. *D. de aur. arg. leg.*) ſed hocce cingulum ſine dubio peculiari quadam ratione confectum & vinctum fuit, ut FESTUS *l. c.* indicat, ubi vide *Andr. Dacerii* notas. Vocatur hocce cingulum etiam *Ceſtus*, ut notavit *Jo. Bapt. Caſalius de ritu nupt. cap.* I. *pag.* 1307. *Tom.* VIII. *Theſ. Antiqq. Graec. Gronovii.* Caeterum de variis feminarum, novarum inprimis nuptarum, cingulis vide Viri Cl. *Julii Caroli Schlaegeri Diſſ. Epiſtol. de Diana* Ἀναζωσ, *ed. Hamb.* 1735. 4.

(*c*) VIRGINEAM] Alii ita hoc diſtichon legunt:

Quaerendumque necunde foret nervoſius illuc,
Quod poſſet zonam ſolvere virgineam

Cui mea virginitas avibus libata ſiniſtris,
Caſtaque fallaci zona recincta manu.

ARNOBIUS *lib.* III. *adverſus gentet pag.* 115. *Niſi virginalia vincula jam ferventes diſſolverent atque imminentes mariti.* Citatur & a NONIO MARCELLO *lib.* I. *num.* 228. hic *Varronis* verſus γέροντος διδασκαλον. *Novus maritus taciturnus, taxim uxoris ſolvebat cingulum.* Ab hac vero cingulorum replicatione Junoni, quae conjugalibus foederibus praeeſſe credebatur, Cinxiae cognomen inditum fuit (*a*). SEX. POMPEJUS FESTUS *lib.* III. *b. v. Cinxiae*, ait, *Junonis nomen ſanctum habebatur in nuptiis, quod initio conjugii ſolutio erat* (*b*) *cinguli, quo nova nupta erat cincta.* ARNOBIUS *lib.* III. *adverſus gent. pag.* 115. *Unctionibus ſupereſt Unxia, Cingulorum Cinxia replicationi.* Ex quo emendandus eſt MARTIANI FELICIS CAPELLAE locus, apud quem *lib.* II *de nuptiis philolog. pag.* 47. in ea oratione, quam Philologia ad Junonem habet, ita vulgo legitur: *Iterducam, & Domiducam, Unxiam, Cinthiamque mortales puellae debent in nuptias convocare:* ubi *Cinxiam* procul dubio legendum eſt. Junoni autem multos habitos in nuptiis honores, quod ea jungendis & conciliandis matrimoniis praeeſſe cenſeretur, praeter PLUTARCHI ſupra citatum locum, OVIDIUS non ſemel in *Epiſtol. Heroid.* indicat. Veluti in *Epiſt. Phyllidis ad Demophoont. v.* 41. *De Junone, nuptiarum praeſide.*

Junonemque toris quae praeſidet alma maritis.

Et in *Epiſt. Medeae ad Jaſon. v.* 87.

Conſcia ſit Juno ſacris praefecta maritis.

Et in *Epiſt. Hipſipyles v.* 43.

Non ego ſum furtim tibi cognita: pronuba Juno
Adſuit.

Sed & VIRGILIUS *lib.* IV. *Aeneid. v.* 59.

Junoni ante omnes vincla jugalia curae.

STATIUS PAPIN. in *Sylvis, lib.* I. *Sylv.* 2. *v.* 239.

——— ——— ——— *Dat Juno verenda*
Vincula, & inſigni geminat concordia taeda.

Junonem plane nuptiarum praeſidem (γαμήλιον) DIO CHRYSOSTOMUS *oratione ſeptima*, quae *Euboica*, aut *Venator* inſcribitur, *pag.* 126. vocat. Eaque ratione τελείας cognomine a Graecis Juno ornatur. PLUTARCHUS ἐν Αἰτίοις, *quaeſtion. ſecunda pag.* 264. Πέντε δέονται θεῶν τοὺς γαμοῦντας οἴονται. Διὸς τελείου, καὶ Ἥρας τελείας, καὶ Ἀφροδίτης, καὶ Πειθοῦς, ἐπὶ πᾶσι δὲ Ἀρτέμιδος. *Matrimonium contrahentes quinque Deorum ope indigere putant. Jovis Perfecti,* (ſive *Nuptiarum Praeſidis*) *Junonis Perfectae*, (ſive *Nuptiarum Praeſidis*, vel *Pronubae*) *Veneris, Suadae & inprimis Dianae.* Non enim *adulta* Juno

(*a*) FUIT] Eodem modo apud Graecos colebatur Diana Λυσίζωνος, ut probat laudatus *Schlaeger. Diſſ. cit.* Diana enim in multis rebus pro eadem cum Junone habebatur, ut vel ex multis ſimilibus utrarumque Dearum cognominibus, tum apud Graecos, tum apud Romanos colligi poteſt. Idem vir doctus in laudata *Diſſ.* non male ex AUGUSTINO *de Civ. Dei, lib.* IV. *cap.* 11. notat, eandem quoque Deam Virginenſem, ſive Fortunam Virginalem vocatam fuiſſe, cui puellae juxta ARNOBIUM *lib.* II. *pag.* 91. togulas etiam ſuas (id eſt praetextas) deferebant: quem locum fruſtra ſollicitat Cl. *Schlaegerus*, pro *togulas* reponens *zonulas*. Praeterquam enim quod locus piſce ſanior ſit, ut ſupra jam notavi, non dicit quoque AUGUSTINUS, ut ille putat, ei zonam fuiſſe delatam: ſed eam a marito, dum zonam ſolveret, fuiſſe invocatam. Et recte quidem: nam ad Deos deferebant veteres res, quae nullius amplius uſus erant, v. g. praetextas, quas deponebant, ſtolam ſumentes novae nuptae. Zonam vero non plane deponebant, poſtquam eſſet ſoluta: erat enim communis feminarum habitus, ut jam ſupra notavi.

(*b*) ERAT] Cl. *Schlaegerus* in *Diſſ. cit. pag.* 15. putat legendum eſſe: *ſolutio ei ſacra erat*, vel *ſolutioni praeerat*: non male quidem: poteſt tamen vulgata lectio tolerari.

Juno eo verbo exaudienda eſt, quemadmodum illic perperam interpres vertit, ſed *Nuptiarum Praeſes:* Epitheton namque hoc a voce τέλος deſcendit, quae antiquis nuptias ſignificabat (*a*). POLLUX *libr.* III. *Onomaſt. cap.* 3. *Segm.* 38. *pag.* 284. Προτελεῖσθαι δὲ ὠνόμαζον οὐ μόνον αἱ νύμφαι, ἀλλὰ καὶ οἱ νυμφίοι, καὶ τέλειος (*b*) ὁ γάμος ἐκαλεῖτο, καὶ προτέλειοι οἱ γεγαμηκότες. Διὰ τοῦτο καὶ Ἥρα τελεία ἡ συζυγία, ταύτῃ γὰρ τοῖς προτελείοις προσῆλθον, & quae ſequuntur. Προτελεῖσθαι *dicebantur non ſolum ſponſae, ſed & ſponſi; etiam* τέλειος *nuptiae dicebantur, &* προτέλειοι *qui matrimonio jungebantur. Propterea & Juno Juga* τελεία *dicitur: huic enim inprimis puellae ſacra faciebant.* SUIDAS *voc.* Τελεία: Ἥρα, ait, Τελεία καὶ Ζεὺς Τέλειος ἐτιμῶντο ἐν τοῖς γάμοις, ὡς πρυτάνεις ὄντες τῶν γάμων. Τέλος δὲ ὁ γάμος. Διὸ καὶ προτέλεια ἐκαλεῖτο ἡ θυσία ἡ πρὸ τῶν γάμων γινομένη. *Juno* Τελεία, *& Jupiter* Τέλειος *colebantur in nuptiis, tanquam Praeſides nuptiarum.* Τέλος *enim ſignificat nuptias. Propterea* προτέλεια *dicuntur ſacrificia, quae fiunt ante nuptias.* EUSTATHIUS in II. *Iliad.* Τέλος γὰρ, ait, ὁ γάμος, ὅθεν τελείους τοὺς γεγαμηκότας ἔλεγον. Τέλος *nuptiae: unde* τελείους *dicunt matrimonio junctos.* Idem in XII. *Iliad.* Ἐκ δὲ τοῦ λοιποῦ τέλος, ὃ σημαίνει τὸν γάμον, τὰ προτέλεια, ὧν χρῆσις μὲν μόνη παρὰ Αἰλίῳ Διονυσίῳ, ἑρμηνεία δὲ παρὰ Παυσανίᾳ, εἰπόντι, ὅτι προτέλεια ἡ πρὸ τῶν γάμων θέα, ἴσως τὰ λεγόμενα θεώρετρα. ἐκεῖθεν δὲ καὶ τέλειοι οἱ γεγαμηκότες καὶ τελειωθῆναι τὸ γῆμαι. *De reliquo* τέλος *ſignificat nuptias,* τὰ προτέλεια, *quorum uſus ſolus apud Aelium Dionyſium, explicatio vero apud Pauſaniam, qui dicit,* προτέλεια *eſſe dona, quae dantur ante nuptias, quae etiam dicuntur* θεώρετρα: *unde & matrimonio juncti* τέλειοι, *& ducere uxorem aut nubere* τελειωθῆναι. Itaque τελεία, Juno nihil aliud, quam γαμήλιον, ſignificat: quod Epitheton Junoni tributum SERVIUS in IV. *Aeneid. v.* 45. ad verbum: *Et Junone ſecunda*, notat. Quem quidem interpretis PLUTARCHI errorem eo diſſimulandum non putavi, quod eo quoque in fraudem illectum LUDOVICUM VIVEM videam in ſuis ad *cap.* XXI. *lib.* IV. *de Civit. Dei Commentariis.* Junoni vero τῇ τελείᾳ ſacra facientes fel cum reliquis victimarum extis non porrigebant, ſed demptum & divulſum abjiciebant, myſtice ſignificantes, bilem omnem atque iracundiam a nuptiis abeſſe oportere (*c*). Quod me PLUTARCHUS ἐν γαμικοῖς παραγγέλμασι, *in conjugalibus praeceptis, pag.* 141. docuit. Sed eſt ille ejus auctoris locus in Frobenianis codicibus duobus in verbis corruptus. Sic enim ſcriptum habent: Οἱ τῇ γαμηλίᾳ θύοντες ὥρᾳ τὴν χολὴν οὐ συγκαθαγίζουσι τοῖς ἄλλοις ἱεροῖς, ἀλλ' ἐξελόντες ἔῤῥιψαν παρὰ τὸν βωμὸν, αἰνιττομένου τοῦ νομοθέτου, τὸ μηδέποτε δεῖν χολὴν μηδὲ ὀργὴν γάμῳ παρεῖναι (*d*). *Qui Junoni Pronubae ſacrificant, ii fel non cum reliqua victima praeſecant, ſed exemptum apud aram objiciunt, quo inſtituto legis auctor obſcure ſignificavit, conjugio nunquam debere bilem iramque intereſſe.* Atqui legendum eſt γαμηλίᾳ θύοντες Ἥρᾳ. Rurſus, χολὴν, id eſt, *fel*, non χολιὼ, quod aliud penitus ſignificat. Qui me locus admonet, ut aliud huic adfine & cognatum apud eundem auctorem librariorum vitio commiſſum erratum corrigam. Nam in *Numa, pag.* 72. quo loco anni menſes recenſet, paſſim ita ſcriptum eſt: Τῶν δ' ἐφεξῆς τὸν μὲν Μάϊον καλοῦσιν, ἀπὸ Μαίας, Ἑρμῇ γὰρ ἀφιέρωται. τὸν δὲ Ἰούνιον ἀπὸ τῆς ὥρας. *Sequentium vero menſium Majum quidem appellant a Maja; Mercurio enim eſt ſacer. Junium vero ab Hora* (ſive *anni tempore*). Ubi Ἥρας, *a Junone*, legendum eſſe contendo (*e*). Idque ſequentia verba manifeſte demonſtrant, in quibus ita eſt: Εἰσὶ δὲ τινες, οἱ τούτους ἡλικίας ἐπωνύμους εἶναι λέγοντες, πρεσβυτέρας, καὶ νεωτέρας. Μαιώρης γὰρ οἱ πρεσβύτεροι παρ' αὐτοῖς, ἰουνιώρης δὲ οἱ νεώτεροι καλοῦνται. *Sunt quidem, qui iſtos menſes nomen ab aetate traxiſſe putant, ſeniore ſcilicet & juniore. Seniores enim* majores; juniores *vero juvenilis aetatis homines apud eos dicuntur.* Apparet enim PLUTARCHUM duplex Junii menſis etymon attingere, quem a Junone nonnulli, a junioribus alii dictum cenſent: ut & idem ἐν Αἰτίοις *cap.*

(*a*) SIGNIFICABAT] Rationem reddit HESYCHIUS: διὰ τὸ εἰς τελειότητα ἄγειν; *propterea, quod humanae vitae perpetuatio nuptiis perficeretur.* Confer *Julii Caeſ. Scaligeri Poët. lib.* III. *cap.* 100. *pag.* 349. *Joach. Jo. Maderi Tr. de Coronis nuptialibus, pag.* 1415. *Tom.* VIII. *Theſ. Antiqq. Rom. Graev.*

(*b*) Τέλειος] In noviſſima *ed. Amſtel.* legitur τέλος. Paulo poſt pro προτέλειοι ibi legitur τέλειοι, & pro συζυγία legitur ζυγία.

(*c*) OPORTERE] Confer, praeter *Joach. Jo. Maderum l. c. Ger. Jo. Voſſii Op. de Idololatria, lib.* II. *cap.* 26. *Jo. Meurſii Graeciam feriatam, voc.* προτέλεια: *Alardi* notas ad *Val. Flaccum, pag.* 551. Num vero hic ritus apud Romanos etiam obtinuerit, ut quidam putant, valde dubito.

(*d*) Παρεῖναι] In *ed. Opp. Francof.* legitur παρεῖναι. In hac editione utrumque, quod auctor notat, vitium recte jam fuit ſublatum.

(*e*) CONTENDO] Ita etiam cenſent *Guil. Xylander & Henr. Stephanus* in notis: in *ed.* tamen *Francof. Opp.* haec emendatio non in textum eſt recepta, ſed in variis tantum lectionibus exhibetur.

cap. 85. (*al.* 86.) *pag.* 285. Macrobius *lib.* II. *Saturnal. cap.* XII. teſtis eſt: *Junius*, inquiens, *Majum ſequitur: aut ex parte populi, ut ſupra diximus, nominatus: aut, ut* Cincius *arbitratur, quod Junonius apud Latinos ante vocitatus, diuque apud Aricinos Praeneſtinoſque hac appellatione in faſtos relatus ſit, adeo ut, ſicut* Niſus in commentariis faſtorum *dicit, apud majores quoque noſtros haec appellatio menſis diu manſerit, ſed poſt detritis quibuſdam literis ex Junonio* Junius *dictus ſit.* Censorinus in *lib. de die natali, cap.* XVIII. Junium quoque a Junone potius, quam junioribus dictum putat, quod illo menſe Junoni habentur honores. Quibus & Bedam in *lib. de ratione tempor. cap.* 10. adde. Hanc certe lectionem, omni ſcrupulo amoto, rectam eſſe D. Amiotus, Abbas Belloſanenſis, vir rarae doctrinae, & ea, quam magna cum laude ſuſtinet, regiae inſtitutionis cura vere dignus, mihi ſcriptorum codicum auctoritate comprobavit: qui & illud me docuit, in eadem *Numae vita* paulo poſt, in Februarii menſis etymologia, mendum eſſe. Nam cum vulgo: καὶ τοῖς φυτοῖς ἐναγίζουσι τότε, *plantasque expiant eo tempore*, legatur; τοῖς φθιτοῖς, *mortuis*, legendum eſſe, veteres codices, quos ille accuratiſſime evolvit, oſtendunt (*a*). De cujus lectionis veritate nemo dubitabit, qui eo menſe juſta Diis manibus ſolvi, & mortuis parentari ſolitum ſecum reputabit: quod ex Ovidii *Faſtis lib.* II. v. 33. Macrobio *lib.* I. *Saturn. cap.* XIII. aliiſque veterum ſcriptis cuivis in promptu eſſe poteſt. Verum, ut ad propoſitum redeat oratio, ex ea ſuperſtitioſa gentilium opinione, quam de Junone animo conceptam habebant, multa ei Deae, ſecundum munerum, poteſtatum, ac in re uxoria officiorum varietatem ac diverſitatem, cognomina indita fuiſſe obſervavi. Primum enim a conjunctione maris & feminae Juga Sexto Pomp. Festo *lib.* IX. voc. *jugarius* teſte vocabatur (*b*), exemplo Graeci ſermonis, quo Ζυγία vocabatur. Quod nomen Apulejus Graeciſſans *lib.* VI. *Metamorph. de aſino aur. pag.* 177. uſurpavit (*c*). Unde & *lib.* IV. *pag.* 138. tibiam zygiam vocavit, cujus in nuptiis uſus eſſet. Quae appellationis hujus notatio a Dionysio Halicarn. his verbis comprobatur (*d*): Ζεὺς γὰρ καὶ Ἥρα πρῶτοι ζευγνῦντές τε καὶ συνδυάζοντες· ὅθεν ὁ μὲν καὶ πατὴρ καλεῖται πάντων, ἡ δὲ ζυγία ἀπὸ τοῦ ζευγνύναι τὸ θῆλυ τῷ ἄῤῥενι. *Jupiter & Juno primi juncti ſunt & ſociati: itaque ille pater omnium dicitur, haec vero Juga, quia jungit marem cum femina.* Musonius (*e*) etiam: Ὅτι δὲ, ait, μέγα καὶ ἀξιοσπούδαστον ὁ γάμος ἐστὶ, καὶ ταύτῃ δῆλον· θεοὶ γὰρ ἐπιτροπεύουσιν αὐτὸν καθὰ νομίζονται παρ' ἀνθρώποις μεγάλοι· πρῶτον μὲν Ἥρα, καὶ διὰ τοῦτο Ζυγίαν αὐτὴν προσαγορεύομεν. *Conjugium eſſe rem magnam, & digniſſimam, quam ſectemur, ex hoc quoque conſtat, Deos ei praeeſſe, qui magni ab hominibus exiſtimantur. Primum quidem Juno, quam propterea Jugam dixerunt.* Item Nonnus Διονυσιακ. δ. (*lib.* IV. *v.* 422.) & Musaeus, quem ibi citat & emendat Gerardus Falkenburgius (*f*). Quod vero de jugo, matrimoniis cuntrahendis imponi ſolito Servius ad *Aeneid. lib.* IV. *v.* 16. & poſt eum Isidorus *Origg. lib.* IX. *cap.* 8. commemorant, quia idoneorum & locupletum auctorum teſtimonio ab eis non firmatur, admittere non au-

(*a*) Ostendunt] In textu *ed. Francof. Opp.* vulgata lectio retinetur: in variis tamen lectionibus emendatio haec *Amioti*, tanquam ex *Codd. MSS.* ſuppeditatur. Adde *Guil. Xylandri* notas, *pag.* 143.

(*b*) Vocabatur] Eadem & Jugalis & Jugatina vocabatur. Augustinus *de Civ. Dei, lib.* VI. *cap.* 9. Deum Jugatinum huic etiam rei praefuiſſe docet. Pleriſque enim nuptialibus rebus, & Deus & Dea ſimul praeficiebantur. Alibi tamen idem (*lib.* IV. *cap.* 8.) docet, Jugatinum jugis montium praefuiſſe: quae contrarietas forte exinde venit, quod diverſos auctores ſecutus fuerit Auguſtinus. Nihil enim inſolitum eſt, ipſos veteres circa Deorum nomina & officia diſcrepaſſe. Unde vero habeat Vir Cel. *Georg. Henr. Ayrer.* in *Diſſ. de Jure Connub.* §. 11. ad aram Junonis hujus Jugae in vico Jugaris ſacrificia nuptialia celebrata fuiſſe, dextraſque ibi conjunxiſſe nubentes: & *Andr. Dacerius* in notis ad *Feſtum. l. c.* ad hancee aram nubentes veteri ritu vinculis junctos fuiſſe: ego quidem hactenus nondum expiſcari potui, neque ſatis intelligo, quid *Dacerius* per vincula intelligat.

(*c*) Usurpavit] *Quam*, ait, *cunctus Oriens Zygiam veneratur.* Ubi *Juſtus Lipſius* pro *Zygiam* legere mavult *Syriam.* Noviſſimus tamen editor in uſum Delphini vulgatam retinet lectionem, & Graecos intelligit, qui reſpectu Romanorum ad orientem ſiti erant: quae interpretatio utrum difficultates tollat, judicent alii.

(*d*) Comprobatur] Locus exſtat in libro, cui titulus: Μέθοδος γαμηλίων, *pag.* 35. *ed. Lipſ.* In editione Latina *Hanov.* 1615. 8. inſcribitur: *Praecepta de oratione nuptiali*, & locus reperitur *pag.* 80.

(*e*) Musonius] In libro, quem Inſcripſit: *An philoſophum impediant nuptiae*, ex quo Fragmentum bene longum reperitur apud *Joannem Stobaeum Serm.* LXV. Locus hic, quem auctor adduxit, exſtat *ibid. pag.* 413. *ed. Aureliae Allobrog. A.* 1609. *fol.*

(*f*) Falkenburgius] Ille enim *pag.* 1319. *ed. Hanov.* 1605. 8. apud Musaeum pro ζυγίην ἱερὴν ex *Cod. MS.* emendat Ζυγίην Ἥρην.

auſim (*a*). Nec ſum neſcius PLAUTI ex *Curculione Act.* I. *Sc.* I. *verſum* 50. ad hanc rem proferri poſſe, in quo ita eſt; *Jamne ea fert jugum?* Sed id μεταφορικῶς dictum eſſe probabilius eſt, quemadmodum illud HORATII *lib.* II. *Carm. Od.* 5. *v.* I. *Nondum ſubacta ferre jugum valet Cervice.* Et apud SENECAM in *Troade*, *v.* 360. *Sed quo jugari Theſſalae cultu ſolent.* Quod nihil aliud eſt quam matrimonio jungi, ducta a bobus metaphora, qui jugari dicuntur, cnm idem jugum ſubeunt. Ut autem a matrimoniorum conjunctione Juga & Zygia; ita a mulieris in domum mariti deductione Domiduca, & Iterduca; a cingulo novae nuptae Cinxia; ab unctione, Unxia Juno appellabatur. Et ita actui cuique peculiare nomen ſtulta gentilitas adſignabat. Quam ridiculam eorum ſuperſtitionem B. AUGUSTINUS *lib.* VI. *de civit. Dei cap.* IX. ita exagitat: *Cum mas & femina conjunguntur, adbibetur Deus Jugatinus. Sit hoc ferendum. Sed domum eſt ducenda, quae nubit. Adbibetur Deus Domiducus. Ut in domo ſit, adbibetur Deus Domitius. Ut maneat cum viro, additur Dea Manturna.* Et paulo poſt: *Quid impletur cubiculum turba numinum, quando & paranymphi inde diſcedunt? Adeſt enim dea Virginenſis, & Deus pater Subigus, & dea mater Prema, & dea Partunda* (*b*), *& Venus, & Priapus. Virginenſis quidem* ut ibidem indicat, *ad hoc, ut virgini zona ſolvatur. Subigus, ut viro ſubigatur. Prema, ut ſubacta, ne ſe commoveat, comprimatur.* Cujuſmodi etiam ineptias ARNOBIUS *lib.* III. *adverſus gent. pag.* 115. & 118. ſcite ridet. Verum ut ad inſtituta pergamus, Coronam ex verbenis a ſe lectis compoſitam nova nupta, SEX. POMP. FESTO *lib.* III. voc. *corolla* teſte, ſub amiculo ferebat (*c*). Eandem & ſoccos luteos geſtaſſe CATULLUS in *Carm.* LVIII. ſive LXII. *de Nupt. Juliae & Manlii*, *v.* 10. ſuſpicandum relinquit (*d*). Sed ut hoc obſcurum eſt, ita velo obnubi ſolitam cum ad virum deduceretur, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. TERTULLIANUS *de virginib. veland. cap.* XI. *Atquin*, ait, *etiam apud ethnicos velatae ad virum ducuntur.* Unde nuptiarum nomen ductum eſſe conſentiens in unum omnium Grammaticorum fert opinio. *Nubere* enim & *obnubere* priſcis velare & operire ſignificabat, ut SEX. POMP. non uno loco, NONIUS MARCELLUS & alii complures notant. Quo in ſignificatu AR-

NOBIUS

(*a*) AUSIM] Interpres quidem ISIDORI *l.c.* laudat locum AUGUSTINI *de nupt. & concupiſc. lib.* I. *cap.* II. Sed ego nihil ibi reperire potui, quod huc ſpectaret. Opitulari tamen huic ſententiae quodammodo videtur FESTUS: *Juges, ejuſdem jugi, pares, unde conjuges.* nec non ULPIANUS in *L.* 10. *in fine princ. D. de condit. & demonſtr.* his verbis: *& ſi teſtator de primo nuptiali jugo ſenſit.* Addi etiam poſſet STATIUS *Sylvar. lib.* I. *ſylv.* 2. *v.* 138.

> —— —— *Thalami quamvis juga ferre ſecundi*
> *Saepe negat moerens* —— ——

Et paulo poſt *v.* 164.

> —— *Nunquamne virili*
> *Submittere jugo.* —— ——

Sed & haec loca, fateor, aliam admittunt interpretationem. Quamvis vero ritus hicce non adeo certus ſit, non eſt tamen improbabilis, quum multa veteres ſymbola in nuptiis adhibuerint. Quaeri interim adhuc poteſt, quid per jugum ſit intelligendum. Cel. *Ayrer.* in *Diſſ.* ſaepe laudata intelligit vittam jugalem, ſive velum aliquod, inſtar jugi, utrique conjugum imponi ſolitum. Ego de tali velo nihil apud veteres reperi. Quum vero in re incerta conjecturis locus ſit, tentandum, num fortaſſis huc trahi poſſit, quod SERVIUS ad *Aeneid. lib.* IV. *v.* 374. tradit de ſellis duabus jugatis. Quid ſi enim hae ſellae jugum repraeſentaverint, vel in jugi modum junctae fuerint? Loquitur quidem *Servius* de confarreatione: ſed multos ritus ex confarreatione aliis deinde nuptiis applicatos fuiſſe, jam ſupra notavi, & hunc inprimis ritum in aliis etiam nuptiis locum habuiſſe, jam ex FESTO *voc. in pelle* notarunt viri docti. Sed quisquis hac de re ſuo arbitrio ſentiat.

(*b*) PARTUNDA] In melioribus Codd. legi *Pertunda* teſtantur Benedictini in *ed. Pariſ.* & ita quoque in optimis Codd. legitur apud ARNOBIUM *lib.* IV. *pag.* 131. & TERTULLIANUM *ad Nation. lib.* II. *cap.* II.

(*c*) FEREBAT] Hanc coronam plerique cum corona capitis confundunt, unde & amiculum pro Flammeo accipit *Andr. Dacerius* in notis ad *b. l.* Sed Flammeum amiculum vocari nuſquam reperi: accipio ergo de veſte potius exteriori, qualis palla mulierum. Quid vero hac corona fecerit nova nupta, vel ubi eam depoſuerit, cum ignariſſimis ſcimus. Fortaſſis ſponſa in domum mariti ingrediens corona illa vel ipſum ſponſum, vel domum, vel lares familiares coronavit. Sed videant alii.

(*d*) RELINQUIT] Soccos luteos mulieres apud veteres geſtaſſe, patet etiam ex SENECA *Hippol. v.* 321. (*Conf. Balduin. de Calceo, cap.* 16.) Nondum tamen certum eſt, utrum novae nuptae peculiare aliquid hac in re prae caeteris feminis habuerint. Luteum interea colorem nuptiis inprimis dicatum fuiſſe, probat *Hadr. Turnebus Adverſar. lib.* XXVIII. *cap.* 2. & *lib.* XXIX. *cap.* 32. & *Thom. Dempſterus* in *Paralip.* ad *Roſin. Antiqq. lib.* V. *cap.* 37. *pag.* 978. *ſeq.* ubi plura etiam de Flammeo legi poſſunt.

NOBIUS *lib.* III. *adverſus gent. pag.* 118. hoc verbo uſus eſt *Quod aqua*, inquiens, *nubat terram, appellatus eſt cognominatuſque Neptunus.* CAPER in *lib. de orthograph. pag.* 2245. apud *Putſch. Vir ducit, mulier nubit, quia pallio obnubit caput ſuum genaſque.* Velum autem id, quo nuptae caput operiebatur, Flammeum vocabatur: quo boni ominis gratia eas velari ſolitas, SEX. POMP. FESTUS *lib.* VI. *h. v.* tradit, idcirco quod eo aſſidue Flaminica uteretur, cui divortium facere non licebat. SUETONIUS in *Neron. cap.* XXVIII. *Puerum Sporum, exectis teſtibus, etiam in muliebrem formam transfigurare conatus eſt, cum dote & flammeo, per ſollemne nuptiarum, celeberrimo officio, ad ſe deductum, pro uxore habuit.* De quo Imperatore etiam TACITUS *lib.* XV. *Annal. cap.* 37. agens: *Ipſe*, inquit, *per licita atque illicita foedatus, nihil flagitii reliquerat, quo corruptior ageret: niſi paucos poſt dies uni ex contaminatorum grege, cui Pythagorae nomen fuit, in modum ſollemnium conjugiorum denupſiſſet. Inditum Imperatori flammeum.* MARTIALIS *lib.* XI. *Epigrammat.* 79. *v.* 3.

Flammea texantur ſponſae: jam virgo parata eſt.
Tondebit pueros jam nova nupta tuos.

Idem *lib.* XII. *Epigr.* 42. *v.* 3.

Praeluxere faces, velarunt flammea vultus.

JOVENALIS *Sat.* VI. *v.* 224. de muliere crebris divortiis maritos mutante:

Permutatque domos & flammea conterit.

QUINCTILIANUS *Declamation.* CCCVI. *Operiet flammeo canos.* TERTULLIANUS *in lib. adverſus Valentinian. cap.* 32. *His nuptiis recte deducendis, pro face & flammeo, tuus* (al. *tunc*) *credo ille arcanus ignis erumpet.* APULEJUS *Apolog.* II. *pag.* 524. *Venit igitur ad eum nova nupta ſecura & intrepida, pudore diſpoliato, flore exoleto, flammeo obſoleto.* AMBROSIUS in *libr. de viduis, cap.* 9. *Suaſimus, fateor, ut veſtem mutares, non ut flammeum ſumeres; ut a ſepulchro recederes, non ut thalamum praeparares.* Proinde CATULLOS initio *carminis de nuptiis Juliae & Manlii*, LVIII. ſive LXII. *v.* 8. Hymenaeum ad flammeum capiendum excitat. Et alio ejuſdem carminis loco *v.* 121.

Tollite, ait, *pueri faces,*
Flammeum videor videre.

CLAUDIANUS in *Epithalamio* (*a*);

Jam nuptae trepidat ſollicitus pudor,
Jam produnt lachrymas flammea ſupplices.

Idem *libr.* II. *de Raptu Proſerp. v.* 324.

——— ——— *Et vultibus addunt*
Flammea, ſollicitum praevelatura pudorem.

Idem in *carmine de Nuptiis Honorii & Mariae v.* 284.

Ipſa caput diſtinguit acu, ſubſtringit amictus,
Flammea virgineis accommodat ipſa capillis.

JUVENALIS *Sat.* II. *v.* 124.

Segmenta, & longos habitus & flammea ſumit.

Idem

(*a*) EPITHALAMIO] Sive in *Feſcenn. in Nupt. Honorii & Mariae, v.* 106. ſive, ut ab aliis diſtinguitur, *Od.* IV. *v.* 3. In fine pro *ſupplices* in *ed. Caſp. Barthii* legitur: *ſimplices*: quae utraque lectio tolerari poteſt. Laudatus *Barthius* in *Comm.* ad *h. l. pag.* 787. de Flammeo lectu quaedam digna affert, & inter alia ex CAPELLA, loco mox ab auctore adducto, obſervat, Flammeum illud in cubiculo a Pronubis denique a facie novae nuptae detractum fuiſſe.

Idem *Sat.* VI. *v.* 224. de muliere erebro divertente & nubente,

Permutatque domos & flammea conterit (*a*).

Idem *Sat.* X. *v.* 330.

—— —— Cui nubere Caeſaris uxor
Deſtinat, optimus hic, & formoſiſſimus idem,
Gentis patritiae rapitur miſer, extinguendus
Meſſalinae oculis: dudum ſedet illa parato
Flammeolo.

SENECA in *Octavia*, de Poppaea Neroni nubente, *v.* 691.

Velata ſummum flammeo tenui caput.

MARTIANUS CAPELLA *lib.* V. *de nuptiis Philolog. pag.* 204. *In quibus*, ait, *ſpecies rerum collocandae ſunt, veluti nuptiarum, velatam flammeo nubentem.* Idem *libr.* IX. *pag.* 359.

Flammea, virgineum quae obnubere ſueta pudorem,
Regina deme pronuba.

APULEJUS rurſus *lib.* IV. *Metamorph. ſ. de aſino aur. pag.* 138. *Jam feralium nuptiarum miſerrimae virgini choragium ſtruitur: Jam taedae lumen atrae fuliginis cinerem arceſſunt* (*b*), *& ſonus tibiae zygiae mutatur in querulum Lydii modum, cantuſque laetus Hymenaei lugubri finitur ululatu, & puella nuptura deterget lacbrymas ipſo ſuo flammeo.* Hoc vero velamen luteum erat, ut haec PLINII verba declarant, quae ex ejus *lib. natur. biſtor.* XXI. *cap.* VIII. appoſui. *Lutei video bonorem antiquiſſimum in nuptialibus flammeis totum feminis conceſſum, & fortaſſis ideo non numerari inter principales, boc eſt, communes maribus ac feminis, quoniam ſocietas principatum dedit.* Ex quo LUCANUS *lib.* II. *de bell. Pharſal. v.* 360.

Non timidum nuptae leviter tectura pudorem
Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.

Rapi plane, ut SEXTUS POMP. FESTUS *lib.* XVI. *b. v.* auctor eſt, ſimulabatur virgo ex gremio matris, aut ſi ea deeſſet, ex proxima neceſſitudine, tum cum ad virum transferebatur: propterea quod ea res Romulo feliciter ceſſiſſet, qui per vim ſibi ſuiſque ex Sabinis uxores quaeſivit. Ex quo illud CATULLI *Carm.* LVIII. *al.* LXII. *v.* 3.

Qui rapis teneram ad virum
Virginem.

Meminit quoque hujus juris TERTULLIANUS *lib. de ſpectac. cap.* 5.

De ſollemni domum deductione. Expoſui, quo cultu atque ornatu nova nupta ad virum procederet. Unde lucem accipient DIONYSII HALICARNASSEI haec verba ex *lib.* IV. *pag.* 207. *Antiquit.* Μετὰ τῦτο τὴν γυναῖκα κεκοσμημένην, οἷς ἔθος ἐςὶ κοσμεῖσθαι τὰς γαμουμένας. *Poſtea mulierem ornatam ornamentis, quibus ſponſae nupturae ornari ſolent.* Deinceps de pompae apparatu ac traductionis ritu agam. Sollemnis autem moris fuiſſe, ut in viri domum, tanquam conjugii manſionem ac domicilium nuptae traducerentur, abunde *libro primo Selectarum ex jure civili Antiquitatum, cap.* 18. multis jureconſultorum & aliorum auctorum teſtimoniis probavimus: quae, quod inde facillime

peti

(*a*) CONTERIT] Hunc locum auctor memoriae vitio bis adſcripſit. Vetus Scholiaſtes ita ad *b. l.* commentatur: *Genus amicti, quo ſe cooperiunt mulieres die nuptiarum. Eſt enim ſanguineum, propter ruborem cuſtodiendum. Conterit autem, exterit, ſaepe nubendo.*

(*b*) ARCESSUNT] In *ed.* in uſum *Delpb:* editur: *cinere marceſſit:* & paulo poſt pro *Lydii* legitur ibi *Lydium.* Caeterum Flammeum illud non fuiſſe longum & ad pedes uſque demiſſum: ſed velum, quo caput tantum ſponſae obnubebatur, poſt *Barſium & Pitiſcum*, notavit *Georg. Henr. Ayrer.* in *Diſſ. de jure connub.* §. 13.

peti poſſint, huc transferenda non cenſui. Unde *uxorem ducere*, quaſi *domum ducere*, imminute Latini dicunt, quemadmodum ex compluribus PLAUTI locis patet. Sic enim *Aulularia Act.* II. *Sc.* I. *v.* 26.

> E. *Quod ſempiternum tibi ſalutare ſit procreandis liberis.*
> M. *Ita dii faxint.* E. *volo te domum uxorem ducere* (*a*).

Idem *Trinummo Actus* V. *Sc.* II. *v.* 64.

> *Num quid cauſae eſt, quin uxorem cras domum ducam?*

Et in *Epidico*, *Actus.* II. *Sc.* I. *v.* 3.

> *Genere notam bono pauperem domum ducere uxorem.*

Idem *Ciſtellar. Act.* II. *Sc.* I. *v.* 58.

> *Illam extrudet, cum hanc uxorem Lemniam ducet domum.*

Iterum *Act.* I. *Scen.* I. *v.* 101.

> *Ei nunc alia ducenda eſt domum,*
> *Sua cognata.*

Atque ex hoc more repetenda eſt ejus ratio, quod jure civili cavetur, [r] nuptiis mulierem domicilium ſuum mutare, & in viri domicilium tranſire (*b*). Quod & ex juris diſciplina SERVIUS adnotat ad illum VIRGILII verſum *lib.* III. *Aeneid. v.* 297.

> *Et patrio Andromachen iterum ceſſiſſe marito.*

Item unam poſt matrimonium viri & uxoris domum dici, [s] mirandum non eſt, δυοῖν οἴκων, ut PLUTARCHUS *lib.* IV. *Sympoſiacor. cap.* III. *pag.* 667. ſcribit, εἰς τὸ αὐτὸ συνιόντων· *Duabus in unam coëuntibus familiam.* Plane eam, quae deſponſata eſt, ante contractas nuptias non mutare domicilium, MODESTINUS belle tradit, [t] quod in domum viri nondum ſit deducta. Hanc autem conditionem: SI IN FAMILIA NUPSERIT, impletam videri ſtatim atque ducta eſt uxor, quamvis nondum in cubiculum mariti pervenerit, traditum extat. [v] Enimvero deductio haec veſpere fiebat (*c*). Antiquitus ſiquidem non niſi noctu mulieres ducebantur, ut SEX. POMPEJUS FESTUS *libr.* XIV. voc. *patrimi.* & SERVIUS in VIII. *Eclog. Virgilii v.* 29. ex VARRONE, ſcribunt. Unde VALERIUS MAX. *lib.* I. *cap.* V. *ex.* 4. *At Caecilia Metelli, dum ſororis filiae, adultae aetatis virgini, more priſco noctu concubia nuptialia petit, omen ipſa fecit* (*d*). TACITUS quoque *lib. Annal.* XV. *cap.* 37. a Nerone cum Pythagora confectas nuptias referens: *Et interdiu*, ait, *in viro nubente ſpectata, quae etiam in femina nox operit.* Ea ratio eſt; cur noctem adeſſe in *Epithalamio* LIX. *al.* LXIII. CATULLUS moneat, his verſibus;

[r] *l.* 65. *Exigere. D. de Judic. l.* 19. *Cum quaedam puella. D. de Juriſdict. l. ult.* §. 3. *Item reſcripſerunt. D. ad municipal. l. ult. C. de incol.*
[s] *l.* 1. §. 15. *Si vir. D. ad SC. Syllan.*
[t] *l.* 32. *Eaque D. ad municipal.*
[v] *l.* 15. *Cui fuerit. D. de condiction. & demonſtr.*

> *Veſper adeſt, juvenes conſurgite: veſper Olympo*
> *Expectata diu vix tandem lumina tollit.*
> *Surgere jam tempus, jam pingues linquere menſas.*
> *Jam veniet virgo, jam dicetur Hymenaeus.*

Pari

(*a*) DUCERE] Locus hic PLAUTI varia ratione legitur & diſtinguitur, ut ex Interpp. diſci poteſt.

(*b*) TRANSIRE] Mutabat igitur forum domicilii uxor, non vero forum originis, quia jus municipale in municipio patrio retinebat, neque jus municipale mariti adquirebat. Vide *Select. meas Antiqq. Part.* I. *cap.* 3. §. 38. Sic etiam per domum deductionem particeps fiebat ſacrorum domeſticorum, non vero gentilitiorum & familiarum mariti. Caeterarum vero rerum, quae in domo erant mariti, particeps fiebat quoad uſum, non vero quoad proprietatem & dominium, ut ſupra jam notavi.

(*c*) FIEBAT] Unde CATULLUS in *Epithal.* LVIII. ſive LXII. *v* 79, 84, 94, 109, 119. *Sed moraris, abit dies, Prodeas nova nupta.*

(*d*) FECIT] Perperam hic locus ab auctore huc trahitur, ſicuti etiam ab aliis minus recte ad auſpicia nuptiarum refertur agit enim de ominibus futurarum nuptiarum, ut clariſſime patet ex CICERONE *de Divin. lib.* I. *cap.* 46. ex quo ſua hauſit VALERIUS.

Pari de cauſſa CLAUDIANUS in *Epithalamio* (*a*) Heſperi ortum praecinit:

Attollens thalamis Idalium jubar
Dilectus Veneri naſcitur Heſperus.

Idem *lib.* II. *de raptu Proſerpinae v.* 361.

Jam ſuus inferno proceſſerat Heſperus orbi.

Pueri vero patrimi & matrimi tres nubentem, SEX. POMP. FESTO *lib.* XIV. voc. *patrimi* teſte, deducèbant, quorum unus facem praeferebat, reliqui duo nubentem tenebant. Unde CATULLUS in *Carmine de nuptiis Jul. & Manl.* LVIII. ſive LXII. *v.* 181.

Mitte brachiolum teres;
Praetextate, puellulae.

Fax porro ea, quae praeferebatur, ex ſpina alba fiebat, ut idem POMP. FESTUS *l. c.* ſcribit. Ideoque CATULLUS in illo carmine, cujus modo teſtimonium citavi, *v.* 14.

Pelle, inquit, *humum pedibus, manu.*
Spineam quate taedam,

Eaque ratione PLINIUS *Hiſt. Nat. lib.* XVI. *cap.* 18. ſpinam nuptiarum facibus auſpicatiſſimam dixit. Non deſunt tamen, qui nuptiales faces ex pinu confici ſolitas omni aſſeveratione contendant, & apud CATULLUM legendum cenſeant: *pineam quate taedam*, ut & ante *Parthenii* emendationem legebatur: atque ita quoque noviſſime edidit *Scaliger*, ex veteribus opinor libris (*b*). Moventurque OVIDII verſibus ex *lib.* II. *Faſtor. v.* 557. quo loci a conjugio per aliquot dies abſtinendum hac periphraſi ſuadet:

Dum tamen haec fient, viduae ceſſate puellae,
Expectet puros pinea taeda dies.

Quamquam illic abſque ullo verſus vitio, recte *ſpinea taeda* legi poſſet. Sed pruteram alios locos, qui eandem immutationem non ferant. VARRO *lib.* II. *de vita Pop. Rom.* ut eſt apud NONIUM MARCELLUM *lib.* II. *num* 340. *Cum a nova nupta ignis in face adferretur, foco Aedilis* (*c*) *ſumptus*, (Sic enim lego) *fax ex pinu ablata eſſet* (*d*), *ut eam puer ingenuus adferret.* Idem VARRO γέροντι διδασκάλῳ; (apud NONIUM loco laudato) *Confluit mulierum tota Roma, quae noctu initia fieri ſolita*, (vel, ut emendant quidam; *quae noctu nubere ſolita*) *etiam nunc pinea fax indicat.* Quem ego Varronis locum, ad hanc quaeſtionem ea ratione accommodari poſſe cenſeo, quod in honorem Cereris faces in nuptiis praelatas SEX. POMP. FESTUS, *lib.* VI. *v. facem* tradit (*e*). Tametſi SERVIUS in VIII. *Eclog. Bucolic. Virgilii*, *v.* 29. nulli id religioni acceptum fert, ſed ex eo inoleviſſe, VARRONIS auctoritate fretus, ſcribit, quod non niſi noctu antiquitus a ſpon-

(*a*) EPITHALAMIO] ſive *Feſcenn. in nupt. Honorii Aug. & Mariae*, *v.* 104; ſive, ut ab aliis diſtinguitur, *Od.* IV. *v.* I.

(*b*) LIBRIS] Rationem addit: *At qui ſpineam hic ponebant, dicant mihi, ubi viderint taedam in ſpinu, quae proprie eſt reſiniferarum arborum.* Faces nuptiales plerumque *taedae*, ſive *tedae* (quae utraque ſcriptio auctoritate veterum recentiorumque Codd. aliorumque monumentorum nititur) vocantur: taedae vero pineae frequenter a veteribus appellantur, ut *ex.gr.* ab OVIDIO *Epiſt. Heroid.* XII. *Medaeae* ad *Jaſonem*, *v.* 34. *Ardet ut ad magnos pinea taeda Deos.* Et videtur ſane taeda dicenda potius *pinea*, quam *ſpinea*. (Vid. PLINIUS *lib.* XVI. *cap.* 10.) Poteſt tamen & altera locutio defendi, ſi ponamus, faces ſpineas pice liquida (quae ex taeda coquitur juxta PLINIUM *lib.* XVI. *cap.* II.) illitas fuiſſe, quod ſane a ratione non abhorret. Nihil ergo in veteribus ſcriptoribus ſine ope Codd. MSS. optimae notae temere eſt mutandum.

(*c*) AEDILIS] In omnibus *Codd.* legitur *ejus*, & explicatur de marito. Auctoris emendatio nititur loco PLUTARCHI, quem infra adduxit.

(*d*) ESSET] Alii legunt: *ex ſpina alba eſſet*: & pro *adferret* ſimplex ponunt *ferret.*

(*e*) TRADIT] Pinus vero erat in tutela Cereris, ut notavit *Stockhauſen* in *Tr. de uſu luminum*, *cap.* 9. §. 2.

ſponſis uxores ducerentur (*a*). Confirmat vero illam de pineis facibus opinionem VIRGILIUS in *Ciri*, eum ait *v.* 439.

Pronuba nec caſtos incendet pinus amores (*b*).

SENECA in *Medaea* choro primo: *v.* 112.

Multifidam jam tempus erit ſuccendere pinum:
Excute ſollemnem digitis marcentibus ignem.

Et paulo ante etiam dixerat *v.* 37.

——— ——— *Pronubam thalamo feram*
Ut ipſa pinum. ——— ———

In quibus duobus locis vetera omnia exemplaria ita conſtanter habere aſſerit interpres recentior *Delrio*, ſicuti etiam in NONIO.

Rurſus idem VARRO apud CHARISIUM SOSIPATRUM *Inſtit. Grammat. lib.* 1. *pag.* 117. ap. *Putſch. In Aſia*, ait, *fax ex ſpina* (al. *ſpinu*) *alba profertur, quod purgationis cauſa adhibetur.* Sane ſpinae albae ad maleficia depellenda vim ineſſe antiquitas credidit. OVIDIUS *lib.* VI. *Faſtor. v.* 129.

Sic fatus, ſpinam, qua triſtes pellere poſſet
A foribus noxas, haec erat alba, dedit:

Et poſtea *v.* 165.

Virgaque Janalis de ſpina ponitur alba,
Qua lumen thalamo parva feneſtra dabat.
Poſt illud neque aves cunas violaſſe feruntur:
Et rediit puero, qui fuit ante, color.

Verum quid prohibet ex variis arborum generibus faces nuptiarum confici ſolitas dicere (*c*)? PLINIUS enim in eo, eujus ſupra teſtimonio uſus ſum, loco ſpinam quidem facibus nuptiarum auſpicatiſſimam fuiſſe ſcribit, ſuis tamen temporibus Carpinum & Corylum facibus familiariſſimas fuiſſe ſubjicit. Poteſt autem hic facium in nuptiis praeferendarum mos aliis praeterea teſtimoniis comprobari. PLAUTUS *Caſina Act.* I. *Sc.* I. *v.* 30.

Primum omnium huic lucebis novae nuptae facem (*d*).

SENECA in *Octavia Act.* II. *Sc.* II. *v.* 561.

Hic mihi jugales praeferat taedas deus,
Jungatque noſtris igne Poppaeam toris.

Et iterum *Act.* III. *v.* 584.

Tellure

(*a*) DUCERENTUR] Ita etiam ACRON ad *Horat. Od. lib.* III. *Od.* II. *v.* 33. *Cum facibus nuptiae fiebant veſperi apud antiquos.*

(*b*) AMORES] Alii legunt: *accendet pinus odores.*

(*c*) DICERE] Non cogitandum eſt, unam tantum facem in domum deductione adhibitam fuiſſe: ſed praeter unam illam facem, quam puer patrimus & matrimus, qui immediate novam nuptam praecedebat, tulit, plures ſine dubio vel praecedebant vel ſequebantur faces in pompa nuptiali. Quum ergo de puero illo patrimo & matrimo tantum expreſſe dicat FESTUS, iſtum facem ex ſpina alba praetuliſſe: nihil prohibet, quo minus alias in nuptiis faces ex alia fuiſſe materia ſtatuamus.

(*d*) FACEM] Ex hoc loco minus recte *M. Anton. Muretus* in notia ad CATULLOM *Carm.* LVIII. ſive LXII. *v.* 121. *Mercerus* in notis ad *Alex. ab Alex. Dier. Gen. lib.* II. *cap.* 5. *pag.* 279. *Franc. Hotomannus de ritu nupt. cap.* 15. colligunt, hoc officium fuiſſe ominoſum. Nam apud PLAUTUM Villicus jocatur tantum cum ſervo urbano. Neque etiam alias hoc officium fuit ſervile, ut male laudatus *Hotomonnus* collegit ex loco *Ennii* apud FESTUM *voc. prodinunt*, ubi de nuptiis plane non eſt ſermo. Puer ſaltem ille patrimus & matrimus, de quo FESTUS, non fuit ſervilis conditionis.

Tellure rupta, Tartaro greſſum extuli,
Stygiam cruenta praeferens dextra facem
Thalamis ſceleſtis: nubat his flammis meo
Poppaea nato.

Idem *Act.* I. v. 256.

Quae nupta demens nupſit inceſta face.

Et alias v. 138.

Conjugem captam ſibi
Toris nefandis flebili junxit face.

CICERO pro *Cluentio Avito cap.* 6. *Non timuiſſe, ſi minus vim deorum, hominumque famam: at illam ipſam noctem, faceſque illas nuptiales.*

VIRGILIUS *Eclog.* VIII. v. 29.

Mopſe novas incide faces, tibi ducitur uxor.

CLAUDIANUS in *carmine de nuptiis Honorii & Mar.* v. 206.

—— —— *Alii funalibus ordine ductis*
Plurima venturae ſuſpendunt (*a*) *lumina nocti.*

AMBROSIUS in *lib. de viduis, cap.* 15. *Vel cum accenſis funalibus mox* (*b*) *ducitur, nonne pompae funebris exequias magis putat, quam thalamum praeparari?*
STATIUS PAPINIUS in *Sylv. lib.* I. *Sylv.* 2. v. 231. nuptiarum quamdam celebritatem deſcribens:

Fronde, ait, virent poſtes, & fervent compita flammis.

Poſſent & ex Epigrammatis Graecis complura de nuptialibus facibus loca congeri. Eas faces CATULLUS in *carmine de nuptiis Pelei*, & CATO in *lib. de re ruſtica* (*c*) non ſemel *taedas jugales* vocant: VALERIUS FLACCUS *faces jugales lib.* II. *Argonauticor.* v. 344. appellat. LUCANUS *lib.* II. *de bello Pharſal.* v. 356. *faces legitimas.* STATIUS PAPINIUS *taedas geniales*, in *Genethliaco Lucani lib.* II. *Sylvarum*, *Sylv.* 7. v. 82. & *feſtas taedas*, *lib.* III. *Sylvar. Sylv.* 5. v. 70. ut & CLAUDIANUS (*d*) *lib.* II. *de raptu Proſerpinae* v. 347. PLUTARCHUS ἐν Αἰτίοις ſive *Quaeſt. Rom. cap.* 2. *pag.* 263. *ſeq.* a Romanis cereos appellatos tradit: ubi & illud adnotat, quinque, nec plures, nec pauciores, in nuptiis accendi ſolitas faces (*e*). Eſt etiam ibidem obſervandum, quod noſtram illam de

(*a*) SUSPENDUNT] In *ed. Caſp. Barthii* legitur *ſuſpenditis.*

(*b*) MOX] In *ed. Benedict. Pariſina* legitur: *nox*, quod verbum, niſi vitium ibi typographicum ſit, antique forte pro *noctu* fuit poſitum. Vide MACROBIUM *Sat. lib.* I. *cap.* 4.

(*c*) RUSTICA] In hoc CATONIS libro non reperiuntur *taedae jugales*, niſi in vitioſis codicibus emendatiores enim praeferunt: *telae jugales cap.* 10. & 14. ubi vide *Interpp.* & *Geſneri Lexicon ruſticum.*

(*d*) CLAUDIANUS] Idem in *Carm. de nupt. Honorii & Mariae*, v. 203. vocat *feſtas faces.*

(*e*) FACES] Suſpicor Cereos hoſce, de quibus PLUTARCHUS *l. c.* loquitur, diverſos fuiſſe a taedis ſive facibus novae nuptae in pompa praelatis. Quinque forſan illi cerei in coenaculo, ſive triclinio, ubi ſollemnitas nuptialis celebrabatur, accendebantur. Quot vero faces in pompa praelata fuerint, & num certus hac in re numerus ſollemnis obſervatus fuerit, ego hactenus reperire nondum potui. Meminit quidem marmor Patavinum ſupra memoratum, alicujus, qui quatuor facibus uxorem domum duxit? ſed praeterquam quod fides ejus mihi adhuc ſuſpecta eſt, non exinde certo etiam concludi poteſt, id ſemper ita fuiſſe obſervatum. Taedas illas vitta coronatas ſive redimitas fuiſſe, ex SENECAE *Thebaid.* v. 507. probat *Joach. Jo. Maderus* in *Tr. de Coronis nuptial. pag.* 1417. *Tom.* VIII. *Theſ. Antiqq. Rom. Graev.* An vero hoc ademta vitta virginali factum fuerit, ut putat *Farnabius* in notis ad *h. l.* mihi nondum liquet. Caeterum de Facibus nuptialibus, praeter ſcriptores generales de nuptiis, & Interpretes ad veteres auctores claſſicos, confer *Alexandrum ab Alexandro Dier. Gen. lib.* II. *cap.* 5. ibique interpp. *Hadr. Turnebum Adverſ.*

de reſtitntione loci ejus, quam paulo ante ex VARRONE protuli, conjecturam confirmat, apud Aediles accendi faces conſueviſſe. Hinc & nuptias *ſanctae foedera tedae*, SILIUS ITALICUS *lib.* VI. *v.* 448. nominat. Fax autem illa, qua praelucente nova nupta ducta erat, rapi ab amicis conſueverat, ne aut eam ſub tecto viri uxor ea nocte poneret, aut vir in ſepulchro comburendam curaret, quo utroque alterius mors captari putabatur, ut memoriae prodidit FESTUS *lib.* XVI. voce: *rapi*. Alia tamen hujus moris cauſſam aſſignat SERVIUS ad *Eclog.* VIII. *v.* 29. (de eo intelligo, qui nondum eſt excuſus) *Faces*, inquit, *quae ſolent praeire nubentes puellas; corneae ſane faces, quae quaſi diutiſſime luceant, quas rapiunt tanquam vitae praeſidia. Namque his qui ſunt potiti, diutius feruntur vixiſſe.* Enimvero ſilentio praeterire non poſſum, quod quibuſdam viſum iri poſſe ſcio, in altum tolli nubentes priſcis temporibus conſueviſſe: Qua de re nos ſubtilis ingenii vir noſter LOISILIUS, ex OPTATI AFRI *lib.* VI. *de Schiſmate Donatiſtarum*, *pag.* 163. *ed. Londin.* 1631. admonuit, quo loco in Donatiſtas, qui virgines poſt crines ſemel ſolutos ad iteratam profeſſionem adegerant, ita invehitur: *Inveniſtis igitur hujuſmodi virgines, quae jam ſpiritualiter nupſerant; quaſi ſecundas coëgiſtis ad nuptias: ut crines iterum ſolverent imperaſtis. Hoc, nec mulieres patiuntur, quae carnaliter nubunt: ex quibus ſi alicui maritum mutare contigerit, non repetitur illa temporalis feſtivitas: non in altum tollitur, non populi frequentia procuratur.*

Verum id ex ſuae gentis Africanae potius, quam Latiae moribus, ab Optato mihi videtur eſſe dictum (*a*), cum Romano more nubentes manu potius ducerentur.

Compertum ſiquidem habeo, apud Poenos, Graecos, Aegyptios uſu receptum fuiſſe, ut nubentes ſellae inſidentes (*b*), curruque ſublimes vectae, a patris domo in mariti domicilium transferrentur. Quod ego APULEJI, POLLUCIS, SYNESII, SUIDAE teſtimoniis ita aperte comprobabo, ut nullus dubitationi reliquus ſit futurus locus. APULEJUS quidem *Apologia* pro ſeipſo *ſecunda pag.* 524. ſic habet: *Venit igitur ad eum nova nupta ſecura & intrepida, pudore diſpoliato, flore exoleto, flammeo obſoleto, virgo rurſum poſt recens repudium, nomen potius aſſerens puellae, quam integritatem. Vectabatur octophoro. Vidiſtis profecto, qui adfuiſtis, quam improba juvenum circumſpectatrix, quam immodica ſui oſtentatrix.* POLLUX vero *lib.* III. *Onomaſt. cap.* III. Ἐπὶ ζεύγους δὲ, inquit, αἱ νύμφαι ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ μετίασιν. *In curru ſponſae plerumque ſolent traduci.* Quod latius ac copioſius a SUIDA exponitur in voce Ζεῦγος (*c*). Ζεύξαντες, ait, τὴν λεγομένην κλινίδα, ἥ ἐστιν ὁμοία διέδρῳ, τὴν τῆς νύμφης μέθοδον ποιοῦνται. παραλαβόντες δὲ αὐτὴν ἐκ τῆς πατρῴας ἑστίας ἐπὶ τὴν ἅμαξαν ἄγουσιν ἐς τὰ τοῦ γαμοῦντος ἑσπέρας ἱκανῆς· κάθηνται δὲ τρεῖς ἐπὶ τῆς ἁμάξης, μέση μὲν ἡ νύμφη, ἑκατέρωθεν δὲ ὁ νυμφίος καὶ ὁ πάροχος. *Mulis aut bobus junctis lecticae, quae ſimilis eſt duabus ſellis, ſponſam arceſſunt. Eam autem ex paterna domo petitam, & currui impoſitam, in ſponſi domum bene veſperi deducunt. Tres autem in illo curru ſedent, ſponſa quidem media, utrimque vero ſponſus & parochus.* SYNESIUS quoque *Epiſt.* III. de puella poſt patrui funus nubente agens, quem nos, quod ejus verba paulo obſcuriora ſint, Latine loquentem faciemus. *Vix ergo*, inquit, *expectato ſeptimo die, quo nos juſta mortuo feceramus, epulumque funebre agitaveramus, anum* (*d*) *deliram, nutricem ſuam, in vehiculum mulis junctum tollens, meridie, quo tempore forum populi frequentia repletum erat, inſignibus nuptialibus ornata,* *pompae*

verſ. lib. XXI. *cap.* 29. *Theod. Janſonium ab Almeloveen Conject. pag.* 145. *Urſinum* in *Arboret. Bibl. cap.* 7. §. 4. *Jacob. Nicol. Loënſem Miſcell. Epiph. lib.* VIII. *cap.* 27. *Jean Triſtan* in *Hiſtoire generale des Empereurs par Medailles, Tom.* II. *pag.* 653. H. C. L. *Stockhauſen* in *Tr. de cultu & uſu luminum antiquo*, (*ed. Traject. ad Rhen.* 1726. 12.) *cap.* 9. §. 2. *Sam. Pitiſcum in Lexico Antiqq. voc. fax.* Meretur tamen haec materia uberiorem & accuratiorem adhuc diſquiſitionem, quam aliis relinquo, vel ad aliud ſaltem tempus mihi reſervo.

(*a*) DICTUM] Sunt, qui verba OPTATI trahunt ad morem illum, quem infra auctor tetigit, quo ſponſa ſupra limen domus tollebatur. Sed cum auctore noſtro ſentiunt *Petrus Pithoeus Adverſar. lib.* II. *cap.* 6. & *Mericus Caſaubonus* in notis ad *l. c. pag.* 352.

(*b*) INSIDENTES] Quo forſan reſpexit AUSONIUS, dum in *Centone nuptiali*, (*Eidyll.* XIII.) in deſcriptione ſponſae egredientis in fine addit:

Solioque alte ſubnixa reſedit.

(*c*) Ζεῦγος] Locus ita incipit: Ζεῦγος ἡμιονικὸν ἢ βοεικόν. ζεύξαντες &c. Prima verba ita accuratius vertuntur a *Ludolpho Kuſtero*: *Poſtquam mulorum aut boum jugum junxerunt currui ſponſali, cujus pars ea, quae* κλινὶς *vocatur, biſellio ſimilis eſt, ſponſam arceſſunt.*

(*d*) ANUM] *Se & anum* ſcribere debuiſſet auctor: eſt enim in Graeco textu: ἀνόητον καὶ τὴν φλήναφον τροφόν.

pompae more currum agens, *recta Teuchira* (nomen id eſt urbis Cyrenaicae praefecturae) *contendebat. Futurum enim eſt*, *ut ſequenti die faſciis redimita caput*, *ac Cybeles inſtar turrita urbem circumeat & oberret.* Haec ille. Sed & Conſtantinopoli idem uſu receptum fuiſſe videtur, quemadmodum indicio ſunt CLAUDIANI verſus, quos ex *carmine de nuptiis Honorii & Mariae* ſubjungam: *v.* 286.

> *Ante fores jam pompa ſonat*, *pilentaque ſacram* (*a*)
> *Praeradiant ductura nurum: calet obvius ire*
> *Jam princeps.*

At vero priſcis Romanis, quorum duntaxat ritus exequi mihi propoſitum eſt, curulem illam novae nuptae tranſvectionem in uſu fuiſſe nuſquam legi. Quinimo a pueris patrimis & matrimis duobus manu ductam nubentem SEXT. POMP. FESTUS *lib.* XIV. voc. *patrimi* non obſcure ſignificat. Nubentes plane colus compta cum fuſo & ſtamine comitabatur. Cujus moris graviſſima duo teſtimonia proferam. Unum ex PLUTARCHO ἐν Αἰτίοις, ſive *Quaeſt. Rom. cap.* 31. *pag.* 271. Τὴν νύμφην, ait, εἰσάγοντες, νάκος ὑποστρωννύουσι· αὐτὴ δὲ εἰσφέρει μὲν ἠλακάτην καὶ τὸν ἄτρακτον. *Sponſam adducentes*, *vellus ei ſubſternunt: illa vero ſecum fert colum & fuſum.* Alterum ex PLINIO, apud quem *lib.* VIII. *natur. hiſtor. cap.* XLVIII. ita eſt: *Lanam cum colo & fuſo Tanaquil*, *quae eadem Caja Caecilia vocata eſt*, *in templo Sangi duraſſe*, *prodente ſe*, *auctor eſt* M. Varro, *factamque ab ea togam regiam undulatam in aede Fortunae; qua Servius Tullius fuerat uſus. Inde factum*, *ut nubentes virgines comitaretur colus compta & fuſus cum ſtamine.* Illam autem de colo & fuſo Cajae Caeciliae obſervationem nec PLUTARCHUS praetermiſit, cujus haec ſunt in illo eodem libro *cap.* 30. *pag.* 271. verba: Ἢ διὰ τὴν Γαΐαν Καικιλίαν καλὴν καὶ ἀγαθὴν γυναῖκα τῶν Ταρκυνίου παίδων ἑνὶ συνοικήσασαν, ἧς ἐν τῷ τοῦ Σάγκτε ἱερῷ χαλκοῦς ἀνδριὰς ἕστηκεν, ἔκειτο δὲ πάλαι καὶ σανδάλια καὶ ἄτρακτοι. *Aut quia Caja Caecilia honeſta fuit ac proba matrona*, *uxor unius ex filiis Tarquinii*, *cui Cajae in Sancti templo ſtatua priſcis temporibus poſita fuit cum ſandaliis & fuſo.* Quo loci Σάγκτε, pro Σάγγε ſcriptum eſſe, prima facie quis ſuperioribus PLINII motus verbis judicaret. Et ita certe Genium eum nuncupat LIVIUS *lib.* VIII. *cap.* 20. *Aedes ejus*, ait, *quae eſſent in Palatio*, *diruendas; Bona Semoni Sango cenſuerunt conſecranda. Quod ex eis redactum*, *ex eo aenei orbes facti*, *& poſiti in ſacello Sangi verſus aedem Quirini.* Nam & Genii Sangi ſacellum in eadem cum novo Quirini templo regione urbis Romae, (VII.) PUP. VICTOR & SEX. RUFUS collocant. Idem LIVIUS *lib.* XXXII. *cap.* I. Veliterni aedem fuiſſe Sangi narrat. SEXTUS etiam POMP. FESTUS *lib.* XIV. *Propter viam*, ait, *fit ſacrificium*, *quod eſt proficiſcendi gratia*, *Herculi*, *aut Sango*, *qui ſcilicet idem eſt Deus.* LACTANTIUS FIRMIANUS *lib.* I. *Divinar. Inſtitution. cap.* XV. *Privatim vero ſinguli populi*, *gentis*, *aut urbis ſuae conditores*, *ſeu viri fortitudine inſignes erant*, *ſeu feminae caſtitate mirabiles*, *ſumma veneratione coluerunt*, *ut Aegyptii Iſidem*, *Mauri Jubam*, *Macedones Cabyrium* (*b*), *Poeni Uranum*, *Latini Faunum*, *Sabini Sangum* (aut, ut alii codices habent, *Sancum*). Verum M. CATO in *Originum fragmentis* (*c*), quem Sabini *Sangum* (nam illic *Sangnum* vitioſe ſcriptum eſt) dicerent, Romanos *Sanctum* pronunciaſſe, Barbaros *Sagam* dixiſſe notat. Utrumque etiam promiſcue dictum B. AUGUSTINUS *lib.* XVIII. *de Civit. Dei cap.* XIX. declarat. *Sabini etiam*, ait, *regem ſuum primum Sangum* (*d*), *ſive*, *ut aliqui appellant*, *Sanctum retulerunt in deos.* Ut proinde Σάγκτε ſcriptura apud PLUTARCHUM mutanda eſſe non

(*a*) SACRAM] In *Cod.* bonae notae *Uffenbachiano* legi *ſacra* ſua manu in margine *ed. Barthii* annotavit ſumme etiam poſt fata reverendus *Jo. Chriſtoph. Wolfius:* quae mihi lectio perplacet, licet non negem, vulgarem quoque lectionem tolerari poſſe. Caeterum conſule ad *h. l. Caſp. Barthii* notas, *pag.* 843. ubi quaedam affert de carpentis nuptialibus lectu digna.

(*b*) CABYRIUM] Legendum forſan *Cabyrum:* ſed vel ſic lectio *h. l.* adhuc eſt ſuſpecta. Cabiri enim Dii potius patrii Samothracum, quam Macedonum erant: immo, non tam unius gentis peculiares erant Dii, quam communes omnium gentium, ut jam notavit *Chriſtoph. Cellarius.* Mihi igitur legendum eſſe videtur *Caraunum*, qui, ut vel ex JUSTINO *lib.* VII. *cap.* I. notum eſt, conditor fuit regni Macedonici: pro quonomine minus noto ineptus forſan librarius notius poſuit *Cabirum.*

(*c*) FRAGMENTIS] Intelligit auctor *librum Originum* CATONIS, quem *Annia Viterbienſi* debemus, in quo locus hic non procul a fine reperiri poteſt. Pleriſque tamen eruditis, ut hodie vel pueris notum eſt, Annii bujus fides eſt ſuſpecta.

(*d*) SANQUM] Lectio Codd. valde differt, ut jam notavit *Lud. Vives:* in pleriſque tamen MSS. legi *Sancum* teſtantur Benedictini.

non videatur: quam video Latinorum quoque auctorum in libris haeſiſſe: veluti apud OVINIUM *lib.* VI. *Faſtor.* ubi Deus hic, aut Semideus potius, quo de agimus, idem eſſe cum Fidio & Hercule declaratur his verſibus: (213.)

Quaerebam Nonas, Sancto Fidiove referrem,
An tibi, Semipater? Tunc mihi Sanctus ait:
Cuicunque ex illis dederis, ego munus habebo:
Nomina terna fero: ſic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt aede Sabini:
Inque Quirinali conſtituere jugo.

Apud SILIUM etiam ITALICUM *lib.* VIII. *de bello Punico*, quo loco de Nurſinis & Tetricae rupis accolis agit, verſus hi leguntur: (v. 422.)

Ibant, & laeti pars Sanctum voce canebant,
Auctorem generis (a): *pars laudes ore ferebant,*
Sabe, tuas, qui de patrio cognomine primus
Dixiſti populos magna ditione Sabinos.

Sed & VARRO (ex cujus recognitione magnam a philologis omnibus gratiam *Vertranius Maurus*, rarae vir & reconditae doctrinae, inivit) *lib.* IV *de Lingua Lat. pag.* 19. *Unde*, ait, *ſub Dio*, *Divo*, *Dius Fidius. Itaque inde ejus perforatum tectum, ut videatur Divum, id eſt, coelum. Quidam negant ſub tecto per hunc dejerare oportere.* Aelius Gallus *Dium Fidium dicebat Dijovis filium, ut Graeci* Διόσκουρον *Caſtorem, & putabant hunc eſſe Sanctum ab Sabina lingua, & Herculem a Graeca.* Accedat & DIONYSII HALICAR. auctoritas, cujus haec ſunt *lib.* IV. *pag.* 257. verba: Τέτων τῶν ὁρκίων ἐςὶ μνημεῖον ἐν Ῥώμῃ κείμενον ἐν ἱερῷ Διὸς Πιςίε, ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκτον καλᾶσι. *Iſtorum ſacramentorum monumentum Romae eſt poſitum in templo Dii Fidii, quem Romani Sanctum vocant.* In quibus verbis convertendis aptius, meo quidem judicio, *Dium Fidium*, quam *Jovem fidei praeſidem* interpres dixiſſet. De eo etiam accipiendum eſt, quod apud eundem auctorem *lib.* II. *pag.* 112. *ſeq.* de *Medio fidio* narratur. Quem locum conſulendum cuique relinquam: dum tamen errati, quod illic deprehendet, monitorem me & praemonſtratorem habeat. Nam Μήδιον Φαζίδιον cum vitio ſcriptum inveniet, pro Μήδιον Φίδιον (b). Non abſimili errore apud SEX. RUFUM in deſcriptione regionis tertiae urbis Romae SANGI FIDONI, pro *Fidii* ſcriptum eſſe facile exiſtimarim. Ejus vero ſimulacrum ex marmore antiquo in libro Epigrammat. Urbis Romae expreſſum eſt. Quin & in Inſcriptione (c) quadam Reatina ita habetur: SANCTO FIDIO SEMIPATRI DE DECUMA VICTOR TIBEI LUCIUS MUMUS DONUM MORIBUS ANTIQUEIS PRO USURA HOC DARE SESE JUSSUM ANNO SUO PERFECIT. In qua inſcriptione Semipatris appellatio ad enarrationem OVIDII verſuum notanda eſt. Ceterum hunc Sancum vocat PROPERTIUS, & a ſanciendo videtur deducere. Sic enim inquit: (*lib.* IV. *Eleg.* IX. *ſive* X. *in fine.*)

Hunc (d), *quoniam manibus purgatum ſanxerat orbem,*
Sic Sancum Tatiae compoſuere manus.

Atque ut in hoc vocabulo diutius, quamquam non ſine fructu, immorantem me

(a) GENERIS] Alii legunt: *gentis*: & paulo poſt pro *patrio* ponunt *patris*.

(b) Μήδιον Φίδιον] De hac auctoris emendatione, quam alii etiam amplexi ſunt, ita indicat *Frid. Sylburgius* in notis ad *h. l. Sed neſcio, quam recte. Nam in illa jurandi formula*, Medius Fidius *non duarum, ſed trium vocum eſt copulatio*, me Dius Fidius, *ſicut duarum in* Mehercle, Mecaſtor. *Simul etiam genus loquendi ellipticum: nam plenum eſt:* ita me Dius Fidius, Hercules, Caſtor, bene amet, juvet, ſervet. *Si quis autem ſuſpicari velit*, Dionyſium, *non ſatis conſideratis Latinae formulae particulis, e prioribus duabus unam feciſſe, videat, quibus id rationibus fulciat. Videntur ſane, quae* περὶ τ Πιςίε Διὸς *paulo poſt idem* Dionyſius *noſter commemorat, hanc conjecturam ſubvertere.* Judicium ſit penes lectorem.

(c) INSCRIPTIONE] Legitur haec apud *Grut. pag.* 96. ubi pro SEMIPATRI legitur: SEMO PATRI. Et ſunt etiam, qui apud OVIDIUM *l. c. Semo pater* legendum potius eſſe, quam *Semipater* cenſent. Vid. *ex. g. M. Anton. Mureti Epiſt.* 32. *lib.* IV. *ed. Patav.*

(d) HUNC] In *ed. Scalig.* legitur: *Nunc*: & alter verſus ita editur: *Sic Sanctum Tatii compoſuere Cures.* Caeterum de Sanco hoc, praeter *Guil. Xylandri* notas ad PLUTARCHI *Quaeſt. Rom. l. c.* confer *Andr. Cirini* Opus *de urbe Roma & Romulo, cap.* 49.

me acquiore animo philologiae ſtudioſi ferant, adjiciam pro coronide, epitheti, quod a Livio Sango huic tribuitur, explicationem: qua gratum me eis feciſſe, ſi candidi ſunt, adgnoſcent. Quotus quiſque enim eſt, qui in eum Livii locum incidens, quo *Semonem* Sangum nominat, inſolentia vocis turbatus non haeſitet, ac ſubſiſtat? Ejus cette vocis vim ac poteſtatem unus mihi Fulgentius Placiades in *libello obſcurarum vocum ad Calcid.* patefecit: eujus verba, uti in ſcriptis libris (quorum ope libellum cum aliquando integritati ſuae reſtitui poſſe non diffido) habentur, producam. SEMONES, ait ille *num.* 11. *dici voluerunt Deos, quos nec coelo adſcriberent ob meriti paupertatem, ſicut ſunt Priapus, Hippona, Vertumnus: nec terrenos eos deputare vellent, pro gratiae veneratione: ſicut* Varro in Myſtagogorum libro *ait:* Semoneque inferius derelicto, Deum depennato attollam orationis alloquio. Ex quo auctore (nec enim alii indicii precium & τὸ μήνυτρα deberi puto) poſtea *Merulam & Beroaldum* ejus vocis ſenſum aſſecutos deprehendi. Unde *Semonem Sangum*, id eſt, Semideum & Medioximum Livius dixit. De his autem Deorum gradibus atque ordinibus videndus eſt Apulejus in *lib. de Dogmate Platon.* ſ. *de habitudine doctrinarum Platonis, lib.* 1. *pag.* 583. *ſeqq.* & iterum in *lib. de Deo Socratis, pag.* 664. *ſeqq.* & Martianus Capella *lib.* 1. *de nupt. Philolog. pag.* 19. *ſeqq.* Sed labor longius a propoſito, ad quod tamen non ante revertar, quam admonuero, a Plutarcho reliquos omnes auctores in eo diſſidere, quod non unius ex Tarquinii liberis, ſed Tarquinii Priſci uxorem Cajam Caeciliam, quae eadem Tanaquil vocitata eſt, fuiſſe ſcribant. Qua de cauſa Sex. Pompeji Festi *lib.* vii. voc. *Gaja* verba, quod ad rem apprime faciant, ſubjungenda duxi. *Caja Caecilia*, ait, *eſt appellata ut Romam venit, quae antea Tanaquil vocitata erat, uxor Tarquinii Priſci, Romanorum regis: quae tantae probitatis fuit, ut id nomen ominis boni cauſa frequentent nubentes: quam ſummam adſeverant lanificam fuiſſe.* Julius Paris in *Epitom. libr.* x. *Valer. Max. Ceterum Caja uſu ſuper omnes celebrata eſt. Fertur enim Cajam Caeciliam Tarquinii Priſci regis uxorem, optimam lanificam fuiſſe.* Quid ergo? Erroris aut oſcitantiae reum Plutarchum agemus? Mihi crimen hoc tam diligenti Romanarum antiquitatum inveſtigatori intendere religio eſſet. Crediderim itaque ſeripſiſſe eum Ταρκυνίαν ἐν συνοικήσει: ſed cum Ταρκυνία imperitus librarius deſeripſiſſet, nihilo peritiorem quendam ſenſus ſupplendi eauſa vocem παιδῶν inſeruiſſe. Nunc ad rem. Praeterea utenſilia mulieris, & quae in uſu ac miniſterio ejus erant, per puerum impuberem in vaſe operto geſtari conſueverant (*a*). Puer *Camillus*: Vas ipſum *Cumerum* proprio nomine vocabatur. Varro *lib.* vi. *de lingua Lat. cap.* 3. *pag.* 72. *Igitur dicitur in nuptiis Camillus, qui Cumerum fert, in quo quid ſit in miniſterio plerique extrinſecus neſciunt. Hinc Camillus nominatur in Samothraces myſteriis Dius quidam adminiſter Diis magnis. Verbum Graecum arbitror, quod apud Callimachum in poëmatis ejus inveni.* Verba vero haec imperite ſunt apud Sex. Pomp. Festum, aut Paulum ejus Epitomes auctorem, non depravata modo, ſed & confuſa, & permixta, *lib.* iii. in quo ita eſt: *Cumeram vocabant antiqui vas quoddam, quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis utenſilia, quod & Camillum dicebant, eo quod ſacrorum miniſtrum κάμιλλον appellabant.* Rectius vero alia parte: *Cumerum vas eſſe dicitur nuptiale, a ſimilitudine cumerarum, quae ſiunt palmeae, vel ſparteae, ad uſum popularem ſic appellatum.* Quod vero ad Camilli vocem attinet, apud eundem Sax. Pomp. *lib.* vi. traditur, *Flaminium Camillum* puerum dictum ingenuum patrimnm & matrimum, qui Flamini Diali ad ſacriſicia praeminiſtrabat: Camilloſque ab antiquis miniſtros, ſecundum nonnullorum ſententiam, omnes pueros appellatos: ſicut habetur in antiquo carmine, cum pater filio de agricultura praeciperet:

Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra Camille metes.

Macrobius *lib.* iii. *cap.* viii. ex Statio Tulliano *de vocabulis rerum lib.* 1. ait,

(*a*) Consuxverant] Quidam antiquarii ſcribunt, crepundia etiam pro liberis naſcituris in vaſe iſto fuiſſe: quod tamen nullo veterum nititur teſtimonio: uti nec illud, quod quidam tradunt, cognatos atque amicos ſingulos aliquid utenſilium portaſſe. Verum interim eſt, pompam illam, ſive officium, ut vocabatur, nuptiale, magna plerumque cognatorum amicorumque frequentia celebratum eſſe. (Vid. Juvenalis *Sat.* ii. *v.* 132. *ſeqq.* Surtonius in *Nerone*, *cap.* 28. Quinctilianus *Decl.* 306. Claudianus in *Nupt. Honorii Aug. & Mariae*, *v.* 286.) Praeceſſiſſe etiam tibicinem, & aliquem, qui Hymenaeum caneret, ex Plauto *Caſ. Act.* iv. *ſc.* 3. *v.* 1. *ſeqq.* notat *Alexander ab Alexandro Dier. Gen. lib.* ii. *cap.* 5.

ait, *Callimachum* dixiſſe, Tuſcos, Camillum appellaſſe Mercurium: quo vocabulo ſignificabant praeminiſtrum deorum. Unde apud Virgilium Camilla appellatur, Dianae ſcilicet praeminiſtra. Romanos quoque, pueros puellaſve nobiles, & inveſtes, Camillos, & Camillas appellaſſe, Flaminicarum & Flaminum praeminiſtros. Nec non SERVIUS in *libr.* XI. *Aeneidos. v.* 543. *Camilla*, ait, *quaſi miniſtra dicta eſt. Miniſtros enim & miniſtras impuberes. Camillos & Camillas in ſacris vocabant. Unde & Mercurius, Hetruſca lingua, Camillus dicitur, quaſi miniſter Deorum.* Et ut ſymbolam quoque Graeci auctores ad hujus vocabuli explicationem conferant, DIONYSIUS HALICAR. *lib.* II. *Antiquitat. pag.* 92. ex Romuli inſtitutis, ſacra quaedam per mulieres celebrata, memorat: in ejuſque miniſterii ſocietatem etiam liberos vocatos. Orbis vero, & prole carentibus conceſſum, ex quaque tribu puerum, & puellam eleganti forma optare ac ſeligere, quo ſacris miniſtrarent: puer quidem donec pubertatis annos attigiſſet: puella vero donec nupſiſſet. Idem adjicit, quo munere apud Hetruſcos, & antea apud Pelaſgos in Curetum, & majorum gentium Deorum myſteriis fungebantur, qui ab iis Κάδωλοι vocabantur: eodem functos apud Romanos, qui Camilli vocabantur: Sed & PLUTARCHUS in *Numa, pag.* 64. Τὸν ὑπηρετοῦντα τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς ἀμφιθαλῆ παῖδα, *miniſtrantem in templo Jovis pubeſcentem puerum utrumque parentem habentem*, Camillum dici tradit, ὡς, ait, καὶ τὸν Ἑρμῆν ἔνιοι τῶν Ἑλλήνων Κάμιλλον ἀπὸ τῆς διακονίας προσηγόρευον, *ſicut & Mercurium nonnulli Graecorum Camillum dicunt a miniſterio.* Quae eo pluribus, ut ſeneſcentis jam vocabuli, vetuſtate paene obliteratam ſignificationem excitarem. Quinetiam aſſes tres ad maritum nubentes deferebant (*a*), ut apud NONIUM MARCELLUM *lib.* XII. *num.* 50. *Varro* ſcribit, quorum unum, quem in manu tenebant, tamquam emenu marito dare; alium, quem in pede habebant, in foco Larium familiarium ponere; tertium, in ſacciperio, in compito vicinali reſignare ſolebant. Atque eo quem ſupra deſcripſi comitatu, nubentes ad mariti aedes accedebant. Aedium porro fores floribus& frondibus ornari conſueverant (*b*): Unde CATULLUS in *carmine de nuptiis Pelei* LXI. ſive LXV. *v.* 293.

De ſollemnibus nuptiarum in aedibus mariti.

Veſtibulum ut molli velatum fronde vireret.

JUVENALIS *Satyra* VI. *v.* 78.

Longa per anguſtos figamus pulpita vicos:
Ornentur poſtes & grandi janua lauro.

Lauro quippe poſtes ornare tam in publicis quam privatis gaudiis moris erat. TERTULLIANUS *Apologet. cap.* XXXV. *O nos merito damnandos! Cur enim vota & gaudia Caeſarum caſti & ſobrii, & probi expungimus? Cur die laeto non laureis poſtes obumbramus?* PLINIUS *lib.* XV. *natur. hiſtor. cap. ult. Laurus triumphis proprie dicatur, vel gratiſſima domibus janitrix Caeſarum, Pontificumque, quae & ſola domos exornat, & ante limina excubat.* LATINUS PACATUS *cap.* 37. *in Panegyr. Theodoſ.* de publica quadam congratulatione tractans: *Quid portas*, ait, *virentibus ſertis coronatas? Quid aulaeis tardantes* (*c*) *plateas, accenſiſque funalibus auctum diem?* RUTILIUS CLAUDIUS *Itinerarii lib.* I. *v.* 423.

Feſta

(*a*) DEFEREBANT] Hunc ritum pleri que perperam ad conventionem in manus, in ſpecie ad coëmtionem trahunt, quum tamen ad ſollemnem potius deductionem in domum mariti pertineat, ut recte docuit *Ulr. Grupenius* in *Tr. de Ux. Rom. Praefat.* & *cap.* 5. Et licet illam opinionem denuo reſuſcitaverit *Georg. d'Arnaud* in *Conject. lib.* I. *cap.* 26. nihil tamen attulit, ad quod non jam in anteceſſum laudatus *Grupen.* reſponderit. Sed quem in finem mulier aſſes iſtos tres attulerit, non una eademque eruditis ſedet ſententia. Mihi ſalvo ſliorum judicio ita videtur. Primo aſſe aditum ſibi ad mariti domum paravit; ſecundo aſſe in ſpecie ad ſacra domeſtica; & tertio denique ad ſacra vicinalia & compitalitia (quae in compitis a ſolis vicinis celebrabantur) aditum ſibi comparare voluit.

(*b*) CONSUEVERANT] Confer de hoc ritu *Nic. Rigaltii* notas ad *Tertull. lib.* II. *ad Uxor. cap.* 6. *Juſti Lipſii Elector. lib.* I. *cap.* 3. *Caſp. Sagittarii Tract. de Januis vet. cap.* 30. §. 16. *ſeq. Joach. Jo. Maderi Tract. de Coronis nuptial. pag.* 1416. *Tom.* VII. *Theſ. Antiqq. Graev.* ubi ex P'LAUTI *Aulul. Act.* II. *ſc.* 8. *v.* 15. *ſeq.* notat, Lares quoque Familiares in nuptiis coronatos fuiſſe, laudatque eam in rem *Jac. Gutherii Op. de vet. jure pontif. lib.* IV. *cap.* 6. Adde *Jac. Durantii Caſell. Var. lib.* I. *cap.* 19.

(*c*) TARDANTES] Recte *Joannes Livinejus* & *Claudius Puteanus* pro *tardantes*, quod ineptum eſt, ex libris manu exaratis reſtituerunt *undantes*.

T t

Feſta dies, tridemque meos dignata parentes,
Poſte coronato vota ſecunda colat.
Exornent virides communia gaudia rami.

Ex hoc vero more JUVENALIS *Sat.* VI. *v.* 226. de muliere ſtatim poſt nuptias divertente, dixit:

Ornatas paulo ante fores, pendentia liquit
Vela domus, & adhuc virides in limine ramos.

STATIUS PAPIN. *lib.* I. *Sylvar.* 2. *v.* 231.

Fronde virent poſtes, & fervent compita flammis.

CLAUDIANUS *lib.* II. *de raptu Proſerpinae*, *v.* 320. quo apparatu ea in thalamos Plutonis veniens excepta ſit, narrans:

Pars, inquit, *aulaea tenent, alii praetexere ramis*
Limina.

Enimvero pro foribus aedium mariti interrogatae nubentes, quaenam eſſent? Cajas ſe eſſe reſpondebant. Hoc ita auctor *Epitomes lib.* X. VALERII MAX. ſcribit: *Ceterum Caja uſu ſuper omnes celebrata eſt. Fertur enim Cajam Caeciliam, Tarquinii Priſci regis uxorem, optimam lanificam fuiſſe. Et ideo inſtitutum fuit, ut novae nuptae ante januam mariti interrogatae, quaenam vocarentur, Cajam eſſe ſe dicerent.* PLUTARCHUS plane ἐν Αἰτίοις ſive *Quaeſt. Rom. cap.* 30. *pag.* 271. eos, qui nubentem introducerent, ei verba haec ſuggeſſiſſe, teſtis eſt; *Ubi tu Cajus, ego Caja.* Quorum verborum eum eſſe ſenſum quidam exiſtimabant: ubi tu dominus & paterfamilias, ego domina & materfamilias: ut quemadmodum Jureconſulti in exemplis proponendis Caji, Seji, & Lucii Titii; Philoſophi vero Theonis & Dionis nomina uſurpant: ita & in nuptialibus his cerimoniis nomen Cajae exempli cauſa fuerit uſitatum. Aliis, Cajae Caeciliae nomini, quod ominis boni cauſa, ut jam ex SEX. POMP. docuimus, nubentes frequentabant, morem hunc accepto ferendum eſſe magis placebat.

Certe Jureconſultos ridendi ea res MARCO TULLIO argumentum praebuit in *Oration. pro Muraena*, *cap.* 12. *Ut Caja*, ait, *quia in alicujus libris, exempli cauſa id nomen invenerant, putarunt omnes mulieres, quae coëmptionem facerent, Cajas vocari.* QUINCTILIANUS *lib.* I. *cap.* VII. *Nam & Cajus C. litera notatur, quae inverſa mulierem declarat: quia tam Cajas vocitatas eſſe, quam Cajos, ex nuptialibus ſacris apparet.* Sane de hoc veteri nuptiarum ritu, quo auſpicibus adhibitis Cajus Cajam ducebat, idem fere VELIUS LONGUS *de Orthographia pag.* 1218. *ap. Putſch. Non magis*, inquit, *in numero literarum eſſe oportet*, (de litera K loquitur) *quam illam notam 7. qua centuria, & quam C converſum,* (Ↄ) *quo Caja ſignificatur: quod notae genus videmus in monumentis, cum quis libertus mulieris oſtenditur. Cajas enim generaliter auſpices* (*a*) (ita enim lego, non *aſpicis*) *omnes mulieres accipere voluerunt.* Poſtes vero januae lana tangi a nubentibus, adipeque ungi & oblini conſueverant. Unde uxores, quaſi unxores, dictas Grammaticis placet. PLINIUS *lib.* XXIX. *natural. hiſtor. cap.* II. *Lanis auctoritatem veteres Romani etiam religioſam habuere, poſtes a nubentibus his attingi jubentes.* Ex quo illud LUCANI nuptiarum quandam feſtivitatem deſcribentis, *lib.* II. *de bello Pharſal.*, *v.* 355.

Inſulaque in geminos diſcurrit candida poſtes.

PLUTARCHUS ἐν Αἰτίοις, ſive *Quaeſt. Rom. cap.* 31. *pag.* 271. de nova nupta loquens: Ἐρίῳ δὲ, ait, τὴν θύραν περιστέφει τοῦ ἀνδρὸς, *lana coronat fores viri.*

Undè

(*a*) AUSPICES] In *ed. Eliae Putſchii* legitur: *generaliter priſci has omnes.* Si auctoris lectio *Codd. MSS.* auctoritate niteretur, exinde concludi poſſet, auſpices omnes mulieres, auſpicato nubentes, Cajas vocaſſe: quemadmodum JCti illas in ſpecie ſic vocarent, quae per Coemtionem in manum convenirent. Ceterum non ingenuas tantum, ſed & libertinas ita vocatas fuiſſe, contra *Jo. Anton. Urſatum* probat *Staniſl. Santinellus* in *Diſſ. de diſciplina & moribus fem. Rom. cap.* 4. *pag.* 113. *Opuſc.* quod ſaltem poſt legem Papiam Poppaeam nullam habet dubitationem.

Unde bella ſumi poteſt occaſio emendandi PLINIANI illius loci, ut pro *attingi* legamus; *ea cingi jubentes* (*a*): quod eſt στέφειν. DONATUS in II. *Sc. Act.* I. *v.* 60. *Hecyr. Terentii. Uxor dicitur ab ungendis poſtibus, & figenda lana, id eſt, quod cum puellae nuberent, maritorum poſtes ungebant, ibique lanam figebant.* SERVIUS in IV. *Aeneidos*, *v.* 458. *Moris*, ait, *fuit, ut nubentes puellae, ſimul ac veniſſent ad limen mariti, poſtes, antequam ingrederentur* (*b*), *ornarent laneis vittis, & oleo ungerent: & ideo uxores dictae, quaſi unxores.* Quae verba, ut alia pleraque, ISIDORUS ſuppreſſo auctoris nomine, in ſuam *Etymologiarum* farraginem tranſcripſit. ˣ Quod vero ad unctionem attinet, PLINIUS *libr.* XXVIII. *cap.* IX. novas nuptas adipe lupino poſtes inungere ſolitas, ne quid mali medicamenti inferretur, ſcribit. Inde ARNOBIUS *lib.* III. *adverſus gentes*, *pag.* 115. *O egregia numinum, ac ſingularis interpretatia poteſtatum! Niſi poſtes virorum adipali unguine oblinerentur ab ſponſis*, & quae ſequuntur: ubi etiam unxionibus iis deam Unxiam præfuiſſe ſcribit. Quod cognomen antiquitatem Junoni indidiſſe MARTIANUS FELIX CAPELLA *libr.* II. *pag.* 47. docet, in quo Philologia his verbis Junonem affatur (*c*): *Cum nihil contagionis corporeae ſexu intemerata pertulerim. Iterducam, & Domiducam, Unxiam, Cinxiam, mortales puellae debent in nuptias convocare, ut earum & itinera protegas, & in optatas domos ducas, &, cum poſtes ungent, fauſtum omen adfigas.* Unctione peracta, nova nupta limen januae tranſilibat (*d*), eoque modo in aedes inducebantur. Religioni quippe habebant, ſi in transgrediendo mulier limen contigiſſet. Unde CATULLUS in *Carmine de nuptiis Jul. & Manl.* LVIII. *al. v.* 166. LXII.

ˣ lib. 2. cap. ult.

Transfer, omine cum bono,
Limen aureolos pedes,
Raſilemque ſubi forem.

LUCANUS *lib.* II. *de bello Pharſal. v.* 358.

Turritaque premens frontem matrona corona,
Tranſlata vitat (*e*) *contingere limina planta.*

PLUTARCHUS ἐν Ἀιτίοις, ſive *Quaeſt. Rom. cap.* 29. *pag.* 271. hujus moris cauſas perquirens: Διὰ τί, ait, τὴν γαμουμένην οὐκ ἐῶσιν αὐτὴν ὑπερβῆναι τὸ (ſic enim lege, non τὸν) οὐδὸν τῆς οἰκίας, ἀλλ᾽ ὑπεραίρουσιν οἱ προπέμποντες; *Cur nuptam non patiuntur ipſum tranſcendere limen domus, ſed ſublatam transportant pronubi?* Cujus rei tres rationes adfert. Unam quod Sabinae a Romanis raptae, eodem genere ac modo ſint in aedes introductae. Hoc enim valent ea verba: Πότερον ὅτι τὰς πρώτας γυναῖκας ἁρπάσαντες οὕτως εἰσήνεγκαν, αὐταὶ δ᾽ οὐκ (ita enim veteres codices recte habent) εἰσῆλθον; *Utrum, quod primas feminas rapientes ſic eas importarunt in domos, ipſae vero non ingreſſae ſunt.* Quam rationem idem auctor probat in *Romulo*, *pag.* 26. his verbis: Διαμένει δὲ μέχρι νῦν τὸ τὴν νύμφην αὐτὴν ἀφ᾽ ἑαυτῆς ὑπερβαίνειν τὸν οὐδὸν εἰς τὸ δωμάτιον, ἀλλ᾽ αἰρομένην εἰσφέρεσθαι, διὰ τὸ καὶ τότε κομισθῆναι βιασθείσας, μὴ εἰσελθεῖν. *Servatur hinc etiam hodie, ne limen ſponſa ipſa tranſcendat in domum, ſed ſublata inferatur, quod vi tunc illatae, non ingreſſae eſſent.* Secundam hujus obſervationis rationem idem auctor reddit, quod in eum locum, in quo pudicitiam eſſent amiſſurae, quodammodo invitas & nolentes ingredi, virginali pudori conſentaneum eſſet. Addit & tertiam, ut, quas coacta ingreſſa eſſet aedes, eas non niſi invitam eam egreſſuram ominarentur. Cujus rei demonſtrandae cauſa, in Boeotia currus axem pro foribus comburi ſolitum narrat: ἐμφαίνοντες, ait, δεῖν τὴν νύμφην ἐμμένειν: (nam ita legendum, non ut vulgo perperam ἐμβαίνειν, non modo ſcripti codices, ſed & Latina

(*a*) JUBENTES] Sed ſic etiam verbum *his* deleri deberet. Mihi haec emendatio non neceſſaria eſſe videtur.

(*b*) INGREDERENTUR] In *noviſſ.* SERVII *edd.* additur: *propter auſpicium caſtitatis*: non male: nam lanificium non tantum diligentiae, ſed & caſtitatis ſignum erat. Confer. *Chriſt. Falſteri Amoenit. philolog. cap.* 16. & praeterea de hoc ritu *Caſp. Sagittarii Tract. de Januis vet. cap.* 30. §. 18. *ſeqq.*

(*c*) AFFATUR] Priora verba non poſſunt intelligi, niſi proxime antecedentia aſſumantur: *Nam Fluoniam Februalemque ac Februam mihi poſcere non neceſſe eſt, cum &c.*

(*d*) TRANSILIBAT] Vel potius, dum ad limen domus quaſi obſtinata ſtabat, ſuper illud quaſi invita, vel a pueris patrimis & matrimis, vel a pronubis, tollebatur.

(*e*) VITAT] Hoc verbum vario modo legitur in editis & MSS. Codd. Alii enim *metuit*, alii *vetuit*, alii *vetat*, alii denique *vitat* legere malunt. Vide ad *h. l.* Interpretes.

tina verſio docent) ὡς ἀνῃρημένου τοῦ ἀπάξοντος, *oſtendentes, ſponſae in illa domo manendum eſſe, curru ſublato.* VARRONI autem placuiſſe, SERVIUS in VIII. *Virgilii Eclog. v.* 29. auctor eſt, ideo ſponſas limen non tetigiſſe, ut ne a ſacrilegio inchoarent, ſi depoſiturae virginitatem, calcarent rem Veſtae, id eſt, numini caſtiſſimo, conſecratam (*a*). At ISIDORUS *lib.* IX. *Etymolog. cap. ult.* novas nuptas limen calcare vetitas tradit, quod illic januae & coëant, & ſeparentur. Secundum quae apud PLAUTUM *Caſin. Act.* IV. *Sc.* 4. *v.* 1. ſuſpenſo greſſu limen transgredi admonetur (*b*):

Senſim, ait, *ſuper atolle limen pedes, nova nupta.*
Soſpes iter incipe hoc, ut viro tuo ſemper ſis ſuperſtes.

Jam ingredienti nuptae claves dabantur, ad ſignificandam, quemadmodum SEX. POMP. FESTUS *lib.* III. *v. clavim*, explicat, partus facilitatem: vel, quod magis eſt, ut ſignificaretur ei rerum omnium domeſticarum, quae clavibus concludi ſolent, cura ac cuſtodia, tota denique domus ac rei familiaris a viro quaeſitae adminiſtratio, diſpenſatioque permitti. Nam & ex diverſo, cum illi nuntius remittebatur, claves adimebantur, ut CICERO II. *in Anton. Oration.* indicat *cap.* 28. *Mimam*, inquiens, *exegit, claves ademit, res ſuas ſibi habere juſſit ex* XII. Quem locum belle ac feliciter *Petr. Victorius* reſtituit. Atque adeo ἐκ τῆς κλειδῶν ὑποβολῆς, *ex clavium ablatione*, viro uxorem repudiare Romulus conceſſit, ut PLUTARCHUS in *ejus vita pag.* 31. auctor eſt: quod cum novus PLUTARCHI interpres *Xylander* non intelligeret, παίδων pro κλειδῶν emendandum putavit (*c*), rejecta veteri verſione. Hoc amplius, ut reliqua perſequamur, in pelle lanata, quemadmodum a SEX. POMP. FESTO *lib.* IX. traditur, nova nupta ſtatuebatur, vel propter morem vetuſtum, quo antiquitus homines pellibus erant induti, vel quo teſtaretur, ſe lanifici officium viro praeſtaturam. Et hoc eſt, quod PLUTARCHUS ἐν Αἰτίοις, ſive *Quaeſt. Rom. cap.* 31. *pag.* 271. ait (*d*): Τὴν νύμφην εἰσάγοντες, νάκος ὑποστρωννύουσι, *ſponſam introducentes, vellus ſubſternunt.* Siquidem νάκος, interprete SUIDA, ἔντεχνον δέρμα ſignificat, ἤτοι δορὰ προβάτου. Νάκος *pellis eſt, cui lana nondum eſt detracta: ſive vellus ovium.* Et HESYCHIUS vocem νάκεα, δέρματα προβάτων, *pellibus ovium*, valere ſcribit. Sed & aqua & ignis nuptiarum ſollemnibus adhiberi conſueverant. Hinc SCAEVOLA noſter: *Die*, inquit, γ *nuptiarum, priuſquam ad virum tranſiret, & priuſquam aqua & igni acciperetur.* Sic enim rectius in Florentino Codice, quam, ut in aliis, *Aqua & ignis acciperetur*, ſcriptum eſſe, SERVIUS, hunc quoque morem referens, comprobat, ad illum ex IV. *Aeneid.* verſum: (167.)

γ *L. pen. §.* 1. *D. de donationib. int. vir. & ux.*

Dant ſignum: fulſere ignes, & conſcius aether
Conjugii.

Ubi haec VARRONIS verba ab eo recitantur: *Aqua & igni mariti uxores accipiebant. Unde & hodie faces praelucent, & aqua petita de puro fonte per puerum feliciſſimum, vel puellam, quae intereſt nuptiis, de qua ſolebant nubentibus pedes lavari.* Apud SEX. POMP. FESTUM, aut potius PAULUM, qui cum in Epitomen infeliciſſime

(*a*) CONSECRATAM] Eandem rationem reddit SERVIUS ad *Aeneid. lib.* II. *v.* 469.

(*b*) ADMONETUR] Ex hoc loco obſervarunt *Hadr. Turnebus Adverſ. lib.* VIII. *cap.* 11. & *Mercerus* in notis ad *Alex. ab Alex. lib.* II. *cap.* 5. *pag.* 277. hunc ritum non tantum in ingreſſu domus mariti; ſed & in egreſſu domus patriae obſervatum fuiſſe. Illi vero errant, qui poſteriorem verſum pro ratione prioris habent, exindeque concludunt, veteres putaſſe, hac ratione ſponſam ſponſo ſuperſtitem fore. Nam poſterior verſus non cum priori, ſed cum ſequentibus cohaeret, & ſimpliciter continet votum. Alii rationem hujus ritus arceſſunt a veneficiis, ſive magicis artibus. Vide *Jo. Mich. Dilberri Diſſ. de antiquo ritu nupt.* (quae exſtat inter ejus *Diſſert. Acad. Tom.* I. *num.* 25.) §. 82. Alii denique rationem petunt a ſuperſtitione veterum, ſecundum quam ominoſum habebatur in ipſo limine offendere. Vide *Caſp. Sagittarii Tract. de Januis Vet. cap.* 35. §. 0. *ſeqq.*

(*c*) PUTAVIT.] Vulgatam tamen lectionem defendunt *Henr. Stephanus* & noviſſimus vitarum parallelarum editor Anglus.

(*d*) AIT] Quidam PLUTARCHI verba de alio ritu, quam de quo FESTUS loquitur, accipiunt: ſed ego cum auctore ſcriptores hoſce conjungendos eſſe puto. Simile quid in confarreationibus uſitatum fuiſſe, jam ſupra ex SERVIO ad *Aeneid.* IV. *v.* 374. notavi: qua in re non eſt fides hujus interpretis ſollicitanda: (ut fecit *Grupen. de Ux. Rom. cap.* 4. §. 10.) potuit enim hic ritus ex confarreatione originem habere, & alia ratione adhiberi in confarreatione, quam in nuptiis communibus.

ſciſſime contraxit, *lib.* I. verba haec leguntur: *Aqua, & igni interdici ſolet damnatis, quae accipiunt novae nuptae: videlicet quia hae duae res maxime vitam continent.* Et iterum *lib.* VI. voc. *facem*: *Aqua aſpergebatur nova nupta, ſive ut pura caſtaque ad virum veniret, ſive ut & ignem & aquam cum viro communicaret.* Unde illud patet, quod paulo obſcurius ab HERODIANO *lib.* I. *cap.* 50. ſcriptum fuerat, Commodum Marciam concubinam ita dilexiſſe, & uxoris prope loco habuiſſe, ut omnia illi velut Auguſtae, praeter ignem, indulgeret (*a*). VARRO *lib.* IV. *de lingua Latina pag.* 18. *Igitur*, ait, *cauſa naſcendi duplex, aqua & ignis. Ideo ea in nuptiis in limine adhibentur, quod conjungit. Hinc & mas ignis, quod ibi ſemen; aqua femina, quod foetus ab ejus humore & eorum conjunctione ſumit Venus.* Quam VARRONIS rationem PLUTARCHUS ἐν Αἰτίοις ſive *Quaeſt. Rom. cap.* I. *pag.* 263. his verbis expoſuit: Διὰ τί τὴν γαμουμένην ἅπτεσθαι πυρὸς καὶ ὕδατος κελεύουσι; πότερον τούτων, ὡς ἐν στοιχείοις καὶ ἀρχαῖς τὸ μὲν ἄρρεν ἐστὶ, τὸ δὲ θῆλυ, καὶ τὸ μὲν ἀρχῆς κινήσεως ἐνίησι, τὸ δὲ ὑποκειμένου καὶ ὕλης δύναμιν. *Cur jubent nubentem tangere ignem & aquam? An quod horum, quatenus in elementis & principiis numerantur, alterum mas eſt, alterum femina: & ignis principia motus, aqua ſubjecti, & materiae facultatem ſuggerit.* Alias tamen ille hujus moris rationes, quas commemorare nihil attinet, adfert. Illam vero, quam ex FESTO primum reddidimus, OVIDIUS *lib.* IV. *Faſtor. v.* 789. amplexus eſt, cum de aqua & igni agens, ita ſcribit:

> *An quod in his vitae cauſa eſt, haec perdidit exul,*
> *His nova fit conjunx, haec duo magna putant?*

At DIONYSIUS HALICARNASSEUS, hujus inſtituti originem a Romulo arceſſit *lib.* II. *Antiquit. pag.* 100. Κατέλεξεν (*b*), ait, αὖθις ἐκ τῶν ἀγάμων ἄνδρας ἰσαρίθμους, οἷς αὐτὰς συνήρμοσε κατὰ τοὺς πατρίους ἑκάστης ἐθισμοὺς, ἐπὶ κοινωνίᾳ πυρὸς καὶ ὕδατος ἐγγυῶν τοὺς γάμους, ὡς καὶ μέχρι τῶν καθ' ὑμᾶς ἐπιτελεῖται χρόνων. *Poſt haec, comperto puellarum ſexcentarum octoginta trium numero, delegit totidem viros coelibes, quibus eas elocavit, ritu cujuſque patrio, ignis & aquae communionem inter conjuges pactus, qui mos durat uſque ad noſtra tempora.* Accedat & VARRONIS teſtimonium ex *lib.* II. *de vita pop. Rom.* quod a NONIO MARCELLO refertur in verbo: *Titionem*, *lib.* II. *num.* 874. & in verbo: *Felix*, *lib.* IV. *num.* 195. ſed utrobique ita corrupte, ut inde ſenſus nullus elici poſſe videatur. Sic autem reſtituendum cenſeo: *Contra a novo marito cum ignis e foco in titione ex felici arbore, & in aquali aqua allata eſſet.* Quae verba ad hunc ſollemnem nuptiarum ritum perſpicuum eſt pertinere, ut in titione, id eſt, fuſte ardente, ignem; in aquali, quae vox vas aquarium ſignificat, aquam a novo marito allatam ſignificent (*c*). Huc vero reſpiciens STATIUS

PA-

(*a*) INDULGERET] Locus HERODIANI plane huc non pertinet, ſed ritum illum reſpicit, quod Auguſto Auguſtaeque ignis in proceſſibus publicis praeferri ſoleret: ut locum recte accepit *Balth. Bonifacius* in *Hiſtor. ludicra, lib.* XVI. *cap.* 15. *pag.* 480. Vide praeterea de hoc ritu *Anton. Borremanſium Var. lect. cap.* 5. quoſque laudat *Jo. Alb. Fabricius* in *Bibliogr. Antiq. pag.* 497.

(*b*) Κατέλεξεν] Senſus eſt mancus, niſi adſumantur verba proxime praecedentia: Καὶ μετὰ τοῦτο διαριθμήσας τὰς κόρας ἑξακοσίας τε καὶ ὀγδοήκοντα καὶ τρεῖς εὑρεθείσας.

(*c*) SIGNIFICENT] Sed cum hoc loco conjungendus eſt alter NONII *lib.* II. *num.* 340. (quem auctor ſupra jam exhibuit) quia ejuſdem VARRONIS verba proxime praecedentia continet, uti jam vidit *Joſeph. Scaliger* in *Conject.* ad *Varron. pag.* 28. *Quum a nova nupta ignis in face adferretur, foco ejus* (ſive, ut auctor ſupra emendavit, *Aedilis*) *ſumtus; quum fax ex ſpina alba eſſet, ut eam puer ingenuus adferret: contra* &c. Ex hoc quantivis pretii loco, ſi cum alio VARRONIS apud SERVIUM ad *Aen.* IV. *v.* 167. (quem auctor paulo ante adduxit) conjungatur, diſcimus: Et ſponſam ſecum ignem (in facibus ſcilicet) & aquam (quam puer vel puella ex puro fonte hauſit, quaeque ad pedes ejus lavandos adhibebatur) attuliſſe: & maritum illam in limine domus & igne, (in titione ſcilicet ex felici arbore, in foco Larium domeſticorum accenſa) & aqua (quae in aquali afferebatur, & qua ſine dubio, juxta FESTUM *l. c.* adſpergebatur) accepiſſe. Hoc igitur modo nova nupta igne & aqua accipiebatur, ſive ignem & aquam tangebat, & ſic ignis & aqua inter utraſque perſonas communicabatur: id quod ſine dubio divini & humani juris communicationem indicare debebat. Sed hic ritus, in quibuſvis nuptiis ſollemnibus, in ipſa ad domum mariti deductione, uſitatus, non impedit, quo minus aqua & ignis quoque communicaretur inter maritum & uxorem vel in quibuſvis ſacrificiis nuptialibus, vel in ſpecie in Confarreatione, juxta SERVIUM ad *Aeneid. lib.* IV. *v.* 103. Unde neque negandum, in confarreatione aquam & ignem peculiari quadam ratione fuiſſe adhibitum (quemadmodum in hiſce nuptiis arctior divini & humani juris communicatio introducebatur) neque ex ſola aquae & ignis mentione confarreationis ritus ſuſpicandus eſt, ut facere videtur *Georg. d'Arnaud Conject.*

lib.

Papin. in *Epithalamio Stellae & Violantillae, lib.* 1. *Sylv.* 2. Muſas ad eorum nuptias convenientes, ignem & aquam geſtantes facit: (*v.* 3.)

> —— —— *Procul*, ait, *ecce canoro*
> *Demigrant Helicone Deae, quatiuntque novena*
> *Lampade ſollemnem thalamis coëuntibus ignem,*
> *Et de Pieriis vocalem fontibus undam.*

Ovidius *lib.* ii. *de Arte amand. v.* 597.

> *Iſta viri captent, ſi jam captanda putabunt;*
> *Quos faciet juſtos ignis & unda viros.*

Valerius Flaccus *lib.* viii. *Argonauticor. v.* 243.

> *Inde ubi ſacrificas cum conjuge venit ad aras*
> *Aeſonides, unaque adeunt, pariterque precati*
> *Incipiunt, ignem Pollux undamque jugalem*
> *Praetulit.*

Eodem etiam reſpexiſſe videtur Claudianus *lib.* ii. *de raptu Proſerp. v.* 230. cum ait:

> *Confeſſus ſocerum, nimbis Hymenaeus hiulcis*
> *Intonat, & triſtes firmant connubia flammae.*

Hic commode, Coenae nuptialis, ſilentio minime praetermittendam mentionem ſubjici poſſe, & vero debere exiſtimo: qua opipare ac laute acceptos convivas fuiſſe, facile quis vel me tacente intelligeret. Plautus *Curculion. Act.* v. *Sc. penult. v.* 60.

> *Tu ut hodie adveniens coenam des ſororiam:*
> *Hic nuptialem cras dabit.*

Rurſus *Sc. ult. v.* 50.

> *Tu miles apud me coenabis: hodie fient nuptiae.*

Unde Davus ille Terentianus in *Andria Act.* ii. *Sc.* 2. nuptias non futuras conjectat, quod nullum ciborum apparatum inſtrui videat, qualis in nuptiis ſolet, nullam turbam introire aut exire videat, in aedibus nihil ornati, nihil tumulti: praeterea quod & puerum Chremis convenerit holera & piſciculos minutos ferentem obolo in coenam ſeni.

Cicero *lib.* ii. *epiſt. ad Q. Fr. ep.* 3. *Pridie idus haec ſcripſi ante lucem. Eo die apud Pomponium in ejus nuptiis eram coenaturus.* Juvenalis *Sat.* vi. *v.* 200.

> —— —— —— *Ducendi nulla videtur*
> *Cauſa, nec eſt quare coenam, & muſtacia perdas.*

Suetonius in *Calig. cap.* xxv. *Alii tradunt, adhibitum coenae nuptiali, mandaſſe ad Piſonem, contra accumbentem:* Noli uxorem meam premere: *ſtatimque e convivio abduxiſſe eam ſecum.* Ausonius in *Epiſt.* ix. *ad Paulum v.* 49.

> *Natalis ſi forte fuit ſollemnis amico,*
> *Conjugioque dapes, aut ſacra Repotia patrum.*

Has *epulas geniales* Claudianus *lib.* ii. *de Raptu Proſerp. v.* 327. vocat. Extat

lib. 1. *cap.* 28. Caeterum de aquae & ignis communicatione in nuptiis, praeter ſcriptores generales de ritu nuptiarum, & interpretes ad veteres auctores claſſicos & ad *L.* 66. *D. de R. N.* confer *Alexandr. ab Alex. Dier. Gen. lib.* ii. *cap.* 5. ibique interpp. *Hadr. Turnebi Adverſ. lib.* xx. *cap.* 36. & xxix. *cap.* 27. *Raph. Fabretti Tr. de Columna Trajani, cap.* 6. *pag.* 153. *Uir. Grupen. de Ux. Rom. cap.* 4. *Fr. Barbati Tr. de re uxoria, lib.* 1. *cap.* 8. *Jacobi Cujacii Obſervatt. lib.* xi. *cap.* 2.

Digitized by Google

tat utique in *Sympoſiac.* PLUTARCHI caput (*lib.* IV. *cap.* 3. *pag.* 666.) quo tractatur: *Διὰ τί πλείστους ἐν γάμοις ἐπὶ τὸ δεῖπνον καλοῦσιν; Cur in nuptiis plurimi ad coenam vocantur?* Leges ſane ſumptuarias, quibus effervеſcens Romanorum luxuriae aeſtus coërcebatur, nuptiis aliquid indulſiſſe, & de praeſcripta victus ac coenarum tenuitate remiſiſſe accepimus. Lex ſiquidem Licinia, cum in certos quoſdam dies centenos aeris impendi permiſiſſet, nuptiis ducenos indulſit. Lex vero Julia, quae ad populum Caeſare Auguſto imperante pervenit, profeſtis diebus ducentos ſinit; Calendis, Idibus, Nonis, & aliis quibuſdam feſtivis, trecentos: Nuptiis autem & Repotiis H. S. milies eſſe conceſſit, quemadmodum GELLIUS *lib.* II. *cap.* XXIV. refert. Ut autem nuptiis apud virum coenabatur (*a*), ita ſponſaliorum nomine convivium praeberi ſponſo a puellae parentibus conſueviſſe, non male mihi videor ex his CICERONIS verbis conjicere, quae ſunt *lib.* II. *Epiſt. ad Q. Fratrem*, *ep.* 6. (*al.* 5.) *Ad* VIII. *Idus April. ſponſalia Craſſipedi praebui. Huic convivio puer optimus Quintus tuus, meuſque, quod perleviter commotus fuerat, defuit.* Satagebant profecto veteres, ut quam maxima populi frequentia, celeberrimoque, prout ipſi loquebantur, officio nuptae deducerentur. SUETONIUS in *Calig. cap.* XXV. *Liviam Oreſtillam, C. Piſoni nubentem, cum ad officium & ipſe veniſſet, ad ſe deduci imperavit.* Idem in *Neron. cap.* XXVIII. de Sporo agens: *Cum dote, ait, & flammeo, per ſollemne nuptiarum celeberrimo officio deductum ad ſe, pro uxore habuit.* QUINCTILIANUS *Declamation.* CCCVI. *Aſpice illam virginem, quam pater tradidit, euntem die celebri comitante populo.* Officii cauſa amicis adeſſe in hujuſmodi celebritatibus veteres ſolebant. PLINIUS *Epiſt.* 9. *lib.* I. *Nam ſi quem interroges hodie; quid egiſti? Reſpondet officio togae virilis interfui, ſponſalia, aut nuptias frequentavi.* TERTULLIANUS in *lib. de Idololatria*, *cap.* 16. *Circa officia vero privatarum & communium ſollemnitatum, ut togae purae, ut ſponſalium, ut nuptialium, ut nominalium, nullum putem periculum obſervari de flatu idololatriae, quae intervenit. Cauſae enim ſunt conſiderandae, quibus praeſtatur officium. Eas mundas eſſe opinor per ſemetipſas, quia neque veſtitus virilis, neque annulus, aut conjunctio maritalis, de alicujus idoli honore deſcendit.* JUVENALIS *Sat.* 2. *v.* 134.

Quae cauſa officii? quid quaeris? nubit amicus,
Nec multos adhibet (*b*).

Eaque

(*a*) COENABATUR] De Coena nuptiali quaeſtio adhuc dubia eſt, num ea ante domum deductionem in domo ſponſae, aut poſt deductionem in domo mariti celebrata fuerit. Sunt etiam, qui duplicem ſtatuunt coenam nuptialem, *v. g. Mercerus ad Alex. ab Alex. lib.* II. *cap.* 5. & *Dempſterus* in *Paralip.* ad *Roſini Antiqq. lib.* V. *cap.* 37. Sed hi vel coenam ſponſalitiam, vel repotia cum coena nuptiali confundunt, vel mores etiam Graecorum & Romanorum miſcent. Quaeſtio ergo de ſola proprie ſic dicta coena nuptiali apud Romanos remanet, quam plerique in mariti domo poſt deductionem celebratam fuiſſe ſtatuunt. Aſt Vir. Cl. *Georg. Henr. Ayrer.* in *Diſſ. de jure connub.* § 12. non contemnendis probare voluit rationibus, eam ante deductionem in domo patria ſponſae, ſumtibus tamen ſponſi, celebratam fuiſſe. Cujus rationibus addi poſſunt duo adhuc argumenta: quorum (1) primum peti poteſt ex AUSONII *Centone nupt.* Edyll. XIII. ubi primo loco de coena nuptiali, & deinde de pompa demum ſponſae egredientis loquitur. (2) Alterum peti poteſt ex PLAUTI *Aulul. Act.* I. *ſc.* 8. *ſeq.* ubi coena nuptialis coquitur in domo Euclionis, qui ſponſae pater erat. Sed obſtare tamen videtur locus, quem ex CICERONIS *Epiſt. ad Q. Fratr.* auctor ſupra adduxit: nec non PLAUTI in *Curcul. Act.* IV. *ſc.* 2. *v.* 61. & *Sc.* 3. *v.* 50. Accedit quod apud Romanos ſponſus ſponſam non ipſe ex domo patria, ut apud Graecos, arceſſeret, ſed ſponſa potius ad maritum, domi eam exſpectantem & accipientem, deduceretur. Hinc dici poteſt, loca contraria ad mores potius Graecorum, quam Romanorum reſpicere. Ad dubium vero, quod de tempore coenae monet Cl. *Ayrerus*, reſponderi poteſt, coenas nuptiales paulo ſerius, quam communes & quotidianas coenas, celebratas fuiſſe. Ego tamen nihil temere definire volo, ſed peritiorum potius hac de re judicium exſpectare. Laudatur in *Jo. Alb. Fabricii Bibliographia Antiquaria Gabriel. Marquardi Diſſ. peculiaris de coena nuptiali*, quam hactenus nuſquam reperire potui. Hac ergo deficiente, iis, quae a ſcriptoribus laudatis de coena nuptiali afferuntur, contenti eſſe debemus: quibus addi poteſt *Petrus Faber* in *Semeſtr. lib.* I. *cap.* 6.

(*b*) ADHIBET] Addendus eſt locus elegans STATII *Sylv.* I. 2. *v.* 233. *ſeqq.*

Omnis honos, cuncti veniunt ad limina faſces,
Omnis plebejo teritur praetexta tumultu,
Hic eques, hic juvenum coetu ſtola mixta laborat.

Nec non CLAUDIANI in *Nupt. Honorii & Mariae*, *v.* 286. *ſeqq.* quem locum ſupra auctor alia occaſione jam adduxit, unde verba ipſa non adſcribam.

Eaque ratione feriis publicis & feſtis diebus virgines, contra atque viduas, minime nupſiſſe, PLUTARCHUS ἐν Ἀιτίοις, ſive *Quaeſt. Rom. cap.* 103. (*al.* 105.) *pag.* 289. ſcribit: Ὅτι ταῖς μὲν παρθένοις καλὸν μὴ ὀλίγων, ταῖς δὲ χήραις αἰσχρὸν πολλῶν ὄντων γαμεῖσθαι, *quod virginibus honeſtum ſit in multorum praeſentia; viduis vero turpe multis praeſentibus nubere.* Enimvero Carthagini maritis novis multa fuiſſe convivia obeunda, ſed & ſportulas civibus erogandas (*a*), APULEJUS *Apologia* pro ſe ipſo *ſecunda pag.* 539. indicat. Quorum ſumptuum moleſtiis ut ſuperſederet, in ſuburbana ſe villa potius, quam in oppido, uxorem duxiſſe profitetur. Tibiam utique nuptialibus feſtivitatibus interveniſſe, non pauci auctorum loci declarant (*b*). PLAUTUS *Caſina Act.* IV. *Sc.* 3. *v.* I. *Age tibicen; dum illam educunt huc novam nuptam foras,*

Suavi cantu concelebra omnem hanc plateam Hymenaeo.

TERENTIUS *Adelph. Act.* V. *Sc.* VII. *v.* 6.

—— —— *Verum hoc mihi morae eſt,*
Tibicina, & Hymenaeum qui cantent.

Et mox *v.* 8.

—— —— *Miſſa haec face,*
Hymenaeum, turbam, lampadas, tibicinas.

CICERO aut CORNIFICIUS *lib.* IV. *Rhetoricor. ad Herenn. cap.* 33. *Non illae te nuptiales tibiae ejus matrimonii commovebant?* (aut, ut alias, *commonebant*) *Nam hic omnis ſanctimonia nuptiarum, uno ſigno tibiarum intelligitur.* APULEJUS *lib.* IV. *Metamorph. ſ. de aſino aur. pag.* 138. *Jam feralium nuptiarum miſerrimae virgini Choragium ſtruitur. Jam tedae lumen atrae fuliginis cinerem arceſſit* (*c*), *& ſonus tibiae zygiae* (ea enim recta eſt, quam & Beroaldus amplectitur, lectio) *mutatur in querulum Lydii modum.* CLAUDIANUS in *Epithalamio* (*d*):

Dicant pervigiles carmina tibiae.

Praeterea Talaſſionem in nuptiis Romanos, non ſecus atque Graecos Hymenaeum, inclamare conſueviſſe ſciendum eſt. Unde MARTIALIS *lib.* I. *Epigr.* 36. *v.* 6.

Quid ſi me jubeas Talaſſionem
Verbis dicere non Talaſſionis.

Idem *lib.* XII. *Epigrammat.* 42. *v.* 4.

Nec tua defuerant verba, Talaſſe, tibi.

Hymenaeos autem a Graecis in nuptiis occini moris fuiſſe apud Graecos quum ἀφθονίαν παστάδος (ſic enim legendum videtur) καὶ ἔννομον συζυγίαν Hymenaei viri Argivi precabantur, oſtendit TZETZES in *hiſtorico* extremo (*e*).

Quam

(*a*) EROGANDAS] Adde PLINIUM *lib.* X. *Epiſt.* 117. SYMMACHUM *lib.* III. *Epiſt.* 24. & *lib.* IV. *ep.* 14. & 55. & *lib.* IX. *ep.* 93, 106, 107. ſec. edit. *Parei*, & *Franc. Jureti Comment.* ad has epiſtoll. AMMIANUM MARCELLINUM *lib.* XIV. *cap.* 6. *Rogati ad nuptias, ubi aurum dexteris manibus cavatis offertur.* Qui locus vel ideo notandus, quia de ipſa urbe Roma agit. Sunt enim, qui dubitant, num Romae hic mos quoque obſervatus fuerit. Conf. *Ayrer. Diſſ. cit.* §. 12. in fine.

(*b*) DECLARANT] Tibicines praeceſſiſſe in pompa nuptiali, jam ſupra notavimus. Sed & inter epulas, & poſtea, dum nuptialia & Feſcennina canerentur carmina tibias aliaque inſtrumenta muſica adhibita fuiſſe, e veterum monumentis patet. Vide praeter loca laudata OVIDIUM *Metamorph. lib.* IV. *v.* 758. *ſeqq.* MARTIANUM CAPELLAM *lib.* II. *pag.* 35.

(*c*) ARCESSIT] In *ed.* in uſum *Delph.* legitur: *cinere marceſſit*: & paulo poſt pro *Lydii*, legitur *Lydium*.

(*d*) EPITHALAMIO] ſive *Feſcenn.* in *nupt. Honorii Aug & Mariae*, *v.* 133. ſive ut ab aliis diſtinguitur, *Od.* IV. *v.* 30. Pro *dicant* legitur *ducant* in *ed. Caſp. Barthii.*

(*e*) EXTREMO] Locus eſt in *Chil. vet. v.* 600. *ſeqq.* quem integrum adſeribam:

Οἱ μὲν Ἀργεῖοι λέγοντες Ὑμέναιον ηὐχόντο,

Παῖδα

Quam acclamationem ex eo inoleviſſe, Livius *lib.* 1. *cap.* 9. auctor eſt, & inde repetitur in *libello virorum illuſtr. cap.* 2. quod in Sabinarum raptu, virgo una longe ante alias ſpecie & pulchritudine inſignis a globo cujuſdam Talaſſii rapta fuerit: multiſque ſciſcitantibus, cuinam eam ferrent deducendam, ne quis violaret, Talaſſio eam ferri clamitatum. Qua de cauſa vocem hanc nuptialem factam, & ad poſteros inde manaſſe, Plutarchus quoque in *Romulo pag.* 26. idem in *Pompejo pag.* 620. *ſeq.* & in Αἰτιῶν ſive *Quaeſt.* libro *cap.* 31. cenſet. Euſebius etiam in *Chronico*, ad *Ann.* MCCLXVII. *pag.* 116. *ed. Scalig.* ſecundum B. *Hieronymi* verſionem: *Sabinae*, ait, *raptae anno ab urbe condita tertio, & una virginum pulcherrima, cunctorum acclamatione rapientium, Talaſſio duci Romuli decernitur. Unde in nuptiarum ſollemnitatibus* Talassio *vulgo acclamitant: quod ſcilicet talis nupta ſit, quae Talaſſium habere mereatur.* Hanc eandem acclamationis hujus nuptialis rationem Servio quoque placuiſſe video, qui ſuperioribus conſentit ad eum verſum *lib.* 1. *Aeneid.* (655.)

Pergama cum peteret inconceſſoſque Hymenaeos.

Nonnullis tamen, ad lanificium vocis hujus originem cauſamque referendam eſſe, videbatur. Qua in ſententia Varronem fuiſſe Sex. Pomp. Festus *lib.* XVIII. teſtatur: *Talaſſionem*, inquiens, *in nuptiis* Varro *ait ſignum eſſe lanificii. Talaſſionem enim vocabant quaſillum, qui alio modo appellatur calathus: vas utique lanificiis aptum.* Itaque Plutarchus ἐν Αἰτίοις ſive *Quaeſt. Rom. cap.* 31. *pag.* 271. inter ceteras decantati in nuptiis Talaſſionis rationes hanc primo loco ponit: Πότερον ἀπὸ τῆς ταλασίας; καὶ γὰρ τὸν τάλαρον τάλασον ὀνομάζουσι, vel ταλάσιον (*a*), ὀνομάζουσι. Quae verba conciſius, quam par eſſet, interpres ita convertit: *An propter lanificium, quod quaſillum vocatur?* Plenius quippe ita verti debuit: *An a lanificio? Etenim calathum Talaſſium nominant.* Sed quid, quaeſo, ſonat dictio τάλαντον? Equidem Romanam eam fuiſſe, vel Latio donatam, nuſquam reperi. Interpres ejus loco, κανίσκιον legiſſe videtur. Quae quidem vox pura puta Latina eſt, vel ipſo Servio teſte, qui in II. *Eclog. Virgilii v.* 46. quem Graeci κάλαθον vocant, Latine *quaſillum* dici admonet: citatque illud Ciceronis *Philippic.* III. *cap.* 4. *At vero inter quaſilla pendatur aurum* (*b*). Sed ad Talaſſionis originem nequaquam vox ea accedit, ac ne adludit quidem. Sunt quibus pro τάλαθον, legendum videatur κάλαθον. Quod probare non poſſum, tum quia Calathus vox Graeca eſt, &, ut Eustathius in *lib.* V. *Iliad.* & in *libr.* IX. ac X. *Odyſſ.* ſcribit, ἀπὸ τῶν κάλων ἤτοι ξύλων κυκλοειδῶς δεθέντων ἢ γεγναμμένων, *a lignis in orbem euntibus ac flexis*, nomen invenit: tum quia Talaſſionis origini non magis, quam quaſillum, reſpondet. Ego unius ad hujus vulneris medelam Sex. Pomp. Festi opera uti nos poſſe cenſeo, qui in eo, quem ſupra produxi, loco, priſcos Romanos quaſillum *Talaſſionem* vocaſſe ſcribit: quod tamen vocabulum vetuſtatis ſitu obrutum eſt. Ac proinde apud Plutarchum inepto τάλαντι nomine expuncto, ταλασίωνα vel ταλάσιον reponendum opinor. Neceſſe eſt enim, ſi auctoris mentem ſartam tectamque ſervare volumus, τάλαρον vocem Graecam, Romana

Παῖδα τ Τερψιχόρης δὲ παρεὶ ἐφανισμένον.
Οἱ δὲ Ἀττικὸν Ὑμέναιον φασὶν, οὐχὶ Ἀργεῖον,
Εὑρεῖν παρθένους δὲ τινὰς λῃσταῖς ἀφηρπασμένας,
Οὕσπερ ἐν γάμοις ἔπεισε νομίμοις ἁρμοσθῆναι.
Ἐκ τούτου δ' οἱ Ὑμέναιοι τῷ γένει τῶν Ἑλλήνων
Εἰώθασιν ᾄδεσθαι τοῖς χρόνοις τοῖς τῶν γάμων.
Τὸν μὲν ἐξαποχόμενοι ἀφάνειαν παστάδος.
Τὸν δ' Ἀττικὸν ἐυχόμενοι ἔννομον συζυγίαν.

Illi quidem Argivum dicentes Hymenaeum fuiſſe,
Filium Terpſichorae autem in thalamo ſublatum.
Alii vero Atticum Hymenaeum dicunt, non Argivum,
Inveniſſe autem virgines quaſdam a latronibus raptas.
Quas nuptiis perſuaſit legitimis copulari.
Atque inde Hymenaei a gente Graecorum
Conſueverunt accini temporibus nuptiarum:
Illum quidem precati obſcuritatem thalami;
Atticum vero obſecrantes legale matrimonium.

(*a*) Ταλάσιον] Haec lectio eſt ex auctoris emendatione, ut ex ſequentibus patet. Hic igitur, ut recte priores hujus libelli editiones praeferunt, legendum eſt: τάλαρον τάλαντον: & ita quoque editum eſt in *ed. Opp. Francof.* Quod vero editio *Quaeſt. Rom. M. Zuerii Boxhornii* exhibeat τάλασον, id eſt ex emendatione *Guil. Xylandri*, ut ex ejus notis & verſione patet.

(*b*) Aurum] Ex memoria ſine dubio locum Ciceronis hunc adduxit Grammaticus ille: in omnibus enim Codd. ita legitur: *At vero hujus domi inter quaſilla pendebatur aurum.*

mana aliqua, ex qua Talaſſionis vox fluxiſſe ac manaſſe ſono ipſo judicetur, penſare: τάλαρος porro, & ταλασία, & ταλάσιος vocabula Graeca ſunt. Quorum poſteriora duo valde corrupte apud Suidam, non quidem auctoris, ſed librarii vitio expoſita lector offendet. Illic enim: Ταλάσιον ἔργον, ἡ ἱερουργία. ταλασία, ἱερουργία. ταλάσιος, ἱερουργός, vitioſiſſime definiuntur, quandoquidem ad lanificium, non ad ſacrificium hæ voces pertinent. Ideoque, ἐριουργία & ἐριουργός, *lanificium*, & *lanificus*, pro recta interpretatione reponi debent (*a*). Quod Hesychius conſultus ſatis comprobabit: Quamquam hic error manifeſtior eſt, quam ut cujuſquam auctoritate convincendus ſit. Plane inter τὰ γυναικωνίτιδος σκεύη, ταλάρους & καλάθους, *Gynaecei inſtrumenta quaſillos & calathos*, Pollux *lib.* x. *Onomaſt. cap.* 28. *ſegm.* 125. *pag.* 1305. numerat. Notat & Hesychius: Κάλαθον, γυναικεῖον σκεῦος, εἰς ἔρια ἀποθέσιον, *Calathum inſtrumentum muliebre, ad deponendam lanam*, ſignificare. Sic apud Virgilium *lib.* vii. Aeneid. *v.* 805.

—— —— Non illa colo, calathiſve Minervae
Femineas aſſueta manus.

Ovidius *lib.* ii. *Faſtor.* *v.* 742.

Ante totum calathi, lanaque mollis erat.

Alias, tam τάλαρος, quam κάλαθος, τυροκομεῖον, id eſt, *vas, in quo caſei reponuntur*, ſignificant, ut ex Polluce *lib.* i. *cap.* xii. *ſegm.* 251. *pag.* 148. & *lib.* vii. *cap* xxxiii. *ſegm.* 173. *pag.* 812. & Eustathio in iv. *Iliad.* liquet, qui ταλάρου vocem inde deducit, quod τάλας, ἤτοι τλήμων, ὅτι πρὸς τὸ αἴρειν τὰ ἐπιτιθέμενα. *Quod τάλας hoc eſt miſer ſit ad impoſita tollenda, quod difficulter ei poſſint auferri.* Inde apud Virgilium *libr.* iii. *Georg.* *v.* 402. Servius Calathos vaſa aenea exponit, quibus lac, vel recens caſeus, in urbem diſtrahitur. Ceterum, ut hunc locum concludam, lanificiis priſcas matronas valde deditas fuiſſe, praecipuamque his curam & operam impendiſſe conſtat. In foedere certe, inter Romanos & Sabinos percuſſo, lex haec atque conditio dicta eſt, ut volentes nuptae apud viros, quibus conjunctae erant, manerent, omnium operum ac munerum vacationem, praeterquam lanificii habiturae, ut eſt a Plutarcho in *Romulo pag.* 26. memoriae proditum. Inde Juvenalis *Sat.* vi. *v.* 288. veterum mulierum continentiam ac temperantiam praedicans

—— —— Et vellere, ait, *Tuſco*
Vexatae, duraeque manus.

Cujus moris tot ſunt a D. Tiraquello, altero noſtri ſeculi Varrone, in *lib. de Legib. connubialib.* congeſta teſtimonia, ut multitudine ſua lectorem paene obruant (*b*).

Enimvero nuces a novis maritis jaci & pueris ſpargi conſueviſſe indicant Catullus & Virgilius. Ille ſiquidem in *carmine de nupt. Jul. & Manl.* lviii. *al.* lxii. *v.* 128.

Ne nuces (*c*), inquit, *pueris neget,*
Deſertum domini audiens
Concubinus amorem.
Da nuces pueris iners
Concubine: ſatis diu
Luſiſti nucibus.

Virgilius vero *Ecloga* viii. *v.* 30.

Sparge marite nuces: jam deſerit Heſperus Oetam.

De

(*a*) Debent] Ita Suidam ex *Codd.* etiam *MSS.* emendavit noviſſimus editor *Ludolph. Kuſterus.*

(*b*) Obruant] Adde tamen ſupra laudati *Chriſt. Falſteri Amoenit. philolog. cap.* 16. & de Thalaſſione confer praeterea *Franc. Bernardini Ferrarii Op. de veterum Acclamationibus, lib.* vi. *cap.* 16. *ſeqq.*

(*c*) Nec nucas] In Catulli *Codd.* ſcribitur: *Neu nucis*: & poſtea: *Da nucis*: antiquo more.

De cujus moris cauſa parum video inter veteres conveniſſe. Varro quidem, teſte Servio ad eum *Virgilii*, quem modo protuli, verſum, ſpargendarum nucum hanc eſſe rationem putabat, *ut Jovis omine* (ita quippe legi rectius credo, quam *omne*) *matrimonium celebraretur: ut nova nupta matrona eſſet, ſicut Juno. Nam nuces in tutela erant Jovis. Unde & juglandes vocatae, quaſi Jovis glandes.* Quod ab Isidoro quoque *lib.* XVII. *cap.* VII. notatum eſt. Illud vulgare fuiſſe, idem Varro tradiderat, idcirco ſparſas nuces, ut a rapientibus pueris fieret ſtrepitus, ne puellae vox, virginitatem deponentis, poſſet audiri. Aliis placuit, ea id gratia factum, ut ſe puerilibus omnibus ludis renuntiare, & juvenilia cuncta ludicra relinquere maritus eo indicio teſtaretur. Quo ſenſu Persius dixit *Sat.* I. *v.* 10.

Et nucibus facimus quaecumque relictis,
Cum ſapimus patruos.

At Plinius diverſam reddit, quintamque inſuper perſtringit hujus moris rationem, *lib.* XV. *natur. hiſtor. cap.* XXII. *Nuces*, ait, *Juglandes, quamquam & ipſae nuptialium Feſcenninorum comites, multum pineis minores univerſitate, eaedemque portione ampliores nuclea. Nec non & honor his naturae peculiaris, gemino protectis operimento, pulvinari primum calicis, mox lignei putaminis. Quae cauſa eas nuptiis fecit religioſas, tot modis foetu munita. Quod eſt veriſimilius, quam quia cadendo tripudium ſonumve* (a) *faciant.* Nubentibus utique, praetextis depoſitis, a multitudine puerorum, quos ad eam celebritatem frequentes conveniſſe nemini dubium eſt, obſcoena clamabantur, verſuſque mollicie ac laſcivia diffluentes, maxima, nec ulli reprehenſioni obnoxia licentia occinebantur. Quos verſus Feſcenninos vocabant, ſive quod ex urbe Feſcennina allati eſſent, ſive quod Faſcinum arcere putabantur. Servius in VII. *Aeneid.* ad ea verba, *v.* 695.

Hi Feſcenninas acies.

Feſcenninum ſcribit oppidum eſſe Campaniae, ubi nuptialia carmina ſunt inventa. Seneca *lib.* III. *Declamation.* ſive *Controverſ. num.* 21. de ſervo loquens, qui dominae nupſerat: *Inter nuptias*, inquit, *& Feſcenninis in crucem generi noſtri jocabantur.* His enim verſibus libere & joculariter multa in ſponſos, ſponſaſque jaciebantur. Catullus in *Epithal. Jul. & Manl.* LVIII. *al.* LXII. *v.* 126.

Ne diu taceat procax
Feſcennina locutio.

Varro *Agathone*, ut eſt apud Non. Marcellum *lib.* II. *voc. returare, num.* 750. *Pueri obſcoenis verbis novae nuptulae aures reſtaurant*, vel potius *returant.* Quae verba, quantum conjectura adſequi poſſum, ad argumentum, quo de agimus, pertinebant. Martianus Capella *lib.* IX. *de nupt. Philolog. pag.* 359. *His Hymenaeo diutius velut Feſcennina quadam licentia perſonante, geminanteque crebrius.* Seneca in *Medea Choro primo v.* 109. & 114.

Hinc illinc, juvenes, mittite carmina:
Feſta dicax fundat convitia Feſcenninus.

Clau-

(a) Sonumve] Legendum videtur: *ſonivium*, ut jam dudum eruditi viderunt. Hanc tamen, quam Plinius rejicit, rationem, afferunt quoque Servius *l. c.* juxta *noviſſ. edd.* & Festus *voc. nuces.* Poſtquam nova nupta in cubiculum eſſet deducta a paranymphis & pronubis, tunc ante thalami fores proprie ſic dictum Epithalamium canebatur. Statius *Sylv.* I, 2. *v.* 236.

Felices utraſque vocant: ſed in agmine plures
Invidere viro. Jam dudum poſte reclinis
Quaerit Hymen thalamis intactum dicere carmen,
Quo vatem mulcere queat. — —

Ad quem locum vide *Caſp. Gevartii Comment. cap.* 22. Idem *Sylv. lib.* II. *ſylv.* 7. *v.* 87.

Et veſtros Hymenaeos ante poſtes
Feſtis concentibus ipſe perſonabo.

Quia vero in Epithalamio ſponſa ob pulchritudinem praeſertim laudari ſolebat: hinc ad faſcinum avertendum ſtatim a pueris eccinebantur carmina Feſcennina. Confer *Jani Guilielmi Veroſimilia, lib.* II. *cap.* 14. *Franc. Bernardini Ferrarii Op. de acclamationibus veterum, lib.* VI. *cap.* 21. *ſeqq.*

CLAUDIANUS in *Epithalamio. l. c.*

Dicant pervigiles carmina tibiae:
Permiſſiſque jocis turba licentior
Exultet tetricis libera legibus.

AUSONIUS in *Parechaſi Centonis nuptialis: Hactenus caſtis auribus audiendum myſterium nuptiale, ambitu loquendi, & circuitione velavi. Verum quoniam & Feſcenninos amat celebritas nuptialis, verborumque petulantiam notus vetere inſtituto ludus admittit, cetera quoque cubiculi & lectuli operta prodentur;* SIDONIUS etiam *lib.* I. *Epiſt.* 5. de nuptiis Aſcelae filiae Perennis Aug. & Patricii Ricimeris agens, *Igitur*, ait, *nunc in iſta non modo perſonarum, ſed etiam ordinum partiumque laetitia, Tranſalpino tuo latere conducibilius viſum, quippe cum hoc ipſe tempore, quo haec mihi exarabantur, vix per omnia theatra, macella, praetoria, fora, templa, gymnaſia, Thalaſſia* (*a*), *Feſcenninus explicaretur.* Nam ſic potius legendum, ut emendavit P. Pithoeus. B. HIERONYMUS in *Epiſt. ad Demetr.* (*b*) *de Virginit. ſervand. Quam habitura pronubam? Quo deducenda comitatu? Stridor Punicae linguae procacia tibi Feſcennina cantabit.* Idem in *Epiſt. ad Gerontiam* (*c*). *Reſponde mihi, cariſſima in Chriſto filia, inter iſta nuptura es? Quem acceptura virum? Cedo, fugitivum, an pugnaturum? Quid utrumque ſequatur intelligis: & pro Feſcennino carmine terribilis tibi rauco ſonitu buccina concrepabit, ut quas habeas pronubas, habeas forte lugentes.* Erant autem Feſcennini verſus joculares, incompoſiti, rudes, qui temere alternis jaciebantur.

HORATIUS *lib.* II. *Epiſtol.* I. *v.* 145.

Feſcennina per hunc invecta licentia morem
Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit.

LIVIUS *lib.* VII. *cap.* 2. *Non ſicut ante, Feſennino verſui ſimilem, incompoſitum, temere ac rudem alternis jaciebant.* Atque hujus nominis verſus in Pollionem ſcripſiſſe Auguſtum MACROBIUS *lib.* II. *Saturn. cap.* IV. auctor eſt. Interea vero lectus nuptialis componebatur (*d*). Eum autem proprio nomine Genialem, quaſi generalem, appellatum SERVIUS in *lib.* VI. *Aeneid. v.* 603. oſtendit: Geniales ſcribens eos proprie eſſe lectos, qui puellis nubentibus ſternuntur, dictoſque ita a generandis liberis. CICERO *pro Cluentio cap.* 5. *Lectum illum genialem, quem biennio ante filiae ſuae nubenti ſtraverat, in eadem domo ſibi ornari & ſterni, expulſa atque exturbata filia, jubet.* APULEJUS *libr.* X. *pag.* 353. & 844. *de aſino aur.* ſ. *Metamorph. Et mulierem* (*e*), *quam dixit propter multiforme ſcelus beſtiis eſſe damnatam, meisque praeclaris nuptiis deſtinatam, & torus nuptialis noſter futurus accuratiſſime deſternebatur. Lectus Indica teſtudine perlucidus, plumea congerie tumidus, veſte ſerica floridus.* Idem *lib.* IX. *pag.* 294. *Quae, ſuo pudore poſtpoſito, torique genialis calcato foedere, larem mariti lupanari maculaſſet infamia.* Toga vero ſterni lectos & maritorum genios advocari conſueviſſe, ARNOBIUS *lib.* II. *ad-*

(*a*) THALASSIA] *Thalaſſio* legere mavult *Jo. Wower.*

(*b*) DEMETR.] Eſt *Epiſt.* VIII. in *vett. edd.* in nova *Benedict.* vero eſt *Epiſt.* XCVII. Verba exſtant *pag.* 786. *Tom.* IV. *Part.* II.

(*c*) GERONTIAM] ſive potius ad *Ageruchiam.* Eſt *Epiſt.* XI. in *vett. edd.* in *nov.* vero *Benedict.* eſt *Epiſt.* XCI. verba exſtant *pag.* 749. *Tom.* IV. *Part.* II. ubi pro *fugitivum* legitur *fugiturum.*

(*d*) COMPONEBATUR] Lectus nuptialis, ſive genialis, ut vocabatur, ſternebatur a matre, vel proxima cognata ſponſae in cubiculo mariti: peractis vero nuptiis collocabatur in atrio, ſive aula, januae exadverſum, unde *lectus adverſus* tunc dicebatur, in quo matronae ſedebant, dum eum ancillis lanam conficerent. Vide, praeter locum CICERONIS laudatum, *Laberium* apud GELLIUM *lib.* XVI. *cap.* 9. PROPERTIUM *lib.* IV. *Eleg.* II. (12.) *v.* 81. ASCONIUM PEDIAN. in *Orat. Cic. pro Milon. pag.* 195. HORATIUM *lib.* I. *Epiſt.* I. *v.* 87. Confer *Alexandr. ab Alex. Dier. Gen. lib.* II. *cap.* 5. ibique *Interpp. Juſt. Lipſii Elect. lib.* I. *cap.* 17. *Guil. Canteri Nov. lect. lib.* III. *cap.* 4. *Joſephi Scaligeri* notas ad *Propert. l. c.* & ad *Feſtum pag.* 399. *ed. Amſtel.*

(*e*) ET MULIEREM] Adſumtis verbis proxime praecedentibus, locus ita legitur in ed. in uſum Delphini: *Ecce quidam miles per mediam plateam dirigit curſum, petiturus, jam populo poſtulante, illam de publico carcere mulierem, quam dixi propter multiforme ſcelus beſtiis eſſe damnatam, meiſque praeclaris nuptiis deſtinatam, & jam torus genialis ſcilicet noſter futurus accuratiſſime diſternebatur lectus, Indica* &c.

adverſus gentes, *pag.* 91. mores vetuſtate obliteratos recenſens, teſtis eſt. Et hinc fortaſſe *ſacri genium lecti* (*a*) JUVENALIS *Sat.* VI. *v.* 22. dixit. Veſtibus (*b*) ſane toros geniales contegi ſolitos ſignificat CATULLUS his verſibus, *Carm.* LXI. *al.* LXV. *v.* 265.

Talibus amplifice veſtis decorata figuris,
Pulvinar complexa ſuo velabat amictu.

Sed & LUCANUS *Pharſal. lib.* II. *v.* 456.

Legitimaeque faces, inquit, *gradibuſque acclivis eburnus*
Stat torus, *& picto veſtes diſcriminat auro.*

Etiam hoc addam, quod niſi a B. AUGUSTINO non ſemel detectum eſſet, libeos ſuppreſſiſſem, ſuper Priapi faſcinum novam nuptam conſidere juſſam. Quemadmodum ille *lib.* VII. *de civitat. Dei cap.* XXIV. *ad fin.* & apertius *lib.* VI. *cap.* IX. ſcribit his verbis: *Sed quid hoc dicam, cum ibi ſit & Priapus nimis* (*c*) *maſculus, ſuper cujus immaniſſimum & turpiſſimum faſcinum ſedere nova nupta jubebatur, more honeſtiſſimo ac religioſiſſimo matronarum* (*d*). Quam obſcoenitatem perſtriogere credo LACTANTIUM *Divin. Inſtit. lib.* I. *de falſa religion. cap.* XX. cum ait: *Et Mutinus* (vel, ut quidam eodices habent, *Tutinus* (*e*),) *in cujus ſinu pudendo nubentes reſident, ut illarum pudicitiam prior Deus delibaſſe videatur.* Ita quippe lego, non, ſicut vulgo ſeriptum eſt, *deliberaſſe.* Priapo vero, ut ne, quamvis foeda, haec veterum impietas intacta relinquatur, genitale membrum cum falce affingebant, quo & pueros & aves in hortis, quibus praeeſſe credebatur, terreret. VIRGILIUS in *Copa*, *v.* 23.

Eſt tuguri cuſtos, armatus falce ſaligna,
Sed non & vaſto eſt inguine terribilis.

TIBULLUS *lib.* I. *Eleg.* I. *v.* 21.

Pomoſisque ruber cuſtos ponatur in hortis,
Terreat ut ſaeva falce Priapus aves.

COLUMELLA *lib.* X. *v.* 31.

—— —— *Sed truncum forte dolatum* (*f*)
Terribilis membri, medio qui ſemper in horto
Inguinibus puero, praedoni falce minetur.

Auctor

(*a*) LECTI] Io aliis editionibus legitur *fulcri.*

(*b*) VESTIBUS] Purpureis quidem & pictis in nuptiis ditiorum. Vid. JUVENALIS *Sat.* X. *v.* 334. CATULLUS *Carm.* LXI. ſive LXV. *v.* 47. *ſeqq.*

(*c*) NIMIS] Benedictini in *ed. Pariſ.* ex MSS. & editis Codd. ediderunt *nimius*, teſtanturque alteram lectionem in ſola *ed. Lovanienſi* reperiri. Sed ego eam reperi quoque in *ed. Genev.* 1596. 8.

(*d*) MATRONARUM] Eodem quoque modo ARNOBIUS *adverſ. gent. lib.* IV. *pag.* 131. ſeribit: *Etiamne Tutunus?* (qui idem, cum Priapo, teſte AUGUSTINO *de Civ. Dei lib.* IV. *cap.* II.) *cujus immanibus pudendis, horrentique faſcino, veſtras inequitare matronas & auſpicabile ducitis & optatis.* Confer de hocce pudendo ritu *Jani Guilielmi Veroſimil. lib.* I. *cap.* 23. *Alexand. ab Alex. Dier. Gen. lib.* I. *cap.* 24. ibique *Interpp.* Multos alios Deos Deaſque recenſet AUGUSTINUS *l. c.* quorum auxilium novus maritus implorabat, quorumque praeſentia in cubiculo credebatur. Num vero horum etiam ſimulacra in cubiculum illata fuerint, ut putat *Jo. Roſinus* in *Antiqq. lib.* V. *cap.* 37. ego io ſilentio veterum ooo audeo affirmare.

(*e*) TUTINUS] Quidam LACTANTII *Codd.* habent *Futinus*, teſte *Lud. Vive* in *not.* ad *Auguſtin. de Civ. Dei lib.* IV. *cap.* II. quae lectio Viro Cel. *Chriſtoph. Aug. Heumanno* etiam placet. Ego vero, ſalvo aliorum judicio, hunc Deaſtrum & *Mutinum*, ſive *Mutunum*, & *Tutinum*, ſive *Tutunum*, vocatum fuiſſe arbitror, ob loca TERTULLIANI *adv. Nat. lib.* II. *cap.* II. ARNOBII *adv. gent. lib.* IV. *pag.* 133. FESTI *v. Mutini*, & AUGUSTINI *l. c.* id quod & *Elmenhorſtius* in *Obſerv.* ad *Arnob. pag.* 132. ex *Papia* confirmat, meritoque reprehendit *Lud. Vivem*, qui apud *Auguſtinum l. c.* unum delendum eſſe nomen exiſtimavit.

(*f*) DOLATUM] In quibuſdam *edd.* hic inſeritur verſus: *Arboris antiquae numen venerare Ithyphalli*: quem alii pro ſpurio habent. Vide *Caſp. Barthii Adverſ. lib.* I. *cap.* 2.

Auctor Priapeor. (*Carm.* LXXIX.)

Priape, quod ſis faſcino tentus gravi (*a*).

Et alias: (*Carm.* LXXXIII. *v.* 7.)

Soles ſacrum revinctus pampino caput,
Ruber ſedere cum rubente faſcino.

Pleni ſunt teſtimoniorum poëtarum libri: quibus omiſſis, ad exitum feſtinans, quod ſupereſt, expediam. Nuptam deinde in lecto pronubas collocaſſe, ſciendum eſt. DONATUS in *Terentii Eunuch. Act.* III. *Sc.* 5. *v.* 45. ad ea verba:

Deinde eam in lectum illae collocarunt.

Verbum hoc, ait, *proprium eſt, & adſcribitur pronubis.* Quo in ſignificatu verbum hoc in CATULLI verſibus, quos ſtatim proferam, obſervandum eſt. Idem DONATUS in I. *Aeneid.* pronubas in obſequio nubentium fuiſſe tradit (*b*) LAMPRIDIUS de *Heliogabalo cap.* 10. *Nupſit & coiit, ut & pronubam haberet.* CLAUDIANUS *de Raptu Proſerp. lib.* II. *extremo* (*v.* 362.)

Ducitur in thalamum virgo: ſtat pronuba juxta
Stellantes Nox picta ſinus, tangenſque cubile,
Omina (Sic enim lego) *perpetuo genitalia foedere ſanxit.*

Ad hujuſmodi autem officium ſpectatae pudicitiae mulieres, & quae uni dumtaxat viro nupſiſſent, adhibebantur: quo matrimonii perpetuitatem, quemadmodum SEX. POMP. FESTUS *lib.* XIV. voc. *pronubae* auctor eſt, auſpicarentur. Unde CATULLUS in *Carm. de nupt. Jul. & Manl.* LVIII. *al.* LXII. *v.* 186.

Vos unis ſenibus bonae
Cognitae bene feminae (*c*)
Collocate puellulam.

TERTULLIANUS in *lib.* qui *exhortatio ad caſtitatem* inſcribitur, *cap. ult. Monogamia apud Ethnicos ita in ſummo honore eſt, ut & virginibus legitime nubentibus univira pronuba adhibeatur, & ſic auſpicii initium ſit* (*d*). Sed & B. HIERONYMUS in calce *libri primi adverſus Jovinian. pag.* 192. *Tom.* IV. *Part.* II. Unicubas ſemper habuiſſe inter gentiles matronas decus, merito dicit: per illaſque ſolas Fortunae muliebri ſacra fieri conſueviſſe. Eodemque libro, (*pag.* 187. *ſeqq.*) quae fuerit alienarum a religione noſtra mulierum de ſecundis nuptiis opinio, multis exemplis accurate conquiſitis docet (*e*).

Atque

(*a*) GRAVI] Hic verſus in *ed. Caſp. Scioppii* ita legitur: *Priape, quod ſis faſcino gravis tento*: & ita quoque in ſuis Codd. legit *Lud. Vives*; vid. ejus *Comm.* ad *Auguſtin. de Civ. Dei lib.* VI. *cap.* 9.

(*b*) TRADIT] Locus ex *lib.* VII. *Aeneid. v.* 319. citatur ab *Andr. Tiraquello* in *not. ad Alex. ab Alex. lib.* II. *cap.* 5. Sed ego haec verba in Commentario DONATI, neque in ed. *Jo. Bapt. Egnatii*, quae prodiit *Baſil.* 1544. *fol.* neque in ed. *Lugd. Bat.* 1646. 4. ex officina *Abrah. Commelini* reperire potui. In poſteriori tamen editione inter notas variorum ad *Aeneid.* VII. *v.* 319. leguntur haec verba: *Pronubas dici, ait* DONATUS, *quae in obſequio nubentis ſunt, quae ſcilicet nubentes domum mariti deducunt & comitantur.* ISIDORUS *Origg. lib.* IX. *cap.* 8. ita loquitur: *Pronuba dicta, eo, quod nubentibus praeeſt, quaeque nubentem viro conjungit. Ipſa eſt & paranympha: nam nympha ſponſa in nuptiis, & nympha pro lavationis officio, quod ad nomen nubentis alluditur.* SIDONIUS APOLLINARIS *lib.* II. *Epiſt.* 10. *Nam ſicuti novam nuptam nihil minus quam pulchrior Pronuba decet.* Idem APOLLINARIS *lib.* I. *Epiſt.* 5. Pronubas geſtaſſe cycladas teſtatur.

(*c*) FEMINAE] Ita legit *Hadr. Turnebus*: alii aliter, ut ex notis *Interpp.* diſci poteſt.

(*d*) SIT] In *ed. Pariſ.* legitur: *& ſi auſpicii cauſa, utique boni auſpicii eſt.*

(*e*) DOCET] Confer *Interpp.* ad *Val. Max. lib.* II. *cap.* I. *ex.* 3. & inprimis *Chriſtoph. Adami Ruperti Diſſert. pag.* 103. *ſeq. Jo. Meurſii Mantiſſam* ad *libr. de luxu Rom. cap.* 10. *Jo. Gottl. Heineccii Comm.* ad *L. Jul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 16. *pag.* 297. *ſeq. Raph. Fabretti Inſcript. pag.* 324. Auctoris *Op. de Form. Sollemn. lib.* VII. *pag.* 670. 703. *Andr. Tiraquelli Comment.* ad *L.* 80. *Boves.* §. 1. *Hoc ſermone. D. de verb. ſignif.*

Atque haec ſunt Nuptiarum omnia, quae quidem non incurioſe legendo veterum ſcripta obſervare potui, ſollemnia. De quibus in genere apud TACITUM *lib.* XI. *Annal. cap.* 26. fit mentio, cum inquit: *Cuncta nuptiarum ſollemnia celebrat.* Et *lib.* XII. *Annal. cap.* 26. *Necdum celebrare nuptiarum ſollemnia audebant.* Atque adeo apud SIDONIUM APOLLIN. in extrema *Epiſt.* 5. *lib.* I. Sic etiam popam & nuptiarnm celebritatem accipe in THEODOSII & VALENTINIANI *conſtitutione.* z Ob eamque ſollemnium multitudinem credo a CICERONE *lib.* VI. *de Repub.* dictum fuiſſe, *firmiter majores matrimonia ſtabilita eſſe voluiſſe.* Quae verba a PRISCIANO *lib.* XV. referuntur. Poſtridie vero nuptiarum apud novum maritum coenabatur, & quia quaſi inſtauraretur redintegrareturque potatio, eum diem *Repotia*, SEX. POMP. FESTO *lib.* XVI. teſte, appellabant. HORATIUS *lib.* II. *Sermon. Sat.* II. *v.* 60.

z *in L.* 11. *ſi donationem. C. de nupt.*

Ille repotia, natales, alioſve dierum
Feſtos albatus celebret.

Ubi ACRO; *Repotia*, inquit, *dicuntur Septimus dies, quo nova ſolet nupta redire ad parentes ſuos.* Sumtibus certe, qui in eos diea fierent, modum legibus ſumptuariis ſtatutum GELLIUS *lib.* II. *cap.* XXIV. memorat. Meminit & Repotiorum AUSONIUS in eo *Epiſtolae ad Paulum*, quem paulo ante retuli, loco. Hinc hodieque (etſi hoc erit fortaſſe durius: ſed tentemus, & luſiſſe putemur, ſi nil ſit) in quibuſdam Aquitaniae regionibus, eum diem, qui nuptias conſequitur, *Repentalia* nominant, non tam a poenitentia, quam, corrupta voce, a repetita potatione, quaſi *Repotalia.* Repotiorum certe vocabulo pro repetita & iterata crapula APULEJUS *Apolog.* I. *pag.* 501. uſus eſt. A Graecis eum diem ἐπαύλια vocari, POLLUX *lib.* III. *Onomaſt. cap.* 3. *ſegm.* 39. *pag.* 285. teſtis eſt. Quo die novae nuptae munera a cognatis & propinquis mittebantur. Eaque ſunt Nuptialia munera apud jureconſultos. a At apud CICERONEM pro *Cluentio Avito cap.* 9. & APULEJUM *lib.* VI. *Metamorph.* ſ. *de aſino aur. pag.* 178. Nuptialia dona ea accipienda ſunt, quae ante contractas nuptias, mulieri a viro offerebantur (*a*). Poſtridie vero nuptiarum, nova nupta libertatem auſpicans uxoriam, in domo viri rem divinam faciebat, nt eſt a MACROBIO *lib.* I. *Saturn. cap.* XV. proditum. Sed & in nuptiis etiam Septimum diem inſtaurationem voti habuiſſe, DONATUS tradit in *Phormion. Terent. Act.* I. *Sc.* I. *v.* 6. Atque hic hujus libri finis eſto.

a *In l.* 1. §. 5. *D. de tutel. & rat. diſt. L.* 13. *Tutor ſecundum.* §. 2. *D. de adminiſtrat. tut.*

(*a*) OFFEREBANTUR] Recte auctor locum APULEJI accepit: dicit enim, *quem ei Vulcanus ante thalami rudimentum nuptiale munus obtulerat.* Hinc errat Interpres in uſum Delphini, qui locum accepit pro Morgengaba, ut hodie vocant, ſive pro munere, quod prima pro nocte datur, ut vocavit JUVENALIS *Sat.* VI. *v.* 203. Apud plurimas enim gentes in uſu fuit, ut novae nuptae poſtridie nuptiarum, quando ſe primum ſine velo conſpiciendam praebebat, a novo marito munera darentur: & haec apud Graecos dicebantur ἀνακαλυπτήρια, eaque ſingulari *Programmate* illuſtravit *Jo. Auguſtin. Groebelius*, *Longoſaliſſae* 1736. 4. Conf. *Nicol. Hier. Gundlingii Diſſ. de emtione uxorum, Dote & Morgengaba, Lipſ.* 1731. 4.

F I N I S.

B. BRIS-

B. BRISSONII JC.
ET IN
SUPREMA PARISIENSI
CURIA ADVOCATI
DE
JURE CONNUBIORUM
LIBER SINGULARIS.

Sollemnes nuptiarum ritus ita ſunt a me proprio libro expoſiti, ut vix quicquam ad plenam & perfectam ejus argumenti cognitionem jure ac merito deſiderari poſſe videatur. Huic conſequens duxi, alterum de juſtis injuſtiſque Quiritium nuptiis librum adjungere. Superiori enim tractatui, hoc veluti cumulo addito, juris civilis & antiquitatis Romanae ſtudioſis, hac in parte ſatisfactum iri arbitror: quibus non modo, quo ritu, ſed & inter quas perſonas olim juſtae ac legitimae nuptiae contraherentur, utriuſque libri conjunctione planum fiet. Atque ut via & arte procedat oratio, a qua aetate juſtae nuptiae contraherentur, primum diſpiciendum eſſe cenſeo. Nam cum nuptiis habilem aetatem conſtituerimus, ad alias inſpectiones veniemus: & ad certa veluti capita omnia nuptiarum impedimenta revocantes, facilem, ni fallor, lectoribus ejus quaeſtionis, quam tractandam ſuſcepimus, cognitionem relinquemus. Igitur, ut ab aetate ordiamur, in matrimoniis contrahendis aetatem contrahentium definitam eſſe, MODESTINUS *lib.* IV. *Differentiarum* ſcribit. [a] Ea vero definita aetas pubertas eſt, vel ipſo JUSTINIANO teſte, qui juſtas nuptias inter ſe cives Romanos contraxiſſe tradit, [b] qui ſecundum praecepta legum coibant: maſculos quidem puberes, feminas autem viri potentes. Cui accedere DIONIS teſtimonium velim, qui *lib.* LIV. *pag.* 532. ita ſcribit: Δώδεκα γὰρ τὰ κόραις ἐς τὴν τοῦ γάμου ὥραν ἔτη πλήρη νομίζεται, *duodecimum annum puellis juſtum nuptiarum tempus eſſe exiſtimant.* A duodecimo ſiquidem anno pubertatem feminas auſpicari prudentibus placuit: ex eoque tempore Romae puellae nuptum dabantur. Id quod ea ratione factum PLUTARCHUS interpretatur, [c] ut celerius conjugum mores tenella adhuc aetate imbiberent, & ad obſequium virorum facilius flecti fingique poſſent. Aliter atque Spartae ſervabatur, in qua adultiores demum virgines, & plenis nubiles annis, viris in matrimonium collocabantur. Verba PLUTARCHI, quae hanc inſtitutorum utriuſque gentis diverſitatem declarant, haec ſunt: Τοῦ μὲν Λυκούργου πεπείρους καὶ ὀργώσας νυμφεύοντος, ὅπως ἥ τε ὁμιλία, δεομένης ἤδη τῆς φύσεως, χάριτος ᾖ καὶ φιλίας ἀρχὴ μᾶλλον, ἢ μίσους καὶ φόβου παρὰ φύσιν βιαζομένων, καὶ τὰ σώματα ῥώμην ἔχῃ πρὸς τὸ τὰς κυήσεις ἐπιφέρειν (a), καὶ τὰς ὠδῖνας, ὡς ἐπ' οὐδὲν ἄλλο γαμουμένων, ἢ τὸ τῆς τεκνώσεως ἔργον. τῶν δὲ Ῥωμαίων δωδεκαετεῖς καὶ νεωτέρας ἐκδιδόντων, οὕτω γὰρ ἂν μάλιστα καὶ τὸ σῶμα καὶ τὸ ἦθος καθαρὸν καὶ ἄθικτον ἐπὶ τῷ γαμοῦντι γίνεσθαι. δῆλον οὖν ὅτι τὰ μὲν φυσικώτερον πρὸς τέκνωσιν, τὰ δὲ ἠθικώτερον πρὸς συμβίωσιν. *Lycurgus maturas & viri appetentes elocat, quo ea conſociatio, impellente jam natura, benevolentiae & amoris potius, quam odii & timoris contra naturam coactarum eſſet initium corporaque firmiora eſſent ad ferendum uterum, atque enitendum, tanquam ad nihil aliud nuberent, quam ad pariendum. Romani natas duodecim annos & minores jungunt matrimonio, ita potiſſimum corpus*

De aetate perſonarum.

[a] *l.* 14. *In ſponſalibus. D. de ſponſal.*

[b] *Inſtit. de nupt. in princ.*

[c] *In Numa in fine. pag.* 77.

(a) Ἐπιφέρειν] In *ed. Opp. Francof.* legitur ἀναφέρειν. Paulo poſt pro τὰ μὲν & τὰ δὲ ibi legitur τὸ μὲν & τὸ δὲ.

corpus & mores puros illibatosque in manum viri cenſentes perventuros. Sunt autem ſuperiora, ut patet, ad liberorum procreationem magis naturae conſentanea; haec ad vitam conjugalem aptandis moribus. Ex eo vero tempore pubertatem in feminis legibus definitam, quod generationi eſſent ab eo anno aptae, MACROBIUS *lib.* VII. *Saturnalium cap.* 7. ita ſcribit: *Nec hoc tacebo*, ait, *quod cum calor ſemper generationis cauſa ſit, feminae ideo celerius, quam pueri, fiunt idoneae ad generandum, quia calent amplius. Nam & ſecundum jura publica duodecimus annus in feminis, quartus decimus in puero definit pubertatis aetatem.* Idemque auctor *lib.* 1. *Commentarior. in Somn. Scipionis, cap.* 6. poſt annos bis ſeptem generationis vim in maſculis moveri ſcribit. Ideoque & tutelam pueris, quaſi virile jam robur adſit, abſolvi: ab ea tamen feminas, propter votorum feſtinationem, maturius biennio, legibus liberari. ARISTOTELES (*a*) quoque his conſentiens *lib.* VII. *cap.* 3. περὶ ζώων ἱςορίας, ſive *Hiſtoriae animalium*, τὰ θήλεα θᾶττον τῶν ἀῤῥένων καὶ νεότητα καὶ ἀκμὴν λαμβάνειν, *feminas celerius maſculis adoleſcere, & ad aetatis florem pervenire* tradit. Indeque teſtamenta feminis citius, quam maſculis facere licet. [d] Ceterum ſi minor XII. annis domum pro uxore deducta eſſet, non ante juſta & legitima uxor fiebat quam apud virum duodecimum annum impleſſet. [e] Sed nec prius a viro dos ejus nomine promiſſa peti poterat. Nam cum omnis dotis promiſſio tacita futuri matrimonii conditione ſuſpendatur, [f] ante duodecim annorum aetatem, nondum utiliter ſecuto matrimonio, dotis petitio viro non competebat. Quapropter ſi ante impletum duodecimum annum repudiata conditione diſceſſiſſet, pecuniae in cauſam dotis numeratae, quae dos fieri, nuptiis minime ſecutis, non potuerat, exemplo dotis, condictio ei dabatur, cum iiſdem tamen privilegiis, quae actioni de dote concedebantur. At cum apud virum major XII. annis eſſe coeperat, tum matrimonio ſubſiſtente, in dotem pecunia numerata vertebatur. Interim vero dum pubertas conjugis expectabatur, ſiquidem ſponſalia interceſſiſſent, quamvis uxorem putaret eſſe, qui duxerat, ſponſae tamen vice ea habebatur, [g] eique vitium oblatum maritus ſponſi loco perſequi ex Severi reſcripto poterat. [h] Quod ſi ſponſalia non anteceſſiſſent, nec pro ſponſa nec pro uxore haberi poterat. Nec eo magis donationes ei factae valebant, utpote quae quaſi ad uxorem, non quaſi ad extraneam factae eſſent. Quanquam autem nuptiae cum minore XII. annis non conſiſterent, in patrem tamen, qui filiam minorem duodecim annis nuptum collocaſſet, auctorque ei factus eſſet ad contrahendum, actio in factum ex edicto: *Quod falſo tutore auctore geſtum eſt*, non dabatur. [i] Ignoſcendum enim patri prudentes cenſuere, ſi filiam ſuam maturius in viri familiam perducere voluerit. Praeſumptum eſt quippe, propenſiori potius in filiam affectu, quam viri in fraudem illiciendi cauſa, hujuſmodi nuptias eum conciliaſſe. Quam conjecturam capi paterna pietas & naturalis erga liberos caritas ſuadet (*b*). Non modo autem in matrimonio, ſed ne in concubinatu quidem minor annis duodecim puella haberi jure licito poterat. [k] Poſt aetatis vero inſpectionem ad juſtam matrimoniorum conjunctionem ſtatus ac conditionis eorum, qui matrimonio jungerentur, ratio habenda erat. Ac primum inter liberas ac ſerviles perſonas, nuptias olim non conſtitiſſe certo certius [l] eſt. Quinimo libera mulier, quae cum alieno ſervo poſt trinam domini denuntiationem in conſuetudine perſeveraſſet, Senatuſconſulto Claudiano, quod a JUSTINIANO ſublatum [m] eſt, libertatem amittebat, ſervitutique vindicabatur, quemadmodum ULPIANUS in *Fragmentis Titulorum* [n] & TERTULLIANUS [o] ſignificant. Quamobrem ſi ancilla libero nupſiſſet, dotiſque nomine pecuniam numeraſſet, ſive ſciſſet ancillam ſe eſſe, ſive ignoraſſet, nec matrimonium erat, nec viri ea pecunia prius fiebat, quam tempore legibus ſtatuto penes ſe pro ſuo habitam ac poſſeſſam eam uſu cepiſſet. Plane, ſi apud virum ad libertatem perveniſſet, conciliabatur convaleſcebatque matrimonium: exindeque dotis nomen, ſi necdum uſucapio impleta eſſet, ſortiebatur, matrimonioque ſoluto ejus, ut dotalis, repetitio competebat. [p] Juſta vero matrimonia (*c*) non inter liberas quaſcumque paſſim perſonas, ſed inter ſolos

d *l.* 5. *A qua aetate. D. qui teſtamenta facere poſſ.*
e *l.* 4. *Minorem. D. de ritu nuptiarum.*
f *l.* 68. *Dotis promiſſio. D. de jure dotium.*
g *l.* 32. *Cum hic ſtatus* §. 27. *ſi quis ſponſam D. de donat. int. vir.*
h *l.* 13. *Si uxor.* §. 3. *Divus &* §. 8. *ſi minor. D. ad l. Jul. de adult.*
i *l. penult.* §. 3. *D. quod falſo tut.*
k *L.* 1. *in fin. D. de concub.*
l *L.* 7. *ſi neget. D. de agnoſcend. & alend. liber. L.* 67. *Proculus. D. de jure dot. L.* 3. *C. de inceſt. nupt.*
m *Rubr. de Senat. Claudian. tol. C.*
n *Tit.* XI. §. 11.
o *In lib.* II. *ad uxor. cap.* 8.
p *L.* 67. *Proculus. D. de jure dotium.*

(*a*) ARISTOTELES] Adde ejus *lib.* IV. *de generat. animal. cap.* 6. ubi haec latius explicavit.

(*b*) SUADET] Confer *Jo. Gottl. Heineccii Comm.* ad *L. Jul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 5.

(*c*) MATRIMONIA] Matrimonium (ut & nuptiae) per ſe eſt vocabulum juris gentium: ſed addito epitetho *juſtum* (ut *juſtum matrimonium, juſtae nuptiae*) denotat legitimam juris civilis conjunctionem, ſive *connubium*, quod ſemper eſt vocabulum juris civilis. *Connubium* ſumitur interdum pro ipſo legitimo matrimonio, interdum pro jure legitimi matrimonii, quod & *jus connubii* vocatur, & eſt ſpecies juris Quiritium, ſive juris civitatis Romanae, ut adeo omnes ab eo excluderentur, qui civitatis Romanae non

[q] *Inſtit. de nupt. in princ.* [r] *Tit.* v. §. 4.

los cives Romanos contrahebantur. [q] Nam cum Latinis peregriniſque connubium, niſi id eis conceſſum eſſet, non erat. Teſtes ſunt Ulpianus in *Titulorum fragmentis*, [r] & Boethius in *commentar.* ad *Topica Ciceronis lib.* II. ad *cap.* 4. *Non omnibus*, inquit, *erat connubium cum Romanis, nec erant nuptiae jure contractae, quae non aut inter civem Romanum civemque Romanam inibantur aut cui Princeps populuſve civitatem vel connubium permiſiſſet.* Hinc Papinianus in *Fragmentis* ſive in *Collat. legg. Moſaicar. & Rom. Tit.* IV. §. 5. *Civis*, inquit, *Romanus, qui ſine connubio ſibi peregrinam in matrimonio habuit, jure quidem mariti eam adulteram non poſtulat.* & Quinctilianus *Declam.* 306. ubi quidam petit nuptias ejus, quam matrem dicebat: *Non omnibus*, inquit, *praemium debetur, non petit ſervus, non petet peregrinus.* Ex quo Seneca *lib.* IV. *de benefic. cap.* 35. *Promiſi tibi*, ait, *filiam in matrimonium: poſtea peregrinus apparuiſti. Non eſt mihi cum extraneo connubium.* Macrobius *lib.* I. *Saturnal. cap.* VI. *Libertinis vero nullo jure uti praetextis licebat: ac multo minus peregrinis, quibus nulla eſſet cum Romanis neceſſitudo.* Itaque maximam apud populum invidiam Antonio conflavit, ab eo contra leges ac patriae inſtituta contractum cum Cleopatra conjngium. Cujus facti indignitatem Plutarchus abſque nota praetereundam non cenſuit. Sic enim in *ejus cum Demetrio collatione pag.* 957. ſcribit: Ἔπειτα τὴν ἀστὴν καὶ δικαίως γαμηθεῖσαν ἐξήλασε, τῇ ξένῃ καὶ μὴ κατὰ νόμους συνούσῃ χαριζόμενος. *Poſtquam civem & legitime nuptam exegit, cum peregrina & non ſecundum leges conſuevit.* Aegre etiam tuliſſe populum Romanum, Xiphilinus [s] narrat, qnod Titus Berenicen Aegyptiacam in palatio uxoris loco habebat, ut proinde repudiare eam ſit coactus. Itaque, qui cives Romani non erant, connubii jus, niſi civitate impetrata, non habebant. Memoriaeque adeo proditum eſt, Campanos civitate Romana donatos, & a cenſoribus Romae cenſeri coactos, ut ſibi cives Romanas uxores ducere liceret, petiiſſe, & ſi qui prius duxiſſent, ut habere eas ſibi liceret: utque ante eam diem nati juſti ſibi liberi heredeſque eſſent. Quorum utrumque eis indultum eſſe Livius refert *lib.* XXXVIII. *cap.* 36. Ex peregrino autem & cive Romana qui naſcebantur, peregrini naſcebantur: quoniam lex Menſia (*a*), quae in hac parte legi naturae derogabat, [t] ex alterutro peregrino natum, deterioris parentis conditionem ſequi jubebat. [v] At ejuſmodi peregrinitatis obſervationem tandem exoleviſſe, una (*b*) nimirum Roma Communis patria diceretur, ſignificare videtur Prudentius *lib.* II. *contra Symmachum* his verſibus: (v. 612.)

[s] *In Veſpaſiano, lib.* 66. *pag.* 752.

[t] *L.* 24. *Lex naturae. D. de ſtat. homin.* [v] *Ulpian. in fragm. Tit.* V. §. 2.

Diſtantes, ait, *regione plagae, diviſaque ponto*
Littora, conveniunt nunc per vadimonia ad unum
Et commune forum, nunc per commercia & artes
Ad coetum celebrem, nunc per genialia fulcra
Externi ad jus connubii: nam ſanguine miſto
Texitur alternis ex gentibus una propago.

Atqne hujus qnidem moris non alia ratio fuiſſe videtur niſi qnod Romanae civitatis honorem paſſim ſordeſcere & vulgari noluerunt (*c*), ut ait Suetonius in *Octavio cap.* 40.

At

non erant participes, niſi illud ſingulari privilegio impetraſſent. Cives Romani generatim loquendo omnes qnidem habebant jus connubii: ſed quemadmodum non omnes cives omnia jura civitatis pleno & optimo jure habebant: ita & jus connubii non omnibus civibus pleno & optimo jure competebat. Sic v. g. libertini ſemper quidem habuerant jus connubii inter ſe, non vero cum ingenuis ante legem Papiam Poppaeam, neque poſtea cum Senatoribus eorumque liberis. Variae etiam erant ex legibus civilibus reſtrictiones, quibus efficiebatur, ut non inter omnes cives ſemper eſſet jus connubii, de quibus auctor in ſequentibus. Confer de hoc jure, praeter *Car. Sigonium, Ezech. Spanhemii Orb. Rom. lib.* II. *cap.* 22. *Jo. Gottl. Heineccii Synt. Antiqq. App. ad l.* I. §. 33. *ſeqq. Georg. Henr. Ayrer. in Diſſ. de jur. connub.* §. 2.

(*a*) Mensia] De hac lege notabili confer quae dixi in *Select.* meis *Antiqq. Part.* I. *cap.* 3. §. 9. *ſeqq.*

(*b*) Una] Supplenda particula *ut*. Non accurate vero hic loquitur auctor. Per Conſtitutionem enim Antonini Caracallae (quam innuit) non exolevit obſervatio peregrinitatis; neque per eam jus connubii cum peregrinis fuit communicatum: (aliud enim docet *pr. Inſt. de nupt.*) ſed ipſum jus civitatis Romanae cum omnibus in orbe Romano ingenuis fuit communicatum. Conf. *ſelect.* meas *Antiqq. Part.* I. *cap.* 4. §. *ult.*

(*c*) Noluerunt] Haec tanquam remota ratio aliquo modo tolerari poteſt: proxima vero eſt, quoniam inter cives & peregrinos nulla erat juris civilis communio. Matrimonium enim erat inter iſta negotia, quae peculiarem a jure civili formam acceperunt: hinc legitima iſta conjunctio locum habere non poterat, niſi inter ſolos cives Romanos.

At a provincialibus, cujuſcumque ordinis aut loci eſſent, cum Barbaris conjugia contrahi VALENTINIANOS & VALENS prohibuere: quorum de ea re extat in *Cod. Theod. conſtitutio* x. Narrat CEDRENUS in *Hiſtor. Compendia*, *pag.* 412. (524.) Theophobum Perſica regione ortum ſorori Theophili Imperatoris matrimonio copulatum fuiſſe, lege etiam lata, quae Perſis connubiorum cum Romanis licentiam concederet (*a*). Enimvero patribus cum plebe connubium ne eſſet XII. Tabulis ſancitum erat (*b*) quemadmodum DIONYSIUS HALICARN. *lib.* x. *Antiquit. pag.* 684. cum LIVIO *lib.* IV. ab U. C. *cap.* 1. narrat. Nam cum auſpicia plebeji non haberent, eaque apud ſolos patricios ſubſiderent idcirco ne incerta prole auſpiciorum jura turbarentur, inter eos connubium Decemviri diremerunt. Quod tamen eorum legis caput non multum poſt temporis, Tribunorum plebis contentione ac convitio, abrogatum eſſe iidem docent. Attamen idem ipſe LIVIUS *lib.* x. *cap.* 23. Virginiam, Auli filiam, patriciam, plebejo nuptam L. Volumnio conſuli, matronas, quod e patribus nupſiſſet, ſacris arcuiſſe refert. Ex quo probari poſſe videtur, legem XII. Tab. in uſum revocatam fuiſſe (*c*). Senatores etiam, Senatorumve filii, libertinas uxores ducere prohibebantur. Quae prohibitio, quoniam ex lege Julia de maritandis ordinibus deſcendit, neceſſario nobis ejus legis ſententia, breviter tamen, quoad ejus fieri poterit, explicanda eſt. Nam ab aliis dicta, nec repetere, nec interpolare libet. Primum autem admonebo, Julium Octavium (*d*) Caeſarem Auguſtum compoſitis inteſtinis externiſque bellis, cum & orbi pacem, & ſibi, bona populi gratia, imperium conciliaſſet, ingraveſcente jam aetate, civitati reformandae legibuſque ſcribendis animum adjeciſſe. Quam rem jam factam, ut futuram, OVIDIUS *lib. ultimo Metamorph.* v. 832. aſſentatorie ita canit:

x *In l. un. de nupt. gentil. in Cod. Theod. lib.* 3. *tit.* 14.

De lege Julia & Papia Poppaea.

Pace data terris, animum ad civilia vertet
Jura ſuum, legeſque feret juſtiſſimus auctor;
Exemploque ſuo mores reget. ——

Legum autem earum quaſdam ipſemet Conſulatum gerens tulit, quaſdam per Coſſ. ordinarios ſuffectoſve rogari, & ad populum ferri curavit. Etenim ne antiquum Reipublicae ſtatum peſſumdare, ſubvertereque videretur, Legem inconſulto Senatu, & cujus patres auctores prius facti non eſſent, protinus ferendam ſibi eſſe non cenſuit. Quemadmodum ZONARAS *Annal. lib.* x. *pag.* 533. ita ſcribit: Οὐ μὴν τοι πάντα ἐθελογνωμόνων ἐνομοθέτει, ἀλλ᾽ ἔστιν, ἃ καὶ εἰς τὸ δημόσιον προετίθει, ὅπως, ἄν τι μὴ ἀρέσῃ, ἐπανορθῶσιν. *Non omnia ſuo conſtituit arbitrio, ſed quaedam promulgavit publice; ut, ſi quid minus placeret, corrigeret unusquisque.* Et alias, *eod. lib. pag.* 538. Νόμους δὲ μετὰ ταῦτα ὁ Καῖσαρ ἤνεγκε (*e*), καὶ τοῖς βουλευταῖς αὐτοὺς ἀναγνῶναι ἐπέτρεψε. ὅπως, εἰ μή τι ἀρέσκῃ, ἢ ἄμεινόν τι νοήσειαν, εἴπωσιν. *Poſt haec leges tulit Caeſar, & eas examinandas Senatui commiſit, ut, ſi quid minus placeret, aut ſi quid melius eſſe cenſerent, dicerent.* Sic per Coſſ. ſuffectos Papiam Poppaeam legem de praemiis parentum tulit: quae propter argumenti adfinitatem Juliae conjungi ſolet (*f*). Quae leges fama ſe ſupra ceteras, quarum ille princeps

anctor

(*a*) CONCEDERET] Hoc matrimonium narrat quoque ZONARAS *Annal. lib.* XV. *pag.* 147. qui tamen de lege hac prorſus tacet, adeo, ut ea minus veroſimilis mihi videatur. Privilegium fortaſſis latum tantum fuit, ut hoc ſcilicet matrimonium pro juſto haberetur.

(*b*) ERAT] Ante leges XII. Tabularum ex privato, ut mihi veroſimile ſit, inſtituto patricii a nuptiis plebejorum abhorruerunt: Decemviri vero ejuſmodi conjunctionem expreſſe prohibuerunt, id quod animos plebejorum ad contentionem accendit, qui omnem exinde lapidem moverunt, ut iſta lex tolleretur. Poſtea tamen adhuc rariſſimae iſtius generis nuptiae fuiſſe videntur, uſque ad tempus illud, quo Curules etiam Magiſtratus cum plebejis fuerunt communicati: exinde enim frequentiores ſine dubio factae ſunt.

(*c*) FUISSE] Male ita colligit auctor; patriciae enim matronae non negarunt, illud juſtum eſſe matrimonium: ſed noluerunt Virginiam admittere ad ſacra patriciis propria, quia per in manus conventionem ex gente patricia in plebejam tranſierat.

(*d*) OCTAVIUM] Ita ante adoptionem vocatus fuit: poſtea vero vel plane hoc nomen omiſit, vel in *Octavianus* mutavit. Caeterum de Auguſti prudentia legiſlatoria eleganter diſſerit *Jo. Gottl. Heineccius* in *Praefat.* ad *Comment.* ſuum ad *L. Jul. & Pap. Popp.*

(*e*) Ἤνεγκε] In noviſſ. edd. legitur: εἰσήνεγκε: & paulo poſt pro ἀρέσκῃ legitur ἀρέσκοι.

(*f*) SOLET] Quia ſcilet legis Juliae capita pleraque deinde in legem Papiam Poppaeam migrarunt, non ſine aliqua tamen differentia. Conf. *Heineccii Comment. lib.* 1. *cap.* 3. ubi & hiſtoriam utriuſque legis, & differentiam earum expoſuit.

auctor fuit, extulerunt. Quota enim pars juris earum legum commemoratione vacat? aut quae frequentiores occurrunt, quam ex Jureconſultorum ad eas leges commentariis, inſcriptiones? Conſtat namque, non ex catalogo modo, qui Pandectis Piſanis praefigitur, ſed & ex capitum inſcriptionibus, leges has JUNIUM MAURITIANUM *libris ſex*, MARCELLUM *totidem*, TERENTIUM CLEMENTEM aeque atque ULPIANUM *viginti*, PAULUM *decem*, CAJUM *quindecim*, interpretatos eſſe (*a*). Quorum ſi nobis ſcripta integra, aut JUSTINIANI facinus (*b*), aut temporis injuria reliquiſſet, ſupervacanea & inanis omnis noſtra haec opera eſſet. Nunc quoniam, ſi non libenter, at patienter certe tanta librorum veterum jactura ferenda eſt, earum, quae tamquam ex vaſto incendio ſalvae ad nos pervenerunt, reliquiarum intuitu, amiſſorum deſiderium leniamus, veteremque tam celebrium legūm memoriam, eorum, quae in manibus habemus, ope, ab oblivionis injuria, qua fieri poterit diligentia, vindicemus. Qua in parte ſicubi feſellero, veniam me ab aequis judicibus exoratnrum facile confido, eo qnod in tenebris, quod ajunt, micantes, & ſolis plerumque conjecturis res ignotas inveſtigantes, labi atque errare humanum eſt. Ceterum lex Julia, cujus capita aliquot explicare inſtitui, proprium, differentiae ergo, *de maritandis ordinibus* nomen invenit (*c*): ad cujus praecepta APULEJUS *Apologia* II. *pag.* 539. ita alludit: *Lex quidem Julia de maritandis ordinibus numquam ſcilicet ad hunc modum interdicit:* UXOREM IN VILLA NE DUCITO. Hanc etiam legem HORATIUS ſignat in *Carmine ſeculari*, v. 17. cum ait:

Diva, producas ſobolem, patrumque
Proſperes decreta ſuper jugandis
Feminis, proliſque novae feraci
Lege marita.

Eadem lex apud ULPIANUM in *Inſtitut. tit.* XIII. & XIV. & *tit.* XVI. §. 2. & apud JUVENALEM *Satyr.* VI. v. 38. Legis Juliae appellatione exaudienda eſt. Sed & ad eam referendum eſt, quod TERTULLIANUS *lib. adverſus Valentinian. cap.* 31. ita ſcribit: *Credas enim, ubi de loco in locum tranſmigratur, leges quoque Julias intervenire.* Complura autem capita habuiſſe eam legem non eſt obſcurum. Nam & triceſimum quintum a MARTIANO memoratur (*d*). y Potiſſimum (*e*) autem illud fuit, quo Senatores, liberique eorum, libertinas, & quae ipſae, quarumve parentes artem ludicram feciſſent, ducere prohibebantur: quod in haec verba conceptum fuiſſe Paulus teſtis eſt. z QUI SENATOR EST, QUIVE FILIUS, NEPOSVE EX FILIO, PRONEPOSVE EX FILIO NATO, CUJUS EORUM EST, ERIT: NE QUIS EORUM SPONSAM, UXOREMVE SCIENS DOLO MALO HABETO LIBERTINAM, AUT EAM, QUAE IPSA, CUJUSVE PATER MATERVE ARTEM LUDICRAM FACIT, FECERIT: NEVE SENATORIS FILIA, NEPTISVE EX FILIO, PRONEPTISVE EX NEPOTE FILIO NATO, NATA, LIBERTINO, EIVE, QUI IPSE, CUJUSVE PATER MATERVE ARTEM LUDICRAM FACIT, FECERIT, SPONSA NUPTAVE SCIENS DOLO MALO ESTO, NEVE QUIS EORUM DOLO MALO SCIENS SPONSAM UXOREMVE EAM HABETO. Quibus legis verbis ex Jureconſultorum commentariis congrua interpretatio aptanda eſt. Ait lex: SENATORIS FILIUS. Senatoris Filium, quemadmodum ULPIANUS *lib.* I. *ad L. Juliam* exponit, a accipere debemus, non tantum naturalem, verum etiam adoptivum. Nec intereſt, a quo, vel qualiter adoptatus ſit: quod idcirco Ulpianus addidit, quia cum per adoptionem dignitas non minuatur, ſed augeatur, etiam natalium ſplendorem Senatoris filius inferioris

y *In L.* 39. *Capite. D. de ritu nupt.*

z *In L.* 44. *Qui ſenator. D. de ritu nupt.*

a *L.* 5. *Senatoris filium. D. de Senatoribus.*

(*a*) ESSE] De laudibus harum legum, earumque interpretibus & capitibus in genere vide *Heinecc. Comment. lib.* 1. *cap.* 1. §. *ult. & cap.* 5.

(*b*) FACINUS] Auctor forſan vulgarem in mente habuit fabulam, ac ſi omnia veterum JCtorum opera, juſſu Juſtiniani, opera Triboniani, fuerint combuſta, quam peculiari Programmate refutavit Vir Cl. *Jo. Gottfr. Schaumburg*, quod recuſum fuit cum ejus *libro comment. de Conſtitutionibus Impp. antiquis, iis ſpeciatim, quae in Inſtitt. citantur, & in Codice repetitae praelectionis omiſſae ſunt*, *Lemgov.* 1735. 4.

(*c*) INVENIT] Rationem hujus denominationis, a primis ſcilicet capitibus, reddit *Jo. Gottl. Heineccius* in *Comm. lib.* II. *cap.* I. §. I.

(*d*) MEMORATUR] Quem locum a multis ſollicitatum bene defendit *Jo. Gottl. Heineccius* in *Comment. lib.* I. *cap.* 5. §. 2.

(*e*) POTISSIMUM] Et primum quidem: quod illuſtravit, poſt *Jacob. Gothofredum*, *Jo. Gottl. Heineccius* in *Comment. lib.* II. *cap.* I. Multa etiam ad hujus capitis illuſtrationem attulit *Auguſtinus Campianus* in *libro de Officio & Poteſtate Magiſtratuum*, *cap.* 26. *ſeqq. pag.* 57. *ſeqq.*

ris dignitatis homini, veluti plebejo in adoptionem datus, retinet. [b] Cujus rei exemplum ex Publio Claudio, Appii filio, ſumi poteſt, quem, etiam ſi ſe plebejo homini in adoptionem dediſſet, [c] Senatorem tamen manſiſſe dubium non eſt (*a*). Ac nec jus originis (*b*) in honoribus ſuſcipiendis adoptione mutari verum eſt. [d] Nec illud quidem intereſt, jam in Senatoria dignitate conſtitutus ſuſceperit filium quis, an ante dignitatem Senatoriam. Accedens quippe, & ſuperveniens patri dignitas, in liberos quoque jam ante procreatos transfunditur. [e] Et ideo decurionis quoque filius non is dumtaxat habetur, qui ex patre decurione conceptus, & natus eſt, ſed & is, qui ante natus eſt, quam decurionis honor patri acceſſiſſet. Nec ſum neſcius, ſuperiori ſententiae videri quibuſdam refragari Conſtantini (*c*) conſtitutionem, [f] quae propter hyperbaton obſcuritate aliqua laborat: aliud tamen nihil ſignificat, quam filios ac filias, qui quaeve ante ſuſcepti ſuſceptaeve fuerunt, quam in Senatorium ordinem cooptati, vel alias citra Senatoriam dignitatem, clariſſimorum titulo patres eorum earumve decorati eſſent, clariſſimatus nihilominus dignitate fruituros: quod his, quae poſuimus, mirifice conſentit. Atque haec quaeſtio ab interpretibus ad filios ante regnum a patre adeptum conceptos ac genitos producta eſt (*d*). Quae controverſia priſcis temporibus inter Xerxem & Artabazanem (*e*) Darii filios incidit: cum hic, utpote natu maximus, aetatis privilegio regnum ſibi vindicaret, quod jus & ordo naſcendi & natura ipſa gentibus dedit: Ille vero non ordine, ſed naſcendi felicitate niteretur, regique ſe primum natum, fratre, qui ante privato natus eſſet, ſuperiorem contenderet. Quam tamen litem, arbiter ab his addictus, Artaphernes, ſecundum Xerxem dedit. [g] Sed hoc exemplum in ſimili deinde contentione Perſae ſecuti non ſunt. Nam cum Paryſatis minorem natu filium Cyrum Arſicae, qui poſtea Artaxerxes nominatus eſt, praeferendum contenderet, eo quod hunc privato, illum regnanti Dario peperiſſet, exploſa hac ſubtilitate, regnum ad Arſicam delatum eſſe PLUTARCHUS [h] auctor eſt (*f*). Sed enim, ne

b *L.* 34. *Per adoptionem. D. de adoptionib. L.* 6. §. 1. *D. de ſenatorib.*

c *Cicero Orat. pro domo ſua, paſſim.*

d *L.* 15. *Ordine* §. *ult. D. municipal.*

e *L.* 2. §. 2. *In filiis D. de decurionib. L.* 9. *Moris* §. 14. *D. de poenis. juncta in arg. l. patre furioſo.* 8 *D. de his, qui ſunt ſui vel al. juris.*

f *L.* 11. *ſi Senator. C de dignitatib. lib.* XII.

g *Juſtin. lib.* 2. *hiſtor. cap.* 10.

h *In Artaxerxe, pag.* 1012.

(*a*) NON EST] Per adoptionem & arrogationem mutabatur gens & familia, non vero ordo, quem quis in civitate obtinebat. Exinde ſequitur, (1) dignitatem illam, quae ex ſola gente & familia perveniebat, per adoptionem & adquiri & amitti. Hinc nullum eſt dubium, quin per adoptionem aliquis & patricius & plebejus effici potuerit. (2) Per adoptionem ordinem neque adquiri, neque amitti: quia ipſum ordinem quilibet proprio ſuo merito vel adquirebat, vel amittebat. (3) Dignitatem, quae ex ordine parentum ad poſteros deſcendebat, adquiri quidem per adoptionem, non vero amitti: ad hanc enim dignitatem unicum ſufficiebat vinculum, vel naturale, vel civile. Hinc certum eſt, Senatorem non amiſiſſe ordinem ſuum per adoptionem: Senatoris etiam filium, a non Senatore adoptatum, non deſiiſſe plane Senatoris filium eſſe, uti nec emancipatum. Quia tamen ratione dignitatis, quae a ſolo jure civili deſcendebat, vinculum civile naturali fortius eſſe videbatur: hinc JCti adoptatum a Senatore proprie Senatoris filium effici; Senatoris vero filium a non Senatore adoptatum, ut & emancipatum, quaſi tantum Senatoris filium manere ſtatuerunt. Ceſſante vero utroque vinculo, ceſſabat etiam dignitas ex ordine parentum perveniens: hinc adoptatus a Senatore, & poſtea emancipatus, ne quaſi quidem Senatoris filius manebat. Eodem paene modo res etiam ſeſe habuit cum dignitate, quae ex magiſtratibus geſtis ad poſteros deſcendebat; unde proprie ſic dicta nobilitas, ſive jus imaginum: qua de re alibi in *ſelectis* meis *Antiqq.* dicam. Ex paucis enim hiſce, jam ſatis ea, quae tum ab auctore, tum ab aliis interpretibus dicta ſunt, (quorum plerique ſatis confuſe hac de re diſputarunt) intelligi & dijudicari potuerunt.

(*b*) ORIGINIS] Intelligit auctor jus municipale, quod per adoptionem adquirebatur, non vero amittebatur, quia ſola naturalis origo ad illud ſufficiebat, & nemo ſine ſpeciali Principis juſſu origini eximebatur. Vide *Petri Ponceti Tract. de Civibus & Municip.* §. 3. *pag.* 375. *ſeq. ed. Francof.* 1671. & *ſelectas* meas *Antiqq. Part.* 1. *cap.* 3. §. 36.

(*c*) CONSTANTINI] Immo auctores hujus Conſtitutionis ſunt VALENS, GRATIANUS & VALENTINIANUS, ut, exploſa veteri vitioſa lectione, hodie in Codice recte legitur. Eſt nimirum haec lex deſumta ex *L.* 1. *de Senator.* in *Cod. Theod. lib.* VI. *tit.* 2. ſed quibuſdam reſectis, ex quibus verus ejus ſenſus elici debet: nimirum liberos natos ante patris ſenatoriam dignitatem haberi pro liberis Senatorum quoad dignitatem, non vero quoad onera. Confer omnino *Jac. Gothofredi Comment.* ad *leg. cit. C. Theod.* & *Auguſtini Campiani* opus ſupra laudatum, *pag.* 59. *ſeqq.*

(*d*) PRODUCTA EST] Satis quidem incommode, ne ob tanta nomina dicam ineptе; ſed erant olim iſta tempora, quo omnia & publici & privati juris capita a JCtis ex ſolo jure civili & canonico dijudicabantur. Qui hodie adhuc in tanta luce ita deliraret, is merito derideretur. Non melius tamen agunt, qui hodiernam nobilitatem ejuſque propagationem ex jure Romano decidere volunt. Sed haec obiter.

(*e*) ARTABAZANEM] In aliis hujus libelli editionibus legitur *Arthemenem*: quae utraque lectio veterum auctoritate nititur: nam apud JUSTINUM *l. c.* vocatur Arthemenes; apud HERODOTUM vero *lib.* VII. *cap.* 2. appellatur Artobazanes.

(*f*) EST] Ratio forſan differentiae fuit, quia Xerxes materna quoque origine fratribus ſuis ſenioribus potior erat.

ne longius a re propoſita aberrem, quod ad adoptivum filium attinet, tamdiu eum Senatoris filium habendum, PAULUS *lib.* 11. *ad L. Juliam & Pap.* bene monet, [i] quamdiu in ſamilia manet, patriſque adoptivi poteſtate continetur. Emancipatus enim tam jus, quam nomen filii emancipatione amittit, adoptioneque quaeſita adgnatio, e poteſtate dimiſſo eo, in totum perit. Civile quippe hoc vinculum, contrario civili ac legitimo actu, id eſt, emancipatione, penitus diſſolvitur. [k] Ideoque in omni jure, finita patris adoptivi poteſtate, nullum ex priſtino jure veſtigium retinetur. [l] Proinde per adoptionem quaeſita dignitas emancipatione extinguitur. At naturalibus liberis honorem natalibus partum, emancipatio non adimit, nec minuit. Quae enim a genere, a ſanguine, ab ipſo ortu emancipatis tribuerentur, ea manere eis incolumia conſtat (*a*): [m] proindeque emancipatum a patre Senatore, Senatoris nihilominus filium haberi, ULPIANUS *lib.* I. *ad L. Juliam* ſcribit. [n] Idem adjicit, eum, qui poſt mortem patris Senatoris natus ſit, quaſi Senatoris filium eſſe. Aliam vero ejus cauſam eſſe, qui, poſtquam pater ejus e ſenatu motus eſt, conceptus & natus fuerit. Nam quae patri mortis tempore inhaeſit dignitas, ea veluti hereditario jure ad poſteros tranſmittitur: At quae vivo patre vitio ejus amiſſa eſt, ad liberos poſtea conceptos manare nequaquam poteſt. [o] Plane jam procreatis liberis patris caſum non obeſſe placuit. Similique modo, qui decurione patre editus eſt, licet poſtea pater ejus decurio eſſe deſierit, quaſi decurionis tamen filius nec in metallum dari, nec aliis plebejis ſuppliciis affici poterit. [p] Quod ſi ante ejus conceptionem dignitate pater exutus ſit, ut plebeji filius in honoribus erit intuendus. Sed nec liberti ingrati delictum, propter quod in ſervitutem revocatur, filiis ab eo, dum libertate potiretur, conceptis, nocet. [q] Ita quod ad ſtatum, conditionem, ac dignitatem liberorum attinet, conceptionis tempus ſpectamus. Benigne tamen, ac ſingulari jure, JUSTINIANUS conſtituit, [r] ut ſi curialis fortunae exortes ultro ſeſe & ſponte ſua curiae dederint, ab iis, vel poſtquam curiae adſcripti fuerint, concepti liberi, non curialem, ſed priſtinam patrum conditionem ſortiantur. Ceterum filii appellatione etiam filia continetur. [s] Et tamen, ut ne Senatoris filia libertino nubere poſſet, Senatuſconſulto ſpecialiter prohibitum fuit, [t] licet ad hanc quoque ſpeciem lex Julia porrigi potuiſſe videatur. Ait lex: NEPOSVE. Filii appellatione, ſi nudam ac propriam verborum ſignificationem, extra voluntatis cauſam ſpectemus, [v] nepos non continetur. Et ideo nepotem exprimi neceſſe fuit. Porro ſi quis & patrem & avum habuerit Senatorem, & quaſi filius, & quaſi nepos Senatoris intelligitur. Et quanquam pater amiſerit dignitatem ante hujus conceptionem, avi nihilominus dignitas ei proderit. [x] Sequitur in lege: NE QUIS EORUM SPONSAM UXOREMVE. Senatores igitur, Senatorumque liberi, libertinas in matrimonia habere prohibentur, ne ampliſſimi ordinis dignitas hujuſmodi conjugii conſortio vileſcat. Eaque de cauſa cum Acten libertam juſto ſibi matrimonio conjungere Nero cuperet, Conſulares viros ſummiſiſſe dicitur, [y] qui regio genere ortam pejerarent. Et SENECA *lib.* VII. *Controverſiar. Declam.* 6. (al. *lib.* III. *num.* 21.) cùm probare niteretur, magnos viros feciſſe, ut libertinas uxores ducerent, veluti exempli loco ſubjunxit: M. *Cato coloni ſui filiam duxit uxorem, ſed ingenuam.* Ideoque exemplum propoſitioni non quadrat (*b*). Ex quo apparet, quod DIOCLETIANUS reſcripſit, [z] uxorem libertam ſuam manumiſſori, *Si non ſit ex his perſonis, quae ſpecialiter prohibeantur*, ducere non eſſe interdictum, ſic cum *Accurſio* accipiendum eſſe, ſi non Senator ſit, Senatoriſve filius, nepos. Tam enim ſuas, quam alienas libertas uxores ducere, qui Senatoris dignitate praediti, Senatoribuſve orti ſunt, prohibentur. Proinde ſi quam ex ſamilia ſua ancillam, Senatoris filius, XX. annis minor, ad libertatem matrimonii cauſa perducere ſtudeat, non erit concedendum, [a] quoniam indigne illiciteque hujuſmodi conditionis mulierem ſit ducturus. Juſtae ergo non ſunt nuptiae, quas Senatorii ordinis viri cum libertinis contraxerint. Cui conſequens eſt, nec dotem eſſe, quae in ea matrimonia, quae conſiſtere non poſſunt, minime cadit. Nec enim dos ſine matrimonio eſſe poteſt. [b] Ubicunque igitur matrimonium non eſt, nec dos eſt: proinde ex hac cauſa caduca dos fiet. [c] Nec tamen, quod *Accurſius* exiſtimat, fiſco vendicabitur. Hoc enim

i In L. 6. Senatoris filius. D. de Senatorib.
k §. ult. Inſtit. de cap. min.
l L. 17. per adoptionem. D. de ritu nupt. L. 15 ordine. §. ult. D. ad municipal. L. 23. In omni. D. de adopt.
m Arg. L. 5. Amiſſione. §. ult. cum L. 6. ſeq. D. de capit. dim. & L. 2. Eum qui. D. de interdict. & relegat.
n L. 7. Emancipatum. D. de Senator.
o L. 5. Senatoris filium. D. de Senator.
p L. 2. §. 3. D. de decurion. L. 9. Moris. §. penult. D. de poen.
q L. 2. Si manumiſſus. C. de libert. & eor. libert.
r In L. ult. C. de his, qui ſponte munera.
s L. 16. Si quis ita. D. de teſtament. tut.
t L. 7. Emancipatum. §. ult. D. de ſenatorib. L. 3. §. 1. de donat. inter vir. & ux.
v L. 84. filii. D. de verb. ſign.
x L. 7. emancipatum. §. ult. D. de ſenat.
y Sueton. in Neron. cap. 28.
z In L. 15. uxorem. C. de nupt.
a L. 20. ſi rogatus. §. 2. D. de manumiſſ. vind.
b l. 3. D. de jure dot.
c L. 61. dote. D. de ritu nupt.

(*a*) CONSTAT] Exceptis tamen juribus ſuitatis & adgnationis, niſi quod & haec interdum per Praetorem reſtituantur.

(*b*) QUADRAT] Niſi ergo dicare velimus, auctorem illum libertinam in ſenſu vetuſtiſſimo ſumſiſſe, legendus ita eſt locus: *M. Cato, inquit, coloni ſui filiam duxit uxorem. Reſpondeo, ſed ingenuam, ſed Cato.*

enim in inceſtis demum nuptiis locum obtinet (*a*). [d] Quo fit, ut ſi libertina Senatorem quaſi ingenua deceperit, & ei nupta ſit, actionem in factum doli nomine in eam ex divi Pii reſcripto [e] competat, quod ex dote, quae nulla eſt, vir lucrum nullum fecerit. Quin nec actio de dote competit viro, qui contra juris auctoritatem matrimonium contraxit *l.* 1. C. *de cond. ob. cauſ.* Ei quoque quod poſuimus, conſequens eſt, ex ejuſmodi matrimonio juſtos patri liberos non naſci. Sequitur etiam, rerum amotarum actione inter perſonas, quae ita coierint, ceſſare. [f] Ac nec viro, jure mariti, adulterii accuſatio, ob ſtuprum ab ea, quae, quamvis uxoris animo habita fuerit, uxor tamen eſſe non poſſit, commiſſum, competet: licet propter qualecumque matrimonium violatum, ne peccatum ſuum mulier impune auferat, jure extranei accuſatio admittatur. [g] Quamquam autem nuptiae non ſint, non eo tamen donationes, quaſi inter non conjuges factae, ratae erunt, [h] ne lucro eis ſit illicita conjunctio. Alioquin meliore loco res eorum eſſent, qui contra leges convenirent, quam qui juſtas & civiles nuptias contraherent, quod utique ratio non patitur. Quapropter quaſi ab indignis ablata, quae donata teſtamentove relicta erunt, in fiſcum cogentur. [i] Plane, ſi quis in Senatorio ordine agens, libertinam in matrimonium acceperit, quamvis interim uxor non ſit, attamen in ea conditione eſt, ut, ſi vir dignitatem amiſerit, uxor eſſe incipiat. [k] Sic eveniet, ut quae ab initio non conſiſtebant nuptiae, remoto poſtea obſtaculo impedimentoque convaleſcant. Atqui, quae ab initio minus valent, temporis tractu non confirmari pro regula traditum eſt. [l] Cui objectioni quidam interpretes ut occurrant, iis nuptiis, quae ab initio nullius momenti erant, vires, non ſolius temporis lapſu atque tractu, ſed perſeverantia conſenſus, qui poſt amotum impedimentum durat, accedere dicunt. Eoque pacto regulam contrariam flexu eludunt magis, quam elidunt. Mea haec fuit ſemper ſententia, & ſic in animum induxi meum, regulam illam juris & productam longius, & latius acceptam eſſe, quam pateat. Ad ea namque dumtaxat, quae teſtamentis dantur relinquuntur que, pertinere eam & iiſdem prope cum Catoniana regula finibus ac terminis circumſcribendam eſſe cenſeo. In quam me opinionem etiam Rufinus impellit, qui eam regulam ita extulit: [m] *Quae ab initio inutilis fuit inſtitutio, ex poſt facto convaleſcere non poteſt.* In ceteris vero ſpeciebus atque cauſis falſam eam eſſe perſpicuum eſt. Conſtat ſiquidem, inutiles ab initio nuptias, multis poſtea ex cauſis conciliari. Ut ecce, ſi ancilla libero nupſerit, & apud eundem virum libera facta ſit, matrimonium ab initio inutile, convaleſcit. [n] Pari modo, ſi minor. XII. annis domum ducta ſit, licet ab initio nuptiae non ſint, ſi tamen apud virum decimum quartum annum impleverit, juſta & legitima uxor fiet. [o] Similiterque, quod contra mandata ab his, qui officium aliquod in provincia gerunt, contractum fuerit matrimonium, ſi eo depoſito in voluntate conjuges perſeverent, convaleſcit. [p] Ac ne in ſolo nuptiarum ſermone haereamus, etſi pecuniae alienae numeratione mutuum non contrahatur, [q] conſumptis tamen nummis naſci condictionem minime eſt ignotum. [r] Sed etſi aliena pecunia ſolvendi cauſa detur, quamquam liberationem ejuſmodi ſolutio ab initio non pariat, conſumpta tamen ea ab eo, qui accepit, liberatio procedit. [s] Longum eſſet, exempla omnia, quae ex libris noſtris promi poſſunt, recenſendo enumerare, quibus comprobetur, multa, quae ab origine effectum non habuere, poſtea, ſublatis obſtaculi impedimentique cauſis, confirmari ac corroborari: ut, extra teſtamentarias quaeſtiones, ſuperiori regulae locum non eſſe, veriſſime pronuntiare mihi poſſe videar (*b*). Atque haec fuit veteris illius interpretis, cujus non ita pridem in lucem miſſae ſunt breves in *Tit. de diverſis regulis juris antiqui* notae, ſive is *Placentinus* eſt, ſeu quis alius (nihil enim praeter conjecturam habemus) ſententia. Verum quae ad alia excurrit, ad inſtitutum jam jam revocetur oratio.

Si

[d] *L.* 52. *Inceſtae. D. de ritu nupt.*
[e] *L.* 58. *A divo. D. eod. tit.*
[f] *L.* 17. *ſi concubina. D. de act. rer. amot.*
[g] *L.* 13. *ſi uxor.* §. 4. *ſed ſi ea ſit mulier. D. ad L. Jul. de adulter.*
[h] *l.* 3. §. 1. *videamus D. de donat. int. vir. & ux.*
[i] *L.* 32. *Cum hic ſtatus. in fin. D. de don. int. vir. L.* 2. *D. de his quae ut ind.*
[k] *L.* 27. *ſi quis in ſenatorio. D. de ritu nupt.*
[l] *L.* 29. *quod init. D. de div. reg. jur.*
[m] *In L. penult. D. de diverſ. reg. jur.*
[n] *L.* 67. *Proculus. D de jure dot.*
[o] *L.* 4. *Minorem. D. de ritu nupt.*
[p] *L.* 65. *Eos qui.* §. 1. *D. de ritu nupt. L.* 6. *Etſi contra. C. de nupt.*
[q] *L.* 2. §. 4. *In mutui. D. de reb. cred. ſi cer. pet.*
[r] *L.* 13. *Nam & ſi fur. D. eod.*
[s] *L.* 56. *ſi quis pro eo.* §. 2. *ſi nummos. D. de fidejuſſorib.*

(*a*) Obtinet] Id quod merito reprehendit *Jo. Gottl. Heineccius* in *Comment.* ad *L. Jul. & Pap. Popp. lib.* 11. *cap.* 6 *pag.* 193. *ſeq.*

(*b*) Videar] Regula quidem illa Catoniana mea ſententia per ſe eſt generalis: ſed in applicatione diſtinguendum eſt inter negotia, quae a primo ſuo initio, & a primo illo, quo conſtituuntur, momento omne ſuum robur accipiunt: (ut v. g. teſtamenta) & inter negotia, quae ex ſolo conſenſu dependent, & hinc ſemper, ceſſantibus impedimentis, durante conſenſu, utiliter conſtitui poſſunt. Prioris enim generis negotia nullo modo ex poſt facto convaleſcere poſſunt: poſterioris vero generis negotia non tam ex poſt facto convaleſcunt, (ita ſcilicet, ut ab initio utiliter conſtituta fuiſſe cenſeantur) ſed ab eo potius tempore, quo ceſſarunt impedimenta, recte conſtituta fuiſſe exiſtimantur. Scio haec ſubtiliorem & uberiorem mereri expoſitionem: ſed hac quidem vice nec ſcopi, nec temporis ratio illam permittit.

Si Senatori indulgentia principali fuerit permiſſum, libertinam juſtam uxorem habere, poſſe eam juſtam uxorem eſſe, ULPIANUS prodidit. [t] Illud olim in dubium venit, ſi quis, libertinae nuptiis devinctus, deinde in collegium Senatorum cooptaretur, num matrimonium dirimeretur. Vetus quidem juriſprudentia ob ſupervenientem dignitatem nuptias ſolvi credebat, quando in eum caſum res cecidiſſet, a quo incipere utiliter non potuerat. Quod JUSTINIANO diſplicuit, qui matrimonium nihilominus manere, & hoc bono eventu uxorem frui voluit. [v] Enimvero ſi libertino Senatoris filia nupſerit, licet poſtea pater Senatu ob turpitudinem moveatur, nihilominus ea juſta uxor fiet: [x] cum invidioſum ſimul & iniquum ſit, quaeſitam liberis dignitatem, propter patris crimen auferri. Senatoris certe filia, quae artem ludicram, vel corpore quaeſtum fecerit, aut judicio publico damnata ſit, libertino impune nubit. [y] Nec enim huic honos ſervandus eſt, quae tanto ſe dedecore maculaverit, nominique ſuo tam inſignem ignominiae notam inuſſerit. Sed & quae Senatorio quidem ſanguine creta non eſt, ob matrimonium tamen cum Senatore contractum, clariſſimae feminae nomen adepta eſt, mortuo marito, libertino recte nubit. [z] Nam ſolas Senatorum filias neptesque a libertinorum nuptiis lex repellit. Indignos autem hujuſmodi nuptiis libertinos haberi, licet ſe patrono, homini ingenuo, adrogandos dederint, MARCELLUS *lib.* I. *ad. L. Jul.* ſcribit: [a] quandoquidem publica ingenuitatis jura hujuſmodi adrogatione non ſint adepti. Quo pertinet Maſſurii Sabini a GELLIO relatus locus, in quo ita eſt: [b] *Libertinos vero ab ingenuis adoptari poſſe Maſſurius Sabinus ſcripſit. Sed id neque permitti dicit, neque permittendum eſſe unquam putavit, ut homines libertini ordinis per adoptionem in jura ingenuorum invadant. Alioquin, inquit, ſi juris antiquitas iſta ſervetur, etiam ſervus a domino per praetorem in adoptionem dari poteſt.* Et hoc eſt, quod ab ULPIANO definitur: [c] *Eum qui ſe libertinum fatetur, nec adoptando ingenuum facere patronum poſſe.* Tametſi enim patrono libertum ſuum, cauſae cognitione adhibita, adrogare liceat, tamen in ejus tantum unius perniciem, damnum ac praejudicium, privataque ejus familiae jura, ea adrogatio valet. [d] Ceterum ingenuitatis ornamenta omnia adrogato nequaquam confert ac tribuit. A quo non abhorret, quod SYNESIUS *Epiſtola prima*, lubenter ſe, ſi per leges, acerrimas ingenuitatis patronas, liceret, ſpurios ſuos libros in locum legitimorum adoptaturum, ſcribit in hunc modum: Παρ' ἐμοῦ δ' οὕτως ἠγαπήθη διαφερόντως, ὡς ἡδέως ἂν αὐτὸν εἰσποιῆσαι φιλοσοφίᾳ, καὶ τοῖς γνησίοις ἐγκρῖναι· ἀλλὰ τοῦτο μὲν οὔ φασιν ἐπιτρέψειν, οὐδὲ οἱ νόμοι τῆς πολιτείας· δεινοὶ γὰρ εἰσιν τῆς εὐγενείας προστάται *A me vero uſque eo adamatum eſt, ut libentiſſime ipſum in philoſophiam aſciturus atque inter legitimos adoptaturus fuerim; Sed hoc conceſſuras ſe negant vel reipublicae leges; ſunt enim ingenuitatis accerrimae propugnatrices.* Eademque ratione naturalem in ſervitute quaeſitum filium, in poteſtatem quidem patris principis beneficio redigi poſſe, libertinum tamen ſemper manere, ex ULPIANI *lib.* IV. *ad L. Jul. & Pap.* traditur. [e] Plane liberti alieni adrogatio non admittebatur, [f] ne jure ſuo manumiſſor fraudaretur. Quare ſi libertum eum eſſe liqueret, qui ſe adrogandum non patrono dare ſtuderet, nequaquam ferenda haec, quae patrono facta fuiſſet, injuria credebatur. Quod ſi per obreptionem, conditione ſua celata, ſtatuque diſſimulato, in alienam familiam cum capite ſuo fortunas libertus tranſtuliſſet, patroni tamen jus integrum nihilominus manebat. [g] Quaeri poteſt, an ſi aureos annulos ab Imperatore libertus acceperit, a Senatoriis nihilominus nuptiis ſubmoveatur. Quam quidem quaeſtionem ab ULPIANO *lib.* I. *ad. L. Jul.* tractatam fuiſſe ſuſpicor. Eoque referendum eſſe caput illud, quod ſub *Rub. de jure aureor. annulor.* a TRIBONIANO relatum eſt in haec verba; [h] *Libertinus ſi jus aureorum annulorum impetravit, quamvis jura ingenuitatis, ſalvo jure patroni, nactus ſit, tamen ingenuus intelligitur.* Aureorum enim annulorum beneficio liberti omnia ingenuitatis munia, ſalvo tamen patronorum jure, cui per principem nihil detrahitur, conſequuntur. Eaque de cauſa aureis annulis honorem libertorum augeri, conditionem non mutari traditum eſt. [i] Denique vivere eos quaſi ingenuos, mori ut libertos, [k] quod in eorum bonis, omnia ſibi patronatus jura patroni vindicent. [l] Longe minor de eo, qui natalibus ſit reſtitutus, dubitatio eſt. Hic enim per omnia ingenuus ſit, perindeque habetur, ac ſi medio tempore maculam ſervitutis non ſuſtinuiſſet. [m] Et ideo in hujuſmodi reſtitutionibus patroni voluntas & conſenſus exquiri, ac explorari ſolet: cui jura omnia, quae ex manumiſſione competebant, depereunt. Praeterea Senatores, Senatorumve filii, eas ducere prohibentur, quae ipſae, quarumve pater, mater, artem ludicram fecerint. De patre autem matreque tantum lex loquitur: Et ideo avum vel aviam artem ludicram feciſſe nihil nocet. [n] In odioſis enim, quae interpretatione

t *L.* 31. *Si Senatori. D. de ritu nupt.*
v *L. ult. C. de nupt.*
x *L.* 34. *generali. in fin. D. de ritu nupt.*
y *L.* 47. *Senatoris. D. de ritu nupt.*
z *l.* 10. *Cum te. C. de nupt.*
a *l.* 32. *ſciendum. D. de ritu nupt.*
b *lib.* V. *Noct. Attic. cap.* XIX.
c *In L. ult. D. de ſtatu hom.*
d *l.* 3. *Cum eum C. de adoptionib.*
e *In L. ult. D de adoption.*
f *L. ult. D. de adoptionib.*
g *l* 10. *Sed ſi hac lege.* §. 2. *patronum. D. de in jus vocat. L.* 1. §. 2. *nepos. D. Si quis a parent.*
h *l. ult. D de jure aur. annul.*
i *l. pen. D. de jure aur. annul. L.* 10. *ſed ſi hac lege* §. 3. *ſed ſi jus. D. de in jus voc.*
k *L.* 1. *C. ad L. Viſcell.*
l *L.* 3. *etiam. D. de bon. libert.*
m *L* 1. §. 3. *D. de natal. reſtitut. L.* 23 *Imperialis.* §. 1. *C. de nupt.*
n *L* 44. *Lege Julia* §. 2. *D. de ritu nupt.*

ne adjuvanda non ſunt (*a*), o patris appellatione avum non comprehendimus. Veluti in lege Julia de Adulteriis, qua patri filiam in adulterio deprehenſam occidendi jus datur, patris appellatio ad avum minime porrigitur. p Aliter atque in his, quae benigne atque favorabiliter conſtituuntur, in quibus patris appellatione avum contineri, juſta interpretatione recipitur. q Et ita patribus lege Papia ſervatum jus antiquum avis quoque Nerva, PLINIO teſte, r indulſit (*b*). Secundum quae legem municipalem Pariſienſis praefecturae, quae patri, filii ſine liberis mortui, certam bonorum ſpeciem defert, Pariſienſis curia ad avum producendum eſſe pronuntiavit. Sed & illam principis conſtitutionem, qua ceſſiones actionum, mutandi judicii cauſa, praeter quam a patre, filio, & aliis exceptis perſonis factae, inhibebantur, avum complecti obtinuit, licet de patre duntaxat loquatur. Patrem autem hic juſtum intelligimus, ſive is naturalis ſit, ſive adoptivus. In matre nihil refert, juſta ſit, an vulgo conceperit. s Nam mater quidem ſemper certa eſt, etiam ſi vulgo conceperit: vulgo vero quaeſitorum incertus pater eſt, cum ſolum populum patrem ciere poſſint. Unde feſtivo ſcommate Diogenes quendam vulgo editum lapides in vulgus jacientem repreſſit, cavendum ei eſſe admonens, ne in patrem ictu offenderet. Quod belle quoque SYNESIUS *Epiſt.* 111. de vulgo quaeſitis loquens expreſſit: Τοῖς γὰρ, ait, οὕτω γεγονόσιν, ἀποδέδεικται μὲν ἡ μήτηρ, ὁ δὲ λοιπὸς τῶν γονέων ἀμφισβητήσιμος. ὅσον οὖν ἀμφοτέροις παρὰ τῶν εὖ γεγονότων ὀφείλεται, τοῦτο πᾶν ἥκειν ἔδει παρὰ τῶν ἀπατόρων εἰς τὰς μητέρας. *Sic natis oſtenditur quidem mater, alter vero parentum eſt dubius: quantum igitur ingenui debent utrique parenti, tantum debent praeſtare, qui parentem ignorant, matribus.* Solius ergo matris, quam partus ipſe indubitate demonſtrat, merito turpitudo ſpectatur, non etiam patris, quam promiſcuus matris concubitus aut ignotum, aut certe incertum reddit. Quod ſi poſt legitime copulatas nuptias Senatoris ſocer, ſocruſve, artem ludicram facere coeperit, non idcirco ab initio recte contractum matrimonium diſſolvetur. At ſi ipſamet uxor artem ludicram facere coeperit, utique dimittenda erit. Honeſte enim in matrimonio retineri non poteſt. Ait Lex: ARTEM LUDICRAM, veluti mimicam, hiſtrionicam, & quamcunque aliam ſcenicam. Artem enim ludicram facere dicuntur, qui operas ſuas in ſcenam ſaltandi geſticulandive cauſa locant, vel etiam extra ſcenam geſticulantur. t Athletae plane, thymelici, xyſtici, agitatores, & qui aquam equis refocillandorum eorum cauſa ſpargebant (*c*), ceterique omnes, qui ſacris, & in deorum honorem inſtitutis certaminibus deſerviebant, item deſignatores, quos βραβευτὰς vocabant, artem ludicram facere non exiſtimabantur, quemadmodum ULPIANUS ad edictum Praetoris *de his, qui notantur infamia*, explicat. v Eodem jure etiam Atellanarum actores habitos obſervavi: quod genus ludorum, ab Oſcis acceptum, juventutem tenuiſſe, nec ab hiſtrionibus pollui paſſam, eoque inſtitutum, ut earum actores, velut artis ludicrae expertes, notaeque vacui, neque tribu moverentur, nec a ſtipendiis militaribus repellerentur, LIVIUS x cum VALERIO MAX. y ſcribit. Proinde & his jus erat non cogi in ſcena perſonam ponere, quod ceteris hiſtrionibus pati neceſſe erat, quemadmodum ex SEXTO POMPEJO FESTO Epitomator PAULUS adnotavit (*d*). z Erant vero Atellanae, ut eſt a DONATO a & DIOMEDE b ſcriptum, ſalibus, atque jocis compoſitae fabulae, quae vetuſtam in ſe elegantiam delectationemque, Italica ſeveritate temperatam, laſcivia ac petulantia vacuam habebant. Eſtque ab Atella id earum nomen, Oſcorum civitate, in qua primum actitatae ſunt, ductum. Quas non in libera tantum Republica, ſed vel imperatorum temporibus in uſu fuiſſe, duo TRANQUILLI loci arguunt. Quorum unus eſt in *Tiberio*, c in haec verba: *Unde nota in Attellanico exodio proximis ludis adſenſu maximo excepta percrebuit: hircum vetulum capreis naturam ligurire.* Alter in *Galba* d his verbis: *Siquidem Atellanis notiſſimum canticum exorſus:* venit Joſimus a villa: *cuncti ſimul ſpectatores conſentiente voce reliquam partem retulerunt*,

o *L. cum quaereretur. D. de liber. & poſt.*
p *L. 20. D. ad l. Jul. de adulter.*
q *L. 201. juſta D. de verb. ſign.*
r *In Panegyric.*
s *L. 44. lege Julia, §. 3. D. de ritu nupt.*
t *l. 10. Mater §. ult. D. ad L. Jul. de adult. l. 2. §. ult. de his, qui not. infam.*
v *L. 4. Athletas. D. de his, qui not. infam.*
x *lib.* VII. *ab U. C. cap.* 2.
y *lib.* II. *c.* 4. *ex.* 4.
z *lib.* XIV. *voc. perſonata.*
a *in Prolog. ad Terent. de Tragoed. & Comoed.*
b *lib.* III. *de art. gram. pag.* 488. *ap. Putſch.*
c *cap.* XLV.
d *cap.* XIII.

(*a*) SUNT] Ad quam regulam probandam auctor in margine laudat *L. cum quaereretur. D. de lib. & poſt.* Sed nulla in hoc titulo lex ita incipit. Unde incertus haerebam, quam legem auctor intelligeret, donec ex ſimili auctoris loco in *Libro ad L. Jul. de Adulter.* intelligerem, auctorem in mente habuiſſe verba ultima *L.* 19. *D. de liber. & poſtum.*

(*b*) INDULSIT] Ego hoc nuſquam legi apud PLINIUM. Auctor fortaſſis in mente habuit, quod PLINIUS in *Panegyr. cap.* 39. ſcribit, Trajanum beneficium illud, quod parentibus Nerva ratione viceſimae hereditatum tribuerat, ad avos aviaſque extendiſſe.

(*c*) SPARGEBANT] De hiſce vide Auctoris *Select. Antiqq. lib.* 1. *cap.* 10. quaeque ibi annotavimus.

(*d*) ADNOTAVIT] Immo potius ipſius FESTI verba ſunt.

runt, ac ſaepius verſu repetito egerunt. Hoc idem SPARTIANUS in *Hadriano cap.* 26. comprobat: *In convivio Tragoedias, Comoedias, Atellanas, ſambucas, lectores, poëtas, pro re ſemper exhibuit.* Exodia vero huic fabularum generi inſerta ex ſuperiore TRANQUILLI loco liquet. Quod & JUVENALIS indicat *Sat.* VI. *v.* 71.

Ruſticus, inquit, *exodio riſum movet Atellanae.*

[e] *lib.* VII. *ab U. C. cap.* 2.
[f] *lib.* I. *Saturnal. cap.* X.
[g] *Controv.* III. *lib.* VII.

LIVIUS qualia ea fuerint exponit [e] in hunc modum: *Juventus hiſtrionibus fabularum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta verſibus jactitare coepit, quae inde exodia poſtea appellata, conſertaque fabulis potiſſimum Atellanis ſunt.* Atellanarum utique probatiſſimos actores, *Nonium* & *Pomponium*, MACROBIUS memorat: poſt quos diu jacentem artem Atellanicam ſuſcitaſſe *Mummium* ſcribit. [f] Ac plane Pomponii celebris Atellanarum ſcriptoris apud SENECAM [g] fit mentio. Enimvero Mimi, Pantomimi, hiſtriones, ὀρχησταὶ, qui fracto, molli atque effeminato geſtu motuque corporis, & muto manuum ſermone, res quaſcunque fictas, geſtaſve exprimebant, & ita oculis ſubjiciebant, ut manibus quodammodo loqui viderentur, artem ludicram facere procul dubio cenſebantur. De quorum artificioſa ſaltatione, ſi quae cogitatione complexus, aut obſervatione confecutus ſum, ea hic effundere vellem, latiſſimus certe digreſſionis excurſioniſque campus pateret. Sed ne Parergis liber hic turgeſcat, magis eſt, ut proprium ei tractationi librum aliquando, ſi Deus dederit, exiturum deſtinemus. Interim vero, quo loco ac numero ejuſmodi voluptatum artifices olim fuerint, ſcire intereſt. Idque ipſa legis, in qua conſtitimus, prohibitio exigit. Hoc enim expoſito, nemini dubium relinquetur, cur ab earum nuptiis, quarum pater artem ludicram feciſſet, Senatores Senatorumque filios lex Julia repulerit. Artem plane ludicram, ſcenamque totam, veteres in probro duxiſſe, genuſque id hominum non modo honore civium reliquorum carere, ſed & tribu moveri, cenſoria notatione, voluiſſe, CICERO *lib.* IV. *de Repub.* ſcripſerat, ut a B. AUGUSTINO *lib.* II. *de civitate Dei cap.* 13. refertur. Idemque *lib.* I. *de conſenſu Evangeliſt. cap.* XXXIII. *Nonne Cicero*, ait, *cum Roſcium quendam laudaret hiſtrionem, ita peritum dixit, ut ſolus eſſet dignus, qui in ſcena deberet intrare ita virum bonum, ut ſolus eſſet dignus, qui eo non deberet accedere: Quid aliud apertiſſime oſtendens, niſi illam ſcenam eſſe tam turpem, ut tanto minus ibi eſſe homo debeat, quanto magis fuerit vir bonus?* Unde TERTULLIANUS in *lib. de Spectaculis, cap.* 22. *Etenim*, ait, *ipſi actores* (a) *& adminiſtratores ſpectaculorum, locum, quadrigarios, ſcenicos, xyſticos, harenarios illos amentiſſimos, quibus viles animas feminae, aut illi etiam corpora ſua ſubſternunt, propter quos in ea committunt, quae reprehendunt, ex eadem parte, qua magni faciunt, deprimunt & diminuunt: Immo manifeſte damnant ignominia & capitis mutatione, arcentes curia, roſtris, Senatu, Equite, ceteriſque ordinibus ſimul & ornamentis Quiritium.* ARNOBIUS lib. VII. *adverſus gentes pag.* 238. *Exiſtimatur tractari ſe honorifice Flora, ſi ſuis in ludis flagitioſas conſpexerit res agi, & migratum a lupanaribus in theatra? Itane iſtud non eſt deorum imminuere dignitatem, dicare & conſecrare turpiſſimas res Diis, quas cenſor animus reſpuat, & quarum actores inhoneſtos eſſe jus veſtrum, & inter capita computari judicavit infamia?* Quam veluti amentatam haſtam veriſſime Arnobius, ex ipſo Quiritium Jure,

[h] *L.* 1. *D. de his, qui not. infam.*

in eos torſit. Edicto namque Praetoris infamia notabantur, [h] qui artis ludicrae, pronuntiandive cauſa in ſcenam prodiiſſent. Quapropter AEMILIUS PROBUS in *Praefatione* libri *de vita excellent. Imperator.* §. 5. *Magnis*, inquit, *laudibus tota fuit Graecia, victorem Olympiae citari. In ſcenam vero prodire, & populo eſſe ſpectaculo, nemini in eiſdem gentibus fuit turpitudini: quae omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honeſtate remota ponuntur.* Hujus rei argumentum

[i] *Paulus lib.* V. *Sententiar. Tit. de vi publica* XXVI. §. 2.

eſt, quod qui ad principem provocantem eum, qui artem ludicram faceret, torſiſſet, verberaſſet, condemnaſſet judex, lege Julia de vi publica, contra atque ſi idem in reliquorum civium corpus admiſiſſet, non apprehendebatur: [i] ipſamet legis exceptione nominatim tutus: quae genus id hominum, quaſi beneficio ſuo indignum, aſpernabatur. Quin etiam Hylam pantomimum, quaerente Praetore,

in

(a) ACTORES] In *ed. Pariſ.* legitur: *auctores*: ſed auctoris lectio praeferenda eſſe videtur. Deinde verbum *locum* in dicta *ed. Pariſ.* non reperitur. Paullo poſt pro *amentiſſimos* ibi legitur *amantiſſimos*: ſequentia vero verba ita ibi conſtituuntur: *quibus viri animas; feminae, aut illi etiam, corpora ſua ſubſternunt.* In ſubſequentibus pro *parte* legitur *arte*; & pro *deprimunt & deminuunt* ibi legitur tantum *deponunt*. Paullo poſt pro *mutatione* legitur *minutione*. Ultima denique hujus loci verba ita ibi excuſa ſunt: *ceteriſque honoribus omnibus ſimul ac ornamentis quibusdam.*

in atrio domus ſuae Auguſtum flagellis (quod erat ſervile ſupplicium) verberaſſe, TRANQUILLUS memorat: k ubi & illud referr, magiſtratibus omni loco omnique tempore coërcitionem in hiſtriones, lege veteri permiſſam, Auguſtum ademiſſe. Marito etiam cum paucas omnino perſonas in uxoris adulterio deprehenſas occidendi jus lex Julia de pudicitia daret, id ei licere in eos, qui artem ludicram facerent, voluit. l Accuſandi quoque, & publico judicio reos poſtulandi, his, qui artem ludicram feciſſent, poteſtas denegabatur. m Proinde & hujuſmodi artem, citra capitale flagitium, exercere miles non poterat. Tiberium quidem certe DIO auctor eſt, n hiſtriones urbe expuliſſe, arteque ea interdixiſſe, quod & feminas ignominia adficerent, & turbas excitarent. Contra Cajus eos, ſtatim atque imperio potitus eſt, o eodem DIONE teſte, revocavit. Rurſus Domitianus ſcenam his interdixit, ut SUETONIUS in ejus vita memorat; p intra domum dumtaxat exercendi artem jure conceſſo. Fuit plane tempus, cum nec Equitibus ſcena indecora eſſet, ut eam illis Senatuſconſulto Auguſti temporibus interdici neceſſe fuerit. Quod SUETONIUS in *Auguſto* docet q his verbis: *Ad ſcenicas quoque & gladiatorias operas Equitibus Romanis aliquando uſus eſt, verum priuſquam Senatusconſulto interdiceretur.* Quod idem DIO ita refert *lib.* LIV. *pag.* 522. Ἐπειδήπερ καὶ ἱππεῖς, καὶ γυναῖκες ἐπιφανεῖς, ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ, καὶ τότε γε ἐπεδείξαντο, ἀπηγόρευσεν οὐχ ὅτι τοῖς παισὶ τῶν βουλευτῶν, ὅπερ που καὶ πρὶν ἐκεκώλυτο, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐγγόνοις, τοῖς γε ἐν τῇ ἱππάδι δηλονότι ἐξεταζομένοις, μηδὲν ἔτι τοιοῦτον δρᾷν. *Quoniam & Equites, & feminae illuſtres in ſcenam prodire ſolebant, vetuit non modo ne ſenatorum filiis, quod & ante vetitum erat, ſed & nepotibus, & equeſtris ordinis viris id facere liceret.* Ex quo lucem accipiet alter SUETONII in *Tiberio* locus, quo ex juventute utriuſque ordinis profligatiſſimum quemque, quominus in opera ſcenae harenaeve edenda Senatuſconſulto teneretur, famoſi judicii notam ſponte ſubiiſſe narrat. r Poſtea tamen, quod & mirum viſum iri praemonet, Equitibus gladiatorium ludum indulgentia quadam permiſſum fuiſſe, DIO auctor eſt. s Καὶ τοῖς ἱππεῦσιν, ait, ὃ καὶ θαυμάσειεν ἄν τις, μονομαχεῖν ἐπετράπη. Αἴτιον δὲ, ὅτι ἐν ὀλιγωρίᾳ τινὲς τὴν ἀτιμίαν τὴν ἐπ' αὐτῷ ἐπικειμένην ἐποιοῦντο. Ἐπεὶ γὰρ μήτ' ὄφελός τι τῆς ἀπορρήσεως ἐγίγνετο, καὶ τιμωρίας μείζονος ἄξιοι εἶναι ἐδόκουν, ἢ καὶ ἀποτρεπτικοῦ ἐνομίσθησαν, συνεχωρήθη τοῦτο σφίσι ποιεῖν, καὶ οὕτω ἀντὶ τῆς ἀτιμίας θάνατον ὀφλισκάνειν (*a*). *Equitibus, quod mirum videri poſſit, in gladiatoriis ludis pugnare permiſit. Cauſa erat, quod infamiam, quae hoc facientes manebat, nihili faciebant nonnulli. Etenim quia Edicto nihil proficiebatur & videbantur majori poena digni, vel quia futurum exiſtimabatur, ut ipſi deſiſterent, permiſſum ipſis fuit dimicare; ita mortem pro infamia referebant.* SUETONIUS etiam Neronem quadringentos Senatores, ſexcentoſque Equites Romanos, & quoſdam fortunae atque exiſtimationis integrae, ad ferrum exhibuiſſe narrat. t Proinde Vitellio imperante, quemadmodum TACITUS *Hiſtor. lib.* II. *cap.* 62. ſcribit, ſevere cantum fuit, ne equites Romani ludo & harena polluerentur, cum priores id principes pecunia & ſaepius vi pertuliſſent. Ac Domitianum quoque Quaeſtorium virum, quod geſticulandi ſaltandique ſtudio teneretur, Senatu moviſſe traditum eſt. v Quod autem ait lex: FACIT, FECERIT, cum effectu accipiendum eſt. x Et ideo qui operas ſuas locaverit, ut in ſcenam prodiret, nec prodierit tamen, lege contineri non videtur. y Factum enim, non voluntas apprehenditur. Quo pertinet apud QUINCTILIANUM z propoſita quaeſtio, an theatrali lege, quae eum, qui artem ludicram exercuiſſet, a XIV. primis theatri ordinibus arceri volebat, is, qui Praetori in hortis oſtenſus eſſet, nec tamen productus, contineretur. Cui non abſimilis & alia quaeſtio tractatur apud eundem, aut alium QUINCTILIANUM *Declamatione* CCCII. (*b*) Certe in Senatuſconſulto a de poſtulando, & in alio legis Juliae capite, b ſola operarum ad beſtias depugnandas locatio, etiam nulla pugna ſecuta, notat. Ita quippe utrobique verba ſcripta ſunt. In edicto autem Praetoris de infamibus, quod ad ludicram artem attinet, conſilium ac conatus non punitur. Ceterum huic legis Juliae capiti congruenter CONSTANTINUS ſanxit, ut ne Senatoribus, Praefectis (*c*), Duumviriſve,

k *in Auguſto. cap.* 45.

l *L.* 14. *Marito. D. ad L. Jul. de adulter.*

m *L.* 4. *qui judicio. D. de accuſat.*

n *lib.* LVII. *pag.* 617.

o *lib.* LIX. *pag.* 641.

p *cap.* VII.

q *cap.* 43.

r *cap.* XXXV.

s *lib.* LVI. *pag.* 586. *ſeq.*

t *In Nerone cap.* XII.

v *Suet. in Domit. cap.* VIII.

x *Arg. L.* 1. §. 1. *haec verba. D. quod quiſque jur.*

y *L.* 3. *D. de his, qui not. infam.*

z *lib.* 3. *inſtit. orat. cap.* 6. (*al.*) 7.

a *L.* 1. §. 6. *Senatusconſulto. D. de poſtuland.*

b *l.* 37. *qui liberti. nus. D. de oper. libert.*

(*a*) Ὀφλισκάνειν] In *ed. Leunclavii* legitur: ὠφλισκανον.

(*b*) DECLAMATIONE CCCII.] Haec Declamatio ita inſcribitur: *Gladiator in quatuordecim gradibus ne ſedeat. Quidam ut patrem ſepeliret, auctoravit ſe: die muneris productus ſub titulo cauſae, rudem, poſtulante populo, accepit: poſtea patrimonium ſtatutum per leges equitibus adquiſivit: prohibetur gradibus. Defenditur ibi, nondum eum fuiſſe gladiatorem, quia non pugnavit in arena.* Confer de talibus quaeſtionibus *Corn. van Bynkershoek Obſervatt. lib.* v. *cap.* 8.

(*c*) PRAEFECTIS] Immo *Perfectis*, ſive *Viris perfectiſſimis*. Sed totam hanc Conſtitutionem, quae reperitur in *L.* 1. *C.* de

riſve, vel ſacerdotibus municipiorum, libertam, libertaeve filiam, ſcenicam, vel ſcenicae filiam, tabernariam, tabernariaeve filiam, vel lenonis, aut harenarii filiam, uxorem habere liceret. Quam Conſtitutionem VALENTINIANUS & MARTIANUS in *Novellis* laudant (*a*) [a] Ei vero JUSTINIANUS (*b*), quantum ad ſcenicas perſonas attinet, derogavit, [b] conſtituens, mulieribus, quae pudorem ſuum ſcena aut ludo quandoque polluiſſent, ſi derelicta inhoneſta converſatione, honeſtiorem commodioremque vitam fuerint amplexae, licere principali reſcripto, cuilibet perſonae, quacunque dignitate praeditae, nubere, quaſi omni priſtinae vitae macula poenitentia principiſque beneficio diluta atque abſterſa. Addidit vero legi Juliae Senatus, ut neque damnatam publico judicio ducere uxorem, aut retinere, jus eſſet. [c] Damnatam accipe eam, quae non provocavit. Ceterum ſi provocavit, nondum damnata videtur. Idem eſt, etſi ab eo, qui jus damnandi non habuit, damnata ſit: Damoata enim tum videtur, cum damnatio tenuit. Quam ego interpretationem ex ſimilibus aliis locis haurio. [d] Publico plane judicio damnata noo videtur, quae calumniae, praevaricationiſve nomine, ex cauſa publici judicii ſit condemnata, licet iofamiae notetur. [e] In calumniatores enim nulla publica quaeſtio conſtituta eſt. Nam etſi lege Remnia eis poena irrogata ſit, non tamen in publicorum judiciorum legibus lex ea numeratur. Igitur ſi ob publici judicii accuſationem per calumniam inſtitutam, ſive ob privatum judicium per calumniam motum, ut calumoiatrix mulier damnata ſit, Senatuſconſulto non continetur. Ergo dicet aliquis, publico judicio reos poſtulare mulieribus licet. Quod ita verum eſt, ſi ſuam, ſuorumque injuriam exequantur, vel laeſae majeſtatis, aut annonae fraudatae accuſationem perferant. His enim ex cauſis ad accuſatiooem publici judicii admittuntur: [f] quam ſi deſtituiſſe arguantur, ob eamque rem damnatae ſint, à Senatorum nuptiis idcirco non arcebuntur, quod praevaricationis crimen in hac ſpecie judicium publicum non ſit. [g]

Porro Senatoriis perſonis exceptis, ceteris omnibus ingenuis libertinas uxores docere lege Papia conceſſum fuiſſe (*c*), CELSUS teſtis eſt, [h] cujus ipſa verba ſubjeci: *Lege Julia Papia cavetur omnibus ingenuis, praeter Senatores, eorumque liberos libertinas uxores habere licere.* Quod & DIO comprobat, [i] de Auguſto loquens: Ἐπειδὴ δὲ, ait, πολὺ πλεῖον τὸ ἄῤῥεν τοῦ θήλεος τοῦ εὐγενοῦς ἦν, ἐπέτρεψε καὶ ἐξελευθέρας τοῖς ἐθέλουσι, πλὴν τῶν βουλευόντων, ἄγεσθαι, ἔννομον τὴν τεκνοποιίαν αὐτῶν εἶναι κελεύσας. Quae verba Latine reddam, quoniam in hac parte recta oon eſt, quod ejus pace dictum ſit, *Xylandri* interpretatio, qui εὐγενῆ illic pro patricio accepit, cum ingenuum procul dubio ſignificet. Sic enim THEOPHILUS *lib. I. Inſtitut.* & CONSTANTIN. HARMENOP. *lib. I. tit. ult.* εὐγενῆ definiunt, ὃ ἅμα τῷ τεχθῆναι ἐλεύθερός ἐστι, id eſt, *qui ſtatim ac natus eſt, liber eſt.* Itaque recta eſt haec, quae ſequitur, illius loci interpretatio: *Jam vero quoniam maſculorum ingenuorum numerus major erat, quam mulierum, poteſtatem fecit omnibus pro arbitrio, Senatoribus exceptis, libertini generis uxores ducere, juſtoſque eſſe, qui inde ſuſciperentur, liberos conſtituit.* In eundemque lapidem & ZONARAE interpres impegit in eadem Auguſti conſtitutione referenda. Nam ZONARAS ipſamet Dionis verba in ſuos *Annales lib.* X. *pag.* 536. tranſcripſit: nec diſſimilitudo ulla eſt in verbis, praeterquam quod pro ἐξελευθέρας, ἀπελευθέρας, pro βουλευόντων, βουλευτῶν, Zonarae codex habet. Hoc vero eſt, quod MARCELLUS ſignificat: [k] *Obſervandum eſſe*, inquiens, *ut inferioris gradus homines*, equeſtris ut puta, vel plebeji ordinis, *uxores ducant eas, quas hi, qui altioris dignitatis ſunt*, veluti Senatores, *ducere legibus propter dignitatem prohibentur.* Excipiebat autem lex quaſdam perſonas, quas ne inferioris quidem ordinis hominibus dum modo ingenuis, ducere permittebat. Veluti laenam, a laenooe laenave manumiſſam, vel eam, quae palam quaeſtum corpore faceret, feciſſet. Item in adulterio deprehenſam, vel judicio publico damnatam, vel quae artem ludicram exercuiſſet. Cujus exceptionis, auctorem laudo locupletem, ULPIANUM nimirum, in *fragmentis titulorum* ex ejus corpore excerptorum. *Tit.* XIII. *de coelibe, orbo, ſolitario patre.* Atque ad hoc legis Juliae de maritandis ordinibus caput referenda eſſe cenſeo, quaecumque de ingenuorum ſtatu ac conditione

a *Tit.* 4. *Nov. Mart.*
b *in L.* 23. *Imperialis. C. de nuptiis.*
c *L.* 43. *palam.* §. 10. *Senatus. D. de rit. nupt.*
d *L.* 13. *Edicto D. de bonor. poſſ. L.* 2. §. *ult. D. de poenis. L.* 6 *furti.* §. 1. *D. de his, qui notant. infamia.*
e *L.* 43. *palam.* §. 11. *ſi quae calumniae. D. de ritu nupt.*
f *L.* 12. *de crimine. C. de his, qui accuſ. non poſſ. L.* 8. *qui accuſare. L.* 11. *hi tamen. L.* 13. *mulierem. D. de accuſ. L. ult. D. ad L. Jul. de annon. L* 8. *in quaeſtionibus. D. ad L. Jul. majeſt.*
g *L.* 3. §. *ult. D. de praevaricator.*
h *in L.* 23. *lege Papia. D. de ritu nupt.*
i *lib.* LIV. *pag.* 531.
k *L.* 49. *obſervandum. D. de ritu nupt.*

de natural. lib. illuſtravit *Jo. Gottl. Heineccius* in *Comm.* ad *L. Jul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 2. *pag.* 138. *ſeqq.*

(*a*) LAUDANT] Novellae MARTIANI inter *Legg. Novell.* D. THEODOSII exſtant *lib.* III. in *ed. Jac. Gothofredi.*

(*b*) JUSTINIANUS] Immo jam Juſtinus, qui auctor eſt *L.* 23. *C. de nupt.* ut docet *Heineccius l. c. pag.* 146. *ſeqq.*

(*c*) FUISSE] De ingenuorum nuptiis *Cap.* II. hujus legis actum fuit, ut putat laudatus *Heineccius.* Vide ejus *Comment. lib.* II. *cap.* I. *pag.* 127. *ſeqq.* ubi hoc caput illuſtravit.

ne ex ULPIANI libris ad *L. Jul. & Pap.* in Pandectis tractata reperiuntur. Ingenuum namque habendum eum, qui ingenuus pronuntiatus fuiſſet, licet natura & revera ingenuus non eſſet, ULPIANUS *lib.* I. *ad L. Jul.* tradiderat (*a*), ut ex inſcriptione *L.* 25. *ingenuum D. de ſtatu homin.* liquet. Idque nimirum propter rei judicatae auctoritatem, quae pro veritate habeatur. Unde & hauſta eſt illa juris regula, quae rem judicatam pro veritate haberi definit. Cui tamen non in hac modo ſpecie, ſed & in omnibus cauſis, in quibus de ſtatu, conditione, qualitateque perſonae quaeſtio vertitur, locus eſt. In his enim vel maxime ſententia jus facit. [l] Eodem libro ULPIANUS, in hujus capitis, ut veriſimile eſt, interpretatione, ſcripſerat, [m] Si quis per colluſionem ingenuus eſſe pronuntiatus eſſet, medio tempore, id eſt, ante colluſionem detectam, & poſt ſententiam de ingenuitate dictam, quaſi ingenuum accipi. Laenas autem, ut ſingula legis verba expendamus, ULPIANUS ad edictum Praetoris, ſub titulo *de his, qui notantur infamia*, dici ait [n] eas, quae mulieres quaeſtuarias proſtituunt. Nec refert, ſuo, an alterius nomine, id genus vitae exerceant. Ac nec illud intereſt, principaliterne hoc negotium gerant, vel alterius negotii acceſſione utantur. [o] Ut puta, ſi cauponam quis, vel ſtabulum exercens, mancipia quaeſtuaria habeat, occaſione miniſterii quaeſtum corpore facientia, is lenonis loco habebitur. Lenones porro, laenaeque edicto Praetoris infamia notabantur. Proinde nec accuſandi publico judicio jus habebant, [p] & ut viles, turpes, famoſaeque perſonae, in adulterio deprehenſi lenones, a maritis impune occidi poterant. [q] Et merito certe, ignominia hujuſmodi perſonas notandas, veteres cenſuerunt, quas cum TERENTIO, [r] peſtem perniciemque communem adoleſcentium, & cum JUSTINIANO [s] ὀλεθρίους καὶ κοινὰς λυμεῶνας τῆς σωφροσύνης, *pernicioſas & communes peſtes caſtitatis*, vocare jure poſſumus. Quapropter ſilentio praetermitti Q. Metelli judicium non debet, qui in Praetura urbana, Vetibio lenoni bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas denegavit: [t] ſeparandam fori ac lupanaris conditionem exiſtimans, juriſque ac legum auxilio indignos cenſens eos, qui tantam civitati labem inferrent. Laudanda quoque HONORII & THEODOSII conſtitutio, qua lenones patres, dominoſve, quos neceſſitatem filiabus ancilliſve peccandi impoſuiſſe conſtiterit, non ſolum poteſtatem, quam in eos habebant, amittere, ſed & proſcriptionis, exiliique poena plecti ſanciunt. [v] Denique nec ſatis unquam pro merito JUSTINIANUS laudabitur, qui genus hoc hominum urbe regia pelli, eoſque, qui illecebris pellectas puellas ad quaeſtum alere comperti eſſent, acerbiſſimis poenis ſubjici voluit. [x] Verum videamus, quaenam palam quaeſtum corpore facere ex legis Papiae ſententia intelligerentur. *Palam*, ULPIANO interprete, [y] eſt coram pluribus: eique voci plerumque ſocia adjungitur vox aperte: quarum altera, ut ASCONIUS PADIANUS *ad Prooem. Act. in Verr. cap.* 7. *pag.* 49. diſtinguit, ad publicum conſpectum, altera ad dictorum ſignificationem pertinet. VALERIUS MAXIMUS *lib.* VI. *cap.* I. *ex.* 10. *Cum de ſtupro nihil negaret, ſed ſponſionem ſe facere paratum diceret, quod adoleſcens ille palam atque aperto corpore quaeſtum factitaſſet.* Palam autem quaeſtum feciſſe, non ea tantum exiſtimatur, quae ſe in lupanario, &, ut TERTULLIANUS *ad Martyr. cap.* 2. loquitur, publicarum libidinum loco, proſtituit, verum etiam, ſi quae in taberna, vel caupona, aut alicubi alias pudori ſuo non parcit. [z] Cujuſmodi feminis olim propter infamiae notam, turpitudinemque vitae, teſtimonii dictio non erat, legeque adeo Julia de vi nominatim cavebatur, [a] ut ne ad teſtimonii fidem admitterentur. Cum ergo conſtet, earum, quae corpore quaeſtum fecerant, nuptias infamiam afferre, *l.* 1. *D. de his, qui notant. infam.* nec nubere potuiſſe, tamen inter cetera Hiſpalae illi Feceniae, libertae, & ſcorto nobili, bacchanalium indici, ſummi praemii loco gentis emptionem (*b*) a ſenatu liberaliter indultam fuiſſe, utque ingenuo nubere liceret, narrat LIVIUS *lib.* XXXIX. *cap.* 19.

Et quoniam hic ſe de impudicis mulieribus agendi locus offert, non alienum erit, quae de re meretricia ex veteri memoria obſervando notavi, in medium producere (*c*). Nec enim erit inutilis, aut injucunda haec a propoſita oratione digreſſio.

[l] *L.* 2. *Adoptivum.* §. 1. *D. de in jus voc. L.* 3. *Sive contra. D. de liber. adgnoſc. L.* 8. *Papinianus.* §. 16. *ſi ex cauſa. D. de inoff. teſt.*

[m] *l.* 4. *D. de colluſion. deteg.*

[n] *L.* 4. §. 2. *ait Praetor. D. de his, qui notantur infam.*

[o] *L.* 43. *palam.* §. 8. 9. *D. de ritu nupt.*

[p] *l.* 4. *qui judicio. D. de accuſat.*

[q] *l.* 24. *Marito. D. ad L. Jul. de adulter.*

[r] *in Adelph. Act.* II. *Sc.* 1. *v.* 34.

[s] *Novella* XIV.

[t] *Valerius Max. lib.* VII. *cap.* VII. *ex.* 7.

[v] *L.* 6. *C. de ſpectac. lib.* XI.

[x] *Novella* XIV.

[y] *L.* 33. *palam. D. de verb. ſignific.*

[z] *L.* 43. *palam. D. de ritu nupt.*

[a] *l.* 3. §. 5. *lege Julia. D. de teſtib.*

(*a*) TRADIDERAT] Dummodo judicium non factum fuerit per colluſionem. Confer *Jac. Gothofredi Comm. ad L.* 207. *D. de reg. jur. Jo. Gottl. Heineccii Comment.* ad *L. Jul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 1. *pag.* 119. *ſeq.*

(*b*) EMPTIONEM] *Gentis enuptio* legitur in optimis LIVII *Codd.* Quid tamen ſit gentis enuptio, nondum me poſt tantos Interpretum conatus intelligere, lubens fateor.

(*c*) PRODUCERE] Confer hac de re, praeter ſcriptores, quos ad initium *cap.* IV. *lib.* I. *Select. Antiqq.* auctoris noſtri laudavi,

greſſio. Primum autem invenio publicarum libidinum victimas atque hoſtias (ſic enim TERTULLIANUS non ſemel [b] meretrices appellat) Romae ſub fornicibus proſtare conſueviſſe. Inde illud Horatii in *Sermonibus:* [c] *Contra alius nullam, niſi olenti in fornice ſtantem:* qua periphraſi meretricem deſignat. Idem eodem loco; (*v.* 31.)

b *in lib. de Cultu feminar. II. cap. 12. & in lib. de Spectacul. cap. 17.*
c *lib. I. Sat. 2. v. 30.*

Quidam notus homo, cum exiret fornice, Macte
Virtute eſto, inquis, ſententia dia Catonis.
Nam ſimul ac venas inflavit tetra libido,
Huc juvenes aequum eſt deſcendere, non alienas
Permolere uxores.

OVIDIUS *Eleg.* III. *lib.* II. *de Ponto, v.* 20.

Proſtat, & in quaeſtu pro meretrice ſedet.

Idem *Eleg.* X. *lib.* I. *Amorum v.* 21.

Stat meretrix certo cuivis mercabilis aere,
Et miſeras juſſo corpore quaerit opes:
Devovet imperium tamen haec lenonis avari,
Et quod vos facitis ſponte, coacta facit.

Idem *lib.* IV. *Faſtor. v.* 863.

Numina vulgares Veneris celebrate puellae,
Multa profeſſarum quaeſtibus apta Venus.

Idem. *lib.* III. *Amor. Elegia* XIII. *v.* 9.

Ignoto meretrix corpus junctura Quiriti,
Oppoſita populum ſubmovet ante ſera.

SENECA in *lib. de beata vita, cap.* 7. *Voluptas,* ait, *humile, ſervile, imbecillum, caducum, cui ſtatio ac domicilium fornices & popinae ſunſ.* ARNOBIUS *lib.* II. *adverſus gentes: Stant in lupanaribus promptae, in fornicibus objunctae* (*a*). PLAUTUS *Bacchidibus* (*b*). *Omnes fornices, luſtra & luſtrales cellulas quaeſivi ſedule.* MARTIALIS *lib.* I. *Epigram.* 35. *v.* 5.

At meretrix abigit teſtes, veloque, ſeraque,
Raraque ſummoeni fornice rima patet.

ARBITER PETRONIUS in *Satyrico cap.* 7. *Tarde, imo jam ſero, intellexi, me in fornicem eſſe deductum: execratus itaque aniculae inſidias, operui caput, & per medium lupanar fugere coepi in aliam partem.* Ubi obſerva, fornicem, lupanar, cellam. ISIDORUS *lib.* X. *Etymologiar. Fornicatrix eſt, cujus corpus publicum ac vulgare eſt. Hae ſub arcuatis proſtituebantur* (*c*), *quae loca fornices dicuntur, unde & fornicariae.* Sed & in lexico Latinograeco ſuburbicariae aedis *B. Germani Pariſienſis* ita ſcriptum reperi: *Fornicaria,* πόρνη, ὑπὸ καμάραις, ἐν ᾗ ἵσταται. Lupanaris vero vocabulum, unde ductum ſit, LACTANTIUS *lib.* I. *Divinar. Inſtit. cap.* XX. ſic exponit,

vi, *Joſephi Laurentii Polymath. lib.* II. *Diſſ.* 25. & 27. (quae leguntur etiam in *Gronovii Theſ. Antiqq. Graec. Tom.* VIII. *pag.* 1403. *ſeqq.*) *Theod. Janſonii ab Almeloveen Opuſcula, pag.* 32. *ſeqq. Henrici Salmuth.* notas ad *Guid. Pancirolli Rer. Memorab. lib.* I. *cap.* 44. *pag.* 167. *ſeqq. Balth. Bonifacii Hiſtor. ludicr. lib.* IV. *cap.* 33.

(*a*) OBJUNCTAE] Auctor ſine dubio in mente habuit locum, qui legitur *lib.* II. *pag.* 73. & ita in ſua integritate ſonat: *Idcirco animas miſit, ut in maribus exoleti, in feminis fierent meretrices, ſambuciſtriae, pſaltriae, venalia ut proſternerent corpora, vilitatem ſui populo publicarent, in lupanaribus promtae, in fornicibus obviae, nihil pati renuentes, ad oris ſacri comparatae ſtuprationem.*

(*b*) BACCHIDIBUS] Locus, quem diu fruſtra ſedulo quaeſivi, reperitur in *ed. Frid. Taubmanni* A. 1612. inter *ſuppoſititia, pag.* 1270. *lin. penult.* niſi quod ibi pro *quaeſivi* legitur *quaeſierit.*

(*c*) PROSTITUEBANTUR] In *ed. Opp. Colon.* 1617. *fol.* legitur: *Haec ſub arcuatis proſternebatur.*

ponit, de Acca Laurentia agens: *Fuit enim Fauſtuli uxor, & propter vulgati corporis vilitatem lupa inter paſtores, id eſt, meretrix, nuncupata eſt, unde etiam* lupanar *dicitur.* B. HIERONYMUS in *Chronic. Euſebii*, ad *Ann.* MCCXX. *pag.* 112. *ed. Scalig. Verum parvulos prope ripam Tiberis expoſitos, Fauſtulus, regii paſtor armenti, ad Accam Laurentiam, uxorem ſuam detulit, quae propter pulchritudinem, & rapacitatem corporis quaeſtuoſi,* lupa *a vicinis appellatur. Unde ad noſtram uſque memoriam meretricum cellulae* lupanaria *dicuntur.* Idem & ISIDORUS tradit *lib.* XVIII. *Etymolog. cap.* XLII. Graeci porro οἴκημα vocant. Sic enim DIO *lib.* LX. *pag.* 686. Meſſalinae libidinem narrans loquitur: Ἤδη γὰρ καὶ ἐπ' οἰκήματος ἐν τῷ Παλατίῳ αὐτή τε ἐκαθίζετο, καὶ ἄλλας τὰς πρώτας ἐκάθιζεν. *Ipſa in cella meretricia ſedebat in Palatio, & alias primarias feminas ibi collocavit.* Invenitur & hoc verbum apud XIPHILINUM in *Heliogabalo lib.* LXXIX. *pag.* 912. Καὶ τέλος, ait, ἐν τῷ Παλατίῳ οἴκημα τι ἀποδείξας, ἐνταῦθα ἠσέλγαινε. *Denique cellam habebat in Palatio quandam, in qua libidinem exercebat.* Ubi interpres οἴκημα, *cubiculum* non ſatis apte vertit, cum *cellam*, vel *lupanar*, commodius reddere potuiſſet. SUIDAS: Οἰκήματα, τὰ χαμαιτυπεῖα, *id eſt, loca, quae humi ſunt.* HESYCHIUS: Οἴκημα, τὸ δεσμωτήριον· Ἀττικοὶ δὲ τὸ πορνεῖον. Οἴκημα *carcer: Atticis lupanar.* Ex illo autem MARTIALIS a me ſupra prolato verſu, ſubmoenianis & projectis abditas fuiſſe meretricum cellas, colligere eſt: qua ratione idem auctor ſcorta, ſubmoenianas uxores, *lib.* XII. *Epigr.* 32. *v.* 21. vocat (*a*):

> *Et plena*, inquiens, *turpi matris olla reſina,*
> *Submoenianae qua pilantur uxores.*

Unde etiam explicantur ſequentes ejuſdem poëtae verſus, qui *lib.* XI. *Epigr.* 62. *v.* 2. leguntur:

> *Submoenianis inquinatior buccis:*
> *Quem cum feneſtra vidit a ſuburana,*
> *Obſcoena nudum laena, fornicem clauſit.*

Ex quo etiam liquet, in Subura, quae in ſecunda urbis regione ſita erat, meretricum manſionem fuiſſe, quod verſus hi Priapeorum ſignificant: (*Carm.* XL.)

> *Nota ſuburanas inter Theletuſa puellas,*
> *Quae, puto, de quaeſtu libera facta ſuo eſt.*

Et hinc fortaſſe eſt, quod in deſcriptione urbis Romae in eadem cum Subura regione, *lupariae*, tam a PUBL. VICTORE, quam a SEXTO RUFO ponuntur. Sed extra urbis moenia quaedam proſtabant meretrices, quas extramuranas idcirco LAMPRIDIUS in *Heliogabalo cap.* 27. vocat. Quin & in theatris, & in aliis urbis locis meretrices conſtitiſſe, non dubium eſt. Idem LAMPRIDIUS in *Heliogabalo cap.* 32. *Fertur una die ad omnes Circi, Theatri, & Amphitheatri, & omnium urbis locorum meretrices, tectus Cucullione mulionico, ne adgnoſceretur, ingreſſus.* Idem alias, *cap.* 26. *Omnes de circo, de theatro, de ſtadio, & omnibus locis & balneis meretrices collegit in aedes publicas.* ISIDORUS *lib.* XVIII. *Etymolog. cap.* XLIX. *Idem vero theatrum, idem & proſtibulum, eo quod poſt ludos exactos meretrices ibi proſternerentur.* Ex quibus ſatis abundeque probatum arbitror, in fornicibus & ſubmoenianis meretricum cellulas poſitas ſtructaſque fuiſſe: quas, quod & humi depreſſae eſſent, & exiguum lumen admitterent, obſcuras eſſe fuliginiſque plenas, plerumque contingebat. Qua de cauſa SENECA in *libris controverſiar.* fornicis fuliginem dixit. Auctor quoque Priapeorum: (*Carm.* XIII. *in fine*)

> *Ergo quilibet huc licebit intret*
> *Nigra fornicis oblitus favilla.*

Indeque HORATIUS *olentem fornicem* dixit *lib.* I. *Satyr.* II. *v.* 30. ut & PRUDEN-

(*a*) VOCAT] Ita etiam ille *lib.* III. *Epig.* 81. *v.* 1.

> *Convivа Zoili quisquis poteſt eſſe,*
> *Summoenianas coenet inter uxores.*

Notandum vero, a locis inprimis diverſis, & diverſo interdum etiam tempore, quibus proſtabant, varias denominationes ſortitas fuiſſe meretrices, de quibus vide ſcriptores paullo ante laudatos.

DENTIUS *lib.* II. *contra Symmachum v.* 835. *ſpurcam redolente fornice cellam.* Certa vero meretrici cuique cellula conſtituebatur, propriuſque ei titulus inſcribebatur, quo & proſtitutae nomen, & quantum uno concubitu mereret, deſignabatur, quo facilius in eam quiſque incideret, ad quam animum appuliſſet, pretiumque concubitus a ſe pendendum ſciret (*a*). SENECA *lib.* I. *Controverſiarum. Deducta es in lupanar, accepiſti locum, pretium conſtitutum eſt, inſcriptus eſt titulus: hactenus in te inquiri poteſt. Ceterum neſcio, quid cellulam & obſcoenum lectulum vocas.* Et paulo poſt: *Meretrix vocata es, in communi loco ſtetiſti, ſuperpoſitus eſt cellae tuae titulus, venientes recepiſti.* Et alias: *Stetiſti cum meretricibus, ſtetiſti ſic ornata, ut populo placere poſſes, cum veſte, quam leno dederat: nomen tuum pependit in fronte, pretia ſtupri accepiſti.* Inde MARTIALIS *lib.* XI. *Epigr.* 46. inſcriptam cellam pro lupanario dixit:

Intraſti, ait, *quoties inſcriptae limina cellae,*
Et puer arriſit, ſive puella tibi.

d Sat. VI. v. 115. Hoc ipſum JUVENALIS aperte expreſſit, [d] Meſſalinam exagitans, Claudii Imperatoris uxorem, libidinis prodigioſiſſimae feminam, cujus explendae cauſa, toro conjugali relicto, meretricis habitu plerumque in lupanar noctu deſcendebat, venienteſque, nomine inſignioris fornicariae ſibi accommodato, uſque ad ſatietatem admittebat:

Reſpice, inquit, *rivales divorum: Claudius audi*
Quae tulerit. Dormire virum cum ſenſerat uxor,
Auſa Palatino tegetem praeferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos,
Linquebat, comite ancilla non amplius una,
Et nigrum flavo crinem abſcondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam, atque ſuam: tunc nuda papillis
Conſtitit auratis, titulum mentita Lyciſcae,
Oſtenditque tuum, generoſe Britannice, ventrem.
Excepit blanda intrantes, atque aera popoſcit.
Mox lenone ſuas jam dimittente puellas,
Triſtis abit: ſed, quod potuit, tamen ultima cellam
Clauſit, adhuc ardens rigidae tentigine vulvae,
Et laſſata viris, nondum ſatiata receſſit,
Obſcuriſque genis turpis, fumoque lucernae,
Foeda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.

Atque hinc intelligimus, quid ſibi velit ſellariorum nomen apud SUETONIUM in *Tiberio cap.* 43. & *Caligula.* Quod autem ſuperiores auctores titulum, TERTULLIANUS elogium appellat in *lib. de ſpectaculis, cap.* 17. *Ipſa etiam*, ait, *proſtibula, publicae libidinis hoſtiae, in ſcena proferuntur* (*b*), *perque omnis aetatis, omnis cognationis ora transducuntur, locus, ſtipes, elogium etiam, quibus opus non eſt, praedicantur.* Utitur tamen ille auctor tituli verbo in eandem ſententiam in *lib. de pudicitia, cap.* 1. *Et ubi*, ait, *proponetur liberalitas iſta? Ibidem, opinor, in ipſis libidinum januis, ſub ipſis libidinum titulis, illic hujusmodi poenitentia promulganda eſt.* Inter meretricem plane & proſtibulum hanc veteres differentiam poſuiſſe NONIUS MARCELLUS *lib.* V. *num.* 8. notat, quod meretrices copiam ſui tantummodo noctu facerent; proſtibula vero ante ſtabulum ſtarent, quaeſtus diurni & nocturni cauſa; & ad hanc comprobandam differentiam e PLAUTI *Ciſtellaria* locum producit (*c*). Eademque ratione *proſedas* appellatas ab eodem PLAUTO meretrices,

(*a*) SCIRET] De hocce ritu pluribus egerunt *Ramirez de Prado* in *Comm.* ad *Martial. lib.* 1. *Epig.* 35. *pag.* 77. *ſeq.* & *lib.* II. *Ep.* 53. *pag.* 167. *Deſiderius Heraldus* in *Comm.* ad *Martial. lib.* XI. *Ep.* 57. *pag.* 100. *ed. Pariſ. Caſp. Barthius* in *Adverſ. lib.* XLI. *cap.* 15. *Janus Caſellius Durantius Var. lib.* 1. *cap.* 2. & 10. (in *Lampade Crit. Grut. Tom.* III.) *Janus Douza* in *Praecid.* ad *Petron. lib.* 1. *cap.* 4. *Caſpar. Sagittarius* in libro *de Januis Vet. c.* 28. §. 16. (*Tom.* VI. *Theſ. Antiqq. Graev.*)

(*b*) PROFERUNTUR] In editis adduntur verba: *plus miſerae in praeſentia feminarum, quibus ſolis laetabant.* Paullo poſt pro *cognationis* in *ed. Opp. Pariſ.* legitur: *dignitatis*, & in fine pro *praedicantur* ibi legitur *praedicatur.*

(*c*) PRODUCIT] Locus ita ſonat: *Intro ibo, nam meretricem adſtare in via ſolam,*

trices, quae ante ſtabula ſederent, SEXT. POMP. FESTUS *lib.* XIV. docet: locus vero PLAUTI, de quo ſentit, ex *Poenulo Act.* I. *Sc.* II. *v.* 53. petendus eſt. Quorum locorum auctoritate adductus credo apud PETRONIUM ARBITRUM verbum hoc corruptum eſſe: nam in *Satyrico cap.* 8. ſcriptum veteres libri habent: *jam pro ſella meretrix aſſem exegerat*, cum meo quidem judicio ſcribendum ſit: *jam proſeda meretrix* (*a*). Cum vero ait JUVENALIS *Sat.* VI. *v.* 122. *Tunc nuda papillis conſtitit auratis*, morem meretricum ſignat, quas nudas proſtare conſueviſſe, didici ex XIPHILINO in *Heliogabalo lib.* LXXIX. *pag.* 912. Ἐν τῷ Παλατίῳ, inquit ille, οἴκημα ἀποδείξας, ἐνταῦθα ἠσέλγαινε· γυμνός τε ἀεὶ ἐπὶ τῆς θύρας αὐτοῦ ἑστὼς, ὥσπερ αἱ πόρναι. *In Palatio in cella ſe proſtituebat, & libidinem exercebat. Nudus ſemper ad fores ſtabat, ſicut meretrices.* PETRONIUS ARBITER in *Satyrico cap.* 7. *Cum ego negarem me cognoſcere domum, video quosdam interviculos* (*b*) *nudaſque meretrices furtim ſpatiantes.* Enimvero apud Aediles flagitium profiteri, ſuumque nomen edere, meretrix cogebatur. Unde loca Aedilem metuentia vocat SENECA *de vita beata*, *cap.* 7. eleganter, id eſt, fornices & popinas. CORNELIUS TACITUS *lib.* II. *Annal. cap.* 85. *Nam Viſtilia, Praetoria familia genita, licentiam ſtupri apud Aediles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui ſatis poenarum adverſus impudicas in ipſa profeſſione flagitii credebant* (*c*). Cui quidem profeſſioni conſequens erat, ut jure cederet & dignitate matronali, ut liquet ex SUETONIO in *Tiberio cap.* 35. atque etiam ornamentis, cenſereturque inter togatoa, liquet ex TERTULLIANO de *cultu femin.* II. *cap.* 12. Videntur autem eae poſuiſſe inſtitam, ſtolam, vittas, imo ſumpſiſſe etiam meretriciam togam ex JUVENALE, *Sat.* II. *v.* 69.

——— ——— Carſinia talem
Non ſumet damnata togam. ——— ———

Nam de matrona aliqua ſentire videtur, cui ex more ſumenda erat toga. Qui quidem ab Athenienſibus manaſſe videri poſſit, apud quoa ſcorta pariter veſte erant a matronis diſcreta, idque ex lege, ut ait SUIDAS *voc.* ἑταιρῶν, & ARTEMIDORUS docet *lib.* II. *cap.* 3. Lecticas etiam poſuerunt meretrices, utique poſt Domitiani edictum. Sed & meretricum erant ab honeſtarum matronarum cultu atque ornatu diſtincta veſtimenta: quemadmodum in noſtris *Selectar. ex jure civili antiquitatum commentariis lib.* 1. *cap.* 4. fuſiſſime comprobavimus. Nec in ſtolae modo, & pallae uſu, ſed & in crinium colore differentia ea cernebatur. Siquidem, ut SERVIUS in IV. *Aeneidos v.* 698. notat, matronis nigra coma, meretricibus flava probabatur (*d*): quod ex eo JUVENALIS, quem modo retuli, loco confirmatur: *Sat.* VI. *v.* 120.

Et nigrum, ait, *flavo crinem abſcondente galero.*

VALERIUS *lib.* 2. *cap.* 1. *ex.* 5. de matribus familias agens: *Indulgentibus namque maritis, & auro abundante; & multa purpura uſae ſunt, & quo formam ſuam concinniorem efficerent, ſumma cum diligentia capillos cinere rutilarunt.* Ceterum meretri-

lam, proſtibula ſane eſt. Aſt in illa *Ciſtellaria*, quae hodie ſupereſt, locus hic non reperitur, ſed in *Fragm.* PLAUTI in *ed. Fr. Taubmanni* Anno 1612. *pag.* 1236. adducitur ex PLAUTI *Aſtraba* ſive *Ciſtellaria.*

(*a*) MERETRIX] Immo vulgaris lectio melior eſt auctoris emendatione, quae nullo nititur fundamento: niſi quod pro *ſella* melius legatur *cella*. Vide ibi Interpretes.

(*b*) INTERVICULOS] Vocabulum nullius ſenſus; ſed jam dudum eruditi emendarunt *inter titulos*, ut ex Interpp. diſci poteſt. Pro *ſpatiantes* in *ed. Burmann.* legitur *conſpatiantes.*

(*c*) CREDEBANT] Verba ſequentia uſque ad *Edictum* incluſive ſunt ex poſtumis auctoris annotationibus, adeoque in ſola *ed. Pariſ. Opp.* leguntur: id quod aonotare volui, ut ratio cnnnexionis cum ſequentibus pateret. Poſſent tamen commode abeſſe, quia prolixios jam haec omnia ab auctore expoſita ſunt in *Selectis Antiqq.*

(*d*) PROBABATUR] Ita etiam *Scholiaſtes* JUVENALIS *l. c.* & multi recentiores, ut fieri ſolet, Grammaticos hoſce ſecuti. Sed hunc errorem jam diu refutavit *Staniſlaus Kobierzykius* in libro *de luxu Rom. lib.* 1. *cap* 6. *pag.* 1300. *Tom.* VIII. *Theſ. Graev.* & noſtris temporibus Vir Cl. *Jo. Arntzenius* in *Diſſ. de Colore & tinctura comarum*, *cap.* 3. ubi docet, meretrices & adulteras ignominiae cauſa attonſas fuiſſe apud veteres Romanos, & hinc eas galericulum, ex flavis plerumque crinibus, geſtaſſe. Confer etiam, quos ibi laudat, Cl. *Salmaſii libr. de Coma*, *pag.* 60. & *pag.* 175. *Petri Fabri Semeſtr. lib.* III. *cap.* 21. *Iſaaci Caſauboni Comm.* ad *Sueton. Aug. cap.* 45. *Juſtum Lipſium* ad *Tacitum de moribus Germ. cap.* 19. & *Savaron.* ad *Sidon. Apollin. Lib.* V. *Epiſt.* 13.

retricum quaeſtum vectigali obnoxium eſſe Caligula voluit, tributumque illud primus inſtituit, cujus ad haec uſque tempora exemplum manere dicitur. Sic enim Tranquillus in ejus vita [d] ſcribit: *Ex gerulorum diurnis quaeſtibus pars octava; ex capturis proſtitutarum, quantum quaeque uno concubitu mereret; additumque ad caput legis, ut publico tenerentur, quae meretricium, quaeve lenocinium feciſſent.* Meminit ejus & LAMPRIDIUS in *Alexandro cap.* 24. *Lenonum*, ait, *vectigal, & meretricum, & exoletorum, in ſacrum aerarium inferri vetuit, ſed ſumptibus publicis ad inſtaurationem Theatri, Circi, Amphitheatri & aerarii deputavit.* Cui non abſimile tributum in urbe quoque Conſtantinopolitana pendi & exigi conſueverat: χρυσάργυρον id appellatur. Quod tandem ab Anaſtaſio ſublatum eſt; [e] qui omnes ejus tabulas magno ſtudio conquiſitas flammis aboleri curavit, ut ejus inſtaurandi revocandique facultatem poſteris praecideret (*a*). Porro meretrices, ut plurimum ſervilis, aut certe libertinae conditionis erant. PLAUTUS *Ciſtell. Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 39.

d *cap.* 40.

e *Zonaras Tom.* 3. *Annal. lib.* XIV. *in Anaſt. pag.* 54. *Niceph. Hiſtor. Eccleſ. lib.* XVI. *cap.* 40.

Eunt depreſſum, quia nos ſumus libertinae.
Et ego & mater tua ambae meretrices fuimus.

LIVIUS *lib.* XXXIX. *cap.* 9, *Scortum nobile, libertina, Hyſpala Fecenia, non digna quaeſtu, cui ancillula adſueverat, etiam poſtquam manumiſſa erat, eodem ſe genere tuebatur.* LAMPRIDIUS in *Heliogabalo cap.* 25. *Meretrices a cunctis lenonibus redemit ſaepe, & manumiſit.* Ac plane SC. Tiberii temporibus facto, quaeſtum corpore facere eae mulieres vetitae ſunt, quarum avus, pater, mariituſve equo publico meruiſſet. TACITUS *lib.* II. *Annal. cap.* 85. *Eodem anno gravibus Senatus decretis libido feminarum coërcita eſt, cautumque, ne corpore quaeſtum faceret, cui avus, aut pater, aut maritus eques Romanus fuiſſet.* Sed haec fuerit, ut ait THUCYDIDES *lib.* I. *p.* 64. ἐκβολὴ λόγου, *digreſſio ab inſtituta narratione*, non inutilis. Ut igitur ad legis interpretationem redeam, ſive in ſummoeniana cella & fornice, mulier corpus ſuum vulgaverit, ſive alibi, ut cum Imperatoribus loquar, venalem [f] formam exhibuerit, & proſtitutam meretricio more vulgo ſe praebuerit, lege Julia notatur. *Palam* enim hic accepimus paſſim & ſine delectu. Nec intereſt, pecunia accepta, an ſine quaeſtu palam ſe proſtituerit. Quae vero cum uno, aut item altero, licet pecunia accepta, ſe commiſcuit, in eadem cauſa non eſt. Nec vero ea tantum, quae palam quaeſtum corpore facit, ſed & quae aliquando fecit, licet facere deſierit, ab ingenuorum nuptiis repellitur. Non enim contracta ex anteactae vitae turpitudine macula poenitentia aboletur. Addit ULPIANUS, hujus loci interpretationem perſequens, ei non ignoſci, quae obtentu paupertatis, quaſi egeſtate coacta, turpiſſimam vitam elegit, ſimilis Chryſidi illi Terentianae, (*Andria, Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 42.) quae ſe inhoneſte optavit parare divitias, quam in patria honeſte pauper vivere.

f *in l.* 22. *ſi ea. C. ad L. Jul. de adult.*

g *L.* 43. *palam.* §. 12. *quae in adulterio. D. de ritu nupt.*

h *l.* 12. *etſi. C. ad L. Jul. de adult.*

i *l.* 20. *foediſſimum. C. ad L. Jul. de adult.*

k *l.* 29. *Mariti.* §. 1. *D. ad L. Jul. de adult. L.* 9. *Caſtitati. C. eod. tit. L.* 37. *auxilium.* §. 1. *D. de minoribus.*

Prohibebantur praeterea ingenui in adulterio deprehenſas ducere. Nec exigebat lex, ut damnatae eſſent. Igitur etſi poſt deprehenſionem abſolutae eſſent, adhuc tamen illis nota ex ipſa deprehenſione, quam ſolam lex ſpectabat, contracta oberat. [g] Enimvero nec poenae, nec infamiae, qua crimen adulterii plectitur, mulier non accuſata, nec damnata ſubjicitur, [h] etſi nuptiis ejus, ſi deprehenſa eſt, abſtinere ingenuos lex Julia de maritandis ordinibus praeciperet. Non diſtinguimus hic, ut in L. Julia de adulteriis, a quo, vel ubi deprehenſa ſit. Proinde ſive maritus, ſive quis alius deprehendiſſe proponatur, & ſive in domo patris, vel mariti, ſive alibi uſquam deprehenſa ſit, erit notata ſecundum verba legis. Atque haec ita de ea, quae ſponte peccarit, accipienda ſunt. Vim paſſam enim integrae exiſtimationis eſſe, nec nuptias ejus aliis interdici, merito placuit. [i]

l *d. L. Mariti.* §. 1. *D. ad L. Jul. de adult.*

m *d. L.* 43. *palam.* §. 10. *ſenatus. D. de ritu nupt.*

Damnatam porro ex cauſa veri adulterii commiſſi ducere uxorem etiam lex Julia de adulteriis vetabat. Quinimo factum hoc pro adulterio vindicabat. [k] Ob aliam vero cauſam lege Julia damnata, veluti quod pomum praebuiſſet, pretiumve pro comperto ſtupro accepiſſet, impune ducebatur: [l] quamquam Senatuſconſulto poſtea eae nuptiae Senatoribus interdictae videantur. [m] Maritus plane ream adulterii a ſe jure mariti, vel extranei, poſtulatam, poſt abolitionem, denuo uxorem ducere, & quidem citra legis Juliae poenam, potuit. [n] Is enim in eam legem committit, qui vel publico judicio damnatam in matrimonio habet, vel adulteram ſciens, ut ignorantiam ſimulare non poſſit, retinet uxorem. [o] Ab extraneo vero adulterii rea, nec ante damnationem uxor duci poteſt. [p] Bene itaque PAPINIANUS,

n *L.* 34. *generali.* §. 1. *ream. D. de ritu nupt.*

o *L.* 17. *fine metu. C. ad L. Jul. de adult.*

p *L.* 26. *reas. D. de ritu nupt.*

(*a*) PRAECIDERET] Confer *Jac. Gothofredi Comment. ad Cod. Theod. lib.* XIII. *tit.* 1.

NUS, cum Maevius in adulterio Semproniae damnatus, eandem Semproniam non damnatam uxorem duxiſſe proponeretur, eique moriens hereditatem reliquiſſet, reſpondit, q neque tale matrimonium ſtare, neque hereditatis lucrum ad mulierem, ſed ad fiſcum pertinere. Similiterque ſi talis mulier virum heredem inſtituiſſet, ab eo, quaſi ab indigno, hereditatem auferri. *q L. 13. Claudius. D. de his, quae ut indign.*

Verum enimvero quando in legis Juliae & Papiae explicationem ingreſſi ſumus, e re eſt, reliqua ejus capita, ad rem uxoriam pertinentia, perſequi. Invenio autem legibus illis (quod tandem a JUSTINIANO abrogatum eſt) eas nuptias, qaas vir ſexagenarius cum uxore quinquagenaria contraheret, fuiſſe improbatas (a): r Unde ſcite LACTANTIUS *Div. Inſtit. lib.* 1. *de falſa religione cap.* XVI. ex Senecae libris moralibus (b): *Utrum*, ait, *ſexagenarius factus eſt, & illi lex Papia fibulam impoſuit? an impetravit jus trium liberorum?* Ac plane APULEJO inter cetera criminis loco objectum ab adverſariis legimus, quod ſexagiuta annos natam feminam duxiſſet: idque factum accuratiſſime ille *Apolog.* pro ſe ipſo *ſecunda, pag.* 541. *ſeqq.* diluit ac purgat. Improbabat autem lex ejuſmodi nuptias tanquam liberorum quaerendorum cauſa minime contractss, veroque conjugii fructu ac fine deſtitutas. Hoc enim in illis legibus condendis agebat Auguſtus, ut exhauſtam bellis civilibus civitatem ſobole repleret. Sexagenarius autem ut generandi, ita quinquagenaria pariendi impotens eſſe vulgo exiſtimatur. s ARISTOTELES quidem certe in *Politicis* t finem gignendi ut plurimum viris ſeptusgeſimum annum adſerre, mulieribus vero quinquageſimum ſcribit. Itaque DIONYSIUS HALICARNASSEUS *lib.* IV. *pag.* 212. eorum ſententiam refellens, qui Lucium & Aruntem Tarquinios, Tarquinii Priſci fuiſſe filios, non nepotes, credunt, id admitti non poſſe, argumento ejuſmodi docet: Ἡ γυνὴ δ᾽ πέντε ἔτεσιν ὡς αὐτοῦ νεωτέρα, καθάπερ εἰκὸς ἑβδομηκοστὸν ἂν ἤδη καὶ πέμπτον εἶχεν ἔτος, ὅτι ἀπέθνησκε Ταρκύνιος, εἰ δὴ τὸ πρότερον τῶν υἱῶν ἐσχατογόνον ἔτεκεν, ἔτος ἔχουσα πεντηκοστόν. προσωτέρω γὰρ οὐκ ἔτι κυΐσκεται τοῦτο τοῦ χρόνου γυνή, ἀλλ᾽ ἔστιν οὗτος αὐταῖς τῶν ὠδίνων ὅρος, ὡς οἱ ταῦτ᾽ ἐξητακότες γεγράφασιν. *Uxor erat quinque annis eo junior, ut probabile eſt. Erat tum nata annos ſeptuaginta quinque, quum Tarquinius moreretur: quum minimum filium pareret, erat quinquaginta annorum. Ultra hoc tempus enim non uterum fert mulier, ſed hic eſt pariendi terminus, ut, qui haec exquiſiverunt, ſcribunt.* Sed & idem ARISTOTELES in libro *de Natura Animalium*, v raro contingere, ut ad ſeptuageſimum uſque annum vir generet: frequentius vero quinto & ſexageſimo anno generandi vires conſumi tradit. Ideoque DIONYSIUS HALICARNASS. paulo poſt, quem nunc citavi, locum: (*pag.* 213.) Ἄωρος δὴ γίνεται πάλιν ὁ γάμος τοῦ Ταρκυνίου μικρὸν ἀπολείποντος ἐτῶν ὀγδοήκοντα. καὶ ἡ τῶν τέκνων γένεσις περὶ τοῦτον ἔχοντι τὴν ἡλικίαν ἄπιστος. *Intempeſtivum eſt hoc conjugium, Tarquinio pene octogenario, nec ea aetate liberorum procreatio eſt credibilis.* Quapropter apud PLAUTUM *Mercatore*, x has Eutychus ſenibus ſexagenariis, quaſi a re Venerea jam per aetatem excluſis ac ſubmotis, leges dicit:

r L. 27. C. de nupt.

s L. 21. ſi ſterilis. D. de action. empt. L. 12. Si major. C. de legit. hered.

t lib. VII. cap. XVI.

v lib. v. cap. 14.

x Act. & Scena ult. v. 57.

Annos natus ſexaginta qui erit, ſi quem ſcibimus
Seu maritum, ſive hercle adeo coelibem ſcortarier,
Cum eo nos hic lege agemus.

Similiter Mitio apud TERENTIUM *Adelphis*, *Act.* V. *Sc.* 8. *v.* 14. Demeae ſuadenti, ut uxorem duceret:

—— —— *Satin'*, ait, *ſanus es?*
Ego novus maritus anno demum quinto & ſexageſimo
Fiam?

Mulierem vero poſt quinquageſimum annum non parere, PLINIUS abſolute definit, y majoremque partem quadrageſimo profluvium genitale ſiſtere. SOLINUS

y lib. VII. natur. hiſt. cap. XIV.

(a) IMPROBATAS] Vulgarem hunc errorem primus detexit & refutavit *Jac. Perizonius* in *Diſſ. ad L. Vocon. pag.* 153. *ſeqq.* quem ſequitur *Jo. Gottl. Heineccius* in *Comm. ad L. Jul. & Pap. Popp. lib.* 11. *cap.* 3. ubi omnia ſecurate & diſtincte expoſuit, quae de nuptiis ſexagenariorum & quinqusgenariorum, tum in ipſa lege, tum in ſequentibus Legibus & SCtis, ſancita fuerunt: quae hic repetere nolo, quis liber ille omnium manibus teritur, qui ſolidiorem juriſprudentiam amant.

(b) MORALIBUS] Verba praecedentia ad ſenſum neceſſaria ſunt: *Quid ergo eſt, quare apud poëtas ſalaciſſimus Jupiter deſierit liberos tollere.*

NUS quoque poſt annom quinquageſimum omnium mulierum foecunditatem conquieſcere in *Polybiſtore cap.* 4. tradit. Ac plane quibus cruor menſtruis intervallis fluere deſtitit, eas jam concipere non poſſe, ab auctoribus medicinae conſtanter

z *lib.* III. *contra Julian. Pelag. cap.* XI.

adfirmari B. AUGUSTINUS auctor eſt. z Subjicit vero PLINIUS Maſiniſſam regem poſt octogiota ſex annos filium generaviſſe, qui Methymnus appellatus ſit. Cui & VALERIUS MAXIMUS a & FLORUS b & SOLINUS conſentiunt.

a *lib.* VIII. *cap.* 13. *ext.* 1.

b *In Epitome Livii lib.* L.

Quod de eo minus mirum videtur, quem vel ante omnes homines robore ſenectae admirabilem fuiſſe, literarum monumentis proditum eſt. Qui, quemadmodum CICERO refert in libro, quem de *ſenectute cap.* 10. ſcribit, vel nonaginta annos natus, oullo onquam imbri, nullo frigore, ut capite operto eſſet, adduci potuerit, & pedibus iter ingreſſus, in equum omnino non aſcenderit. Sed & Catonem Cenſo-

c *lib.* 7. *cap.* 13.

rium idem PLINIUS c cum SOLINO, octogeſimo exacto anno filium e Salonii clientis ſui filia, avum Catonis Uticenſis, procreaſſe ſcribit. Unde PLUTARCHUS in ejus vita, *pag.* 350. nuptias eum contraxiſſe οὐ καθ' ἡλικίαν, *non ſecundum iſtam aetatem*, ait. Beatus quoque AUGUSTINUS ſuis temporibus ſeoem o-

d *lib.* III. *contra Julian. Pelag. cap.* XI.

ctoginta & quatuor agentem annos ad libidinem ſibi Lyriſtriam emiſſe refert. d Verum ea leges, quae ἐπὶ τὸ πλεῖστον, *ut plurimum*, acciduot, ſpectaot, non quae ἐκ παραλόγου, *praeter opinionem*. Et ideo alienam a nuptiis cootrahendis ſuperius memoratam aetatem, velut liberorum ſuſcipiendorum ſpe deſtitutam, praemiis adficiendam noo exiſtimarunt. Atque hic ſuccurrit, quod de Auguſto VALE-

e *lib.* VII. *cap.* VII. *ex.* 4.

RIUS MAX. narrat, e aditum eum a Trachallis, teſtamento Septitiae matris praeteritis, quae iis irata, jam pariendi impotens, ſeni admodum nupſerat, tam ſupremum ejus judicium, quam nuptias improbaſſe. Nam hereditatem maternam filios habere juſſit, dotemque, quia non procreandorum liberorum cauſa conjugium interceſſerat, ad virum pertinere noluit. Eleganter itaque Dionyſius matri jam effoetae, ouptias juvenis appetenti, civitatis quidem leges a Tyranno abrogari violarique poſſe, naturae vero praeceptis vim adferri, nuptiarum in aetate minime ad eam rem idonea conciliandarum cauſa noo poſſe, reſpondit. Qua de re verba PLUTARCHI io *Solone pag.* 89. ſubjicere, operae pretium fuerit. Ὁ μὲν γὰρ, ait, Διονύσιος, ἀξιούσης τῆς μητρὸς αὐτοῦ, δοθῆναί τινι τῶν πολιτῶν πρὸς γάμον, ἔφη, τοὺς μὲν τῆς πόλεως νόμους λελυκέναι τύραννος (a), τοὺς δὲ τῆς φύσεως οὐκ εἶναι δυνατὸν βιάζεσθαι, γάμους νυμφαγωγῶν παρ' ἡλικίαν. *Dionyſius petenti matri, ut elocetur alicui civium, reſpondit, civitatis quidem leges poſſe ſolvere tyrannum, naturae vero legibus vim adferre non poſſe, nuptiarum, aetate minime ad eam rem apta, conciliandarum gratia.* Quo loci in ejuſmodi intempeſtivas impareſque nuptias ita invehitur: Ἐν δὲ πόλεσι τὴν ἀταξίαν ταύτην οὐκ ἐατέον, οὐδὲ περιοπτέον ἀώρους καὶ ἀχαρίτους ἐπιπλοκάς, καὶ μηδὲν ἔργον γαμήλιον ἐχούσας, μηδὲ τέλος. Ἀλλὰ γέροντι νέαν ἀγομένῳ φαίη τις ἂν ἐμμελὴς ἄρχων ἢ νομοθέτης, τὸ πρὸς τὸν Φιλοκτήτην. Εὖ γ' οὖν ὡς γαμεῖν ἔχεις τάλας. Καὶ νέον ἐν δωματίῳ πλουσίας πρεσβύτιδος, ὥσπερ οἱ πέρδικες ὑπὸ συνουσίας παχυνόμενοι (b), ἐξανδρεῶν, μετοικίσει πρὸς παρθένον νυμφίου ἀνδρὸς δεομένην. *In civitatibus non eſt admittenda ea confuſio, nec tolerandae intempeſtivae & ingratae conjunctiones, quae nullum habent opus & finem nuptialem. Verum ſeni, juvenculam ducenti, prudens magiſtratus, vel legiſlator, illud ad Philoctetem dictum objiciat: commode vero potes, miſer, ducere uxorem. Quod ſi juvenem repererit in anus cubiculo pecunioſae, ad inſtar perdicum, ex concubitu pingueſcentem, traducet eum ad virginem, quae virum requirat.* Enimvero huic, de quo agimus, legis capiti Claudium Caeſarem obrogaſſe legimus, cum comperiſſet, etiam ſexaginta annos natis, aut eo am-

f *cap.* XXIII.

plius, geoerandi vires ineſſe. Sic enim SUETONIUS in ejus vita: f *Capiti Papiae Poppaeae legis, a Tiberio Caeſare, quaſi ſexagenarii generari non poſſent, edicto* (c) *obrogavit.* Obrogari enim dicitur, cum prior lex, alia lege lata, poſtea aliqua ex parte commutatur. Quod circa Papiam legem Senatuſconſulto Claudia-

* *Tit.* XVI. §. 3. 4.

no factum eſſe, ex ULPIANI *fragmentis* * liquet, in quibus ita eſt: *Sed Claudiano Senatuſconſulto major ſexagenario, ſi minorem quinquagenaria duxerit, perinde habebuntur* (d), *ac ſi minor* LX. *annorum duxiſſet uxorem. Quod ſi major quinquagenaria minori*

(a) Τύραννος] In *ed. Francof. Opp.* legitur τυραννῶν, & paullo poſt pro δυνατὸν ibi legitur δυνατός.

(b) Παχυνόμενοι] In *ed. Opp.* laudata legitur παχυνόμενον.

(c) EDICTO] Io plerisque SUETONII Codd. legitur *addito*, quod probant *Perizonius* & *Heineccius ll. cc.*

(d) HABEBUNTUR] *Habebitur* legitur in *Juriſpr. antejuſt.* Paullo poſt pro *nupſiſſet* ibi legitur *nupſerit*. Ultima vero verba ita ibi leguntur: *appellatur, & SC. Calvitiano jubetur, non perficere ad capiendas hereditates & legatas dotes: itaque mortua muliere dos caduca erit.*

minori ſexagenario nupſiſſet, *impar matrimonium appellabatur*, *nec ad capiendas hereditates vel legatas dotes proficiebat.* Plane poſtquam conjuges, ſupra ſexageſimum maſculi, ſupra quinquageſimum feminae, in matrimonio perſtiterant, ſolidum inter ſe capere, perinde ac ſi liberos ſuſcepiſſent, eodem ULPIANO teſte, * poterant: eum imputari eis nihil poſſet, quorum conjunctio ad aetatem a prolis generatione alienam perveniſſet (*a*). Et hoe Beatus AUGUSTINUS ſignificat, cum ait: g *Pro modo nunc temporis*, *quo longe breviore ſpatio vivunt homines*, *intra centum annos amborum conjugum generare poſſe dicuntur. Si vero in ſummam ducti amborum anni centenarium numerum exceſſerint*, *ſic aſſeverantur non poſſe filios procreare*, *etiam ſi foecunda ſit mulier*, *& fluentibus adhuc muliebribus poſſit ex juvene*, *ut jure etiam fuerit conſtitutum*, *ne quisquam jus liberorum haberet*, *niſi cum amborum anni computati*, *& ſimul adducti*, *centenos tranſiſſe* (*b*) *decerentur.* Sic enim locum emendo, fretus ULPIANI auctoritate, qui tum inter ſe conjuges ſolidum cepiſſe ſcribit, cum lege Papia finitos annos exceſſiſſent, id eſt, vir annos ſexaginta, uxor quinquaginta. Jus enim liberorum, cujus Auguſtinus meminit, ad ſolidi capionem, de qua apud Ulpianum agitur, pertinet. His & alius ad rem faciens ejuſdem AUGUSTINI locus adjungendus eſt, ex *lib.* I. *Quaeſtion. in heptateuchum*, ſive *in Geneſin*, *quaeſt.* 35. in quo ita eſt: *Sic enim medici tradunt*, *quoniam cujus corpus viri ſecundum hoc jam deficit*, *ut cum femina provectioris aetatis*, *quamvis menſtrua adhuc patiatur*, *generare non poſſit*, *de juvencula poteſt. Et rurſus mulier*, *quae jam provectae aetatis eſt*, *quamvis adhuc menſtrua fluant*, *ut de ſeniore parere non poſſit*, *de juniore poteſt.* Alio praeterea, quemadmodum ULPIANUS auctor eſt, h legis Juliae de maritandis ordinibus capite, tutor a Praetore urbano ei mulieri, virginive quam ex ea lege nubere oportebat, dari jubebatur ad dotem dandam, dicendam promittendamve, ſi legitimum tutorem pupilla non habebat (*c*). Eoque pertinet, quod idem alias i ſcribit, non tantum ad dotem dandam nupturae curatorem dari oportere, verum etiam ei, quae jam nupta eſt. Ut enim MARTIANUS CAPELLA *lib. IX. de nuptiis Philologiae*, *pag.* 357. ſcribit, etiam matrimonio copulato dotem dare viro femina nullis legibus prohibetur, & PAULUS *lib. II. Sententiar.* k *Dos*, ait, *aut antecedit*, *aut ſequitur matrimonium. Et ideo vel ante nuptias*, *vel poſt dari poteſt.* Sed & ad dotem augendam, & mutandae quoque dotis gratia curator dari poteſt. Plane in nuptiis contrahendis tutoris (*d*) curatoriſve conſenſus non exigitur, eoque ſpreto, pupilla pro arbitrio ſuo recte nubit. Et ita SEVERUS & ANTONINUS reſcripſerunt l in haec verba: *Ad officium curatoris adminiſtratio rerum pupillae pertinet: nubere autem arbitrio ſuo poteſt.* Verum ei ad dotem conſtituendam tutor ex lege Julia dabatur. Quod ſi curator generalis, vel dotis dandae cauſa conſtitutus, amplius doti promiſiſſet, quam facultates mulieris ferrent, ipſo jure eam promiſſionem non valere, TERENTIUS CLEMENS *lib. IV. ad legem Juliam & Pap.* ſcribit, m quia lege rata non habeatur auctoritas dolo malo facta. Qui locus perſpicue indicat, lege Julia id fuiſſe comprehenſum. Nec tamen tota obligatio, ſed tantummodo quod ſuperfluum eſt, & amplius promiſſum, quam promitti oportuerit, infirmabitur. Inutilis enim adjectio utilem dotis conſtitutionem vitiare non debet. Quemadmodum & immodica donatio non omnino, ſed quatenus duntaxat legis modum excedit, revocatur. n Poteſt vero mulier omnia bona ſua in dotem dare: nec ulla lege hoc prohibitum reperitur. o Sed ſi in eo capta circumventaque eſt, quod ampliorem grandioremque, quam natalium ſplendor, & viri dignitas poſtularet, dotem dederit, reſtitutionis auxilium probe implorabit. p Ceterum ſeparabat lex dationem dotis, dictionem & promiſſionem. Dictionem quidem ita CAJUS in *inſtitution. fragment.* explicat: q *Sunt & alias obligationes*, *quae nulla prae-*

* *Fragm. Tit. XVI.* §. I.
g *Lib. III. contra Jul. Pelag. cap. XI.*
h *Tit. de Tutel. XI.* §. 20.
i *L. 7. non tantum. D. de tutor. & curat. dat.*
k *Tit. XXI.* §. I.
l *L. 20. ſciendum. D. de ritu nupt.*
m *L. 61. Sive generalis D. de jure dot.*
n *L. 21. Ut mihi.* §. I. *D. de donationibus. L. 34. Sancimus. in princ. &* §. 3. *Sin autem. Cod. eod. tit.*
o *L. 4. Nulla. Cod. de jure dot. L. 72. mulier. D eod. tit.*
p *L. 9. Si ex cauſa.* §. I. *D. de min. L. un. C. ſi adverſus dotem.*
q *lib. II. cap. IX.* §. 3.

(*a*) PERVENISSET] Confer *Heineccii Comment. ad L. Jul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 15.

(*b*) TRANSISSE] In pleriſque editis AUGUSTINI *Codd.* legitur: *centum non tranſiſſe.* Benedictini vero in ſua *ed.* ediderunt ex MSS. Codd. *centum tranſiſſe*, & ita locum interpretantur: *Quo intelligamus jus liberorum eos conjuges*, *qui liberis carerent*, *non ante habuiſſe*, *quam aetatem illam exceſſiſſent. Hoc ipſi jure poenis orborum liberantur*, *ac poterant*, *non ſecus ac illi*, *quibus erant communes liberi*, *ſolidum capere*, *ex ſuis invicem teſtamentis.* Aliter paullo locum hunc accipiunt *Anton. Schulting.* in *Juriſpr. antejuſt. pag.* 614. & *Heineccius* in laudato *Comment. pag.* 293.

(*c*) HABEBAT] Apud ULPIANUM in optimis Codd. legitur: *ſi legitimum tutorem pupillum habeat.* Confer *Schultingii Juriſpr. antejuſt. pag.* 601. & praeterea de hoc legis capite *Heineccii Comment. lib.* II. *cap.* 13.

(*d*) TUTORIS] De tutore hoc cum auctore non audeo affirmare: ſine tutoris ſaltem auctoritate mulierem in manus convenire non potuiſſe, certum eſt.

praecedente interrogatione contrahi poſſunt, *id eſt*, *ut ſi mulier*, *ſive ſponſo uxor futura*, *ſive jam marito*, *dotem dicat*, *quod tam de mobilibus rebus*, *quam de fundis fieri poteſt. Et non ſolum in hac obligatione ipſa mulier obligabitur*, *ſed & pater ejus*, *& debitor ipſius mulieris*, *ſi pecuniam*, *quam ille debebat*, *ſponſo creditricis ipſe debitor in dotem dixerit. Quae tantum tres perſonae*, *nulla praecedente interrogatione*, *poſſunt dictione dotis legitime obligari* (*a*). Sed ad alia pergamus. Lege etiam Julia de maritandis ordinibus jusjurandum, Paulo teſte, [s] remittebatur, quod liberto in hoc impoſitum erat, ne uxorem duceret; libertae, ne nuberet, ſi modo nuptias contrahere recte vellent (*b*). Eodemque legis capite triceſimo quinto, qui liberos, quos in poteſtate habebant, injuria prohibebant uxores ducere, vel nubere, per magiſtratum cogebantur (*c*). [t] Fuiſſe quoque haec ſere verba eadem lege comprehenſa, non temere adfirmare poſſe mihi videor (*d*): *Divortii faciendi poteſtas libertae*, *quae patrono nupſit*, *invito patrono ne eſto*: *Sed quamdiu patronus eam uxorem eſſe volet*, *& uxor eſſe velle debebit.* Quae verba, ex duobus Ulpiani locis, [t] ex *libro* III. *ad Leg. Jul. & Pap.* ſumptis, perſpicue eliciuntur. Idem etiam alias: [v] *Si liberta*, ait, *ab invito patrono divertit*, *lex Julia de maritandis ordinibus retinet iſtam in matrimonio*, *dum prohibet alii nubere invito patrono.* Indeque etiam reſcriptum Alexandri interpretandum eſt, quod ita habet: [x] *Libertae tuae*, *ducendo eam uxorem*, *dignitatem auxiſti*, *& ideo non eſt cogenda operas tibi praeſtare*, *cum poſſis legis beneficio contentus eſſe*, *quod invito te alii non poſſit juſte nubere.* Patronum autem in hac lege accipimus eum, qui ex ſervitute ſponte manumiſit, vel filium ejus. Sed an is, qui ex cauſa fideicommiſſi manumiſit, hoc idem jus habeat, quaeri poteſt. Hic enim pro patrono habetur, quamquam plurimum ab eo, qui nulla neceſſitate cogente gratuitam praeſtitit libertatem, differt. Nec enim magnam ei gratiam libertus debet, qui vel nolente eo ad libertatem rapitur. Ideoque operas ei imponere, ut eſt ab Adriano reſcriptum, in ipſa manumiſſione non poteſt, [y] niſi teſtatoris filius ejuſmodi fideicommiſſo a patre, ea mente, ut plenum jus patroni haberet, gravatus ſit. [z] In tantum, ut &, ſi manumitti eum ita teſtator, ut operas heredi extraneo promitteret, voluerit, non cogatur manumiſſus promittere: ſed & ſi promiſerit, in eum actio non dabitur, quod juri publico derogare non potuerit, qui fideicommiſſariam libertatem dedit. [a] Et tamen eos, quibus ſupremis judiciis libertas per fideicommiſſum relinquitur, eorum libertos effici, a quibus manumittuntur, negari non poteſt. [b] Sed non per omnia in eos patronorum jura ſibi manumiſſores vindicant. [c] Nam honorem quidem & reverentiam patronis debitam ab iis exigere poſſunt, [d] & in jus ſine venia eos vocare non conceditur, [e] & ad impuberum libertorum legitimam tutelam, utpote manumiſſores, vocantur, [f] & tam contra tabulas, quam ab inteſtato, ad libertorum bona veniunt [g] quaſi patroni. Ceterum nec operas imponendi, ut dixi, nec ingratos libertos accuſandi jus habent, [h] nec alimenta eis praeſtare liberti coguntur. [i] Magis eſt itaque, ut nec legis hujus beneficium habeant, qui neceſſitate coacti manumiſerint. Idque ita conſtitutum fuiſſe Marcellus *lib.* III. *ad. L. Jul. & Pap.* ſcribit. [k] Cui & Modestinus aſſentitur, [l] & merito, cum magis debitam libertatem praeſtitiſſe, quam ullum beneficium in mulierem contuliſſe videantur. Diverſa longe ejus, qui hac lege emit, ut manumittat, cauſa eſt. Hic enim, ſi manumiſerit, ut patronus, hoc jus habebit, [m] propterea quod ſponte ſua hanc legem ſubiit, quam ei ab initio recuſare integrum erat. Quamobrem & ali hic a liberto, ſi egeſtas premat, debet, & in jus vocari ſine venia non poteſt, & omnia omnino legitimorum patronorum jura nanciſcitur. [n] Sed an idem ſervabimus, ſi ceſſante eo, ex Conſtitutione D. Marci ſervus ad libertatem ereptus ſit? Non enim vindictam impoſuit. Propius eſt tamen, & hunc quoque lege contineri: quippe qui patronus exiſtimetur, [o] cum poteſtas legis factum manumiſſoris ſuppleverit, non etiam patronatus

r *L. 6. Adigere. §. ult. D. de jure patron.*
s *L. 19. capite D. de ritu nupt.*
t *L. 45. In eo jure D. de rit. nupt. L. ult. D. de divort.*
v *L. un. §. 1. D. unde vir. & ux.*
x *L. 8. Libertae. C. de op. libert.*
y *L. 7. ut jusjurand. §. 4. reſcript D. de op. libert. L. 5. Mater. C. eod. tit.*
z *l. 29. qui ex cauſa. §. 1. D. de bon. libert.*
a *L. 42. Cordonem. D. de oper. libert.*
b *L. 7. Hi quibus. C. de fideicomm. lib.*
c *L. 24. Nequaquam. D. de excuſ. tut.*
d *L. 5. Mater. C. de op. lib.*
e *L. 9. Is quoque. D. de in jus voc. & d. L. 24. Nequaquam. D. de excuſat.*
f *L. 3. D. de leg. tutor.*
g *L. 29. qui ex cauſa. D de bon. lib. L. 1. C. de bon. poſſ. contr. tab.*
h *L. 1. C. de libert. & eorum liber.* i *L. 5. Si quis a liberis. §. 22. Si quis a liberto. D de lib. agn.* k *L. 50. Proxime. D. de ritu nupt.* l *L. pen. D. de divort.* m *L. 45. in eo. D. de ritu nupt.* n *L. 3. §. 3 ſed ſi hac. D. de bon. lib.* o *L. 10. ſed ſi hac lege. D. de in jus voc. L. 3. §. 3. is plane. D. de ſuis & legit. L. 8. ſervum. in fin. D. de jure patr.*

(*a*) Obligari] De dotis dictione confer, praeter Interpretes ad locum hunc Caji, *Heineccii Comm. l. c.* ejuſque *Syntagma Antiqq. lib.* II. *tit.* 8.

(*b*) Vellent] Confer de hoc capite *Heineccii Comment. lib.* II. *cap.* 16. *pag.* 306.

(*c*) Cogebantur] De hoc quoque capite confer *Heineccii Comment. lib.* II. *cap.* 20.

(*d*) Videor] Eſt *cap.* XIII. legis, juxta diſpoſitionem *Heineccii*, qui paullo aliter, eodem tamen ſenſu, verba concepit, eaque interpretatur in *Comment. lib.* II. *cap.* 12.

natus commoda ademerit. [p] Plane qui ancillam ſuis nummis emit, pro patrono in hoc jure non habetur, [q] ſicut nec libertum ut ingratum accuſare, nec operas ab eo exigere, nec alimenta deſiderare, nec ad bona ejus contra tabulas admitti jure poteſt, [r] licet honos ei ſervetur, ut nec in jus vocari citra veniam, ſi modo non fidem fregerit, queat. [s] Patronus hic certe accipitur, & qui colluſionem detexit, per quam in ingenuitatem quis ex libertinitate obrepſerat. Fraude enim hac patefacta, ejus libertum effici eum minime dubium eſt. [t] Sed & ſi quis praejudicio patronus pronuntiatus eſt, cum alioquin non eſſet, pro patrono habetur. [v] In hac enim cauſa ſententiam jus facere receptum eſt. Aliter atque de eo dicendum eſt, qui ſe patronum eſſe juravit: Nec enim in hac parte, nec quod ad ſucceſſionis jura attinet, pro patrono habetur, [x] tametſi in jus vocari ſine venia non poſſit. Quod ſi filiusfam. juſſu patris, vel conſentiente eo, non caſtrenſis peculii ancillam manumiſerit, exiſtimo, etiam patrem legis beneficio fruiturum, quandoquidem manumiſiſſe ipſe videtur, & patronus eſt. [y] Quod ſi filiusfam. miles in caſtris quaeſitam ancillam manumiſerit, ei legis hujus beneficium competet, cum ſuam, non patris libertam eam fecerit. [z] Quod & ab Adriano reſcriptum dicitur. [a] Et certe caſtrenſis peculii ſervi in ſamilia patris non computantur, nec in his juris quicquam pater habet. Quaeſitum eſt, an, qui ſibi cum alio communem libertam duxit, ad hoc jus admittatur. Quod negaſſe *Javolenum* CAJUS *lib.* VIII. *ad L. Jul. & Pap.* retulit. [b] Contra tamen alios ſentire, quorum ſententiam magis probat, propterea, quod ejus liberta ſit, quamvis alterius quoque ſit. Nam quod commune eſt, pro parte noſtrum eſſe, negari non poteſt. [c] Filio etiam patroni in libertam paternam, eandemque uxorem, ex ſententia legis idem juris, quod patrono ipſi datur. [d] Quod ſi fratri ſuo a patre adſignatam alter frater uxorem duxerit, hoc idem jus non habebit. [e] Nihil enim juris in hujuſmodi liberta habet, quae adſignatione fratris perinde propria facta eſt, [f] atque ſi ab eo libertatem conſecuta eſſet, quod Senatusconſulto inductum eſt. Ceterum de nupta liberta lex loquitur, nec ad ſponſam pertinet. Et ideo ſponſalium conditioni invito patrono renuntiare liberta poteſt, nec cum alio connubium amittit. [g] Interdum plane, quae de nuptiis ſtatuuntur ad ſponſalia porriguntur, nimirum ubi eadem ratio utrobique verſatur, veluti inter quos nuptiae prohibentur, inter eos quoque ſponſalia, utpote viam ad matrimonium facientia, prohibita intelliguntur. [h] At quod de nupta conſtitutum eſt, non protinus ad ſponſam producendum eſt, quoniam arctiori vinculo conſtricta eſt, quae nupſit, quam quae dumtaxat deſponſa eſt. Enimvero in ea demum, quae juſte, legitime ac civiliter nupta eſt, lex locum habet. Nam ſi ignominioſam libertam ſuam patronus duxerit, id eſt, quae quaeſtum corpore fecerit, artemve ludicram exercuerit, vel judicio publico ſit damnata, quia contra legem maritus eſt, legis hujus beneficium non habet. [i] Indignus enim eſt beneficio legis, qui adverſus eam commiſit. [k] Nec tamen legitime dumtaxat nuptam libertam, ſed & eam quoque, quae in concubinatu ſolum patroni ſit, ſententia legis adprehendi notandum eſt. Igitur, quemadmodum ULPIANUS *libro primo ad L. Juliam* ſcribit, [l] quae in concubinatu patroni eſt, ſi ab eo invito diſceſſerit, ei connubium adimetur: quippe cum honeſtius ſit patrono libertam concubinam, quam matremfam. habere (*a*). Ait lex: INVITO PATRONO. Invitum accipere debemus [m] eum, qui non conſenſit ad divortium. Proinde non tantum nolente, & diſſentiente, vel contradicente liberto, divertere non poteſt, ſed omnino ſine ejus aſſenſu. Et alias quoque invitus dicitur, [n] qui conſenſiſſe non probatur, niſi ubi lex conſenſum ex taciturnitate & ſilentio colligit, veluti in dotis repetitione, [o] & in ſponſalibus nuptiiſve conſtituendis. [p] His conſequens eſt, ab abſente & ignorante patrono non recte libertam divertere. *Rectius enim*, ait ULPIANUS, *hic invitus dicitur, quam qui diſſenſit*. Quod dictum novum videri ſuperficiem ſolam verborum inſpicienti poſſet, ſummam tamen rationem habet. Nam qui contrariam voluntatem conteſtati, diſſenſus ſui rationes reddiderunt, multo minus habent, quod querantur, quam quibus ignorantibus res geſtae ſunt: cum iis, quid animi habeant, explicandi facultas non ſit

p *L. 9. Juſta cauſa. §. 1. D. de manum. vindict. L. ult. C. ſi mancip. ita fuer. ali.*
q *L. 45. In eo. §. 2. D. de ritu nupt.*
r *L. 7. Si tuit. C. de oper. libert. L. 5. ſi quis a liberis. §. 22. ſi quis a liberti. D. de lib. adgn. L. 1. C. de bon. lib.*
s *L. 10. ſed ſi hac lege. D. de in jus voc.*
t *L. 8. Adoptivum. §. 1. patronum. D. de in jus voc. L. 4. D. de colluſ. deteg.*
v *L. 8. Adoptivum. §. 1. D. de in jus voc.*
x *L. 14. Si juravero. D. de jure patron.*
y *L. 16. ſi conſentiente. D. de manumiſſionib. L. 22. Pater. D. de manum. vind.*
z *L. 45. In eo. §. 3. D. de ritu nupt.*
a *L. 8. ſervum. D. de jure patr. L. 3. §. 8. ſi quis filiusfam. D. de bon. lib.*
b *L. 46. Illud. D. de ritu nupt.*
c *L. 5. ſervi. §. 1. de legat. 1.*
d *L. 48. filio. D. de ritu nupt.*

e *d. L. 48. filio. §. ult. D. de ritu nupt.* f *L. 1. D. de adſign. lib.* g *L. 45. In eo jure. §. 4. hoc caput. D. de ritu nupt.* h *L. 16. Oratio. D. de ſponſalib.* i *L. 48. filio. §. 1. D. de ritu nupt.* k *l. 37. auxilium. D. de minorib.* l *L. 1. D. de concub.* m *L. 45. In eo. §. 5. deinde. D. de ritu nupt.* n *L. 8. Filiusfam. §. 1. invitus. D. de procuratoribus.* o *L. 2. §. 2. D. ſol. matr.* p *L. 7. In ſponſalibus. in fin. D. de ſponſalibus.*

(*a*) HABERE] Sed confer omnino *Heineccii Comment. l. c. pag.* 250. *ſeq.*

ſit data, ſpretaque ac neglecta ſit, quae exquirenda fuerat, voluntas. Qua de cauſa multa invitis & diſſentientibus aliquibus recte fiunt, quae his abſentibus & ignorantibus facta non tenent: ut accidit, cum tribus judicibus datis, abſente uno, ex his duo pronuntiarunt. Quamquam enim, praeſente eo, & invito, duorum, utpote numero ſuperiorum, ſententia praevaluiſſet, quia tamen omnes convenire ad deliberandum oportuit, idcirco quod abſente uno geſtum eſt, irritum conſtituitur. [q] Forſitan enim, ſi praeſens fuiſſet, qui abfuit, rationum ſuarum pondere ac momento, reliquos de ſententia deducere & in ſuam trahere potuiſſet: quemadmodum de Paphnutio Epiſcopo proditum eſt, [r] qui in Nicaeno Concilio, cum univerſis placeret, a conjugum uſu atque conſortio prohibendos eos quoque, qui ante ſacros ordines ſuſceptos uxores duxiſſent, ſolus interceſſit, orationeque ſua reliquos Epiſcopos, qui prius aliud ſenſerant, in ſuam opinionem adduxit. Merito igitur, ut ad legis ſententiam revertamur, eadem eſt patroni abſentis & ignorantis, quae contradicentis ac reclamantis cauſa. Generaliterque adeo ſtatui poteſt, ignorantes eodem cum diſſentientibus loco habendos eſſe, ac proinde invitis nobis fieri ea exiſtimari, quae ignorantibus nobis fiant, quamquam prohibitio nulla interceſſerit. [s] Ideoque ignorantem invito jungi ſaepius videas. [t] His conſequens eſt, ſi patronus poſt nuptias furere coeperit, ab eo divertendo liberta hujus legis neceſſitate minime ſolvi. [v] Quoniam nec ſcire, nec conſentire, furioſus intelligatur; niſi quod, quae per dementiam patri dotem repetenti contradicere filia non poteſt, conſentire, voluntatem ejus affectu paterno ſupplente, benigne cenſetur. [x] Quamobrem POMPONIUS infantes & furioſos, quorum nulla voluntas eſt, invitos recte dici ajebat. [y] Ait lex: POTESTAS NE ESTO. Quibus verbis non infectum efficit divortium, quod jure civili matrimonium ſolvit, ſed libertae, quae divertit, dotis repetitionem, connubiumque, id eſt, alii jure nubendi poteſtatem adimit: licet conſtare matrimonium dici non poſſit, cum ſit ſeparatum. [z] Divertere igitur liberta poteſt, & eſt quidem divortium, confirmationemque factae inter eos donationis impedit: [a] ſed alii nubendi lex ei poteſtatem denegat ac tollit, quamdiu eam animo uxoris & pro conjuge patronus habeat. Satis enim incivile & inofficioſum eſt, libertam, nuptiis patroni honoratam, & hoc beneficii cumulo auctam, pro arbitrio patronum deſerere. Et ideo bene Imperator ALEXANDER [b] patronum, qui libertam uxorem duxit, legis beneficio contentum eſſe debere reſcripſit, *quod invito eo non poſſit ea alii juſte nubere.* Nec enim dixit, divertere non poſſe, quia nec hoc lex ſenſit. Non tantum autem uxorem alii eſſe non poſſe, ſed nec in concubinatu quidem a quoquam haberi hujuſmodi libertam poſſe, JULIANUS cenſebat: quae hoc impedimento deficiente, jure licito in concubinatu a quovis habeuretur. [c] Plane ſi voluntate patroni liberta diſceſſerit, connubium cum alio habet, & de dote cum patrono agere poteſt, [d] quam ei dedit. Ait lex: QUAMDIU VOLET. Itaque ſi vel patronus eſſe, vel eam conjugem velle deſierit, ſtatim legis auctoritas finitur. Qualiquali autem voluntate intelligi poſſit, patronum animum habere deſiiſſe quaſi in uxorem, legis hujus beneficium amittit. Proinde ſi rerum amotarum cum ea egerit, vel aliqua actione, quae conſtante matrimonio inter eos non detur, vel accuſare eam adulterii deprehenſi coeperit, vel alio crimine poſtulare, quod uxori nemo objicit, vel ſi aliam ſibi deſponderit, deſtinaveritve, aut cum alia matrimonium contraxerit, vel aliam in concubinatu habere inſtituerit, incipit libertae cum alio connubium eſſe, quod ea duntaxat ratione ei adimitur, quod patronus ſibi eam nuptam velit. Quare, ubicunque vel tenuis intellectus videri poteſt nolentis nuptam, alteri ſe liberta vel in matrimonium, vel in concubinatum recte dabit. [e] Ceterum verba haec: QUAMDIU VOLET, tractum habent. [f] Unde dubitari poteſt, ſi patronus ab hoſtibus captus ſit, ſtatimne hujus legis neceſſitate liberta ſolvatur, an etiam exſpectandum ei ſit, dum patronus redeat. Nodus ſane hic vindice dignus. In hujus enim quaeſtionis diſſolutione JULIANUM & ULPIANUM in contrarias ſententias ſciſſos invenio. Verum ipſamet ULPIANI verba ſubjicere praeſtat: [g] *Si ab hoſtibus patronus captus eſſe proponatur, vereor, ne poſſit iſta connubium habere nubendo: quemadmodum haberet, ſi mortuus eſſet. Et qui Juliani ſententiam probant, dicerent, non habituram connubium. Putat enim Julianus, durare ejus libertae matrimonium etiam in captivitate, propter patroni reverentiam. Certe ſi in aliam ſervitutem patronus ſit deductus, procul dubio diſſolutum eſſet matrimonium.* Quae verba apertiſſime oſtendunt, inter Juriſconſultos de hac ſpecie minime conveniſſe. Captivitate enim mariti matrimonium mero jure ſolvitur, [h] quod is in ſervilem cauſam deductus, ſervuſque hoſtium factus, jam pro nullo habeatur. Itaque

TRI-

q *L. 39. duo. D. de re jud. L. 17. §. 7. D. de recept. qui arbitr.*
r *Socrat. lib. 1. cap. XI. Sozom. lib. 1. cap. XXIII.*
s *L. 27. In cauſae. verſic ceterum. D. de procurator.*
t *L. 39. ſolvendo. D. de negot. geſt. L. 46. furioſus. D. de oblig. & act. L. 3. C. de hered. vend. L. 23. Solutione. L. 53. Solvere. D. de ſolutionibus.*
v *L. 45. In eo. §. 5. deinde. D. de ritu nupt.*
x *L. 2. §. 2. voluntatem. D. ſoluto matr.*
y *L. 5. Invitum. D. de ſervit. praed. urb.*
z *L. ult. D. de divort.*
a *L. 62. Et ideo. §. 1. D. de don. int. vir. & ux.*
b *in L. 8. libertat. C. de oper. lib.*
c *L. 3. D. de concubin.*
d *L. 35. Liberta. D. ſoluto matr.*
e *L. ult. §. ult. D. de divortiis.*
f *L. 3. D. ad SC. Tertyl.*
g *L. 45. In eo jure. §. ult. D. de ritu nupt.*
h *Novell. 37.*

Tryphoninus: [i] *Captivi*, ait, *uxor*, *tametſi maxime velit*, *& in domo ejus ſit*, *non tamen in matrimonio eſt.* Similiter Paulus, [k] ſi quis ſic ſtipulatus ſit a marito: *ſi quo caſu Titia tibi nupta eſſe deſierit*, *dotem dabis?* Hac generali commemoratione, & ab hoſtibus capta ea, committi ſtipulationem; eoque genere *bona gratia* ſolvi matrimonium cenſebatur. [l] At Julianus, ſpreta hac ſtricta & ſubtili juris ratione, durare adhuc matrimonium cenſebat, nec licentiam habere libertam, cujus patronus, idemque maritus, ab hoſtibus captus eſſet, ad aliud matrimonium migrare, non tantum propter debitam patrono reverentiam, ſed etiam, ut exiſtimo, propter ſuſpenſum ejus ſtatum, & poſtliminii ſpem. Juliani haec ſententia expreſſis verbis in alio Pandectarum capite conſignata eſt, quod apertiſſimum aut oſcitantiae, aut inſcitiae Triboniani exemplum eſt. Ex libro enim LXII. *Digeſtorum* Juliani haec verba referuntur [m] ſub *tit.* de Divortiis: *Uxores eorum*, *qui in hoſtium poteſtate pervenerunt*, *poſſunt videri nuptarum locum retinere*, *eo ſolo*, *quod alii temere nubere non poſſunt. Et generaliter definiendum eſt*, *donec certum eſt*, *maritum vivere in captivitate conſtitutum*, *nullam habere licentiam uxores eorum migrare ad aliud matrimonium*, *niſi mallent ipſae mulieres cauſam repudii praeſtare. Sin autem in incerto eſt*, *an vivus apud hoſteis teneatur*, *vel morte praeventus: tunc ſi quinquennium a tempore captivitatis exceſſerit*, *licentiam habet mulier ad alias migrare nuptias*, *ita tamen*, *ut bona gratia diſſolutum videatur priſtinum matrimonium: & unuſquiſque ſuum jus habeat imminutum*, *eodem jure & in marito in civitate degente*, *& uxore captiva obſervando.* Sed mihi, dicam ingenue, caput hoc valde ſuſpectum eſt. Nam vix adduci poſſum, ut credam, pura puta eſſe Juliani omnia verba, quae ſub ejus nomine referuntur: quinimo a Triboniano aliquid fermenti eſſe inditum, credibile eſt. Movet me, quod tota haec clauſula: *Sin autem in incerto* &c. nihil aliud continet, quam quod διαῤῥήδην, *expreſſe*, ab ipſo Justiniano conſtitutum eſt *Novell.* 22. *cap.* 7. his verbis: ἀλλὰ καὶ τὸ τῆς αἰχμαλωσίας &c. id eſt, ut ego interpretor: *Captivitatis etiam caſus*, *ad eam matrimonii diſſolutionem*, *quae bona gratia fit*, *pertinet. Sive enim vir eum caſum patiatur*, *uxore in civitate manente; ſive rurſus*, *muliere ab hoſtibus capta*, *vir in civitate remaneat*, *ſtricta quidem & ſubtilis ratio matrimonium ſolvit. Nam ſervitute alterutri ex conjugibus contingente*, *fortunae ſtatuſque ac conditionis inaequalitas ac diſparitas*, *nuptiarum aequalitatem ſtare non patitur. Verumenimvero*, *haec benignius humaniuſque inſpicientes*, *quamdiu quidem captivum conjugem vita frui conſtat*, *diſſolvi matrimonia non concedimus*, *nec ad ſecundas migrare nuptias*, *niſi velint hoc temere facere*, *& ſubjacere poenis injuſti divortii; ut vir quidem ante nuptias donationis*, *uxor vero dotis amiſſione multetur. Quod ſi incertum ſit*, *ſuperſit ne*, *an non*, *quae in militiam abiit perſona*, *tunc quinquennium expectare*, *tam virum*, *quam mulierem; poſt quod*, *ſive certus de morte nuntius afferatur*, *ſive incerto maneat*, *impune nuptias contrahere licet.* Ex quibus colligitur, quinquennium illud, quo expectari abſentis conjugis reditus debet, a Justiniano praeſtitutum eſſe. Hoc enim ille ſibi tribuit, his verbis: θεωρῶντες, & συγχωρῶμεν: quamquam ſequentia verba dubitationem forte lectori moverent, in quibus ita eſt: Καὶ τοῦτο γὰρ δὴ τὸ καλούμενον bona gratia διαλύεσθαι παρὰ τῶν πρὸ ἡμῶν συνηρίθμηται. καὶ ἡμεῖς δὲ εἰς τοῦτο συμφαμὲν, ὥστε ἐντεῦθεν οὐδὲ διαζυγίου γίνεσθαι καιρὸς, οὕτω τῶν προσώπων διεστώτων ἀλλήλων, καὶ οὐδεὶς ἐντεῦθεν κερδαίνει, οὔτε ὁ ἀνὴρ τὴν προῖκα, οὔτε ἡ γυνὴ τὴν πρὸ γάμου δωρεάν. ἀλλ' ἕκαστος ἐπὶ τῶν οἰκείων μένει. id eſt: *Et haec enim ſpecies in his diſſolutionibus nuptiarum*, *quae bona gratia fiebant*, *ab antiquis*, *& qui nos anteceſſerunt*, *numerabatur. Nos quoque in hoc conſentimus*, *ut hinc neque divortii detur occaſio*, *ſic diſtractis a ſeſe perſonis*, *nec aliquis inde lucrum ferat*, *nec vir dotis*, *nec mulier ante nuptias donationis*, *ſed unuſquiſque ſua ſibi habeat.* Quod ſic accipi poteſt, ut per captivitatem quidem bona gratia diſſolvi matrimonium veteres crediderint. Quorum ſententiae Justinianus, adhibito temperamento, quod expoſuimus, accedit. Nam ante eum, quinquennium illud obſervatum non fuiſſe, argumento eſt Constantini Conſtitutio, quae de quadriennio, loquitur, quam, quod cauſae noſtrae jugulum premat, integram ſubjungam. *Uxor*, [n] ait, *quae in militiam profecto marito*, *poſt interventum annorum quatuor*, *nullum ſoſpitatis ejus potuit habere indicium*, *atque ideo de nuptiis aliis cogitavit*, *nec tamen ante nupſit*, *quam libello ducem ſuper hoc ſuo voto convenit: non videtur nuptias iniiſſe furtivas*, *nec dotis amiſſionem ſuſtinere*, *nec capitali poenae eſſe obnoxia*, *quae poſt tam magni temporis jugitatem non temere*, *nec clanculo*, *ſed publice conteſtatione depoſita nupſiſſe firmatur.* Videndum eſt igitur, ne Juſtinianum in Julianum inſuderit Tribonianus, & veteribus nova, more ſuo, permiſcuerit (*a*). Nec

[i] *L.* 12. *In bello.* §. 4. *D. de captiv.*
[k] *L.* 56. *ſi quis ſic ſtipuletur. D. ſolut. matr.*
[l] *Novell.* 37.
[m] *L.* 6. *uxores. D. de divort.*
[n] *L.* 7. *uxor. C. de repud. & de judic. de morib. ſubl.*

(*a*) Permiscuerit] Confer, quae hac de re diſſeruerunt *Jac. Wiſſenbachius*

Nec abeſt ſuſpicio, quin & alio capite, huc quoque ſpectanti, quod ex Pauli *lib.* III. *ad Leg. Jul. & Pap.* deſcriptum eſt, aliquid de ſun inſeruerit (*a*). Ita enim caput habet: o *Non ut a patre filius, ita uxor a marito jure poſtliminii recuperari poteſt: ſed tunc demum, cum & voluerit mulier, & adhuc alii poſt conſtitutum tempus nupta non eſt. Quod ſi noluerit, nulla cauſa probabili interveniente, poenis diſcidii tenebitur.* Nam conſtitutum aliquod tempus fuiſſe ante poſterinres Impp. non legimus. Et eerte Quinctilianus in ficto themate, quod hic practermitti nnn debet, non ceru alicujus temporis meminit: feſtinatio quidem mulieris, quae, morte mariti ſolo rumore intellecta, alii confeſtim nupſerat, ita apud eum notatur: p *Adulteros fuiſſe in matrimonio conſtat: nemo negat. Matrimonium duobus generibus ſolvitur, aut repudio, aut morte alterius. Neque repudiavi, & certe vivo. Sed rumor de morte venit. Haec ſtatim nupſit alio marito. Quid eſt hoc aliud, quam improbius adulterium? Meae igitur nuptiae manſerunt; illae non fuerunt legitimae. Legitimum porro matrimonium, niſi ſoluto priore, eſſe non poteſt. An opinione contenti ſumus?* Et poſtea: *Ergo uxor ſic a me amata, teſtamento relicta heres, audita morte mariti, non inquiſivit, ubi periiſſem: non aliquos certiores nuntios, non reverſuros a ſupremis officiis ſervulos expectavit: Sed feſtinato quoque nupſit, & in novae libidinis amorem, mea judicia protinus eludens, tranſtulit moechum, in eadem domo, in eodem cubiculo, in eodem lecto: adeo mariti prioris etiam memoriam abjecerat. Deſii iſta mirari, cum adulterum vidi juvenem, propter quem tamdiu vidua eſſe non poſſet, quam diu peregrinari poteram ego, qui uxorem ſic amavi.* Temere *profecto, temere in longius ituri, conjuges noſtras domi relinquimus, ſubito abſentum obliviſcuntur, & paene cum ipſis horis uxorum pectora refrigeſcunt. Mirer nunc ego, unde rumor? quae tam maligni mendacii cauſa, cui fingere iſtud expedierit? Ille profecto in cauſa fuit juvenis, qui ad domum meam ductus eſt: quaeſitus eſt locus.* Sed haec, qui acutiore ſunt ingenin praediti, & qui plus otii ad has res ſpeculandas & perſcrutandas habent, diligentius exactiusque, me homine forenſibus negotiis praepeditn, inveſtigabunt, ſatisque habebo, ſi, me veluti claſſicum canente, ad hujus rei accuratiorem diſquiſitionem excitentur. Ut ut ſit, aliam quandam huic quaeſtinni formam Justinianus *Novella* cxvii. dedit: quam *Juliani Patricii* q verbis, quae mentem Juſtiniani perſpicue reddunt, proferam: *Jubemus uxores militum, ſive in expeditionibus degentium, ſive in militiis, ſive milites ſint, ſive foederati, ſive ſcholares, ſive alia qualicunque armata militia decorati, expectare, quantoſcunque annos in expeditione fuerint, etſi nullas literas, nullum reſponſum a maritis* (Sic enim procul dubin legendum) *ſuis receperint. Sin autem talis mulier maritum ſuum defunctum audierit, non liceat ei ſtatim ad alias nuptias pervenire, niſi prius pervenerit aut per ſe, aut per parentes ſuos, aut per aliam qualemcunque perſonam ad priores Numeri & chartularios ſcrinii.* Tutores etiam pupillas ſuas uxores ducere, & filiis ſuis nuptum dare, Senatusconſulto, quod Marci Antonini & Commodi nrationem ſubſecutum eſt, prohibebantur. r Eoque referendum eſt, quod Marcellinus, *Hermogenis* interpres Νόμος, ait, μὴ γαμεῖσθαι τὴν ὀρφανὴν, μήτε τῷ ἐπιτρόπῳ, μήτε τῷ ἐπιτρόπου παιδί. *Lex eſt, neque a tutore, neque a tutoris filio pupillam uxorem duci poſſe.* Cauſam autem harum prohibendarum nuptiarum vel hanc praecipuam fuiſſe invenio, s ne pupillae in re familiari circumſcriberentur ab iis, qui rationes eis geſtae tntelae reddere neceſſe habebant, neve fraudes in tutelae adminiſtratioue commiſſae, hujusmodi domeſtici matrimonii velamento, quo tutelae reddendae ratio inhibebatur, tegerentur, quas palam proferri Reip. expedit. Atque hanc prohibitinnis harum nuptiarum cauſam Principum oratio continebat, t quam Paulus libro ſingulari perſecutus erat. Ceteri etiam Jureconſulti ſatis multis verbis de ejus ſententia egerant. Summa vern eorum, quae ad ejus interpretationem adferri ex eorum conciſis a Triboniano ſcriptis poteſt, haec eſt: Sententia orationis Senatusconſultique cnntineri qunſcunque, qui rationibus reddendis ſnnt obnoxii. Non tantum igitur tutores, adoleſcentumve curatores, ſed & curatores ventri, boniſque dati Senatusconſulto apprehenduntur. Hi quoque, qui tutores quidem non ſunt, periculn tamen tntelae ſuo nomine obſtringuntur, a pupillarum nuptiis arcentur,

o *l. 4. Non ut a patre. D. de captiv. & poſtl.*

p *Quinctilian. declamatione* cccxlvii.

q *Novell. Conſtit.* cviii. *cap.* 387.

Alia nuptiarum impedimenta.

r *L.* 59. *Senatusconſulto. D. de ritu nupt.*

s *L.* 64. *libertum.* §. 1. *D. de ritu nupt. L.* 7. *ſi tutor. C. de inter. matr.*

t *L.* 67. *Non ſolum.* §. 1. & 3. *D. de ritu nupt.*

in *Emblem. Tribon. pag.* 62. *ſeqq.* & *Jo. Wybo* in *Tribon. defenſo, pag.* 299. *ſeqq. ed. Halenſ. Corn. van Bynkershoek* in *Praefat.* ad *Tom.* II. *Obſervatt.* I. *e. plag.* b. *pag. ver. ed. Halenſ.*

(*a*) Inseruerit] Ita etiam conſent *Jac. Cujacius* ad *Nov.* xxii. *Jac. Wiſſenbachius* in *Emblem. Trib. pag.* 58. *ed. Hal. nov. Jo. Gottl. Heineccius* in *Comm.* ad *L. Jul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 19. *pag.* 331. *ſeq.*

centur, quales ſunt, qui falſis allegationibus a tutela ſe excuſaverunt. [v] Ad eos enim, poſtquam religionem jus dicentis circumveniſſe eos conſtiterit, periculum adminiſtrationis exinde pertinet, ex quo dati ſunt. [x] Idemque & in honorariorum tutorum perſona ſervandum eſt. Nam & hi male geſtae tutelae periculum praeſtant. [y] Heredes quoque tutorum, licet extranei, quoniam rationes reddere debent, Senatusconſulti prohibitione concluduntur. [z] Ac vel ejus, qui tutor curatorve datus, non juſte provocaverit, heres quandoque victus, quia praeteriti temporis damnum, ſi quod pupilla paſſa ſit, adgnoſcere debet, ad orationem pertinet. [a] Alia eſt ejus, qui pro tutore curatoreve, cum re vera tutor curatorve non ſit, negotia adminiſtrat, cauſa. Hunc enim, cum nomine tenus, quod ſibi falſo uſurpat, tutor ſit, a pupillae, cujus res geſſit, nuptiis repelli Leoni & Anthemio diſplicuit. [b] Et certe in toto fere jure eorum adminiſtratio diverſam a tutorum adminiſtratione rationem habet. [c] Fidejuſſores plane, nominatoresque tutorum, aut qui eos dedere magiſtratus, licet deficientibus tutoribus, in tutelae periculum incidant, quia tamen ex alterius perſona hoc incommodi eis accedit, Senatusconſulto non continentur. Quod vero Senatusconſulti verbis cavebatur, ne uxorem tutor pupillam ſuam duceret, ſic acceptum eſt, ut ne deſponderi quidem poſſit. [d] Sed nec filiis ſuis modo, verum etiam nepotibus nuptum dare pupillas ſuas tutores prohibiti intelliguntur. Quanquam enim de filiis duntaxat oratio loqueretur, ad nepotes tamen interpretatione producta eſt: quod prohibitionis eadem circa illos, quae circa filios, ratio verſetur, licet ſi propriam verborum ſignificationem ſpectemus, filiorum appellatio nepotes non complectatur. Nihil autem intereſt, [e] filii ſui juris, an in patris poteſtate, tutorisve, vel curatoris ſint. Naturales etiam liberi, licet in adoptionem dati, & in alienam familiam tranſlati ſint, Senatusconſulto tamen comprehenduntur: [f] Adoptivi vero tamdiu, quoad de poteſtate dimittantur. Emancipatione enim adoptionis jura in totum perimuntur atque evaneſcunt. [g] Ad Senatusconſultum quoque libertum pertinere placuit, qui filio ſuo naturali, quem in ſervitute ſuſceperat, poſtea manumiſſo, pupillam ſuam in matrimonio collocat. [h] Nec vivo demum tutore, verum etiam poſt mortem ejus filius tutoris prohibetur eam uxorem ducere, cujus tutelae rationi pater obſtrictus fuit, ſive heres ei extiterit, ſive abſtinuerit, aut etiam exheres ſcriptus ſit. Nam & fieri poteſt, ut per fraudem in eum collata bona patris propter tutelam revocari oporteat. [i] Quod ſi avus tutelam geſſerit neptis, ex filio emancipato natae, nepti ex altero filio eam recte collocabit, cum hoc factum ſuſpicione propter parem affectionis ſtimulum vacet. Sed & ſi filiusfam. tutor puellae, vel curator ſit, (poteſt enim [k]) patri ejus, fratrive, qui in ejuſdem patris poteſtate eſt, pupillam non recte nuptum dabit. [l] Patriae namque poteſtatis vinculo unius prope ejuſdemque loco hae inter ſe perſonae habentur. [m] Quamquam autem in arbitrio matris pater eſſe voluerit, cui nuptum filia communis collocaretur, non tamen ea tutorem ejus eligere poterit: cum contra voluntatem patris hoc ea facere videatur, qui ideo maxime eam praetulit, ne filiae nuptias tutori committeret.

Concludamus igitur, non eſſe matrimonium, ſi tutor, vel curator, pupillam ſuam, vel adultam, vel eam, cui adminiſtrationis rationes reddere debet, ſibi, liberiſve ſuis junxerit. Ex quo ſequitur, ut cum ceſſet matrimonium, nec dos eſſe intelligatur. [n] Conſequens eſt etiam, ob res, conſtante hujuſmodi qualiquali conjunctione, diſcidii conſilii ſubreptas, rerum amotarum actionem denegari, [o] quae divortii nimirum, quo juſta matrimonia dirimuntur, cauſa competens, ad illicitam conjunctionem non pertinet. Qua ratione motus quis, nec ſine colore, inter hujuſmodi perſonas factas donationes, matrimonii impedimento deficiente, valere diceret. [p] Sed cum quaſi ad conjuges, non quaſi ad extraneas perſonas fiant, nec ut ſponſis factae, quoniam & hic ſponſalia improbantur, conſiſtere poſſint, idcirco placuit, quaſi ab indignis ea, quae donata ſunt, ablata fiſco vindicari, Delinquunt enim, qui Senatuſconſulto vetitas nuptias contrahunt. [q] Plane ex teſtamento tutoris, in cujus matrimonium convenerit pupilla, ſibi relicta capiet, nec quaſi indigna repelletur. Contra tutor ex ejus teſtamento capere nihil poterit. [r] Hoc tam varie, quod non ut tutori, ita pupillae a tutore ſuo circumſcriptae, illicitarum nuptiarum adverſus ampliſſimi ordinis

[v] *L. 60. ſi quis tutor. D. de ritu nupt.*
[x] *L. 1. 2. & 3. C. ſi ex falſis allegat. §. ult. Inſtit. de excuſ. tut.*
[y] *L. 14. quod ſi forte. §. 1. D. de ſolution.*
[z] *L. 64. Libertum. §. 1. D. de ritu nupt.*
[a] *L. 60. ſi quis tutor. §. ult. D. de ritu nupt.*
[b] *L. ult. C. de interd. matr.*
[c] *L. 2. Palam. §. 24. ſi quis non tutor. D. de doli except. L. 1. §. 3. Cum ee. l. 2. D. de eo, qui pro tutor. l. 28. debitores. D. de ſolutionib.*
[d] *L. 60. Si quis tutor. §. 5. quamvis. D. de ritu nupt.*
[e] *L. 66. non eſt matrimonium. D. de ritu nupt.*
[f] *L. 60. Si quis tutor. §. 5. quamvis. & §. 7. naturales. eod. tit.*
[g] *L. 55. quin etiam. in fin. D. eod. tit.*
[h] *L. 4. libertinum. C. de interd. matr.*
[i] *L. 67. Non ſolum. D. de ritu nupt.*
[k] *L. 6. & 21. ſi filiusfam. D. de tut. & rat. diſt. L. 37. Tutorem. §. 2. D. de adm. tutor.*
[l] *L. 67. Non ſolum. §. 2. ſed etſi filiusfam. D. de ritu nupt.*
[m] *§. 4. Ei vero. Inſtit. de inutilib. ſtip. L. 38. frater a fratre. D. de condict. indeb.*
[n] *L. 2. D. de jure dot.*
[o] *L. 17. ſi concubina. D. rer. amotar.*
[p] *L. 32. cum hic ſtatus. §. ult. D. de donat. int. vir. & ux.*
[q] *L. 3. §. 1. D. de donation. int. vir.*
[r] *L. ult. D. de legat. 2. l. 1. & 2. D. de his, quae ut indign.*

dinis decretum contractarum crimen objici imputarique poſſit. Pupilla ergo, ut nullius culpae adfinis, legatum, quod teſtamento tutoris meruerit, conſequitur. Per contrarium vero tutor, merito indignus, cui occaſione hujus conjunctionis lucri commodique aliquid quaeratur, a petitione legati teſtamento pupillae ſibi relicti ſubmovetur. Verum cur infirmatur pupillae a tutore, cum quo in matrimonium coiit, facta donatio; legatum vero teſtamento datum ſuſtinetur? Differentiae inter hanc & illam ſpeciem ratio forte eſt, quod, quae inter conjuges fit, matrimonii praetextu, intuitu, contemplationeque fieri intelligitur donatio. Ceſſante ergo matrimonio, quod donationi locum facit, cauſamque praeſtat, vires habere huic caduco innixa fundamento donatio non poteſt: At, quod teſtamento relinquitur, cum non ita matrimonio acceptum feratur, ſed & ob meritum extrinſecus accedere cenſeatur, [s] ex ejus ſolius vitio, qui teſtamenti honore indignus habetur, corruit. Quo fit, ut pupillae, cui contra atque tutori, peccati hujus propter aetatis ſexuſque infirmitatem legumqne imperitiam venia tribuitur, eorum, quae teſtamento tutoris meruerit, perſecutio non denegetur. Creditur tamen cum his, quae diximus, CERVIDII SCAEVOLAE reſponſum pugnare, quo fructuum, quos mulier uſusfructus ſibi a viro relicti nomine perceperit, repetitionem heredibus dandam reſpondit, [t] ſi poſtea illicitum fuiſſe matrimonium pronuntietur. Sed non eſt eadem omnium injuſtorum matrimoniorum ratio atque cauſa. Nam pupillae quidem, quae laqueis tutoris irretita, ejuſque vinculis conſtricta, Senatuſconſultum offendit, culpa excuſata eſt; non aeque vero ceteris mulieribus, quae inhoneſtis illicitiſque ſe nuptiis maculaverint, parcimus. Itaque non eo minus verum eſt, quod generaliter definitur, [v] nihil propter injuſtum matrimonium capi poſſe, & quod ab herede ignorante perperam ſolutum fuerit, id condici poſſe. Verumenimvero exceptiones quaſdam Senatuſconſultum patitur. Una eſt, ſi deſponſata a patre, vel teſtamento deſtinata denominatave ſit puella tutori, filiove ejus. Hanc enim patris voluntatem, quem hujuſmodi conditionem filiae quaeſiſſe, ſpectata prius planeque perſpecta ac cognita futuri generi integritate atque fide, veriſimile eſt, ad exitum perduci Senatuſconſultum non impedit. [x] Altera eſt, ſi rationes tutor curatorve reddiderit, & id temporis effluxerit, quo in integrum reſtitutionem pupilla impetrare poſſit. Ante conſtitutum enim petendae in integrum reſtitutionis tempus pupillam ſuam rationibus reddidit uxorem ducere, nec matrem qnidem ex alio matrimonio factam poteſt. [y] Ex praetoris antem edicto olim poſt XXV. annos utilis annus ad petendam in integrum reſtitutionem, concedebatur. Ideoque cum MARCELLOS in hac quaeſtione annum viceſimum ſextum nominat, [z] utilem, non continuum, accipere vel ex ipſis diſertis TRYPHONINI, [a] VALERIANIQUE [b] Imperatoris verbis debemus. At hunc utilem annum JUSTINIANUS in continuum quadriennium tandem mutavit. [c] Pupillae utique, quae ante redditam ſibi tutelam deceſſerit, filiam tutor in matrimonium filio ſuo collocare non vetatur, quoniam rationum reddendarum obligatio aeris alieni hereditarii vicem ſimilitudinemque repraeſentat, ac ſuſtinet, proindeque non minus cum tutoris, quam cum cujuſlibet alterius debitoris filio, nuptias ea recte contrahit. [d] Mater etiam pupillae cum tutore filiae ſuae vel filio tutoris, nuptias contrahere non prohibetur. [e] Sed nec tutores pupillis ſuis, vel curatores adultis, filias ſuas nepteſve nuptum dare vetantur. [f] Nulla enim ex hoc matrimonio pupillarium rationum interverſio contingere poteſt, cui praecipue periculo proſpicere Senatus voluit. Item, qui ei, quam in matrimonio habebat, abſens & ignorans cnrator conſtitutus eſt, in Senatuſconſulti poenam non incidit, dum tamen alius in ejus locnm ſubſtituatur, ne maritorum ignorantia fraus ampliſſimi ordinis conſulto qnaeratnr. [g] Quamquam enim curae datio non teneat, propterea, quod uxori ſuae maritus curator creari non poſſit, [h] tamen ſatagere ille debet, ut alius ei curator detur. Nam & qui non jure tutores curatoreſve dantur, curare debent, [i] ut alii in eorum locum ſufficiantur, aut certe pupilli propinquos ac neceſſarios certiores facere, ut alium ei tutorem petant, ne pupilli utilitates ac negotia deſerantur. Proinde cum ALEXANDRO propoſitum eſſet, nurui ſocerum poſt liberos ex matrimonio ſuſceptos curatorem datum, matrimonium quidem rite ab initio contractum non vitiari, juſtoſque eſſe ex ea quaeſitos liberos reſcripſit; [k] verum omnis ſcrupuli amovendi cauſa inſiſtere ſocerum debere, ut alius ejus loco daretur. Qua de ſpecie etiam

s L. 9. *Nec adjecit. D. pro ſocio.*

t L. 27. *uxori. D. de uſuſfruct. leg.*

v L. 1. *D. unde vir. & uxor. l. 13. Claudius. D. de his, quae ut indign. l. 4. Qui contra. C. de inceſt. nupt.*

x L. 66. *non eſt matrimonium. D. de ritu nupt. L. 6. ſi patris. C. de interd. matr. l. 7. qui pupillam. D. ad legem Jul. de adult.*

y L. 62. *Quamquam. §. 1. D. de ritu nupt.*

z *In l. 7. qui pupillam. D. ad L. Jul. de adulter.*

a *In l. 28. filius. §. 3. ſi quis eo tempore. D. de liber. & poſt.*

b L. 6. *ſi patrit. C. de interd. matr.*

c L. *ult. C. de tempor. in integr. reſtit.*

d L. 67. *Non ſolum. §. 5. D. de ritu nupt.*

e L. 2. *C. de interd. matr.*

f L. 64. *Libertum. in fin. D. de ritu nupt. L. 5. curatorem. C. de interdict. matr.*

g L. 4. *Ampliſſimi. C. de excuſ. tut.*

h L. 2. *Maritus. C. qui dare tutor. L. 14. vir. D. de cur. furioſ.*

i L. 1. §. *ult. D. de eo, qui pro tut. l. 39. tutores. §. 2. qui ſe. D. de adm. tut.*

k L. 3. *Cum proponas. C. de interd. matr.*

iam conſulti per epiſtolam IMPP. GALLIENUS & VALERIANUS in haec verba reſcripſerunt: [l] *Licet orationis ſub Divo Marco habitae verba deficiant, is tamen, qui poſt contractas nuptias nurui ſuae curator datus eſt, excuſare ſe debet, ne manifeſtam ſententiam ejus offendat, & labem pudoris contrahat.* Poena autem tutoris, qui Senatusconſulto vetitas nuptias copulavit, ea eſt, ut ei infamiae nota veluti de tutela confeſſo inuratur, [m] quod hujuſmodi conjunctione fraudem adminiſtrationis tegere laboraverit. Corporalis quoque ei pecuniariave extra ordinem pro dignitate pupillae coërcitio imminet. [n] Quin etiam lege Julia de adulteriis, qui pupillam illicite duxerit, tutor poſtulari poteſt. [o] Poſtremo relegatione plectendum libertum, eundemque tutorem patronae ſuae, Senatus cenſuit, [p] qui eam ſibi filiove ſuo in matrimonio collocaſſet. Nec vero poenas has ruſticitatis imperitiacve velamento deprecari quemquam poſſe Impp. reſcripſerunt. [q] In his enim, quae malo more, nefarieque geruntur, ruſticitatis excuſatio non accipitur, [r] cui in his demum, quae ex meris civilis juris praeceptis pendent, parci ſolet. [s] Imperitiam autem in Impp. reſcripto juris legumque inſcitiam accipio, quae, ut *Accurſii* objectione diluam, in maſculis ferenda non eſt, aliter atque in feminis, qoae inceſti, in quo ſola juris obſervatio intervenit, poenas non timent, ob conceſſam eis juris ignorantiam, propter quam poenam quidem eis remitti, non item illicitam conjunctionem retineri cenſeo. Nam & citra exiſtimationis ſuae damnum dotis in ejus matrimonii cauſam datae condictionem pupilla habet. [t] MANDATIS quoque principalibus praeſides provinciarum, procuratores Caeſaris, praefecti cohortis, aut equitum, Tribuni, & omnes omnino, qui aliquod in provincia officium gerunt, inde oriundam, vel ibi domicilium habentem, ubi adminiſtrant, feminam ducere prohibentur, [v] potentatus, ut PAPINIANUS ait, ratione, ne videlicet potentia ſua, in qua conſtituti ſunt, ad vim abutentes, matrimonia ſibi arbitrio nutuque ſuo concilient, trahantque ac rapiant verius, quam ducant. Qua de cauſa & eis in ea provincia, in qua adminiſtrant, emere foenuſve exercere, mutuamque pecuniam dare non licet. [x] Hujuſmodi ergo matrimonia adverſus mandata contracta perinde nulla ſunt, atque ea, quae contra ampliſſimi ordinis decretum à tutoribus eorumque liberis contrahuntur. Quo fit, ut cum matrimonium non conſiſtat, nec dos ſit, nec rerum amotarum actio inter eas perſonas, quae ita coierint, detur. [y] Nec tamen, quia nuptiae non ſint, eo magis donationes inter eos factae ratae erunt, [z] ne ex delicto ſuo lucrum ferant, meliorque ſit in legem committentium, quam eorum, qui ſecundum praecepta legum in matrimonium conveniunt, conditio. [a] Utique enim prohibitas nuptias contrahentes peccare delinquereque intelliguntur. [b] Et ideo magis eſt, ut quae ita donata fuerint, quaſi ab indignis ablata, fiſco vindicentur. [c] Exemplo certe pupillae, tutori liberiſve ejus nuptae provincialis mulier, quae contra mandata provinciae rectori nupſerit, ex viri teſtamento capiet. Imperatores autem GRATIANUS, VALENTINIANUS & THEODOSIUS quod de adminiſtrantibus veteri jure cautum erat, ad adminiſtrantium liberos, propinquos, comites, conſiliarios, domeſticos porrexerunt. [d] Quos & arrharum ſponſalitiarum, in matrimonii argumentum datarum, diſpendio multant. Qua in parte juri antiquo derogare eos fortaſſis exiſtimet, qui penitus non inſpexerit. Nam ad arrharum acceptarum reſtitutionem mulierem, quae finita adminiſtratione nuptias implere nolit, adigi PAULUS indicat: [e] Id quod *Accurſium* cruciat, qui in hujus modi diſſolutione tanquam in ſalebra haeret. Nos, ut ejus haeſitationi certa & vera diſtinctione medeamur, multum intereſſe dicemus ſponſaliane ſola, an vero nuptias provinciarum rectores, arrhis datis, tum, cum provinciam cum imperio obtinerent, contraxerint. A perfectis ſiquidem & conſummatis nuptiis, quas mandata principalia ſtare non patiuntur, mulieribus provincialibus abire ac recedere, etiam cum arrharum lucro, Impp. permittunt. At ſi in provincia ſponſalia duntaxat contracta ſint, quia nihil in ea re, contra mandata peccatum eſt, quae hujuſmodi conditioni renuntiare volet, acceptas arrhas reſtituere jure ac merito debet. Et haec eſt inter Impp. Conſtitutionem, Paulique locum ab *Accurſio* non animadverſa differentia (z). Nuptiis enim duntaxat, non etiam ſponſalibus, qui in

[l] *In* L. 17. *Licet. C. de excuſ. tut.*
[m] L. 4. *Ampliſſimi. C. de excuſ. tutel.* L. 66. *non eſt matrimonium. D. de ritu nupt.*
[n] L. 7. *ſi tutor. C. de interd. matr.*
[o] L. 7. *qui pupillam. D. ad L. Jul. de adult.*
[p] L. 64. *Libertum. D. de ritu nupt.*
[q] L. 1. *C. de interd. matr.*
[r] L. 2. *C. de in jus voc.*
[s] L. 7. *ſi quis id quod. D. de juriſdiction. omnium. jud. L. 2. D. ſi quis in jus voc. non ier. l. ult. C. de teſtam.*
[t] L. 7. *ſi tutor. C. de interd. matr.*
[v] L. 38. *ſi quis officium. l. 63. praefectus. D. de ritu nupt.*
[x] L. 46. *Aufertur. §. 2. quod a praeſide. D. de jure fiſc. l. 1. C. de contrah. judic. l. 31. principalibus. D. de reb. cred. ſi cert. pet. l. 3. eod. C. ſi cert. pet.*
[y] L. 17. *ſi concubina. D. rer. amot.*
[z] L. 32. *Cum hic ſtatus. §. ult. de donat. int. vir.*
[a] L. 3. §. 1. *D. de donat. int. vir.* [b] L. *ult. D. de legat.* 1. [c] L. 32. *Cum ſtatus. §. ult. D. de donat. int. vir.* [d] *l. 1. C. ſi rector. provincial.* [e] L. 38. *ſi quis officium. D. de ritu nupt.*

(*a*) DIFFERENTIA] Sed hanc auctoris ſententiam refutavit *Jac. Gothofredus* in *Comment. ad L. un. ſi prov. rector.* in *C. Theod. lib.* III. *tit.* 6. (quae eadem eſt cum *L. un. C. Juſtin. ſi rector prov.*) exiſtimatque, in *L. 38. D. de ritu nupt.* jus potius antiquum contineri, quod per laudatam poſtea Conſtitutionem mutatum fuit.

in provincia aliquod officium gerebant, interdicebantur. Quin etiam deſponſam ſibi, antequam in provinciam mitterentur, uxorem illic ducere non prohibebantur, [f] utpote ceſſante ea, quae ſibi eos in provinciis ſuis matrimonia conciliare vetabat, ratione. Sed etſi contra mandata in provincia matrimonium contractum eſſet, poſt depoſitum tamen officium, ſi in eadem voluntate uterque perſeveraret, juſtae efficiebantur, quae ab initio non conſtiterant, nuptiae. Indeque poſtea, ut ex juſto matrimonio editi, liberi juſti legitimique patri fiebant, quemadmodum Paoloa *lib.* v. *Reſponſorum* tradit, [g] qui a Gordiano teſtis laudatur. [h] Plane filiabus ſuis conditionem in provincia quaerere, eaſque in matrimonium collocare, & dotem eis conſtituere non prohibebantur, qui in provinciis praeerant: [i] filiis vero uxorem provincialem ducentibus conſentire auctoritatemque praeſtare minime poterant. [k] De cujus varietatis ratione ſi mihi liquere negem, inſcitiam meam potius, quam antiquorum inconſtantiam prodam. Quorum etſi mentem mihi plane perſpectam eſſe ac cognitam adfirmare non auſim, tamen quatenus cum conjectura aſſequi licet, duplici eos ratione adductos credo. Primum enim praeſumptum habuiſſe exiſtimo, patrem impenſiore affectu majorique contentione in conditione filio quaerenda, quam in filia nuptum collocanda laboraturum. Nam filiae quidem in manum mariti mancipiumque tranſeuntes familiae ſuae finem adferunt: per filios vero cum nomine paterna familia propagatur. Ne vero, filiorum amore, domuſque amplificandae ſtudio, ad matrimonia filiis concilianda ſua poteſtate abuterentur, frenis quibuſdam ac habenis cohibendam eſſe eam potentiam cenſuerunt, nihil quicquam tale eos filiarum cauſa attentaturos rati. Huic rei argumento eſt, quod filiam ſuam pupillo ſuo tutor in matrimonium collocare non prohibetur: [l] filio vero ſuo pupillam in matrimonium collocare prohibetur. Licet ergo tam in filiae, quam filii nuptiis, auctoritas patris intercedere deberet, verendam tamen magis eſſe praeſidis in collocando filio, quam in filia nuptum danda impreſſionem prudentes cenſuere. Alia quoque veteres ratio in hoc jure ſtatuendo movere potuit, quam *Cyno*, *Ludovico Romano*, & noſtri ſeculi Varroni πολυγραφωτάτῳ D. *And. Tiraquello*, gentili & populari meo, cujus memoriam ſancte ac religioſe, pro eo, ac debeo, colo, placuiſſe video. Difficilis nimirum virginalis pudicitiae cuſtodia, cui adſervandae continendaeque ne Argi quidem lumina plerumque ſufficiunt. Cavendum enim forte (nihil enim praeter conjecturam habemus) prudentes cogitarunt, ne dum paternae adminiſtrationia exitus expectatur, interim filia jam matura viro, & plenis nubilis annis, aetatis lubrico, ſexuſve infirmitate, vel amoris facibus, aliquod dedecus admittat. Cui malo obviam ut irent, patri liberam conditionis filiae quaerendae poteſtatem, vel ipſo adminiſtrationis ſuae tempore, relinquendam eſſe cenſuerunt. Et certe probabile eſt, ſubiiſſe animos veterum illam cogitationem, puellarum nuptias non aeque ac maſculorum conjugia protrahi ac differri poſſe, moramque nullam nuptiarum tempeſtivitati, ſi famae ac caſtitati puellarum conſultum velimus, fieri oportere. Qua eadem ratione filiam ſuam pupillo jam adulto nuptum dare, ſi tam adulto, quam puellae, hae nuptiae cordi ſint, tutori permiſere, ne forte in longius tempus protractis nuptiis, vel morae impatientia, vel amaſii illecebris, in aliquod probrum prolabatur, ex quo ei, generique, ac toti familiae labea ac macula aliqua, quae deinde elui non poſſit, aſpergatur. At maſculorum conjunctionem, quae citra periculum exiſtimationiſque damnum proferri poſſit, inhibendam ob impreſſionis metum merito in ſuperioribus ſpeciebus cenſuerunt. Juvat hanc rationem, quod alias quoque in hoc nuptiali jure diverſam maſculorum ac feminarum cauſam juris auctores conſtituunt. Nam puellae quidem poſt xxv. annum, non item maſculi, impune citra parentum conſenſum matrimonia contrahunt. Eodemque refert *Accurſius*, quod ex Paulo recenſetur, Nepoti uxorem ducenti, & avum, & filium conſentire debere: nepti vero nubenti, voluntatem auctoritatemque avi ſufficere (*a*). [m]

Tempus eſt autem, ut ad ea injuſtarum nuptiarum genera, quae naturali ratione, ſanguiniſque jure prohibentur, noſtra ſe convertat oratio. Qua in quaeſtione

f *d. L.* 38. *ſi quis officium. §.* 1. *D. de ritu nupt.*
g L. 65. *eos qui. §.* 1. *D. de ritu nupt.*
h L. 6. *Etſi contra. C. de nuptiis.*
i L. 32. *ſi quis officium. §.ult. D. de ritu nupt.*
k L. 57. *qui in provincia. D. eod.*
l L. 64. *libertum. §.ult. D. de ritu nupt.*
m L. 16. *Oratione. §.* 1. *D. de ritu nupt.*

(*a*) Sufficere] Poſſunt & aliae differentiae hujus juris rationes reddi, quas vide apud *Jac. Gothofredum l. c.* Mihi ſimpliciſſima ratio eſſe videtur, quod maſculi, eorumque patres, nuptias ambire ſoleant; feminae vero, earumque parentes, non tam ambiant, quam potius oblatam conditionem accipiant. Neque erat credibile, patrem alicui filiam ſuam voluiſſe obtrudere, quum ſic propriae filiae peſſime conſuluiſſet: quod ſecus eſt in filio. Poſtea tamen hocce diſcrimen per *Novellam* Leonis xxiii. fuiſſe penitus ſublatum, ultimo loco notavit *Jac. Gothofredus l. c.*

ne fixum ſit hoc ratumque principium, ex gradu adſcendentium deſcendentiumque in infinitum duci uxores non poſſe: & inter eas perſonas, quae parentum liberorumve locum inter ſe obtinent, inceſtas ac nefarias nuptias eſſe. [n] Veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem, matrem & filium, vel aviam & nepotem, & uſque in infinitum. Nec intereſt, ex juſtis nuptiis ejuſmodi perſonarum conjunctio deſcendat, an non. [o] Nam & ex ancilla ſuſceptam & vulgo quaeſitam filiam ducere genitori minime conceditur, ſervileſque adeo cognationes in hoc nuptiali jure obſervantur, [p] cum contra naturale jus, pudoremque ſit, a patre filiam quomodocumque quaeſitam duci. Proinde in his quidem ſpeciebus inceſtum jure gentium committi conſtat, [q] cujus veniam ſexus infirmitate deprecari mulieres non poſſunt, [r] cum naturali jure, cujus, utpote non ſcripti, ſed nati, ignorantia defendi nequeunt, prohibitam rem admiſerint. Nec enim ſexui, nec ruſticitati in his parcitur, a quibus naturalis nos ratio, animis noſtris divinitus indita atque impreſſa, avocat. Foeditas vero illarum conjunctionum lucet ipſa per ſe, ut, qui in ea flagitia prolabitur, humanitatem ipſam exuiſſe videatur. Ciceroni utique inceſtum cum filia Q. Fuſius Calenus apud DIONEM *lib.* XLVI. *pag.* 303. objicit his verbis: *Καὶ πρόσετι καὶ τὸ στόμα αὐτοῦ διαβάλλειν ἐπιχειρεῖ, τοιαύτῃ ἀσελγείᾳ καὶ ἀκαθαρσίᾳ παρὰ πάντα τὸν βίον χρώμενος, ὥστε μηδὲ τῶν συγγενεστάτων ἀπέχεσθαι, ἀλλὰ τήν τε γυναῖκα προαγωγεύειν, καὶ τὴν θυγατέρα μοιχεύειν. Os etiam Antonii turpitudinis inſimulare inſtituit, ipſe per omnem vitam in tantam libidinem & impuritatem projectus, ut ne a proximis abſtinuerit, uxorem proſtituerit, cum filia inceſtum commiſerit.* Quo nomine & eum SALLUSTIUS in *Declamatione* ita inſectatur: *Verum, ut opinor, ſplendor domeſticus tibi animos attollit: uxor ſacrilega, ac perjuriis delibuta, filia matris pellex, tibi jucundior atque obſequentior, quam parenti par eſt.* Meminit SUETONIUS in *Domitiano* [s] Ocellatarum ſororum, & Varonillae, Veſtalium, inceſti accuſatarum (*a*). Quin fertur Philadelphus a Sotade cujuſdam enormis cum ſorore Arſinoë commixtionis inſimulatus, cum eum diceret *in foramen non juſtum ſtimulum immittere*, εἰς τρυμαλιὰν οὐχ ὁσίην τὸ κέντρον ὠθεῖν, ut meminit PLUTARCHUS in libro *de liber. educ. cap.* 13. (*al.* 14. *pag.* 11.) Praedicabat etiam Caligula, matrem ſuam ex inceſto, quod Auguſtus cum filia Julia commiſiſſet, procreatam. [t] Ac nec cum his quidem perſonis, quae vel adfinitatis ratione, parentum liberorumve vicem repraeſentant ac ſuſtinent, juſtae ſunt nuptiae (*b*). Quare nec novercam, nec proavi noſtri uxorem, nec ſocrum, id eſt, uxoris noſtrae matrem, nec ejuſdem aviam, proaviam ducere licet. [v] Cujuſmodi nuptias CICERO *pro Cluentio Avito cap.* 5. ſic exagitat: *Lectum illum genialem, quem triennio ante filiae nubenti ſtraverat, in eadem domo ſibi ornari & ſterni, expulſa atque exturbata filia, jubet. Nubit genero ſocrus, auſpicibus nullis, nullis auctoribus, funeſtis ominibus. O mulieris ſcelus incredibile, & praeter hanc unam in omni vita inauditum! O libidinem effrenatam & indomitam! O audaciam ſingularem!* Narrat quidem SUETONIUS, in *Tib. cap.* 35. Tiberium equiti Romano jurisjurandi gratiam feciſſe, ita ut ei liceret uxorem in ſtupro generi deprehenſam dimittere, cum ſe eam numquam repudiaturum ante juraſſet. Plane duplicem cauſam, cur novercam uxorem ducere non liceat, PHILO JUDAEUS in *libro poſteriori* περὶ τῶν ἐν εἴδει νόμων, *de legibus ſpecialibus*, *pag.* 779. reddit: Διά τε, ait, τὴν εἰς τὸν πατέρα τιμήν, καὶ διότι μητρυιᾶς καὶ μητρὸς ὄνομα συγγενές, εἰ καὶ μὴ τὸ τῆς ψυχῆς συνᾷδον πάθος. *Et propter reverentiam in patrem, & propter matris & novercae cognatam appellationem, ſi non & propter animae ſenſum legi conſonum.* Unus mihi tam infauſti matrimonii cupiditate incenſus, Imperator ANTONINUS CARACALLA, occurrit, de quo SPARTIANUS in *ejus vita*, *cap.* 10. his verbis: *Intereſt ſcire, quemadmodum novercam ſuam Juliam uxorem duxiſſe dicatur: quae cum*

eſſet

[n] L. 53. *nuptiae conſiſtere. D. de ritu nupt.* §. 1. *ergo. Inſtit. de nupt.*

[o] L. 54. *Et nihil. D. de ritu nupt.*

[p] L. 14. *Adoptivus.* §. 2. *ſerviles. D. de ritu nupt.*

[q] L. *ult. D. de ritu nupt.*

[r] L. 38. *ſi adulterium cum inceſtu. D. ad L. Jul. de adulter.*

[s] *cap.* 8.

[t] *Sueton. in Calig. Cap.* 23.

[v] L. 12. *ſi qua mihi.* §. 1. & L. 14. *Adopt.* §. 4. *nunc videamus. l.* 40. *Ariſto. D. de rit. nupt.* §. 1. *ergo. Inſtit. de nupt.*

(*a*) ACCUSATARUM] Sed inceſtus Veſtalium nihil ad hunc locum facit: in Veſtalibus enim omnis impudica cum maſculis quibuſcunque conſuetudo pro inceſtu habebatur.

(*b*) NUPTIAE] Olim tamen in affinitate nullae prohibitae fuiſſe nuptiae videntur, quia diſſoluto matrimonio affinitas quoque diſſolvi credebatur. A gravibus vero & prudentibus viris ob honeſtatis rationem improbantur in affinitate nuptiae inter illas perſonas, quae ſe aliquando parentum liberorumque loco habuerant. Sic v. g. CICERO *l. c.* reprehendit nuptias ſocrus cum genero; non vero dicit eas jure civili nullas, vel irritas fuiſſe. Per legem ergo Papiam Poppaeam iſtius generis nuptiae primum expreſſe prohibitae fuiſſe videntur. Ita poſt alios ſentit *Jo. Gottl. Heineccius* in *Comment. ad L. Pap. Popp. lib.* 11. *cap.* 17. Aliter tamen rationes ſuas compoſuit Vir Ampliſſ. *Everardus* Otto in *Comment.* ad *Inſtitt.* qui latius deinde ſuam ſententiam expoſuit in peculiari *Diſſ. de vetitis affinium nuptiis.*

eſſet pulcherrima, & quaſi per negligentiam ſe maxima corporis parte nudaſſet, dixiſſetque Antoninus: vellem ſi liceret, *reſpondiſſe fertur:* ſi libet, licet. An neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere? *Quo audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus eſt: nuptiaſque eas celebravit, quas, ſi ſciret, ſe leges dare, vere ſolus prohibere debuiſſet: matrem enim (non alio erat dicenda nomine) duxit uxorem: ad parricidium junxit inceſtum.* Fertur etiam Antigonus Stratonicem, Seleuci patris, Armeniae (*a*) regis, uxorem, id eſt, privignus novercam, cui propinquo ſimile in *epiſtolis amatoriis* ARISTAENETI fictitium quoddam exemplum privigni novercam depereuntis (*b*). Sed nec ſocero nurus, pronuruſve recte nubit. Socerum enim parentis locum obtinere placet. [x] Ac ejuſmodi quidem nuptias, quas cum privigno noverca, cum ſocero nurus contraxerit, inceſtas ac nefarias eſſe nemini dubium eſt, cum pudori, caſtitati, verecundiae naturali, publicaeque honeſtati tales conjunctiones adverſentur. Quin imo ex his cauſis inceſtum jure gentium admitti PAPINIANUS ſcribit. [y] Quod quibuſdam parum conſiderate dictum videtur, qui pro certo ac conſtanti ponunt, inter parentes & liberos duntaxat jure gentium inceſtum committi: cum his vero, qui ex latere veniunt, vel cum adfinibus, jure civili, vel moribus: ipſumque adeo ſibi contrarium eſſe PAPINIANUM perſuadent, qui pecuniae in hujusmodi nuptiarum cauſam datae repetitionem tribuat, quae utique denegaretur, ſi in ſpecie hac jure gentium inceſtus admiſſus cenſeretur: quod mulieribus jus gentium non aeque ac civile ignorante liceat. Verum ego Jureconſultorum coryphaeum vellicari non niſi gravate ferre poſſum. Nec enim adduci poſſum, ut credam, aliquid tanto viro excidiſſe, quod a nobis, qui in illius magiſtri verba jurare addicti ſumus, jure notari queat. Credo itaque, ejus auctoritate fretus (nec vana fides) inceſtum jure gentium committi, ſi ſocero nurus, vel noverca privigno commiſceatur, quod hae perſonae ſibi parentum ac liberorum loco ſint, ut paulo ante comprobavimus, & quod omnium mentibus a natura inſita ratio ab hujuſmodi conjunctionibus abſtinendum dictet. Confirmat noſtram, immo vero Papiniani opinionem, quod alibi legimus, Si adulterium cum inceſtu committatur, utpote cum privigna, nuru, noverca, mulierem quoque ſimiliter plectendam: [z] cujus tamen impunitum eſſet facinus, ſi ſola juris civilis obſervatione tale crimen in turpibus numeraretur. Verum cum juris naturalis ignorantiam vitiis ſuis obtendere ac praetexere mulieres non poſſint, merito eis ejuſmodi inceſtus, cujus turpitudinem indita divinitus ac impreſſa ratione notam habent, poena irrogatur. Atque hoc dubium faciebat in ſpecie a Papiniano tractata: videbatur enim pecunia a muliere, illiciti matrimonii nomine data, repeti non poſſe, quaſi contra jus gentium ac naturalem honeſtatem (cujus ignoratione excuſari nequit) data eſſet. Sed alia ratione repetionem competere Papiniano ſubtiliter placet, quia ſcilicet matrimonii effectu non ſecuto, quod nec jure ſequi poſſit, nulla magis cauſa dotis dandae, quam turpis, interceſſerit. At viros primarios & Juriſconſultorum hujus temporis doctiſſimos (*c*) concubinatum vitrici cum privigna approbare audio, idque novum non eſſe profiteri, ut, cum qua non ſit connubium, ſit concubinatus. Hoc enim ex quodam difficillimo PAPINIANI loco ſe recte colligere putant in *l. 16. cum tabulis §. 1. quoniam. D. de his, quae ut indign. auf.* Apageſis quaeſo ab optimo doctiſſimoque nomotheta Papiniano tam enorme inceſtum. Porro nec patris quoque ſponſam uxorem ducere filio conceditur: [a] non magis quam patri filii ſponſam, quamvis nec illa noverca, nec haec nurus proprie dici poſſit. Ab earum quoque, quae in parentum concubinatu fuerint, nuptiis abſtinendum, pie Imp. ALEXANDER conſtituit. [b] Contra religionem quippe ac pudorem eſt, cum ea matrimonium coire filium, quae pudicitiam patri proſtraverit. Sed an eadem ſit prohibito cum fratris ſponſa concubinave, merito dubitari poteſt, cum id legibus ſpe-

x L. 16. *quia parentis. D. ſolut. matr.*

y L. *ult.* §. 1. *D. de condict. ſine cauſ.*

z L. 38. *ſi adulterium cum inceſtu. D. ad L. Jul. de adult.*

a *l. ſi qua* 12. §. 1. *de ritu nupt.*

b L. 4. *liberi. C. de nupt.*

(*a*) ARMENIAE] Immo Syriae & Aſiae. Eſt vero in hac periodo verbum *amaſſe*, vel ſimile, ſupplendum, quia alias manca eſt. Caeterum de hoc impudico amore, patriſque indecora indulgentia vide APPIANUM in *Syriacis*, PLUTARCHUM in *Demetrio*, & VALERIUM MAXIMUM *lib.* V. *cap.* 7. *ext.* 1.

(*b*) DEPEREUNTIS] In animo ſine dubio auctor habuit *Epiſt.* 13. *lib.* 1. quae ita inſcribitur: *Patris concubinam amabat filius: gnarum id medico, forte magis, quam arte; iſque arte perſuadet patri, ut eam concedat filio.*

(*c*) DOCTISSIMOS] Sine dubio tacite auctor notat *Jac. Cujacium*, qui in hac fuit opinione: ſed recte refutatur ab *Emundo Merillio Obſerv. lib.* III. *cap.* 17. & *Jo. Gottl. Heineccio* in *Comm. ad L. Jul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 1. *pag.* 109. & *cap.* 4. *pag.* 168. *ſeq.*

ſpecialiter cantum non inveniatur. Sed & per adoptionem quaeſitarum cognationum rationem hic habendam prudentes cenſuere. Etenim matrimonio inter ſe jungi eae perſonae non poterant, quae per adoptionem parentum, liberorumve loco ſibi eſſe coepiſſent, in tantum, ut etiam diſſoluta adoptione idem juris maneret. [c] Itaque eam, quae per adoptionem filia, neptiſve facta eſſet, ne poſt emancipationem quidem uxorem ducere, qui quandoque adoptaſſet, poterat. [d]

Haec de aſcendentium deſcendentiumque gradu. Jam ex tranſverſo etiam cognationis gradu quaſdam illicitas eſſe nuptias, non eſt obſcurum. Ac primum inter fratrem ſororemque prohibitas eſſe nuptias nemini dubium eſt, ſive ab eodem patre eademque matre progeniti fuerint, ſive ab altero eorum. [e] Aemilius Probus in proœmio *lib. de vita excellent. Imperat.* §. 4. *Neque enim Cimoni fuit turpe, Atheniensium ſummo viro, ſororem germanam in matrimonio habere. At id quidem noſtris moribus nefas habetur.* Cujus tamen Cimonis facti Herodianus aut inſcius, aut immemor, *lib.* I. *Hiſtor. cap.* 6. Πτολεμαῖος μὲν, ait, καὶ μέχρι ἀδελφῆς ἰδίας ἔρωτος προεχώρησε, παρά τε τοὺς Μακεδόνων καὶ Ἑλλήνων νόμους. *Ptolemaeus autem ad ſororis propriae amorem progreſſus eſt, contra Macedonum & Graecorum leges.* At Dio apud Aegyptios patrio id more receptum fuiſſe ita ſcribit, [f] de Caeſare agens: Καὶ μετὰ τοῦτο εἰς ἐκκλησίαν ἐσελθὼν, τόν τε Πτολεμαῖον, καὶ τὴν Κλεοπάτραν παρήγαγε, καὶ τὰς διαθήκας τοῦ πατρὸς αὐτῶν ἀνέγνω, ἐν αἷς ἐκείνους συνοικῆσαι ἀλλήλοις κατὰ τῶν Αἰγυπτίων τὰ πάτρια, καὶ βασιλεύειν ἐγέγραπτο. *Et poſthaec venit in concionem, ac Ptolemaeum & Cleopatram adduxit, & teſtamentum patris recitavit, in quo illos voluit matrimonio jungi, ſecundum Aegyptiorum inſtituta, & ſimul etiam regnare.* Romanis utique ſemper deteſtabilis & execranda talis conjunctio viſa eſt. Ideoque inter ea, quae de Caligula, non ut principe, ſed ut monſtro Suetonius narrat, hoc refert, [g] quod cum omnibus ſororibus ſuis ſtupri conſuetudinem fecerit, quem etiam Druſillam germanam Caſſio Longino Conſulari collocatam, abduxiſſe, & in modum juſtae uxoris propalam habuiſſe ſcribit. Quam ejus turpitudinem nec Dio *lib.* LIX. *pag.* 642. ſilentio praetermiſit. Eademque ſe, ac famam ſuam turpitudine foedaſſe Othonem Xiphilinus memorat (*a*): Plutarchus autem in *Parallelis*, *pag.* 312. ex *Chryſippi lib.* I. *Rerum Italicar.* auctor eſt, Papyrium quendam Romanum, amoris impatientia & ardore victum, Camiliam (*b*) ſororem gravidam feciſſe. Quod ubi Papyrius Tolucer, communis eorum pater, reſcivit, enſem filiae miſit, quo puella pectus transfodit, eodemque leti genere ſceleſtum ac nefarium facinus ſuum Papyrius deinde expiavit. Plane per adoptionem factam ſororem, adoptione ſoluta, uxorem ducere nihil vetabat. [h]

Adoptione enim quaeſita fraternitas, eo uſque demum impediebat nuptias; quoad maneret adoptio. [i] Similiterque adoptivi patris matrem, materteram, aut neptem ex filio ducere uxorem poſt emancipationem nemo impediebatur, cum in extranei cauſam emancipatione redactus eſſet. Adoptivae utique ſororis filia uxor duci, vel conſtante adhuc adoptione, licito jure poterat, quod ea cognata non eſſet, cum avunculus nemo fiat per adoptionem. Hae enim demum cognationes per adoptionem contrahuntur, quae adgnatorum jus adjunctum habent. [k] Pari ratione alio patre natam patris ſui ſororem adoptivam ducere quis poterat, quoniam inter eos nulla cognatio intercedebat, quippe cum ea patri adgnata non eſſet. Sed & Maximianus Conſtantino, per adoptionem nepoti, filiam in matrimonium tradidit. Quod Panegyrici Maximiano & Conſtantino AA. dicti auctor (*c*) tantum abeſt, ut vituperet, ut ſummis contra laudibus efferat: *O divinum*, inquiens, *tuum*, *Maximiane*, *judicium*, *qui hunc tibi jure adoptionis nepotem*, *majeſtatis ordine filium*, *etiam generum eſſe voluiſti*, *divi*, *inquam*, *Conſtantii filium*, *in quem ſe prima illius juventa transfudit.* Quin etiam Claudius Neronem, a ſe in locum filii adoptatum, cum filia ſua Octavia matrimonio junxiſſe legitur, [l] filia tamen prius in adoptionem tradita, ut in alienam familiam eo modo transferretur, ne ſoror fratri nubere videretur. Agrippina enim Claudio perſuaſit, Domitium Neronem privignum filii loco adoptare, quem non filium modo, ſed & generum habere voluit: verum ne frater ſororem ducere videretur, adoptionis commento ne-

[c] §. 1. *Ergo. Inſtit. de nupt.*

[d] *L.* 14. *pr. & §.* 1. *L.* 55. *quin etiam D. de ritu nupt.*

[e] §. 2. *Inter Inſtit. de nupt.*

[f] *Lib.* XLII. *pag.* 201.

[g] *Cap.* XXIV.

[h] *L.* 55. *quin etiam. D. de ritu nupt.*

[i] *L.* 17. *per adoptionem. D. de ritu nupt.*

[k] *L.* 2. §. 3. *parvi. D. de ſuis & legit.*

[l] *Dio lib.* LX. *pag.* 687.

(*a*) Memorat] Hoc ego apud Xiphilinum in *Epit. Dionis*, *lib.* LIV. *pag.* 731. ubi Othonis turpia facta narrantur, reperire non potui.

(*b*) Camiliam] In Graeco textu vocatur Καμιλία.

(*c*) Auctor] Inſcribitur in editione Cellarii: *Epithalamius incerti auctoris*, *Maximiano & Conſtantino in hujus & Fauſtae nuptiis dictus.* Locus laudatus reperitur *cap.* 3.

neceſſitudinis ſpecies diſſoluta eſt. Inde Junoni Octavia a SENECA comparatur: ſic enim in *Tragoedia* ejus nominis ſcriptum eſt: *v.* 216.

> —— —— *Tu quoque terris*
> *Altera Juno, ſoror Auguſti*
> *Conjunxque, graveis vince dolores.*

Et alias *v.* 278.

> *Fratris thalamos ſortita tenet*
> *Maxima Juno, ſoror Auguſti*
> *Sociata toris, cur a patria*
> *Pellitur aula?*

Alio etiam loco *v.* 45.

> —— —— *Moeret infelix ſoror,*
> *Eademque conjunx.* —— ——

Simili loco etiam CICERO Clodium, inceſtus cum ſorore ſuſpicione laborantem, in *Oratione pro domo ſua cap.* 34. proſcindit: *Sed tamen*, inquiens, *ego mihi ſororem virginem aſciſco: tu ſororem tuam virginem eſſe non ſiviſti. Sed vide, ne tu te debeas Jovem dicere, quod tu jure eandem ſororem & uxorem appellare poſſis.*

Enimvero fratrum ſororumve filias uxores ducere non licebat: [m] tametſi talium conjugiorum uſum in Rempub. invehere Claudium Imperatorem, Agrippinae Germanici fratris ſui filiae amore incenſum, tentaſſe literis proditum eſt, ut publici juris velamento ejus matrimonii a ſe cum ea contrahendi turpitudo tegeretur. Sic enim de hoc ejus incepto TACITUS *lib.* XII. *Annal. cap.* 7. ſcribit. *Claudius Senatum ingreſſus, decretum poſtulat, quo juſtae inter patruos fratrumque filias nuptiae etiam in poſterum ſtatuerentur: neque tamen repertus niſi unus talis matrimonii cupitor, Taledius Severus Eques Romanus.* TRANQUILLUS in *Claudio cap.* 26. de ejus nuptiis agens: *Verum*, ait, *illecebris Agrippinae, Germanici fratris ſui filiae, per jus oſculi & blanditiarum occaſiones allectus in amorem, ſubornavit proximo Senatu, qui cenſerent, cogendum ſe ad ducendum eam uxorem, quaſi Reipublicae maxime intereſſet, dandamque ceteris veniam talium conjugiorum, quae ad id tempus injuſta habebantur. Ac vix uno interpoſito die, confecit nuptias, non repertis, qui ſequerentur exemplum; excepto libertino quodam, & altero primipilari.* ZONARAS *Annal. lib.* XI. in *Claudio, pag.* 564. etiam Senatuſconſulto hujuſmodi nuptiarum jus ſancitum fuiſſe in ejus principis gratiam tradit, auctoreque Vitellio Senatum Claudium ad Agrippinam uxorem ducendam adegiſſe: Ἐντεῦθεν, ait, ὁρμηθέντες οἱ βουλευταὶ πρὸς τὸν Κλαύδιον ἦλθον, καὶ ἠνάγκασαν δῆθεν αὐτὸν γῆμαι, καὶ ψήφισμα ἐποιήσαντο, ἐξεῖναι Ῥωμαίοις ἀδελφιδᾶς ἄγεσθαι. *Tum & ſenatores ierunt ad Claudium, & compulerunt eum ad hoc matrimonium, & Senatuſconſultum fecerunt, quo ſtatuebant, licere Romanis fratrum filias ducere.* Inde SENECA in libro joculari de ejus Imperatoris morte: *Ut Romae*, ait, *nuptiarum ſacra eſſent, quibus ipſe, cum ſibi Agrippina nuberet*, XXX. *Senatoribus, innumeris Equitibus Romanis mactatis, principium dedit.* Huc pertinent & hi, quos ſubjungam, SENECAE ex *Octavia* verſus, quibus nutrix Octaviam, Claudii filiam, ita adfatur: *v.* 134.

[m] *L.* 17. *nemini. C. de nupt. Lex ult. C. de inceſt. nupt.* §. 3. *fratris. Inſtit. de nuptiis.*

> *Fruſtra parentis invocas manes tui,*
> *Miſeranda, fruſtra: nulla cui prolis ſuae*
> *Manet inter umbras cura: qui nato ſuo*
> *Praeferre potuit ſanguine alieno fatum,*
> *Genitamque fratris conjugem captus ſibi*
> *Toris nefandis flebili junxit face.*

Ne tamen tam mali exempli nuptiae impoſterum frequentarentur, Nerva vetuit, ne fratrum filiae ducerentur (*a*). Id quod XIPHILINUS in *Nerva lib.* LXVIII.

(*a*) DUCERENTUR] Quid Nerva conſtituerit, hodie incertum manet, ob dubiam vocis ἀδελφιδῆς ſignificationem, quippe per quam & fratris & ſororis filia denotatur, ut ex locis ab auctore adductis patet. Hinc in diverſas partes abeunt eruditi: alii enim putant, Nervam Senatusconſultum ſub Claudio factum revocaſſe: alii putant, eum nuptias

LXVIII. *pag.* 770. tradit his verbis: Ἐνομοθέτησε δὲ ἄλλα τε καὶ περὶ τοῦ μὴ εὐνουχίζεσθαί τινα, μήτε ἀδελφιδῆν γαμεῖν. *De aliis quoque leges tulit, & ne quis exſcinderetur; neve fratrum filias ducere liceret* (*a*). Etenim ne de nominis vi ac poteſtate dubitetur, quod idem auctor de *Hadriano lib.* LXIX. *pag.* 787. Τραϊανοῦ; ait, ἀδελφιδῆν ἐγεγαμήκει, *Trajani ſororis filiam duxit*, AELIUS SPARTIANUS in *Hadr. cap.* 2. ait, *Trajani per ſororem neptem eum uxorem accepiſſe*. Et POLLUX *lib.* III. *Onomaſtic. cap.* 2. *ſegm.* 22. *pag.* 277. & HESYCHIUS & MOSCHOPULUS ἐν συλλογῇ Ἀττικῶν ὀνομάτων, ſive *in farragine vocum Atticarum*, Ἀδελφιδοῦς, ajunt, ὁ ἀδελφοῦ, ἢ ἀδελφῆς υἱός, καὶ θυγατὴρ αὐτῶν ἀδελφιδῆ. *Fratris & ſororis filius; & illorum filia* ἀδελφιδῆ. Porro illam Nervae conſtitutionem ZONARAS *Tomo* II. *Annal. lib.* XI. *pag.* 583. ita refert: Οὗτος ἐνομοθέτησε καὶ τὸ μὴ τινα τὰ παιδογόνα μόρια παρὰ Ῥωμαίοις ἐκτέμνεσθαι, μήτε μὴν ἄγεσθαι πρὸς γάμον ἀδελφιδῆν. *Hic legem tulit, ne genitalia membra apud Romanos mutilarentur, neve liceret ducere fratris filiam* (*b*). Domitianum tamen non puduiſſe cum Julia, fratris filia, tamquam cum uxore, palam verſari, SUETONIUS in *ejus vita*, *cap.* 22. & XIPHILINUS *lib.* LXVII. *pag.* 760. memoriae prodiderunt. Eadem tam perdita ac flagitioſa libidine incitatum Heraclium Imperatorem ferunt: cui non aliunde id morbi vitiique, quo laboravit, quam ob illicitam cum fratris filis conjunctionem accidiſſe, vulgo creditum, ZONARAS *Annal. lib.* XIV. *pag.* 86. *ſeq.* his verbis ſcribit: Λέγεται δὲ καὶ τὸ αἰδοῖον αὐτοῦ στρεφόμενον ἄνω τὸ οὖρον πέμπειν, καὶ εἰ μὴ σανὶς ἐν τῷ ἤτρῳ αὐτοῦ ἐτίθετο, κατὰ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ τὸ ἐκπεμπόμενον ἀνεδίδοτο, ὃ συμβαίνειν ἐδόκει διὰ τὴν ἔκθεσμον μῖξιν τῆς ἀδελφόπαιδος. *Dicitur & pudendum ejus membrum inverſum ſuperiore ex parte urinam emiſiſſe, & ſi non tabula imponeretur imo ventri, reddebatur per os eluvies ventris. Hoc videbatur accidere propter illegitimum cum fratris filia conjugium* (*c*). Acerbiſſime vero hujus generis nuptias, ut inceſtas, & nefarias, Impp. ANASTASIUS & ZENO Conſtitutionibus ſuis damnarunt. In quas etiam B. AMBROSIUS *lib.* VIII. *Epiſtol.* (*d*) ita invehitur: *Tu copulare paras filium tuum, & neptem ex filia, hoc eſt, ut accipiat ſororis ſuae filiam, diverſa licet matre, quam ſocrus, editus? Interroga nominum religionem. Nempe avunculus iſte illius, illa hujus neptis vocatur: nec ipſe te revocat ſonus nominum, cum hic avum reſonet, illa hoc nomen ad avunculum, quod ad avum referat?* Et mox: *Quid enim eſt, quod dubitari queat, cum Lex divina etiam patrueles fratres probibeat convenire in conjugalem copulam, qui ſibi quarto ſociantur gradu? Hujuſmodi autem gradus tertius eſt, qui etiam jure Civili a conſortio conjugii exceptus videtur.* Sed nec in concubinatu quidem haberi ſororis filia, licet libertina, abſque inceſti crimine potuit. [n] Non modo autem fratris aut ſororis filiam, verum etiam neptem proneptemve ducere non licet. [o] An autem mortuorum fratrum conjuges, fratribus ſuperſtitibus ducere licuerit, quaeri poteſt. Sane eam, quae in manum fratris convenerit (*e*), diſſolutis ſeu morte, ſeu repudio nuptiis, duci citra inceſti crimen non poſſe, Imperatorum (*f*) conſtitutionibus cavetur. [p] Quamquam non deſunt aliquot in Romana hiſtoria ejuſmodi matrimoniorum exempla. Lucius enim Tarquinius, cui poſt regnum ſcelere partum Superbi cognomen facta indiderunt, Tulliam minorem

[n] *L.* 56. *etiam. D. de ritu nupt.*

[o] §. 3. *fratris. Inſtit. de nupt. L.* 39. *ſororis. D. de ritu nupt.*

[p] *L.* 17. *Nemini. & l. ult. C. de nupt. L.* 5. *fratris. C. de inceſt. nupt. l.* 1. (*al.* 2.) *&* 3. (*al.* 4.) *de Inceſt. nupt. in Cod. Theod. lib.* III. *tit.* 12.

tias tantum cum ſororis filia prohibuiſſe: alii denique, cum utraſque, tam cum fratris, quam cum ſororis filis nuptias prohibere voluiſſe. Id interim ex ULPIANO *Fragm. tit.* V. §. 6. & ex *Collat. legg. Moſaic. & Rom. tit.* VI. patet, Antoninorum inſequentiumque Imperatorum ad Conſtantinum Magnum uſque temporibus nuptias cum fratris; non vero cum ſororis filia fuiſſe permiſſas. Conſtantinum vero Magnum utriuſque generis nuptias prohibuiſſe, patet ex *L.* 1. *de inceſt. nupt. in C. Theod. lib.* III. *tit.* 12. ubi conſulendus *Jac. Gothofredi Commentarius*. Vide etiam, quae viri docti notarunt ad *Inſtit.* tam CAJI *lib.* 1. *tit.* 4. §. 3. quam JUSTINIANI *tit.* X. §. 3.

(*a*) LICERET] Ita ex auctoris mente locus hic fuit vertendus: ſed *Leunclavius* quoque non male vertit: *fratris ſororiſve filiam*.

(*b*) FILIAM] Ita ex auctoris mente locus fuit vertendus: ſed in *ed. Pariſ.* locus quoque non male vertitur ita: *neve fratrum aut ſororum filias ducere liceat*.

(*c*) CONJUGIUM] Haec eſt hujus loci interpretatio, quae in Graevii editione hujus libelli legitur. In editione vero Pariſina ZONARAE locus ita vertitur: *Fertur etiam inguine ſurſum converſo faciem ſuam perminxiſſe, niſi urina, tabella imo ventre oppoſita, averteretur. Id ei accidiſſe creditum, ob inceſtum cum fratris filia coitum.*

(*d*) EPISTOL.] Eſt *Epiſt.* 66. in vetuſtioribus editionibus: *Epiſt.* 48. in *ed. Rom. Epiſt.* vero 60. in *noviſſ. Benedict.* editione.

(*e*) CONVENERIT] Cave hic intelligas ſolas nuptias per in manus conventionem contractas: ſunt enim omnis generis juſtae nuptiae hic intelligendae.

(*f*) IMPERATORUM] Chriſtianorum ſcilicet: nam antea in affinitate nullae erant nuptiae prohibitae, niſi inter perſonas, quae ſe adſcendentium & deſcendentium inſtar habent.

rem natu, quae Arunti fratri nupſerat, Arunte veneno ab ea ſublato, cum ipſe conjugem quoque ſuam eodem genere interemiſſet, duxit. Quod nefarium ejus factum DIONYSIUS HALICARNAS. *lib.* IV. duobus locis refert, quorum utrumque, vel ea praecipue de cauſa, ut, ſi qua ineſt in verbis aut obſcuritas, aut depravatio, adhibita explanatione, emendationeve tollatur, ſubjungam. Prior (*pag.* 234.) ſic habet: Τοιαῦτα τὴν Τυλλίαν λεγούσης, ἀσμένως δέχεται τὰς αἱρέσεις ὁ Ταρκύνιος, καὶ αὐτίκα δοὺς αὐτῇ πίστεις, καὶ λαβὼν τὰ πρωτέλεια τῶν ἀνοσίων γάμων, καὶ διαπραξάμενος ἀπέρχεται· διελθόντος δ' οὐ πολλοῦ μετὰ ταῦτα χρόνου, τοῖς αὐτοῖς πάθεσιν ἀποθνήσκουσιν ἥ τε πρεσβυτέρα τῶν Τυλλίου θυγατέρων, καὶ ὁ νεώτερος τῶν Ταρκυνίων. *His auditis, libenter conditionem accepit Tarquinius, moxque data & accepta fide, ac delibata inceſtarum nuptiarum fructu, abiit. Nec ita multo poſt, eodem fato major Tullia, minorque Tarquinius abſumti ſunt.* Et mox: Μετὰ τοῦτο τὸ ἔργον, οὐδὲν ἔτι διαμελλήσας ὁ Ταρκύνιος, ἀπάγεται γυναῖκα τὴν Τυλλίαν. *Deinde Tarquinius ſine mora uxorem duxit Tulliam.* In quibus verbis obſcuritas nulla eſt, quae lectorem vel mediocriter literis Graecis tinctum morari poſſit, praeterquam in voce πρωτέλεια, cujus ſcripturam corruptam eſſe forte ſuſpicabitur, qui apud SUIDAM leget προτέλεια a Lycurgo ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας, in *Oratione de ſacerdotio*, appellari τὰ πρὸ τοῦ τελεσθῆναί τι τῶν εἰς τὸ θεῖον ἀναφερομένων γινόμενα ἢ διδόμενα, *quae fiunt, aut dantur, antequam perficiatur aliquid eorum, quae ad numen divinum pertinent.* Προτέλεια inſuper, ut & POLLUX *lib.* III. *Onomaſt.* (*a*) ſcribit, appellatum eum diem, ἐν ᾗ εἰς τὴν ἀκρόπολιν τὴν γαμουμένην παρθένον ἄγουσιν οἱ γονεῖς ὡς τὴν θεὸν, καὶ θυσίας ἐπιτελοῦσιν. *In qua in arcem virginem nubentem ducunt parentes ad Deam, & ſacram rem faciunt.* Et certe pro quolibet auſpicio, initio, primordio, verbum hoc Graeci uſurpant. LUCIANUS in *Dialogo*, περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων *de iis, qui mercede conducti in divitum familiis vivunt cap.* 14. *pag.* 669. Ἄρξομαι δ' ἀπὸ τοῦ πρώτου δείπνου, ἢν δοκῇ, ὃ σε εἰκὸς δειπνήσειν τὰ προτέλεια τῆς μελλούσης συνουσίας. *Exordia vero a primo convivio, ſi videtur, unde, ut decet, futurae conſuetudinis auſpicium capias.* GREGORIUS etiam NYSSANUS Lazari a mortuis excitationem, οἱονεὶ τὰ προτέλεια τῆς καθολικῆς ἀναστάσεως, *veluti primitias univerſalis reſurrectionis* vocat (*b*). Cum vero verbum hoc primitias ſignificet, nemo dubitabit, erratum eſſe in HESYCHII codicibus, in quibus legitur: προτελαῖον, ὑπάρχον. Eſt enim emendandum: προτελείων, ἀπαρχῶν. Verum in eodem ſignificato vocem quoque πρωτόλεια a Graecis uſurpari obſervavi. SUIDAS: πρωτόλεια, ἡ πρώτη λεία, τὰ πρὸ τῶν λειῶν (*c*) ἐξαίρετα. Idem πρωτόλειον, ἀπαρχὴν, *primitias*, interpretatur. HESYCHIUS etiam: πρωτόλεια, ἁρπάγματα, *praeda*, πρωτόλειον, ἀπαρχή, *primitiae.* In *Etymologico* quoque πρωτόλεια exponuntur eſſe τὰ πρῶτα τῶν λῃίων καὶ τῶν τοῦ πολέμου λαφύρων ἐξαίρετα καὶ πρῶτα, ἅπερ εἰώθασιν οἱ πρῶτοι λαμβάνειν, οἷον ἡ Χρυσηῒς ἐδόθη τῷ Ἀγαμέμνονι, καὶ ἡ Βρυσηῒς τῷ Ἀχιλλεῖ. δηλοῖ δὲ τὰς ἀπαρχάς. *Prima ſpolia, & praedae bellicae optima & omnium prima, quae ſolent accipere Principes, ſicut Chryſeis, quae data eſt Agamemnoni, & Bryſeis Achilli. Notat etiam primitias.* Utramvis ergo lectionem ſequare, ſenſus conſtabit, eumque locum ſic fidus interpres Gelenius reddidit: *Delibato inceſtarum nuptiarum fructu abiit.* Alter ejuſdem HALICARNASSEI, in quo de inceſtis Tarquinii & Tulliae nuptiis fit mentio, locus ita habet: *pag.* 271. Ἀλλ' εὐθὺς ἅμα τῷ αὐτὰ διαπράξασθαι τὰ θαυμαστὰ ἔργα, πρὶν ἡμέραν θεῖναι τὰς ὑποδεξαμένας τὰ δύστηνα σώματα πυρὰς, φίλας οἰκίας, καὶ γάμους ἐπετέλει, καὶ τὴν ἀνδροφόνον νύμφην ἐπὶ τὸν τῆς ἀδελφῆς θάλαμον ἤγετο, τὰς ἀπορρήτους περὶ αὐτὴν ἐμπεδῶν ὁμολογίας, ἀνόσια καὶ ἐξάγιστα, καὶ οὔτε Ἑλλάδος, οὔτε βαρβάρου γῆς οὐδαμόθι γενόμενα, πρῶτος εἰς τὴν Ῥωμαίων πόλιν εἰσαγαγὼν καὶ μόνος. Quem totum locum ſic Gelenius Latino ſermoni tradidit: *Hic eſt ille Tarquinius, Quirites, qui, nondum princeps, fratrem germanum, quia malus eſſe nolebat, veneno ſuſtulit, aſſumpta ipſius uxore in ſocietatem ejus ſceleris, ſuae conjugis germana, quam Diis inviſus adulterio jam ante corruperat. Hic uxorem, pudicam matronam, & communium liberorum parentem, eodem veneno, eodem tempore necavit: ac ne paululum quidem lugubri ſpecie diſſimulavit utrumque veneficium, ſed confeſtim, poſt perpetrata haec egregia facinora, fumantibus etiam tum rogis,*

(*a*) ONOMAST.] Apud POLLUCEM *lib.* III. *Onomaſt. cap.* 3. *Segm.* 33. *pag.* 284. nihil aliud legitur, quam haec verba: ἡ δὲ πρὸ γάμου θυσία προτέλεια καὶ προγάμεια, quae ita reddit Interpres: *Sacrificia autem ante nuptias facta primordia vocantur & antenuptialia.* Verba vero, quae auctor tanquam ex POLLUCE adducit, leguntur apud SUIDAM immediate ante verba *Lycurgi*, quae paullo ante ab auctore allata ſunt. Conſule ibi *Kuſteri* notas.

(*b*) VOCAT] Locus exſtat in ejus libro *de Hominis Opificio, cap.* 25. *pag.* 113.

(*c*) Λειῶν] Λῃίων legendum eſſe cenſet noviſſimus editor *Lud. Kuſterus.*

gis, qui miſera illa corpora exceperant, ipſe amicos excipiebat nuptiali epulo, ducens viricidam ſponſam in ſororis thalamum, ex pacto nefario, primus ac ſolus inducens in hanc urbem morem impium, & apud omnes Graecas ſimul atque Barbaras nationes abominabilem. Sed quid ea, quaeſo, verba ſignificant: πρὶν ἡμέρῳ θεῖναι τὰς πυράς. Equidem, ne diutius lectorem teneam, adfirmare non dubitabo, legendum eſſe πρὶν ἢ μαρανθῆναι (*a*), quod idem valet atque παύσασθαι καὶ σβέσασθαι id eſt, *ante extinctas pyrae flammas.* Quo loquendi genere HOMERUS uſus eſt *Illiad. lib.* IX. *v.* 212.

Αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ πῦρ ἐκάη, καὶ φλὸξ ἐμαράνθη.
Poſtquam ignis deflagravit, & flamma extincta eſt.

ubi EUSTATHIUS, *Obſerva*, ait, τὸ ἐμαράνθη λεχθὲν ἐπὶ σβέσεως φλογός. *Ἐμαράνθη dictum eſt de exſtinctione flammae.* Et mox, φλογὸς, inquit ille, μαρανθείσης ὑπομένει ἄνθρακα. *Igne exſtincto remanent carbones.* ARISTOTELES vero in libro περὶ νεότητος καὶ γήρως, *de juventute & ſenectute*, *cap.* 5. inter μάρανσιν & σβέσιν differentiam facit: Ἀλλὰ μὴν, ait, πυρός γε δύο ὁρῶμεν φθορὰς μάρανσίν τε καὶ σβέσιν. τὴν μὲν γήρας, τὴν δὲ βίαιον. *Ignis videmus duos interitus, defectionem & extinctionem: Illud quidem ſenectutem, hoc autem vim.* Rurſus quis eſt ſenſus horum HALICARNASSEI verborum: ἐμποδῶν ὁμολογίας. Et hic quoque, ut breve id faciam, mendum eſt, legendumque ἐμπεδῶν, id eſt, *firmans*, *ſtabiliens*, ut ſit ſenſus, illicitas nefandaſque cum ea jungens pactiones. HESYCHIUS enim ἐμπεδοῖ interpretatur βεβαιοῖ, πιστοῦται, ἀσφαλίζεται, *firmat*, *fidem facit*, *ſtabilit.* Ut autem ad ipſam hiſtoriam redeam, LIVIUM *lib.* I. ab. U. C. *cap.* 47. eaſdem nuptias breviter, nec, niſi adhibita fuſiori Halicarnaſſei narratione, perſpicue ita perſtringit: *Aruns*, inquit, *Tarquinius & Tullia major* (Sic enim ex Halicarnaſſeo emendo) *prope continuatis funeribus cum domos vacuas novo matrimonio feciſſent, junguntur nuptiis, magis non probibente Servio, quam approbante.* Nam verbum hoc: *junguntur*, non ad Aruntem & Tulliam majorem, ſed ad L. Tarquinium & Tulliam minorem, de quibus ante egerat, referri placet. Ceterum etiam Marcum Craſſum fratris defuncti uxorem duxiſſe, &, quos habuit liberos, ex ea ſuſcepiſſe eum, nec in aliquam factum hoc reprehenſionem incurriſſe, PLUTARCHUS in ejus vitae initio, *pag.* 543. ſcribit. Quod cum mirum quibuſdam videatur, verbum συνοικεῖν, quo Plutarchus in ea hiſtoria referenda utitur, interpretatione, quae menti plane auctoris repugnat, ad nudam cohabitationem, ut & τὸ, παῖδας ἔχειν, ad puerorum ejus educationem, deflectere nituntur. Sed quam aliam Craſſus, quem minime coelibem vitam duxiſſe, imo vero juſtos liberos ſuſtuliſſe, ex *lib.* V. *Epiſtolar. familiarium* CICERONIS *Epiſt.* 8. & ex eodem PLUTARCHO in *Cicerone*, *pag.* 873. & 878. conſtat, uxorem doxerit, legere non memini. Nam alterius Plutarchus, cui uſitatum eſt in ipſo limine cujuſque genus, familiam, conjugium narrrare, non meminit, & verbum συνοικεῖν de nuptiali conjunctione paſſim non apud Plutarchum modo, ſed & reliquos Graecos auctores accipi, tam certum eſt, quam quod certiſſimum, ut teſtimonia proferre putidae ſit futurum diligentiae. Atque adeo vetuſtum & antiquitate ipſa ſpectabilem ex inſigni Reginae bibliotheca manuſcriptum Plutarchi codicem exhibuit mihi egregius ille Antiſtes, qui nobis incredibili felicitate Plutarchum Gallice loquentem reddidit (*b*), in cujus margine ad eum locum, fugientibus jam literis, adnotatum eſt, Craſſum uxorem fratris duxiſſe, ut proinde temere mutanda non ſint, quae certam ſemper & conſtantem interpretationem habuere. His accedere & APULEJI ex *Apologia* pro ſeipſo *ſecunda*, *pag.* 513. aliud exemplum velim, quo cum viri mortui fratre Pudentillam tabulas nuptiales feciſſe narrat. Quod non poſſet aptius, quam ipſiſmet auctoris verbis referri. Sic autem habent: *Aemilia Pudentilla, quae nunc mihi uxor eſt, ex quodam Sicinio Amico, quicum antea nupta fuerat, Pontianum & Pudentem filios genuit, eoſque pupillos in poteſtate avi relictos paterni (nam ſuperſtite patre Amicus deceſſerat) per annos ferme quatuordecim memorabili pietate ſedulo aluit. Non tamen libenter in ipſo aetatis ſuae flore tamdiu vidua, ſed puerorum avus invitam eam conciliare ſtudebat alteri filio ſuo, Sicinio Claro, eoque ceteros procos abſterrebat, & praeterea minabatur, ſi extrario nupſiſſet, nihil ſe filiis ejus ex paternis eorum bonis teſta-*

(*a*) Μαρανθῆναι] Ita etiam edidit *Frider. Sylburgius*· qui mox ſequentem auctoris emendationem in ipſum textum recepit: ubi conſule ejus notas.

(*b*) REDDIDIT] Intelligit *Jac. Amiotum*, (quem jam ſupra laudavit) Epiſcopum Antiſſiodorenſem, Magnum Galliae Eleemoſynarium.

teſtamento relicturum. Quam conditionem cum obſtinate propoſitam videret mulier ſapiens, & egregie pia, ne quid filiis ſuis eo nomine incommodaret, facit quidem tabulas nuptiales, cum quo jubebatur, cum Sicinio Claro. Verumenimvero vanis fruſtrationibus nuptias eludit, eo ad, dum puerorum avus fato conceſſit, relictis filiis ejus heredibus, ita ut Pontianus, qui major natu erat, fratri ſuo tutor eſſet. Haec ille. Utcunque ſit, hujuſmodi certe matrimonia, ut ſupra citatis Impp. Conſtitutionibus, q ita Concilii Neocaeſarienſis. I. Canone ſecundo, & Agathenſis canon. XI. ſunt interdicta. TERTULLIANUS *lib.* IV. *adverſus Marcion. cap.* 34. de Johanne: *Is* (*a*) *enim*, ait, *retundens Herodem, quod adverſus legem fratris ſui defuncti uxorem duxiſſet, habentis filiam ex ea* (*b*), *conjectus in carcerem fuerat, & ab eodem poſtmodum occiſus* (*c*). *Si ergo, quoniam in lege praecipitur, ut qui fratris ſui uxorem ſine liberis defuncti in matrimonium adſumat, ad ſuſcitandum fratri ſuo ſemen, idque ſaepius evenire in unam perſonam poteſt, ſecundum callidam illam quaeſtionem Sadducaeorum, ideo & alias putant eam permiſſam frequentiam nuptiarum: intelligere primo debebunt rationem ipſius praecepti, & ita ſcient, illam rationem jam ceſſantem ex eis eſſe, quae evacuata ſunt legis. Neceſſario namque ſuccedendum erat in matrimonium fratris ſine liberis defuncti, primum, quia adhuc vetus illa benedictio decurrere habebat:* CRESCITE & REDUNDATE; *dehinc, quoniam patrum delicta etiam de filiis exigebantur; tertio, quoniam ſpadones & ſteriles ignominioſi habebantur. Itaque ne proinde maledicti judicarentur, qui non naturae reatu, at mortis praeventu orbi deceſſiſſent, ideo illos ex ſuo genere vicaria & quaſi poſthuma ſoboles ſupparabatur. At ubi &* CRESCITE ET REDUNDATE *evacuavit extremitas temporum, inducente Apoſtolo, ſupereſt, ut & qui habent uxores, ſic ſint, ac ſi non habeant, quia tempus in collecto eſt, & deſiit uva acerba a patribus manducata filiorum dentes obſtupefacere, (unus quiſque enim in ſuo delicto morietur) & ſpadones non tantum ignominia caruerunt, verum & gratiam meruerunt, invitati in regna coelorum, ſepulta lege ſuccedendi in matrimonium fratris, contrarium ejus obtinuit, non ſuccedendi in matrimonium fratris.* Quin etiam cum Aegyptiorum quidam mortuorum fratrum conjuges matrimonio ſibi copularent hoc colore, quod virgines manſiſſe dicerentur, forte profecto a Judaeis more, apud quos fratre mortuo abſque liberis fratrem ſuperſtitem ſobolem excitare lege praecipiebatur: ZENO eas nuptias, & qui eas contraxiſſet, & inde ſuſceptos liberos, inceſtarum nuptiarum poenis ſubjacere voluit. r Titum plane Imperatorem animam agentem unius duntaxat peccati poenitere ſe teſtatum eſſe XIPHILINUS *lib.* LXVI. *pag.* 758. refert. Conjeciſſe autem quoſdam id eſſe, quod Domitiani fratris uxorem in deliciis habuiſſet. Uxoris etiam ſororem ducendi, & ſic duabus ſororibus conjungendi licentiam, diſſoluto quoquomodo conjugio, Impp. VAL. THEOD. & ARCAD. ſubmoverunt. s HONORIUS tamen Imp. duas Stiliconis filias, unam poſt alteram, in matrimonio habuiſſe fertur. Sed quam infelix fuerit utriuſque matrimonii exitus, hiſtoriarum monumenta teſtantur. Ex neutra enim liberos ſuſcepit, morteque immatura utraque obiit, ut ZONARAS *Tomo* III. *Annalium* (*lib.* XIII. *pag.* 39.) his verbis narrat: Ἄγεται, ait, de Honorio loquens, πρῶτον τὴν Στιλικῶνος θυγατέρα Μαρίαν εἰς γαμετὴν, ἧς θανούσης λέγεται τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς Θερμαντίαν γῆμαι ἐν ἁπαλῇ τυγχάνουσαν ἡλικίᾳ, κἀκείνη δὲ ταχὺ ἐπιλέλοιπεν. *Duxit igitur Stiliconis filiam Mariam uxorem, qua mortua, fertur ejus ſororem Thermatiam duxiſſe, immaturae tum aetatis, quae & ipſa celeriter mortua eſt.* MARCELLINUS COMES in *Chronico* (*d*). *Stilico comes, cujus duae filiae, Maria & Tharmantia, ſingulae uxores Honorii principis fuere, utraque tamen virgo defuncta, ſpreto Honorii regno. regnum inhians,* & quae ſequuntur. PAULUS DIACONUS *lib.* XIV. *Appendicis* ad *Eutropium*: *Ei*, ait, *ſoboles nulla fuit: nam duae Stiliconis filiae, id eſt, Maria & Tharmantia,* (ſic enim lege) *una poſt alteram ei conjugio ſociatae, utraque Dei judicio inopinata morte praeventae, ex hac luce virgines migravere.* BASILIUS MAGNUS in *Epiſt.* ad *Diodorum*, *Tarſi Epiſcopum* (*e*), ſub cujus nomine ſcriptum

q L. 5. *fratris.* & *L. ult. C. de inceſt. nupt. L.* 17. *ne minis. C. de nupt. L.* 1. (*al.* 2.) & 3. (*al.* 4.) *C. Th. de inceſt. nupt. lib.* III. *tit.* 12.

r L. 8. *licet. C. de inceſt. nuptiis.*

s L. 5. *fratris. C. de inceſt. nuptiis.*

(*a*) IS] In *ed. Pariſ.* periodus ita incipit: *Joannes enim.*

(*b*) EX EA] In *ed. Pariſ.* legitur *ex illa*, & inſeritur parentheſis haec: *non alias hoc permittente, immo & praecipiente lege, quam ſi frater illiberis deceſſerit, ut a fratre ipſius, & ex coſta ipſius ſupparetur ſemen illi.*

(*c*) OCCISUS] Comma hoc in *ed. Pariſ.* ita plenius legitur: *& ab eodem Herode poſtmodum & occiſus.* Sequentia verba non ſunt ex eodem, ex quo ſuperiora, libro, ſed deſumta ſunt ex *libro de Monogamia*, *cap.* 7.

(*d*) CHRONICO] Locus hic legitur in Opere Euſebiano, ex *ed. Joſephi Scaligeri* noviſſima, *pag.* 37. ubi ultima verba ita eduntur: *ſpreto Honorio, regnumque ejus inhians.*

(*e*) EPISCOPUM] Eſt in veteribus editionibus *Epiſt.* 197. in *nov. Benedict. ed.* eſt *Epiſt.* 160. *Tom.* III. *Opp. pag.* 249.

ptum quoddam vulgatum erat, quo aſſerebat, fas eſſe mortuae uxoris ſororem ducere in matrimonium. Ei opinioni objicit conſuetudinem, & eam quidem vim legis obtinentem, quod a ſanctis viris ad nos ſit deducta. Conſuetudo autem ejuſmodi eſt, ut ſi quis impudico atque impuro affectu victus in tam illicitam conjunctionem inciderit, ut duabus ſe ſororibus matrimonio copularit, neque nuptias contraxiſſe videri hunc, neque antea in Eccleſiae communionem admitti debere, quam ſe invicem ſeparaverint. Verumenimvero duorum fratrum liberi invicem recte matrimonio jungebantur, t conſobrinaeque uxoris ductae fit in pleriſque Pandectarum locis mentio. v Sic Tullias, duas Regis Servii Tullii filias, Lucio & Arunti Tarquiniis, Priſci Tarquinii nepotibus, conſobrinis ſuis, matrimonio junctas fuiſſe, DIONYSIUS HALICARN. *lib.* IV. *Antiquit. pag.* 232. refert. Sed manifeſtum eſt eo loci in Graeco Codice erratum. Ita quippe ſcriptum eſt: Ἦσαν δὲ Τυλλίῳ δύο θυγατέρες ἐκ γυναικὸς γενόμεναι Ταρκυνίας, ἣν ἐνεγγύησεν αὐτῷ Βασιλεὺς Ταρκύνιος· ταύτας τὰς κόρας ἐπιγάμους γενομένας ἐκδίδωσι τοῖς ἀδελφοῖς τῆς μητρὸς αὐτῶν υἱωνοῖς τε Ταρκυνίου. Secundum quam ſcripturam hoc Halicarnaſſeus ait: *Erant Servia Tullio filiae duae ex uxore Tarquinia, quam ei rex Tarquinius Priſcus deſpondit. Has puellas viro maturas & nubiles nuptum dedit fratribus matris earum, nepotibus Tarquinii.* Quod utique conſiſtere non poteſt. Nam Tarquiniam, Tullii conjugem, filiam fuiſſe Tarquinii Priſci in confeſſo eſt: Lucium vero & Aruntem Tarquinios, non Tarquinii Priſci filios, ſed nepotes fuiſſe omni adſeveratione contendit Halicarnaſſeus, & eorum, qui contra ſentiebant, opinionem accuratiſſime refutat (*a*): pugnantque inter ſe, nepotes fuiſſe Tarquinii, & fratres Tarquiniae Tullii conjugis: & hoc modo non conſobrinis, ſed avunculis junctae fuiſſent Tulliae. Itaque procul dubio legendum eſt ἀδελφιδοῖς (*b*), id eſt, nepotibus per fratrem, ſeu υἱοῖς ἀδελφοῦ τῆς Ταρκυνίας. Nam, ut ille exiſtimat, ex Tarquinii Priſci filio, qui in juvenili aetate mortem obierat, nati erant. Quamquam LIVIO probabilius videtur, Tulliarum non conſobrinos eos, ſed avunculos fuiſſe. Verba ejus haec ſunt *lib.* I. ab. U. C. *cap.* 46. *Hic Lucius Tarquinius, Priſci Tarquinii Regis filius nepoſve fuerit, parum liquet: pluribus tamen auctoribus filium crediderim. Fratrem habuerat Aruntem Tarquinium, mitis ingenii juvenem. His duobus, ut ante dictum eſt, duae Tulliae filiae nupſerant.* Haec ille. Sunt & alia complura ejuſmodi matrimoniorum in hiſtoriis exempla. Legimus enim Brutum duxiſſe uxorem Portiam conſobrinam ſuam: & CICERO refert in *oratione pro Cluentio cap.* 5. quandam Cluentiam rite nupſiſſe M. Aurio Melino conſobrino ſuo. Namque Auguſtum filiam ſuam Juliam Marcello, Octaviae ſororis ſuae filio, nuptum dediſſe a DIONE x & SUETONIO y relatum eſt: & filium ſuum immatura morte praereptum QUINCTILIANUS lugens, avunculo eum generum deſtinatum ſignificat. z Sed & Conſtantius Imp. ſororem ſuam, quam in Graecis SOCRATIS * codicibus *Helenam*; in Latinis CASSIODORI † *Conſtantiam* nominari invenio, Juliano in matrimonium tradidit, atque ita patruelis patrueli juncta eſt. Julianus enim ex Conſtantio, Conſtantini Magni conſanguineo fratre, ortus erat. Quanquam ſobrinarum diu Romae ignorata conjugia TACITUS *Annal. lib.* XII. *cap.* 6. memorat, poſteaque tempore addito ea percrebuiſſe. Quo quidem in Taciti loco illud ſumme notandum eſt, ſobrinarum vocabulum vel pro conſobrinis uſurpatum, vel potius ita emendandum, cum quidem de ſobrinarum conjugio nunquam fuerit dubitatum, utpote duobus gradibus a conſobrinis diſſitarum. Id quod & PLUTARCHUS ἐν Αἰτίοις ſive *Quaeſt. Rom. cap.* 6. confirmat has nuptias plebiſcito permiſſas ſignificans: Πρότερον γὰρ, inquit, οὐκ ἐγάμουν τὰς ἀφ' αἵματος, ὥσπερ οὐδὲ νῦν τηθίδας, οὐδ' ἀδελφὰς γαμοῦσιν, ἀλλ' ὀψὲ συνεχώρησαν ἀνεψιαῖς συνοικεῖν ἐκ τοιαύτης αἰτίας. Ἀνὴρ χρημάτων ἐνδεὴς, τἄλλα δὲ χρηστὸς, καὶ παρ' ὁντινοῦν τῷ δήμῳ τῶν πολιτευομένων ἀρέσκων, ἐπίκληρον ἀνεψιὰν ἔχειν ἔδοξε, καὶ πλουτεῖν ἀπ' αὐτῆς· ἐπὶ τούτῳ δὲ γενομένης αὐτοῦ κατηγορίας, ὁ δῆμος ἀφεὶς τὴν αἰτίαν ἐλέγχειν, ἔλυσε τὸ ἔγκλημα, ψηφισάμενος, πᾶσιν ἐξεῖναι γαμεῖν ἄχρις ἀνεψιῶν, τὰ δὲ ἀνωτέρω κεκωλῦσθαι. *Olim Romani non ducebant uxores ſanguine conjunctas, ſicut ne nunc quidem ducunt materteras, aut ſorores: ſero conceſſum fuit, ut ducere conſobrinas liceret propter hanc cauſam. Vir quidam pauper, ſed bonus, & qui propterea populo, ſi quiſquam alius, erat carus, conſobri-*

t §. 4. *duorum. Inſtitut. de nupt. l.* 3. & *l.* 67. *non ſolum.* §. 1. *D. de ritu nupt. L.* 2 *C. de Inſtit & ſubſtitution.*

v *L.* 23. & 24. *D. de condit. inſtit. l.* 78. *Lucius* § 8. *filiam D. ad SC. Trebell.*

x *Lib.* LIII. *pag.* 515.

y *in Auguſto cap.* 63.

z *Lib.* VI. *Orat. inſtit. Prooem.*

* *Hiſtor. Eccleſ. lib.* III. *cap.* 1.

† *Hiſtor. tripart. lib.* VI. *cap.* 1.

(*a*) REFUTAT] Et recte quidem: cujus argumentis addi poteſt, quod nuptiae cum avunculis illicitae eſſent apud Romanos. Quod vero sb sltis pro filiis Tarquinii Priſci habiti fuerint, id ſine dubio exinde venit, quod patre naturali orbati, sb svo, non ſecus ac filii, educati fuerint, quodque in locum patris ſuccedentes, primum in avi familia locum, non ſecus ac filii, obtinuerint, avoque adeo ſui heredes fuerint.

(*b*) Ἀδελφιδοῖς] Hanc lectionem in textum recepit *Frid. Sylburgius.*

ſobrinam, unicam paternorum bonorum heredem, uxoris loco habere putabatur, & ab illa divitias accipere. Cui quum eſſet eo nomine dies dicta, populus omiſſa cauſae cognitione, eum abſolvit, legemque tulit, ut omnibus liceret conſobrinas uxores ducere, ſuperiorum vero graduum conjugium vetuit. In cujus loci verſione interpres non contemnendo errore lapſus eſt. Vocem enim ἀνεψιαῖς, de neptibus interpretatur, qua tamen appellatione illic conſobrinas exaudiendas conſtat. Duorum enim fratrum ſororumve filii, filiae ἀνεψιοὶ & ἀνεψιαὶ inter ſe ſunt. Cujus rei vel locuples teſtis eſt POLLUX *lib.* III. *Onomaſt. cap.* II. *ſegm.* 28. *pag.* 279. M. Antoninus Philoſophus habuit uxorem Ammiam Fauſtinam, conſobrinam ſuam, ut ſcribit JULIUS CAPITOLINUS *cap.* 1. & Didius Julianus, qui Pertinaci in imperio ſucceſſit, dicitur filiam ſuam fratris filio deſpondiſſe, ut idem CAPITOLINUS in *Pertinacis vita, cap.* 14. refert (*a*). At religioſiſſimus Princeps, pudoriſque, continentiae ac pietatis diligentiſſimus, THEODOSIUS MAJOR, etiam has nuptias
* *ep. 66.* prohibuit, quemadmodum AMBROSIUS *lib.* VIII. *Epiſt.* (*b*) indicat. * *Nam Theodoſius*, inquit, *Imperator etiam fratres patrueles & conſobrinos vetuit inter ſe conjugio convenire* (*c*), *& ſeveriſſimam poenam ſtatuit, ſi quis temerare auſus eſſet fratrum pia pignora. Et tamen illi invicem ſibi aequales ſunt, tantummodo quia propinquitatis neceſſitudine, & fraternae ſocietatis ligantur vinculo, pietati eos voluit habere, quod nati ſunt.* Meminerunt & hujus Theodoſianae Conſtitutionis, hoc eſt, paternae, HONORIUS & THEODOSIUS ejus filii in *l.* 1. *C. Th. ſi nupt. ex reſcript. petant. lib.* III. *tit.* 10. itemque SEXTUS AURELIUS VICTOR *cap.* 48. apud quem ita eſt: *Illa tamen, quibus Trajanus aſperſus eſt, vinolentiam ſcilicet, & cupiditatem triumphandi, uſque eo deteſtatus eſt, ut bella non moverit, ſed invenerit, prohibueritque lege miniſteria laſciva, pſalteriaſque comeſſationibus adhiberi, tantum pudori & continentiae tribuens, ut conſobrinarum nuptias vetuerit, tanquam ſororum.* Quae poſteriora verba ab eo ſumpſit PAUL. DIACONUS *lib.* XII. *appendicis ad Eutrop.* apud quem tamen *myſteria* pro *miniſteria* in nonnullis codicibus male legitur. Vide & CASSIODORUM *lib.* 7. *Variar.* in *formula* (46) *rite ducendae conſobrinae ex reſcripto.* Atque ad hanc Theodoſii conſtitutionem referendum eſt, quod B. AUGUSTINUS *lib.* XV. *de civitate Dei, cap.* XVI. ſcribit: *Experti autem ſumus in connubiis conſobrinarum etiam noſtris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. Verum tamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti, & quod fiebat cum conſobrina, pene cum ſorore fieri videbatur, quia & ipſi inter ſe propter tam propinquam conſanguinitatem fratres vocabantur, & pene germani ſunt.* Et mox: *Verum tamen quis dubitet, honeſtius hoc tempore etiam conſobrinarum* (*d*) *prohibita eſſe conjugia, non ſolum ſecundum ea, quae diſputavimus, propter multiplicandas affinitates, ne habeat duas neceſſitudines una perſona, cum duae poſſint eas habere, & numerus propinquitatis augeri; ſed etiam quia neſcio quomodo ineſt humanae verecundiae quiddam naturale atque laudabile, ut cui debet cauſa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem tamen libidinem, de qua erubeſcere videmus etiam ipſam pudicitiam conjugalem.* Porro obiter notandum eſt, male AMBROSIUM in ejuſdem epiſtolae loco ſuperius a nobis citato tribuere prohibitionem talium nuptiarum legi divinae, melius enim AUGUSTINUS ſcribit, eas a lege divina non prohiberi, ſiquidem in *Levitico cap.* 18. ubi enumerantur omnes perſonae, quae prohibentur matrimonio conjungi, nulla conſobrinorum fit mentio. Similis quoque eſt error PHILONIS (*e*), vel potius ejus interpretis, qui ſcribit, per legem Moſaicam prohiberi uxorem duci conſobrinam: male. Philo enim dixit υἱιδῆν, id eſt, neptem ex filio. Sicut & θυγατριδῆν dixerat, neptem ex filia. In contrarium errorem incidit *Haloander* in verſione Canonum Apoſtolicorum *cap.* 18. cum ἀδελφιδῆν vertit conſobrinam, cum vertere debuiſſet fratris filiam. Verum illam THRODOSII conſtitutionem ARCADIUS & HONORIUS, ejus filii poſtea abrogaverunt, quorum de ea re conſti-

(*a*) REFERT] At SPARTIANUS in *vita Juliani, cap.* 2. dicit, eum filiam ſuam affini deſpondiſſe: & hoc eſt verius. Vide gentis Salviae genealogiam in *Jo. Gottl. Heineccii Hiſtoria juris, pag.* 284. *ed. noviſſ.*

(*b*) EPIST.] Eſt *Epiſt.* 66. in vetuſtioribus *edd. Epiſt.* 48. in *ed. Rom.* & *Epiſt.* 60. in *nov. Benedict. ed. Pariſ.*

(*c*) CONVENIRE] In *ed. Pariſ.* legitur: *conjugii convenire nomine.* Circa finem *h. l.* pro *habere*, in dicta ed. legitur: *debere.*

(*d*) CONSOBRINARUM] In *ed. Pariſ. Bened.* ex MSS. Codd. legitur: *conſobrinorum.* In ſequentibus pro *verecundum* ibi ex MSS. Codd. emendatur *reverendum.*

(*e*) PHILONIS] Auctor ſine dubio prae oculis habuit locum in *libro poſter. de legibus ſpecial. pag.* 780.

ſtitutio in *Codice Juſtiniani* exſtat in haec verba: [a] *Celebrandis inter conſobrinos matrimoniis licentia legis hujus ſalubritate indulta eſt, ut revocata priſci juris auctoritate, reſtinctiſque calumniarum fomentis, matrimonium inter conſobrinos habeatur legitimum, ſive ex duobus fratribus, ſive ex duabus ſororibus, ſive ex fratre & ſorore nati ſint.* Refragari tamen duae eorundem Imperatorum Conſtitutiones videntur, quae in *Cod. Theodoſ.* referuntur. Una.[b] ſub *titul. Si nuptiae ex reſcripto petant.* Altera [c] ſub *tit. De inceſtis nuptiis.* Sed ego ANIANUM illis Conſtitutionibus violentas manus attuliſſe ſuſpicor, cum ad Gothorum ſuosum, in quorum gratiam ex Alarici Regis psaecepto breviarium Codicis conſcripſit, uſum, Conſtitutiones illas accommodare ſtuderet. (*a*) Quod ex collatione earundem Conſtitutionum, cum iis, quae ſub iiſdem Rnbricis in Codice Juſtiniani collocatae ſunt, deprehendi poteſt. Neutro enim loco in Juſtiniani Codice de conſobrinarum nuptiis fit mentio. Sed & Conſtitutioni ARCADII & HONORII inceſtarum nuptiarum poenam idem Anianus, ex gentis ſuae moribus, ignis & pſoſcsiptionis, ab eosum Imperatorum ſententia abhorrentem (*b*), inſeruit. Ac ut ſemel dicam, quod ſentio, quod Tribonianus in Pandectas & Codicem pro imperio auſus eſt, idem Anianus in breviarium Codicis Theodoſiani & Caji Inſtitutiones admittere non dubitavit. Itaque illis in libris plerumque Tsibonianus & Anianus pro antiquis Juſiſconſultis atque Imperatoribus leguntur. Quale illud eſt, quod apud CAJUM in *Inſtit. lib.* I. *tit.* 3. §. 1. legitur, Cives Romanos effici ſesvos tribus modis, id eſt, teſtamento, aut in Eccleſia, aot ante Conſulem manumiſſos. Nec enim dubium eſt Cajum cum CICERONE *Topicis*, *cap.* 2. & ULPIANO in *Inſtit.* ſive *Fragm. tit.* 1. §. 6. ſcsipſiſſe, libertos eos cives Romanos eſſe, qui teſtamento, cenſu, vindicta, manumiſſi eſſent. Manumiſſiones quippe in Eccleſia Cajus ignosabat, quibus vires atque robus CONSTANTINUS MAGNUS psimus tribuit. Et ne longius a propoſito recedam, in earundem CAJI *inſtitutionum Epitome*, *lib.* I. *tit.* IV. §. 6. cujus Anianus, aut ejuſdem ſarinae alius auctor eſt, fratres amitinos, vel conſobsinos in matrimonio jungi nulla ratione permitti ſcriptum eſt: quod tamen civili juris antiqui definitioni adverſatur (*c*). Similites THEOPHILUS, ad ſuorum qnoque temporum rationem jus antiquum detorquens, contra Juſtiniani mentem ſcripſit (*d*): Δύο ἀδελφῶν ἀῤῥένων ἢ θηλειῶν παῖδας οὐ δύναθαι περὶ γάμον συναφθῆναι. *Duorum fratrum liberos, ſive maſculos, ſive feminas, non poſſe inter ſe connubio jungi.* Nam earum nuptiarum psohibitio ex secentiorum Imperatorum Conſtitutionibus, quibus & Conciliorum Eccleſiaſticorum canones acceſſesunt, deſcendit, nt ex Concilio Romano, quod imperante Leone, ſub urbis Romanae Epiſcopo Gsegorio III. celebratnm eſt, patet. Gothorum utique, ut & Alemanorum legibus, conſobsinorum conſobsinarumque interdictae ſuere nuptiae. In Alemanorum enim legibus, quas eis Clotharius Rex deſcripſit, ita legitus Tit. XL. *Nuptias prohibemus inceſtas: itaque uxorem habere non liceat ſocrum, nurum, privignam, novercam, filiam fratris, filiam ſororis, fratris uxorem, uxoris ſororem: Filii fratrum, filii ſororum, inter ſe nulla praeſumptione jungantur. Si quis contra hoc fecerit, a loci judicibus ſeparetur, & omnes facultates amittat, quas fiſcus acquirat. Si minores perſonae ſunt, quae ſe illicita conjunctione polluerunt, careant libertate, ſervis fiſcalibus adgregandae.* Nunc

a *L.* 19. *Celebrandis. C. de nupt.*

b *L. un. ſi nupt. ex reſcript. pet. in C. Th. lib.* III. *tit.* 10.

c *L.* 3. *de inceſt. nupt. in C. Th. lib.* III. *tit.* 12.

(*a*) STUDERET] Anianum abſolvit ah hac imputatione, alioque modo hanc apparentem antinomiam ſolvit *Jac. Gothofredus* in *Comment. ad L.* 3. *C. Theod. de inceſt. nupt. lib.* III. *tit.* 12. Nimirum, laudata *L.* 3. *C. Th.* & *L.* 19. *C Juſt. de nupt.* auctorem habent ARCADIUM: at *L. un. C. Th. ſi nuptiae ex reſcr. pet. lib.* III. *tit.* 10. auctorem agnoſcit HONORIUM. Arcadius ergo primum A. C. 396. (quo *L.* 3. *C. Th. de inceſt. nupt.* condita eſt) improbavit conſobrinorum nuptias, poenas tantum a patre impoſitas mitigavit. Idem vero poſtea A. C. 405. (quo condita *L.* 19. *C. Juſt. de nupt.*) haſce nuptias in univerſum permiſit. Honorius contra in *L. un. C. Th. ſi nupt. ex reſcr. pet.* nuptias haſce non niſi ex reſcripto legitimas eſſe voluit.

(*b*) ABHORRENTEM] Hoc merito reprehendit *Jac. Gothofredus* in *Comm. ad L. un. C. Th. ſi nupt. ex reſcr. pet.* Nam ignis poena in inceſtis nuptiis non erat inuſitata Romanis.

(*c*) ADVERSATUR] Vide ibi Interpretes.

(*d*) SCRIPSIT] THEOPHILUM non conſueviſſe aliquid ex jure recentiori addere, & *Anton. Schultingius* in *Juriſpr. antejuſt. pag.* 39. notavit, & ipſe quoque ex ſedula hujus JCti lectione obſervavi. Nihil enim de ſuo addere voluit, niſi quod ad ipſius textus explicationem eſſet neceſſarium. Eſt ergo particula οὐ ex gloſſa marginali: niſi quis ſtatuere malit, in ipſo textu *Inſt.* §. 4. *de nupt.* particulam negativam eſſe inſerendam, id quod nuperrime probatum ivit *Georg. d'Arnaud Conject. lib.* I. *cap.* 23. Rem incertam reddit frequentiſſima jurium hac in parte mutatio. Confer praeter Interpp. ad *d.* §. *Inſtit. Jac. Gothofredi Comment.* ad *ll. Cod. Th.* laudatas, inprimis vero Viri Ampliſſimi, *Ever. Ottonis Diſſ. de nuptiis conſobrinorum*, quae inter ejus *Diſſert. Ultraj.* 1723. junctim editas reperitur.

Nunc ad reliqua pergamus. Amitam quoque & materteram uxorem ducere non conceditur, quoniam, ut JUSTINIANUS ait, [d] parentum locp habentur. Unde apud HALICARNASSEUM *lib.* IV. *pag.* 271. Brutus inter cetera, quae Tarquinio Superbo vitio dat, hoc ut probrum objicit, quod Servii Tullii uxorem, Tarquiniam, ἥν, ait, *προσῆκεν αὐτῷ τιμᾶν ὥσπερ μητέρα, πατρὸς ἀδελφὴν οὖσαν*, *quam ille colere debebat tanquam matrem, quum eſſet patris ſoror*, antequam viro juſta feciſſet, laqueo necaſſet. Itaque exterminandi Syllani, ſibi inviſi, cauſa, Nero accuſatores, TACITO [e] teſte, ſummiſit, qui cum Lepida, amita ejus, Caſſii uxore, inceſti eum poſtularent. Illae etiam ſunt injuſtae nuptiae, quae legitimo conſenſu carent. Nuptiae enim conſenſu ſolo contrahentium fiunt. Quare cum furioſo furioſave matrimonium contrahi nequit. [f] Nec enim voluntatem, ſenſum, intellectumve habent. Diſſimilis mutorum ſurdorumque cauſa eſt, quibus, utpote conſenſus compotibus, valetudo, vitiumque corporis, quo minus matrimonium contrahant, non obeſt. [g] Quamquam autem matrimonium contrahi furor non ſinit, rite tamen contractum non diſſolvit: [h] similiterque, qui ſponſalibus contrahendis ab initio impedimento fuiſſet, furor, idem poſtea ſuperveniens, jam contracta ea non dirimit. [i] Ceterum non conſenſum duntaxat eorum, qui coëunt, ſed & eorum, quorum in poteſtate ſunt, exigimus. [k] Idque naturali ratione, ex qua parentibus debita reverentia atque obſervantia deſcendit, [l] & civili jure, quo patriae poteſtatis jus receptum eſt, [m] deſiderari, belle JUSTINIANUS ſcribit. [n] Filiis ergo familias abſque parentum voluntate juſtas nuptias contrahere non licet. Qui locus a tam multis jam tractatus eſt, ut nobis non ſit haec diſputationis materia attentanda. Quid enim, ut de noſtris taceam, ad D. CLAUDII ESPENCAEI, eruditiſſimi celeberrimique Theologi, qui hanc quaeſtionem accuratiſſime perſecutus eſt, copiam addi poſſit? Itaque ea demum, quae inſtituti operis ratio neceſſario poſtulat, attingam. Conſequens eſt autem, cum juſtae ac legitimae non ſint nuptiae, patre minime conſentiente factae, juſtos ac legitimos non haberi inde ſuſceptos liberos, ac per hoc, ut APULEJUS infert, [o] ſpurios naſci. Quod tamen vereor, ne recte dicatur ab Apulejo: nolim enim dicere ſpurios naſci ex hujuſmodi nuptiis, cum longe alii ſint injuſti liberi, & longe alii ſpurii. Nam ſpurii non niſi ex ſcorto naſcuntur (*a*). Injuſti vero civiliter intelliguntur, qui ſuſcepti ſunt ex nuptiis civiliter injuſtis, non jure civili, nec ritu Romano contractis, nec ii ſunt ſui, nec filiiſam. in poteſtate patris: ſed non propterea ſunt ſpurii. Verba autem APULEJI haec ſunt: *Impares nuptiae, & praeterea in villa, ſine teſtibus, & patre non conſentiente factae, legitimae non poſſunt videri: ac per hoc ſpurius iſte naſcetur, ſi tamen partum omnino proferre te patiemur.* Nec refert, vivone avo, an poſt ejus mortem, in lucem edantur; cum patris morte, quae ab initio injuſtae ſunt, non eo magis convaleſcant nuptiae. [p] Infamiae quoque notam non evadere eum, qui ſciens uxorem, non juſſu ejus, cujus in poteſtate eſt, duxerit, ipſa Praetoris de infamibus edicti verba declarant. [q] Nepoti autem uxorem ducenti, tam avum, quam patrem conſentire debere, PAULUS teſtatur. [r] Aliter atque ſi neptis nubat, cui ſolius avi auctoritatem ſufficere (an hoc ideo, quod in alienam familiam tranſit? (*b*)) tradit. Cum tamen pater furit, avus ſapit, avi ſolius auctoritas ſufficit. [s] Qua in ſpecie, aut etiam ſi morte, vel emancipatione pater de medio ſit ſubductus, procedere poſſe *Accurſius* monet: quod PAULUS ex *Pomponio* ſcribit, [t] ſi nepotem ex filio, neptem ex altero filio in poteſtate habeam, nuptias inter eos me ſolo auctore contrahi poſſe. Verſa vice, ſi avus furore teneatur, nepoti patris ſolius voluntas exquirenda eſt. Is plane, cujus pater ab hoſtibus captus eſt, ſi non intra triennium revertatur, uxorem ducere poteſt. [v] Pari modo ſi ita pater abſit, ut, ubi gentium ac locorum ſit, ignoretur, poſt triennium, ex quo apertiſſime fuerit ignotus, ubi degat, & an ſuperſtes ſit, non prohibentur liberi ejus utriuſque ſexus nuptias abſque ejus auctoritate contrahere. [x] Sed & ſi ante triennium nuptias contraxerint, dummodo eam filius uxorem duxerit, vel filia hujuſmodi homini nupſerit, ut certum ſit, patrem, ſi adeſſet, ejus conditionem non repudiaturum, nuptiae valebunt. [y] Enimvero conſenſus patris non ita accipiendus eſt, ut

d § 5. *Item amitam. Inſtit. de nupt.*
e *lib.* XVI. *Annal. cap.* 8.
f *L.* 8. *furor. D. de ſponſalib. L.* 16. *oratione. in fin. D. de ritu nupt.*
g *L.* 124. *voce. D. de regul. jur. l.* 48 *in quibuſcumque. D. de obligat. & actionibus.*
h *L.* 8. *patre furioſo. D. de his, qui ſunt ſui vel al. jur. d. L.* 16. *oratione. in fin. D. de ritu nupt.*
i *d. L.* 8. *furor. D. de ſponſal.*
k *L.* 2. *D. de ritu nupt.*
l *L.* 1. *veluti. D. de Inſtit. & jure.*
m *d. L.* 8. *patre furioſo. D. de his, qui ſui vel al. jur. ſunt.*
n *pr. Inſtit. de nupt.*
o *lib.* VI. *Metamorph. ſ. de aſino aureo. pag.* 182.
p *l.* 11. *Paulus. D. de ſtat. hominum.*
q *L.* 1. *D. de his, qui not. infamia.*
r *L.* 16. *oratione §.* 1. *D. de ritu nupt.*
s *l.* 9. *ſi nepos. D. de ritu nupt.*
t *L.* 3. *ſi nepotem. D. de ritu nupt.* v *l.* 9. *ſi nepos. § ult D. de ritu nupt.* x *L.* 10 *ſi ita. D. de ritu nupt.* y *L.* 21. *ſi filius. D. eod. titulo.*

(*a*) NASCUNTUR] Sed haec, quam JCti excogitarunt, differentia, vulgo ſine dubio apud Romanos non tam exacte fuit obſervata. APULEJUS vero non ut JCtus, ſed ex more vulgari loquitur.

(*b*) TRANSIT] Et recte quidem: nam in hac ſpecie verendum non erat, quod in priori ſpecie, ut alicui invito ſuus heres agnoſceretur, id quod jura non patiuntur.

ut ſatis ſit, mandatum filiae mariti quaerendi dediſſe: nam & perſonam patri demonſtrari oportet. [z] Patris autem ad nuptias conſtituendas juſſum praecedere oportere JUSTINIANUS tradit: [a] Ubi juſſum pro voluntate accipiendum eſſe conſtat. Velle porro intelligitur, ſi quod agitur ſciat, nec evidenter diſſentiat. [b] Contrariam quippe voluntatem conteſtari neceſſe eſt. Alioquin ſi taceat, nec contradicat, pro juſſu & conſenſu ſilentium ejus interpretamur. [c] Itaque nutu & litteris, & per nuntium patris conſenſum interponi poſſe dubium non eſt. [d] Conſenſus porro, qui in aliis cauſis exigitur, vel ex intervallo & negotio jam perfecto, cum effecto interponitur. Quod & in hac quaeſtione probare videtur, Juſtiniano prima fronte contrarius, PAPINIANUS, cum ita ſcribit: [e] *Dotis promiſſio non ideo minus valebit, quod ignorante initio patre nuptiae factae fuerint* (*a*), *ſi poſtea conſenſerit: cum omnis dotis permiſſio futuri matrimonii tacitam conditionem accipiat.* Verum ea, meo quidem judicio, verba ſic accipienda ſunt, ut ex die accommodati conſenſus incipiant nuptiae eſſe, exindeque dos peti poſſit. Quod ita cenſuiſſe PAPINIANUM indicio ſunt ſequentia ejus verba, quibus objicit, maritum a petitione dotis, cujus promiſſio ad primas tantum, non etiam ad ſecundas nuptias extenditur, repellendum videri. Cui objectioni locum non eſſe in ſpecie propoſita ſignificat, quoniam accedente demum patris conſenſu, nuptiae eſſe coeperint. Plane conſenſus ſui qualem qualem, dum tamen apertam, ſignificationem dare patrem ſufficit, nec tabulis nuptialibus ac dotalibus ſubſcribere eum neceſſe eſt (*b*). Haec ita in filiorumfam. matrimoniis ſervantur: Emancipati vero filii citra parentum conſenſum juſtas nuptias contrahunt, [f] nec intereſſe exiſtimo, juſtaene aetatis ſint, an minores XXV. annis, cum hujus diſtinctionis nullum Conſultorum Imperatorumve auctorem habeamus. Quamquam *Accurſio* aliter videri ſcio, qui quod de feminis propter infirmitatem ac fragilitatem ſexus ab Impp. conſtitutum eſt, [g] ad mares porrigere nulla probabili ductus ratione conatur. [h] Proinde minime dubium eſt, juſte quaeſitos filios videri, & ſuos heredes patri adnaſci, quos emancipatus ex uxore, non ex patris voluntate ducta, ſuſceperit. Atque adeo ad bonorum quoque poſſeſſionem avi, cujus teſtamento praeteriti ſunt, eos patre mortuo admitti ULPIANUS ſcribit: [i] *Non enim*, ait, *per reſciſſionem is, qui filius juſtus eſt, efficitur non filius, cum reſciſſio quo magis admittatur, non quo minus, adhibeatur.* Quae verba obſcurum ſenſum habent, & licet iis facem jam eruditiſſimi aliquot viri praetulerint, quia tamen, ut eſt in proverbio, δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά, decieſque repetita placent, non pigebit familiarem eorum verborum interpretationem facere. Sciendum eſt igitur, Praetorem, qui juris civilis cuſtodiendi magis, quam convellendi atque infringendi cauſa conſtitutus erat, ne aperte contra juris civilis auctoritatem emancipatis praeteritis ſubvenire videretur, quibus tamen naturali ratione ſuccurri aequum erat, eorum capitis diminutionem reſcindere conſueviſſe, [k] ut eo facto quaſi poteſtati patris redditi, contra tabulas bonorum poſſeſſionem peterent. Hac ratione, dixiſſet aliquis, nepotem, quem emancipatus ex matrimonio citra conſenſum patris contracto ſuſtulit, avitum teſtamentum per bonorum poſſeſſionem expugnare non poſſe, quoniam ut ad bonorum poſſeſſionem admittatur, reſcindi patris ejus emancipationem neceſſe ſit: qua etiam reſciſſa, videbitur non ex juſtis nuptiis nepos hic conceptus, quae parentis conſenſu (in cujus poteſtatem per reſciſſionem emancipationis patrem ejus redigimus) non fuerint firmatae. Huic tacitae objectioni ULPIANUS occurrens, reſciſſionem emancipationis (ſic enim interpretari convenit) quae a Praetore fit, eo comparatam eſſe ſcribit, ut aditum ad bonorum poſſeſſionem emancipatis

z *L. 14. generali. D. eod. tit.*
a *pr. Inſtit. de nuptiis.*
b *L. 7. in ſponſalibus. in fine. D. de ſponſal. arg. l. 2. §. 2. D. ſol. matr.*
c *L. 7. ſi ut propoſitis. C. de nupt.*
d *Arg. L. 93. pater. §. 1 D. de acq. hered. L. 2. D. de oblig. & act. L. 2. D. de pact.*
e *L. 68. Dotis promiſſio. D. de jure dot.*
f *L. 25. filius emancipatus D. de ritu nuptiar.*
g *L. 18. viduae. & L. 20. in conjunctione C. de nupt.*
h *in gloſ. d. L. filius emancip. D. de ritu nupt.*
i *L. 3. §. 5. ſi emancipatus. D. de bon. poſſ. contra tab.*
k *L. 6. Sed cum patrono. §. 1. D. de bon. poſſeſſionibus.*

(*a*) FUERINT] In *ed. Dionyſii Gothofredi* legitur: *nuptiae non fuerint.*

(*b*) NECESSE EST] Graviſſima hic oritur quaeſtio, num ſubſecuta patris ratihabitio retrotrahatur ad initium negotii. Legi inprimis merentur, quae de hac quaeſtione inter ſe diſputarunt *Arnoldus Vinnius* in *Comm.* ad *Inſtit. de nupt.* & *Ulr. Huberus* in *Prael. ad Inſtit.* §. 10. & ad *Pand.* §. 5. Mihi tamen Vinnii rationes potiores eſſe videntur. Regula enim illa, quod ratihabitio retrotrahatur ad initium negotii, in iis tantum procedit negotiis, quae a nudo partium conſenſu dependent, non in iis, in quibus conſenſus alicujus tanquam ſollemnitas a lege praeſcripta requiritur, ut in nuptiis: in hiſce enim negotiis conſenſus non poteſt retrotrahi ad initium negotii, niſi ſimul adſint leges, quae conſenſum illum ab initio interceſſiſſe fingunt. Nuſquam vero fingunt leges, patrem ratihabentem ab initio conſenſiſſe: ergo ratihabitio ejus non poteſt quoque retrotrahi ad initium matrimonii. Legitimatio tamen per ſubſequens matrimonium, a principibus introducta, efficit, ut liberi, ante conſenſum parentis geniti, per ſubſequentem ratihabitionem, non quidem legitimi, at legitimati tamen fiant. Objectiones diluerem, niſi id brevitatis ratio prohiberet.

cipatis patefaciat. Proinde, quae admittendorum eorum cauſa inducta eſt, excludere & repellere eos non debet, ne quod pro eis favorabiliter conſtitutum eſt, in eorum incommodum atque odium retorqueatur. Ut enim ſcite QUINCTILIANUS in *Declamationibus* (*a*) argumentatur, quae pro aliquo ſcripta eſt lex, contra eum valere non debet. Itaque reſciſſio haec, quominus juſtus patris filius nepos intelligatur, non efficit, ſed contra viam ſternit ad bonorum poſſeſſionem petendam. Nam etiamſi, ut ſubjicit ULPIANUS, tam turpem & ignominioſam uxorem duxiſſet filius, ut toti familiae ejus adfinitas dedecori eſſet, nihilominus tamen ex ea natus filius ad bonorum poſſeſſionem admitteretur. Potuit enim avus in eum ſuo jure uti, & eum pro imperio exheredare. Parentibus, ſiquidem, liberos exheredare licet, [l] quos & occidere licebat. Quod ſi eum exheredaſſet, de inofficioſo teſtamento queri nepos hic neceſſe habuiſſet. In quo judicio & patris delicta, & nepotis merita, Centumviri examinaſſent, perpendiſſentque, an ob patris vitium nepotem plecti, alienumque a ſubſtantia avita fieri; & contra, an liberos e vili, abjecta, famoſaque nuru ſuſceptos ad bona avi, cujus familia labe hac aſpergitur, admitti aequum eſſet. Haec per tranſennam interlocutum me non poenitet, cum locus hic, adhibita noſtra interpretatione, planior poſthac legentibus ſuturus occurreret. Ut autem eo redeat, unde exiit oratio, admonendi ſumus, non idem filiabus, quod filiis emancipatis juris eſſe. Filiae namque emancipatae, quoad viceſimum quintum annum attigerint, non modo primas, ſed ne ſecundas quidem nuptias ſine patris voluntate recte contrahunt. [m] Quinetiam morte patris ſui juris factae, donec ad legitimam aetatem pervenerint, matris, & propinquorum, & curatoris, ſub cujus poteſtate conſtitutae ſunt, ſententiam explorare neceſſe habent. [n] Quod ſi inter tutorem, matrem & propinquos de electione futuri mariti minus conveniat, ad arbitrium magiſtratus erit recurrendum. [o] Hujuſmodi quondam diſcordiam inter matrem & tutores, M. Geganio Macerino iterum, & T. Quinctio Capitolino v. Coſſ. ortam LIVIUS memorat. [p] Virginem ſiquidem maxime forma notam, tum temporis duo juvenes petiere. Unus plebeji generis, tutoribus fretus, qui & ipſi ejuſdem ordinis erant: nobilis alter, nulla re praeterquam forma captus, cui mater, ſplendidiſſimis nuptiis jungi filiam cupiens, favebat. Quod certamen cum domi & intra privatos parietes componi nequiſſet, ventum in jus eſt, poſtulatuque matris & tutorum utrinque audito, magiſtratus ſecundum matris arbitrium jus nuptiarum dedere. At quae viceſimum quintum annum egreſſae ſunt filiae, inconſultis parentibus, impune pro arbitrio nubunt, nec poenam exheredationis ob eam rem timent. [q] An vero abducendae filiae, quae ſine ejus voluntate nupſiſſet, jus patri olim competeret, quaeri poteſt (*b*). ULPIANUS quidem certe bene concordantia matrimonia jure patriae poteſtatis turbari non poſſe, patrique interdicto ſibi filiam exhiberi deſideranti perſuadendum, ne acerbe patriam exerceat poteſtatem ſcribit. [r] Imo vero de uxore exhibenda ac ducenda patrem etiam, qui in poteſtate eam habet, a marito recte conveniri poſſe, HERMOGENIANUS auctor eſt. [s] Interdicto quoque ſuccurri marito, cujus uxor invita a parentibus detinetur, Impp. reſcripſere. [t] Ex illo vero generali ULPIANI axiomate, quo bene concordantia matrimonia jure patriae poteſtatis non eſſe turbanda definit, interpretationem meo quidem judicio accipit, quod PAULUS in *libr. Sententiarum* ſcribit: [v] *Eorum, qui in patris poteſtate ſunt, ſine voluntate ejus matrimonia jure non contrahi, ſed contracta non ſolvi* (*c*). Porro duas eodem tempore uxores habere, Romae non licuit. [x] Binarum vero eodem tempore contractarum nuptiarum crimen infamiae poena vindicatum, notum eſt. Edicto enim Praetoris, qui vel bina ſponſalia eodem tempore conſtituta habebat, infamia notabatur. [y] Unde Impp. VALERIANUS & GALIENUS: *Eum*, inquiunt, [z] *qui duas ſimul habuit uxores, ſine dubitatione comitatur infamia: In ea namque re non juris effectus, qua cives noſtri plura contrahere matrimonia prohibentur, ſed animi deſtinatio cogitatur.* Quibus poſtremis verbis, ut eorum vim poteſtatemque breviter explanemus, tacitae objectioni reſpondet. Dixiſſet enim aliquis; non poſſe quem duas uxores habere: nam manente prioris non repudia-

tae

l L. 11. in ſuis. in fin. D. de lib. & poſt.
m L. 18. viduas & L. 20. in conjunctione. C. de nuptiis.
n L. 1. & d. L. 20. in conjunctione. C. de nupt.
o L. 1. C. de nuptiis.
p lib. IV. ab Urb. Cond. cap. 9.
q Cap. 3. §. 11. Nov. cxv. ut cum de appellat. cognoſcit.
r L. 1. §. ult. D. de liber. exhib.
s L. 2. D. de liber. exhib.
t L. 11. ſi invita. C. de nupt. L. 3. C. de liber. exhib.
v lib. 11. Tit. xix. §. 2.
x §. 6. adfinitatis. Inſtit. de nupt.
y L. 1. in fin. L. 13. quid ergo. §. 1. D. de his, qui not. infam.
z L. 18. Eum qui. C. ad L. Jul. de adulter.

(*a*) DECLAMATIONIBUS] Auctor ſine dubio prae oculis habuit verba, quae in *Decl.* 277. occurrunt: *Dixero, lex pro me ſcripta erat, non poteſt videri contra me valere.*

(*b*) POTEST] Ego hoc affirmandum eſſe puto de filiafamilias; non vero de filia emancipata. Quae ſequuatur, intelligenda tantum ſunt de matrimonio ab initio patris conſenſu contracto, quod olim interdum ob ſupervenientem inimicitiam a patre rurſus fuit diſſolutum, id quod recentiores leges recte prohibuerunt.

(*c*) SOLVI] Confer ad *h. l.* Interpretes in *Juriſpr. antejuſt. pag.* 300.

tae conjugio, alteram additam conjugem uxorem eſſe non poſſe. Sed voluntatem contrahendi matrimonii, non juris effectum, & conjunctionis validitatem, ſpectari debere, Impp. ajunt: quemadmodum & ULPIANUS factum notari tradit:[a] Ideoque ſi vel cum ea quis nuptias faciat, vel ſponſalia conſtituat, quam uxorem ducere non liceat, infamiam non eo minus effugere. Illius vero GALIENI & VALERIANI conſtitutionis ultimam partem, ut hoc obiter admoneam, Tribonianus in. *Tit. de donationib. ante nuptias*, junctis & additis aliquot, prout ſenſus deſiderabat, verbis retulit.[b] Impp. etiam DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS[c] *Neminem*, inquiunt, *qui ſub ditione ſit Romani nominis binas uxores habere poſſe, vulgo patet, cum etiam in edicto Praetoris hujuſmodi viri infamia notati ſint: Quam rem competens judex inultam eſſe non patietur.* Utique enim ſtupri crimen in poſteriorem uxorem committi non dubium eſt. Ex quo ſequitur, capitalem poenam ei, qui tale facinus admiſerit, ex CONSTANTINI Conſtitutionibus, quae ſtupra & adulteria capite plectunt, imminere: quod & CONSTANTINI quaedam Conſtitutio non obſcure indicat, qua capitali poenae non eſſe obnoxias eas mulieres ſtatuit,[d] quae vivis maritis militibus, nullo accepto de eorum ſoſpitate nuntio, poſt quatuor annorum ſpatium alteri nupſerint. Incidiſſe autem aliquando Romae de duabus uxoribus ſimul ductis controverſiam, Craſſus apud CICERONEM *lib.* I. *de Oratore cap.* 40. ita ſcribit: *Quid, quod uſu memoria patrum venit, ut paterfamilias, qui ex Hiſpania Romam veniſſet, cum uxorem praegnantem in provincia reliquiſſet, Romaeque alteram duxiſſet, neque nuntium priori remiſiſſet, mortuuſque eſſet inteſtato, & ex utraque filius natus eſſet, mediocriſne res in controverſiam adducta eſt, cum quaereretur de duobus civium capitibus, & de puero, qui ex poſteriore natus erat, & de ejus matre? quae, ſi judicaretur certis quibuſdam verbis, non novis nuptiis fieri cum ſuperiore divortium, in concubinae locum duceretur.* Ac neque hic omittendum cenſeo, Papyrii non minus lepidum atque feſtivum, quam prudens figmentum, quo matrem inſtantius percontantem, quid in Senatu egiſſent patres, eluſit.[e] Actum enim in Senatu dixit, utrum utilius videretur, magiſque ex Repub. eſſe, unuſne ut duas uxores haberet, an ut una apud duos nupta eſſet. Quod ubi illa audivit, domo trepidans egreſſa, ad ceteras matronas retulit, poſtridieque ad Senatum copioſae matrumfamilias catervae confluxerunt, deprecantes, una potius ut duobus nupta fieret, quam uni duae. Senatoribus vero, quae illa mulierum intemperies, & quid ſibi poſtulatio iſtaec vellet, mirantibus, & non ut parvae rei prodigium, illam verecundi ſexus impudicam inſaniam paveſcentibus, puer Papyrius publicum metum demit. Nam in medium curiae progreſſus, quid ipſi mater audire inſtitiſſet, quid matri ipſe ſimulaſſet, ſicuti fuerat, enarravit. Nec clam me eſt, memoriae proditum,[f] Helium Caecinam Tribun. Pleb. legem habuiſſe ſcriptam paratamque, quam Julius Caeſar ſe abſente ferre juſſiſſet, ut uxores liberorum quaerendorum cauſa quas, & quot vellent ducere Quiritibus liceret (*a*). Sed ea lex promulgata non fuit, primumque ex Romanis Antonium duas in matrimonio mulieres habuiſſe, PLUTARCHUS ſcriptum reliquit (*b*) in *collatione Demetrii & Antonii, pag.* 957. his verbis: Ἀντώνιος ἢ πρῶτος μὲν ἅμα δύο γυναῖκας ἠγάγετο, πρᾶγμα μηδενὶ Ῥωμαίων τετολμημένον. *Antonius primus duas uxores eodem tempore habuit, quod nullus Romanorum antea ſuſtinuerat facere.* Valentinianus quoque Severae conjugis praedicatione in Juſtinae amorem pellectus, cum neque ſubnixum jam liberis matrimonium ſolvere, & uxori, ex qua Gratianum ſuſceperat, repudium mittere ſuſtineret, neque frenis amorem, quo puellam tantopere ſibi laudatam deperibat, cohibere poſſet, alteram Severae Juſtinam uxorem ſuperduxit, ex qua Valeutiuianum juniorem ſuſtulit. Ac ut facti ejus turpitudinem amoliretur, lege ſanxit, ut cuilibet duas ſimul uxores habere liceret: quemadmodum SOCAATES,[g] PAULUS DIACON.[h] & NICEPHORUS[i] ſcribunt. Sed nec ea lex accepta fuit. Nam & Judaeos, qui forte hoc colore, quod primis generis humani ſatoribus polygamia propagandae ac multiplicandae ſobolis neceſſitate permiſſa fuiſſet, quaſi majorum veſtigiis inſiſtentes, plures ſibi uxores habere licere exiſtimabant, Impp. THEODOSIUS, ARCADIUS & HONORIUS prohibuere, in diverſa ſub uno tempore conjugia convenire.[k] Nccnon JUSTINIANUS *Novella* LXXIX. quae de naturalibus liberis tractat:

a *L.* 13. *quod ergo.* §. 4. *cum autem factum. D. de his, qui not. infam.*
b *L.* 5. *ea quae. C. de donationib. ante nupt.*
c *L.* 2. *C. de inceſt. nupt.*
d *L.* 7. *Uxor. C. de repudiis.*
e *Gell. lib.* X. *Noct. Attic. cap.* 23. *Macrob. lib.* 1. *Sat. cap.* 6.
f *Sueton. in Julio. cap.* 52.
g *lib.* 4. *hiſt. Eccleſiaſtic. cap.* 31.
h *lib.* XI. *append. ad Eutrop.*
i *lib.* 11. *hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 33.
k *L.* 7. *nemo. C. de Judaeis.*

(*a*) LIEERAT] Ego illam Caecinae legem privilegium potius fuiſſe exiſtimo, eamque ad ſolum pertinuiſſe Caeſarem, ita, ut illi ſoli plures ducere uxores liceret: ſic enim verba SUATONII commode accipi poſſunt.

(*b*) RELIQUIT] Proprie tamen loquendo Antonius uno ſimul tempore non duas habuit uxores: praeterquam enim quod matrimonium cum Cleopatra pro juſto & legitimo jure Romano haberi non poſſet, credibile etiam eſt, eum Octaviae nuntium remiſiſſe.

tractat: Εἰ τις, ait, νομίμω συνοικῶν γυναικὶ, ἄλλας ἐπεισάγειν οὐκ ἂν δύναιτο, ἕως κοινὴ συνεστῶτος, καὶ ἐξ αὐτῆς νομίμως παιδοποιεῖσθαι. *Si quis juſtam uxorem duxerit, alias praeter hanc ducere non licet, quam diu matrimonium durat, & ex illis legitime liberos tollere.* An autem concubina uxori jure Quiritium adjungi poſſet, dubitari ſcio. Hoc certe nec jura antiqua, nec ſua concedere JUSTINIANUS ſcribit. [l] Nam nec prudentes hoc probaſſe indicio eſt, quod ULPIANUS ait, [m] ſi patronus, qui libertam duxerat, ei concubinam adhibuiſſet, inde conjecturam capi, nolle eam nuptam habere, quoniam cum uxore concubina haberi non poſſet. Idem ipſum CONSTANTINI MAGNI Conſtitutio prohibuit, quae ita habet. [n] *Nemini licentia concedatur conſtante matrimonio concubinam penes ſe habere.* Quamobrem GALLIUS eam, quae juncta conſuetaque eſſet cum eo, in cujus manu mancipioque alia matrimonii cauſa foret, probroſam habitam lege Numae oſtendit, [o] ejuſmodique mulieres, quae cum eo, cui uxor eſſet, corpus miſceret, pellices appellatas, ibidem tradit. Quod & CAJUM FLACCUM *lib. de Jure Papyriano* ſcripſiſſe PAULUS *lib. x. ad L. Juliam & Pap.* notaverat. [p] Ceterum ſunt & illae injuſtae nuptiae, quae a mulieribus intra luctus tempus contrahuntur: Luctus autem tempus regia lege definitum, decem menſium erat: per quos mulier abſtinere a nuptiis jubebatur, duplici, ut HARMANOPULUS explicat, [q] ratione: Διὰ τὸ μὴ σύγχυσιν γίνεσθαι τῆς γονῆς, καὶ διὰ τὴν ὀφειλομένην αἰδῶ καὶ τιμὴν τῷ ἀνδρί. *Ne ſemen commiſceatur, & propter reverentiam & honorem, quem debet marito.* Cujus rei PLUTARCHUS in *Numa pag.* 67. teſtis eſt: Ἀλλὰ τὸν δὲ μακρότατον πένθους χρόνον εἶναι δεκαμηνιαῖον, ἐφ' ὅσον καὶ χηρεύουσιν αἱ τῶν ἀποθανόντων γυναῖκες, ἡ δὲ πρότερον γαμηθεῖσα, βοῦν ἐγκύμονα κατέθυεν, ἐκείνου νομοθετήσαντος. *Longiſſimum luctus tempus eſſe decem menſium, quo etiam in viduitate debere manere a viri morte feminas, lege ſanxit: quae ante hoc tempus nubat, vaccam praegnantem debere ſacrificare.* OVIDIUS *lib.* I. *Faſtor. v.* 33.

Quod ſatis eſt utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.
Per totidem menſes a funere conjugis uxor,
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.

Idem. *lib.* III. *v.* 121.

Annus erat decimum cum Luna receperat orbem
Hic numerus magno tunc in honore fuit.

Et mox *v.* 133.

Aſſuetos igitur numeros ſervavit in anno,
Hoc luget ſpatio femina moeſta virum.

Quamobrem cum foederis inter Octavium Caeſarem & Antonium faciendi cauſa, Octaviam illius ſororem huic nuptum dari placuiſſet, & ea legibus prohiberetur nuptias contrahere, quod M. Marcellum paulo ante mortuum lugeret, necdum decem menſes a viri morte effluxiſſent, per ſenatum legibus ſolvi eam, gratiamque ei legitimi luctus temporis fieri neceſſe fuit, ut PLUTARCHUS in *Antonio pag.* 929. *ſeq.* his verbis narrat: Ὡς οὖν ἔδοξεν ἀμφοτέροις, ἀναβάντες εἰς Ῥώμην, ἐπιτέλουν τὸν Ὀκταβίας γάμον, οὐκ ἐῶντος μὲν νόμου πρὸ δέκα μηνῶν ἀνδρὸς τελευτήσαντος γαμεῖσθαι, τῆς δὲ συγκλήτου δόγματι τὸν χρόνον ἐκείνης ἀνείσης. *Quum placuiſſet utrique conditio, Romam profecti ſunt ad Octaviae nuptias celebrandas. Quia vero vetabat lex, ne qua mulier, niſi exactis decem menſibus a morte mariti, nuberet, tempus eſt ei ſenatuſconſulto remiſſum.* & quae ſequuntur. Itaque quod apud SENECAM *Epiſt.* LXIII. *ad Lucilium* legitur: *Annum feminis ad lugendum conſtituiſſe majores*, de anno utique Romuli, qui decem duntaxat menſibus conſtabat, ut fuſe a MACROBIO [r] tractatur, non de anni ſuis temporibus ordinata dimenſione accipiendum eſt. Eodemque modo legitimum luctus tempus in Jureconſultorum ſcriptis interpretandum adfirmo (*a*). Primi namque GRATIANUS, VALENTINIANUS, & THEODOS. Impp. luctus tempus duobus menſibus auctum, anno definiere, ut ex eorum Conſtitutione in *C. Theodoſ.* relata conſtat, quae ita habet: [s] *Si qua ex feminis, perdito marito, intra anni ſpatium alteri feſtinarit innubere (parum enim temporis poſt decem menſes ſervandum adjicimus, tametſi id ipſum exiguum putamus) probroſis inuſta notis, honeſtioris, nobiliſque perſonae & decore & jure privetur &c.*

[l] *L. ult. C. Commun. de manumiſſionibus.*
[m] *L. ult. in fin. D. de divort.*
[n] *L. unic. C. de concub.*
[o] *lib.* IV. *cap.* 3.
[p] *L.* 144. *Maſſurius. D. de verb. ſignif.*
[q] *lib.* 4. *Tit.* 6.
[r] *lib.* 1. *cap.* 12.
[s] *L.* 1. *de ſecund. nupt. Cod. Theod. lib.* III. *tit.* 8. *ex qua L.* 2. *C. Juſt. eod. tit.*

(*a*) ADFIRMO] Poteſt etiam dici, auctores, qui ante laudatam Conſtitutionem anni mentionem fecerunt, numero rotundo annum pro decem menſibus enuntiaſſe: aut jam ante iſtam legem per conſuetudinem introductum fuiſſe, ut per integrum annum maritum lugerent uxores. Confer *Jac. Gothofredi Comm.* ad *L. C. Th. cit.* & *Jo. Gottl. Heineccii* notas *ad Edictum perpetuum, tit.* XVII. *pag.* 362. *ſeqq.* ubi etiam docet, mulieres legitimum nuptiarum tempus exſpectare debuiſſe, ſi vel maxime maritus talis eſſet, qui more majorum lugeri non deberet.

&c. Indeque colligi poteſt, APULEJUM [t] qui annui luctus temporis mentionem faciat, aut poſt eorum Imperatorum aetatem, aut eorum ſeculo vixiſſe (*a*). Apud eum enim Charite Lepolemum, nuptias ejus ambientem, hac excuſatione repellit, quod nondum annum luctus complevillet. At Caligula die ſuo natali, quo & Auguſti templum conſecravit, ut ad ſpectacula, quae edebat, omnes convenirent, luctus inhibuiſſe, & praeterea viduis intra conſtitutum legitimum tempus nubere, niſi praegnantes eſſent, conceſſiſſe fertur. Verba DIONIS, [v] quae hoc comprobant, haec ſunt: Καὶ τὰ πένθη πάντα ἐπέσχεν, ὥστε καὶ ταῖς γυναιξὶ τῶν ἀνδρῶν ἐστερημέναις γαμεῖσθαι, καὶ πρὸ τοῦ καθήκοντος χρόνου, ἄν γε μὴ ἐν γαστρὶ ἔχωσιν, ἐξεῖναι. *Et omnem luctum inhibuit, ut etiam feminis, quae maritos amiſerunt, nubere ante legitimum tempus, niſi praegnantes eſſent, liceret.* Plane Heliogabalus, quemadmodum XIPHILINUS *lib.* LXXIX. *pag.* 910. *ſeq.* narrat, cum Pomponio Baſſo e vivis ſublato, quem vel ea praecipue de cauſa reum poſtulari curavit, ut ab uxore, cujus ipſe amore flagrabat, divelleret, eam protinus duxit, nullo ad lugendum virum ſpatio dato. Eadem obſervatione ſpreta, Ariadna, Zenonis Iſaurici uxor, quadrageſimo a viri obitu die Anaſtaſio nupſit, ut a ZONARA [x] refertur. Qua autem ratione intra annum luctus nubere mulier prohibebatur, eadem, poſt miſſum ex juſta cauſa repudium, alii nubendi poteſtatem, ex Impp. THEODOS. & VALENTIN. Conſtitutione, non habebat: [y] ne, ut ipſi ajunt, de prole dubitandi occaſio daretur (*b*). Idemque tempus, etiam bona gratia & communi conſenſu diſſoluto matrimonio, exſpectandum mulieri eſſe, antequam in alterius manum conveniret, Imp. ANASTASIUS conſtituit. [z] Cum vero ſine probabili ac legitima cauſa mulier a viro diverterat, connubium ei cum alio ante tranſactum quinquennium non erat. [a] Illud conſequenter tractandum occurrit, an cum ea, quae ex alio praegnans & gravida eſſet, matrimonium jure contrahi potuerit. Quam quaeſtionem ex facto olim accidiſſe, memini me apud DIONEM [b] legere. Nam cum ardenti Liviae ducendae amore flagraret Auguſtus, ejuſque deſiderio mora inde afferri videretur, quod ea ex Nerone ſextum jam menſem gravida eſſet, Pontifices conſuluiſſe dicitur, an fas eſſet praegnantem ducere? Quod illi hac diſtinctione diſſolverunt, ut ſiquidem, ex quo gravida foret, dubium atque incertum eſſet, nuptiae differendae eſſent: Sin autem conſtaret, ex quo concepiſſet, nihil prohibere, quin duceretur: Itaque licere ſibi, quod libebat, Auguſtus videns, Liviam protinus duxit. Id quod etiam TACITUS *lib.* 1. *Annal. cap.* 10. breviter perſtrinxit his verbis: *Abducta Neroni uxor, & conſulti per ludibrium Pontifices, an concepto, necdum edito partu, rite nuberet.* SUETONIUS ita paucis narrat: [c] *Cum Scribonia divortium fecit, pertaeſus morum perverſitatem ejus, ac ſtatim Liviam Druſillam matrimonio Tiberii Neronis & quidem praegnantem abduxit, dilexitque ac probavit unice & perſeveranter.* Idem in *Tiberio* [d] de ejus patre agens: *Uxorem Liviam Druſillam, & tunc gravidam, & jam apud ſe Tiberium enixam, petenti Auguſto conceſſit.* Non abs re igitur feſtinatas has Liviae nuptias, quae nec maxima ſuſpicione carerent, [e] Antonius probri loco Auguſto objecit, [f] quas etiam eleganter PRUDENTIUS ita exagitat, *libr.* 1. *contra Symmach. v.* 251.

Adjecere ſacrum, fieret quo Livia Juno,
Non minus infamis thalami ſortita cubile,
Quam quum fraterno caluit Saturnia lecto.
Nondum maternam partu vacuaverat alvum,
Conceptamque viri ſobolem paritura gerebat
Pronuba, jam gravidae fulcrum geniale paratur:
Jam ſponſus, ſaliente utero nubentis, amicus
Advocat, haud ſterilem certus fore jam ſibi pactam.
Vitricus ante venit tardum praefervidus ortum
Privigni nondum geniti, mox editur inter
Feſcennina novo proles aliena marito.
Idque Deûm ſortes & Apollinis antra dederunt
Conſilium: nunquam melius nam cedere tedas
Reſponſum eſt, quam cum praegnans nova nupta jugatur.

Quin-

[t] lib. VIII. Metamorph. ſ. de aſino aur. pag. 241.
[v] lib. LIX. pag. 645.
[x] In Anaſtaſio. lib. XIV. Annal. pag. 54.
[y] L. 8. Conſenſu. §. 4. ſi vero cauſam. C. de repud.
[z] L. 9. ſi conſtante. C. de repud.
[a] d. L. 8. Conſenſu. §. 4. haec niſi C. eod.
[b] lib. XLVIII. pag. 383.
[c] In Auguſto cap. 62.
[d] cap. 4.
[e] Sueton. in Claud. cap. 1.
[f] Sueton. in Auguſto cap. 69.

(*a*) VIXISSE] Sed hodie ſatis conſtat, Apulejum non ultra Antoninorum tempora vixiſſe; ergo eodem, ut ſupra dixi, modo eſt explicandus. Caeterum auctor pro *Lepolemum*, ſive potius *Tlepolemum*, ponere debuiſſet *Thraſyllum*: hic enim Charites nuptias ambiebat, cujus maritum Tlepolemum interfecerat.

(*b*) DARETUR] Olim tamen poſt divortium mulieres ſtatim ad ſecunda vota tranſire poterant. Vid. SUETONIUS in *Caeſ. cap.* 43. & *Heineccii Comment.* ad *L. Pap. Popp. pag.* 184.

Quinetiam Octaviam, Auguſti ſororem, poſt Marcelli viri ejus mortem adhuc gravidam, ventreque pleno, Antonio deſponſam, Dio *lib.* XLVIII. *pag.* 375. ita ſcribit: Καὶ τὴν Ὀκταουΐαν τὴν τοῦ Καίσαρος ἀδελφὴν, γυναῖκα τῷ Ἀντωνίῳ, ἐπειδὴ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς τετελεύτηκε, καὶ αὐτοὶ συμμνηστευσάμενοι, τοσαύτῃ μεταβολῇ ἐχρήσαντο. *Et Octaviam, Caeſaris ſororem, marito ejus defuncto, praegnantem tunc, Antonio conjugem conciliaverant, ii adeo mutati ſunt &c.* Martiam quoque uxorem, tum ex ſe gravidam, petenti Q. Hortenſio Catonem Uticenſem conceſſiſſe Plutarchus refert.[g] Ceterum Livia apud Auguſtum Claudium Druſum Neronem intra trium menſium ſpatium peperit, quem natum Auguſtus patri Tiberio reddidit. Ea res joci materiam, ut Dio auctor eſt,[h] praebuit, indeque pervulgatus fuit Senarius Graecus, quo ſignificatur, fortunatis vel trimeſtres naſci liberos: Quod deinde in vulgi ſermone tritum proverbium abiit. Qua de re, pro Graecis Dionis, Suetonii Latina verba ſubjungam:[i] *Patrem*, ait, *Claudii Caeſaris, Druſum olim Decimum,* [*mox Neronem praenomine, Livia, cum Auguſto gravida nupſiſſet, intra menſem tertium peperit, fuitque ſuſpicio ex vitrico per adulterii conſuetudinem procreatum. Statim certe vulgatus eſt verſus:* Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία. *Beatis etiam ſunt trimeſtres liberi.* At vel triceſimo die pater fieri ex uxore Caligula glorioſum duxit. Eaque gratia Miloniam Caeſoniam, adulterio ſibi ante cognitam, & jam tum partui propinquam, duxiſſe eum Dio narrat.[k] Qua de re ita Suetonius:[l] *Caeſoniam neque facie inſigni, neque aetate integra, matremque jam ex alio viro trium filiarum, ſed luxuriae ac laſciviae perditae, & ardentius & conſtantius amavit: ut ſaepe chlamyde, peltaque & galea armatam, & juxta adequitantem, militibus oſtenderit, amicis vero etiam nudam. Quam enixam uxorio nomine dignatus eſt: uno atque eodem die profeſſus, & maritum ſe ejus, & patrem infantis ex ea natae.* Auguſtum porro ex Livia liberorum nihil quicquam ſuſtuliſſe, infantemque unicum, qui conceptus fuerat, abortivum & immaturum editum, Suetonius teſtis eſt.[m] Tacitus *lib.* V. *Annal. cap.* 1. de Livia: *Exin Caeſar cupidine formae aufert marito, incertum an invitam, adeo properus, ut ne ſpatio quidem ad enitendum dato, Penatibus ſuis gravidam induxerit. Nullam poſthac ſobolem edidit, ſed ſanguini Auguſti per conjunctionem Agrippinae & Germanicae adnexa, communes pronepotes habuit.* Ex quo interpretandum eſt, quod ait Plinius:[n] *Eſt quaedam privatim diſſociatio corporum, & inter ſe ſterilis, at ubi cum aliis junxere gignunt, ſicut Auguſtus & Livia.* Nam Auguſtus ex priore uxore Scribonia liberos ſuſcepit: Viciſſim & Livia ex priore viro Druſo. Juncti tamen inter ſe nihil liberorum procrearunt. Similes nuptias refert Plutarchus in *Sylla* (*a*), *pag.* 473. Πομπήϊον γέ τοι βουλόμενος οἰκειώσασθαι τὸν Μάγνον, ἣν μὲν εἶχε γαμετὴν ἀφεῖναι προσέταξεν, Αἰμιλίαν δὲ, Σκαύρου θυγατέρα καὶ Μετέλλης, τῆς ἑαυτοῦ γυναικός, ἀποσπάσας Μανίου Γλαβρίωνος, ἐγκύμονα συνῴκισεν (al. συνῴκισεν) αὐτῷ. Ἀπέθανε δὲ ἡ κόρη παρὰ τῷ Πομπηΐῳ τίκτουσα. *Pompejum quidem Magnum, quum conglutinare ſibi vellet propinquitate, cum uxore, quam habebat, imperavit ei, ut nuptias dirimeret, eique Aemiliam, Scauri & Metellae uxoris ſuae filiam, quam a M. Glabrione abduxit, collocavit praegnantem. Verum illa eſt apud Pompejum ex partu mortua.* Jam non niſi inceſtas ac nefarias nuptias cum virginibus Veſtalibus contrahi potuiſſe, certiſſimum eſt: Heliogabalum tamen, humani generis portentum, Aquiliam Severam Veſtalem duxiſſe narrat Xiphilinus in *Heliogabalo lib.* LXXIX. *pag.* 911. Εἶτα, inquiens, τὴν Παῦλαν, ὡς καὶ κηλῖδά τινα περὶ τὸ σῶμα ἔχουσαν, ἀποπέμψας, Ἀκυλίᾳ Σευήρᾳ συνῴκησεν, ἐκφανέστατα παρανομήσας· ἱερωμένην γὰρ αὐτὴν τῇ Ἑστίᾳ ἀσεβέστατα ᾔσχυνε. *Poſtea Paula, tanquam quae ulcus haberet in corpore, repudiata, Aquiliam Severam duxit, apertiſſime contra leges. Nam virginem ſacratam Veſtae impiiſſime violavit.* Quod ita perſtrinxit Lampridius in ejus vita, *cap.* 6. *In virginem Veſtalem inceſtum admiſit.* Atque haec habui, quae de legitimis inceſtiſque Quiritium conjugiis dicerem, quae, ut ſunt, utinam brevia videantur!

[g] *In Catone Uticenſi, pag.* 771.
[h] *lib.* XLVIII. *pag.* 384.
[i] *In Claud. cap.* 1.
[k] *lib.* LIX. *pag.* 658.
[l] *in Calig. cap.* 25.
[m] *In Auguſto cap.* 63.
[n] *lib.* 7. *cap.* 13.

(*a*) Sylla] Adde eundem in *Pompejo*, *pag.* 623.

F I N I S.

BAR-

BARNABAE BRISSONII JC.

Π Α Ρ Ε Ρ Γ Ω Ν

LIBER SINGULARIS.

A D

FRANCISCUM ALEMANTIUM V. C.

LIBELLORUM SUPPLICUM MAGISTRUM.

EX RECENSIONE

ET CUM

OBSERVATIUNCULIS

ALBERTI DIETERICI TREKELL JC.

Digitized by Google

BARNABAE BRISSONII JC.

Π Α Ρ Ε Ρ Γ Ω Ν

LIBER SINGULARIS.

A D

FRANCISCUM ALEMANTIUM V. C.

LIBELLORUM SUPPLICUM MAGISTRUM.

Animi eſt, Vir Clariſſime, bene a natura inſtituti, velle prodeſſe quam plurimis, nec ſibi ſe duntaxat, ſed & omnibus natum exiſtimare. Quo ego ſtudio ductus, cum cuperem laboris noſtri fructum manare quam latiſſime, voces quaſdam ac locutionum figuras, ad juris quidem certe ſcientiam parum pertinentes, ceterum linguae Latinae ornamentum aliquod incrementumque adlaturas, ſeorſum adnotavi, ut ad homines quoque, a profeſſione noſtra remotos, aliqua ex Pandectis, beneficio meo, utilitas perveniret. Quamquam non deerunt, ſat ſcio, qui mihi tantum aut a gravioribus ſtudiis, aut a forenſibus negotiis, in quibus bona nobis temporis pars ponitur, otii eſſe mirentur, aliena ut ab arte noſtra curáre, eaque, quae nihil πρὸς τὰ ἄλφιτα attinent, liceat. Quorum me licet ab inſtituto laudis curſu ſermones nunquam deflexerint, cum tamen ad eos veluti ventos moderandos dux & auctor recepto more opus eſſet, quem tecum compararem, habui neminem: in quo, praeter eximias & praedicatione noſtra ſuperiores virtutes, eam in me ornando promovendoque voluntatem perſpexi, qua, niſi plane ferreus, non potuiſſem non ad te colendum obſervandumque trahi. Cujus mei officii, ut aliqua mihi ratio apud vulgus conſtaret, datam mihi qualemcunque meae in te obſervantiae teſtificandae occaſionem omittere nolui. Itaque libellum hunc, leviſſimi licet & paene nullius momenti, attamen grati & benevoli animi teſtem, in tuo nomine ac lubens divulgavi, quem te eo liberalius accepturum confido, quo majorem te par eſt voluntatis meae, quam facultatis ducere rationem.

Verum ut ad rem ipſam veniam, inprimis quae in Pandectis Piſanis aliter atque in tritis & vulgatis codicibus ſcripta occurrant, & quid eam varietatem, aut potius receptae paſſim ſcripturae labem creaverit, paucis demonſtrabo. Nec enim in alienas poſſeſſiones temere irruere, & vaſtiſſimum de Latina Orthographia dicendi campum ingredi animus eſt. Tantum, quae propoſitis rebus neceſſaria ſunt, ita perſequar, ut mihi res, non me rebus ſubjiciam, reliqua ad eos, quorum de ea re propria notio eſt, remittam.

§. 1. Invenio autem, quod *Sterquilinum* vulgo dicitur, STERCULINUM in Pandectis Florentinis ſcribi in *l.* 17. §. *ult. D. ſi ſervitus vindicet.* & in *lege* 17. §. 2. *fundo. D. de actionib. empt.* Quam ſcripturam veteres M. CATONIS *de re ruſtica*, & TERENTII *Comoediarum libri* adjuvant, in quibus STERCILINUM conſtanter legi, jampridem *Petr. Victorius*, & *Georgius Fabricius* prodiderunt. Confirmat hoc idem B. Germani Latinograecum lexicon, in quo ita eſt: *Sterculinum*, κοπροδοχεῖον, κοπρεία. Idque & verbi ipſius origo ſuadet, ex qua Stercutii quoque Dei, quem a veteribus ſtercorandorum agrorum cauſa cultum ISIDORUS *lib.* XVII. *Etymolog. capite* 2. tradit, efficta & formata appellatio eſt.

§. 2. Ac facile in hoc verbo C in Q ut in aliis multis dictionibus propter adfinitatem mutatum eſt. Nam & quod *Quippe* dicimus, id in Piſanis Pandectis COEPPE in *l.* 3. §. 5. *D. de acquir. poſſ.* & alias QOEPPE ſcribitur in *l.* 8. §. *ult. D. de bonor. poſſ. contra tab.* (*a*)

§. 3. Praeterea quod vulgo *Surſum verſum*, in Pandectis Florentinis SUSUM VERSUM recte, meo quidem judicio, non ſemel ſcriptum eſt (*b*). *l.* 28. *in fin. D. de probationib.*

(*a*) TAB.] In *Gotbofredi* editione in *h. l.* vulgari modo ſcribitur *Quippe.*

(*b*) EST] *Gotbofredus* tamen in *ll. cc.* ſemper communi more edidit *Surſum.*

nib. l. 9. D. de divort. l. ult. §. 9. ſunt ex lateribus & *§. 12. nunc ſingulos. D. de gradib. & adfinibus.* Probabiliorem autem mihi eam lectionem facit, quod a *Sus* ductum *Suſum* mihi perſuadeo.

§. 4. Etiam CIS & ULTIS eaedem Pandectae habent in *l. 2. §. 31. D. de orig. jur.* non, ut alii codices, *Uls.*

§. 5. Sed & quod *Tegmen* & *Subtegmen* paſſim, TEMEN & SUBTEMEN Florentiae legitur. *l. 70. §. 2.* & *§. ult. D. de legat.* III. *l. 22. in fin. D. de aur. & arg. leg.* Quam ſcripturam Lexicon B. Germani comprobat, ubi *Subtemen κρόκη ῥοδάνη* vertitur.

§. 6. Hoc amplius Florentini libri CULCITAS, non, ut & alii, *Culcitras* efferunt. *l. 3. D. de ſupell. leg. l. 25. §. 7. Culcitae. D. de aur. & arg. leg.* Eamque ſcripturam in Lexico B. Germani reperi, in quo *Culcita τύλη* redditur. Apud ISIDORUM etiam *lib.* XIX. *Etymolog. cap.* XXVI. ita ſcriptum eſt: *Culcitas vocatas, quod culcentur, id eſt, farciantur pluma, ſive tomento, quo molliores calidioreſque ſint.*

§. 7. COHERCITIONEM quoque Florentinae Pandectae, non, ut vulgus loquitur, *Coërcitionem*, ſemper enuntiant.

§. 8. Jam vero *Favia* lex & *Faviana* actio recte in iiſdem Pandectis, & in PAULI *ſententiar. libris*, & in *Codice Theodoſii* FABIA & FABIANA dicitur. Eum autem errorem, qui diutina poſſeſſione cum vitio codices omnes occupavit, ex ea, quae inter litteras B & V olim exſtitit, cognatione ortum certo certius eſt. Nam cum & in pronuntiando & in ſcribendo promiſcue atque indifferenter his litteris uterentur, eo factum eſt, ut una in aliam multis in dictionibus degeneraverit. Quae res non paucos errores in auctorum libros invexit, quorum ne longe exempla petantur, quam multi codices VELLE quaeri, pro, *Belle* quaeri antehac ſcriptum habuerunt in *l. 2. §. ult. D. de ſuis & legit.* (*a*) Quin etiam ex hac promiſcua litterarum mutatione *Celſi* nomen corruptum fuit. Is enim non in legum modo libris, ſed & in PLINII *Epiſtolis lib.* VI. *ep. 5.* JUBENTIUS appellatur, qui *Juventius* dici debet, quemadmodum recte Pandectae Florentinae ediderunt in *lege* 20. *§. 6. praeter. D. de petit. hered.* & *lege* 7. *§. 1. D. de jure patron.* (*b*) & antiquum illud vetuſti libelli a me *libro tertio Select. Antiquit. cap.* 7. relati monumentum teſtatur, cui Juventius Celſus ſubſcripſiſſe traditur (*c*). Cujuſmodi nominis praefectus quidam urbi a SYMMACHO *lib.* X. *Epiſt.* 50. memoratur. Nec abſimili errore *Javolenus* in JABOLENUM tranſiit, & *Havitus* in HABITUM: unde vitiata ſplendidae orationis Ciceronianae inſcriptio fuit; quam pro Cluentio Avito dictam earumdem Pandectarum ſcriptura patefecit, ſicuti *Jacobus Cujacius*, vir de noſtra ſcientia optime meritus, aliis quoque ejuſdem generis mendis detectis, admonuit: quibus addatur licet emendatio *l. 2. C. de cenſitorib. & peraequator. lib.* XI. ubi FOETUS VETAVERIT, pro *Hebetaverit*, ſcriptum eſt (*d*): quemadmodum patet ex *leg* 1. *eod. titul. in Cod. Theod. lib.* XIII. *tit.* 11. ex qua amplius, ut hoc obiter admoneam, patet, Tribonianum capitale ſupplicium a Gratiano & Valentiniano irrogatum, in Competentem indignationem transformaſſe. Atque ex hac litterarum mutatione creatam illam lectionis varietatem exiſtimo, quae inter Juſtinianeum & Theodoſianum Codicem intercedit, in *l. 11. C. de ſuſceptorib. lib.* X. ubi VINI SUSCEPTORIBUS legitur, cum in *lege 26. eod. titul.* in *C. Theod. lib.* XII. *tit. 6. binis ſuſceptoribus* ſcriptum ſit.

§. 9. In quo Codice etiam innumerabilibus prope in locis voces hae, *Connivere* & *Conniventia* depravatae ſunt, in earumque locum CONHIBERE & CONHIBENTIA irrepſerunt, ut in *l.* 71. & *l.* 77. de decurionib. *lib.* XII. *tit.* 1. *l.* 10. *de murilegul. lib.* X. *tit.* 20. *lege 2. quor. appell. non recip. lib.* XI. *tit.* 36. *l. 39. de epiſcop. & cler. lib.* XVI. *tit.* 2. Inde quoque manavit error ille, qui apud CASSIODORUM *libro* V. *Variar. Epiſt.* 38. *ad univerſos poſſeſſor.* cernitur: in qua SIGNINI ALBEI, pro *Signini alvei* cum vitio legitur, ut & apud CICERONEM *oration.* VII. *in Verrem ſ. Accuſ. lib.* V. circa finem, *cap.* 69. *Lege de judiciis judicibuſque nobis promulgata*, pro JUDICIBUSQUE NOVIS (*e*). Sed de his ſatis: ad inſtituta pergamus.

§. 10.

(*a*) LEGIT.] BELLE tamen legitur, tam in Taurelli, quam in Gothofredi editione.

(*b*) PATRON.] In hac lege nulla *Celſi* mentio fit. Auctor in animo forſan habuit *l. 7. §. 1. D. de oper. libert.* ubi in *Gothofredi* tamen editione legitur *Jubentius*. In aliis, ubi mentio ejus occurrit, legibus, mox *Jubentius*, mox *Juventius* nomen illud ſcribitur.

(*c*) TRADITUR] Sed in Auctoris *Select. Antiqq.* ut & in Opere *de Form. Sollemn.* in omnibus editionibus editur *Jubentius*. Sunt tamen aliae Inſcriptiones, in quibus rectius legitur *Juventius*, cum quibus & Nummi conſpirant. Vide *Jo. Gottl. Heineccii Progr. de P. Juventio Celſo, pag. 503. ſeq.* in *Sylloge Opuſc.*

(*d*) EST] Vide omnino *Jac. Gothofredi Comment.* ad *l. c. Cod. Theod.*

(*e*) NOVIS] In utroque tamen ſcriptore vitia haec jam in noviſſimis & emendatiſſimis editionibus correcta ſunt.

§. 10. Quod vulgo *ſulphur*, in Pandectis Piſanis Sulpur ſcribitur. *l.* 13. §. 5. *inde eſt quaeſitum. D. de uſuſructu* (*a*). Quomodo & in vetuſtis Catonis codicibus verbum hoc ſcriptum offendiſſe ſe *Victorius* teſtatur. Inde Sulpurata in *l.* 55. §. 8. *D. de legat.* iii. *l.* 167. *D. de verb. ſignific.* & Sulpuariae pro ſulpuris fodinis in *l.* 52. §. 8. *ſi ſulpuariae. D. de furt.* Eodemque modo & Calpurnius in iiſdem Pandectis ſcribitur in *l.* 10. §. 1. *D. de offic. proconſ.* qui in aliis libris *Calphurnius*.

§. 11. Sed & Ballistrarios (*b*) eaedem Pandectae nuncupant, quos alii *Balliſtarios. lege ult. D. de jure immunit.* Quam ſcripturam etiam Lexicon Latinograecum B. Germani ſequitur, in quo ita eſt: *Balliſtra*, σφενδόνη, μάγγανον. Quo poſtremo verbo, ut hoc in tranſcurſu admoneam, in hoc ſignificatu Leo Imper. in *libr. de bellico apparatu* non ſemel utitur.

§. 12. Enimvero multa, quae reliqui omnes codices per O efferunt, vocabula, Florentini per U ſcribunt. Conſtanter enim ac perpetuo Epistulam habent, *Epiſtolam* nunquam: etſi Graeca, unde Latina ducta eſt, appellatio ita pronuntiandum ſuadeat. Me tamen in admirationem trahit, quod & in vetuſtorum auctorum manu exaratis libris Epistulam ſcribi, alii ante me monuerunt. Et ita quoque inſcriptione quadam Romana ſcriptum eſt:

M. AUR. ALEXAND.
AVG. LIB.
AB EPISTULIS.

Subolem etiam, non *ſobolem*, iidem libri edunt (*c*) *l.* 10. §. 2. *ſi ſervi. D. de jure dot. l.* 22. §. 7. *ſin autem tantus. D. ſoluto matrim. l.* 64. §. 1. *D. de condicion. & demonſtr.* Quemadmodum & in Codice Theodoſii, qui *Jo. Tilii* beneficio Lutetiae excuſus eſt, ubique hoc verbum ſcribitur. *l.* 1. *de mulierib. quae ſe ſervis propriis junxer. lib.* ix. *tit.* 9. *l.* 74. *de decurionib. lib.* xii. *tit.* 1. & aliis infinitis locis: Ut & in Lexico jam ſaepius citato, *Suboles*, ἐπιγονή. Quod rectum videtur, ut a *Subolescendo*, id eſt, ſubcreſcendo, vox haec derivata ſit. Eam enim apud veteres verbum *oleſcere* ſignificationem habuiſſe, Festus notavit *lib.* xvii. *voc. ſuboles.* Adolescentem quoque ibidem ſemper legas, *Adoleſcentem* nuſquam. Et Utrubi, non *Utrobi. l.* 1. & *Rubr. D. utrubi l.* 9. *D. de rei vind.* Utrubique, non *Utrobique l.* 4. *D. de pact. dotalib. l.* 85. *D. de legat.* iii. *l.* 25. *D. quando dies leg. ced.* (*d*) *l.* 19. *in fin. D. de judic. l.* 11. §. 3. *officium. D. de aqu. & aqu. pluv. arc. l.* 36. §. *penult. D. de legat.* Varietatem autem hanc ſcripturae, qua inter ſe codices diſſident, ex antiqua litterarum O & U quam in ſermone recipiebant, functione fluxiſſe credo, ex qua *Vulgo* & *Volgo* indifferenter ſcribi in veterum libris ſcimus. Inde adeo qui paſſim *Opilio*, Florentiae Upilio dicitur in *l.* 60. *in fin. D. de legat.* iii. quamquam ovium cuſtodes, *Oviliones* appellentur in *l.* 25. *in fin. D. de inſtr. vel inſtrument. leg.* Sic etiam Hoc, pro *Huc*, (quod veteribus in uſu fuiſſe Servius in viii. *Aeneid. v.* 423. notat) legimus in *l.* 6. *D. de uſu & habit.*

§. 13. Latinum porro U Graecum ὑψιλὸν repraeſentare, ejusque loco in referendis dictionibus Graecis antiquitus ſuffici ſolitam non eſt ignotum (*e*). Hinc illa, Musia, pro *Myſia* in *l.* 16. §. *penult. D. de poenis.* & Tumpanum in *l.* 19. §. 2. *illud. D. locati.* pro *Tympanum.* Assurius ſermo, pro *Aſſyrius* in *l.* 1. §. *ult. D. de verbor. obligationib.* Sulla, pro *Sylla* in *l.* 2. §. 32. *deinde Cornelius. D. de orig. jur.* Et Purrhus, pro *Pyrrhus* in *l.* 1. §. 5. *ſecundo D. de poſtul.* Et Poluposus, pro *Polypoſus* in *l.* 12. *D. de aedilic. edict.* Contra Centyrio (*f*), pro *Centurio* in *l.* 26. §. 3. *convenit. D. de pactis dotalib. l.* 40. *D. de adminiſtr. tut. l.* 15. *D. de vulg. & pupill. ſubſtit.* Ut Lysitania, pro *Luſitania* in *l. ult. D. de cenſib.*

§. 14. Fuit etiam olim Latino I magna & ad commutationem proclivis cum vocali U cognatio. Inde adeo quod hodie *Recuperare*, antiquitus Reciperare dictum, non ex Piſanis Pandectis tantum, ſed ex aliis vetuſtis

(*a*) Usufructu] In Gothofredi tamen editione in *h. l.* vulgari modo ſcribitur *ſulphur*, ut & in *l.* 55. §. 8. *D. de legat.* iii. *ſulphurata.*

(*b*) Ballistrarios] In *Pand. Flor.* juxta Taurelli editionem in *l. c.* legitur *Valliſtrarii*: (id quod novum exemplum praebet commutationis B in V) quam ſcripturam & Gothofredus retinuit. *Sim. van Leeuwen* vero in ſua ed. edidit *Balliſtrarii*, quam ſequitur Lipſienſis editio.

(*c*) Edunt] In Gothofredi tamen editione in *ll. all.* ſemper legitur communi more *ſoboles.*

(*d*) Ced.] In hac lege, ut in toto hoc titulo, particulam hanc fruſtra quaeſivi. In *legg. ſeqq.* in Gothofredi editione legitur *utrobique.*

(*e*) Ignotum] Gothofredi tamen editio retinuit vulgare y in vocibus. *Myſia*, *Aſſyrius*, *Sylla*, *Pyrrhus*: immo & in voce *Tympanum Sim. van Leeuwen* & *Lipſ. editio.* Eodem modo in *l.* 122. §. 1. *D. de verb. oblig.* in *Pand. Flor.* tam juxta Taurelli, quam Gothofredi editionem plus ſimplici vice Suria pro *Syria* legitur, & ſemel quoque in Taurelli ed. Soria, ut hodie communiter haec regio a Geographis vocatur.

(*f*) Centyrio] Communem tamen ſcribendi morem in *ll. all.* retinuit Gothofredus.

tuſtis omnibus codicibus intellegimus. Ex diverſo DUPLOMA, pro *diploma*; ADSIMULATUR, pro eo, quod vulgo *Aſſimulatur* in iiſdem Pandectis legimus. Et plane ADSIMULARE dixiſſe antiquos DIOMEDES (*a*) tradit, Ciceroniſque & Virgilii teſtimoniis confirmat: licet eam ſcripturam veterum codices in hunc diem non retinuerunt.

§. 15. ARCESSITIS etiam *amicis* Florentiae ſcribitur in *l.* 39. §. 1. *propoſitum. D. de legat.* III. ubi alii codices *Accerſitis* habent. Atque ita, quantum memoria repeto, in manuſcriptis veterum auctorum codicibus, quos quidem mihi videre antehac contigit, ARCESSERE, pro *Evocare* ſcriptum, ubicunque id occurrit, reperi: licet Grammaticorum diſtinctioni hanc ſcripturam repugnare non ignorem, qui *Accerſere* in ea ſignificatione dicendum contendunt. Unde in *l.* 7. *C. ubi cauſae fiſcal.* quo loci typis impreſſi libri, *Accerſendis*, veteres mei ARCESSENDIS ſcriptum habent (*b*). Iidemque apud CICERONEM pro A. *Cluentio cap.* 9. primi, qui ex Venetorum officina prodiere, codices, *Arceſſit ſine cauſa puerum*; non, ut recentiores, *Accerſit*, ediderunt (*c*).

§. 16. DEFRUDETUR vero, quod eſt in *l.* 45. *in fin. D. ſol. matrimon.* cujus loco hodie *Defraudetur* ſcribimus (*d*), germanam antiquitatem olet. DEFRUDO enim, non *Defraude* veteres dixiſſe, ut reliquos omnes taceam, NONIUS MARCELLUS *lib.* 2. *num.* 123. notat, & hoc PLAUTI *Aſinaria Act.* 1. *Sc.* 2. *verſu* 82. comprobat:

Ten' ego defrudem, cui ipſi nihil eſt in manu?

Subdit & TERENTIANUM ex *Phormione Act.* 1. *ſc.* 2. *verſ.* 10.

Suum defrudans genium comperſit miſer.

§. 17. CONSTITIT certe, pro *Conſiſtit* ſaepenumero in Pandectis Piſanis ſcribitur. *l.* 68. & *l.* 98. *in fin. D. de ſolutionib. l.* 34. *D. de negot. geſt.* Et CONSTITEREMOS, pro *Conſiſteremus* in *lege* 76. *D. de judiciis* (*e*).

§. 18. JUVENALEM (*f*) etiam facilitatem; non, ut alii libri, *Juvenilem*, eaedem Pandectae ſcribunt in *lege* 15. §. 6. *lex Julia. D. ad leg. Juliam de adulter.*

§. 19. SYCAMINONEM arborem, in *l. penult. D. de extraord. criminib.* ubi alii *Sycomorum.*

§. 20. Et PERFOCAT in *lege quarta D. de liber. adgn.* ubi alii *Praefocat.*

§. 21. Scribunt & eaedem Pandectae ut plurimum ATQUIN, non *Atqui*, *lege* 78. §. *penult. D. de legat.* III. *l.* 19. *D. de negot. geſt. l.* 59. *D. ad SC. Trebellian. l. ult. D. de fideicomm. libert. l.* 15. *D. ad legem Jul. de adulter.*

§. 22. REFICTIONEM itidem, pro *Refectionem* aliquoties ſcribunt. *l.* 1. §. 7. *D. de cloacis l.* 3. §. *ult.* & *l. ult. D. de rivis.*

§. 23. At UROUERE, & TINGUERE, addito U in ceteris temporibus conſtanter ſcribunt *l. ult. D. de judiciis.* (*g*) *l.* 22. *D. de negot. geſt. l.* 73. *D. de legat.* III. & aliis innumerabilibus locis. Quae verbi TINGOO ſcriptura CAPRO Grammatico probatur (*h*): Et in hunc quoque modum URGUET in Lexico B. Germani ſcribitur, & vertitur ἐπείγει, κατασπεύδει, ἐπείγω. Placet etiam PROBO (*i*), artis ſuae peritiſſimo, ita ſcribendum UNOUO.

§. 24. Plane meram antiquitatem ſapit, quod PRAEGNAS, PRAEGNATIS reliquoſque deinceps caſus ſimili forma eaedem Pandectae efferunt. Cui dictioni, ut poſteritas litteram N inſeruit, ita de quibuſdam aliis vocibus detraxit, quibus euphoniae gratia olim ea interjici & interponi conſueverat.

§. 25. NANCTUS enim, & THENSAURUS, QUOTIENS, QUOTIENSCUNQUE, VICENSIMUS, QUADRAGENSIMUS, CENTENSIMUS, & alia id genus hodie ſine N pronuntiantur. Quibus haud ſatis ſcio, an adnumerari debeant, quae in iiſdem Pandectis obſervavi, RELINQUERIT, RELINQUISSET *k*). *l.* 79. *D. ad legem Falcid. l.* 2.

(*a*) DIOMEDES] Ego hoc apud Diomedem reperire non potui. Apud *Priſcianum* vero *lib.* VIII. *pag.* 799. *ed. Putſchii* legitur: *Simulo, adſimulo, diſſimulo.*

(*b*) HABENT] Et ita quoque edidit Gothofredus.

(*c*) EDIDERUNT] Hodie tamen recentiores emendatioresque editiones recte exhibent *arceſſit.*

(*d*) SCRIBIMUS] Et ita quoque edidit Gothofredus.

(*e*) JUDICIIS] Ubi tamen Gothofredus communi more edidit *conſiſteremus.*

(*f*) JUVENALEM] In Taurelli editione legitur *Jubenali.*

(*g*) JUDICIIS] In *h. l.* ſecundum *Taurelli ed.* legitur *urguente*; ſecundum *Gothofr.* vero *ed. urgente.* In reliquis duabus legibus nihil reperi, quod huc ſpectaret, ut adeo difficile ſit ad divinandum, quas leges auctor intelligat. Confer interim ejus opus *de Verb. Signif. voc. urguere* vel *urgere.*

(*h*) PROBATUR] Immo CAPER *de Orthogr. pag.* 2246. *apud Putſchium* dicit potius: TINGERE *dicendum eſt, non* Tinguere. Adde PRISCIANUM *lib.* X. *pag.* 881. *ed. Putſchii.*

(*i*) PROBO] Intelligit forſan locum apud PRISCIANUM *l. c.*

(*k*) RELINQUISSET] *Gothofredus* tamen in *ll. cc.* vulgarem retinuit ſcribendi morem: immo

in

2. §. 6. *ſi ex emancipato. D. de collation. bonor. l.* 41. §. 6. *Lucius. D. de fideicomm. libert. l.* 122. §. 3. *D. de verb. obligation.* & aliis infinitis locis. Item CONTINGERUNT in *l.* 41. §. 7. *Titius. D. de fideicomm. libert.* (*a*) OBTINGERUNT in *l.* 15. *D. de munerib. & honorib.* CONFUNDERANT in *l.* 31. *D. locati.* RESCINDRRAT in *l.* 1. §. 12. *in fin. D. de cloac.*

§. 26. Nam nec abſimili ſpecie RUMPERIT, RUMPTUM, & CORRUMPIT, pro *Ruperit*, *Ruptum*, *Corrupit* ibidem legimus in *lege* 22. *D. de furt. lege ult. D. locati. Rubr. de injuſto, rupto, & irrito teſtam.*

§. 27. Et quaedam alia praeterea verborum tempora contra Grammaticorum regulas formata habent. Veluti ACCEDRRAT, pro *Acceſſerat* in *lege ultima D. de acquirenda heredit.* DECEDRRIT (*b*), pro *Deceſſerit*, *in lege vigeſima ſeptima §. primo D. de legat.* III.

§. 28. ADJUVAVERIT, pro *Adjuverit* in *l.* 15. §. 1. *D. de manumiſſ. vind.*

§. 29. ADPULSERIT in *l.* 1. §. 18. *Trebatius. D. de aqua cottid.*

§. 30. Et TOLLISSE, pro *Tuliſſe* in *l.* 13. §. 4. *ſi is, qui hominem. D. de acceptilationib.* Et OBLINUERIT in *l.* 1. §. 1. *D. de extraord. criminib.*

§. 31. Sed ut nudae antiquitatis reliqua in Pandectis impreſſa veſtigia perſequar, non omittendum eſt, quod UXOREI, pro *Uxori* legimus in *l.* 31. *D. de uſufruct. leg.* IPSEIS, pro *Ipſis* in *l.* 1. *in fin. D. de feriis* (*c*). Et BENEIVOLENTIA (*d*), pro *Benevolentia* in *l.* 62. *D. de hered. inſt.* Cujus generis in vetuſtis ſaxis monumentiſque exempla ſunt frequentia.

§. 32. PLOSTRUM item & CLODIUM illic ſcribi obſervabis, quae nunc per AU efferuntur.

§. 33. Item NEGLEGERE, INTELLEGERE, DEJUDICARE, DELENIMENTUM, DEVERTICULUM, DESTRICTE, DESPERIRE, DEMINUTUM, quae nunc per I enuntiantur.

Cui mutationi facile ipſa litterarum adfinitas locum dedit, quae antiquis temporibus ſine ullo diſcrimine inter ſe commutabantur, quemadmodum FABIUS QUINCTILIANUS *lib.* I. *capite* IV. (*al.* V.) & GELLIUS *lib* X. *cap.* XXIV. & DONATUS in *Phormione Terentii Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 2. admonent.

§. 34. Maxime vero ea in dictionum fine licentia utebantur. Unde NOXALE, pro *Noxali*, in *l.* 27. *in princ. D. de evictionib.* (*e*) DEFENSIONE, pro *Defenſioni* in *l.* 39. §. 1. *D. de noxalib.* (*f*) EXCEPTIONE, pro *Exceptioni* in *d. l.* 39. §. *pen.* Rurſus PETITIONI, pro *Petitione* in *l.* 8. *D. de rei vindicat.* (*g*) Et FERUMINATIONI, pro *Ferruminatione* in *l.* 23. §. 5. *item quaecunque. D. eod. tit.* ADFINITATI, pro *Adfinitate*, in *l.* 39. *D. de injur.* Cujuſmodi infinita exempla in eorum librorum lectione verſantibus occurrent, quae hinc admonitus ſibi quiſque ſuo ſtudio obſervabit.

§. 35. Eſt & ex antiquo loquendi more repetenda quorundam verborum a vulgari forma diſſidens ſcriptura. APISCI enim, pro *Adipiſci*, & CLUDO, pro *Claudo* non raro in illis Pandectis leges.

§. 36. NUBSIT etiam, & SCRIBSIT, quae paſſim per P ſcribuntur, aliquotiens invenies in *tit. de condicion. & demonſtrat.*

§. 37. At ex contrario OPTINERE, & OPTULIT, SUPTILE, SUPTILITAS in iiſdem libris, ut plurimum per P, non, ut in aliis per B ſcribuntur.

§. 38. Sed & multa per C illic ſcripta animadverti, quae per T ubique alias concipiuntur, veluti CONDICIO, AEDILICIUS, AEDILICIA, ADVENTICIUM, MUCIANA, VENALICIARII, CONVICIUM, SOLACIUM, TRAJECTICIA, PIGNERATICIUS, PIGNERATICIA, quae duo poſtrema etiamnum in Codice Juſtiniani corrupta ſunt.

§. 39. Retinent & illi libri fere ſemper in compoſitis verbis integras utrinque voces. Itaque EXSTAT, EXSPECTAT, EXSOLVERE, EXSEQUI, EXSTRUERE, EXSPIRAT tam crebro legimus, ut nimiae ſit & putidae diligentiae loca proferre.

§. 40.

in *l.* 122. §. 3. D. *de* V. O. etiam in *Taurelli* editione legitur *Reliquerunt.*

(*a*) LIBERT.] *Gothofredus* in *l. c.* edidit *contigerunt*, ut & in lege ſeq. *obtigerunt.*

(*b*) DECEDERIT] *Gothofredus* in *l. c.* edidit *decederet.*

(*c*) FERIIS] *Gothofredus* tamen vulgari more edidit *Ipſis.*

(*d*) BENEIVOLENTIA] In *Taurelli* editione legitur *Veneivolentiae*: in *Gothofredi* vero *benevolentiae.*

(*e*) EVICTIONIB.] In *h. l.* vox illa plane non occurrit; ſed in *l.* 27. *pr. D. de noxal. action.* quam auctor ſine dubio in mente habuit.

(*f*) NOXALIB.] In *Gothofredi editione* in *l. c.* legitur *defenſioni.*

(*g*) VINDICAT.] *Gothofredus* in *h. l.* edidit *petitione*; ut & in *ll. ſeqq. ferruminatione* & *adfinitate.*

§. 40. Eadem forma TRANSDUCERE habent, non *Traducere*, in *leg.* 11. §. *primo D. de Publician. leg.* 61. *D. de legat.* III. *lege* 31. §. 1. *D. de poenis.* Et TRANSSCRIBERE in *leg.* 92. *D. de diverſ. regulis jur.* (*a*)

§. 41. INLACRIMARI in *lege.* 19. §. 1. *D. de officio praeſid.* INROGARE *l.* 7. *in fin. D. de ſerv. exp.* (*b*) *Et* CIRCUMIRE in *lege* 7. §. *primo D. de offic. proconſ.*

§. 42. Nonnulla quoque contra receptam ſcribendi conſuetudinem in illis libris vocabula aſpirantur. Nimirum HARENA, HARENARII, quibus in verbis aſpirationem PHOCAS Grammaticus, *pag.* 1723. ap. *Putſcb.* deſiderat (*c*). Item HOLUS *lege* 12. §. *primo D. de uſu & habit.* (*d*) VERHEDI in *l. ult.* §. *penult. D. de munerib. & honorib.* At HARUNDO, & HARUNDINETUM, non abſciſſe, ſed verie, & modo addita, modo dempta aſpiratione. Sicut & TRAHIANUS quandoque (*e*) *lege* 4. *in fin. D. ad leg. Jul. peculatus. l.* 3. *in fin. D. de abigeis. l.* 5. §. *ult. D. de his, quae ut indign.* & TRAHIANOPOLIS, *lege prima* in *fine D. de cenſibus.*

§. 43. Per contrarium quaedam in illis libris citra ſpiritum aliter atque vulgo ſcribuntur. Qualia ſunt haec: CARUS, CARITAS, pro benevolentia, POSTUMUS. Quae quia in Pandectis obvia ſunt, idcirco locorum teſtimonio ſuperſedeo. Tantum confirmandae hujus ſcripturae cauſa Lexicon B. Germani citabo, in quo POSTUMUS ſine aſpiratione ſcribitur (*f*), definiturque ὁ ζῶντος μὲν τοῦ πατρὸς συλλαβόμενος, ἀποθανόντος δὲ γενόμενος. Similiter citra aſpirationem verbum TUS ſcribitur, non modo in *lege* 3. §. *antepen. D. de penu leg.* (*g*) verum etiam in eodem aedis B. Germani Lexico. Quam ſcripturam rectam eſſe ISIDORUS *libro* XVII. *Etymolog. capite octavo*, a tundendo hujus verbi originem deducens, docet. Item PARTOS Pandectae efferunt, non *Parthos. l.* 10. *D. de condicionib. & demonſtrat.* (*b*) & EDERAM in *leg. tertia* §. 1. *D. arb. furt. caeſ.* (*i*) & UMOREM *leg.* 57. *D. locati. l.* 19. *D. de ſervitutib. praed. urb.* (*k*) & UMERALE in *l.* 14. §. *ult. D. de re milit.* & REDAM, *leg.* 60. §. *pen. D. locati.* TROCLEAS (*l*) *l.* 19. §. 2. *illud. D. eod. tit.* RENUM (*m*) in *l.* 11. *D. de evictionib.* AËNUM in *lege* 12. §. 10. & *l.* 18. §. 3. *D. de inſtr. vel inſtrum. leg.*

§. 44. Ceterum loco PH aſpirati, in multis, praeſertimque peregrinis dictionibus, F ponitur, ſic FOENICES, ELEFANTOS, FILIPPOS, ORFITIANUM, CHIROGRAFA, SIFONES, EFESUM in Florentinis libris legimus *l.* 1. & *l. ult. D. de cenſibus* (*n*) *l.* 2. *in fin. D. ad l. Aquil.* (*o*) *l.* 6. §. 1. *D. de acquir. hered. l.* 11. §. 1. *D. de ſervo corrupto* (*p*) *l.* 12. §. 18. *D. de inſtr. vel inſtrum. leg. l.* 137. §. 2. *cum ita. D. de verb. oblig.*

§. 45. Inſuper quaedam unicis litteris concepta vocabula in illis libris occurrunt, quae nos geminatis ac repetitis ſcribimus, ut CONUBIUM; quam eandem ſcripturam Lexicon B. Germani ſequitur, ut ſupra *lib.* III. *de verb. ſignific.* docui. Item CONEXA (*q*) *l.* 17. *D. de negot. geſt. l.* 59. *D. de rei vindic. l.* 1. §. *penult. D. de ſuis & legit.* LITUS & LITORA *l.* 2. *l.* 3. *l.* 4. *D. de rer. diviſion.* & alibi ſaepe. COPERTORIA in *l.* 38. §. 1. D.

(*a*) JUS.] *Gothofredus* per ſimplex *ſ.* in *l. c.* verbum hoc edidit.

(*b*) EXP.] Ubi *Taurellus* edidit *inrogatae*; *Gothofredus* vero *irrogatae*. In *l.* vero 6. praecedenti utraeque editiones exhibent *irrogatam*.

(*c*) DESIDERAT] Confer etiam SOSIPATRUM CHARISIUM *Inſt. Gramm. lib.* 1. *pag.* 80. VELIUM LONGUM *de Orthogr. pag.* 2238. & MARIUM VICTORIUM *Artis Gramm. lib.* 1. *pag.* 2467. *ap. Putſch.*

(*d*) HABIT.] In *Sim. van Leeuwen* & *Lipſ. ed.* communi more ſcribitur *oleribus*: antiquiores *Gothofredi* editiones cum *Taurelli* conſpirant.

(*e*) QUANDOQUE] Quod tamen in *ll. all.* in editione *Gothofredi* non obſervatur.

(*f*) SCRIBITUR] Et recte quidem, ut hodie accuratiſſimi Critici ſtatuunt.

(*g*) LEG.] *Gothofredus* tamen in *l. c.* communi more edidit *thus*.

(*h*) DEMONSTRAT.] Auctor ſine dubio in mente habuit *l.* 10. *D. de condict. inſtit.* ubi in *Taurelli editione* legitur *Partorum*; in *Gothofredi* vero *ed. Parthorum*.

(*i*) CAES.] In *Sim. van Leeuwen* & *Lipſ. editione* vulgari modo legitur *Hederae*: *Gothofredi* vero antiquiores editiones cum *Taurelli* conſpirant.

(*k*) URB.] In *Gothofredi* tamen editione communi more cum adſpiratione ſcribitur.

(*l*) TROCLEAS] Ita etiam ſcribitur in *Gothofredi* vetuſtioribus editionibus: *Sim. van Leeuwen* vero & *Lipſ. edd.* adſpirationem addiderunt.

(*m*) RENUM] Vulgari more *Rhenum* edidit *Gothofredus*. Ceterum exemplis ab auctore allatis addi adhuc poteſt, in *l. ult.* §. *pen.* & *ult. D. de munerib. & honorib.* tam in *Taurelli*, quam in *Gothofredi* & *Sim. van. Leeuwen edd.* pro *hoſpite* & *hoſpitem* legi OSPITE & OSPITEM.

(*n*) CENSIBUS] In *l.* 1. *h. t.* tam in *Taurelli*, quam *Gothofredi ed.* ſemper legitur *Phoenice*, *Phoenices*, *Phoenicen*: at in *l. ult.* §. 3. *h. t.* in utraque editione legitur *Foenice*. In §. 8. *h. l.* in utraque editione ſcribitur *Philippenſes*.

(*o*) AQUIL.] In *h. l.* juxta *ed. Lipſ.* communi more ſcribitur *Elephanti*: at *Gothofredi* & *Sim. van Leeuwen edd.* cum *Taurelli* conſpirant.

(*p*) CORRUPTO] In *h. l. Gothofredus* edidit *Chirographa*; ut & in *l. ſeq. ſiphones*, & in *l.* 137. D. *de* V. S. ſemper *Epheſum*.

(*q*) CONEXA] *Gothofredus* tamen in *ll. all.* communem ſcribendi morem per duplex *n* retinuit, ut & in verbis ſequentibus per duplex *l* & *r*.

D. de aur. & arg. leg. quae vulgo *Coopertoria.* ILICO, VILICUS, VILICA. *l.* 146. *l.* 203. *D. de verb. ſignificat.* (*a*). & aliis infinitis locis. PEDISEQUA (*b*) *l.* 65. *D. de legat.* II. BRITANICA *l.* 46. *D. ad SC. Trebellian.* (*c*) Poſtremo ANULUM, AEDILES CURULES, OPORTUNE, ſine litterarum geminatione in illis libris vel indiligens lector offendet.

§. 46. Vice verſa geminantur in aliquot dictionibus litterae, quarum repetitionem communis ac trita ſcribendi ratio repudiat. Nsm & QUERELLAM, SEQUELLAM, & SOLLEMNEM, LITTERAM, IMMO, QUINIMMO, COMMINUS, REPPERIT, MERCENARIUS perpetuo invenies. Et certe in Lexico B. Germani eodem modo *Querella* ſcribitur & redditur μέμψις. BRACCHIUM etiam iidem libri ſcribunt (*d*), *l.* 23. §. 5. *item quaecunque. D. de rei vindic. l.* 12. §. 1. *D. de aedilic. edict.* Et SOLLERTIAM *l.* 24. *D. ex quibus cauſ. major.* & MASSURIUM *l.* 2. §. *ult. D. de orig. jur. l.* 105. *D. de verb. oblig. l.* 144. *D. de verb. ſignif.* & CATILLINAM *l.* 8. *D. ad leg. Jul. majeſt.* RECCIDERE (*e*) *l.* 10. *l.* 40. *D. de adoptionib. l.* 7. *in fin. D. quod cujuſque univerſit. l.* 6. *D. de captiv. l.* 13. *D. de option. leg.* SUMMISSIT etism, & PROMISSIT, invenias in *l.* 15. §. 8. *D. de injur.* & *l.* 49. *D. famil. erciſc.* & REPPULERIT in *l.* 86. §. 2. *D. de legat.* I. At SOPREMUM, CUPAE, CULEI, varie, & interdum unicis ac ſimplicibus, interdum repetitis litteris ſcribuntur.

§. 47. Enimvero puris vocalibus ſcribi olim ſolita quaedam vocabula, quibus nunc diphthongos addimus, ex conſtanti eorum librorum ſcriptura obſervavi. Cujuſmodi ſunt haec; HEREDITAS, CETERUM, EDERE, FEMINA, FETUS, VENEO.

§. 48. Rurſus cum diphthongia quaedam ſcripta obſervavi, quae ab iis vulgo vacant. Veluti PAENE, ſicut & in Epigrammate veteri Romsno: DOCTA ERUDITA PAENE MUSARUM MANU. Item PAENOLA *l.* 7. §. 2. *D. de ſupell. leg.* (*f*) PAENURIA *l.* 25. *in fin. D. de pigner. act.* OBOEDIRE in *l.* 8. *in fin. D. de pollicitationib.* AMOENITAS in *l.* 3. *D. de aqua cottid.* SCAENA in *l.* 1. & *l.* 2. §. *ult. D. de his, qui notant. infam. l.* 24. *D. ad leg. Jul. de adult.* (*g*) quemadmodum in Epigrammate quoque marmoris Romsni ſcriptum ferunt, in hoc verſu;

ET GRAECA IN SCAENA PRIMA POPULO APPARUI.

Unde SCAENICA in *l.* 15. §. 5. *D. de uſufr. l.* 127. *D. de verb. ſignific.* (*h*) Et PROSCAENIUM in *l.* 8. *D. de pollicitationib.* (*i*) DEPRAEHENDERE plane & COMPRAEHENDERE non ſine varietate aliqua diphthongis sugentur.

§. 49. Porro alias plerumque a receptis diphthongos verbis quibuſdam Pandectae tribuunt. Etenim CAENUM & FAENUM, CAECUS, PAENITENTIA, CAELUM, quse vulgo per OE (*k*), illic per AE eduntur. *l.* 26. *in fin. D. de acquir. rer. domin.*, *l.* 93. §. *penult. D. de legat.* III. *l.* 1. §. 5. *D. de poſtulando l.* 28. *D. de ſervit. urb.* Et quod mihi msgis mirum accidit, PAENOS ubique illic ſcribitur, ut & in Lexico B. Germani FAENERATOR: quamquam e fetu pecuniae ea nomina tracta Grammaticis placet.

§. 50. Nec vero ipſsc ſibi uſquequaque Pandectae conſtant. Nsm SUGRUNDA & SUGRUENDA dicunt *l.* 5. §. *penult. D. de his, qui dejecer. Rubr. de damn. inf. & ſugr.* (*l*) In lexico autem B. Germani *Sugrunda* ſcribitur & exponitur ἐκθέτης. PULCTRUM item lecti, & FULCRUM dici invenio *l.* 52. §. *ult. D. de legat.* III. *l.* 26. §. 1. *D. de acquir. rer. domin.*

§. 51.

(*a*) SIGNIFIC.] In *l.* 146. *h. t.* nihil occurrit, quod huc ſpectaret. In *l.* 203. *h. t.* in *Taurelli ed.* legitur *vilici*; in *Gothofredi* vero *villici.* Si quis exempla deſiderat, ubi in *Taurelli ed. ilico*, & in *Gothofredi illico* ſcribitur, is evolvat *l.* 1. §. 3. D. *de* V. O. *l.* 10. §. 6. *D. mand. l.* 17. *D. de vi & vi arm.*

(*b*) PEOISEQOA] *Gothofredus* tamen hoc verbum in *l. c.* communi more per duplex *s* edidit.

(*c*) TREBELLIAN.] In *h. l. Britannica* legitur in *ed. Sim. van Leeuwen* & *Lipſ. Gothofredus* tamen cum *Taurello* conſentit.

(*d*) SCRIBUNT] *Gothofredus* vero in *ll. all.* communi more edidit *brachium*; ut & *ſolertiam*, *Catilinam.*

(*e*) RECCIDERE] *Gothofredus* tamen in *ll. cc.* hanc vocem ſemper unico *c* edidit; & eodem modo *ſummiſit*, *promiſit*, *repulerit.*

(*f*) LEO.] *Gothofredus* in *l. c.* edidit *penulas*: & ſic *penuria* & *obedire* communi quoque more ah eo ſcribitur.

(*g*) ANULT.] In *h. l. Gothofr. ed.* exhibet *ſcena*, quam ſequuntur *Sim. van Leeuwen* & *Lipſ. edd.* at in *ll. praeced. Gothofredi* & *Sim. van Leeuwen edd.* ſequuntur *Taurellianam*; in ſola *Lipſ. ed.* legitur *ſcena.*

(*h*) SIGNIFIC.] Ita etiam in *ll. all.* edidit *Gothofredus*: at *Sim. van Leeuwen* & *Lipſ. edd.* exhibent *ſcenica.*

(*i*) POLLICITATIONIB.] In *h. l. Gothofr.* & *Sim. van Leeuwen* ediderunt cum *Taurello proſcaenii*; ſed *Lipſ. ed.* hsbet *proſcenii.*

(*k*) OE,] Hoc OE retinuit etiam *Gothofredus* in *ll. cc.* praeterquam in voce *caecus.*

(*l*) SUGR.] In *h. Rubr.* legitur *ſuggrundis* in *ed. Sim. van Leeuwen* & *Lipſ.* at vetuſtiores *Gothofredi* editiones cum *Taurelli* conſpirant. In *l.* 5. *D. de his, qui dejec.* in *Taurelli ed.* invenitur *ſugruenda*: in *Gothofr. ed. ſuggruenda*, quam ſequuntur *Sim. van Leeuwen* & *Lipſ. edd.*

§. 51. Sed enim ambigui generis dubiaeque conjugationis ac declinationis nomina ac verba in his non pauca reperire eſt, veluti CONCORDIA, & CONCORDIUM neutro genere in *l.* 27. *D. de pact. dotalib.* ALIMONIA, ALIMONIAE in *l.* 1. §. *penult. D. de extr. cognit.* & ALIMONIA, ALIMONIORUM in *l.* 73. *in fin. D. de jure dot. l.* 4. *D. de liber. agnoſc.* ut & apud VARRON. *lib.* 1. *de re ruſt. cap.* VIII. *In partu & alimonio.* Et *libro* III. *cap.* XVI. *mellis alimonio.* LECTUS item & LECTUM in *l.* 19. §. 8. *D. de auro & argent. leg.* PAPYRUS & PAPYRUM in *l.* 52. §. 6. *chartis. D. de legat.* III. DENARII & DENARIA, *lege* 13. §. 1. *l.* 20. §. 1. *D. de verb. oblig.* (*a*) TEGULAE, & TEGULA, TEGULORUM in *l.* 30. §. 1. *Labeo. D. de uſucapionib. l.* 8. *D. quod vi aut clam.* CASTELLA & CASTELLI in *l.* 41. §. 10. *D. de legat.* I. CONSORTIUM, & CONSORTIO, CONSORTIONIS in *lege* 96. §. 3. *cum eodem. D. de ſolutionib.* Quod verbum VELLEJUS quoque PATERCULUS *libr. poſteriori cap.* 103. uſurpat; *Ut & Tribuniciae poteſtatis conſortionem Neroni conſtitueret.* Alia etiam ex LUCILIO *libro* XIX. & ex M. TULLIO *libr.* III. *Officior. cap.* 6. & ex LIVIO *lib.* VI. *cap.* 40. deprompta teſtimonia NONIUS MARCELL. *lib.* III. *num.* 39. ſuppeditat. Praeterea LUPANAR & LUPANARIUM legimus *l.* 43. *D. de ritu nupt. lege* 21. §. 11. *ſed ſi in aliquem. D. de recept. qui arbitr. recep. lege* 27. §. 1. *D. de petition. hered.* EXEMPLAR & EXEMPLARIUM, *l.* 47. *D. de legat.* II. *l.* 10. *D. ſi quis om. cauſ. teſt.* (*b*) *lege* 10. *D. teſtament. quemadm. aper. lege* 1. §. 5. *ſi quis in duobus. D. de bon. poſſ. ſec. tab.* MILIARE & MILIARIUM *l.* 42. *D. de excuſ. tut. l.* 1. §. 4. *initio. D. de officio praef. urbi l.* 4. §. 1. *D. de hered. inſtit.*

§. 52. Ac quemadmodum GELLIUS *Vulgarem* & *Vulgarium* ac *Vulgariam* dicit, ita noſtri PECULIARES res & PECULIARIAS, PECULIAREM cauſam & PECULIARIAM efferunt, *l.* 4. §. *ult. D. de doli except. lege* 4. §. *penult. D. de pecul.* TEMPORALEM denique & TEMPORARIAM actionem, VERSICOLOREM veſtem & VERSICOLORIAM, ANGULAREM locum & ANGULARIUM apud eos legimus *lege* 9. §. 3. *ſi is qui temporaria. D. de jurejur. l.* 55. §. *ult. D. ad SCt. Trebellian. l.* 1. §. *ult. D. de aqua cottid. l.* 70. §. 12. *D. de legat.* III. *l.* 69. *D. de contrah. emt.*

§. 53. Item DUCTUM aquae & DUCTIONEM *l.* 10. *in fin. D. de aq. & aqu. pluv.* INCESTUS etiam & INCESTUM apud eos invenitur. *l.* 56. *D. de ritu nupt. l.* 39. §. *ult.* & *l. ult. D. ad leg. Jul. de adulter. l.* 4. & *l.* 5. *D. de quaeſtionibus.* CONJUNCTIO & CONJUNCTUS *l.* 91. §. *antepen. D. de legat.* III. (*c*) MANDATUM & MANDATUS in *l.* 41. §. 11. *pater. D. de legat.* III. *l. ult. in fin. D. pro empt. l.* 2. *D. de litigioſ. l.* 42. *D. de neg. geſt. l. ult. D. de ſolutionib. l.* 23. & *l.* 26. *D. de minor. l.* 14. §. *antepen. D. de religioſ. l.* 25. §. *ult. D. de except. rei jud.* JUSSUS & JUSSUM in *l.* 25. §. 4. *juſſum. l.* 36. *D. de adqu. hered.*

§. 54. Eandem in quibuſdam verbis conjugationum varietatem atque inconſtantiam notare licet. Nam AEDIFICARE & AEDIFACERE (*d*) auctores noſtri dicunt. *l.* 60. §. 4. *mandavi. D. locati. l.* 10. §. *ultimo D. ſoluto matrim.* SIGNIFICARE & SIGNIFACERE in *l.* 65. §. 3. *D. ad SCt. Trebellian.* (*e*) eadem figura, qua *lucrifacere.* MAGNIFICIEBAT etiam leges in *l.* 1. §. *penult. D. quod vi aut clam* (*f*).

§. 55. Sed & DEMOLIRI ac DEMOLIRE uſurpant. *l.* 30. *D. locati l.* 12. *D. de uſufr. leg. l.* 37. & *l.* 43. §. 1. *D. de damno infect. l.* 50. *D. ad l. Aquil.* Cujus varietatis novitatem mihi DIOMEDES *de partib. orat. lib.* 1. *pag.* 395. ap. *Putſchium* leniit, qui *Demolire* antiquos dixiſſe, prolatis in eam rem VARRONIS *ex libris Poëticor, & Epiſtolicarum quaeſtionum*, & NAEVII in *Corollaria* locis, comprobat. Illud etiam, quando in hujus verbi mentionem incidimus, notandum eſt, DEMOLIOR non tantum activa, ſed & paſſiva ſignificatione a Jureconſultis uſurpari. Ita DEMOLITA *domus eſt*, dixit JAVOLENUS in *l.* 23. §. 2. *D. de uſucapionib.* Ex DEMOLITIS *aedibus*, UL-

PIA-

(*a*) OBLIG.] In *ll. all.* nihil occurrit, quod huc ſpectaret. Auctor forſan in animo habuit *l.* 126. §. 2. *D. de V. O.* Plura exempla videri poſſunt in auctoris Opere de V. S.

(*b*) TEST.] Nec in *l. c.* nec in toto hoc *tit.* vocabulum illud reperire potui.

(*c*) III.] Ubi in *Pand. Flor.* juxta *Taurelli ed.* legitur *communi conjunctu*: & ita quoque edidit *Sim. van Leeuwen.* In aliis editionibus, etiam quae *Gothofredi* nomen prae ſe ferunt, maxima eſt lectionis varietas.

(*d*) AEDIFACERE] *Jo. Gottl. Heineccius* in Acceſſionibus ſuis ad Auctoris opus *de Verb. Signif.* dicit quidem, ſibi nullam viſam editionem, quae vel utroque, vel alterutro loco hoc verbum habeat. Enimvero in *l. c.* priori manifeſte in *ed. Taurelli* legitur *aedifacere*, licet *Gothofredus* ediderit *aedificare.* Quod ad poſteriorem vero legem cit. attinet, ibi in omnibus editionibus legitur *lucrifacere*: unde mihi ſuſpicio oritur, hoc verbum vel hic ex contextu excidiſſe, vel *l. c.* pertinere ad finem periodi ſequentis.

(*e*) TREBELLIAN.] In *h. l. Taurellus* edidit *ſignifacere*; *Gothofredus* vero *ſignificare.*

(*f*) CLAM.] Ubi tamen *Gothofredus* edidit *magnifaciebat.*

PIANUS in *l.* 10. §. 1. *D. quib. mod. uſusfr. amitt.* Sic & alia multa, quae activam duntaxat habere ſignificationem vulgo creduntur, paſſive accepta in libris noſtris, obſervavi. Veluti TUERI & STIPULARI, de quibus *libr.* XVII. & *libr.* XVIII. *de verb. ad jus pertinent. ſignificat.* diximus. Item POLLICERI in *l.* 1. §. 18. *D. de exercitor.* ubi ULPIANUS, *Actio pollicetur*, ait, id eſt, promittitur. Nec non OBLIVISCI, PAULUS in *l.* 60. §. *antepenult. D. de ritu nupt. Per adoptionem in totum adoptivae familiae obliviſcuntur.* MORARI, PAPINIANUS in *l.* 5. §. 1. *D. ut legator. nomin. cav. Si petitionis dies moraretur*, pro retardaretur, & differretur. PAULUS in *l.* 85. §. *ult. D. de diverſ. reg. jur. Quotiens aequitate deſiderii naturalis ratio aut dubitatio juris moratur.* EXSEQUI, PAULUS in *l.* 19. *D. de jurisdiction. omn. jud.* (*a*) *Quaeſitum eſt, an ſententia exſequi poſſit.* ULPIANUS in *l.* 2. *D. de re jud. Sed perraro intra ſtatutum tempus ſententiae exſequentur.* POPULITARI, PAPYRIUS JUSTUS in *l.* 21. *in fin. D. de appellation. Cum fructus populitarentur ab adverſario.* Et apud LIVIUM crebro *populari* παθητικῶς ponitur. INTERPRETARI, JULIANUS in *l.* 13. *in fin. D. de reb. dub. Sed proclivior eſt, ſententia teſtatoris ſic eſſe interpretanda.* PAULUS in *l.* 12. *D. de diverſ. regul. jur. In teſtamentis plenius voluntates teſtantium interpretantur.* Sic & apud SUETONIUM in *Neron. cap.* XIII. *Dein precanti, tiara deducta, diadema impoſuit: verba ſupplicis interpretata praetorio viro multitudini pronuntiante.*

§. 56. MENTIRI, MODESTINUS in *l.* 28. *D. ad l. Cornel. de falſ. Si a debitore praelata die pignoris obligatio mentiatur.* ADMETIATUR etiam paſſiva ſignificatione ponitur in *l.* 35. §. *pen. D. de contrah. emption.* & *l.* 36. *D. locati.* Sed & ACTIO MODERATUR, pro, modus actioni praeſcribitur, in *l.* 15. *in fin. D. de negot. geſt.* invenies. Et NOMEN, QUOD CONFITETUR, pro, quod in confeſſo eſt, in *l.* 15. §. 9. *D. de re judic.* Quinetiam ARBITRETUR, pro Arbitrium feratur, & ſententia dicatur, παθητικῶς bis uſurpatur in *l.* 27. §. 4. *ſi quis litigatorum. D. de recept. qui arbitr. recep.* Et alias, *Sumptus*, ait ULPIANUS, *arbitrantur pro facultatibus & dignitate defuncti*, (*l.* 12. §. 5. *ſumptus, D. de religioſ.*) id eſt, arbitrio boni viri definiuntur & aeſtimantur. Idemque ULPIANUS verbo PATITUR ſic uſus eſt in *l.* 11. §. *ult. D. de action. emt. Bonae fidei*, inquiens, *contractus hac conventione non patitur* (*b*), id eſt, non patiter, neque admittit hanc conventionem. FUNRRARI, etiam paſſive accipitur, & ſepeliri ſignificat in *l.* 17. *D. de reb. auct. jud. poſſid.* & in *l.* 8. *D. de ſepulcr. viol.* & apud PAULUM *lib.* V. *Sentent. tit.* XXVI. §. 3. juncta *l.* 5. *D. ad leg. Jul. de vi publ.* CONTESTETUR LIS, paſſive in *l.* 1. *in fin. D. de feriis. l.* 3. §. *penult. D. de ſepulcr. viol. l.* 7. §. 1. *ita demum. D. de petition. heredit.* COMPLECTITUR quoque, pro, comprehenditur. SCAEVOLA in *l.* 133. *D. de verb. oblig. Nam ſicut & ipſius heredis caput, ita ipſius vis vel ſaepius facta complectitur.* ULPIANUS in *l.* 3. §. 1. *ſed illud. D. de appellation. Et quorundam*, ait, *nomina libellis ſint complexa* (*c*). Sic in *l.* 30. §. 7. *in furioſi. D. de fideicomm. libert. Decretum interponetur, quo id ipſum complectatur*, id eſt, contineatur, comprehendatur.

§. 57. Poſtremo & FOENERARI pecuniam ab aliquo, pro, mutuam accipere PAULUS (*d*) dixit in *l.* 35. *D. de ſolutionibus.*

§. 58. Jam, ut ad nomina veniam, eorum in numero multitudinis genitivos complures a communi ſermone pronuntiationeque abhorrentes in noſtris libris vel minus attentus lector deprehendet. Nam MENSUM ſemper, non item *Menſium*, ſcriptum inveniet (*e*) *l.* 40. *D. de reb. cred. ſi certum petatur. l.* 7. §. 2. *ex contrario. D. ſolut. matrimon. l.* 2. *D. quando actio de pecul. l.* 60. *D. de legat.* III *l.* 5. §. 19. *D. ut in poſſ. legat. l.* 7. §. 11. *uſurae. D. de adminiſtr. tut. l.* 101. *D. de diverſ. reg. jur.* Quo etiam modo in Codice Theodoſii idem genitivus ſcribitur, ubicunque is occurrit, ut *l.* 10. *de appellation. lib.* XI. *tit.* 30. & *l.* 4. *de reparationib. appellation. lib.* XI. *tit.* 31. probant.

§. 59. Deinde nominum horum, *Civitates*, *Hereditates*, *Quantitates*, *Facultates*, *Aeſtates*, *Servitutes*, *Parentes*, hi ſemper genitivi eduntur, CIVITATIUM *l. ult.* §. 7 *item epiſcopi D. de munerib. & honorib.* (*f*) *l.* 23. §. *ult. D. de oper. libert.* HE-

(*a*) JUN.] Auctor *h. l.* ULPIANUS in Inſcriptione perhibetur, & pro *quaeſitum eſt*, in textu legitur *quaerebatur.*

(*b*) PATITUR] *In Taurelli* editione legitur: *Neque enim bonae fidei contractus hac patitur conventione: Gothofredus* vero edidit: *hanc patitur conventionem*; quam lectionem ſequuntur *Sim. van Leeuwen* & *Lipſ. editiones.*

(*c*) CUMPLEXA] In *Taurelli* non modo, ſed & in *Gothofredi edd.* legitur *plexa.*

(*d*) PAULUS] Auctor *l.* 35. *D. de ſolut.* ALFENUS VARUS in Inſcriptione perhibetur.

(*e*) INVENIET] Quod tamen in *edd. Gothofredi* in *ll. all.* non fuit obſervatum: niſi quod in *l.* 40. *D. de reb. cred. in ed. Sim. van Leeuwen* & *Lipſ.* legatur *menſum.* Confer *Corn. van Bynkershoek Comm.* ad *h. l. pag.* 41. *Tom.* I. *Opuſc. ed. Halenſ.*

(*f*) HONORIB.] *In l. c.* in *ed. Sim. van Leeuwen* & *Lipſ.* legitur *civitatum:* antiquiores vero *Gothofredi edd.* cum *Taurelli* conſentiunt.

HEREDITATIUM, *l.* 3. *D. de legitim. tutorib.* & in inſcriptione *l.* 68. *D. ad l. Falcid.* aliarumque ſimilium. QUANTITATIUM, in *l. ult. in fin. D. quod met. cauſ.* (*a*) FACULTATIUM, in *l.* 78. §. 1. *D. de legat.* III. AESTATIUM, *l.* 1. §. 33. *D. de aqua cottid.* SERVITUTIUM, in *l.* 6. §. 3. *D. ſi ſervit. vindic.* (*b*) & *l.* 72. *D. de verb. oblig.* PARENTIUM in *l.* 34. §. *penult. D. de ritu nupt.* (*c*) *l. penult. D. de ſponſalib.*

§. 60. BUBUM etiam dicunt Jureconſulti pro *boum*, DUUM pro *duorum*, & EDULIUM pro *eduliorum. l.* 55. §. 6. *D. de legat.* III. *l.* 7. §. 11. *uſurae. D. de adm. tut. l.* 6. *in fin. D. de offic. proconſ.*

§. 61. Sunt etiam in iiſdem Pandectis quaedam contra tritum morem litterarum incremento producta vocabula. NOMENCULATOR enim illic dicitur, qui aliis in libris *Nomenclator*, ut ſupra *lib.* XII. probavi. UBERITAS item pro *Ubertas* in *l.* 15. §. 4. *Papinianus. D. locati.* (*d*) FACILITAS pro *Facultas*, *l.* 3. *in fin. D. de appellation.* FIGULINAE, pro *figlinis*, in *l.* 6. *D. de ſervitutibus ruſtic.* SECUTIO, pro *Sectio* in *l.* 85. *D. de verbor. obligation.* DUCITUM, pro *Ductum* in *l.* 1. §. 1. *D. de teſtament. milit.* VALIDE, pro *Valde* in *l.* 27. *D. qui teſtam. fac. poſſ.* (*e*) ubi valide ſtultam CELSUS dixit, ſicut valide ſapientem ULPIANUS in *l.* 4. §. 3. *Idem Pomponius. D. de aedilic. edict.* Contra LAMNA, pro *Lamina* in *l.* 27. *in fin. D. de auro, & argent. leg.* DOMNA, pro *Domina* in *l.* 28. §. 4. *Lucius D. de legat.* III. (*f*) CALDA (*g*), pro *Calida* in *l.* 19. §. 2. *illud nobis. D. locati.*

§. 62. Porro caſus plerumque a receptis Grammaticorum regulis alienos verbis & adverbiis Jureconſulti adnectunt. Sic verbum CONTINEO dativo jungunt, qui ablativo ſecundum Grammaticorum traditionea ſociari deberet (*b*) Ita PROMISSIONI CONTINENTUR legimua in *l.* 57. *D. de jure dot.* Et alias CONDITIONI CONTINENTUR, *l.* 41. §. 11. *Stichus. D. de fideicomm. libert.* (i) ut & alias; *Omnes caſus huic* STIPULATIONI CONTINENTUR, *l.* 3. *D. uſuſfr. quemadm. cav.* Similiter in *l.* 2. *D. ex quib. cauſ. major. Hoc edictum, quod ad eos pertinet, qui* EI (*k*) CONTINENTUR. Et in *l.* 3. §. 9. *ligna. D. de penu leg.* PENORI LEGATO CONTINEANTUR. Verbum etiam CONTINTUS dativo copulant. Unde, UNI CONTENTUS *eſſe debet*, ajunt in *l.* 8. §. 1. *D. de legat.* II. Et CONTENTAM *eſſe* DOTI in *leg.* 61. *D. de hered. inſtit.* At in *leg. trigeſima ſeptima* §. 4. *nuptura. D. de legat.* III. Popularius dicunt CONTENTUS PARTIS DIMIDIAE *dotis.*

§. 63. FUNGOR etiam dativo ab iis jungitur. Itaque MAGISTRATUI FUNGUNTUR invenies in *l. ult. in fin. D. ad municipal.* Et MUNERI DEFUNGI in *l.* 1. §. 6. *praevaricatorem D. ad SCt. Turpillian.* niſi MUNERI, pro *Munere*, illic ex litterarum familiari mutatione, de qua ante egimus, ſcriptum dicamus.

§. 64. Sic & *pecuniam* CONDICIONI COMPREHENSAM dicunt in *l.* 94. *D. de condicion. & demonſtr.* ut *Orbi terrarum comprehenſos* CICERO *libro* IV. *de Republ.* NONIO referente (*l*).

§. 65. Verbo quoque ANTECEDERE dativum noſtri auctores tribuunt in *l.* 92. *D. de verbor. ſignific.* ut & verbo INSEQUI. Hinc INSEQUENTES SIBI *agnatos* dixit ULPIANUS in *l.* 3. §. 9. *utique. D. de ſuis & legit.* Nec non verbo POENITERE eundem caſum applicant. Nam *prioris voluntatis* SIBI POENITUISSE (*m*) dicunt in *l.* 22. *D. de legat.* III.

§. 66.

(*a*) CAUS.] *Gotbofredus* in *l. c.* edidit *quantitatum.*

(*b*) VINDIC.] In *h. l. Gotbofredus* edidit *ſervitutum.*

(*c*) NUPT.] In *h. l.* in *ed. Lipſ.* legitur *parentum*: at *Sim. van Leeuwen* & antiquiores *Gotbofredi* editiones cum *Taurelli* conſpirant. In ſeq. vero lege antiquiores *Gotbofredi edd.* (quas hic ſequitur *Lipſ.*) habent *parentum*: at *Sim. van Leeuwen*, ut *Taurellus*, *parentium* edidit.

(*d*) LOCATI] Scriptura haec ſervatur etiam in antiquioribus *Gotbofredi* editionibus: at in *Sim. van Leeuwen* & *Lipſ.* communi more editur *ubertas.*

(*e*) POSS.] Scripturam *Taurelli* ſervarunt etiam *Gotbofredus* & *Sim. van Leeuwen*: at in *Lipſ. ed.* legitur *valde* in *h. l.* In lege vero ſequenti in omnibus editionibus conſpicitur *valide.*

(*f*) III.] *Gotbofredus* tamen in *l. c.* edidit *Dominam*, quem ſequitur *Lipſ. editio. Sim. van Leeuwen* vero ſequitur *Taurelli* editionem.

(*g*) CALDA] Quam ſcripturam retinuerunt *Gotbofredus* & *Sim. van Leeuwen*: at in *Lipſ. ed.* invenitur *calida.* Ceterum *Auguſti* temporibus *Caldum* frequentius uſurpatum fuiſſe, quam *calidum*, patet ex QUINCTILIANO *Inſt. Orat. lib.* 1. *cap.* 6. (*al.* 9.)

(*h*) DEBERET] Pleraque haec exempla in mendo cubare ſentit *Jo. Gottl. Heineccius* in Addit. ad Auctoris Opus *de Verb. Signif.* voc. *continere*: id quod ex adfinitate litterarum E & I originem habere potuit. Hinc in multis verbis antiquiores ſextum caſum promiſcue in E & I terminarunt.

(*i*) LIBERT.] *Conditione contineri* legitur in editione *Gotbofredi.*

(*k*) EI] In editione *Gotbofredi* legitur *eo.*

(*l*) REFERENTE] Apud NONIUM hunc locum reperire non potui: ſed refertur a SOSIPATRE CHARISIO *Inſtit. Grammat. lib.* 1. *pag.* 112. *apud Putſchium* tanquam ex *libr.* V. *de Republica.*

(*m*) POENITUISSE] Ita ſcribitur in *ed. Gotbofredi*: at in *Taurelliana* invenitur: *ſui poenituiſſe.*

§. 66. Quinetiam UTI EXCEPTIONEM dixit PAULUS in *l.* 7. §. 6. *procurator. D. pro empto* (*a*). Quod nimis novum mihi DIOMEDES ſecit, qui antiquos dativo junxiſſe verbum UTOR *libr.* 1. *pag.* 300. *ed. Putſchii* tradit (*b*). Similique modo ABUTI DOTEM in *l.* 22. §. 8. *ſin autem. D. ſoluto matrimonio*, ut *Abuti operam* in *prologo Andriae v.* 5.

§. 67. Item AGERE HYPOTHÈCARIAM pro *Hypothecaria* legimus in *l.* 57. *D. de legat.* I. (*c*)

§. 68. Et SUBSEQUI ACTIONE in *l.* 39. *D. de noxalib.* & HABITATIONE CONDUCAT in *l.* 5. §. 22. *qui legatorum. D. ut in poſſeſſ. legat.*

§. 69. Atque ut ad particulas & voces reliquas deſcendam, multos eis Grammaticorum praeceptis repugnantes caſus tribui videas. Nam SATIS *tempus habeat*, dicunt in *l.* 19. *D. de oper. libert.* AMPLIUS *ſui debiti* in *l.* 61. *in fin. D. de condiction. indeb.* & AMPLIUS *legi conceſſae portionis* in *l.* 62. §. 1. *D. de condicion. & demonſtr.*

§. 70. SUB CONDICIONEM *datus ſextans* in *l.* 76. *D. de acquir. hered.* SUB CONDICIONEM *datum legatum* in *l.* 7. *in fin. D. de legat.* III. SUB CONDICIONEM *manumiſſum* in *l.* 79. *D. de condicion. & demonſtrat.* (*d*) SUB CONDICIONEM *reddendarum rationum liber eſſe juſſus* in *l.* III. *eod. tit.* (*e*)

§. 71. Articulum quoque IN ſine ulla motus ſignificatione ſaepenumero accuſativo jungunt. In Praetoris edicto ita ſcriptum erat: *ventrem cum liberis* IN POSSESSIONEM *eſſe jubebo. l.* 121. *D. de legat.* I. *l.* 13. *in fin. D. de manumiſſ. teſtam.* Quo loquendi genere ipſi quoque Jureconſulti Praetorum verba ſubſequentes utuntur in *l.* 1. §. 1. *D. de Carbon. edict. l.* 3. §. *pen. D. de jurejur. l.* 7. *cum Rubrica. D. ut in poſſ. legat. l.* 14. *D. de probationib. l.* 2. §. 1. *D. de actionib. empt.* (*f*) Eadem figura, & IN POSSESSIONEM *remanere* dicunt in *l.* 32. §. 5. *ſi maritus. D. de donationib. inter. vir. & uxor.* & in *l.* 12. §. 2. *facti D. de captiv.* Item IN SERVITUTEM *remanere*, *l.* 41. *D. de fideic. libert.* IN FUGAM *eſſe* in *l.* 14. §. 11. *pro eo autem. D. quod met. cauſ.* (*g*) IN MORAM *eſſe* in *l.* 8. *D. de novationibus.* IN RELEGATIONEM *eſſe* in *l.* 13. *D. de bonor. poſſeſſ.* IN FRUCTUM *eſſe*, *l.* 40. §. 40. *cum fundum. D. de contrab. emt.* IN POTESTATEM *eſſe*, *l.* 1. §. 2. *D. quis ordo in bonor. poſſeſſ.* & apud ULPIANUM in *Inſtitution. tit.* XXVIII. §. 8. Cujus locutionis exempla ex antiquis auctoribus prompta GALLIUS *Noct. Attic. lib.* 1. *cap.* 7. ſuppeditabit. Sic & IN SERVITUTEM *factum delictum* in *l.* 11. *D. de minorib.* IN HEREDITATEM *deprehendi* in *l.* 18. §. 2. *ſervus. D. de ſtipul. ſervor.* Et ut breviter abſolvam, ejuſmodi alia exempla occurrunt in *l.* 35. *in fin D. de aedilic. edict. l.* 40. *D. de adoptionib.* (*h*) *l.* 55. *D. ad l. Aquil. l.* 6. *D. de ſervo corrupto l. penult. D. de fugitiv.* (*i*) *l.* 29. *D. ad SCt. Trebellian. l.* 41. *D. pro ſocio. l.* 2. *D. de lege Rhod.* (*k*) *l.* 32. §. 5. *ſi maritus. D. de donat. inter vir. & uxor. l.* 11. §. *penult. l.* 27. *l.* 31. *D. locati.* (*l*) *l.* 78. §. 6. *cum vir. D. de legatis* III. *l.* 34. *D. de negot. geſtis.*

§. 72. Nonnunquam etiam cum motu ſexto caſui vox IN ab iiſdem jungitur, veluti IN POSSESSIONE *mitti*, IN *hoſtium* POTESTATE *pervenire*, IN CARCERE *recipi*, *Committere* IN ACTIONE, in his ſimilia. *l.* 13. *D. ut in poſſ. leg. l.* 12. *D. qui teſtam. fac. poſſ. l.* 6. §. 7. *ejus, qui D. de injuſto, rupto. l.* 65. §. 5. *Labeo. D. pro ſoc. l.* 34. §. 3. *Cajus. D. de legat.* II. *l.* 85. *D. de legat.* III. *l.* 32. *de liber. cauſ. l.* 8. *D. de pollicitationibus.*

§. 73. His adjungam & alias in eandem claſſem revocandas phraſes. Quales ſunt hae: PRIDIE AEQUINOCTIUM, *l.* 1. §. 34. *D. de aqua cottid.* PRIDIE VINDEMIAS,

(*a*) EMPTO] In hac lege, cujus auctor JULIANUS, in *Gothofredi* editione legitur: *uti coeperit exceptione.*

(*b*) TRADIT] Adde SOSIPATRUM CHARISIUM *Inſtit. Gramm. lib.* V. *pag.* 257. *ed. Putſchii.*

(*c*) LEGAT. I.] In textu *ed. Taurelli* reperitur quidem: *qui hypothecariam ſecum agerent*: ſed in margine ſcribitur *hypothecaria*: & ita quoque edidit *Gothofredus.*

(*d*) DEMONSTRAT.] In *all. l.* 79. *h. t.* haec phraſis plane non occurrit: in *l.* 81. *h. t.* reperitur quidem: *ſub conditione manumiſſum*, tam in *Taurelli*, quam in *Gothofredi* editione: ubi vero legatur: *ſub conditionem manumiſſum* quaerant alii.

(*e*) TIT.] In *leg. cit.* tam in *Taurelli*, quam *Gothofredi* editione legitur *condicione.*

(*f*) EMPT.] In *h. l. Gothofredus* edidit *in poſſeſſione.*

(*g*) CAUS.] In *Gothofredi ed.* in *h. l.* legitur *in fuga.* Sic & paulo poſt in *l.* 1. §. 2. *D. quis ordo in bon. poſſ.* in eadem editione legitur *in poteſtate.*

(*h*) ADOPTIONIB.] In *h. l.* uti in *Taurelli ed.* legitur *in adoptionem*; in *Gothofredi* invenitur *in adoptione.*

(*i*) FUGITIV.] In *h. l.* in *Taurelli ed.* legitur *in cuſtodiam*: in *Gothofredi* vero *in cuſtodia.*

(*k*) RHOD.] In *h. l. in navem* edidit *Taurellus*: *in nave* vero *Gothofredus.*

(*l*) LOCATI] In *l.* 27. *h. t.* in *Taurelli ed.* invenitur *in quam*: in *Gothofredi* vero *in qua.*

MIAS, *l.* 7. *D. ſoluto matrim.* PLUS QUARTAE, *l.* 11. §. 5. *quod vulgo. D. ad l. Falcid.* Et PLUS DEBITI in *l.* 2. *C. ex quibus cauſ. infam. irrog.* ſecundum librorum ſcriptorum lectionem (*a*). PLUS PRETIUM *ſolvit* in *l.* 25. §. 1. *in fine. D. de uſufruct. Multo* MINUS FRUCTUM *percipiat* in *l.* 14. *D. de uſufruct.* niſi FRUCTUM illic conciſe pro *fructuum* poſitum magis placeat, ut & in *l.* 58. §. *penult. D. ad SCt. Trebellian.* (*b*).

§. 74. Item ABUNDE PATRIMONIUM *reliquit*, in *l. ult.* §. 1. *D. de legat.* II. PAUCIORES *centum* DIERUM *non ſunt dandi*, *l.* 2. *D. de jure deliber.* PARVUM VINI in *l.* 21. *D. de furt.* Et PARVUM *inter hanc ſpeciem intereſt* in *l.* 117. *D. de legat.* I. (*c*) Et *non* RARUM *admodum*, pro *Raro*, in *l.* 3. *D. ſi pars hered. pet.*

§. 75. Verum quoniam de articulis dicere coepi, ſatius fuerit, quae de iis notatu digna collegi, abſolvere, ut ad alia gradum deinceps faciamus. Invenio autem AD, pro *Apud* poſitum in *l.* 62. §. 1. *D. de condicion. & demonſtr. l.* 1. *in fin. D. apud eum, a quo appellat. l.* 41. §. 10. *ſorori. D. de legat.* III. Quam ſignificationem SERVIUS *in artem grammaticam Donati*, notat, & hac auctoritate comprobat: *Decem fiſcos ad Senatorem illum pactos* (*d*). Sic & CICERO *Epiſtol.* 15. *ad Brutum: Meſſalam laudem, praeſertim ad Brutum, cui non minus virtus illius, quam mihi, nota eſt.* Idem *ad Attic. lib.* X. *Epiſt.* 16. *Commodum ad te dederam litteras de pluribus rebus, cum ad me bene mane Dionyſius fuit.* LIVIUS *lib.* X. *cap.* 35. *Minus cladis, ceterum non plus animorum ad hoſtes erat.* Atque alias idem auctor hoc in ſenſu vocem illam uſurpavit. Ut & PLINIUS *libro.* VII. *Epiſtol.* 6. cum ait: *Ego quoque ad me habeo decretum provinciae.*

Contra APUD, pro *Ad* accipitur in *l.* 11. *D. de offic. Proconſ.* & in *l.* 27. *D. de ſtatuliber.* Non eſt etiam praetereunda vocis AD ex mente loquentis expreſſa ſignificatio in *l.* 18. §. 2. *D. de manum. teſtam.* in qua AD ANNUM idem accipitur, quod *Poſt annum.*

§. 76. ALIUBI, pro *Alibi*, ponitur in *l.* 64. §. 1. *D. de condicion. & demonſtr.* (*e*) *l.* 2. *D. de cadaverib. punitor.* Quo in ſignificato eadem voce utuntur VARRO *libr.* I. *de re ruſt. cap.* XLIV. & TERTULLIANUS in *libr. de ſpectacul.* (*f*)

§. 77. AUTEM, pro *Enim* in *l.* 10. §. *ult. D. de diverſ. tempor. praeſcript.* pro *Igitur* in *l.* 65. §. 4. *pecoribus. D. de legat.* III. Elegantiam vero & ornatum habet haec particula ſubdita voci *Et*, ut in *l.* 16. §. 2. *D. ad SCt. Trebellian. Et generaliter autem.* In *l.* 5. §. 1. *tutelae. D. de obligationibus & actionibus. Et hoc autem caſu.* Cui non abſimile eſt illud SENECAE *Epiſtol.* LIX. *libro* VIII. *Et haec autem, quae non ſunt, rerum natura complectitur.*

§. 78. PROINDE valet *Perinde* in *l.* 134. *in fin.* & *l.* 137. §. 6. *cum quis. D. de verbor. obligation. l.* 49. *D. de evictionibus. l.* 205. *D. de diverſ. reg. jur.* Fuit enim vox haec veteribus ſimilitudinis nota. Atque eo ſenſu a TERENTIO *Heautontimor. Act.* I. *ſcen.* I. *v.* 13. & in *Phormione Act.* II. *Sc.* 2. *v.* 35. & a VARRONE apud NON. MARCELLUM *lib.* II. in verbo *Undulatum*, *num.* 927. particulam hanc uſurpatnm reperies, ut & apud QUINCTILIANUM *Declamat.* XIII. *cap.* 10. cum ait: *An viminis modo viliſque texti pretium formula taxaſſem, & proinde* (*g*) *agerem, quaſi inanes perdidiſſem.*

§. 79. CUM, pro *Quia* in *l.* 41. §. 7. *teſtamento* verſicul. *quaeſitum. D. de legat.* III. *l.* 62. *D. ſoluto matrim. l.* 27. *D. de condicion. & demonſtr. l.* 5. §. 21. *quaeri. D. ut in poſſeſſion. legat. l.* 29. §. *ult. D. de adulter.*

§. 80. DUM, pro *Verum* in *l.* 1. §. 22. *item quaeſitum. in fin. D. de aqua cottid.*

SIC, pro *Deinde*, *l.* 15. *D. de praeſcript. verb. l.* 1. §. 10. *in beſtiis. D. ſi quadrup. pauper. l.* 9. §. 1. *D. de donat. inter vir. & uxor. l.* 34. §. 4. *qui jusjurandum. D. de jurejur. l.* 25. §. *ult. D. de aedilic. edict.* ubi ex abundanti: *Sic deinde*, legimus (*b*).

SI, pro *Quamvis*, *l.* 78. §. 4. *D. de legat.* II. *l.* 124. *in fin. D. de verbor. obligation.* SUPER, id eſt, *praeter*, & *ultra*, in *l. penult. D. de peric. & commod.*

§. 81.

(*a*) LECTIONEM] In *Gothofredi* tamen editione legitur *debite.*

(*b*) TREBELLIAN.] Hinc *Taurellus* edidit *fructum: Gothofredus* vero expreſſe *fructuum.*

(*c*) I.] Haec phraſis non legitur in lege laudata.

(*d*) PACTOS] In *ed. Putſchii* legitur *relictos*: ut & apud ipſum CICERONEM, ubi locus reperiri poteſt in *Prooem. Act. in Verr. cap.* 8.

(*e*) DEMONSTR.] Ubi non tantum in *Taurelli*, ſed & *Gothofredi* & *Sim. van Leeuwen* editionibus legitur *aliubi*; at in *Lipſ. alicubi.*

(*f*) SPECTACUL.] Ego hoc in illo libro reperire non potui: unde ſuſpicor, recentiores editores antiquam ſcripturam commutaſſe in uſitatiorem.

(*g*) PROINDE] In aliis Codd. legitur *perinde*, quam lectionem in textum recepit *Petr. Burmannus*: quem etiam vide in *notis* ad *Inſtit. Orat. pag.* 393.

(*b*) LEGIMUS] Uti etiam in praecedenti *l.* 34. §. 4. *D. de jurejur.*

§. 81. IN PUBERTATEM, pro *Intra pubertatem* in *l.* 2. §. *penult. D. de vulg. & pupill.* (*a*)

§. 82. IN ANNOS, pro *Poſt annos* in *l.* 41. §. 15. *herede. D. de fideicomm. libert.*

IN TEMPUS, pro *Poſt tempus* in *l.* 58. §. 1. juncto §. *ſeq. D. ad SCt. Trebellian.* QUASI, pro *Veluti* in *l.* 21. *D. quando dies legat. ced.* ſecundum Florentinam utique ſcripturam. QUAM novo ſenſu poſitum invenies in *l.* 13. *D. de liber. & poſt.* (*b*) & *l. penult. D. de legat.* III. TAM, pro *Valde* in *l.* 24. §. 1. *non ſemper. D. de minorib.* Cujus ſignificationis aliud quoque mihi teſtimonium *Petr. Faber* meus protulit ex *l.* 1. *in fin. D. de cur. furioſ.* ubi Florentiae eſt: *Si tam probus ſit*, id eſt, ſi ſobrie vivat, ut in *l.* 12. *D. de tutorib. dat.* Addidit & PLINIUM eodem ſenſu hoc verbum uſurpaſſe *lib.* VII. *cap.* XLIX. *Oratores quidem ambo, ſed tam diſpari eventu.* Et VELLEJUM PATERCULUM *libro poſteriore cap.* 89. *Nam Dictaturam, quam ei pertinaciter deferebat populus, tam conſtanter repulit.* Et alias, *cap.* 88. *Nec minora conſequi potuit: ſed non tam concupivit.*

§. 83. VERUM, pro *Tamen* in *l.* 9. §. 6. *licet. D. quod met. cauſ. l.* 2. *D. de his, quae in teſtam. delent.* VEL, pro *Ve*, in *l.* 177. *D. de diverſ. regulis jur.* in qua ita eſt; *Qui in jus dominium vel alterius.* TAMENETSI, pro *Quamvis* ponitur in *l.* 56. *D. de judiciis. l.* 7. §. 11. *interdum. D. de SC. Macedonian.* qui duo loci ad eum, quem Jac. Cujacius *lib.* 1. *Obſervationum* notavit, commodiſſime addentur. Ac mihi vox haec in TAMEN SI mutata videtur in *l.* 18. §. *ult. D. de injuriis*, ubi longe aptius, quam uti vulgo legitur, legeretur; *Quod ſi ſciſſet filiumfam. eſſe*, TAMENETSI *neſciſſet, cujus filius eſſet, dicerem, inquit, patrem ſuo nomine injuriarum agere poſſe.* QUAMQUAM ETSI in *l.* 1. §. *ult. D. ut legat. nom. cav.* QUIA ENIM in *l.* 23. *D. de exception. rei judic.*

§. 84. Enimvero repetuntur plerumque per pleonaſmum ſine aliqua ſenſus neceſſitate voces multae: ut in *l.* 16. *in fin. D. qui teſtam. fac. poſſ. Nam* ETIAM *compotibus mentis perſonales actiones* ETIAM *ignorantibus acquiruntur.* Et in *l.* 3. *D. ſi pars hered. pet.* IDEO, ait PAULUS, *quia ſcire non potuerunt, quot naſci poſſent*, IDEO *nam multa de hujuſmodi re tam varia & incredibilia tradiderunt* (*c*), &c. Eodemque modo VOX AN παρέλκει in *l.* 52. *D. de pecul.* Et in *l.* 40. *D. de acquir. heredit. Quaeſitum eſt*, ait ULPIANUS, AN *licet quis paternae hereditatis nihil attingat, aliquid tamen propter patris voluntatem habeat, vel faciat*, AN *creditoribus paternis cogatur reſpondere.* POMPONIUS in *l.* 77. *D. eod. tit. Illud dubitari poteſt*, AN *ſi cum teſtamento heres inſtitutus eſſem ab eo, qui etiamſi inteſtatus deceſſiſſet, legitima hereditas ejus ad me pertineret*, AN *ſimul utramque hereditatem repudiare poſſim.* SCAEVOLA in *l.* 78. §. 5. *Maevia D. ad SCt. Trebellian. Quaeſitum eſt*, AN *Septicie filio defuncto intra viceſimum annum ſine liberis, hoc fideicommiſſum utrum pro portionibus hereditariis ad fratrem & ſororem ejus pertineat;* AN *vere aequaliter.* Idem POMPONIUS in *l.* 111. *D. de verbor. obligation.* AN *etiam ſi me non prohibeas, uxorem autem meam prohiberes; vel contra, uxore mea ſtipulata, me prohibeas*, AN *committatur ſtipulatio?* His accedent ex *Petri Fabri* beneficio & alia particularum παρελκόντων exempla, quae ſubjeci. TRYPHONINUS in *l. penult. D. de vi armata. Quamquam ego moram fecero, quo minus interdicto te convenirem, ſubtractis tamen mortalitate ſervis, aut pecoribus, aliisve rebus caſu intercidentibus, enim tamen onus nihilominus in iis reſtituendis eſſe.* PAULUS in *l.* 38. §. 4. *in Faviana. D. de uſur. In Faviana* QUOQUE *actione & Pauliana, per quam, quae in fraudem creditorum alienata ſunt, revocantur, fructus* QUOQUE *reſtituuntur.* ULPIANUS in *leg. prima* §. 3. *D. de extraord. cognit. Si imprecatus eſt*, SI, *ut vulgari verbo impoſtorum utar*, SI (*d*) *exorcizavit.* PAULUS in *leg.* 45. §. 2. *ejus bona. D. de jure fiſc. Ejus bona, qui ſibi mortem conſcivit, non ante ad fiſcum coguntur, quam prius conſtiterit*, &c. Adde & haec ULPIANI verba, quae ſunt in *l. prima* §. 27. *Labeo. D. de aqua cottid. Ne quid in illo fundo faciat, quare ex re ea aqua inquinetur.*

§. 85. Sed jam ſatis ſuperque in ſingulis voculis haeſitamus, ad dicendi genera inventu rara, vel a communibus Grammaticorum regulis abhorrentia, quae in Digeſtis reperiuntur, tranſeamus. Initio autem Antiptoſes quaſdam a me obſervatas adſcribam. Cujuſmodi eſt, quod in *l.* 27. §. 34. *ſi quis ſervum D. ad l. Aquil.* ſcribitur: *Si quis mulionem conductum ad regendum mulum* (*e*), com-

(*a*) PUPILL.] In *Gothofredi* vero editione in *h. l.* invenitur *in pubertate.*

(*b*) POST.] In *h. l.* pro *quam*, quod in *Taurelli* editione reperitur, in *Gothofredi ed.* legitur *cum.*

(*c*) TRADIDERUNT] Lex ita tam in *Taurelli*, quam *Gothofredi* editione legitur: *Ideo, quia non poterant ſcire, quot naſci poſſunt, ideo nam multa de hujuſmodi re tam varia & incredibilia creduntur.* &c.

(*d*) SI] Hoc poſterius SI non reperitur in *ed. Sim. van Leeuwen & Lipſ.* Habetur tamen in antiquioribus editionibus *Gothofredi*, ſicut & in *Taurelli.*

(*e*) MULUM] In ipſo textu legitur: *ſi quis ſervum conductum ad mulum regendum.*

commendaverit ei multum. POMPONIUS in *l.* 8. *D. de liberat. leg. Non ſolum noſtrum debitorem, ſed & heredis noſtri, ut liberetur, legare poſſumus.* Simile huic eſt TERENTIANUM illud *Adelphis, Act.* v. *Sc.* 4. *v.* 20. *illum ut vivat optant.* Inſolens quoque eſt haec locutio; *Nec transferri perſonae* (*a*) *putationem ex perſona filiorum ad eos poteſt*, quam PAULUS uſurpat in *l.* 18. §. 4. *D. de injuriis.* Nec minus dura pleriſque videbuntur haec; *Jubere eum debebit Proconſul, ut idonee caveat, l.* 41. *D. de petit. hered. Aeſtimationem ejus, quod interſit, ad id tempus referendum, l.* 12. §. 1. *D. ſi quis caution.* Et *denegandum eſt adverſus eum exceptionem* (*b*), *l.* 19. *in fin. D. de novationibus.* Item, *Sed Juliani ſententiam ſequendum eſt* (*c*), *l.* 12. §. 2. *facti. D. de captiv. & poſtlimin. A capite rationem reddendum*, in *l.* 19. §. 1. *D. de negot. geſt. Petebam res aeſtimatas, quarum pretium in dotem erant* (*d*). *l.* 78. §. *pen. D. legat.* III. *Cuique periculoſum* (*e*) *eſſe fidem ſuam, l.* 1. §. 2. *D. ad SCt. Trebellian. Pro non ſcripto ea condicio eſt, l.* 22. §. 1. *D. quando dies leg.* id eſt, ut alias, *pro non ſcripta, l.* 20. *D. de cond. inſtit.*

§. 86. Grammaticorum etiam traditionibus ſpretis PAPINIANUS, *Cum Aſiam* (*f*) *veniſſet*, dixit in *l.* 73. *in fin. D. de condicion. & demonſtrat.* Et *Magis faciliores voluntates* in *l.* 67. §. 8. *ſi rem. D. de legat.* II. quemadmodum PALLADIUS, *Longior magis quam latior, libro* I. *de re ruſtica capite* XVII. dixit. *Major natu quam* XXV. *annorum* (*g*) *l.* 14. *D. de bonis libertor. Minor quam viginti quinque annis natu, l.* 1. §. 1. *D. de minorib. leg.* 102. *D. de legat. libror.* 1. *l. octava. D. ſi quid in fraud. patron. Minor quam viripotens. l. penult. D. quando dies legat. ced.* Hoc pertinet & illud, *Mori magis, quam damnari maluerit, l.* 6. §. 7. *ejus qui verſic. Nam eorum. D. de injuſto rupto.* Et *Melius eſt ſenſum magis amplecti, quam verba. l.* 3. §. 9. *condicio. D. de adim. leg.*

§. 87. Et, *Melius eſt poſſidere potius, quam in perſonam experiri, l.* 1. §. 1. *D. de ſuperficieb.*

§. 88. Longe magis Grammaticos turbabit, quod in *l.* 156. §. 2. *cum quis. D. de diverſ. regul. jur.* ſcriptum offendent, *in alii locum ſucceſſerunt* (*h*). Et in *l.* 1. *in fin. D. de bon. poſſ. ſecund. tabul.* PARS UNI, pro *unius.* Et in *l.* 3. §. 4. *ſed ſi mutua. D. de in rem verſo, Domus ſui* (*i*). Et in *l.* 80. *D. pro ſoc. Ex duo* (*k*) *milleſimis partibus.* At quod id *l. ult. D. de reb. dub.* legitur: *Cum quiſque eorum ad trigeſimum aetatis annum perveniſſent*, ſimilibus aliorum auctorum locis confirmatum, minus novitatis habebit. Nam & apud PLAUTUM *Captiv. Act.* III. *Sc.* 2. *v.* 2. legere me memini; *Ubi quiſque vident, eunt obviam.* Et apud OVIDIUM:

Veſtras quiſque redite domos.

Et alias:

Fugiuntque penates quiſque ſuos.

APULEJUS *libro* VIII. *Metamorph. ſ. de Aſino aureo pag.* 252. *Sarcinulis quiſque ſumptis ſuis viam capeſſunt.*

§. 89. Hic ego, quae e Graeco dicendi genere effictis expreſſaque in Digeſtis inveniuntur ſubjicerem, niſi hic locus uberrime ab *Antonio Auguſtino libro* II. *Emendationum* tractatus eſſet, ad cujus copiam etſi vix aliquid addi poſſe videatur, cumuli tamen loco paucula quaedam adjiciam. Ad eas igitur phraſes, in quibus verbum CAUSA, vel NOMINE, vel GRATIA, Graeco more reticetur, has inſuper addemus; *Rei ſervandae poſſidere* in *l.* 5. §. 4. *poſtquam. D. ut in poſſeſſ. legat. Fideicommiſſi non teneri. l* 77. §. 5. *qui dotale. D. de legat.* II. *Si quis evitandi criminis id egit, ut Reipub. cauſa abeſſet. l.* 15. §. 2. *D. ad legem Juliam de adulter. Damni non amplius parte ſua conſecuturum, l.* 11. §. 4. *D. de aqua & aqu. pluvia. Damni infecti miſſus in poſſeſſionem, l.* 15. §. 30. *ſi quis damni. D. de damno infecto.* Et, *Damni infecti cavere, ſatiſdareque. l.* 11. & alias ſaepe. *D. eodem titul.* Et *ſatiſdare legatorum l.* 4. & *l.* 10. *D. ut legatorum nomine cav. legati ſatis petere, l.* 7. *D. eodem titulo.*

§. 90. Reliquis Graeciſmis ſunt & hi jungendi, *Inhabiles tueri* in *l.* 11. *D. de decurio-*

(*a*) PERSONAE] *Taurellus* edidit *perſonae*: unde per leges geminationis *Gotbofredus* edidit: *per perſonae.*

(*b*) EXCEPTIONEM] Ita non tantum in *Taurelli*, ſed & in *Gotbofredi* & *Sim. van Leeuwen edd.* invenitur: at in *Lipſ.* ita mutatur: *deneganda eſt adverſus eum exceptio.*

(*c*) EST] Ita poſt *Taurell.* antiquiores *Gotbofredi* editiones: at in *Sim. van Leeuwen* & *Lipſ. ed.* legitur: *ſequenda eſt.*

(*d*) ERANT] In *Lipſ. ed.* legitur *erat*: at *Gotbofredi* & *Sim. van Leeuwen edd.* ſequuntur *Taurell.*

(*e*) PERICULOSUM] In editionibus *Gotbofredi* legitur *periculoſam.*

(*f*) ASIAM] *Gotbofredus* edidit *in Aſiam.* In *Flor. Cod.* forte particula *in* latet in praecedenti verbo *cum*: nam in *pr. h. l.* in *Taurelli* etiam *ed.* legitur *in Aſiam.* Non deſunt tamen & apud alios bonos ſcriptores exempla, ut nomina regionum ſine praepoſitione ponantur.

(*g*) ANNORUM] In *Taurelli* tamen non minus, quam in *Gotbofredi edd.* legitur *annis.*

(*h*) SUCCESSERUNT] Tam in *Taurelli*, quam in *Gotbofredi* editione legitur: *Cum quis in alii locum ſucceſſerit.* Ceterum de *h. l.* praeter generales ad *h. t.* Interpp. vide *Guil. Beſt Rat. emend. legg. pag.* 202. *ſeq. ed. Lipſ.*

(*i*) SUI] *Suae* edidit *Gotbofredus.*

(*k*) DUO] *Duabus* edidit *Gotbofredus.*

rionibus. Jus non habet intercedere, *l.* 3. §. 4. *filior. D. de muneribus & honoribus. Cum quidam repeteretur* (*a*) *mercedem, quam acceperat*, *l.* 15. §. 6. *item cum quidam. D. locati. Non diſſimulato ſe libertum eſſe*, *leg. decima quinta D. de in jus vocand.* id eſt, cum non diſſimulaſſet. *Comperto matrem ſuam inteſtato deceſſiſſe*, id eſt, cum comperiſſet, *l.* 86. §. *ult. D. de acquirenda heredit.* NIHIL MINUS, pro *Nihilominus* Graecorum exemplo, qui ἐδὲν ἧττον dicunt, invenies in *l.* 37. §. 3. *pater. in fin. D. de legat.* III.

§. 91. Ex eodem fonte crediderim & haec, quae ſequuntur, hauſta. *Ex eo tempore quidquid aeſtimatur quod noviſſime ſolvi potuit*, *l.* 11. *D. de re judic.* ubi QUOD, pro *Quo* dictum eſt, imitatione Graecorum, qui plerumque κατὰ ſubaudiunt. Simili modo in *l. nona.* §. 2. *D. de liber. & poſt. hered. inſtit. Ad id tempus referuntur, quod teſtamentum deſtituitur, non quod moritur.* Et in *l.* 5. §. *ult. D. ut in poſſeſſion. legator. vel fid. In eum ſcilicet caſum, quod fideicommiſſi condicio exſtitit.* Et in *leg.* 15. §. 21. *non autem ſtatim. D. de damn. infecto. Ergo intervallum aliquod debebit intercedere, quod aut pro derelicto aedes longo ſilentio dominus videatur habuiſſe.*

Certum temporis, ULPIANUS dixit in *l.* 8. §. 11. *unde ſi quis. D. de inofficioſo teſtamento*, ut *Multum temporis* in *leg.* 22. §. 2. *ſi heres. D. ad SCt. Trebellian. leg.* 5. §. 7. *D. de re milit. Certo loci in l.* 19. §. 1. *D. de judiciis. Aliquo loci* in *l.* 1. *D. de ſervis exportand. Eo loci* in *l.* 52. *in fin. D. de judiciis.*

§. 92. Ceterum pura puta Latina ſunt iſthaec: *Nihil acti erit*, *l.* 137. §. 1. *D. de verbor. obligationibus. Quid acti ſit*, *leg.* 21. *l.* 26. *D. de rebus dub.* (*b*) *l.* 41. *D. de verbor. obligationibus. Quod acti ſit*, *l.* 57. *D. de obligationib. & actionib. Aliquid jus*, *leg. decima nona. D. de damno infecto. leg.* 30. *D. de noxalibus. Aliquid mancipium*, *leg.* 36. *D. de bonis libertorum. Impendium aliquid*, *l.* 63. §. 7. *ſi ſub condicione. D. ad SCt. Trebellian. Aliquid emolumentum*, *l.* 12. §. 4. *funus autem. D. de religioſ. & ſumptibus. Si quid ſacerdotium nancti*, *leg. penult. D. de vacatione munerum.* QUO, pro *Quod* in quibuſdam locis poſitum obſervavi, ut in *leg. trigeſima quinta.* §. *ult. D. de negot. geſtis. Non eſſe imputandum* QUO (*c*) *non ſolverit*, Et in *leg. vigeſima quarta.* §. 4. *Servius. D. de damno infecto.*

Rationem adjicit, QUO *ſi hoc non admittatur, iniquum erit.* QUO *enim tam firmum aedificium eſt, ut fluminis*, &c. Et in *l.* 40. *D. de contrah. emt.* QUO *poſt diem trigeſimum renuntiaſſet, nihil ei profuturum.*

§. 93. Notandae ſunt & hae phraſes: *Abundat mandati quantitatem*, *l.* 35. *D. mandati. Pignoris obligatio etiam inter abſentes recte ex contractu obligatur*, *l.* 23. *D. de pignoribus. Qui navis navigandae cauſa in navi ſunt*, *l.* 1. §. 2. *D. naut. caup. l.* 1. §. 2. *D. de exercitor.* Sicuti & *agi actio* dicitur in *l.* 23. *D. de praeſcript. verb.*

§. 94. Et quoniam nullum hic ordinem tenere propter varietatem locutionum inſtitui; ſuperioribus accedant & quae ſequuntur. *Annum in fuga fecerat*, pro conſumpſerat, *l.* 14. §. *ult. D. de ſtatuliber. Non invitum hujus ſolutionis fore* in *l.* 11. *D. depoſiti. Sponte ſtipulatoris*, *l.* 29. §. 1. *D. de evictionibus. Sponte tutorum*, *l.* 3. §. 2. *item quaeri. D. de rebus eorum.*

§. 95. LARGITER *eſſe*, pro *intereſſe* in *l.* 81. *D. pro ſocio.* Verbum autem ipſum INTERESSE, novo genere conſtructionis uſurpatum a PAULO obſervavi in *l.* 21. *in fin. D. quando dies legat. ced. Nec multum*, ait, *intereſſe tale legatum ab hoc, Si heres erit, dato.* Idem verbum ſcite disjunxit & diſparavit MODESTINUS in *l.* 6. *D. de publican. Inter criminis*, ait, *reos & fraudis participes multum eſſe ſtatuerunt* (*d*), id eſt, multum intereſſe. Cujus generis alias disjunctiones, quando in hunc ſermonem ipſa nos deduxit oratio, referre placet. ULPIANUS in *l.* 12. §. 1. *D. de jure dot. Si mulier circum in hoc venta eſt*, id eſt, in hoc circumventa eſt. Idem in *l.* 29. *D. de religioſ. Lucri dotem faciat.* SATISDARE autem, SATISFACERE & SATISPETERE ſaepenumero eodem modo disjungi annotavi. Nec abſimili modo SATIS EGERIT, pro *Sategerit* idem ULPIANUS dixit in *l.* 10. *D. de condicion. & demonſtr.* ſecutus veterum morem, qui SATIS AGERE, pro *Satagere* dicebant, auctore CHARISIO SOSIPATRO *libro* II. *Inſtitut. Grammatic. pag.* 193. apud *Putſchium*, a quo CATONIS ex libro *Dierum dictarum de conſulatu ſuo*, verba haec citantur; *Jam noſtri apud vallum ſatis agebant.* Citantur & ex PACUVII *Atalanta* & PLAUTI *Bacchidibus* idem comprobantes verſus. Quibus ego APULEJUM adjungam *libro* VIII. *Metamorph. ſ. de Aſino aur. pag.* 248. ita loquen-

(*a*) REPETERETUR] *Gothofredus* edidit *repeteret.*

(*b*) DUB.] In *l.* 21. *h. t.* tam in *Taurelli*, quam *Gothofredi* editione legitur: *quod acti eſt.*

(*c*) QUO] In editione *Gothofredi* legitur *quod*, ut & bis in lege ſequenti, nec minus in *l.* 40. *D. de contr. emt.*

(*d*) STATUERUNT] *Conſtituerunt* legitur tam in *Taurelli*, quam in *Gothofredi* editionibus.

Digitized by Google

quentem: *Coloni, multitudinem noſtram latrones rati, ſatis agentes rerum ſuarum, eximeque trepidi.*

§. 96. Sed reliquas dicendi ſpecies notu non indignas exſequamur. MAJUS *delinquit*, pro *Magis*, legimus in *l.* 5. §. 1. *D. de ſervo corrupto. Crimen, quod delinquitur*, in *l.* 38. §. 4. *fratres denique. D. ad legem Juliam de adulter. Cum erit annis* XXV. (*a*) in *l.* 78. §. 12. *heredum.* & §. 15. *rogatus. D. ad SCt. Trebellian. Periculoſe eſſe ex perſona rei hoc metiri*, *l.* 61. *D. de judiciis. Diſtat aliquid doli* (*b*) *exceptione*, *l.* 4. §. *penult. D. de doli except. Poenam dignam ſuae perſonae pati*, *l.* 18. §. 9. *D. de jure fiſc.*

§. 97. Cujus locutionis, ſi quem inſolentia offendet, ſciat is & ita Balbum in Epiſtola ad Ciceronem locutum eſſe (in *Epiſtoll. ad Attic. lib.* VIII. poſt *Ep.* 15.) *Obſecro te*, ait, *Cicero, ſuſcipe curam & cogitationem digniſſimam tuae virtutis. Damnatus in crimine capitali*, *l.* 13. §. *ult. D. qui teſtament. fac. poſſint. A marito puellae juratus*, pro, Jurejurando adactus, in *l.* 14. *D. de dote praeleg.*

§. 98. *Conſtare ratio*, & *Conſtare rationibus*, in *l. penult. D. de ſervo corrupto. Nuptum collocare*, & *nuptui*, *l.* 59. & *l.* 62. *D. de ritu nupt. l.* 41. §. 7. *teſtamento. D. de legat.* III. *l.* 5. *C. de interdict. matrim. Conceſſiſſe venditioni* (*c*), pro Conſenſiſſe & adquieviſſe in *l.* 14. *in fin. D. de diverſ. temporalib. praeſcript. Ex defuncto interpoſitus contractus*, *l.* 73. *D. ad SCt. Trebellian. Peto de te*, *l.* 57. §. *ult. D. eod. titulo. l.* 5. §. 14. *ſi de me petiſſes. D. commodati.*

§. 99. *Non tantum ad ſola furta pertinet*, pro Non ad ſola tantum furta, *l.* 1. §. 14. *D. ſi quis teſtament. lib. eſſe. Illo deprehenſam ubi*, &c. *l.* 23. §. 3. *D. ad l. Juliam de adulter. Eo morari, ubi*, *l.* 7. *circa fin. D. de ann. legat. Erga parietem affixae ſtatuae*, *l.* 245. *D. de verbor. ſignificat. Ambedit agrum flumen*, *l.* 38. *D. de acquirend. rerum dom.* & *Deletus ager vi fluminis*, *l.* 11. §. *ult. D. de aq. & aqua pluv. arcend.*

§. 100. *Ad infitias ire*, *l.* 44. §. 4. *qui famil. erciſc. D. famil. erciſc. A quibus inſtructus ſit fundus*, pro Quibus inſtructus, in *l.* 28. *D. quando dies legat. ced. Evaluit Servii ſententia* in *l.* 6. §. 2. *etiam. D. ſi ſervit. vindic. Dando ſe in adrogandum*, *l. penult.* §. 2. *D. de bonor. poſſ. ſecund. tabul. Data ad hoc opera*, pro De induſtria, in *l.* 53. §. *penult. D. ad leg. Aquil.* (*d*) *Latitans patronum*, *l.* 8. *D. de condicionibus & demonſt.*

§. 101. *Factus in poſſeſſionem*, pro Actus & miſſus, *l.* 11. *D. ut in poſſeſſion. legator. vel fideicommiſſ. Multam adverſus aliquem dicere* in *l.* 32. §. 12. *D. de recept. qui arbitr. recep. In nomen ſuum praedia emere*, *l.* 2. *D. quando ex facto tutor. Occupabit condicio inſtitutionem*, pro eo, quod eſt, Committet, & ei faciet locum, *l.* 17. *D. de condicion. inſtit.*

§. 102. *Pertinet ad animum meum Sempronia*, *l.* 60. §. 1. *D. mandati. Perrepſerat rumor*, *l.* 2. *D. quis ordo in bon. poſſeſſ. ſerv. Parere aeri alieno*, pro aes alienum exſolvere, *l.* 5. §. 9. *non paſſim. in fin. D. de reb. cor.* Sicut *parere penſionibus*, ſatisfacere eſt, in *l.* 54. §. 1. *D. locati.*

§. 103. *Aditus poſticarve vertere*, *l.* 13. §. 7. *ſed ſi aedium D. de uſufruct. Propagationes facere* in *l.* 24. §. 3. *D. locati. Pulſatus eſſet*, pro *Expulſus*, in *l.* 54. §. 1. *D. eod. titul. Penſi in ſocietatem ſumptus*, id eſt, Expenſi, *l.* 52. §. 15. *ſi quis ex ſociis. D. pro ſocio. Projicere pecuniam*, id eſt, Profundere, perdere, & diſſipare, *l.* 25. §. 2. *D. de probationibus. Projicere rem vili pretio*, in *l.* 50. *D. de evictionib.* id eſt, addicere, & adjudicare, &, ut vulgo loquimur, *abandonner.*

§. 104. *Retineo me dixiſſe*, pro Memini, in *l.* 92. *D. de condicion. & demonſtr. Facere procuratorem*, pro Dare, in *l.* 8. §. 3. *ſi quis mandaverit. D. mandati. l.* 4. §. *ult. D. de appellationibus. Stare ſententia & ſententiae* promiſcue dicunt Jureconſulti in *titul. de recept. qui arbitr. recep. Reſpondere meſſes* dicit PAULUS in *l.* 8. *in fin. D. ſoluto matrimon.* Sicut & VIRGILIUS *libr.* 1. *Georg. v.* 47.

Illa ſeges demum votis reſpondet avari
Agricolae.

I. §. 251. duas voces, *innixus*, &c, *ait*, inſeruiſſe, parentheſi tamen incluſas, ut & ſic eas ab auctore non eſſe profectas, palam eſſet. Et ita quidem in recenſendis hiſce libellis ſum verſatus, ſubjecta teſtimoniis Graecis verſione Latina, vulgata & recepta plerumque, niſi ubi Graeca minus exprimere, aut a ſenſu omnino aberraſſe mihi videbatur. In his vero verſionibus, typis jam exſcriptis, quaedam a me praetermiſſa, aut etiam loca quaedam plane non verſa, (uti operis nonnunquam urgentibus fieri amat) ubi relegendo reperi, mutanda atque addenda, cum reliquis, quae vel typothetarum, vel correctorum, accurata licet, induſtria emendare neglexerat, erratis, ad calcem librorum rejeci, ut & ſic levi opera admiſſos errores Benevolus Lector corrigere poſſit. Qui idem, ſi forte alios, a nobis non animadverſos repererit, pro ſua humanitate emendabit. Cum enim homo ſim, nihil a me humani alienum cum Terentiano Chremete puto. Quod ſupereſt, monendus praeterea es, Amice Lector, me cum libri hi tres olim continua ſerie cohaererent, ut, ſi quid ex iis allegari opus erat, paginae fuerint citandae; eoſdem jam in minores ſectiones diſpeſcuiſſe, paginas vero prioris editionis, nihilominus ubique ad hujus editionis oram adſcripſiſſe, ut & allegari in poſterum commodius, & eruditorum paſſim ex his libris citata facilius reperiri queant. His ita abſolutis, neceſſariis Opuſculum hoc Indicibus exornare quoque placuit. Quibus vero conficiendis, quoniam ego aliis negotiis diſtractus, vacare non poteram, id oneris in ſe recepit egregius Juvenis, *Samuel Nagel*, Argentoratenſis, de cujus in ſtudio elegantiorum litterarum, Graecarum maxime, profectibus eximiis, non ego tantum, ſed juxta me alii Doctiſſimi Viri, imo hi ipſi ab eo jam perfecti Indices, teſtes erunt. Cui operae praeluſerat quondam Indice Auctorum, quorum apud Vigerum de Idiotiſmis Graecae Linguae fiebat mentio; qui tamen, ut eſt Juvenis hujus Praeſtantis modeſtia, non aliam, niſi tacitam inter nos, operae praeſtitae laudem, atque laborum approbationem, tum temporis expetierat. Sed quem laude ſua publica ulterius privari nefas duxi. Conſcripſit itaque laudatus Juvenis, meo hortatu, Indices copioſiſſimos quinque. I. Auctorum. II. Locorum Biblicorum. III. Vocum Graecarum, quibus aliqua lux explicatione acceſſerat. IV. Vocum Peregrinarum atque Perſicarum, & denique V. Rerum atque Verborum memorabilium. Quos omnes ſub libellorum horum calcem ordine, quem dixi, reperies. Additus praeterea quoque eſt a fronte horum libellorum, Index, univerſum horum librorum argumentum breviter complectens, ſectionum numero ubique adſcripto. Et haec quidem ſunt, quae Te, Benevole Lector, de iterata hac noſtra editione ſcire decebat. In laudes nunc quoque Opuſculi ipſius plenis velis excurrerem, niſi *buxum in Cytorum*, quod verbo ajunt, ferre exiſtimarer. A tot enim laudatis viris laudare laudatum, quid aliud eſt, quam actum agere? Id tamen praefiſcini dixerim, reperturum in his libris ſedulum Lectorem, quae alibi forte fruſtra quaeſiverit, & quae lucem non profanis tantum Scriptoribus, Herodoto puta, Xenophonti, Arriano, Curtio aliiſque; ſed ſacris quoque, Jeſaiae, Danieli, Eſdrae, Nehemiae, libello item Eſther &c. copioſam lucem affundere poterunt, ceu illud a Viris in omni eruditionis genere Clariſſimis paſſim jam eſt oſtenſum. Tu ergo, Benevole Lector, laboribus hiſce fruere, mihique porro fave.

PRAE-

PRAEFATIO TYPOGRAPHI
PRIMAE EDITIONI PRAEFIXA.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Tres hoſce de Perſici Regni ſtatu libros, ex Adverſariis, in quibus ſitu paene ac pulvere obducti obſitique jacebant, importuna ſtudioſorum quorundam efflagitatio in lucem aſpectumque protulit. Eorum enim precibus victus auctor, urbe undique obſeſſa, & velut Sagena circumvallata, dum pulſu Tympanorum oppidum vicatim circumſonaret, dum machinis tormentiſque bellicis moenia aedeſque quaterentur, dum multus ubique pavor, & plurima mortis imago, hiſce commentariis recognoſcendis & in unum corpus colligendis, operam ſtudiumque navavit. Ac plane, licet non minus Muſae quam Leges inter arma ſileant, cum tamen nec a jure adſidue dicundo, nec ſubſecivis horis a ſcribendo, bellici ſtrepitus fragoreſque retardarunt. In eoque uno acquieſcens ille, animum a moleſtiis, quae ante oculos obverſabantur, quoad potuit, abduxit: arbores ſorte ſerens, quae alteri ſaeculo proſint. Fruere Lector & vale.

P R A E F A T I O,
Q U A M
F R I D. S Y L B U R G I U S
NOTIS SUIS PRAEMISERAT.
F. S. L E C T O R I S.

Prima hujus tractatus editio Pariſiis prodiit anno MDXC. *in qua praeter menda, partim operarum vitio, partim alias commiſſa, erat etiam Appendix praetermiſſorum. Cum igitur hanc noſtram editionem cogitaremus, operam dedimus, ut ex auctoris praeſcripto & menda per nos corrigerentur, & praetermiſſa ſuis quaeque locis inſererentur. Quibus expeditis plana putabamus omnia. Sed ſefellit nos opinio. Nam auctorum loca, Graeca potiſſimum, ita paſſim vel operarum, vel amanuenſis culpa deprehendimus male tractata, ut plerumque ad ipſos fontes recurrendum eſſet. Quod, quantum per ordinarias occupationes licuit, non ſegniter a nobis eſt praeſtitum.*

Et quia non pauca occurrebant, in quibus etiam vulgatarum editionum lectio parum ſana videbatur, de his aliiſque conſimilibus ſeorſum hic, amice lector, te commonere, noſtramque tibi de illis, qua conjecturam, qua ſententiam, exponere libuit. Eam ergo telam paucis pertexamus.

E D I T I O N E S P R I O R E S.

Barnabae Briſſonii de Regio Perſarum Principatu libri tres. Pariſ. 1590. in-8°.
Iidem cum notis Sylburgii & tripl. Indice ab. Commelin. 1595. in-8°.
Iidem Pariſiis 1606. in-4°.
Iidem cum notis Sylburgii & Lederlini. Argentorati 1710. in-8°.

INDEX

Digitized by Google

INDEX UNIVERSUM HORUM LIBRORUM ARGUMENTUM

BREVITER COMPLECTENS,

IN QUO NUMERUS ADDITUS THESIN NOTAT.

LIBER I.

Quo de Regia Majeſtate, totoque Perſici Regni ſtatu, agitur.

I. Inſtituti ratio, quae eſt, exponere Regni Perſici ſtatum, rituſque.
II. Perſici Imperii origo & duratio. Perſarum Reges ſe vocarunt Reges Magnos.
III. Iidem ſe vocarunt Reges Regum.
IV. Perſarum Imperium ſtirpi Regiae deſertur.
V. Deficiente ſtirpe Regia, Darius Rex factus eſt.
VI. Primogenitus filius heres Regni eſt, quod tamen non perpetuum. Rex Perſarum non debet eſſe mutilus. Tandem procerum ſuffragiis Rex factus eſt.
VII. Filii naturales & ex pellicibus ſuſcepti, ſuperſtitibus legitimis liberis, ad regnum non admiſſi, ubi tamen exemplum contrarium.
VIII. Rex Perſarum, non niſi priore mortuo, electus.
IX. Rex, procul proficiſcens, ſucceſſorem deſignat.
X. Ubi & quomodo Perſarum Reges initientur.
XI. Regibus Cidaris Diademaque imponuntur.
XII. Novus Rex in Regia Sella collocatur.
XIII. Regium Perſarum Imperium capeſſentes, nomina mutant.
XIV. Reges Perſarum divinis honoribus coluntur a ſuis.
XV. Perſarum Reges adorantur, idque.
XVI. 1. Manibus poſt tergum reductis. 2. Manibus paſſis, & dextra in laevam converſa. 3. Mento ſolum paene contingente.
XVII. Adorantes procumbunt.
XVIII. Reges Perſarum eminus jam adorantur, etiam a peregrinis, & aliorum legatis.
XIX. Conon Regem Perſarum adorare non vult.
XX. Graeci & Judaei adorationem Regum averſantur.
XXI. Exempla variorum, vel adorantium Regem Perſarum, vel adorare recuſantium.
XXII. Alexander Perſicam ſuperbiam imitatur.
XXIII. Calliſthenes, adorationem Alexandri culpans, trucidatur.
XXIV. Aurea Regis imago, Babylonem ingredientibus eſt adoranda.
XXV. Mos Regem ſalutandi.
XXVI. Regi Perſarum occurrentes, manicis manus inſerunt.
XXVII. Rex Perſarum cur raro viſus? Exempla contraria Statirae & Artaxerxis.
XXVIII. Abſque Regis juſſu, Regiam non ingredi licet, ſed omnia per internuntios agenda. Intaphernes, contra faciens, punitur; Eſther ſervatur.
XXIX. Optimates ad Regis fores ſemper ſunt praeſto.
XXX. Capitale, Regis Sellae inſidere. Alexandri lepidum factum. Artabanus cogitur inſidere Sellae Regiae. Obſcurus quidam, Alexandri Sellae, malo omine, inſidet. Sella Parthorum capta detinetur a Romanis.
XXXI. Veſtem regiam nemo Perſarum geſtat; Tiribazus, id faciens, excuſatur.
XXXII. Pellex ad Regem ducenda, nemini conſpicua, ſub capitis poena, fuit. Argutia Themiſtoclis.

XXXIII. In venando primum telum Rex emittit, quem morem mutat Macrochir.
XXXIV. Perſarum Reges exleges, omnes ſubditos pro ſervis habent, imo cognatos.
XXXV. Pia ſubditorum Regis Perſiae obedientia. Inobedientiae poena.
XXXVI. Bona Regi ſuadens donatur. Mala vero conſulens, vel Regis ſententiae contraria, punitur.
XXXVII. Exemplum obedientiae ſubditorum in Perſia.
XXXVIII. Litterae, Regio annulo obſignatae, e veſtigio effectui dantur.
XXXIX. Regum arcana mira fide celant Perſae.
XL. Perſarum erga Regem ſuum mirus amor, dum vota faciunt pro eo, & ſine munere eum non adeunt.
XLI. Regi iter facienti pro ſe quiſque munera ferunt, tenuia & magnifica, pro cujuſque conditione.
XLII. Natales Regum celebrantur, Regumque juſtitia & felicitas a vigilibus extolluntur.
XLIII. Vivos Perſarum Reges honor excipit, mortuos luctus.
XLIV. Sacer aeternuſque Ignis, pro Lare Perſis cultus, moriente Rege, exſtinguitur.
XLV. Regum filiis magnum honorem exhibent Perſae. Obſequium Res Perſarum evexit.
XLVI. Sequitur de Regum Inſignibus & Regali cultu. Ac primum de Tiara. Ea quotuplex. Recta Tiara, ſub capitis poena, omnibus, praeterquam Regi, prohibita.
XLVII. Demaratus vult rectam geſtare Tiaram. Artaxerxes id filio ſuo permittit. Imperium uſurpantes eandem geſtant. Idem Parthi faciunt.
XLVIII. Magorum percuſſores cum poſteris, peculiari uſi Tiara. Tiarae forma.
XLIX. Perſarum, Romanorumque pilea. Tiara differt a Mitra.
L. Capitis inſigne Regum Perſiae Cidaris vel Diadema.
LI. Diadematis nomine Cidaris notatur.
LII. Qualis fuerit Cidaris, &
LIII. Ex quo confecta?
LIV. Exterarum gentium Diadema eſt candida faſcia. Diadematis inventor. Pretioſum Saporis Diadema.
LV. Stola Regum Perſiae deſcribitur.
LVI. Ejus auctor incertus. Ejus pretium.
LVII. Ejuſdem ornatus & figura.
LVIII. Tunica Regum, marina purpura tingitur.
LIX. Regum amiculum purpureum albo diſtinctum. Commendatio Q. Curtii Rufi.
LX. Candys, amiculum chiridotum. Aliis videtur molle. Regum inſignia.
LXI. Perſarum Reges capillati.
LXII. Reges Perſarum inaures geſtarunt: item Zonam.
LXIII. Reges Perſarum geſtant braccas.
LXIV. Perſae omnes braccati.
LXV. Braccae procerum Perſiae luxurioſae & triplae. Mulieres etiam braccis uſae. Romanis barbarae videntur.
LXVI. Sceptrum aureum geſtant Reges Perſarum, ſeu, auream virgam. Clauſula de cultu Regio.
LXVII. Perſarum Reges ſtatis vicibus mutant ſedes.
LXVIII. Conciliatur ἐναντιοφάνεια Aeliani. Cur Suſis verno vel aeſtivo tempore vivant Reges? Suſa quid ſignificet? ubi ſita? ejus conditor.
LXIX. Ecbatana Medorum metropolis: item Cteſiphon, & plures Regiae Perſarum. Ubi gaza Regia? Paſargada quid notet?
LXX. Palatium Cyri Perſepoli, cujus opulentia & ſtructura deſcribitur.
LXXI. Perſepolis, cedro aedificata, incendio deletur.
LXXII. Parthorum Regia, Cteſiphon.
LXXIII. Regia Perſarum januis & ſtipatoribus ſepta. Faſtus Imperii Perſici.
LXXIV. Perſarum Reges & Aſiatici alii domum auream habuerunt.
LXXV. In aurea Sella ſederunt Perſarum Reges, etiam Alexander.
LXXVI. Alexander in Darii ſella ſedet. Sella Parthorum, Regi eam repetenti denegatur. Ejus ornatus deſcribitur.
LXXVII. Aureus lectus Regum Perſiae. Aurea item tabernaculum, platanus, vitis, cujus deſcriptio & auctor.
LXXVIII. Palatia Regum prope hortos. Paradiſus quid ſit?
LXXIX. Paradiſi feris & arboribus pleni. Eis delectati Perſae. Arboribus e Graecia, illos conſevit Alexander.
LXXX. Penſiles horti deſcribuntur ab eorum auctore & delineatione: An Suſis ſint? Penſile oppidum quinam fecerint?
LXXXI. Auctorum, circa murorum & turrium Babylonis altitudinem & ambitum, diſſentientium

tientium, tentata a Briſſonio conciliatio.

LXXXII. Perſarum Reges unius Choaſpis aquam bibunt. Quidam tamen Eulaeum conjungunt.

LXXXIII. Aquam auream Rex Perſarum & filius maximus ſoli bibunt. Aqua fluminum longinquorum aerario Perſico infertur. Artaxerxes aquam turbidam a ſe abſorptam laudat.

LXXXIV. Vino tantum Chalybonio uſi Reges Perſiae, quo ipſis inebriari ſemel quotannis licuit. Regum Perſarum temperantia. Darii ebrioſi epitaphium. Cambyſis atrox ebrietas & ebria atrocitas.

LXXXV. Xerxes quotidie ſemel tantum cibum ſumit.

LXXXVI. Pane triticeo uſi Reges Perſiae.

LXXXVII. Regum menſae conquiſitiſſimis epulis inſtructae. Peregrino cibo & potu non utuntur Reges Perſiae. Jovis cerebrum. Mali Medici grana in eſculentis decoquunt Parthorum Reges.

LXXXVIII. Oleum Regis quale? Sal Ammoniacum ei affertur. Pipere & aceto non uſi Reges in Prandio. LXXXVIII. Rex Perſarum iter faciens, a ſubditis coena excipitur.

LXXXIX. Natalem diem Reges Perſarum feſtum agunt.

XC. Regis menſae lautitia & munditia.

XCI. Septem Eunuchi Regi miniſtrant.

XCII. Regi prandenti miniſtrantes, pure loti & pretioſa veſte induti ſunt. Pincernarum Regiorum induſtria.

XCIII. Regis cautio in potu & cibis. Praeguſtatores Regis. Pincernarum induſtria & honor. Item plures alii aulae ſeu gulae miniſtri.

XCIV. In aula verſantes, menſam quotidie Regis genio inſtruunt.

XCV. Convivialibus ludis delectati Perſae, & Muſica, praecipue mulierum.

XCVI. Regum Perſiae in Muſicas mulieres propenſio. Eae deſcribuntur. In easdem propenſio Parthorum &c.

XCVII. Reges Perſiae voluptatibus & luxuria diffluunt. Diogenis & Socratis judicia de vita beata.

XCVIII. Rex plerumque ſolus epulatur. Interdum cum ipſo proximi agnati.

XCIX. Reges Perſiae magnifico interdum convivio Satrapas & purpuratos excipiunt. Coena Cognatorum.

C. Illi, quibus honor habendus eſt, menſa Regis utuntur.

CI. Ordo accubitus, Cyro ita ſanciente, variat.

CII. Convivii Regalis Perſici deſcriptio. Convivarum numerus, & ordo accubationis.

CIII. Libertas convivis apud Perſarum & Parthorum Reges nulla. Parthorum Regum inſuper erga convivas inſolentia.

CIV. Quos honorare volunt Reges Perſarum, iis coenae partem mittunt.

CV. Coena ſtipatorum & ſatellitum, item canum in regia menſa apponitur.

CVI. De Conjugio. Plures uxores licet Regi Perſarum habere. Nuptiae Regis celebratae magnifice.

CVII. Uxorum capiti Reges Perſarum Diadema imponunt.

CVIII. Reginae, ornatus admodum ſtudioſae. Regiones illis, ejus cauſa datae, quibus & inde nomen. Reginarum caput unguentis delibutum: earundemque ancillae.

CIX. Reginae ſolo metu in fide retentae.

CX. Regum Perſiae libido, multitudine pellicum conſpicua.

CXI. Pellices aequo animo ferre coguntur Reginae.

CXII. Pellices ſingulae ſeparatim Gynaeceo includuntur, ubi comuntur & ſucantur, honore non deſtitutae.

CXIII. Inter pellices, noctium vices Reges Perſarum partiuntur. Alexandri ſimilis luxus.

CXIV. Pellices cum Rege venatum exeunt, & in expeditionem. Pellices unde Regi datae?

CXV. Summa cura Regem Perſiae in educandis liberis juſti matrimonii. Magia commendatur.

CXVI. Rex Perſarum quotidie mane excitatur ad res ſuas adminiſtrandas. Xerxi prandenti quid inclamatum fuerit?

CXVII. Reges Perſiae quotidie ſacrificant, Magis id & conſilia etiam dirigentibus.

CXVIII. Perſicorum Regum, & inprimis Cyri pietas commendatur.

CXIX. Cyri edictum de reaedificando templo Hieroſolymitano apud Eſdram habetur

CXX. Perſarum Regis, e Regia procedentis, pompa.

CXXI. Xenophontis in libris *παιδείας* ſuſpecta auctoritas firmatur. Sacer & aeternus ignis apud Perſas.

CXXII. Rex Perſarum extra regiam non niſi in curru aut equo conſpicitur. Quales equi

qui currum Regium trahant? Aurea ſella Regi, de curru deſcendenti porrigitur.
CXXIII Perſarum Rex iter vehiculo faciens quomodo tempus terat? e Perſide in Mediam quomodo proficiſcatur?
CXXIV. Perſarum Reges omnes ditionis ſuae provincias perluſtrant;
CXXV. Quaſdam per legatos. Boni provinciarum Rectores promoventur; Mali puniuntur.
CXXVI. Summa Regis Perſarum cura, ut bene & ſecure habitentur civitates, & opifices opera ſua peragant.
CXXVII Perſarum Reges jus dicunt.
CXXVIII. De capitalibus cauſis ipſe etiam Rex Perſarum cognoſcit, neque in judicando praeceps eſt.
CXXIX. Quando in reos animadverſum?
CXXX. Semel latam de capite ſententiam ne Regi quidem revocare licet. Rei ad ſupplicium, lata ſententia, ſtatim rapiuntur. In quem Rex iraſcitur, is obnubilatur & abducitur.
CXXXI Regum Perſiae in ſuppliciis clementia.
CXXXII. Regii Judices Perſarum, eorumque officium.
CXXXIII. Ex iis duorum injuſtorum poena. Perſarum Conſiliarii.
CXXXIV. Bene meritos Perſae muneribus mactant.
CXXXV. Exemplum ejus rei.
CXXXVI. Matronis etiam munera data a Regibus.
CXXXVII Patribus ob πολυτεκνίαν quotannis munera data & publice.
CXXXVIII. Reges grati erga bene merentes. Exempla ejus rei; inter quae Democedis.
CXXXIX. Continuatio ejus exempli. Crotoniatae Perſis illudunt.
CXL. Xerxes Abderitas, bene de ſe meritos donat.
CXLI. Praecipui honores apud Perſas a Regibus conceſſi.
CXLII. Oſculum quandoque datum a Rege iis, qui honorantur.
CXLIII Hippocrates ad Regem Perſiae vocatur maximis praemiis. Themiſtoclis honor maximus apud Regem Perſiae; Combabi apud Regem Aſſyriae.
CXLIV. Honores reliqui apud Perſas, & primus quidem, Veſte Medica donari.
CXLV. Dein, aureis, torque, armillis & acinace uti?
CXLVI. Continuatio priorum.
CXLVII Veſtis purpureae & torquis aurei auctores.
CXLVIII. Alius honor, aureis equorum frenis uti.
CXLIX. Hippocrati promiſſa honoratorum inſignia, in prioribus delineata.
CL Reges, quos honorant, his oppida fruenda donant.
CLI. Nonnunquam in alimenta complures urbes donant Reges Perſiae.
CLII. In Veſtiarium & Stratum urbes Themiſtocli datae. Timagorae & Antalcidae munera. Pelopidae continentia.
CLIII. Donum aliud apud Perſas, exercitu donari.
CLIV. Praeſtantiſſimum munus, mola aurea fuit.
CLV. Aliud, poteſtatem accipere poſtulandi quaelibet.
CLVI. In ſollemni epulo Tycta dicto, Rex nihil inter pocula petitum denegare poteſt.
CLVII Pacurii & Cabadis munificentia.
CLVIII. Rex deſignatus apud Perſas, ab eo, qui deſignat, donum petit.
CLIX Munificentia Regum Perſiae erga ſubditos, & ordo in illa obſervatus.
CLX Legatis exterarum gentium a Rege Perſarum data munera.
CLXI. Reges Perſarum hoſpitium cum iis, apud quos divertunt, quandoque contrahunt; vel ſocietatem etiam & amicitiam cum aliis gentibus.
CLXII. Perſarum Reges per Mithrem ſeu Solem jurant.
CLXIII. Fidei ſanctiſſimum pignus apud Perſas & Parthos eſt dextra.
CLXIV. Inde lumen Curtii duobus locis datur.
CLXV. Venationes crebrae apud Reges Perſarum, Parthorum & Aſſyriorum. Laus Venationis.
CLXVI. Indici canes multi aluntur venationis cauſa, apud Perſas.
CLXVII. Reges Perſarum vivariis incluſas feras agitant. Rex primum telum emittit in venando.
CLXVIII. Perſarum Imperium in Satrapias diſtributum.
CLIX In Satraparum & Satrapiarum numero variatur.
CLXX. Parthi Perſarum Satrapias in octodecim Regna dividunt. Unus Satrapa quandoque plurium provinciarum Rector. Synonyma Satrapae. Orae maritimae Satrapa Sardibus moratus.

CLXXI. Satrapiae Regum filiis decernuntur.
CLXXII. Satraparum officium.
CLXXIII. In Conſilium Regis Perſiae omnis generis praefecti admiſſi.
CLXXIV. In Conſilio Rex Perſarum medius ſedet. Satrapae publice coluntur & aluntur.
CLXXV. Satrapae ſcribis & ſatellitio ſtipati: Boni non facile ſucceſſores habent: Mali puniuntur.
CLXXVI. Satrapae, bene regentes provincias, honoribus cumulantur.
CLXXVII. Inſpector, quotannis ad Satrapas miſſus, ſtatum provinciarum explorat. Reginque renuntiat. Non eidem praefecto urbs & arx concreditur apud Perſas.
CLXXVIII. Continuatio priorum: Item officium utriuſque praefecti, itemque Satrapae.
CLXXIX. Stationes militum, quibus Chiliarchi praeerant, quietis cauſa poſitae. Chiliarchi ipſi & arcium cuſtodes a Rege conſtituuntur.
CLXXX. Cuſtodia in Babyloniae finibus poſita.
CLXXXI. Perſarum Reges habuerunt multa aeraria, iiſque praefectos.
CLXXXII. Perſarum Regum Gazae magnae Damaſci, Suſis, Perſepoli, Paſargadis, in aedibus prope Regis cubile.
CLXXXIII. Illa Gaza e tributis conflabatur: Quorum auctor Darius, Hyſtaſpis filius.
CLXXXIV. Darii in exigendo tributo aequitas.
CLXXXV. Cilices & Cyprii Regi Perſarum tributum dant.
CLXXXVI. Reges Perſiae tributorum exactores in ſingulis provinciis habent.
CLXXXVII. Summa tributorum annuorum Regis Perſiae & Alexandri. Agri a tributis immunes.
CLXXXVIII. Tributorum condendorum ratio.
CLXXXIX. Regiones Perſarum aliquid ad alendum Regem ejuſque exercitum dant, praeter tributa. Peculiares Regis equi.
CXC. Perſarum Rex miniſtros quoſdam habet, qui vocantur Regis aures & oculi: Illi deſcribuntur a nomine & ufficio.
CXCI. Reges Perſiae decem mille equites habent, qui vocantur Immortales: ubi nominis ratio, & comparatio eorundem cum Gallorum Trimarciſia.
CXCII. Illi Equites ex omni Perſica gente electi;
CXCIII. Etiam ex ſola. Eorum tres interficit Polydamas.
CXCIV. Ex Immortalibus mille fortiſſimi leguntur, qui Doryphori dicuntur, vel Melophori.
CXCV. Electio Melophororum ex optimis facta.
CXCVI. Melophori in aula excubant.
CXCVII. Alexander, poſt Darium victum, Melophororum ſatellitio uſus.
CXCVIII. Perſarum Regis ſatellites e Perſis conſtant. Darius tamen Ochus tres Hebraeos habuit.
CXCIX. Satellites Regis pro foribus palatii excubant.
CC. Decem millia Spiculatorum Regiam Regemque, noctu interdiuque cuſtodiunt.
CCI. His corporis cuſtodibus praefectus datus eſt:
CCII. Inter eos referri honor erat.
CCIII. Reges multis ſatellitibus ſtipati: Eorumque excubiis ſomnium muniunt.
CCIV. Cuſtodia Regum tutiſſima, ſubditorum benevolentia.
CCV. Unus ex ſatellitibus ſemper currum Regis ſequitur, cum ſella aurea, eam Regi deſcendenti ſubditurus.
CCVI. Regii Perſarum ſatellites a Rege pro ſtipendio annonas capiunt, menſaeque Regiae aluntur reliquiis.
CCVII. Inter ſatellites Regis quidam Cognati vocantur: Quorum numerus: Nomen honorarium eſt: Eorum jus: peculiaris Coena.
CCVIII. Ὁμότιμοι aſſidue pro foribus Regiae ſtant, ut & omnes Proceres. Servi qui?
CCIX. Perſarum & Parthorum proceres & purpurati, Megiſtanes interdum appellantur.
CCX. Summus Magiſtratus apud Parthos Surenas fuit.
CCXI. Reges Janitorem habebant, praeter corporis cuſtodes, excubias pro portis agentes.
CCXII. Ordo Oſtiariorum, Excubitorum, Admiſſionaliumque, ſeu Internuntiorum.
CCXIII. Per Internuntios, Reges reſponſa dant.
CCXIV. Chiliarchi munus. Graeci, Perſicae Linguae Imperiti, per Interpretem loquuntur cum Rege.
CCXV. Reges ſuos cubicularios habent.
CCXVI. Ad domeſtica miniſteria adhibiti a Rege Perſarum Eunuchi. Hinc janitores etiam ex illis fuerunt. Odium in eos Severi.
CCXVII. Circa Reginas iidem Eunuchi erant.

CCXVIII.

Digitized by Google

CCXVIII. Perſarum Reges Scribas habebant; Quorum officium deſcribitur.
CCXIX. Digreſſio Auctoris ad formulas Edictorum, Reſcriptorum, & Decretorum Regis Perſiae.
CCXX. Edictorum & Reſcriptorum Regis Perſiae & aliorum initiis quid adſcriptum ſit?
CCXXI. Epiſtolarum, Regis Perſiae & ipſius Miniſtrorum initium.
CCXXII. Artaxerxis decreti initium.
CCXXIII. Quid edictis ſuis ſubjunxerint Reges Perſarum.
CCXXIV. Edicta Regum Perſiae ſecundum linguas nationum, ad quas ſcribuntur, concepta.
CCXXV. Regis Perſarum litterae ad Lacedaemonios Aſſyrice ſcriptae.
CCXXVI. Reſcripta annulo Regis obſignantur, quem Rex geſtat: Ejus Character.
CCXXVII. Edicta Regum, Scriniis, Gazophylaciis, & Bibliothecis inſeruntur; proſcripta in celeberrimis urbis Regiae locis affiguntur, inque provincias mittuntur.
CCXXVIII. Litterarum, Regis miniſtrorum ad Regem, initium.
CCXXIX. Memorabilia omnia Commentariis inſeruntur; qui, re exigente, inſpici jubentur a Rege, & alias etiam legi & recitari.
CCXXX. Commentarii Cyri ubi fuerint, diſſentiunt Auctores. Bibliothecae duplicis generis.
CCXXXI. Reges Perſarum in comitatu ſuo Medicos habent.
CCXXXII. Aegyptus, Medica arte celebris.
CCXXXIII. Cteſiae Cnidii Elogium.
CCXXXIV. Horas quidam nuntiarunt apud Regem Perſiae; alii Veſtem excipiunt regalem.
CCXXXV. Rex Perſarum, in publicum prodiens, inter alios ante ambulones habet σκηπτοῦχοι. Rex a quibuſdam equis imponitur.
CCXXXVI. Miniſter unus hoſpitum recipiendorum curam gerit.
CCXXXVII. Multa officiorum aulicorum genera apud Perſas.
CCXXXVIII. Cyrus curſum publicum veredariorum inſtituit, qui Angari dicuntur.
CCXXXIX. Et Aſtandae.
CCXL. Partho-Perſarum aulae aliquot officia.
CCXLI. Alexander, Babylonem ingrediens, quomodo & a quibus exceptus ſit?
CCXLII. Rex Perſarum, ipſiuſque mater, venenis lenibus utebantur in deſperatione medicorum.
CCXLIII. Herbae quaedam mirabiles recenſentur.
CCXLIV. Pharmacopolium Cyri.
CCXLV. Funera Regum Perſiae magno cum apparatu facta & luctu maximo.
CCXLVI. Perſarum Reges monumenta Regia habent, quae dicuntur Mauſolea & βασιλικαὶ θῆκαι.
CCXLVII. Regum Perſiae monumentum in Perſepolitana arce; Cyri Paſargadis.
CCXLVIII. Loculo aureo Cyri corpus conditum. Quae in Cyri monumento fuerint? Circa Cyri ſepulchrum, ab Alexandro apertum, auctorum diſſenſio conciliatur.
CCXLIX. Cyri ſepulchri cuſtodes Magi, quibus & alimenta quotidie dantur. A Daniele exſtructa turris, ſepulchrum eſt variorum Regum.
CCL. Epitaphium, Sepulchrumque Cyri.
CCLI. Epitaphium Darii.
CCLII. Nini Epitaphium.
CCLIII. Sardanapali Epitaphium, a variis varie citatum.

LIBER II.

Quo de Religione, Legibus, Moribus, Inſtitutiſque Perſarum tractatur.

I. De vita, religione, legibus & moribus Perſarum auctor dicturus eſt hoc libro.
II. Perſae colunt Jovem, &
III. Solem praecipue.
IV. Perſae Solem, in linteo depictum, adorant.
V. Soli Perſae equum immolant, & Rex quidem album. Plutarchus bovem ait.
VI. Armenii Soli equos immolant.

VII. Ad Partho-Perſas Solis quoque veneratio tranſiit. Lepida Hiſtoria de Peroſa.
VIII. Solem Mithrae nomine Perſae colunt.
IX. In antro Mithres colitur.
X. Mithrae initiandi, varios cruciatus ſuſtinere coguntur.
XI. Oromazum & Arimanem Perſae colunt.
XII. Ante dicti Dii omnes, patrii Perſarum Dii dicuntur.
XIII. Luna & Venus, Perſarum Deae.
XIV. Ignis Perſarum, & aliorum Deus.
XV. Ignis in omnibus Deorum Perſarum ſacrificiis primus invocatur. Supplicatio apud Perſas acerrima.
XVI. Ignis, apud Perſas, perpetuo focis accenſus ſervatur; Regi praefertur, eoque decedente exſtinguitur.
XVII Igni huic ſacraria a Perſis dicata: Eum Heraclius exſtinxit.
XVIII. Πυρεῖον Heſychio quid? Ignis Cyro in foculis praefertur.
XIX. Ignis veneratio uſque ad noviſſima tempora Perſarum durat.
XX. Origo cultus Igni a Perſis exhibiti.
XXI. Omnia Igni ſimilia venerantur Perſae.
XXII. Aqua, Perſarum Numen eſt.
XXIII. Tiridates Euphratem placat.
XXIV. Tellus Mater, Perſarum Dea eſt.
XXV. Perſarum Dii ſummatim.
XXVI. Jocus Ariſtophanis in Eclipſin.
XXVII. Lunae defectus explicatur a Vatibus Aegyptiis; itemque Solis a Magis.
XXVIII. Perſae Diis ſuis nulla templa vel altaria conſtruunt, nulla ſimulachra.
XXIX. Magi Deorum ſigna & ſimulachra damnant. Artaxerxes templum primum ſtruit, Veneri. Ξόανα quid ſint?
XXX. Magorum ſuaſu, templa Graeciae a Perſarum Rege incenſa. Romae ſimulachra inſtituta.
XXXI. Omnia Graecorum fana a Perſis everſa, incenſa, ſpoliata;
XXXII. Templa tamen Deli & Epheſi immunia.
XXXIII. Templa illa Graeciae cremata ſunt vindictae cauſa:
XXXIV. Eaque Graeci inſtaurari vetuerunt:
XXXV. Jonum inſuper contra inſtauratores diris facta devotio:
XXXVI Graecorum denique commune juramentum de non reaedificandis templis.
XXXVII. Perſepolis ab Alexandro incenſa.
XXXVIII. Perſae in collibus ſacra faciunt.
XXXIX. In puro loco Perſae Diis, quos colunt, hoſtias caedunt: Jovi tauros: Soli equos.
XL. Proceſſus ſacrificantium Perſarum.
XLI. Coronati Perſae ſacrificant.
XLII. Omnis ſacrificans apud Perſas, pro univerſi populi & Regis ſalute ſacrificat.
XLIII. Quid cum hoſtia mactata egerint Perſae?
XLIV. Sacrificantes Perſae, ſola victimarum caede Deos honorant, & parte omenti, igni injecta.
XLV. Hoſtias totas cremant Perſae, vel partem epulis aſſervant.
XLVI. Hoſtiae apud Perſas Telluri atque Heroibus etiam immolatae. Sacra quomodo Igni & Aquae peracta.
XLVII. Chorea fuit apud ſacrificia Perſarum.
XLVIII. Thure Diis Perſae non ſacrificant.
XLIX. Vinum patera Perſae Diis libant. Libatio Xerxis.
L. Epulas Diis libant Perſae, velut primitias.
LI. Perſae omnia a Deorum invocatione incipiunt.
LII. Sacra omnia obeunt Magi, omnibuſque in quibuſcunque ſacrificiis praeeunt.
LIII. Magi Regi Perſarum ſacrificanti adſtant.
LIV. Magi, ſapientiae ſtudioſi.
LV. Magorum auctoritas & gratia magna apud Regem.
LVI. Magi in magno honore & veneratione apud Perſas.
LVII. Magorum ortus. Zoroaſtres quis fuerit? Genius bonus & malus.
LVIII. Zoroaſtres, auctor nominis Magorum.
LIX. Magorum doctrina.
LX. Perſae eadem cum Magis credunt de duplici genio.
LXI. Simulachrorum Deorum everſores Magi. Origo Gymnoſophiſtarum, & differentia ab Aegyptiis ſacerdotibus.
LXII. Magorum inſtituta iterum proponuntur.

LXIII.

LXIII. Magi vates fuere: divinarunt pota herba:
LXIV. Item ex notis corporis.
LXV. Magi de prodigiis & oſtentis conſuluntur.
LXVI. Magorum ſobrietas & abſtinentia.
LXVII. Nulli, niſi Perſae, Magorum doctrina imbuuntur.
LXVIII. Pythagoras, Democritus, Apollonius cum Magis verſati.
LXIX. Sacerdotia mulierum.
LXX. Feſta Perſarum, ut Magophonia, Natales Regum. Imo cujuſque.
LXXI. Feſtum Mithrae & Saccarum.
LXXII. Feſtum vitiorum interitus.
LXXIII. Feriae etiam extra ordinem a Rege Perſarum indicebantur.
LXXIV. Tranſitus ad Jus Perſarum humanum.
LXXV. Perſarum in legibus ferendis prudentia.
LXXVI. Schola Perſarum, forum liberale dicitur. Fora rerum venalium nulla apud Perſas.
LXXVII. In foro liberali fuere Regia & Archia.
LXXVIII. Sedes Regni & morum Magiſtrorum in foro liberali.
LXXIX. Fori liberalis juxta aetates diviſio.
LXXX. Aetatum apud Perſas diviſio.
LXXXI. Perſae, cujuſque aetatis, ſaepe in foro liberali verſantur.
LXXXII. Omnibus aetatibus praefecti dati in inſtitutione Perſarum. In puerorum inſtitutione diligentia.
LXXXIII. Pueri Perſarum vera loqui docentur.
LXXXIV. Mendacium turpiſſimum apud Perſas.
LXXXV. Juſtitiam pueri Perſarum edocentur: cujus gratia.
LXXXVI. Ipſis judiciis interſunt pueri.
LXXXVII. Sententias ferre docentur pueri.
LXXXVIII. Pueri Perſarum ſe invicem in jus vocant coram Praeceptore.
LXXXIX. Pueri Perſarum cum Praeceptoribus moderati, & ideo ſani:
XC. Iidem obſequium diſcunt a Praeceptoribus.
XCI. In moribus etiam informantur hi pueri: Laudes Deorum, & clarorum virorum res geſtas decantant.
XCII. Plantarum porro notitia imbuebantur pueri Perſarum.
XCIII. Tranſitus ad vitia, quorum odio imbuuntur Perſarum pueri.
XCIV. Maxima apud Perſas turpitudo eſt aeris alieni moles.
XCV. Ingratum animum ſumme deteſtantur Perſae.
XCVI. Lege & more Perſarum contra ingratos agitur. Senecae lapſus.
XCVII. Deſertionis crimen a Perſis punitum.
XCVIII. Perſarum òbſervantia erga parentes ſumma.
XCIX Perſae gloriantur, nullum apud ſe legitimum filium parentes occidiſſe.
C. Patria poteſtas apud Perſas & Romanos fere Dominica.
CI. Quae factu, eadem & dictu turpia ſunt apud Perſas.
CII. Liberi Procerum in Perſia, pro foribus Regis & Satraparum educantur.
CIII. Sagittare, jaculari & equos regere diſcunt Perſarum pueri.
CIV. Eadem equitandi & jaculandi diſciplina ad Partho-Perſas tranſiit.
CV. Decimo ſeptimo anno puerilitate depoſita, Ephebis adſcribuntur Perſae.
CVI. Epheborum vitae ratio. Archiis illi nunquam, niſi venantem Regem comitaturi, egrediuntur.
CVII. Cibus Ephebis idem, qui pueris. Abſtinentiae ſtudent Ephebi: carne venatica veſcuntur. Repetitio hujus & praecedentis theſeos in loco Xenophontis.
CVIII. Continuatio de venatione Perſarum.
CIX. Cauſae venationis a Cyro inſtitutae.
CX. Aliquando vivariis incluſas feras Rex venatur. Parthi venandi ſtudioſi: Trium Principum in venando deſidia.
CXI. Curſu etiam exercetur pars Epheborum (ubi quoque de Tranſlatione Strabonis.) Pars domi manens jaculis & telis certat. Sagittandi peritus Catenes.
CXII. Saltatione Ephebi exercentur. Saltationis Perſicae deſcriptio. Parthi quoque ſaltatione delectantur.
CXIII. Ephebis utitur Magiſtratus ad purgandas provincias.
CXIV. Multa alia exercitia Epheborum.
CXV. Poſt decennium Ephebi in Virorum ordinem cooptantur.
CXVI. Virorum promptum erga Magiſtratus officium, eorundemque arma.
CXVII. Virilis ordo ſeminarium eſt Magiſtratuum. Item repetitio theſis prioris.

CXVIII.

CXVIII. Poſt viginti quinque annos viri Senibus annumerantur, quorum privilegia deſcribuntur.
CXIX. Per quot annos Perſae munera & Magiſtratus gerant, item ſtipendia mereant?
CXX. Ex ſubditis omnes idonei ad officium adhibentur, modo pueritiae & adultae aetatis inculpate tranſierint curriculum in ſcholis: Alias nemo etiam inter viros vel ſenes recipitur.
CXXI. Riſum Perſae in publico continent: Item naturalia, aliaque ſimilia.
CXXII. In itinere Perſae neceſſaria omittunt, Perſarum frugalitas commendatur.
CXXIII. Maza deſcribitur.
CXXIV. Victus quotidianus Perſarum.
CXXV. Naſturtio delectantur Perſae.
CXXVI. Parce ab initio Perſae vivunt, poſtea vino deduntur.
CXXVII. Vinolentiae libido conjungitur apud eoſdem: Dum ebriis pellices adducuntur.
CXXVIII. Confirmatio dictorum, apud Ambroſium.
CXXIX. Imo etiam juſtae uxores inductae juxta alios.
CXXX. Ebrietas Perſarum maxima, non magnis contracta poculis.
CXXXI. Inter pocula de rebus ſeriis conſultant Perſae.
CXXXII. Firmiora Perſis conſilia ſunt a temulentis, quam a ſobriis ſuſcepta.
CXXXIII. Regum & Satraparum Perſicorum menſa inſtructiſſima.
CXXXIV. Perſae paucis cibis, bellariis utuntur multis.
CXXXV. Iuter feſta, natales celebrant Perſae.
CXXXVI. Semel die cibum capiunt Perſae, ſermoneque lepido in epulando utuntur.
CXXXVII. Perſae ad frugalitatem redeunt. Parthi etiam in cibum parci.
CXXXVIII. Quomodo Perſis ad menſam miniſtretur?
CXXXIX. Perſarum proceres primarii varios miniſtros habent.
CXL. Perſae voluptuoſorum ciborum ſtudioſiſſimi.
CXLI. Apparatus luxurioſus & ingens in Perſarum conviviis.
CXLII. Perſarum proceres aureis & argenteis lectis diſcumbunt, vel lectis pedum aureorum & argenteorum.
CXLIII. Accurate Perſae lectos ſternunt; Graecos imperitos ejus rei putant.
CXLIV. Lecti aulaeis obducti.
CXLV. Aulaeis Perſarum aedes & tabernacula exornantur.
CXLVI. Aurum velis intexere Attalus invenit.
CXLVII. Romanis, Attali beneficio, aulaea innotuere.
CXLVIII. Solum, ubi ſedent Perſae, tapetibus ſternitur.
CXLIX. Perſae unguentis delibuti.
CL. Antequam cibum capiunt, ſe lavant Perſae.
CLI. Perſae inter ſervos habent Balneatores & Lecticarios.
CLII. Acerba Perſarum in ſervos poteſtas.
CLIII. Perſarum culinae allio opplentur. Servi menſae reliquiis cibantur.
CLIV. Perſae multas uxores ducunt, iiſque multas adjungunt pellices.
CLV. Matribus Sororibuſque junguntur Perſae.
CLVI. Magi id permittunt. Alexander morem tollit.
CLVII. Perſae cum filiabus ac ſororibus miſcentur.
CLVIII. Nuptiae Perſarum quando & quomodo contractae ſint?
CLIX. Perſae multas pellices habent, Gynaeconitide incluſas.
CLX. Parthi ſimiliter pellicibus abundant.
CLXI. Adulterium puniunt Perſae & Parthi. Perſae uxores pelliceſque cuſtodiunt diligenter.
CLXII. Perſae an παιδερασταί?
CLXIII. Perſae pulchros mares caſtrant.
CLXIV. Origo Spadonum. Spadones circa Regem Perſarum ſemper.
CLXV. Eunuchi, cuſtodes mulieribus dati. Phavorini Elogium. Eunuchi libidinoſi.
CLXVI. Parvulis rectores cuſtodeſque Eunuchi dantur.
CLXVII. Muſica delectati Perſae, laudes Deorum & Regum muſicis cantibus celebrant.
CLXVIII. Perſae itinera equis vel curru faciunt.
CLXIX. Cur Perſae in equis ſemper haereant? Luxus Perſarum.
CLXX. Perſicae mulieres Lecticis & Harmamaxis vehuntur.
CLXXI. Perſarum mollities & luxus in cubando.
CLXXII. Perſarum opulentia in ſupellectili praecipue poſita.
CLXXIII. Fictilibus utuntur, qui apud Perſas ignominia notantur.
CLXXIV. Hortorum cultores Perſae.
CLXXV. Umbracula contra aeſtum Perſae habent.

CLXXVI.

CLXXVI. Perſae vineas multas plantent.
CLXXVII. Opificia apud Perſas partim contempta, partim diligenter exculta.
CLXXVIII. Perſae, ſibi invicem occurrentes oſcula ferunt, vel alterum alter adorat.
CLXXIX. Perſae oſculantur abeuntes & revertentes cognatos. Vicinos pro quibus reputent?
CLXXX. Leproſorum conſuetudinem fugiunt Perſae.
CLXXXI. Aduncum naſum Perſae amant.
CLXXXII. Perſae liberales. Illiberales Thraces.
CLXXXIII. Veneni uſus frequens apud Perſas. Exemplum Statirae.
CLXXXIV. Perſae Tiara caput tegunt.
CLXXXV. Salutationis indicium, Tiaram capiti detrahere; item honorantis.
CLXXXVI. Perſae & Medi ſtola longa fluitanti utuntur.
CLXXXVII. Stola Medica, muliebris veſtis Romae habita.
CLXXXVIII. Interior Tunica Perſis Candys dicitur.
CLXXXIX. Candys deſcribitur porro. Tunica Principum & Vulgi diverſa. Sarapis, Capyris, & Calaſiris, veſtes: Item Actaea veſtis.
CXC. Veſtis verſicolor Perſis placet.
CXCI. Continuatur de toga picta ſermo; quae a Clemente reprehenditur.
CXCII. Caunaces, Perſica veſtis. Mulierum Perſicarum veſtitus.
CXCIII. Chirothecae Perſis in uſu.
CXCIV. Braccis Perſae uſi.
CXCV. Mulieres Perſicae Zonis cinctae.
CXCVI. Peculiares calcei Perſarum. Περσικαί.
CXCVII. Aſiatici omnes torques & armillas geſtant.
CXCVIII. Pueri auro ornati.
CXCIX. Inauribus Perſae, Lydi & Afri uſi.
CC. Perſae gemmis & margaritis delectantur.
CCI. Lapilli ſeu gemmae, quae in Perſide in pretio ſunt.
CCII. Perſae, cum aliis, comam alunt, adſcititiiſque utuntur comis.
CCIII. Perſae faciem fucant. Mulieres Perſicae a pulchritudine commendantur.
CCIV. Mulieres Perſarum in ſummo luctu veſtes crineſque lacerant:
CCV. Idem Viri faciunt. Lugentes etiam lugubri veſte induuntur.
CCVI. Luctus maximus ſuper Maſiſtio & Hephaeſtione.
CCVII. Lanae admovere manus, contumelioſum Perſarum mulieribus.
CCVIII. Judicium Perſarum.
CCIX. Rei apud Perſas in carcerem conjiciuntur. Interdum pretioſis vinciuntur vinculis.
CCX. Capitaliter puniendi apud Perſas, peculiari includuntur Carceri.
CCXI. Forma judicii capitalis apud Perſas.
CCXII. Poenae Perſarum ſequuntur, & quidem
(1) Decollatio.
CCXIII. Novacula caput abſcinditur apud Perſas.
CCXIV. Dextra plerumque cum capite abſciſſa.
CCXV. (2.) Crux ſive Patibulum
CCXVI. (3.) Rogus
CCXVII. (4.) Pellis detractio.
CCXVIII. (5). Vivorum defoſſio.
CCXIX. (6.) Lapidatio.
CCXX. (7.) Capitis inter duos lapides comminutio.
CCXXI. (8.) Vivorum ſectio.
CCXXII. (9.) Supplicium Scapharum.
CCXXIII. Poenae leviores & quidem
(1.) Exilium
(2.) Corporis mutilatio.
CCXXIV. (3.) Oculorum. effoſſio.
CCXXV. (4.) Ignominia.
(5.) Honoris Inſignium amiſſio.
CCXXVI. (6.) Publicatio & Confiſcatio bonorum.
CCXXVII. Tormenta in examinandis reis adhibita. Leges Perſarum durae. Clementia Artaxerxis.
CCXXVIII. Capitali ſupplicio affecti non ſemper ſepeliuntur.
CCXXIX (7.) ad Tripodem ſtare, Regiſque ſententiam exſpectare.
CCXXX. Iſdigerdes Magos decimat. Convicium foediſſimum Perſarum.

CCXXXI. Poena Parthica, nudo aſino imponi.
CCXXXII. Fidem Perſae Parthique ſancte ſervant.
CCXXXIII. Honorem Perſae ſenibus habent.
CCXXXIV. Floribus & odoribus vias, ubi Rex incedit, Perſae ſternunt.
CCXXXV. Idem in laetitia publica fit. E Perſia orta ſunt Perſicum malum & juglans.
CCXXXVI. Perſica mala non ſunt Perſeae, arboris, fructus. Medica mala Medis originem debent.
CCXXXVII. Origo herbae Medicae.
CCXXXVIII. Galli Gallinacei e Perſide oriundi.
CCXXXIX. Parthis chartae & papyri uſus incognitus. Membranis Perſae uſi.
CCXL. Menſurae Perſicae: Paraſangae & Schoenus.
CCXLI. Achane, Menſura Perſica; Artabe, Aegyptiaca, Boeotica, Choenix.
CCXLII. Annus Perſarum. Vernum Aequinoctium obſervant Perſae.
CCXLIII. Perſica Moneta, Daricus aureus eſt.
CCXLIV. Nummi Perſarum ſagittario ſignati.
CCXLV. Perſarum moneta ultimo argentea.
CCXLVI. Staterес, moneta Perſica
CCXLVII. Lingua Perſica difficilis.
CCXLVIII. Perſicorum vocabulorum congeries. Aetas Perſarum.
CCXLIX. Perſarum funera magnifica. Mortui ſepeliuntur apud Perſas.
CCL. Juſtini locus contrarius.
CCLI. Cera, hominum corpora oblinunt Perſae ante ſepulturam.
CCLII. Magi, Parthi, & poſt omnes Perſae mortuos laniandos abjiciunt avibus, canibuſque.

LIBER III.

De re militari.

I. Rem militarem aggrediens Auctor, Perſarum, circa bellum, ſtudium exponit.
II. Gladiis accincti ſunt etiam in pace Perſae & Parthi, non Romani.
III. Equis arcubuſque perpetuo uſi Perſae.
IV. Mature militum numero adſcribuntur Perſae.
V. Vacatione militiae apud Perſas nemo gaudet.
VI. Ejus triſtia exempla. Quomodo, qualeſque copiae congregentur ad bellum.
VII. Generalis Perſarum armatura, ſpeciatim Arma Perſarum ſunt:
(1.) Acinaces.
VIII. Acinaces ulterius, & pugiones deſcribuntur.
IX. Perſarum gladii breves. Vagina à Dario mutatur.
X. (2.) Copis.
XI. (3.) Sagaris, quibuſdam.
XII. (4.) Lorica.
XIII. (5.) Gerra, ſive ſcutum.
XIV. & XV. (6.) Paltum & Pelta.
XVI. (7.) Arcus & Pharetra.
XVII. Arcus Perſarum breves.
XVIII. Parthi equitandi ſagittandique ſtudioſi.
XIX. Inter fugiendum ſagittare norunt iidem.
XX. Perſae, poſteriore aetate, remiſſius tendunt arcus, contra quam Romani, tempore Procopii.
XXI. Perſae, caeſorum in praelio numerum quomodo inierint?
XXII. Perſarum & Parthorum in jaculando peritia deſcribitur.
XXIII. (8.) Fundae. Quibus etiam uſi Rhodii, Cretenſes, Balearici a funda.
XXIV. (9.) Galea.
XXV. Braccis & tunicis purpureis in praelio uſi Perſae.
XXVI. Perſae Parthique, equitandi peritia celebres.
XXVII. Studium equitandi apud Perſas in mollitiem vertitur.
XXVIII. Aureis frenis equi Perſarum ornantur; quae, ut plura alia, a Medis Perſae ſumſerunt.

XXIX.

XXIX. Media Niſaeos equos producit.
XXX. Niſaei equi procero ſunt corpore.
XXXI. Niſaei equi velociſſimi.
XXXII. Parthorum equi veloces.
XXXIII. Equites Perſarum cum equis loricati.
XXXIV. Tegmina varia equorum Perſicorum.
XXXV. Equi & Equites toti Cataphracti apud Perſas & Parthos: Hi Clibanarii dicuntur; Quorum armatura deſcribitur.
XXXVI. Nocte equos Perſae vinciunt.
XXXVII. Curru quoque praelia ineunt Perſae: Quem Regi regere non licet.
XXXVIII. Currus Perſarum ornati auro & argento.
XXXIX. Auctor & Deſcriptio Curruum Falcatorum.
XL. Currus Falcati hoſtibus & amicis nocent. Quis plurimos ejuſmodi currus habuerit?
XLI. Currus illi octijuges ſunt, & portas habent.
XLII. Curruum Falcatorum incommoda.
XLIII. Aſiaticos omnes, Medos, Lydos propinqui in bellum ſequuntur.
XLIV. Rex Perſarum ante expeditionem ſibi exercituique providet, Cambyſes contra ſibi ſoli providit.
XLV. Perſarum Rex ſecum ſemper Choaſpiam aquam vehit.
XLVI. Commeatum exercitus, cameli portant.
XLVII. Cura Regum Perſiae in ſuſtentando milite.
XLVIII. Perſarum, in caſtris movendis & metandis, bonus ordo.
XLIX. Ordo Exercitus Perſici procedentis.
L. Perſae & Barbari ut caſtra muniant?
LI. Tabernacula in Perſarum caſtris certo ordine collocata. Iis ſigna praepoſita. Quomodo comparata ea tabernacula;
LII. Luxus Tabernaculorum Darii, Xerxis, Alexandri:
LIII. Procerum itidem aliquorum; Teribaſi, Mardonii, Alcibiadis.
LIV. Ea Procerum tabernacula aulaeis conſtrata.
LV. Perſae in acie pretioſis veſtibus armiſque ornantur.
LVI. Torques & armillas aureas Perſae in bello geſtant.
LVII. Gladii, Vaginae, Cingula pretioſa.
LVIII. Perſarum, etiam in bello, luxus.
LIX. Perſicus exercitus e Perſis & mercenariis Graecis conflatus eſt.
LX. Bellicoſi milites Perſis Cardaces dicuntur, Carduchi deſcribuntur.
LXI. Militares apud Perſas Praefecti recenſentur.
LXII. Medici in exercitu Perſarum.
LXIII. Copiarum Ducibus dies locuſque ſiſtendi praeſtituitur.
LXIV. Perſarum Reges exercitum ſaepe luſtrare ſolent.
LXV. Aciei Perſicae deſcriptio.
LXVI. In Praeliis an belluis uſi Parthi? Perſarum Aſſyriorumque bellum indicendi mos.
LXVII. Terram & Aquam petere quid ſignificet? Graecorum quorundam impietas expiatur.
LXVIII. Athenienſium plebiſcitum contra interpretem quendam.
LXIX. Coi Hippocratem Artaxerxi dare nolunt.
LXX. Athenienſes Legatum, petentem Terram & Aquam non tolerant: Quaerunt amicitiam Perſarum.
LXXI. Varii Perſis Terram & aquam dant.
LXXII. Summa exercitus Xerxis.
LXXIII. Xerxis claſſis & inſolentia.
LXXIV. Luculli & Xerxis inſolentia depingitur.
LXXV. Cyri copiarum numerus.
LXXVI. Dariorum duorum exercitus, ultimique clades.
LXXVII. Exercitus Tiſſaphernis. An praelio interfuerit Rex Perſarum? Darii arma.
LXXVIII. Locus Regis Perſarum in acie.
LXXIX. Reges Perſarum, milites ſuos ad pugnam hortantur.
LXXX. Pugnae Signa & Praeludia apud Varios.
LXXXI. Signa Perſarum militaria.
LXXXII. Regale Signum Perſarum deſcribitur.
LXXXIII. Sauciorum ex praelio, cura Perſarum. Apud Perſas quinam beati? Fortibus dona a Perſis dantur.
LXXXIV. Deſertores puniunt Perſae. Quaedam militares poenae alienae.
LXXXV. Saevitia Regum Perſiae in captivos.

LXXXVI. Rex Perſarum praemia decernit adducenti hoſtem vivum. Cum rebellibus quando in gratiam redeat Rex Perſarum?
LXXXVII. Arma, victi a Perſis tradunt.
LXXXVIII. Perſae dolo in hoſtem & inſidiis non uſi.
LXXXIX. Perſae, Parthique noctu non pugnant.
XC. Excubitores habent Perſae.
XCI. Exploratores Perſae & Romani alunt.
XCII. Perſarum bellandi cupido in picturis ſpectata. Equos quomodo inſtruant ad bellum Perſae?
XCIII. Perſarum, urbes obſidendi mos. Ubi ſimul cuniculorum deſcriptio, & detectio a quodam facta.
XCIV. Machinae variae recenſentur, quibus uſi Perſae in obſidionibus. Oleo etiam uſi in obſidionibus Perſae.
XCV. Sagena, qua urbes circumvallant Perſae, deſcribitur.
XCVI. Perſae murices ſternunt.
XCVII. Pontes Perſarum etiam in rapidiſſimis fluviis.
XCVIII. Cyrus cum Gynde fluvio bellum gerit.
XCIX. Senecae in vertendo Herodoti loco incuria notatur.
C. Xerxes Athonem montem perfodit.
CI. Naves Perſarum varii generis.
CII. Reges Perſarum arces muniunt.
CIII. Perſae hyeme non bellant: Juniores in militiam legunt: Singulari praelio certant: Quomodo liberos adoptent? Foedera cum vicinis ineunt: Fidem ſervant: Captivos redimunt Perſae.
CIV. Perſae per quot annos militent?

B A R-

BARNABAE BRISSONII JC.

SENATUS PARISIENSIS PRAESIDIS,

DE

REGIO PERSARUM PRINCIPATU

LIBER PRIMUS.

I. Res a Perſis terra marique geſtas, literis mandare non inſtitui: ſed hoc argumentum aliis, quibus commodum videbitur, concedens, eos tantum ex veteri gentis illius memoria floſculos carpam, qui ad Regii nominis decus, Imperii majeſtatem, totumque Regni ſtatum, ac vetuſtate paene obrutos ritus, pertinent. Atque hoc quidem libro, quibus honoribus a ſuis coli Reges ſolerent; quae eſſent eorum Inſignia, qui Veſtitus, vitaeque cultus; quae Aulae ac palatii dignitates; quae regni adminiſtrandi ratio, exponam. Reliqua, quae ad populi mores, inſtituta, leges, rem militarem ſpectant, in alios libros conferam.

II. Perſarum gens, obſcura prius, initium commendationis & famae accepit a Cyro, qui ademptum Medis, Lydiſque, imperium primus in Perſidem intulit, & e minimo tenuiſſimoque, maximum & florentiſſimum, Aſia ſubacta, & univerſo Oriente in poteſtatem redacto, reliquit. Huic ſucceſſit filius Cambyſes, qui Imperio patris Aegyptum adjecit: a quo deinde, ad Darium uſque, qui ab Alexandro victus, & a cognatis occiſus, vitam pariter cum Perſarum regno amiſit. Perſicae res in ſuo ſtatu manſerunt. Terrarum enim, quas illinc ſinus Perſicus, hinc Helleſpontus claudit, domini, innumeris prope nationibus longe lateque Reges imperarunt. Nec tamen ultra ducentos annos regium hoc imperium ſtetiſſe, DIONYSIUS HALICARNASS. *libr.* I. *pag.* 2. ſcribit. Quamquam apud Q CURTIUM *libr.* IV. *cap.* 14. §. 20. Darius, cum militari more ſuos ad Arbela dimicaturos cohortaretur, Perſicum imperium *ſecundo curſu per* CCXXX. *annos ad ſummum faſtigium* a Diis evectum fuiſſe praedicat. Cui conſentiens D. HIERONYMUS ad *Danielis cap.* IX. *v.* 25. continua XIV. Regum ſerie, regnatum in Perſide per CCXXX. annos notat. At STRABO *libr.* XV. *in fine*, *pag.* 1069. (736.) permixtis Perſarum Macedonumque temporibus, Imperii illius annos paulo longius profert. CLEMENS vero ALEXANDRINUS *libr.* I. *Stromat. cap.* 21. *pag.* 395. accuratius ſubductis temporum rationibus, ſummam efficit annorum CCXXXV. In quo & variari inter alios quoque video. Nam D. AUGUSTINUS *libr.* XII. *de Civitate Dei*, *cap.* X. annos colligit CCXXXIII. SULPITIUS autem SEVERUS *libr.* II. *Sacrae Hiſtor. cap.* 17. annos ducentos & quinquaginta. Eſt & inter CONSTANTINUM MANASSEM, & GEORG. CEDRENUM, non parva diſſenſio: quorum hic, in ſuis *Annalibus*, non niſi CCXIV. annos Perſarum imperio adſcribit: ille, τὴν Περσῶν βασιλείαν ἐφ' ὅλοις διαρκέσασαν ἔτεσι τριακοσίοις, *Perſarum imperium in univerſum duraſſe annos trecentos*, ait (*a*). A quibus etiam diſcedens AGATHIAS *libr.* II. annos CCXVIII. Perſarum monarchiae tribuit (*b*). Ut ut ſe res habeat, toto illo ducentorum, & quod excurrit, annorum tractu, imperium hoc, quo de agimus, caput ſuper cetera ita extulit, ut quod illi amplitudine, magnificentiaque, jure conferri poſſit, habeamus nullum. Illius certe vires ex numero & apparatu copiarum, quas Darius & Xerxes in Europam effuderunt, aeſtimare licet. Unde ab ipſis, quamquam oppido infeſtis Graecis, Perſarum Regem ΜΕΓΑΝ ΒΑΣΙΛΕΑ, *REGEM MAGNUM*, vocitatum mirum non eſt (*c*). SUIDAS *voc.* Μέγα βασιλεύς. Μέγας βασιλεὺς ὁ τῶν Περσῶν, διὰ τὸ πλείστων ἄρχειν χώρας τῇ Περσικῇ. τοῖς δὲ ἄλλοις συνεπιθέτως καὶ τῷ ἀρχομένῳ τὸ ὄνομα, οἷον Ἀν-ταλκίδᾳ

(*a*) AIT] Auctor pronomina relativa *hic* & *ille* confundit: prior enim ſententia eſt *Conſtantini Manaſſis*; poſterior *Cedreni*. Ego ipſiſſima utriuſque Hiſtorici verba adponam. CONSTANTINUS MANASSES in *Annal.* ſive *Breviario hiſtor. pag.* 16. *ed. Venet.* & 19. *ed. Pariſ.* Εἰς ὅσα διαμείνασαν, ἀφ' οὗ πρώτου Κύρου δὶς ἑκατὸν, σὺν αὐτοῖς εἰς ἔτη τρὶς δέκα. *Quod* (Perſarum ſcilicet Imperium) *a primo Cyro ducentis ac praeterea tredecim annis duraverat.* GEORG. CEDRENUS in *Hiſtor. compendio*, *pag.* 117. *ed. Ven.* & 146. *ed. Pariſ.* Καὶ κατελύθη ἡ Περσῶν βασιλεία, ἐφ' ὅλοις διαρκέσασα ἔτεσι τριακοσίοις. *Itaque regnum Perſicum deletum eſt, quum quidem annos in univerſum trecentos duraſſet.* TR.

(*b*) TRIBUIT] Eſt forte vitium typographicum: nam in omnibus AGATHIAE editionibus, tam Latinis, (quas auctor tantum vidit) quam Graecis, (vid. *pag.* 46. *ed. Venet.* & 64. *ed. Pariſ.*) numerantur anni CCXXVIII. Unde miror, neque *Sylburgium*, neque *Lederlinum* hunc obſervaſſe errorem. TR.

(*c*) EST] Confer *Ezech. Spanhemii* Opus *de Uſu & Praeſt. Numiſm. Diſſ.* VII. *pag.* 446. TR.

κεδαιμονίων, Μακεδόνων. *REX MAGNUS. (Sic per excellentiam dicebatur) Rex Perſarum, quod maxima ejus eſſet potentia. Ceteris vero Regibus addebantur populorum ipſis ſubjectorum nomina, veluti, Lacedaemoniorum, Macedonum.* ARISTIDES in *Romae encomio, pag.* 202. *Tom. I.* Περσῶν ἀρχὴν σκεψώμεθα, ἥ ποτε ποτὲ ἐν τοῖς Ἕλλησιν ἐδιδόντο (*a*), καὶ Μέγας παρείχετο ἐπώνυμον κωλύσαξ τὸ ἔχοντα αὐτὴν βασιλέα. *Perſarum conſideremus imperium, quod celeberrimum olim apud Graecos erat, & a quo MAGNUS appellabatur, qui illud tenebat.* Et quidem, ut DIO CHRYSOSTOMUS Oratione III. *de Regno, pag.* 42. tradit, Μέγας βασιλεὺς ἐκαλεῖτο μόνος ἐκεῖνος. *MAGNUS REX vocabatur ſolus ille.* Atque hanc temporibus ſuis vulgi nec tritam appellationem, ISOCRATES Graecis probri loco, & quaſi captivitatis & ſervitutis argumentum, objicit: Sic enim in *Panegyrico, pag.* 154. [p. 128.] Οὐ βασιλέα τὸν Μέγαν αὐτὸν προσαγορεύομεν, ὥσπερ αἰχμάλωτοι γεγονότες; *Nonne enim Regem Magnum appellamus, quaſi bello capti?* Indeque joci occaſionem Ageſilaus arripuiſſe dicitur. Nam, ut PLUTARCHUS in *Apophthegmat. pag.* 190. ſcribit, εἰθισμένων τὸν Περσῶν βασιλέα Μέγαν προσαγορεύειν, τί δὲ ἐκεῖνος, εἶπεν, ἐμοῦ μείζων, εἰ μὴ δικαιότερος, καὶ σωφρονέστερος; *Cum ſolerent Perſarum Regem appellare MAGNUM: quid is, ait, me major eſt, niſi ſit juſtior & temperantior?* Eademque ratione PLATO *libr.* III. *de Legibus, pag.* 816. omnes fere Perſarum Reges nomine tenus duntaxat Magnos fuiſſe, ita ſcribit: καὶ σχεδὸν (*b*) βασιλεὺς ἐν Πέρσαις οὐδείς πω μέγας γέγονεν ἀληθῶς, πλήν γε ὀνόματι. *Nullus fere inter Perſas Rex unquam revera Magnus fuit, niſi excepto ſolum nomine.* Perſarum quoque legatos ad Philippum Macedonum Regem miſſos, cum Alexander, licet admodum puer, de rebus minime puerilibus, ſed quae ejus aetatis captum excedere videbantur, percontatus eſſet, ſtupefactos dixiſſe, ὁ παῖς οὗτος βασιλεὺς Μέγας, ὁ δὲ ἡμέτερος πλούσιος, *Puer hic Rex Magnus eſt, at noſter dives,* PLUTARCHUS *libr.* II. *de Fortun. Alexandr. pag.* 342. memoriae prodidit. Ipſe etiam Alexander, ut ARRIANUS *libr.* VII. *cap.* I. *pag.* 274. refert, incredibili gloriae cupiditate flagrans, jamque de novo orbe quaerendo cogitans, Medorum & Perſarum Reges, cum exiguam Aſiae partem regio dominatu tenerent, immerito Magnos Reges appellatos dicebat.

III. Nec hoc titulo contenti Perſarum Reges, ſeſe REGES REGUM vocitabant: Et ita in Inſcriptione monumenti Cyrum appellatum, STRABO *libr.* XV. *pag.* 1032. (730.) teſtatur Extant Artaxerxis ad Paetum literae, HIPPOCRATIS *miſcellaneis Epiſtolis* inſertae (*c*), cum hac Inſcriptione: Ἀρταξέρξης, Βασιλεὺς Βασιλέων, Παίτῳ χαίρειν. *Artaxerxes, Rex Regum, Paeto ſalutem.* Sic & *libr.* I. ESDRAE, *c.* VII. Ἀρθασασθὰ, βασιλεὺς βασιλέων, Ἔσδρᾳ ἱερεῖ, καὶ Ἀναγνώστῃ τοῦ θείου νόμου, χαίρειν (*d*). *Arthaſaſtha Rex Regum, Eſdrae Sacerdoti, & Divinae Legis Anagnoſtae, ſalutem.* Quin etiam poſtquam in Parthorum nomen poteſtatemque Perſae tranſierunt, eundem quoque ſibi nominis honorem Reges vindicarunt. PLUTARCHUS in *Pomp. pag.* 639. Ὅθεν οὐδὲ ἠξίωσε τὸν Πάρθον ἀντιγράφων, ὥσπερ οἱ λοιποὶ, ΒΑΣΙΛΕΑ ΒΑΣΙΛΕΩΝ προσαγορεῦσαι. *Unde nec Parthum, cum reſcriberet, ut reliqui, REGEM REGUM appellare dignatus eſt.* Proinde apud SUETONIUM in *Caligula c.* V. REGIS REGUM nomine Rex Parthorum exaudiendus eſt. Ejuſque cognominis praetermiſſionem Parthorum Reges non aequo animo tuliſſe, argumento eſt, quod DIO CASSIUS *libr.* LV. *pag.* 555. de Phraate narrat, qui ſola Phraatis nomine ab Auguſto per literas appellatus, reſcribens, Regis Regum titulum nomini ſuo adſcripſit; Auguſtum, quo par pari referret, nulla alia, quam Caeſaris appellatione dignatus. Similiterque Tigranem, qui eundem ſibi nominis honorem adrogabat, vehementer offenſum fuiſſe, PLUTARCHUS in *Lucullo pag.* 505. memorat, quod eum Lucullus Regem Regum non appellaſſet. Saporis etiam Perſarum Regis (*e*), ad Conſtantium literas cum hujuſmodi inſcriptione: REX REGUM SAPOR, *particeps ſyderum, frater Solis & Lunae,* AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XVII. *cap.* 5. refert. Sed & apud PROCOPIUM *libr.* I. *de bello Perſ. cap.* 17. *pag.* 256. (49.) Alamandarus Cabadem, Perſarum Regem, alloquens, βασιλεῦ βασιλέων, *REGEM REGUM*, appellat. Pari faſtu Antonius, Orientis imperium inter liberos ex ſe & Cleopatra ſuſceptos partitus, eos voce ſua Regum Reges renuntiavit, ut PLUTARCHUS in ejus *vita pag.* 941. ſcriptum reliquit. Nec tamen a Perſarum Regibus ortum haec appellatio ducit. Nabuchodonoſorem namque, Babylonium Regem, DANIEL. *cap.* II. *v.* 37. ita affatur: Σὺ, βασιλεῦ, βασιλεὺς βασιλέων, *Tu, o Rex, REX REGUM.*

IV. Perſarum autem regnum parentum (*f*) morte liberis lege obveniebat, nec aliis, quam qui regiae ſtirpis eſſent, deferebatur, quemadmodum CONSTANTINUS MANASSES in *Annalib. pag.* 16. (18.) ſcribit. Quod STRABO *libr.* XV. *pag.* 1066. (733.) ſignificat, cum ait: βασιλεύονται δ' ὑπὸ τῶν ἀπὸ γένους, *Reges habent ex eadem ſtirpe.* Idemque, translato ad Parthos imperio, ſervatum, teſtatur JOSEPHUS *libr.* XVIII. *Antiquit. Jud. cap.* III. (*al.* II.) Συμφρονήσαντες δὲ, inquiens, οἱ γνωριμώτατοι Πάρθων, ὡς ἀβασιλεύτοις μὲν ἀμήχανον πολιτεύεσθαι· οἱ δὲ βασιλεύοντες ἐκ τοῦ γένους τοῦ Ἀρσακιδῶν, οὐ γὰρ ἑτέροις ἄρχειν νόμιμον. *Tum vero nobiliſſimi Parthorum animadvertentes rempublicam ſuam ſine Rege gubernari non poſſe: Reges vero ex Arſacidarum genere eſſe debebant, nec enim aliis per leges imperare licebat.* Et ideo Tiberii temporibus, quia neminem gentis Arſacidarum ſummae rei imponere poterant, interfectis ab Artabano pleriſque, aut nondum adultis, Regis Phraatis filium Roma popoſciſſe eos, ut genus Arſacis ripam apud Euphratis cerneretur,

TA-

(*a*) Ἐδιδόντο] In *noviſſ. ed.* legitur ἐδιδόντο; & paulo poſt pro παρείχετο legitur παρείχετο. TR.

(*b*) Σχεδὸν] In edd. additur: ἔκ γε τούτου, *ex illo tempore*, a temporibus ſcilicet Xerxis. TR.

(*c*) INSERTAE] Eſt *Epiſt.* I. tam in ed. *Epiſtoll.* HIPPOCRATIS *Ribb. Lubini*, 1609. 8. quam in ed. *Epiſtoll. Graec. Aurel. Allobr.* 1606. *fol. pag.* 317. Utrobique ita legitur: Βασιλεὺς Βασιλέων Μέγας Ἀρταξέρξης. TR.

(*d*) Χαίρειν] Auctor duo loca confundit. Nam *Eſrae lib.* I. *cap.* 7. *v.* 12. ita legitur: Ἀρθασασθὰ, βασιλεὺς βασιλέων, Ἔσδρᾳ, γραμματεῖ νόμου κυρίου τοῦ Θεοῦ τοῦ οὐρανοῦ, τετελέσθω λόγος καὶ ἡ ἀπόκρισις. *Eſrae* vero *lib.* III. *cap.* 8. *v.* 9. ita legitur: Βασιλεὺς Ἀρταξέρξης, Ἔσδρᾳ, τῷ ἱερεῖ καὶ ἀναγνώστῃ τοῦ νόμου κυρίου, χαίρειν. TR.

(*e*) REGIS] Omnes editiones habet *Sapori & Regi*, ſine ſenſu. TR.

(*f*) PARENTUM] Prima editio, quam ſequitur *Sylburgius*, habet *parentium*, antique; quod *Lederlinus* in uſitatius *parentum* mutavit. TR.

Tacitus *libr.* vi. *Annalium cap.* 31. narrat. Reddito poſtea Perſis imperio, idem mos retentus, Procopius *libr.* 1. *de bello Perſico, cap.* 5. *pag.* 232. (14.) Πέρσαις δὲ οὐ θέμις ἄνδρα ἐς τὴν βασιλείαν καθίστασθαι ἰδιώτην γένος, ὅτι μὴ ἐξιτήλου παντάπασι γένους τοῦ βασιλείου ὄντος. *Perſis non fas eſt privatum* (*a*) *aliquem conſtituere Regem, niſi extincta omnino regia ſtirpe.* Et alias, eodem libro, *cap.* 6. *pag.* 235. (19) Οὔτε νόμος αὐτὸν εἴασεν (*b*), ὃς δὴ οὐκ ἐᾷ Πέρσαις ἐς τοὺς ἀλλοτρίους τὰς ἀρχὰς φέρεσθαι, ἀλλ' οἷς ἡ τιμὴ ἐκ τοῦ γένους προσήκει. *Neque eum lex admittebat, quae alios ad imperium evehi non permittebat, niſi eos, quibus ille honor ob genus competebat.* Quibus conſentanea Constantinus quoque Manasses ſcribit (*c*).

V. Plane poſt Ochi & Arſis ejus filii caedem, cum nemo ex Ochi liberis, ad quem regnum lege rediret, ſupereſſet, ἔρημος, ut Diodorus Sicul. *libr.* xvii. *cap.* 5. *pag.* 163. *ſeq.* (*St.* 564. *Rh.* 490.) loquitur, ὄντος τοῦ βασιλικοῦ οἴκου, καὶ μηδενὸς ὄντος τοῦ κατὰ γένος διαδεξομένου τὴν ἀρχὴν, *cum extincta Regis familia, nemo eſſet, qui ex eo genere ortus ſuſciperet imperium*, Darius regnum Bagoae Eunuchi beneficio adeptus eſt. Unde & Alexander ei per epiſtolam apud Arrianum *libr.* ii. *c.* xiv. *pag.* 85. exprobrat, quod occiſo Arſe, Bagoae ope, imperium occupaſſet, οὐ δικαίως, οὐδὲ κατὰ τὸν Περσῶν νόμον, *non juſte, neque ex lege Perſarum.* Eundem Alexandrum Curtius *lib.* VI. *cap.* 3. §. 12. milites ita alloquentem facit: *Ne Darius quidem hereditarium Perſarum accepit imperium, ſed in ſedem Cyri, beneficio Bagoae, caſtrati hominis, admiſſus.* Similiterque Strabo *libr.* xv. *pag.* 1069. (736.) ejus Spadonis opera, Darium, οὐκ ὄντα τοῦ γένους τοῦ βασιλικοῦ, *non ortum e ſtirpe regia*, Regem factum ſcribit.

VI. Filiorum vero natu maximum regnum aetatis privilegio ſibi vindicaſſe, quod jus & ordo naſcendi, & natura ipſa gentibus dabat, Justinus *libr.* ii. *cap.* 10. §. 2. docet. Plato quoque in *Alcibiade*, I. *pag.* 441. [*p.* 32. E.] Ἐπειδὰν δὲ γένηται ὁ παῖς ὁ πρεσβύτατος, οὗπερ ἡ ἀρχή, *quum vero naſcitur primogenitus, qui ſuccedit in regno.* Idem in *Lyſide*, *pag.* 501. [*p.* 108. F.] Τί (*d*) ἆρ' ὁ μέγας βασιλεύς; πότερον τὸν πρεσβύτατον υἱὸν, οὗ ἡ τῆς Ἀσίας ἀρχὴ γίγνεται. *Quid Rex Magnus? utrum ejus Filium, natu majorem, cujus Aſiae regnum futurum eſt &c.* Eodemque jure Perſas poſterioribus temporibus, lege ita jubente, uſos, Zosimus & Procopius teſtantur. Sic enim ille *libr.* ii. *Hiſtor. c.* 27. §. 5. Τὸν μὲν ἀδελφὸν τὸν αὐτοῦ νεώτερον ὄντα, βασιλέα χειροτονοῦσι· καὶ ταῦτα, τοῦ νόμου τῷ πρεσβυτέρῳ τῶν βασιλέως παίδων διδόντος τὴν ἡγεμονίαν. *Fratrem ejus natu minorem regno praeficiunt, quantumvis lex majori natu inter regios liberos rerum ſummam tribueret.* Procopii vero *libr.* 1. *cap.* xi. *pag.* 242 (29. *ſeq.*) de bello Perſico verba ſunt haec: Τῶν γὰρ οἱ παίδων τὸν πρεσβύτατον Καώσην, ὃ μὲν ἡλικίας ἕνεκα, ἐς τὴν βασιλείαν ὁ νόμος ἐκάλει, ἀλλὰ Καβάδην ἀδαμῇ ἤρεσκεν, ἐβιάζετο δὲ τήν τε φύσιν καὶ τὰ νόμιμα ἡ τοῦ πατρὸς γνώμη. *Lex enim maximum natu inter filios ejus Cuoſen ob aetatis praerogativam ad regnum vocabat: ſed ab eo voluntas Cavadis abhorrebat, & naturae ac patriae leges & jura perfringebat.* Mota tamen de Regno controverſia inter Ariamenem (*e*), ſeu ut alii vocant Artabazanem, & Xerxem, Darii filios, arbiter ex compromiſſo ſumptus Artabanus, communis utriuſque patruus, litem ſecundum Xerxem minorem natu dedit: non alia ratione, quam quod hic ex patre jam Rege; ille ex privato adhuc ſuſceptus eſſet: quemadmodum Herodotus *libr.* vii. *cap.* 2. *ſeq.* Justinus *libr.* ii. *cap.* 10. & Plutarchus περὶ Φιλαδελφίας, *de amore fraterno*, *pag.* 488. literis prodiderunt. Sed & poſt Cabadis, Perſarum Regis, mortem orta inter ejus filios de regno contentione, Cabaden (*f*) Coſroi fratri, quem aetate anteibat, poſtpoſitum, propterea, quod is luſcus eſſet, accepimus. Perſis enim altero oculo captum, aut qui naſo, auribuſve mutilatis, vel aliqua membrorum pravitate, deformitateve eſſet, Regem conſtituere non licebat. Idque lege vetitum fuiſſe, Procopius *libr.* 1. *c.* xi. *pag.* 242. (30.) de bello Perſico tradit. De Cabadis enim Regis Perſarum liberis loquens, Ζάμην δὲ, ait, ἐς τὰ μάλιστα ἐφεῖρεν τοῦ ὀφθαλμοῦ τὸν ἕτερον ἐκκεκομμένον, ἐκώλυεν ὁ νόμος. ἑτερόφθαλμον γὰρ ἢ ἄλλῃ τινὶ λώβῃ ἐχόμενον, οὐ θέμις Πέρσαις βασιλέα καθίστασθαι. *Zamen vero, qui altero loco natus erat, quod altero oculo orbatus eſſet, lex a principatu arcebat. Nam hoc, aliove quopiam vitio notatum, nefas eſt Perſis Regem creare.* Et alias, *cap.* 23. *pag.* 267. (66.) Καὶ ἦν γὰρ αὐτοῖς πολύ τι παῖδος (*g*) τῆς Ζάμου ἀρχῆς, ὃν δὴ ὁ νόμος, αἰτίᾳ τῇ τοῦ ὀφθαλμοῦ λώβης, ὥσπερ μοι ἐρρήθη, ἐκώλυε. *Id unice optabant, ut Zames regno potiretur, a quo tamen, ob oculi vitium, quemadmodum ſupra commemoravi, lex ipſum excludebat.* Ad extremum tamen eo rem rediiſſe, ut Perſarum regnum, non tam lege, quam ſuffragiis procerum deferretur, idem Procopius non ſemel oſtendit: ita tamen, ut non alii, quam qui ſtirpis Regiae eſſent, ad regni culmen evveherentur. Aperte certe apud eum *libr.* 1. *de Bello Perſ. cap.* 21. *pag.* 265. (63.) Mobodes pronuntiat; οὐδενὶ χρῆναι αὐτόματον ἐς τὴν βασιλείαν ἰέναι, ἀλλὰ ψήφῳ Περσῶν λογίμων. *Nemini fas eſſe ſponte ſua regnum uſurpandi, ſed procerum Perſarum ſuffragiis ad id vocari oportere.*

VII. Apud Perſas utique filios naturales, & ex pellicibus ſuſceptos, a regni ſucceſſione ſummotos & repulſos, quamdiu juſti & legitimi liberi ſupereſſent, Herodotus *libr.* iii. *cap.* 2. tradit.

(*a*) Privatum] Intellige *gente ſive domo privata ortum*, ut in noviſſima verſione exprimitur. TR.

(*b*) Εἴασεν] In *noviſſ. edd.* legitur: ἐπεὶ νόμος αὐτὸν εἴα, & paulo poſt Πέρσαις pro Πέρσαις; in fine vero προσήκει, pro προσήκει. Verſio ita ſonat: *Animum ſubeunte memoria legis Perſicae, de non transferendo e domo quapiam Magiſtratu ullo, ad alienos; ſed ad quod jure gentilitio pertinuerit.* Ex quo apparet, locum hunc proprie non ad regnum, ſed ad magiſtratus pertinere. TR.

(*c*) Scribit] De recentioribus Perſis nihil apud Conſtantinum Manaſſem legi: loco vero ſupra laudato de veteri tantum Perſarum imperio loquitur. TR.

(*d*) Τί] Ita jam ex melioribus *edd.* emendavit *Lederlinus*, cum in prioribus *edd.* legeretur Εἰ. In ſequentibus addidi articulum ὁ ex editis. TR.

(*e*) Ariamenem] Ita vocat Plutarchus, quem Justinus *Artemenem*; Harodotus vero *Artabazanem* appellat. Hic praeterea hanc controverſiam vivente adhuc Dario motam, & ab ipſo patre deciſam fuiſſe tradit: illi vero hanc litem poſt patris mortem ab Artabano dijudicatam fuiſſe referunt: in eo tantum levis inter illos eſt diſſenſus, quod Plutarchus Artabanum a populo judicem conſtitutum; Justinus vero eum ab ipſis fratribus arbitrum ſumtum fuiſſe ſcribat. TR.

(*f*) Cabadan] Immo *Zamen* legendum eſt, ut ex locis adductis patet. TR.

(*g*) Παῖδος] In *edd. noviſſ.* legitur πολύς τις πόθος, quod mea ſententia melius eſt, licet & altera lectio conſiſtere poſſit. TR.

tradit. PAUSANIAS tamen in *Eliacis poſter.* ſive *lib.* VI. *cap.* 5. *pag.* 464. Darium nothum, Iſogaeo, Artaxerxis juſto filio, in regno capeſſendo populi conſenſu antepoſitum memorat.

VIII. Ceterum more recepto apud Perſas, Rex non niſi morte mutabatur. Contra quem morem, Artaxerxes Darium filium per indulgentiam vivus Regem conſtituit, nihil ſibi, ut JUSTINUS *libr.* X. *cap.* 1. ſcribit, ablatum exiſtimans, quod in filium contuliſſet, ſinceriuſque gaudium ex procreatione ſe capturum, ſi inſignia majeſtatis ſuae vivus in filio conſpexiſſet. Cui Dario etiam a Patre indultum fuiſſe κίταριν ὀρθὴν φορεῖν, *citarin erectam geſtare*, PLUTARCHUS in *Artaxerxe pag.* 1024. auctor eſt. Quin & ipſummet Artaxerxem, Cyri minoris fratrem, vivo adhuc patre, Regem appellatum fuiſſe, idem PLUTARCHUS cum in ejus *vita*, *pag.* 1012. tum *libr.* II. *de Fortun. Alexandr. pag.* 341. literis prodidit.

IX. At cum in longinquam expeditionem Rex proficiſcebatur, regni ſucceſſorem deſignare ſolitum, idque lege lata invaluiſſe, HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 2. ita ſcribit: δεῖ μιν ἀποδέξαντα (a) βασιλέα, κατὰ τὸν Περσέων νόμον, οὕτω στρατεύεσθαι. *oportebat ipſum, regni ſucceſſore deſignato, demum ire in expeditionem.* Ejuſdem quoque gentis legibus cautum, δωρεὰν αἰτεῖν τὸν ἀναδειχθέντα, καὶ διδόναι τὸν ἀναδείξαντα, πᾶν τὸ αἰτηθὲν, ἄνπερ ᾖ δυνατόν, *ut donum qui regni ſucceſſor deſignaretur peteret, & is qui deſignaſſet, quicquid a ſe peteretur, modo poſſibile fuiſſet, daret*, PLUTARCHUS in *Artaxerxe pag.* 1024. notat: eamque legem ἀψευδῶς ἐν Πέρσαις νόμον, *infallibilem apud Perſas legem*, ibidem *pag.* 1025. vocat.

X. Reges autem Perſarum Paſargadis, a gentis ſuae ſacerdotibus, inaugurari & initiari ſolebant, eo ritu, quem PLUTARCHUS in *Artaxerxe pag.* 1012. declarat. Moris enim fuiſſe tradit, ut Paſargadis, (τοῦτ' ἐστὶ, ut STRABO *libr.* XV. *pag.* 1061. (730.) ait, τὸ βασίλειον ἀρχαῖον, *quae antiqua Regum ſedes erat*) in bellicae cujuſdam Deae, quae Palladi conferri & adſimilari poterat, phano, Reges veſte ſua poſita, eam, qua Cyrus, eum privatus adhue eſſet, uti conſueverat, induerent: dein offam, ſeu maſſam, ficuum comederent: Terebinthi etiam aliquid erodendo abſumerent: ad extremum oxygalae, ſeu acidi lactis, poculum haurirent. Nec vero, ut CICERO *libr.* I. *de Divinat. cap.* 41. tradit, quiſquam Rex Perſarum eſſe poterat, qui non ante Magorum diſciplinam ſcientiamque percepiſſet. Id quod confirmat PHILO JUDAEUS in *libr. poſter. de ſpecialib. legib. pag.* 792. his verbis: Ἀλλ' (b) οὐδένα φασὶν ἐπὶ βασιλείαν παραληφθῆναι δηλώσαντα παρ' αὐτοῖς, (de Perſia loquitur) εἰ μὴ πρότερον τοῦ Μάγων γένους κεκοινωνηκὼς τυγχάνει. *Ceterum neminem ad regiam dignitatem apud Ipſos (Perſas) perveniſſe dicunt, niſi prius cum Magis familiariter converſatus fuiſſet.*

XI. Eorum autem, qui ad regium culmen evehebantur, capiti Cidarim, Diademaque imponi conſueviſſe, ex eo colligo, quod CTESIAS in *Perſicis*, *cap.* 46. [*ap. Phot. p.* 62.] Ochi inviti & reluctantis caput a proceribus regni Perſici, Diademate vinctum fuiſſe, refert, inquiens; Καὶ ἐπέθεντο αὐτῷ τὴν κίταριν οὐκ ἐθέλοντι, *ipſi invito citarim imponebant.* Idipſum & PLUTARCHUS in *Apophthegm. pag.* 173. oſtendit, his verbis: Ἀποδειχθέντος δὲ τοῦ Ξέρξου βασιλέως, ὁ μὲν Ἀριαμένης εὐθὺς προσεκύνησε, καὶ τὸ διάδημα περιέθηκεν, *Xerxem regem renunciatum, Ariamenes illico adoravit, Diademaque eidem impoſuit.* Omnamus (c) etiam apud JOSEPHUM *libr.* XX. *Antiquit. Jud. cap. cap.* III. Artabanum in Parthorum regnum reſtituens, περιέθηκεν αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ τὸ διάδημα ἀφελὼν τῆς ἑαυτοῦ, *detractum ſibi Diadema ejus capiti impoſuit.* Ad Surenam vero gentilitio jure pertinuiſſe, Regum capiti Diadema imponere, PLUTARCHUS in *Craſſo pag.* 556. docet. De Surena namque loquens, γένος, ait, καὶ μὲν ἐκ ἀρχῆς ἐκέκτητο, βασιλεῖ γινομένῳ Πάρθων, ἐπιτιθέναι τὸ διάδημα πρῶτος. *Jam inde a majoribus ſuis hunc habebat honorem, ut creato Regi Parthorum primus ipſe Diadema imponeret.* Atque ita Surenam patrio more Tiridatem Inſigni Regio vinxiſſe, TACITUS *lib.* VI. *Annal. cap.* 42. narrat. Ibidemque delectum capiendo Diademati diem concelebraſſe: eaque *ſollemnia regni* dicit. Surenam autem Magiſtratum fuiſſe apud Perſas ZOSIMUS *libr.* III. *cap.* 15. §. 9. ſcribit, & quidem, ut AMMIANUS MARCELL. *libr.* XXX. *cap.* 2. tradit, *poteſtatis ſecundae poſt Regem.* Plane Parthorum Regem Artabanum duplici Diademate caput vinxiſſe HERODIANUS *libr.* VI. *cap.* 6. narrat.

XII. Novos autem Reges in Regia Sella locari conſueviſſe, indicio eſt, quod de Ariamene PLUTARCHUS in *libr.* περὶ φιλαδελφίας ſive *de fraterno amore*, *pag.* 488. narrat. Nam cum Artabanus regnum Perſarum Xerxi ſententia ſua adjudicaſſet, Ariamenes confeſtim exiliens, fratrem adoravit, καὶ λαμβανόμενος (d), ut Plutarchus loquitur, τῆς δεξιᾶς, εἰς τὸν θρόνον ἐκάθισε τὸν βασίλειον. *Et prehenſa ejus manu dextra, in thronum regium eundem collocavit.* Artaxerxes quoque, ut *Eſtherae cap.* 1. *v.* 2. legimus, ἐνεθρονίσθη ἐν Σούσοις, *in regium thronum, qui Suſis erat, collocatus eſt.*

XIII. Porro in more poſitum fuiſſe, ut ad Imperium accedentes Reges (e) nomina mutarent, CTESIAS *cap.* 47. *ſeq.* & 56. notat: & ita poſt mortem Ochi Regis Codomanum in memoriam priſtinae virtutis Regem a populo conſtitutum, Darii nomine, ne quid Regiae majeſtati deeſſet, honoratum, JUSTINUS *libr.* X. *cap.* 3. §. 5. ſcribit.

XIV. Jam vero Deorum honoribus Perſarum Reges a ſuis coli (f) ſolitos, teſtis eſt apud CURTIUM *libr.* VIII. *cap.* 5. §. 11. Cleo Siculus, qui non ingenii ſolum, ſed etiam ratio-

(a) Ἀποδέξαντα] μὴ ἀποδέξαντα legitur in editione Gronovii. TR.
(b) Ἀλλ'] In editis legitur οὐ. TR.
(c) OMNAMUS] In *edd.* quas ego vidi, vocatur *Cinnamus* TR.
(d) Λαμβανόμενος] In *ed. Francof.* legitur λαβόμενος. TR.
(e) REGES] Quod illos inprimis feciſſe obſervavi, qui fortuna favente ad regnum pervenerunt, quum non eſſent in ſpem regni geniti & educati, adeoque nec nomen gererent, quod regi conveniret. Illud quoque de primordiis regum adhuc notandum, novum Perſarum regem omnia vetera tributorum reliqua remittere conſueviſſe, ut diſertis verbis teſtatur HERODOTUS *lib.* VI. *cap.* 59. TR.
(f) COLI] Immo & Dii vocabantur, ſi credendum AESCHYLO, ejuſque *Scholiaſt.* in *Perſa*, *v.* 157. Adde TZETZEM *Chil.* VII. *v.* 136. TR.

tionis vitio adulator, cum Macedonibus auctor eſſet, ut Alexandrum tanquam praeſentem Deum venerarentur, hac aſſentatiuncula Regis ſui gratiam aucupatur: *Perſas quidem, non pie ſolum, ſed etiam prudenter, Reges ſuos inter Deos colere.* MAJESTATEM ENIM IMPERII, SALUTIS ESSE TUTELAM. Artabanum etiam, Darii Praetorem, PLUTARCHUS in *Themiſtocle pag.* 125. ita loquentem inducit: Ἡμῖν δὲ πολλῶν νόμων καὶ καλῶν ὄντων, κάλλιστος οὗτός ἐστι, τὸ τιμᾶν βασιλέα, καὶ προσκυνεῖν ὡς εἰκόνα θεοῦ τοῦ τὰ πάντα σώζοντος. *Cum multae nobis & praeclarae leges ſint, pulcherrima tamen illa eſt, quae honorare Regem, atque tanquam Dei omnia conſervantis imaginem adorare praecipit.* Cui hac in parte conſentiens MENANDER, principem eſſe εἰκόνα ἔμψυχον θεοῦ, *animatam Dei imaginem*, dicebat. PLINIUS quoque in *Panegyrico*, *cap.* 80. §. 5. *Principem dat Deus, qui erga omne hominum genus vice ſua fungatur.* Quod cum illi Euangelicae lucis expertes pronuntiabant, quis tum divino eos numine & ſpiritu afflatos neget? Nec enim alia Chriſtianorum de Principibus ſententia eſt. Teſtis TERTULLIANUS *libr. ad Scapulam*, *cap.* 2. *Colimus*, ait, *Imperatorem, ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, ut hominem a Deo ſecundum, & quicquid eſt, a Deo conſecutum, & ſolo Deo minorem.* Hac autem de cauſa XENOPHON in *Oratione de Ageſilao*, *pag.* 656. Perſas notat, tanquam ἀξιοῦντας καὶ ταῖς τῶν θεῶν τιμαῖς κοσμεῖσθαι, *eos, qui velint divinis honoribus affici.*

XV. Ac plane eos, qui ad Perſarum Regea adibant, non modo capita flectere, & ſummittere, ſed & procumbentes humi, corpora proſternere conſueviſſe, ex compluribus Q. CURTII locis licet intelligere. Sic enim *libr.* VIII. *cap.* 5. §. 6. *Itaque more Perſarum, Macedonas* VENERABUNDOS *ipſum* SALUTARE, PROSTERNENTES HUMI CORPORA. Rurſuſque eodem *libro* & *cap.* §. 12. *Quod ſi*, ait Cleo, *ceteri dubitent, ſemetipſum, cum Rex iniſſet convivium,* PROSTRATURUM HUMI CORPUS. Idem *libr.* V. *cap.* 10. §. 13. de conjuratis, inita adverſus Darium conſilia, obſequii ſoliti ſimulatione, tegentibus, PROCUMBENTES, ait, HUMI, *quem paulo poſt in vinculis habituri erant*, *ſuſtinuere* VENERARI. Et hoc eſt, quod idem CURTIUS *libr.* III. *cap.* 12. §. 17. matrem & uxorem Darii Hephaeſtionem, pro Alexandro, SUO MORE VENERATAS eſſe ſcribit. Idipſum ſentiens VALERIUS MAXIMUS *libr.* IV. *cap.* VII. *ext.* 2. de Darii matre haec ait; *Hephaeſtionemque more Perſarum*, ADULATA, *tanquam Alexandrum* SALUTAVIT. Ipſe etiam Alexander apud CURTIUM *libr.* V. *cap.* 2. *in fine*, Siſigambin alloquens, PROCUMBENS, ait, *ſaepe me* VENERARI *voluiſti*, *inhibui*. VALERIUS MAXIMUS *libr.* VII. *cap.* III. *ext.* 2. de ſex Perſis, qui Magorum dominatione oppreſſa, regnum Dario, equi hinnitu victi, addixerunt, *auditoque eo, ſex reliqui ſummae poteſtatis candidati, continuo equis delapſi (ut eſt mos Perſarum)* HUMI PROSTRATIS CORPORIBUS, *Darium Regem* SALUTAVERUNT. JOSEPHUS *libr.* XX. *Antiquit. cap.* III. de Rege Parthorum Artabano, qui Tzaatae (*a*) occurrit; Πρῶτον μὲν, κατὰ τὸ πάτριον, προσεκύνησεν αὐτόν. *Primum quidem ex patrio more adorabat eum.* Denique Perſicam προσκυνίζειν, *humi jacentium adulationes*, LIVIUS *libr.* IX. *cap.* 18. *Perſicam vero ſervitutem* SENECA *libr.* II. *de Beneficiis*, *cap.* XII. & *libr.* III. *de Ira*, *cap.* XVII. vocat. Eumque ad ſua uſque tempora in Perſide manſiſſe ritum, SOCRATES *libr.* VII. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* VIII. oſtendit (*b*).

XVI. Pronos autem Perſas, manibus poſt torgum reductis, Reges ſuos venerari conſueviſſe, LUCIANUS in *Navigio*, ſeu *Votis*, *cap.* 30. *pag.* 267. *Tom.* III. ſignificare videtur his verbis: Ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον, ὦ βασιλεῦ, χάριν οἶδά σοι, καὶ προσκυνήσας, ἐς τὸ Περσικὸν, προσκυνῶ σε, περιαγαγὼν εἰς τοὐπίσω τὼ χεῖρε, τιμῶν τὴν τιάραν. *At pro iſto honore, o Rex, gratiam tibi habeo, & procumbens, Perſico more, adoro te, circumactis poſt tergum manibus, venerando tiaram.*

Quamquam fuerit ne hoc προσκυνήσεως, *adorationis*, an ἱκεσίας σχῆμα, *ſupplicationis geſtus*, non immerito dubitatur. Supplices quidem certe apud Aſſyrios manus poſt tergum connectere conſueviſſe AMMIANUS MARCELL. *libr.* XVIII. *cap.* 8. docet. Is enim de Antonino, qui ad Saporem Perſarum regem transfugerat, verba faciens, *ab Urſicino*, ait, *agnitus*, ... *ſublata Tiara, quam capiti ſummo ferebat honoris Inſigne, deſiluit equo, curvatiſque membris, humum vultu paene contingens, ſalutavit, Patronum & dominum appellans, manus poſt tergum convertens* (*c*), *quod apud Aſſyrios ſupplicis indicat formam.* Alium vero in Perſica veneratione manuum geſtum HELIODOR. *libr.* IX. *Hiſtoriae Aethiop. p.* 453. prodit. Quo loci Oroondates Hydaſpem Perſico ritu manibus paſſis, & dextra in laevam converſa veneratus dicitur. Ea namque & vis ac poteſtas horum verborum; τω χεῖρε προτείνας, καὶ τὴν δεξιὰν ἐπὶ θατέραν ὑποδιπλάξας, κύψας προσεκυνήσεν. *Manibus protenſis & dextra in laevam converſa incurvato corpore adorabat.* Ut ut ſe res habeat, ita procubuiſſe eos, ut & mento Regiae ſolum paene contingerent, argumento eſt; quod Alexandrum Perſis ſuo more venerantibus, Polyperchon Macedo unum ex his mento ſolum contingentem per ludibrium coepit hortari, ut vehementius id quateret ad terram, quemadmodum Q. CURTIUS *libr.* VIII. *cap.* 5. §. 22. refert. Unde MARTIALIS *Epigr.* LXXII. *libr.* X. illas divinorum honorum blanditias, quas Domitiano rerum potiente, in uſum aſſentatio invexerat, eo exſtincto, libertateque populo reſtituta, orbe Romano ſummovens, ad Parthos, quibus regiae ſolum oſculari moris erat, ita ableg at:

> *Fruſtra, blanditiae, venitis ad me*
> *Attritis miſerabiles labellis.*
> *Dicturus Dominum Deumque* non *ſum.*
> *Jam non eſt locus hac* in *urbe vobis:*
> *Ad Parthos procul ite pileatos,*
> *Et turpes humileſque ſupplicesque,*
> *Pictorum ſola baſiate regum.*

Et hac ratione Perſarum reges *Adoratos*, veteres aliquot auctores ſcribunt. JUSTINUS *libr.* VI. *cap.* 2. §. 12. *ſeq.* *Conon diu Rege per Epiſtolas fruſtra fatigato, ad poſtremum ipſe ad eum pergit: a cujus aſpectu & colloquio prohibitus eſt, quod eum more Perſarum Adorare nollet.* LAMPRIDIUS

(*a*) TZAATAE] *Izates* vocatur in *edd.* quas ego vidi; immo & ab auctore ipſo infra §. 47. TR.

(*b*) OSTENDIT] Ego *l. c.* nihil de hoc ritu reperi. Auctor forſan negligentius, dum haec ſcriberet, inſpexit verba, quae infra *Lib.* II. §. 16, recte adduxit. TR.

(*c*) CONVERTENS] In optimis Ammiani editionibus ita legitur: *Patronum appellans & dominum, manus poſt terga connecteris.* Paullo ante vitioſum *diſſiluit*, quod omnes hujus libri *edd.* occupavit, correxi. TR.

DIUS in *Alexandro Severo*, cap. 18. *Adorari ſe vetuit, cum jam coepiſſet Heliogabalus Adorari, Regum more Perſarum.* TREBELLIUS POLLIO in *Zenobia*, ſive 36. *Tyrann.* cap. 30. *Adorata eſt more Perſarum.* SULPICIUS SEVERUS libr. II. *Sacrae Hiſtor.* cap. 13. *Erat ea tempeſtate Regi* (de Artaxerxe loquitur) *Haman quidam perfamiliaris, quem aequatum ſibi, Adorari, more Regum, praeceperat.* Nam quod Graeci προσκυνεῖν, illi *Adorare*: Alii, in quibus ſunt CURTIUS *ll. cc.* & AEMILIUS PROBUS in *Conone*, cap. 3. §. 3. *Venerari*, dicunt. HERODOTUS etiam libr. I. προσπίπτων, προσκυνέει, ait (*a*).

XVII. Procubuiſſe utique Adorantes, & in terram procidiſſe, non modo LUCRETIUS libr. V. v. 1199. & OVIDIUS libr. I. *Metamorph.* v. 375. docent, ſed & DIVUS MATTHAEUS, apud quem cap. II. v. II. de Magis Chriſtum adorantibus ſcribitur; καὶ πεσόντες προσεκύνησαν αὐτῷ. *Et procumbentes ipſum adorabant.* Apud eundem cap. IV. v. 9. fallax ille humani generis hoſtis, Chriſtum tentans, ταῦτα πάντα σοι δώσω, ait, ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι. *Haec omnia tibi dabo, ſi procumbens me adoraveris.* Quin & *Geneſeos* cap. XIX. v. 1. Καὶ προσεκύνησε τῷ προσώπῳ ἐπὶ τὴν γῆν. *Et vultu in terram demiſſo adorabat.* Et cap. XLIII. v. 26. Καὶ προσεκύνησαν αὐτῷ ἐπὶ πρόσωπον ἐπὶ τὴν γῆν. *Et adorabant eum vultu in terram demiſſo.* Alias etiam, ut cap. XVIII. v. 2. & XXIV. v. 52. *Geneſ.* legere eſt; προσεκύνησεν ἐπὶ τὴν γῆν. *Adorare ad terram.* Et *Numer.* cap. XXII. v. 31. Καὶ κύψας προσεκύνησε τῷ προσώπῳ αὐτοῦ. *Et incurvatus adorabat vultu ſuo.* Et *Exodi* cap. XII. (*b*) καὶ πεσὼν χαμαὶ προσεκύνησε τῷ κυρίῳ. *Et humi procumbens adorabat Dominum.* *Danielis* etiam cap. III. non ſemel legimus πίπτοντες, vel πεσόντες προσεκύνουν. Denique *Pſal.* XCIV. v. 6. conjunguntur haec, προσκυνήσωμεν, & προσπέσωμεν, *adorabimus, & procidemus.*

Tigranem porro, more gentis ſuae, Pompeſum ita veneratum, PLUTARCHUS in *Pompejo*, pag. 637. & DIO libr. XXXVI. pag. 26. narrant. Illius verba ſunt haec: καὶ τέλος, ὡς πρὸς αὐτὸν ἦλθε τὸν Πομπήιον, ἀφελόμενος τὴν κίταριν, ὥρμησε πρὸ τῶν ποδῶν θεῖναι, καὶ καταβαλὼν ἑαυτὸν, αἴσχιστα δὴ πάντων προσπεσεῖν αὐτῷ τῶν γονάτων. *Tandem cum ad ipſum veniſſet Pompejum, detractam capiti cidarim ante ejus deponere pedes, &, quod omnium erat turpiſſimum, procumbendo ſe ad ejus genua provolvere intenderat.* Hic vero, Tigranem, diademate poſito, Pompejo miſericordiam commoviſſe refert, ἐς τὴν γῆν πεσόντα, καὶ προσκυνοῦντα. *In terram procumbentem & adorantem.* Similique modo Arzina Regem David adoraſſe dicitur. Sic enim libr. II. *Regum*, cap. ult. v. 20. ſcriptum eſt; καὶ προσεκύνησε τῷ βασιλεῖ ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ ἐπὶ τὴν γῆν. *Adorabatque Regem, capite ſuo in terram deflexo.* Sed & Carthaginenſium legatos ritu gentis coram Scipione procubuiſſe, LIVIUS libr. XXX. cap. 16. refert. Quod idem POLYBIUS *Hiſtor.* libr. XV. cap. 1. narrans, πεσόντες, ait, ἐπὶ τὴν γῆν, αἰσχρῶς τοὺς πόδας κατεφίλουν, ἐν τῷ συνεδρίῳ, *ut in terram procumbentes, abjecto, atque humili animo eorum, qui in concilio ſedebant, pedes fuerint oſculati.* Idem in *Eclog.* περὶ πρεσβειῶν, *de legationibus*, cap. XCVIII. de Pruſia rege, καὶ καθεὶς, ait, τὰς χεῖρας ἀμφοτέρας προσεκύνησε τὸν οὐδὸν, id eſt, ut LIVIUS libro XLV. *in fine* vertit, *ſummiſit ſe, & oſculo limen Curiae contigit.*

XVIII. A. Ceterum non cominus modo, ſed & eminus ita Perſarum Reges colebantur: nec, qui eos adibant, exſpectabant, dum propius accederent: verum ex quo in Regum conſpectu erant, proni, demiſſo & cernuo capite, eos ſalutabant. Quod LUCIANUS indicat in *Nigrino* cap. 21. pag. 59. [p. 35.] cum ait: οἱ δὲ καὶ προσκυνεῖσθαι ἀξιοῦντες, οὐ πόρρωθεν, οὐδ' ὡς Πέρσαις νόμος. *Quidam vero faſtuoſiores adorari etiam ſe patiuntur, non ex longinquo, neque Perſico more.* Atque hujuſmodi venerationis originem a Cyro, imperii illius conditore, recte arceſſit ARRIANUS libr. IV. *de reb. geſt. Alexandr.* cap. XI. pag. 167. Λέγεται δὲ πρῶτον προσκυνηθῆναι ἀνθρώπων Κῦρον, καὶ ἐπὶ τῷδε ἐμμεῖναι Πέρσαις τε καὶ Μήδοις, τήνδε τὴν ταπείνωσιν. *Primus omnium mortalium Cyrus ab hominibus adoratione cultus fuiſſe, atque ab hoc Perſis & Medis haec ſummiſſio permanſiſſe dicitur.* Nam Cyro cultum hunc exhibitum, XENOPHON libr. VIII. Παιδ. Κυρ. pag. 215. narrat. (*c*)

XVIII. B. Nec a ſubditis tantum, & his, qui ditioni ſuae parebant, ita ſe coli Reges Perſarum inſtituerant: verum etiam peregrinis quibuslibet, atque adeo exterarum nationum, liberorumve populorum Legatis, qui in Regum congreſſum colloquiumque venire vellent, eadem venerationis neceſſitas impoſita erat: nec cum ipſo rege coram agere eis licebat, niſi eum prius ſolito & patrio Perſarum more veneratí eſſent. Proinde peregrinos undecunque advenientes, & ad Regem perduci poſtulantes, Chiliarchus, Tribunuſve, qui Admiſſionalis officio fungebatur, percontari ſolebat, num in animo haberent Regem venerari, &, ne ſibi non praedictum dicerent, denuntiabat, aliter negotia ſua quam per internuntium, confici tranſigique non poſſe, quod Regis aures non aliis, quam qui eum venerati prius eſſent, paterent. Ac ſi quidem ſe ad id obſequii paratos eſſe dicerent, ad Regem admittebantur: ſin recuſarent, conſpectu colloquioque Regis prohibiti, ſua aliis mandata edere, & ad Regem perferenda dare cogebantur: atque ita ab eo, cui partes haſce Rex mandabat, reſponſum ferebant. Unde Artabanum Tribunum haec ad Themiſtoclem verba facientem PLUTARCHUS in *Themiſt.* pag. 125. inducit: Εἰ μὲν οὖν ἐπαινῶν τὰ ἡμέτερα, προσκυνήσεις, ἔστι σοι καὶ θεάσασθαι βασιλέα, καὶ προσειπεῖν· εἰ δ' ἄλλο τι φρονεῖς, ἀγγέλοις ἑτέροις χρήσῃ πρὸς αὐτόν. βασιλεῖ γὰρ οὐ πάτριον ἀνδρὸς ἀκροᾶσθαι μὴ προσκυνήσαντος. *Quare ſi leges noſtras probas & adorare vis, Regis tibi videndi, atque cum eo colloquendi facultas dabitur. Sin aliter ſentis, internunciis ad eum tibi utendum erit. Regi enim leges patriae quenquam audire, niſi adoraverit, non permittunt.* Iſmeniam etiam Thebanum Tithrauſtes Chiliarchus de hoc ritu ita apud AELIANUM lib. I. *Var. Hiſt.* cap. XXI. praemonet: Νόμος ἐστὶν ἐπιχώριος Πέρσαις, τὸν εἰς ὀφθαλμοὺς ἰόντα τῷ βασιλεῖ, μὴ πρότερον λόγου μεταλαγχάνειν, πρὶν ἢ προσκυνῆσαι αὐτόν. Εἰ τοίνυν αὐτὸς δι' αὐτοῦ συμμίξαι θέλεις αὐτῷ, ὥρα σοι τὰ ἐκ τοῦ νόμου δρᾶν. εἰ δὲ μὴ, τὸ αὐτὸ σοι τοῦτο καὶ δι' ἡμῶν ἀνυσθήσεται, καὶ μὴ προσκυνοῦντι. *Lex eſt Perſis recepta, ut is, qui in conſpectum regis venit, non ante ad ſermonem cum eo ferendum*

(*a*) AIT] Auctor forſan in mente habuit locum cap. 134. quem infra lib. II. §. 178. integrum exhibet. TR.

(*b*) CAP. XII.] In *Exodo* locum hunc fruſtra quaeſivi. Leguntur vero verba haec *Job.* cap. I. v. 20. TR.

(*c*) NARRAT] Fuiſſe tamen hunc adorationis ritum jam antea apud Medos in uſu, & ex HERODOTO lib. I. cap. 119. patet, & infra §. 21: *in fine* ab auctore quoque ipſo ex STRABONE probatur. TR.

Digitized by Google

dum admittatur, quam eum adoraverit. Quod ſi igitur vis ipſe per Te eum adire, curandum tibi, ut quod lex jubet, peragas. Sin minus, idem illud tibi per nos praeſtabitur, etiam non adoranti.

XIX. Itaque Conon Athenienſis, cujus forti & fideli opera Pharnabazus, Lydiae Joniaeque Satrapes, uſus erat, cum ad Regem Artaxerxem, ut conſilia de ſumma republica iniret, miſſus eſſet, ejus congreſſu colloquioque fuit prohibitus, quod eum, more Perſarum, adorare noluiſſet, quemadmodum JUSTINUS *libr.* VI. *cap.* 2. ſcribit. Quod AEMILIUS PROBUS in *Conone cap.* 3. paullo copioſius ita expreſſit: *Poſtquam venit, primum ex more Perſarum ad Chiliarchum, qui ſecundum imperii gradum tenebat, Tithrauſtem acceſſit, ſeque oſtendit cum Rege colloqui velle. Nemo enim ſine hoc admittitur. Huic ille nulla, inquit, mora eſt: ſed tu delibera, utrum colloqui malis, an per litteras edere* (a), *quae cogitas. Neceſſe eſt enim, ſi in conſpectum veneris,* VENERARI *te Regem: (quod* προσκυνεῖν *illi vocant) hoc ſi tibi grave eſt, per me nihilo ſecius, editis mandatis, conficies, quod ſtudes. Tum Conon, Mihi* (b) *vero, inquit, non eſt grave quemvis honorem habere Regi: ſed vereor ne civitati meae ſit opprobrio, ſi, cum ex ea civitate* (c) *ſim profectus, quae ceteris gentibus imperare conſueverit, potius Barbarorum, quam illius, more fungar. Ita, quae volebat, huic ſcripta tradidit.* Graecis enim, in libera Republica ortis ac procreatis, turpis & indecora hujuſmodi veneratio ſemper viſa eſt. Unde ARISTOTELES *libr.* I. *Rhetoric. ad Theodect. cap.* V. §. XXVII. honorum genera recenſens, inter τὰ βαρβαρικά, ponit, προσκυνήσεις καὶ ἐκστάσεις, *adorare, & aſſurgere, vel loco cedere.*

XX. Eoque nomine ISOCRATES in *Panegyrico, pag.* 170. [*p.* 140.] Perſas tanquam fracti & abjecti animi viros, qui Diis debitos honores mortali Regi tribuerent, ſic inſectatur: Ἐξεταζόμενοι δὲ πρὸς αὐταῖς ταῖς βασιλείοις, καὶ προκυλινδούμενοι, καὶ πάντα τρόπον μικρὸν φρονεῖν μελετῶντες, θνητὸν μὲν ἄνδρα προσκυνοῦντες, καὶ δαίμονα προσαγορεύοντες, τῶν δὲ θεῶν μᾶλλον, ἢ τῶν ἀνθρώπων καταφρονοῦντες. *Ut qui ad ipſam regiam praeſtolentur, & procumbant, & omnibus modis abjecto animo eſſe meditentur, cum quidem hominem mortalem adorent, & Deum appellent; Deos autem magis, quam homines, contemnant.* Quamobrem Sperthies & Bulis, Spartiatae, Xerxi a civibus ſuis, ob violatos, contra jus gentium, Darii caduceatores dediti, Xerxem, ſtatim atque Suſis in ejus conſpectum prodierunt, a ſtipatoribus Regiis, adorare juſſi, conſtanter abnuerunt: ac tametſi detrectantium capita deorſum in terram vi impellerentur, flecti nihilominus animis non potuere, ut Regem venerarentur: quod dicerent, a moribus & inſtitutis patriae alienum eſſe, mortalem quemquam adorare, nec ſe ejus rei gratia illuc veniſſe. Id quod HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 136. memorat his verbis: Ὡς ἀνέβησαν ἐς Σοῦσα, καὶ βασιλέϊ ἐς ὄψιν ἦλθον, πρῶτα μὲν, τῶν δορυφόρων κελευόντων, καὶ ἀνάγκην σφι προσφερόντων προσκυνέειν βασιλῆα προσπίπτοντας, οὐκ ἔφασαν, ὠθεόμενοι ὑπ' αὐτῶν ἐπὶ κεφαλὴν, ποιήσειν ταῦτα οὐδαμά. οὔτε γὰρ σφίσι ἐν νόμῳ εἶναι, ἄνθρωπον προσκυνέειν, οὔτε κατὰ ταῦτα ἥκειν. *Ut vero aſcenderunt Suſa, & in conſpectum regis venerunt, principio jubentibus ſatellitibus, ac vim afferentibus, ut procumbentes regem adorarent, negaverunt ſe, vel ſi in caput protruderentur, haec ullo modo facturas, neque enim ſibi eſſe conſuetudinem hominem adorandi, neque ſe ad id veniſſe.* Leonnatum quoque, cum Perſico ritu adorari Alexandrum a Perſa quodam conſpexiſſet, ἐγγελάσαντα τῷ σχήματι τοῦ Πέρσου, ὡς ταπεινῷ, *geſtum illius Perſae, ut nimis abjectum, irriſiſſe,* ARRIANUS *libr.* IV. *c.* XII. *pag.* 168. memorat. Quin etiam Athenienſes Timagoram, inter officium ſalutationis Darium Regem, more gentis illius, adulatum, capitali ſupplicio adfecerunt: unius civis humilibus blanditiis, totius urbis ſuae decus Perſicae dominationi ſummiſſum graviter ferentes, ut VALERIUS MAXIMUS *libr.* VI. *cap.* III. *ext.* 2. memorat. Quod & PLUTARCHUS* in *Artaxerxe pag.* 1022. & in *Pelopida pag.* 294. perſtrinxit: & ATHENAEUS *libr.* VI. apud quem tamen, in Timagorae locum, Evagoras perperam irrepſit. Timagoram autem, hujus venerationis obſequio, in maxima apud Regem gratia fuiſſe, idem ATHENAEUS *libr.* II. *cap.* 9. *pag.* 48. ſcribit. Nec minus, quam Graeci, hanc Judaei venerationem averſati ſunt. Mardochaeus enim, διὰ τὴν σοφίαν, καὶ τὸν οἴκοθεν αὐτῷ νόμον, *ob ſapientiam & patriam legem,* Amanem adorare, licet Regis Artaxerxis juſſu, eo honore a reliquis Perſis coleretur, praefracte recuſavit, nec, ut JOSEPHUS *libr.* XI. *Antiq. cap.* VI. ſcribit, ἣν θεῷ τιμὴν παρεῖχε, ταύτην ἐκείνῳ παρέχειν ἠξίου. *Quem Deo tribuebat honorem, eundem ipſi habere ſuſtinuit.* Quae res ſtomachum Amani ita movit, ut inde excidium toti Judaeorum genti minatus, molituſque ſit: quam ille, ira incenſus, ad internecionem deleviſſet, ni Dei Opt. Max. bonitas ejus nefarios conatus compreſſiſſet. Similiter Theagenem non ſuſtinuiſſe, τὴν κεφαλὴν κλίνειν εἰς τὸ προσκυνεῖν, *capite flexo adorare,* HELIODORUS *libr.* VII. *Hiſtor. Aethiopicar. p.* 351. narrat.

XXI. At Themiſtocles, civium ſuorum invidia, patria pulſus, ut Xerxis colloquio frueretur, hoc eum obſequii genere ſibi demereri non recuſavit, quemadmodum PLUTARCHUS in ejus *vita pag.* 125. auctor eſt. Timagoram quoque Cretenſem, ſeu Enthymum Gortynium, Artaxerxem, patrio Perſarum more, veneratum eſſe, ATHENAEUS *libr.* II. *cap.* 4. *pag.* 48. refert.

Contra Pelopidas, poſt Leuctricam victoriam, a civibus ſuis Legatus ad Artaxerxem miſſus, adduci nunquam potuit, ut huic jugo collum ſubderet. Iſmenias vero, qui eandem cum eo Legationem obibat, rationem inveniſſe fertur, qua poſſet, aliud agens, aliud ſimulans, fucum Perſarum oculis facere, ſpecieque tenus, ſalva libertate, Regem adorare. Utriuſque propoſitum PLUTARCHUS in *Artaxerxe pag.* 1022. attigit: hujus vero dolum bonum fuſius AELIANUS *libr.* I. *Var. Hiſtor. cap.* XXI. exponit. Nam cum Regis adeundi & alloquendi facultas non aliter daretur, quam ſi eum veneraretur, tacitus apud ſe viam iniit, qua demiſſo hoc & humili ſalutationis munere ficte & ſimulate defungens, eos ludificaretur. Statim enim atque in Regis conſpectum venit, annulum ſenſim digito detractum, clam & nemine animadvertente, ad pedes abjecit, quem mox jacentem ſuſtulit: eoque corporis geſtu, quaſi venerabundus

(a) EDERE] In aliis *Codd.* legitur *agere.* TR.
(b) MIHI] In aliis *Edd.* legitur *enim.* TR.
(c) CIVITATE] Hoc verbum abundat, & a plurimis *edd.* abeſt. TR.

dus procubuiſſet, viſus eſt patrio Perſarum mori inſtitutoque paruiſſe: cum revera nihil ſe indignum, aut praeter civium morem, admiſiſſet. A Medis autem tranſiiſſe τὴν περὶ τοὺς βασιλέας θεραπείαν, καὶ κόσμον, καὶ σεβασμὸν θεοπρεπῆ παρὰ τῶν ἀρχομένων, *regum cultum, & ornatum, & honores quaſi divinos a ſubditis habitos*, STRABO *Lib.* XI. *pag.* 797. (525.) ſcribit.

XXII. Enimvero poſt Darium victum Alexander, (quemadmodum Q. CURTIUS *lib.* VI. *cap.* 6. & JUSTINUS *libr.* XII. *cap.* 7. narrant) patrios mores, diſciplinamque Macedonum Regum ſalubriter temperatam, & civilem habitum, velut leviora magnitudine ſua ducens, Perſicae Regiae, par deorum potentiae, faſtigium, aemulari coepit: Macedonaſque, tot gentium victores, paulatim ſervilibus miniſteriis imbuere, & captivis pares facere expetiit. Quae luxu & peregrinis infecta moribus cum veteres Philippi milites palam averſati eſſent, incepto deſiſtere coactus eſt. Interjecto deinde aliquo tempore, praeparatis omnibus ad bellum Indicum neceſſariis, quomodo coeleſtes honores uſurparet, iterum mente agitavit. Itaque, ut idem CURTIUS *libr.* VIII. *cap.* 5. & JUSTINUS *libr.* XII. *cap.* 7. memorant, non *ſalutari* ſe; ſed *adorari* juſſit, & Perſico Regiae ſuperbiae more, Macedonas jacere venerabundos, humique corpora proſternere, voluit. *Nec defuit*, ait Curtius, *talia concupiſcenti, pernicioſa adulatio, perpetuum Regum malum, quorum opes aſſentatio ſaepius quam hoſtis evertit. Non tamen Macedonum haec fuit culpa (nemo enim illorum quidquam ex patrio more mutare (a) ſuſtinuit) ſed Graecorum, qui profeſſionem honeſtarum artium malis corruperant moribus.* Qua de cauſa Hermolaus Macedo, unus ex conjuratis, qui Alexandri occidendi conſilium inierant, haec ei apud eundem CURTIUM *lib.* VIII. *cap.* 7. §. 11. *ſeqq.* in os exprobrat: *Perſarum te veſtis, & diſciplina delectat: patrios mores exoſus es. Perſarum ergo, non Macedonum Regem occidere voluimus, & te transfugam belli jure perſequimur. Tu Macedonas voluiſti genua tibi ponere, venerarique te ut Deum. Tu Philippum patrem averſaris, & ſi quis Deorum ante Jovem haberetur, faſtidires etiam Jovem. Miraris, ſi liberi homines ſuperbiam tuam ferre non poſſumus?*

XXIII. Prae ceteris vero Calliſthenes philoſophus, ab Alexandro, quo cum Ariſtoteli operam dederat, ad prodenda memoriae acta ejus accitus, προσκύνησιν ἰσχυρῶς ἀπωσάμενος, καὶ φιλοσόφως [illegible], *adorationem ſummo conatu amolitus, & ut philoſophum decebat, averſatus*, laudatur a PLUTARCHO in *Alexandro*, *pag.* 695. Qua de re verba ab eo graviter libereque facta ARRIANUS *libr.* IV. *de reb. geſt.* *Alexandri cap.* 10. *ſeqq. pag.* 164. *ſeqq.* & CURTIUS *libr.* VIII. *cap.* 5. commemorant. Quae velut cygnea tanti viri cantio fuit. Nam dum Alexandrum Perſica Macedonum ſalutatione gaudentem objurgaret, & ad majorum mores invitum revocare perſeveraret, in ejus odium incurrit: ac tandem, veluti conjurationis adverſus eum factae particeps, miſere tortus trucidatuſque interiit: ut, praeter ſuperiores auctores, VALERIUS MAXIMUS *libr.* VII. *cap.* 11. *ext.* 8. & DIOGENES LAERTIUS in *Ariſtot. lib* V. *ſegm.* 5. ſcribunt. Retentus tamen eſt Macedonibus mos ſalutandi Regis, exploſa adoratione; Calliſtheniſque caedem ſera poenitentia conſecuta, quemadmodum JUSTINUS *libr.* XV. ait (b).

XXIV. Verum, ut ad inſtitutum de honoribus, qui Perſarum Regibus habebantur, ſermonem, a quo Alexandri cauſa digreſſi ſumus, revertamur, Apollonii aetate, Babylonem ingredientibus, auream Regis imaginem propoſitam fuiſſe, quam niſi adorarent, aditu & ingreſſu urbis prohibebantur, PHILOSTRATUS *libr.* I. *de vita Apoll. cap.* 27. ſcribit his verbis: Ἀφικομένῳ δὲ αὐτῷ εἰς Βαβυλῶνα, ὁ σατράπης, ὁ ἐπὶ τῶν μεγάλων πυλῶν, μαθὼν ὅτι ὑπὲρ ἱστορίας ἥκοι, χρυσῆν εἰκόνα τοῦ βασιλέως, ἣν εἰ μὴ προσκυνήσειέ τις, οὐ θεμιτὸν ἦν ἐσφοιτᾶν εἴσω. πρεσβεύοντι μὲν οὖν παρὰ τοῦ Ῥωμαίων ἄρχοντος οὐδεμία ἀνάγκη τούτου, παρὰ βαρβάρων δὲ ἥκοντι, ἢ ἀφιστοροῦντι (c) τὴν χώραν, εἰ μὴ τὴν εἰκόνα προθεραπεύσειεν, ἄτιμον διειλῆφθαι. *Cum vero Babylonem veniſſet, Satrapa ad magnas portas excubans, eum eum viſendi gratia acceſſiſſe didiciſſet, auream Regis imaginem porrigebat; quam niſi quis adoraſſet, urbem illi intrare fas non erat. Legatus tamen principis Romanorum id praeſtare minime cogebatur: ſed a barbaro ſi veniſſet, aut viſendi ſtudio regionem peragraret, non exhibito prius imagini cultu deſpectus dimittebatur.*

XXV. Enimvero qui Reges ſalutabant, ſempiternam illis vitam, & aeternum imperium precari ſolebant. Ita Neaemeas Artaxerxem alloquens *libr.* I. *Neaemiae cap.* II. *v.* 3. ὁ βασιλεύς, ait, εἰς τὸν αἰῶνα ζήτω. *Rex in aeternum vivat.* Sinaetas etiam apud AELIANUM *libr.* I. *Var. Hiſtor. cap.* XXXI. Artaxerxem Mnemonem compellans, inquit: ὦ βασιλεῦ Ἀρτάξερξες, δι' αἰῶνος βασιλεύοις. *O Rex Artaxerxes, Regnes in aeternum.* Satrapae quoque in Darii conſpectum venientes, ita eum *cap.* VI. *Danielis v.* 6. ſalutant: Δαρεῖε βασιλεῦ εἰς τοὺς αἰῶνας ζῆθι. *Darie Rex in aeternum vivas.* Similiterque Chaldaei, ad Nabuchodonoſorem perducti, his eum vocibus affantur *Danielis cap.* II. *v.* 4. βασιλεῦ εἰς τοὺς αἰῶνας ζῆθι. *Rex in aeternum vivas.*

XXVI. Sciendum eſt etiam eos, qui in Regum oculos incurrebant, manicis manus inſeruiſſe. Cujus obſervationis auctorem habeo XENOPHONTEM, qui *libr.* II. Ἑλλην. *pag.* 454. Cyrum minorem, Regios honores appetentem, non alia de cauſa Autoboeſacem & Mitraeum interfeciſſe narrat, quam quod, ei obvii facti, manus intra manicam non contraxiſſent: quae reverentia ſolis Regibus exhibebatur, ut ibidem ſubdit in haec verba: ὅτι αὐτῷ ἀπαντῶντες, οὐ διέωσαν (d) διὰ τῆς κόρης τὰς χεῖρας, ὃ ποιοῦσι βασιλεῖ μόνῳ. ἡ δὲ κόρη ἐστὶ μακρότερον ἢ χειρίς, ἐν ᾗ τὴν χεῖρα ἔχων, οὐδὲν ἂν δύναιτο ποιῆσαι. *Quod, cum ipſi occurriſſent, manus intra coren non continuiſſent, id quod ſoli regi Perſae deferunt. Eſt autem core quiddam manu longius, intra quam ſi manum quis contineat, nihil omnino facere poteſt.* Hunc ritum idem XENOPHON paulo obſcurius perſtringit *libr.* VIII. παιδ. Κυρ. *pag.* 214. his verbis:

(a) MUTARE] *Labare* legitur in *edd.* quas vidi. Sed auctor in h. l. magis ad ſenſum, quam ad verba reſpexiſſe videtur. TR.

(b) AIT] Periodi hujus verba priora leguntur apud JUSTINUM *lib.* XII. *cap.* 7. §. 3. poſteriora vero apud CURTIUM *lib.* VIII. *cap.* 8. *in fine.* TR.

(c) Ἀφιστοροῦντι] In *ed. noviſſ.* ita locus ex *MSS. Codd.* emendatus eſt: ἀνάγκη τούτου. Παρὰ βαρβάρων δὲ ἥκοντι, ἢ ἀφιστοροῦντι &c. TR.

(d) Διέωσαν] Melius διέζωσαν uti & Leonclavius vertit, *quod manus per coren cinctas non involviſſent.* S.

bis: Καὶ οἱ ἱππεῖς δὲ πάντες παρῆσαν καταβεβηκότες ἀπὸ τῶν ἵππων, καὶ διειρκότες τὰς χεῖρας διὰ τῶν κανδύων, ὥσπερ καὶ νῦν ἔτι διείρουσιν ὅταν ὁρᾷ βασιλεύς. *Aderant praeterea equites omnes, qui de equis deſcenderant, inſertis candyſi, ſeu amiculis manibus, quemadmodum etiamnum inſerere ſolent, quos rex adſpicit.* A quorum verborum mente & ſententia longe aberravit Latinus, alioquin fidus interpres: hoc enim ſenſit Xenophon, amiculis manus inſeruiſſe eos, in quos Rex oculos conjiciebat. Non abs re ergo eſt, quod inter alia Cyri proceſſus ſollemnia, eum manibus extra manicas exertis in publicum prodiiſſe, idem Graecus auctor *eodem libro pag.* 215. ita narrat: τὰς δὲ χεῖρας ἔξω τῶν χειρίδων εἶχε. *Manus extra manicas habebat.* Cujuſmodi χειρῖδας, ſuperiore loco κάνδυς, haud ſcio an Perſica lingua, idem nuncupaverat.

XXVII. Reges autem, ut venerabiliores eſſent, a vulgi conſuetudine remotos eſſe debere, Perſae cenſebant. Itaque Perſarum Rex perraro ſui copiam populo faciebat: &, ut XENOPHON in *Ageſilai laudatione pag.* 670. *ſeq.* ſcribit: τῷ σπανίως ὁρᾶσθαι καὶ δυσπρόσοδος εἶναι, ἐσεμνύνετο. *In eo gravitatem quaerebat, quod rarius in conſpectum hominum prodiret, & difficilem ad ſe aditum praeberet.* JUSTINUS *libr.* 1. *cap.* 9. §. 11. *Apud Perſas perſona Regis ſub ſpecie majeſtatis occulitur.* Quod & ARISTOTELES in *libr. de Mundo, cap.* 6. ſignificat, cum ait: Αὐτὸς μὲν γὰρ, ὡς λόγος, ἵδρυτο ἐν Σούσοις ἢ Ἐκβατάνοις, παντὶ ἀόρατος, id eſt, ut APULEJUS *pag.* 739. vertit; *nulli temere notitiam oris ſui pandens* (*a*). Similiterque a Dejoce, quem ſibi Medi Regem conſtituerant, inſtitutum, ὁρᾶσθαι βασιλέα ὑπὸ μηδενὸς, *ut rex a nemine videretur*, HERODOTUS *libr.* 1. *cap.* 99. tradit. Quod ea praecipue de cauſa placuiſſe ſcribit, ut ne aſſiduo conſpectu Regis perſona vileſceret. Quod non omnino VALERIUS MAXIMUS *lib.* 11. *cap.* 6. *in fine* improbare videtur, qui non quidem conſpectu; verum *humili & trita conſuetudine, quo ſit venerabilius, vacuum eſſe* oportere cenſet, *quidquid in excelſo faſtigio poſitum eſt.* Eaque media ſententia PAULO (*b*) noſtro non diſplicet, qui in ulteriorem familiaritatem provinciales admittendos negat; propterea, quod ex aequali converſatione contemptus naſcatur. Atque mos hic occaſionem Comatidi Mago praebuit, ut pro Mergide (cui regnum poſt Cambyſis fratris mortem debebatur) Oropaſtem fratrem ſuum, ei oris & corporis lineamentis perſimilem, ſubjiceret, cum neque dolum ſubeſſe arbitraretur quiſquam; neque, ut maxime ſuſpicaretur, detegere poſſet, propterea, quod Regiae ſe parietibus Rex luxu & mollitie diffluens contineret. Enimvero Statiram, Artaxerxis conjugem, quod aperta lectica & velo patente circumferretur, faciliſque ad eam aditus quilibet e populo haberet, magnam a Perſis gratiam iniiſſe, PLUTARCHUS in *Artaxerxe pag.* 1013. teſtatur his verbis: Ἐν τοῖς μάλιστα κεχαρισμένην ὄψιν παρεῖχε τοῖς Πέρσαις, ἡ τῆς γυναικὸς Στατείρας ἁρμάμαξα, γυμνὴ τῶν παραπετασμάτων ἀεὶ περιφερομένη, καὶ διδοῦσα ταῖς δημότισιν ἀσπάσασθαι αὐτὴν καὶ προσελθεῖν. *Gratiſſimus omnium conſpectus Perſis fuit vehiculi Statirae reginae, nullo unquam velo involuti; ſic enim populares mulieres reginam accedendi & ſalutandi ſemper habebant facultatem.* Quin & ipſe Artaxerxes, ut idem PLUTARCHUS in *Apophthegmat. pag.* 173. ſcribit: Οὐ μόνον τοῖς ἐντυγχάνουσιν ἑαυτὸν εὔοδον παρεῖχεν, ἀλλὰ καὶ τὴν γυναῖκα τὴν γνησίαν ἐκέλευσε τῆς ἁρμαμάξης τὰς αὐλαίας ἀφελεῖν, ὅπως οἱ δεόμενοι κατὰ τὴν ὁδὸν ἐντυγχάνωσιν. *Non modo facilem ſui praebebat aditum, ſed & uxorem ſuam jubebat vehiculi vela dimovere, ut poſſet ab iis, qui vellent, compellari in via.*

XXVIII. Sed nec abſque Regis juſſu Regiam ingredi licebat: & qui Regis adeundi fieri copiam poſtulabat, is pro foribus Regiae ſtans, per Internuntium adventum ſuum Regi ſignificare neceſſe habebat, vel deſideria ſua ad Regem perferenda ei mandare. Pleraque autem omnia per internuntios cum Regibus, ex Dejocis, ut HERODOTUS *libr.* 1. *cap.* 99. tradit, inſtituto, tranſigebantur. Cujus rei exemplum ſuppeditat Idem HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 140. de Syloſonte loquens in hunc modum: Ἀναβὰς δὲ ἐς τὰ Σοῦσα, ἵζετο ἐς τὰ πρόθυρα τῶν βασιλέος οἰκίων· καὶ ἔφη Δαρείου εὐεργέτης εἶναι. Ἀναγγέλλει (*c*) ταῦτα ἀκούσας ὁ πυλουρὸς τῷ βασιλεῖ. *Suſa aſcendens ſedenſque in veſtibulo regiae, ſe eum eſſe ait, qui de rege ſit bene meritus. Haec audiens janitor regi nunciat.* Eoque forte reſpexit PLAUTUS in *Milite glorioſo, Actus* IV. *Sc.* 6. *v.* 9. cum ait,

Permirum ecaſtor praedicas
Te adiiſſe, atque exoraſſe. Per epiſtolam
aut per nuntium,
Quaſi Regem adiri eum ajunt (*d*).

Similiterque poſteriorum Imperatorum temporibus, per Admiſſionum magiſtrum accitos eos, qui Reges conveniebant, ex AMMIANO MARCELL. *libr.* XIV. (*e*) apparet. Proinde ſingulari jure, praemiique loco inter ſeptem Magorum percuſſores conveniſſe, ut unicuique eorum ἄνευ Εἰσαγγελέως, *ſine Internuncio*, Regiam ingredi liceret, extra quam ſi cum uxore Rex jaceret, HERODOT. *libr.* III. *cap.* 84. & 118. narrat. Quo pacto convento cum Intaphernes, unus ex ſeptem, non ſtetiſſet, manuſque Janitori, & ei, qui a reſponſis erat, eum aditu hoc nomine arcentibus, quod liberis operam dare Regem dicerent, attuliſſet, de conſilii ſententia, a Dario damnatus, capite poenas luit. Legem etiam tuliſſe Artaxerxem, ne quis cujuslibet ſexus in atrium interius Regiae, non vocatus ingrederetur: Si quis aliter, ſeu adverſus ea feciſſet, protinus ad ſupplicium raperetur, niſi virgam auream Rex porrexiſſet, ex ſacra ESTHERIS hiſtoria intelligimus. Hujus enim legis ſancte religioſeque obſervatae metu, liberam ſibi Artaxerxis Regis viri ſui adeundi facultatem minime dari, Eſther Mardochaeo renunciari juſſit his verbis: (*Eſth. cap.* IV. *v.* 11.) Ἔθνη πάντα τῆς βασιλείας γινώσκει, ὅτι πᾶς ἄνθρωπος ἢ γυνὴ, ὃς εἰσελεύσεται πρὸς τὸν βασιλέα εἰς τὴν αὐλὴν τὴν ἐσωτέραν ἄκλητος, οὐκ ἔστιν αὐτῷ σωτηρία, πλὴν ᾧ
ἐκτ

(*a*) PANDENS] Locum & Graece & Latine integriorem auctor infra exhibet §. LXXIII. TR.

(*b*) PAULO] Auctor ſine dubio in mente habuit *l.* 19. *D. de offic. Praeſ.* cujus tamen auctor CALLISTRATUS in inſcriptione perhibetur. TR.

(*c*) Ἀναγγέλλει] Jac. Gronovius ex MS. Med. reponit ἀγγέλλει. TR.

(*d*) AJUNT] In duos tantum verſus, quorum poſterior incipit a voce *Per*, haec ſententia diſtinguitur in *noviſſ. edd.* TR.

(*e*) LIBR. XIV.] In *lib.* XIV. nihil reperi, quod huc ſpectaret. Auctor forſan prae oculis habuit locum *lib.* XV. *cap.* 5. *in medio* circiter, ubi tamen ſermo eſt de Imperatore Romano. TR.

ἐὰν (a) ἐκτείνῃ ὁ βασιλεὺς τὴν χρυσῆν ῥάβδον, αὐτὸς σωθήσεται. *Univerſus regni populus novit, nemini ſive vir ſit, ſive femina, non vocato ſine vitae ſuae periculo atrium interius ad regem ingredi licere; eumque tantum hoc impune ferre, cui rex virgam auream porrigeret.* Paulo aliter JOSEPHUS *libr.* XI. *Antiquitat. capite* VI. capitis poena ſanxiſſe Artaxerxem, ne quis eum in ſolio ſedentem minime vocatus adiret, ita ſcribit: Ἔθηκε δὲ καὶ νόμον ὁ βασιλεύς, ἵνα μηδεὶς τῶν ἰδίων αὐτῷ προσίοι μὴ κληθείς, ὁπηνίκα ἐπὶ τοῦ θρόνου καθέζοιτο· περιειστήκεσαν δὲ τὸν θρόνον αὐτοῦ πελέκεις ἔχοντες ἄνθρωποι, πρὸς τὸ κολάζειν τοὺς προσιόντας ἀκλήτους τῷ θρόνῳ. καθῆστο μέντοι λόγχην χρυσῆν ἔχων αὐτὸς ὁ βασιλεύς, ἣν ὁπότε τινὰ σώζειν ἤθελε τῶν ἀκλήτως προσιόντων, ἐξέτεινε πρὸς αὐτόν. ὁ δὲ ἀψάμενος αὐτῆς, ἀκίνδυνος ἦν. *Rex autem legem tulit, ut nemo e domeſticis, non vocatus ad eum accederet, tantiſper dum ſederet in regio throno: adhibitis in hoc etiam lictoribus cum ſecuribus, ut ſi quis contra faceret, plecteretur capite. Rex interim virgam tenebat auream, quam, quoties aliquem ex iis, qui non vocati accedebant, ſervare vellet, ad eum porrigebat.* Et mox Eſtherem ita loquentem inducit: Καὶ ὁ εἰσερχόμενος πρὸς αὐτὸν ἄκλητος ἀποθνήσκει, πλὴν εἰ μή τινα σώζειν βουλόμενος προτείνειεν τὴν χρυσῆν ῥάβδον· ᾧ γὰρ ἂν τοῦτο ποιήσειεν ὁ βασιλεύς, ἀκλήτως πρὸς αὐτὸν εἰσελθόντι, οὗτος οὐκ ἀποθνήσκει, μόνος συγγνώμης τυχὼν σώζεται. *Si quis non vocatus ad eum ingrediatur, capite plecti, niſi ipſe incolumitatem donare volens, virgam auream protendat illi, qui non vocatus acceſſerit: hunc enim ſolum id impune ferre, veniamque conſequi.* Quibus conſentanea ZONARAS quoque refert *Tomo* I. *Annal. libr.* IV. *pag.* 178. *ſeqq.* & quam Joſephus ῥάβδον; ille λόγχην (b): quos hic, πελέκεις ἔχοντας ἀνθρώπους; ille πελεκυφόρους vocat. Eſther autem, cultu vultuque quam maxime ad moerorem comparato, cubiculum Regis eo inſcio ingreſſa, cum in hanc legem commiſiſſet, ad Regis pedes provoluta, veniam deprecata eſt. At ille protinus ſella exiliens, manu ſupplicem allevavit, amplexuſque bono animo eſſe juſſit, ac demum virga aurea capiti impoſita, omni eam metu liberavit. At SULPICIUS SEVERUS *libr.* II. *Sacr. Hiſtor. cap.* 13. ideo Eſtheri adeundi Regem poteſtatem non fuiſſe ait, quod, *more Perſarum, Reginae introire ad Regem, niſi accerſitae non licebat: nec tamen cum erat Regi libitum, ſed ſtatuto tempore admittebatur: & forte tum ita eveniſſe, ut diebus triginta proximis ſeparata a conſpectu Regis Eſther haberetur.*

XXIX. Regum certe limina optimates omnes & proceres Perſarum terebant, quemadmodum XENOPHON *libr.* VIII. *παιδ. pag.* 201. docet, narrans, Chryſanta auctore, Perſas aequum cenſuiſſe, τοὺς ἐντίμους ἀεὶ παρεῖναι ἐπὶ θύραις, καὶ παρέχειν αὑτοὺς χρῆσθαι, ὅ, τι βούλοιτο, ἕως ἀφείη Κῦρος. *Ut honorati homines ſemper ad regiam praeſto eſſent, & Cyro ſuam operam offerrent, quamcunque ad rem illi viſum eſſet, donec eos dimitteret.* Itaque ut pudor apud eos plus valeret quam timor, omnemque illi turpitudinem verborum, & rerum obſcoenitatem vitare, riſum comitem levitatis aut ineptiae tenere, exultantem laetitiam comprimere, itemque animo & orationi moderari, nec inſolenter ſe efferre, vel ſolo loci, in quo verſabantur, aſpectu, diſcerent, purpuratos omnes, nedum corporis cuſtodes, ἐπὶ ταῖς θύραις διάγειν, *ad regiam ut praeſto eſſent*, Cyrus conſtituit. Ita Oroeten nobilem Perſam, ἐπὶ τῶν βασιλέως θυρέων καθήμενον, *in regiis foribus ſedentem*, proponit HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 120. ut & Amanem, qui proximum a Rege tenebat locum πρὸ τῆς αὐλῆς, *ante aulam*, ſtantem, JOSEPHUS *libr.* X. *Antiquit. cap.* VI. Inde Praetores, magnates & aulicos omnes, generali, τῶν ἐπὶ θύραις βασιλέως, nomine appellari invenio. PLUTARCHUS in *Themiſt. pag.* 125. Λεγόντων, ὅτι γύναιον Ἑλληνικὸν ἄγουσιν ἀπ' Ἰωνίας, πρός τινα τῶν ἐπὶ θύραις βασιλέως. *Dicentibus, ſe mulierculam Graecam ex Jonia cuidam regis aulico adducere.* Et paulo poſt, *pag.* 126. Ἐξ οὗ ἰόντι τοὺς ἐπὶ θύραις, ὡς ἐπύθοντο (c) τοὔνομα παριόντος αὐτοῦ. *Quod videret aulicos nomine ſui praeſentis audito &c.* Idem in *Pelopida, pag.* 294. Ἔπειτα τοῖς ἐπὶ θύραις σατράπαις, καὶ στρατηγοῖς, καὶ ἡγεμόσιν ὀφθείς, θαῦμα καὶ λόγον παρέσχεν. *Deinde ab atrienſibus regis Satrapis, ducibuſque & praefectis viſus, admirationem ſui, & de ſe ſermonum materiam praebuit.* ATHENAEUS *libr.* VI. *pag.* 252. de Nicoſtrato Argivo: Ἀκούων μὲν τοῦτο ποιοῦν καὶ τῶν Περσῶν τοὺς περὶ τὰς θύρας διατρίβοντας. *Cum hoc & eos facere audiviſſet ex Perſis, qui in regis aula verſarentur.* Ac nec ſtationem hanc deſerere cuiquam licebat, propterea, quod apparere & praeſto eſſe oportebat eos, quorum operam obſequiumque Rex requirebat. Nam & ἐπιζητεῖν, *inquirere*, ſolitum Regem, ἐάν τις ἀπῇ, οὓς παρεῖναι καθήκει, *ſi quis eorum, quos praeſto eſſe oportebat, abſit*, ex *cap.* III. *Eſther.* & XENOPHONTE *libr.* VIII. *παιδ. pag.* 203. cognoſcimus (d). Sed & qui Regi deſideria preceſve perferre cupiebant, pro foribus Regiae ſtantes, exſpectabant, dum ille ſui copiam eis faceret. HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 117. Ἐλθόντες ἐς τοὺς Πέρσας αὐτοί τε καὶ γυναῖκες, στάντες κατὰ τὰς θύρας τοῦ βασιλέος, βοῶσι. *Ad Perſas venerunt viri atque mulieres, ſtanteſque ad fores aulae regiae vociferabantur.* Et alias eodem *libr. cap.* 119. Ἡ δὲ γυνὴ τοῦ Ἰνταφέρνεος φοιτέουσα ἐπὶ τὰς θύρας τοῦ βασιλέος, κλαίεσκε ἂν καὶ ὀδύρετο. *Tunc uxor Intaphernis ad regiae aulae fores accedens, plorabat atque lamentabatur.* Mardochaeum etiam ad regis Artaxerxis januam moratum, *Eſtheris* hiſtoria *paſſim* narrat.

XXX. Hoc amplius apud Perſas capitale fuiſſe, Regis ſellae, quam DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *cap.* 66. *pag.* 211. (*St.* 597. *Rh.* 540.) βασιλικὸν θρόνον vocat, inſidere, VALERIUS MAXIMUS *libr.* V. *cap.* 1. *ext.* 1. & Q. CURTIUS *libr.* VIII. *cap.* 4. §. 17. & FRONTINUS *libr.* IV. *Strategem. cap.* VI. tradunt. In eamque rem non minus lepidum Alexandri dictum, quam humanum factum commemorant. Nam cum regione, quae Gabaza appellabatur, Macedo quidam gregarius miles, frigore paene exanimatus, in caſtra vix tandem perveniſſet, eo viſo, Alexander, quamquam ipſe tunc, admoto igne refoveret artus, ex ſella ſua exſiliit, torpentemque militem, & vix mentis compotem, demptis armis, in ſua ſede juſſit conſidere.

(a) Ἐὰν] Quidam *Codd.* hanc vocem non agnoſcunt: & paullo poſt pro αὐτὸς alii *Codd.* habent οὗτος. Obiter obſervo, auctorem in locis LXX. *Interpp.* adducendis ſequi potiſſimum *ed. Aldinam.* TR.

(b) Λόγχην] Immo uterque ambabus hiſce vocibus utitur. TR.

(c) Ἐπύθοντο] In *ed. Opp. Francof.* legitur: ἐπὶ θύραις, ὡς ἐπύθοντο. TR.

(d) COGNOSCIMUS] Verba ipſa leguntur apud XENOPHONTEM *l. c. Cap.* III. *Eſther.* nihil occurrit, quod huc ſpectaret. Intelligit forſan *cap.* VI. *v.* 4. ubi Rex interrogat: Τίς ἐν τῇ αὐλῇ; *Quis eſt in atrio?* TR.

re. Ille diu, nec ubi requieſceret, nec a quo eſſet exceptus, agnovit: tandem recepto calore vitali, ut regiam ſedem, regemque vidit, territus ſurrexit: quem intuens Alexander, bis eum Curtii verbis affatus fertur: *Ecquid intelligis*, MILES, *quanto meliore ſorte, quam Perſae, ſub rege vivatis? illis enim, in ſella Regis conſediſſe capitale foret: tibi ſaluti fuit.* Proinde cum Xerxes Artabanum patruum regali ornatu in ſolio ſedere juſſiſſet, ut experiretur, num ei in ſomnis idem ſpectrum, quod ſibi ad bellum Graecis inferendum ſtimulos admovebat, obverſaretur, valde reluctatus eſt Artabanus, οὐκ ἀξιόχρεως, ut HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 16. loquitur, ἐς τὸν βασιλήϊον θρόνον ἵζεσθαι. *Negans ſe eſſe dignum, qui regio in ſolio ſederet.* Urgente tamen Rege imperata facere coactus eſt. Huc pertinet, quod ARRIANUS *libr.* VII. *cap.* 24. *pag.* 306. triſtia omina & ſigna, quae Alexandri obitum praeceſſerunt, commemorans, narrat. Nam cum Alexander, milites recens conſcriptos in Macedonicos ordines dividens, e ſella regia, ſiti affectus, ſurgens, paulum inde conceſſiſſet: interim obſcurus quidam homo per medios Eunuchos, Regiae ſellae circumfuſos, in eam ſeſſum ſe contulit: unde illum pellere & dejicere, lege Perſarum vetante, non auſus eſt quiſquam: quod ſiniſtrum aliquid portendere omnes, qui aderant, cenſuerunt, ac prae dolore ora & pectora unguibus lacerare coeperunt. Quae paulo aliter DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *cap.* 116. *pag.* 252. (*St.* 624. *Rb.* 582.) refert (*a*). Regiam autem Parthorum Sellam Trajanum cepiſſe, eamque repetenti Parthorum Regi Antoninum Pium denegaſſe, CAPITOLINUS in ejuſdem *Antonini vita cap.* 9. ſcribit.

XXXI. Sed nec veſtem Regiam geſtare cuiquam licuiſſe, indicio eſt, quod PLUTARCHUS in *Artaxerxe pag.* 1013. refert de Tiribazo, qui cum Artaxerxi candyn ejus diſſutum & diſciſſum demonſtrans, eum ſibi dono dari poſtulaſſet, Rex quidem annuit, interdixit tamen, ne geſtaret. At ille contra Regis voluntatem faciens, candyn induit: cujus illiciti facti, quo Perſae offendebantur, invidiam inſaniae excuſatione Rex amolitus eſt.

XXXII. Praeterea, ſi quae ad Regem pellex duceretur, nefas erat, lecticae opertae, qua geſtabatur, velum, ejus inſpiciendae cauſa, allevare. Quem morem DIODORUS SICULUS *libr.* XI. *cap.* 56. *pag.* 447. (*St.* 271. *Rb.* 43.) ita expreſſit: Ἔθος γὰρ ἐστὶ παρὰ τοῖς Πέρσαις τὸν ἄγοντα παλλακὴν τῷ βασιλεῖ, κομίζειν ταύτην ἐπὶ ἁρμαμάξης κεκαλυμμένης, καὶ τῶν ἀπαντώντων μηδένα πολυπραγμονεῖν, μηδὲ κατ᾽ ὄψιν ἀπαντᾶν τῇ ἀγομένῃ. *Mos Perſis erat, ut pellicem regi adducens in curru undique obtecto illam veheret, neque in via occurrentium cuiquam ſcrutari, quid veheretur, aut contemplari fas erat.* Idem & PLUTARCHUS in *Artaxerxe pag.* 1025. confirmat: Δύσζηλον γὰρ, inquiens, τὸ βαρβαρικὸν δεινῶς εἰς τὰ ἀφροδίσια, ὥστε μὴ μόνον τὸν προσελθόντα καὶ θιγόντα παλλακῆς βασιλέως, ἀλλὰ καὶ τὸν ἐν πορείᾳ παρεξελθόντα, καὶ διελάσαντα τὰς ἁμάξας, ἐφ᾽ αἷς κομίζονται, θανάτῳ κολάζεσθαι. *Barbari enim acerrime ſunt ſuſpicaces in rebus venereis, adeo quidem, ut non modo qui attigerit pellicem regis, ſed & qui in itinere currum, quo vehuntur, obvius impulerit, morte plectatur.* Eoque modo Themiſtoclem, ne qua ei a Perſis, quibus inviſus erat, injuria oriretur, ſub ſpecie pellicis lecticae impoſitum ad Artaxerxem tuto deductum, PLUTARCHUS in *Themiſtocle pag.* 125. & *Artaxerxe l. c.* narrat.

XXXIII. Quin etiam regibus ſuis tantum Perſae tribuebant, ut in venatione feram, priuſquam Rex telum miſiſſet, ferire non liceret: cujus obſervantiae gratiam primus Artaxerxes Macrochir ſubditis ſuis feciſſe legitur. Πρῶτος γὰρ, ut PLUTARCHUS in *Apophthegmat. pag.* 173. loquitur, πρωτοβολεῖν ἐπέδωκε τῶν συγκυνηγετούντων τοῖς δυναμένοις καὶ βουλομένοις. *Primus enim in venatione, ſociorum juſſit eum, qui vellet & poſſet, primum conjicere telum.*

XXXIV. Perſarum plane Reges legibus ſoluti erant: illiſque, quod libebat, licebat. Idque ita patriis legibus cautum, Juris Perſici prudentes Cambyſi conſulenti reſponderunt, apud HERODOTUM *libr.* III. *cap.* 31. Proinde PLUTARCHUS in *libr. de trib. generibus rerumpublic. pag.* 826. Πέρσαι μὲν, ait, αὐτοκρατῆ βασιλείαν καὶ ἀνυπεύθυνον ἀπεκληρώσαντο. *Perſae quidem imperium cum plena poteſtate legibuſque ſolutum elegerunt.* Atoſſa quoque de Xerxe apud AESCHYLUM ἐν Πέρσαις, v. 213. Κακῶς δὲ πράξας, ait, οὐχ ὑπεύθυνος πόλει. *Sin minus proſpere rem geſſerit, arbitrio tamen & judicio civitatis non erit ſubjectus.* Uſque adeo autem libere Perſarum Reges imperabant, ut omnes, qui eorum ditioni parebant, (quemadmodum PLUTARCHUS πρὸς ἡγεμόνα ἀπαιδ. ſive *ad Principem indoctum*, *pag.* 780. teſtis eſt) pro ſervis & mancipiis haberent (*b*) ſola uxore excepta. Nec aliter ab illis ſubditi, cujuſcunque conditionis, ordinis, graduſque eſſent, appellabantur. Secundum hunc receptum in illa gente loquendi morem, Artemiſia apud HERODOTUM *libr.* VIII. *cap.* 68. §. 3. Xerxem ita affatur; Σοὶ δὲ, ἐόντι ἀρίστῳ ἀνδρῶν πάντων, κακοὶ δοῦλοι εἰσί. *Ideoque tibi, qui virorum es optimus, ſervi ſunt mali.* Hinc Barbaros Dario ſubditos, Δαρείου δούλους, *Darii ſervos*, POLEMON in *Oratione funebri* ſive *Epitaph. Callimachi*, *pag.* 18. vocat. Inde Ariſtagoram Mileſium, ſervum vocat Darius (*c*) in ſua oratione ad Perſas, quam HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 8. §. 2. refert: & Pelopem Phrygem, majorum ſuorum ſervum appellat Xerxes, apud eundem HERODOTUM *eod. libr. cap.* 11. Ibidemque *cap.* 39. Xerxes Pythium Lydum increpans, qui vacationem militiae uni ex liberis ſuis concedi poſtularat, Σὺ, ait, ἐμὸς δοῦλος, τὸν χρῆν πανοικίῃ αὐτῇ γυναικὶ συνέπεσθαι. *Cum ſis ſervus meus, quem cum univerſa familia atque uxore ſequi oportebat.* Gobrias ſeſe Cyro dedens, apud XENOPH. *libr.* IV. παιδ. *pag.* 112. Δίδωμι, ait, σοὶ ἐμαυτὸν δοῦλον καὶ σύμμαχον. *Dedo me tibi ſervum atque ſocium.* Eoque nomine appellari ſe,

(*a*) REFERT] Vide etiam PLUTARCHI *Vitam Alexandri* M. *pag.* 705. TR.

(*b*) HABERENT] Notabilis eſt hac de re locus THEMISTII *Orat.* I. *pag.* 11. juxta *nov. ed Harduini.* (Hic enim primus hanc in ſua ed. Orat. edidit) Καὶ ἄρα τότε ὁ Περσικὸς, εἶπεν, δυνάστης κύριον τὸν βασιλέα ἐνόμιζεν. οὐ γὰρ τοὺς ἀρχομένους ἅπαντας μόνον δούλους ὑπελάμβανέ τε, καὶ ποιεῖ· ἀλλ᾽ ἔτι καὶ τοὺς ἑαυτοῦ συγγενεῖς, καὶ τὸν ἀδελφὸν, καὶ τὸν παῖδα, καὶ ὃν μέλλει τὴν βασιλείαν παραδιδόναι. *Propterea Perſarum Dynaſta longe abeſt a Regis appellatione, quod non tantum omnes ſibi ſubjectos ſervos exiſtimat facitque; ſed etiam cognatos omnes, & ipſum adeo germanum ac filium, & eum quoque, quem ſucceſſorem habiturus eſt.* TR.

(*c*) DARIUS] Immo Xerxes. TR.

ſe, Provinciarum praeſides, & alii quacunque dignitate poteſtateve praediti, ac vel ipſi germani Regum fratres, atque adeo Reguli ſtipendiarii, non gravate patiebantur. Itaque Cyrus, Artaxerxis fratris ſervus vocatur in illo Xenophontis *libr.* I. Ἀναβασ. *pag.* 269. loco; τῷ δὲ μὲν Κύρῳ, δούλῳ ὄντι, οὐδεὶς ἀπῄει παρὰ βασιλέα. *A Cyro quidem ſervo, nemo abibat ad regem.* Et *libr.* II. *pag.* 289. arma Cyri, ſuo quaſi jure, repetiiſſe Regem narrat, ἐπείπερ Κύρου ἦσαν, τοῦ ἐκείνου δούλου. *Siquidem Cyri ejus ſervi erant.* Sed & Ariatoteles *libr. de Mundo, cap.* 6. στρατηγοὺς, καὶ Σατράπας, Δούλους τοῦ μεγάλου βασιλέως, *Duces & Satrapas, ſervos magni Regis*, appellat. Hinc & Darium ἐκ δούλου καὶ Ἀστάνδου, *ex ſervo & aſtanda*, ad Regium dominatum provectum, Plutarchus *libr.* I. *de fortuna Alexandr. pag.* 326. ſcribit. Idem Darius apud Curtium *libr.* V. *cap.* 9. §. 9. Nabarzanis dicto offenſus, eum, *peſſimum Mancipium* vocat. Apud Athenaeum quoque *libr.* XII. *cap.* 7. *pag.* 530. Annarus Babyloniae Praeſes Regis ſervus appellatur. Eaque de cauſa Arcarii, & Scribae, nec non ipſimet Provinciarum Rectores, in ſuis ad Artaxerxem litteris, quae *libr.* I. *Eſdrae cap.* IV. V. & VI. referuntur, ſeſe συνδούλους inſcribunt. Sed & Darius, apud Joſephum. *libr.* XI. *Antiquit.cap.* IV. Magiſtris equitum Samaritanae Provinciae reſcribit in haec verba (*a*): Βασιλεὺς Δαρεῖος Ταγγαναῖ καὶ Σαμβαβαῖ τοῖς ἱππάρχοις τῶν Σαμαρειτῶν, καὶ τοῖς λοιποῖς συνδούλοις αὐτῶν, τοῖς ἐν τῇ Σαμαρείᾳ. *Rex Darius, Tanganae & Sambabae praefectis Samariae, reliquiſque eorum conſervis, qui Samariae ſunt.* Vice mutua, Satrapae aliique officiales, Darium & Artaxerxem Δεσπότας, *Dominos*, ſeipſos vero Δούλους, *ſervos* vocant, in illis litteris, *quae Eſdrae libr.* I. *cap.* IV. V. & VI. & a Joſepho *libr.* XI. *Antiq. Jud. cap.* II. laudantur. Ageſilaus quoque apud Xenophontem *libr.* IV. Ἑλλην. *pag.* 512. Perſarum imperio ſubditos, Pharnabazi ὁμοδούλους vocat. Proinde apud Herodotum *libr.* VII. *cap.* 5. & 9. *lib.* VIII. *cap.* 68. 100. & 102. & *lib.* IX. *cap.* 110. Xerxem Regem alloquentes, Maſiſtea ejus frater, Mardonius conſobrinus, nec non Artemiſia Carum Regina, eum Δεσπότην, *Dominum* nuncupant. Similiterque Maximus Tyrius *Serm.* IV. (XX. *cap.* 8. *pag.* 243.) Mardonium δοῦλον οἰκότριβα, *ſervum imbellem*; Xerxem vero τρυφῶντα δεσπότην, *Dominum luxurioſum* vocat. Eoque potiſſimum vitio Perſarum imperium brevi corruiſſe, Plato *libr.* III. *de Legib. pag.* 815. *ſeq.* cenſet, quod ablata populo penitus libertate, dominationem ſupra modum invexiſſent, amicitiamque & communitatem e Republica ſuſtuliſſent. Xenophom quoque *libr.* VI. Ἑλλην. *pag.* 582. Perſas δουλείαν μᾶλλον, ἢ ἀλκὴν μεμελετηκότας, *ſervitutem potius, quam fortitudinem ſpiraſſe*, ſcribit. Ideo & Ageſilaus, ut Plutarchus in *Apophthegm. pag.* 190. refert, Aſianos ἐλευθέρους μὲν κακοὺς εἶναι, δούλους δὲ ἀγαθοὺς, *ſi libertate fruerentur, malos; ſi ſervirent, bonos eſſe*, dicebat. Unde Cicero *libr.* X. *Epiſt.* 8. *ad Attic.* grave imperii jugum, *regnum* appellat, *non modo Romano homini, ſed ne Perſae quidem cuiquam tolerabile.*

XXXV. Nec patienter modo, verum etiam libenter, &, ut Curtius (*b*) loquitur, obedienter ac pie, Perſae imperata faciebant. Et quidquid eis a Regibus oneris ac muneris imponebatur, id laeto atque alacri animo, impigre ac fine ulla detrectatione ſuſcipiebant. Ὁ δ᾽ ἀπειθῶν, ait Strabo *libr.* XV. *pag.* 1066. (733.) ἀποτμηθεὶς κεφαλὴν καὶ βραχίονα ἐρρίπτετο (*c*). *Qui vero non parebat, capite & brachio amputato projiciebatur.* Quin etiam, ut ex *Nicolao* Stobaeus *Serm.* XLII. *pag.* 293. tradit, qui verberibus flagriſve Regis juſſu caedebatur, gratias ei agebat: praeclare ſecum agi exiſtimans, quod Rex eum in memoria habere ſe, hoc facto teſtatus eſſet. Ita in beneficii loco injuriam ponebant.

XXXVI. Sed & qui a Rege diſſentiebat, haud impune id auferebat. In more namque poſitum fuiſſe, Aelianus *libr.* XII, *Var. Hiſtor. cap.* LXII. tradit, ut ſi quis de rebus ſeriis ac dubiis conſilium Regi daturus accederet, is ſuper aureo latere ſtaret: & quidem, ſi utilia & honeſta ſuaſiſſe viſus eſſet, pro praemio latere donaretur: flagria tamen, ſi Regi contrariam ſententiam dixiſſet, caederetur. Inſolenter vero & arroganter Xerxes, Graeciae bellum inducturus, adhibitis Aſiae Principibus, *Ne viderer*, inquit, *meo tantummodo uſus conſilio, vos contraxi. Ceterum mementote parendum magis vobis eſſe, quam ſuadendum*, quemadmodum Herodotus *libr.* VII. Valerius Max. *libr.* IX. *cap.* V. *ext.* 2. & Juſtinus *libr.* III. ſcribunt (*d*).

XXXVII. Proferam & ex Herodoti (*e*) *libr.* VIII. *cap.* 118. aliud erga Reges ſuos obſervantiae argumentum. Nam cum Xerxes nave Phoenicia vectus in Aſiam ſe reciperet, ortaque ingenti tempeſtate, & nave ſupra modum onuſta vectoribus, in ſummum diſcrimen adduceretur, metu perculſus, gubernatorem interrogavit, an omnis praeciſa ſalutis ſpes eſſet: ille unicam ſupereſſe reſpondit, ſi multi ex vectoribus ſeſe in mare conjicerent. Quibus auditis Xerxes ita loquutus fertur: Cum in vobis, Perſae, ut videre eſt, Regis veſtri ſita ſit ſalus, quantae vobis ea curae ſit, demonſtrandi tempus datur. Quae cum is dixiſſet, protinus illi eum venerati, in mare deſiliiſſe perhibentur. Atque eo jactu levata nave, Xerxes, impendente periculo liberatus, in Aſiam ſoſpes incolumiſque pervenit. Hanc etiam Perſarum obedientiam ad ſua uſque tempora perſeveraſſe, Ambroſius *Hexaëmeron libr.* V. *cap.* XXI. teſtatur his verbis: *Sed & apes illae, quae non obtemperaverint legibus Regis, poenitenti condemnatione ſe mulctant, & immoriuntur aculei ſui vulneri* (*f*). *Quod Perſarum populi hodieque ſer-*

(*a*) Verba] Locus Joſephi in editis ita habet: Βασιλεὺς Δαρεῖος, Ταγγαναῖ καὶ Σαμβαβᾷ τοῖς ἱππάρχοις Σαμαρειτῶν, Σαδρακῇ καὶ Βαβήλωνι, καὶ τοῖς λοιποῖς συνδούλοις αὐτῶν, τοῖς ἐν Σαμαρείᾳ. *Rex Darius, Tanganae & Sambabae equitum magiſtris Samariae, Sadracae & Baboloni, & reliquis eorum conſervis, qui Samariae ſunt.* L.

(*b*) Curtius] Auctor forſan prae oculis habuit *lib.* VIII. *cap.* 5. §. 11. TR.

(*c*) Ἐῤῥίπτετο] In *ed. noviſſ.* legitur ῥίπτεται. TR.

(*d*) Scribunt] Immo ſolus Valerius Maximus: nam Juſtinus nihil habet, quod huc ſpectaret. Herodotus *lib.* VII. *cap.* 8. *ſeqq.* refert quidem conſultationem Xerxis de bello Graecis inferendo: non tamen ibi tam inſolenter loquitur Xerxes. TR.

(*e*) Herodoti] Refert quidem ille *l. c.* hanc narrationem: ſed ex aliorum tantum relatione, quam ipſe refellit. TR.

(*f*) Vulneri] In *ed.* Benedictinorum *Pariſ.* legitur: *ut immoriantur aculei ſui vulnere.* Ibidem poſtrema *h. l.* verba ita leguntur: *Itaque nulli ſic Regem, non Perſae, qui graviſſimas in ſubditos habent leges, obſervant.* TR.

ſervare dicuntur: ut pro commiſſi pretio ipſi in ſe propriae mortis exequantur ſententiam. Itaque nulli ſicut Reges Perſarum tam graviſſimas in ſubjectos habent leges. Denique ſolam ſibi obſequii gloriam relictam Perſae credebant. Quam ſummam ac paene incredibilem eorum erga Reges ſuos obſervantiam VIRGILIUS *libr.* IV. *Georg. v.* 209. commendavit his verſibus: *Praeterea Regem non ſic Aegyptus & ingens Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes Obſervant.*

XXXVIII. Enimvero literis Regio annulo obſignatis nemo contradicere audebat: ſed eae abſque mora effectui mandabantur, quemadmodum *cap.* VIII. *Eſther. v.* 8. ſcribitur.

XXXIX. Regum praeterea arcana mira fide celaſſe Perſas, Q. CURTIUS *libr.* IV. *cap.* 6. §. 5. *ſeq.* ſcribit: non metus, non ſpes, eliciebat vocem, qua proderentur occulta: Vetus diſciplina Regum ſilentium vitae periculo ſanxerat, linguaque gravius caſtigabatur, quam ullum probrum. Ob hanc cauſam omnium, quae apud hoſtem Darium gererentur, ignarum fuiſſe Alexandrum, Curtius ibidem ait. AMMIANUS etiam MARCELLINUS *libr.* XXI. *cap.* 13. *ſpeculatores*, ait, *& transfugae ſubinde venientes, repugnantia prodebant: Ideo futurorum incerti, quod apud Perſas nemo conſiliorum eſt conſcius, praeter optimates taciturnos & fidos: apud quos ſilentii quoque colitur numen.* Ac plane *Taciturnitatem optimum ac tutiſſimum adminiſtrandarum rerum vinculum*, ſcite appellat VALERIUS MAX. *libr.* II. *cap.* II. *ex.* I. Vulgo quoque creditur hunc morem confirmare PROCOPIUS *libr.* I. *c.* VI. *de bello Perſico*, *pag.* 234. (18.) propterea quod apud Latinum interpretem (*a*) legitur, pro certo affirmari non poſſe, quam poenam Perſae uxori Cabadis, cujus aſtu vir e cuſtodia evaſerat, irrogarint: idcirco quod *Perſae aliis non communicent.* Sed hoc a Procopii mente abhorret, qui de Perſarum ſilentio ne in ſomnis quidem, ut ajunt, cogitans, hoc tantum voluit, ſe nihil comperti de ea re habere, propterea, quod Perſae inter ſe diſſentirent, ſententiiſque diſcreparent: hoc enim ſignificant Graeca ejus verba: οὐ γὰρ Πέρσαι ὁμολογοῦσιν ἀλλήλοις, *non enim inter ſe conſentiunt Perſae.*

XL. Illud conſtat, Perſas eximia ſemper caritate Reges ſuos dilexiſſe, nec ulli nationi ſanctius auguſtiuſve Regum nomen fuiſſe. Innatum vero & inſitum illis Regum ſuorum amorem multa declarant. Primum enim pro ſalute Principis vota ab omnibus, qui tam privatim, quam publice ſacra facerent, ſuſcipi conſueviſſe, HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 132. auctor eſt. Deinde moribus ita comparatum erat, ut Regem abſque munere adiret nullus: ac vel tenuiorum munuſcula, & quaecunque pro viribus offerebantur, a Rege ſumma facilitate & humanitate excipi conſueverant. Eumque morem, poſtquam Perſae in Parthorum poteſtatem venerunt, retentum, SENECA *Epiſt.* XVII. ita ſcribit: *Reges Parthos non poteſt quiſquam ſalutare ſine munere.* NICOLAUS LYRANUS in *cap.* II. *Evang. D. Matth. Dicitur*, ait, *quod Reges Perſarum ſemper cum muneribus ſolent adorari.* Quo more & Magos Chriſtum adorantes ei munera obtuliſſe ait.

XLI. Regi ergo, iter facienti, pro ſe quiſque omnes munera ferebant. Et agricolae quidem, nec non opifices, ut AELIANUS *libr.* I. *Var. Hiſt. cap.* XXXI. tradit, neque vilia & exilia, neque nimis pretioſa & magnifica donabant: ſed alii boves aut oves, alii fruges aut vinum: Tenuiores vero lac, palmas, & caſeum, poma denique, & fructus, quibus crudis veſci ſolebant, ubi ad maturitatem pervenerant: Item primitias eorum, quae tellus ferret gigneretque, dono dabant: taliaque Regi, Perſidem peragranti, a ſingulis, quorum fines pertranſiret, apponebantur: quae non Tributi, ſed doni loco cenſebantur: Eoque titulo ipſe ea accipiebat lubens. Proinde Sinetam Perſam, cum procul a ſuo tugurio Artaxerxi Mnemoni caſu occurriſſet, ac prae manibus nil, quod Regi offerret, haberet, ad Cyrum fluvium, ne officio deeſſet, curſu contendiſſe ferunt, & aquam utraque vola hauſtam hilari laetoque vultu Regi obtuliſſe: munus fauſtis votis, boniſque verbis, quantum potuit, ornaſſe. Quod PLUTARCHUS in *Artaxerxe*, *pag.* 1013. & *Apophthegmat. pag.* 172. & AELIANUS *libr.* I. *Var. Hiſtor. cap.* XXXII. non immerito literis mandandum eſſe cenſuerunt. Ab iiſdem auctoribus & illud memoriae proditum eſt, eidem Artaxerxi Mnemoni in tranſitu, pomum ὑπερφυὲς μεγέθει, *inuſitatae magnitudinis*, a Miſe (*b*) oblatum: quod ille grato animo accipiens, conjecturam ſe inde capere dixit, poſſe eum hominem civitatem ſibi creditam ſuaeque commiſſam fidei, e minima & tenui, magnam efficere: ingentique eum praemio remuneratus eſt.

XLII. Natales etiam Regum dies Perſis feſti erant, anniverſariiſque ſacris, & publica laetitia celebrabantur. PLATO in *Alcibiade* I. *pag.* 441. βασιλέως γενέθλια πᾶσα θύει τε καὶ ἑορτάζει ἡ Ἀσία. *Natales regis dies feſtos colit, inque iis ſacrificia peragit univerſa Aſia.* Sed & ex uſu *moris gentici*, vigiles ipſos juſtitiam, felicitatemque Regis ſui, canoris vocibus extollere ſolitos, AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIV. *cap.* 4. teſtatur.

XLIII. Ceterum non vivos modo Reges honoribus, ſed & mortuos luctu publico proſequebantur. Etenim poſt eorum exceſſum, juſtitium per quinque dies indicebatur: quo temporis intervallo jura omnia & Leges ſilebant, tanquam Regis patrocinio orbae, quo incolumi ſalvae erant. Quod apud STOBAEUM *Serm.* XLII. *pog.* 294. *Serinus* ſignificat his verbis: Πέρσαις ὁ νόμος ἦν, ὅτε τις βασιλεὺς ἀποθάνοι, ἀνομίαν εἶναι πέντε ἡμερῶν, ἵν' αἴσθωνται, ὅσου ἄξιός ἐστιν ὁ βασιλεὺς καὶ ὁ νόμος. *Perſis lex erat, ut a morte regis legum & juris intermiſſio per quinque dies fieret, ut intelligerent* (ſubditi) *quanti pretii Rex ſit atque Lex.*

XLIV. Sed & ſacer ille aeternuſque ignis, quem in focis ſuis quiſque pro Lare familiari adorabat, Rege vita functo, extinguebatur: quemadmodum DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *cap.* 114.

(*a*) INTERPRETEM] Intelligit *Raph. Volaterranum* nam in *noviſſ. edd. Graeco-Latinis* verſio jam emendata eſt. TR.

(*b*) MISE] Ita vocat AELIANUS *l. c. cap.* 33. hominem; donum vero ῥοιὰν μεγίστην. PLUTARCHUS vero in *Artax. l. c.* vocat hominem *Omiſem*, & de dono dicit, quod fuerit ὑπερφυοῦς μεγέθει. At idem in *Apophth. pag.* 173. ubi de dono cum auctore loquitur, nomen hominis omiſit, eumque in genere *pauperem* appellat. TR.

114. *pag.* 250. (*St.* 623. *Rb.* 580.) docet. Nam cum Alexander juſta Hephaeſtioni faceret, cumque publice patrio Perſarum more lugeri vellet, ταῖς, ut Diodorus ait, τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν οἰκοῦσι συνέταξε, τὸ παρὰ τοῖς Πέρσαις ἱερὸν πῦρ καλούμενον ἐπιμελῶς σβέσαι, μέχρις ἂν τέλος λάβῃ τὴν ἐκφοράν. τοῦτο δ᾽ εἰώθασιν (*a*) οἱ Πέρσαι ποιεῖν κατὰ τὰς τῶν βασιλέων τελευτάς. *Mandatum ad omnes Aſiae gentes dedit, ut ignem, qui ſacer a Perſis vocatur, quouſque exequias peregiſſet, exſtinguerent. Id quod in Regum obitu a Perſis factitari ſolet.*

XLV. Regum etiam filiis magnum honorem & reverentiam exhibere Perſas conſueviſſe, HERODOTUS *libr.* III. ſcribit (*b*). Denique Perſarum res in tantum magnitudinis potentiaeque faſtigium evectas, non virtute & viribus, ISOCRATES in *Aeginetico* (*c*). & *Nicocle pag.* 70. ſcribit: ſed quod unius imperio libenter & cupide paruerint, Regiamque majeſtatem prae ceteris ſumma ſemper obſervantia coluerint. Obſequium certe & patientiam imperii longe praeſtantiorem fuiſſe, quam ceteris, ac vel in ipſis, quibus imperabant, feris & barbaris nationibus eximiam Regum majeſtatem fuiſſe, Q. CURTIUS *libr.* V. *cap.* 10. *princ.* ait. Ideoque, ne honos Regi non haberetur, Darium Beſſi & Nabarzanis conſpiratione prehenſum, aureis compedibus, catenisque vinctum fuiſſe, idem auctor *lib.* V. *cap.* 12. *in fine*, cum JUSTINO *libr.* XI. *cap.* 15. §. 1. ſcite ſcribit. Cujuſmodi vinculis oneratos a Cyro Aſtyagem, ab Artaxerxe Cyrum fratrem, DIO CHRYSOSTOMUS *Orat. ultima*, *pag.* 669. & JUSTIN. *libr.* V. *cap. ult.* §. 4. memorant.

XLVI. Sed quoniam qua obſervantia & veneratione Perſarum Reges a ſubditis colerentur, abunde expoſuiſſe mihi videor, ad Regum inſignia, Regalemque cultum & ornatum noſtra ſe convertet oratio. Atque ut de Regio capitis inſigni primum dicam, Tiaram, quae & Κυρβασία dicebatur, geſtaſſe Perſarum Reges, non eſt ignotum. MAXIMUS TYRIUS *Serm.* X. (XXVI. *cap.* 9. *pag.* 319.) Καὶ τυμβωρύχος ὁ Μέγας βασιλεὺς τὴν τιάραν ἔχων. *Et magnus Rex cum Tiara perfoſſor ſepulchrorum exſtitit.* Et Tiara quidem Regibus cum Praetoribus & Praeſidibus provinciarum commune capitis tegmen erat. Nam ut TZETZES *Hiſtoriarum verſuum Chil.* VIII. *cap.* CLXXXIX. *v.* 306. ait: Τιάρα, σκέπη κεφαλῆς ὑπῆρχε παρὰ Πέρσαις. *Tiara capitis tegumentum apud Perſas erat.* Verum hoc intererat, quod Regum Tiara recta & ſurſum elata erat, apice ſeu cono in ſublime erecto: reliquorum vero deorſum vergebat, & in frontem deducebatur. Soli namque Regi rectam Tiaram geſtandi jus erat. Quod Tiſaphernes apud XENOPHONTEM *libr.* II. Ἀναβάσ. Κυρ. *pag.* 287. diſertis verbis adſtruit, τὴν μὲν γὰρ, inquiens, ἐπὶ τῇ κεφαλῇ Τιάραν βασιλεῖ μόνῳ ἔξεστιν ὀρθὴν ἔχειν. *Tiaram rectam in capite geſtare, non niſi regi, licet.* Idemque *libr.* VIII. Παιδ. Κυρ. *pag.* 215. Cyrum curru eminentem proceſſiſſe narrat, ὀρθὴν ἔχοντα τὴν Τιάραν, *rectam habentem Tiaram.* ARISTOPHANES ἐν Ὄρνισιν, in *Avibus*, *v.* 486.

> Διὰ ταῦτ᾽ ἄρ᾽ ἔχει καὶ νῦν ὥσπερ βασιλεὺς ὁ μέγας
> διαβάσκων,
> Ἐπὶ δὲ κεφαλῆς τὴν Κυρβασίαν τῶν ὀρνίθων μόνος
> ὀρθήν.
>
> *Quapropter etiamnum veluti rex Magnus incedit, habens*
> *In capite Cyrbaſiam ſolus inter aves rectam.*

Ad quem locum *Scholiaſtes*: πᾶσι γὰρ, ait, Πέρσαις ἐξῆν τὴν Τιάραν φορεῖν· ἀλλ᾽ οὐκ ὀρθὴν, ὡς Κλείταρχος ἐν τῇ δεκάτῃ· μόνοι δὲ οἱ τῶν Περσῶν βασιλεῖς ὀρθαῖς ἐχρῶντο. *Omnibus etenim Perſis tiaram geſtare licebat, ſed non rectam, ut Clitarchus ait libro decimo: ſoli enim reges rectis utebantur.* Ibidemque Κυρβασίαν eandem eſſe cum Tiara tradit, & adjicit: τοὺς μὲν ἄλλους ἔθος καὶ ἐπινενευκυῖαν καὶ καταπεπτωκυῖαν εἰς τὸ μέτωπον ἔχειν, τοὺς δὲ βασιλεῖς, ὀρθήν. *Reliqui quidem tiaram involutam & in frontem demiſſam geſtare ſolebant, ſoli reges rectam.* Similiter SUIDAS: Τιάρα, κόσμος ἐπικεφάλαιος, ὃν οἱ βασιλεῖς μόνοι ὀρθὴν ἐφόρουν παρὰ Πέρσαις, οἱ δὲ στρατηγοὶ κεκλιμένην. *Tiara capitis ornamentum, hanc ſoli reges rectam apud Perſas ferebant, duces vero inclinatam.* Idem alibi: Κυρβασίας, ἔνιοι μὲν Τιάραν, ᾗ οἱ βασιλεῖς τῶν Περσῶν ὀρθῇ ἐχρῶντο, οἱ δὲ στρατηγοὶ ἐπικεκλιμένῃ. *Cyrbaſis, nonnulli ajunt eſſe tiaram, qua reges Perſarum recta utebantur, duces vero inclinata.* Sed & HESYCHIUS: Τιάρα, ἡ λεγομένη κυρβασία. ταύτῃ δὲ οἱ Περσῶν βασιλεῖς μόνοι ἐχρῶντο ὀρθῇ, οἱ δὲ στρατηγοὶ ὑποκεκλιμένῃ. *Tiara, quae & Cyrbaſia dicitur. Hac Perſarum reges ſoli recta, duces vero inclinata utebantur.* PLUTARCHUS περὶ Φιλαδελφίας, ſive *de fraterno amore*, *pag.* 488. de Xerxe; Καὶ καταβαλὼν τὴν Τιάραν, ἣν φοροῦσιν ὀρθὴν οἱ βασιλεύοντες. *Et abjecta tiara, quam reges rectam geſtant.* Idem *libr.* II. *de Fortuna Alexandr. pag.* 340. *Darium* Bagoae Eunochi beneficio ad regni culmen evectum narrans, καὶ πάλιν ἐνδυσάμενος Ἀστάνδης στολὴν τὴν βασιλικὴν, καὶ ὀρθοπαγῆ κίταριν. *Et exuta Aſtandae ſtola, regiam erectamque citarim ſibi impoſuit.* LUCIANUS in *Navigio* ſeu *Votis*, *cap.* 30. *pag.* 267. *Tom.* III. Τιμῶν τὴν Τιάραν ὀρθὴν οὖσαν καὶ τὸ Διάδημα. *Venerans rectam Tiaram & Diadema.* Apud eundem in *Dialogo Alexandri & Philippi*, *cap.* 4. *pag.* 396. haec Philippus Alexandro filio objicit: Σὺ δὲ καὶ τὴν Μακεδονικὴν χλαμύδα καταβαλὼν, κάνδυν, ὥς φασι, μετενέδυς, καὶ Τιάραν ὀρθὴν ἐπέθου. *Tu vero abjecta chlamyde Macedonica, candyn, ut ajunt, induiſti, & Tiaram rectam impoſuiſti.* Rurſus in *Piſcatore*, *cap.* 35. *pag.* 604. Εἴ τις ἐν βασιλικῷ σχήματι, ὀρθὴν Τιάραν ἔχων, καὶ Διάδημα, καὶ τἆλλα ὅσα βασιλείας γνωρίσματα. *Si quis in regia habitu, tiaram rectam habens, & diadema, atque reliqua, quotquot ſunt, regni inſignia.* Quin & DION CHRYSOSTOMUS *Orat.* XIV. ſive priore *de ſervitute & libertate*, *pag.* 234. Tiarae rectae uſum privatis capitis periculo interdictum indicat his verbis: Τοιγαροῦν ὁ Περσῶν βασιλεὺς, ὅπως μὲν ἔξει μόνος ὀρθὴν τὴν Τιάραν ἐφρόντιζεν, εἰ δέ τις ἄλλος τοῦτο ἐποίησεν, εὐθὺς ἀπέκτεινεν αὐτόν. *Quapropter Perſarum rex, ut ſolus quidem haberet tiaram rectam curavit, & ſi quis alius idem feciſſet, confeſtim eum interfici juſſit.* EUNAPIUS in *Aedeſio*. Μικροῦ τοίνυν τὸν Περσῶν βασιλέα, τήν τε ὀρθὴν μεταβαλεῖν Τιάραν. *Parum abfuit, quin rex Perſarum rectam tiaram abjiceret.*

XLVII. Proinde, cum Demarato Lacedaemoniorum Regi a Xerxe (cui ille adverſus Graecos

(*a*) Εἰώθασι] Cel. *Weſſelingius* in *noviſſ. ed.* ex MS. reponit εἰώθεσαν. TR.
(*b*) SCRIBIT] Auctor ſine dubio in mente habuit locum, qui *cap.* 15. legitur: ubi tamen non de ipſorum regum Perſarum filiis; ſed de liberis Regum exterorum devictorum ſermo eſt: quo ſenſu ipſe auctor locum illum adducit infra *lib.* II. §. CCXXVII. TR.
(*c*) AEGINETICO] In hac Oratione nihil reperi, quod huc ſpectaret. TR.

cos bellum paranti magno uſui, & in rebus gerendis adjumento fuerat) conceſſum eſſet, petere quodcunque vellet, id unum poſtulavit, ut ſibi, equo inſidenti, Sardes cum recta Tiara ingredi liceret, quemadmodum ex *Philarcho* SUIDAS *voc.* Τιάρα refert. PLUTARCHUS in *Themiſtocle pag.* 126. Ἐπεὶ δὲ Δημάρατος ὁ Σπαρτιάτης αἰτήσασθαι δωρεὰν κελευσθεὶς, ᾐτήσατο τὴν Κίταριν, ὥσπερ οἱ βασιλεῖς, ἐπαρθεὶς εἰσελάσαι διὰ Σάρδεων. *Demaratus Spartanus juſſus a rege aliquid muneris petere, poſtulabat ſibi impoſito capiti diademate regio, Sardes equa intrare.* Ob eamque poſtulationem Xerxem ita exarſiſſe ſubjicit (*a*). SENECA *libr.* VI. *de Benefic. cap.* XXXI. *Itaque Xerxes pudore quam damno miſerior, Demarato gratias egit, quod ſolus ſibi verum dixiſſet: & permiſit petere, quod vellet. Petit ille, ut Sardis, maximam Aſiae civitatem, curru vectus intraret, rectam capite Tiaram geſtans: id ſolis datum Regibus*: Artaxerxes plane Dario filio, quem ſe vivo hereditatem ſuam quodammodo cernere paſſus eſt, Tiaram rectam ferre indulſit, ut ſupra ex PLUTARCHO comprobavimus. Sed & qui imperium uſurpabant, hi rectam Tiaram aſſumebant. Hinc Beſſum, qui Dario caeſo imperium occupare niſus eſt, Τιάραν ὀρθὴν, καὶ Περσικὴν στολὴν, *Tiaram rectam, Perſicamque veſtem*, ſumſiſſe, ARRIANUS *libr.* III. *cap.* XXV. *pag.* 140. narrat. Idemque *libr.* VI. *cap.* 29. *pag.* 271. refert, ab Atrobate, Mediae Satrape, Baryaxen Medum vinctum ad Alexandrum deductum, affectati regni reum, ὅτι, ait, ὀρθὴν τὴν κίταριν περιθέμενος, βασιλέα προσεῖπεν αὑτὸν Περσῶν τε καὶ Μήδων. *Quod impoſita ſibi recta cidari, regem ſe dixerit Perſarum atque Medorum.* Et hunc Perſarum morem imitatus Antonius, Alexandrum, unum ex liberis, in publicum produxiſſe fertur, ἐσθῆτι Μηδικῇ, τιάραν καὶ κίταριν ὀρθὴν ἐχούσῃ, *habitu Medico, qui tiaram & cidarin rectam haberet*, ut PLUTARCHUS in ejus vita *pag.* 941. ſcriptum reliquit. Quod Perſarum aemulos Parthos ſervaſſe invenio. Etenim Artabanus, Parthorum Rex, in regnum, unde factionibus procerum pulſus fuerat, Izatae, Adiabenorum Regis, opera reſtitutus, ut gratiam de ſe bene merito referret, maximis, qui apud Parthos habebantur, honoribus adficere ſtudens, τήν τε Τιάραν, ut JOSEPHUS *libr.* XX. *Antiq. cap.* III. narrat, ὀρθὴν ἐπιτρέψας αὐτῷ φορεῖν, καὶ ἐπὶ χρυσῆς κλίνης καθεύδειν· ἃ μόνων (*b*) ἐστὶ γέρας καὶ σημεῖον τῶν Πάρθων βασιλέων. *Tiaram rectam ei geſtare permiſit, & in aureo lecto cubare; quae honoris inſignia ſolis Parthorum regibus conceſſa ſunt.*

XLVIII. Igitur ſatis ſuperque probatum eſt, Regum Tiaram ὀρθὴν, reliquorum ἐπικεκλιμένην ſeu κεκλιμένην, & hoc amplius ἐπιγυρμένην, καὶ εἰς μέτωπον προβεβλημένην, fuiſſe, id eſt, *implicatam, involutamque, & in frontem projectam.* Verum ſeptem Perſis, Magorum percuſſoribus, & eorum poſteris, praemii loco conceſſum fuiſſe, ut in anteriorem partem capitis prominentem Tiaram geſtarent, PLUTARCHUS in *Politicis*, ſive *praeceptis gerendae reipubl. pag.* 820. docet his verbis: Τοῖς δὲ τοὺς Μάγους ἀνελοῦσιν ἑπτὰ Πέρσαις ἔδωκαν αὐτοῖς, καὶ τοῖς ἀπ' αὐτῶν γενομένοις, εἰς τὸ μέτωπον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὴν Τιάραν φορεῖν. τοῦτο γὰρ ἐποιήσαντο σύμβολον, ὡς ἔοικε, χειρώσαντες τὴν πρᾶξιν. *Septem Perſis, qui Magos interfecerunt, eorumque poſteris conceſſum eſt, ut tiaram in anteriorem capitis partem obverterent, quod eum eam rem aggrederentur, hac teſſera, ut videtur, fuerint uſi.* Atque ita a Regibus, & a ceteris diverſo modo Tiaram geſtaſſe videntur, propterea quod non, ut Reges, erectam, ac veloti ad perpendiculum in caput elatam; neque, ut privati, in frontem propendentem & demiſſam; ſed medio quodam ſtatu in ſincipur projectam, prominentemque geſtabant. Tiaram autem D. HIERONYMUS ad *cap.* III. *Danielis*, *vſ.* 21. genus ait eſſe pileoli, quo Perſarum Chaldaeorumque gens utitur: de cujus forma & figura, ex his, quae ſubjeci, locis aliquid conjectura colligi poterit. XENOPHONTIS ſiquidem *libr.* V. Ἀναβάσ. *pag.* 352. verba ſunt haec: Ἐπὶ δὲ τῇ κεφαλῇ κράνη σκύτινα, οἷά περ τὰ Παφλαγονικά, κρωβύλον ἔχοντα κατὰ μέσον ἐγγύτατα τιαροειδῆ. *In capite coriaceas galeas, Paphlagonicis ſimiles, geſtabant, quarum in media crobylus erat, quam proxime tiarae formam referens.* Quem locum SUIDAS citans, Κρωβύλον explicat, πλέγμα τριχῶν εἰς ὀξὺ λῆγον. *Capillorum nexum, vel nodum, in acutum deſinentem.* Eaque interpretatio THUCYDIDIS *Scholiaſtem* adſertorem habet, qui ad haec *libr.* I. *pag.* 6. verba: Κρωβύλον ἀναδούμενοι· Κρωβύλος δὲ ἐστὶν, ait, εἶδος πλέγματος τῶν τριχῶν, ἀπὸ ἑκατέρου (*c*) εἰς ὀξὺ λῆγον. *Crobylus eſt ſpecies innodationis capillorum, utrinque in acutum deſinens.* Idem SUIDAS: Νιδάριον (*d*) παρὰ Πέρσαις τὸ περὶ τῇ κεφαλῇ περιείλημα· ὃ δὴ παρ' Ἀθηναίοις ἐκαλεῖτο Κρωβύλος. *Nidarium apud Perſas vocatur faſcia capitis: vel idem ſignificat, quod apud Athenienſes Crobylus.* Nec diſſidet SERVIUS in IV. *Aeneid. Virgilii v.* 138. *Retiolum, quod comas colligit*, Κρωβύλον dici tradens. Crinium ergo in acutum deſinentium figuram, Tiarae ſpeciem imitari inde elicitur. DIONYSIUS HALICARNASS. *libr.* II. *p.* 129. de Saliis: Καὶ τὰς καλουμένας Ἄπικας ἐπικειμένους ταῖς κεφαλαῖς, πίλους ὑψηλοὺς εἰς σχῆμα συναγομένους κωνοειδὲς, ἃς Ἕλληνες προσαγορεύουσι Κυρβασίας. *Et ſic dictos Apices capitibus geſtantes, qui ſunt faſtigiati in coni formam pilei, quos Graeci Kyrbaſias appellant.* STRABO *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) vulgum quidem Perſarum περὶ κεφαλῇ πίλημα, *capite pileum*, &, ut alias appellat, ῥάκος σινδόνιον περὶ κεφαλῇ, *centonem ſindonis capiti circumvolutum*: Principes autem viros, Τιάρας παραπλησίας ταῖς τῶν Μάγων, *tiaras, illis Magorum, (tiaris) ſimiles*, geſtaſſe ſcribit. Ibidemque Tiaram, πίλημα πυργωτὸν, *pileum turritum*, vocat (*e*). In Tiara autem & σχῆμα, *formam*, & χρῶμα, *colorem*, PLUTARCHUS in *Alexandro pag.* 697. memorat. Sed & ARISTOPHANIS SCHOLIASTES ad hunc Comoediae, quae Ἀχαρνεῖς inſcribitur, verſum, (62.) Ἄχθομαι 'γὼ πρέσβεσι καὶ τοῖς ταῷσι, *Ego legatis*

(*a*) SUBJICIT] *Plutarchus* ſcilicet, non *Seneca*, qui nihil de Xerxis ira habet. Hinc punctum poſui poſt hoc verbum, quum in prioribus *edd.* cum ſequenti connecteretur. TR.

(*b*) Ὧ μόνων] In *ed. noviſſ.* legitur ἅπερ μόνων. TR.

(*c*) Ἑκατέρου] In *ed.* Cl. *Dukeri* legitur ἑκατέρων. TR.

(*d*) Νιδάριον] Hanc vocem eſſe corruptam ex Κιδάριον, quod diminutivum a Κίδαρις, cenſet *Kuſterus* in notis. Confer etiam Hadr. Relandi *Diſſ.* VIII. inter *Diſſertationes Miſcell. P.* II. *pag.* 204. TR.

(*e*) VOCAT] Loca STRABONIS ſatis confuſe adducit auctor: ergo ea in meliorem ordinem redigam. Primo quidem de militibus in genere ait ille: περὶ δὲ τῇ κεφαλῇ πίλημα πυργωτόν. *Capiti autem imponunt pileum turritum.* Deinde habitum pacificum deſcribit, & primo quidem loco Principum, de quibus inter alia: Τιάρας παραπλησίας ταῖς τῶν Μάγων. *Tiaras magorum infulis ſimiles.* Denique de vulgi tegumento capitis ita loquitur: ῥάκος δὲ σινδόνιον περὶ τῇ κεφαλῇ. *Circum caput ſindonis cento volvitur.* TR.

tis & pavonibus ſuccenſeo, Perſicas Tiaras ταῶ-πτερὰ, *pavonis pennas*, habuiſſe ait. Quo forte reſpexit (*a*) PHILOSTRATUS *libr.* III. *Imagin. cap.* 30. *de Themiſt.* cum de Rege Perſarum loquena ait: Καὶ αὐτὸς ὁ βασιλεὺς ἐπὶ χρυσοῦ θρόνου κατὰ.. ὢν ὡς ταώς. *Et ipſe rex in aureo ſolio pictus inſtar pavonis.* Interpres vero AESCHYLI in *Perſas v.* 659. τοῦ φαλάρου καὶ τῆς λόφου τῆς βασιλικῆς τιάρας καὶ περικεφαλαίας meminit: & περιφερὲς..., τὸ στέμμα, *coronam*, appellari ait.

XLIX. Sane Perſarum pilea coactilia non fuiſſe, ſeu ex coactia, id eſt, ex lanis villiſve confecta, ſed ex pannis compacta, docet HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 61. Hoc enim ſignificat, cum ait: περὶ μὲν τῇσι κεφαλῇσι εἶχον (de Perſia loquitur) τιάρας καλεομένους πίλους ἀπαγέας. *In capitibus babebant Tiaras, quae pilei ex pannis compacti vocabantur.* Quorum poſtremorum verborum ſententiam interpres aſſecutua non eſt (*b*). Pilea quoque Romana aeque fuiſſe ἀπαγῆ, indicat hic notiſſimus poëtae verſus (*c*):

Tritis pilea ſuta de lacernis.

Sed & Cidarin byſſinam Darium pollicitum his, qui propoſitam quaeſtionem aptius & verius expedirent, apud JOAEPHUM *libr.* XI. *Antiq. Jud. cap.* IV. (*al.* III.) & *Eſdrae libr.* III. *cap.* III. *v.* 6. legimus. Tiaram utique tempora & buccas velaſſe, oſtendunt OVIDIUS & JUVENALIS. Ille ſiquidem *libr.* XI. *Metamorph. vſ.* 182.

Tempora, ait, *purpureis tentant velare Tiaris.*

hic vero *Satyra* VI. *v.* 514.

Phrygia veſtitur bucca Tiara.

Tiaram porro diverſam fuiſſe a Mitra (*d*), indicat HERODOTUS *libr.* VII. qui Perſas Tiaratos, ſi ita loqui liceat, ſeu pileatos fuiſſe: Ciſſios vero, pro pileia, Mitras geſtaſſe, ita ſcribit: ἀντὶ δὲ τῶν πίλων, μιτρηφόροι ἦσαν. *Pro pileis vero, Mitras geſtabant.* Hoc idem MAXIMUS TYR. *Serm.* X. (XXVI. *cap.* 7. *pag.* 317.) oſtendit, Οὐδὲ Μηδικὴ, inquiens, τιαροφόρος, οὐδὲ Μακεδονικὴ μιτροφόρος. *Neque Medica tiaram, neque Mardonica mitram geſtans.*

L. Proprio autem nomine inſigne capitis Regum Perſarum, Citaris, ſeu Cidaris (utrumque enim promiſcue uſurpatum HESYCHIUS teſtis eſt) appellabatur. POLLUX *libr.* VII. *Onomaſt cap.* XIII. *Segm.* LVIII. *pag.* 726. (*e*) Περσῶν μὲν ἴδια κάνδυς, καὶ ἀναξυρίς, καὶ τιάρα, ἣν καὶ κυρβασίαν καὶ κίδαριν, καὶ πῖλον καλοῦσι. *Perſarum propria ſunt (veſtimenta ſcil.) Candys, & Anaxyris, & Tiara, quam & Cyrbaſiam, & Cidarin atque Pileum vocant.* Sic enim eum locum ſupplendum cenſeo. Idem *libr.* X. *cap.* XXXVI. *Segm.* CLXII. *pag.* 1347. Ἡ δὲ καυσία πῖλος Μακεδονικὸς παρὰ Μενάνδρῳ, ὥσπερ κυρβασία Περσικός. *Cauſia vero Pileus Macedonicus apud Menandrum, quemadmodum Cyrbaſia Perſicus.* Ita enim mihi locus ille reſtituendus videtur. Subjicit deinde: Ἡρόδοτος δὲ καὶ κίταριν. *Herodotus quoque Citarin nominavit.* HESYCHIUS cum SUIDA (*f*): Κίδαρις πῖλος βασιλικός, ὃν καὶ τιάραν καλοῦσι. *Cidaris Pileus regius, quem & Tiaram vocant.* PHILO JUDAEUS *de vita Moſis libr.* III. *pag.* 671. Κιδάρει γὰρ οἱ τῶν ἑῴων βασιλεῖς, ἀντὶ διαδήματος, εἰώθασι χρῆσθαι. *Cidari enim, loco Diadematis, Orientis reges utuntur.* Quanquam Perſarum quoque Regibus Diadema Graeci auctores tribuunt, & ad Tiaram rectam Diadema acceſſiſſe docent. XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 215. [*p.* 170.] de Cyro: Εἶχε δὲ καὶ διάδημα περὶ τῇ τιάρᾳ. *Habebat & circa Tiaram Diadema.* PLUTARCHUS *libr.* περὶ φιλαδελφίας, *de amore fraterno*, *pag.* 488. de Xerxe: Θεὶς τὸ διάδημα, καὶ καταβαλὼν τὴν τιάραν. *Depoſito Diademate, & dejecta Tiara.* LUCIANUS quoque in *Navigio*, ſeu de *Votis*, *cap.* 30. *pag.* 267. *Tom.* III. & rurſus in *Piſcat. cap.* 35. *pag.* 604. Diadema cum Tiara ſociat. Fit & Diadematis Regis Perſarum mentio, *libr.* III. *Eſdrae*, *cap.* 4. *v.* 30. eoque Mardochaeum redimitum in publicum produxiſſe narratur. (*Eſther. cap.* 8. *v.* 15.)

LI. Quin imo Diadematis nomine Cidarin deſignant, quod DIODORO & JUSTINO collatus ARRIANUS aperte comprobat. Alexandrum enim ex habitu Regum Perſarum Diadema, inſolitum antea Regibus Macedonicis, aſſumſiſſe JUSTINUS *libr.* XII. *cap.* 3. §. 8. narrat. Similiter-

(*a*) RESPEXIT] Immo reſpexit potius ad veſtem ſive ſtolam ποικίλην: eadem enim, dum de illa loquitur, comparatione utitur AELIANUS in *Hiſt. Animal. lib.* V. *c.* 21. TR.

(*b*) EST] Intelligitur *Laurent. Valla*, qui reddidit *pilea impenetrabilia*. Jac. Gronovius comma ponit poſt verbum καλεομένους, (Herodotum enim vocem Τιάρας etiam in maſculino genere ponere plus ſimplici vice notavit) & locum ita interpretatur: *Circa capita geſtabant pilea (quas vocant Tiaras) non denſata:* in notis vero *pag.* 973. ulterioris explicationis gratia addit: *Haec Perſica tegumenta capitum non conſtabant ex coactilibus, quae exprimuntur voce Graeca, unde babent appellationem (πῖλος). Tiarae omnia erant ſerica, ſi forte villis referta, utique non duratis compreſſiſque viſco, aut ſimili materia.* Nullus ergo inter Gronovium & auctorem noſtrum eſt diſſenſus, &, ſi hunc locum vidiſſet Gronovius, ſine dubio non reprehendiſſet Briſſonium, quod *lib.* III. §. 24. laudatum *Herodoti* locum ſine ulla interpretatione exhibuerit. TR.

(*c*) VERSUS] Eſt verſus STATII *Sylv. lib.* IV. *Carm.* IX. *v.* 25. TR.

(*d*) MITRA] Confer *Jo. Meurſii Animadverſ. miſcell. lib.* II. *cap.* 14. TR.

(*e*) Bene ita locum ſupplendum vidit doctiſſimus Briſſonius. Conſentit enim haec emendatio & cum aliis Scriptoribus, & cum MSS. Codicibus, e quibus nuper Pollucem noſtrum emendavimus. Plura qui hac de re ſcire cupit, adeat notas, & ea, quae Briſſ. infra habet §. LXIII. *pag.* 41. *ſeq.* Locum ſequentem vero quod attinet ex Pollucis X, 161. in eo non aeque feliciter Clariſſimus Vir verſatus fuit atque in priore; quem ita MSS. ope reſtitutum noſtra jam editio exhibet: ἡ δὲ καυσία, πῖλος Μακεδονικὸς παρὰ Μενάνδρῳ, ὡς τιάρα Περσικός, *Cauſia Pileus Macedonicus eſt apud Menandrum, quemadmodum Tiara Perſicus.* Antigonum HERODIANUS I. 3, 7. (*cap.* 6. *ed. Parei*) notat ad imitationem Bacchi hederam capiti circumdediſſe ἀντὶ ΚΑΥΣΙΑΣ καὶ διαδήματος Μακεδονικοῦ. Sed haec nota ſunt, & prolixius etiam atque erudite, tam de Cauſia, quam Tiara Perſica, hujuſque loci reſtitutione agunt Clariſſimorum ad Pollucem virorum notae, quae videri ibidem merentur. L.

(*f*) SUIDA] Ipſa, quae hic auctor affert, verba eo ordine apud HESYCHIUM leguntur; ubi & alia lectu digna occurrunt. SUIDAS vero multas exhibet interpretationes, ex quibus & haec verba haud difficile poſſunt colligi. Idem ſub voce Τιάρα ita loquitur: τὸ δ᾽ αὐτὸ φασιν εἶναι καὶ κίταριν. Θεόφραστος δ᾽ ἐν τῷ περὶ βασιλείας Κυπρίων, τὴν κίταριν ὡς διάφορον. *Idem eſſe dicunt & Citarin.* Theophraſtus vero in libro de Cypriorum regno *Citarin diverſam ſtatuit.* TR.

iſterque DIODORUS SICULUS de eo verba faciens *libr.* XVII. (*a*) εἶτα τε τὸ Περσικὸν Διάδημα, τὸ τοιοῦτον ἀντὶ ὧν αὐτὸς ὁ νικῶν πάλαι ἐφόρει, ἀμείψας οὐκ ᾐσχύνθη. *Dein Perſarum Diadema devictorum, cum eo quod antea victor geſtare ſolebat, permutare non erubuit.* ARRIANUS vero, Κίδαριν Περσικὴν, *Cidarin Perſicam*, ex Perſico luxu Alexandrum mutuatum, refert *libr.* IV. *cap.* 7. *pag.* 160. Ita quod ille Περσικὸν Διάδημα, hic Κίδαριν Περσικὴν dicit. Ac deinde *libr.* VII. *cap.* 22. *pag.* 304. Diodoro conſentiens Arrianus, Cidarin & Diadema confundens, Alexandri Καυσίαν & τὸ συγκείμενον αὐτῇ Διάδημα, *Cauſiam & junctum ipſi Diadema*, numerat. Unde apparet, eodem modo Macedonicae Cauſiae Cidarin eum adjunxiſſe, quo Tiarae rectae apud Perſas connectebatur. Simili cultu unum ex Antonii filiis, Καυσίᾳ Διαδηματοφόρῳ κεκοσμημένον, *Cauſia cum Diademate ornatum*, proceſſiſſe, PLUTARCHUS in *Antonio pag.* 941. ſcribit (*b*). Eodemque modo Tigranem Τιάραν καὶ Διάδημα περὶ αὐτὴν, *Tiaram, & circa eam Diadema* (*c*), DIO *libr.* XXXVI. *pag.* 26. & in ejus *Epitome* XIPHILINUS, indicant.

LII. Verum qualia eſſet Cidaris, unus nobis CURTIUS RUFUS aperit *libr.* III. *cap.* 3. §. 19. his verbis: *Cidarin Perſae Regium capitis vocabant inſigne. Hoc cerulea faſcia albo diſtincta circuibat.* Rurſuſque *libr.* VI. *cap.* 6. §. 4. de Alexandro: *Itaque purpureum Diadema, diſtinctum albo, quale Darius babuerat, capiti circumdedit.*

LIII. Praeterea Myrrha & Labyzo Cidarin delibutam fuiſſe didici ex ATHENAEO & HESYCHIO. Ille enim de Cidari *libr.* XII. *cap.* 11. *pag.* 514. talia ex *Dinone* ſcribit: Κατεσκευάζετο ἐκ σμύρνης καὶ τῆς καλουμένης λαβύζου. ὀσώδης δ' ἐστὶν ὁ λάβυζος, πολυτιμότερος δὲ τῆς σμύρνης. *Conficiebatur enim ex myrrha, & labyzo, ceu vocant. Suaviter vero labyzus olet, & myrrha eſt pretioſior.* HESYCHII vero de Cidaris ornatu & apparatu verba haec ſunt: Ἔστι δὲ ἐκ σμύρνης καὶ λαβύζου· ὁ δὲ λάβυζός ἐστι πολυτιμότερος αὐτὸ τῆς σμύρνης, καὶ ὄζει ἥδιστον, καὶ θυμίαμα ἐστι κάλλιστον τῷ βασιλεῖ. ἐκ τούτων ἡ Κίδαρις πεπλήρωται. *Fitque ex myrrha & labyzo; eſtque labyzus myrrha multum pretioſior, & ſuaviſſime olet, gratiſſimum regi ſuffimentum. Ex his Cidaris confecta eſt.* Ex quibus perſpicue liquere arbitror, quid ſibi CURTIUS velit, cum *libr.* VII. *cap.* 5. §. 24. *Regni inſigne* Beſſo ex capite direptum; itemque *libr.* VII. *cap.* 4. §. 12. cum Beſſum Comares (*d*) admonet, magnum onus ſuſtinere eum capite, *Regium inſigne*. Utrobique enim Tiaram rectam, cum purpurea faſcia, albo diſtincta, accipe: quod & *Decus capitis ſui*, Darius apud eundem CURTIUM *lib.* V. *cap.* 8. §. 13. appellat. ATHENAEUS vero *libr.* XII. *cap.* 11. *pag.* 514. Τὸ παράσημον ὃ ἐπεῖχον (*e*) τῇ κεφαλῇ οἱ τῶν Περσῶν βασιλεῖς. *Inſigne, quod capiti imponebant Perſarum reges.*

LIV. At in reliquarum gentium Regio dominatu, Diadema (quod omnibus notum non eſt) nihil aliud fuiſſe, quam candidam Faſciam, qua Regum frons praecingebatur, compertum habeo (*f*). Demonſtrat hoc ſatis aperte LUCIANUS in *Navigio*, ſeu *de votis cap.* 39. *pag.* 272. *Tom.* III. Diadema ταινίαν λευκὴν περὶ τῷ μετώπῳ, *faſciam albam circa frontem*, vocans. Idem in *Dialogo Diogenis & Alexandri cap.* 4. *pag.* 393. Diadema hoc verborum ambitu deſignat: Διαδεδεμένον ταινίᾳ λευκῇ τὴν κεφαλήν. *Redimitum faſcia alba caput.* Argumento eſt etiam, quod VALERIUS MAXIMUS *libr.* VI. *cap.* 11. *ex.* 7. Favorinum (*g*) Pompejo, faſcia crus alligatum habenti, Regias vires, exigui panni cavillatione, exprobrantem, dixiſſe narrat; *Non refert, qua in parte corporis ſit Diadema.* SUETONIUS quoque in *Jul. Caeſare*, *cap.* LXXIX. inter cetera regii nominis a Caeſare affectati indicia, ponit, *Coronam lauream, candida Faſcia praeligatam*, ſtatuae ejus non inviti a quodam e plebe impoſitam. Quod alludens CICERO *Epiſt.* III. *libr.* II. *ad Atticum*: *Epicratem*, ait, *ſuſpicor*, *ut ſcribis, laſcivum fuiſſe: etenim mihi caligae ejus, & (h) faſciae cretatae*, non *placebant.* SENECA etiam *Epiſt.* LXXX. *circa fin.* Diadema, *Faſciam* appellat. PLINIUS *libr.* XI. *cap.* XVI. *In fine*; Eſt Regibus Apum *in fronte macula, quodam Diademate candicans.* SILIUS ITALICUS *libr.* XVI. *v.* 242. de Juba Rege;

—— —— *cinguntur tempora vitta*
Albenti.

FESTUS *lib.* II. *Baſiliſcus appellatur genus ſerpentis, vel quod in capite habeat album, inſtar Diadematis; vel quod reliqua ſerpentum genera vim ejus fugiant.* Denique AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XII. (*i*) Diadema *Faſciolam candidam, Regiae majeſtatis inſigne*, appellat. *Pannum* vocat VALERIUS MAX. non illo modo, quem ſupra adduxi, loco, ſed & *libr.* VII. *cap.* II. *ext.* 5. his verbis: *Rex etiam ille ſubtilis judicii, quem ferunt, traditum ſibi Diadema, priuſquam capiti imponeret, retentum diu conſideraſſe, ac dixiſſe: O nobilem magis, quam felicem pannum.* Cujus Regis nomen, a Valerio ſilentio ſuppreſſum, STOBAEUS edit, *Serm.* XLVII. *pag.* 344. Antiochumque fuiſſe, liquido declarat. Et quod ille *Pannum*, hic ῥάκος, ut & Monima Mileſia apud PLUTARCHUM in *Lucullo*,

(*a*) LIBR. XXII.] Auctor verba DIODORI & ARRIANI confundit. Apud priorem *lib.* XVII. *cap.* 77. *pag.* 220. (*St.* 603. *Rh.* 549. *ſeq.*) ita legitur: Εἶτα τό τε Περσικὸν διάδημα περιέθετο, καὶ τὸν διάλευκον ἐνεδύσατο χιτῶνα, καὶ τὴν Περσικὴν ζώνην, καὶ τ' ἄλλα πλὴν τῶν ἀναξυρίδων καὶ τοῦ κάνδυος. *Quin & Perſicum Diadema capiti impoſuit, candidamque tunicam, cum balteo, regibus Perſarum uſitato, & ceteris, praeter femoralia & Candya, induit.* Poſterior vero *lib.* IV. *de exped. Alex. cap.* 7. *pag.* 160. ita loquitur: Καὶ τὴν κίδαριν τὴν Περσικὴν τῆς νενικημένης, ἀντὶ ὧν αὐτὸς ὁ νικῶν πάλαι ἐφόρει, ἀμείψασθαι οὐκ ἀπαξιώσαντα, οὐδὲ ταῦτα ἐπαινῶ. *Neque hoc laudare poſſum, quod Cidarin Perſicam, devictorum ſcilicet, cum eo, quod antea victor geſtare ſolebat, permutare non erubuerit.* TR.

(*b*) SCRIBIT] Ubi ſimul obſervat, hunc fuiſſe habitum communem Regum, ſucceſſorum Alexandri M. Ex quo apparet, Alexandrum M. ſucceſſoreſque ejus, callido ſatis conſilio, habitum regum Perſarum conjunxiſſe quodammodo cum habitu veterum regum Macedonicorum. TR.

(*c*) DIADEMA] Supplendum eſt verbum *geſtaſſe*, vel ſimile. Ipſa verba DIONIS ſunt: τιάραν δὲ ὀρθὴν καὶ τὸ διάδημα εἶχε. *Tiaram autem cum faſcia gerebat.* TR.

(*d*) COMARES] In *edd.* quas ego inſpexi, vocatur *Cobares* TR.

(*e*) Ἐπεῖχον] In *edd.* quas ego vidi, legitur ἐπετίθεντο. TR.

(*f*) HABEO] De Diademate varios ſcriptores recenſent *Jo. Maderus* in libello *de coronis*, *pag.* 1410. *Tom.* VIII. *Theſ. Antiqq. Graev.* & *Jo. Alb. Fabricius* in *Bibliogr. antiq. cap.* 14. §. 13. *pag.* 495. TR.

(*g*) FAVORINUM] Immo *Favonius* vocabatur notiſſimus ille Catonis ſimius. TR.

(*h*) ET] In *edd.* quas ego inſpexi, legitur *at*. TR.

(*i*) LIBR. XII.] Auctor ſine dubio intelligit locum *lib.* XVII. *cap.* 11. ubi de Pompejo loquitur. TR.

cullo, *pag.* 503. nuncupat. Capiti quidem impoſitum, *Valerius Maximus l. c.* ſignificat, & Aurelius Victor, apud quem io *cap.* iii. *de Caeſar.* de Caligula, *inſigne Regni capiti nectere*, legimus. Seneca *Epiſt.* lxxx. *circa fin. Vides illum Scythiae Sarmatiaeve Regem inſigni capitis decorum.* Uode & *Capitis Decus* vocatur a Seneca *lib.* i. *de Clementia. cap.* i. (*a*) & io *Hercule furente*, *Act.* ii. *Sc.* i. *v.* 256. & in *Agamemn. Act.* i. *Sc.* i. *v.* 8. & *Capitis inſigne*, a Livio *libr.* xxvii. *cap.* 31. & *Regium inſigne*, a Tacito *libr.* xii. *Annal. cap.* 49. & *Regium decus*, a Sallustio, io *bello Jugurthino* (*b*) Regum frontem eo revinctam fuiſſe, Seneca in *Thyeſte Act.* ii. *Choro*, *v.* 345. & *Act.* iii. *Sc.* ii. *v.* 529. doeet, utrobique *Regiae frontis* (*c*) *notam*, appellans, Similiterque in *Choro Act.* iii. *v.* 597. ejuſdem Tragoediae: *Ille, qui donat Diadema fronti.* Unde Annaeus Florus *libr.* iii. *cap.* 19. §. 10. *veſte*, ait, *purpurea*, *argenteoque baculo*, *& Regium iu morem fronte redimita.* Plutarchus in *Coriolano*, *pag.* 218. ex Metellis uoum *Diademati* cognomen inde iovenifſe ſcribit, ὅτι πολλοῖς χρόνοις ἕλκος ἔχων ἀνεστρέφετο περιδεδεμένος τὸ μέτωπον. *Quod diu ulceris cauſa frontem obligatam habens obambularet.* Justinus *libr.* xv. *cap.* 3. §. 13. *Sed Lyſimachum deſiliens equo Alexander haſtae cuſpide ita in fronte vulneravit, ut ſanguis aliter claudi non poſſet, quam Diadema ſibi demptum Rex alligandi vulneris cauſa capiti ejus imponeret; quod auſpicium regalis majeſtatis Lyſimacho fuit.* Atque hoe Diadema, Regum inſigne, Liberum Patrem inveniſſe, Plinius *libr.* vii. *cap.* lvi. *princ.* tradit. In orbes utique ſinuatum fuiſſe tegmeo capitis Parthorum Regum, Tacitus *libr.* vi. *Annal. cap.* xxxvii. indicat, eum ait: *Nuntiavere accolae, Euphratem nulla imbrium vi, ſponte in* (*d*) *immenſum attolli: Simul inalbentibus ſpumis, in modum Diadematis, ſinuare orbes.* Sane Saporem Perſarum Regem aureum eapitis arietini figmentum, interſtinctum Lapillis, pro Diademate geſtaſſe, Ammianus Marcellinus *libr.* xix. *cap.* i. refert (*e*).

LV. Quod autem ad reliquum Regum veſtitum attinet, conſtat ſtolatos eos fuiſſe, & uſque ad talos demiſſam veſtem purpuream geſtaſſe. Cujus rei vel unus Justinus locuples teſtis eſt *libr.* xii. *cap.* 3. §. 9. *ſeq.* quo loci de Alexaodro, qui, oe iovidioſius io ſe uno Perſarum luxus eonſpiceretur, ſuos quoque in ſocietatem vocandos duxit, ita loquitur: *Amicos quoque ſuos longam veſtem auream* (*f*), *purpureamque ſumere jubet, ut luxum quoque, ſicut cultum imitaretur Perſarum.* Cujuſmodi veſtem Herodotus *lib.* vi. *cap.* 112. & vii. *cap.* 116. Xenophon *libr.* viii. παιδ. *pag.* 206. & 213. Plutarchus io *Alexandri vita pag.* 690. & *libr.* i. *de Fortuna* ejuſdem Principis, *pag.* 328. Arrianus *libr.* iv. *cap.* 7. *pag.* 160. & vii. *cap.* 8. *pag.* 280. Aelianus *libr.* i. *Var. Hiſt. cap.* xxii. & Zonaras *Tomo* i. *Annal. lib.* iii. *pag.* 166. Μηδικὴν στολὴν vocant: Aemilius Probus io *Pauſania*, *cap.* 3. §. 2. *Medicam veſtem.* Xenophon vero *libr.* i. Ἀναβάσ. *pag.* 249. Strabo *libr.* xi. *pag.* 797. (525.) Aelianus *libr.* i. *cap.* xxxii. & Athenaeus *libr.* xii. *cap.* 4. *pag.* 522. & *cap.* 9. *pag.* 535. Περσικὴν στολὴν, *Perſicam ſtolam*; & Curtius *libr.* vi. *cap.* 6. §. 4. *veſtem Perſicam*, quam & *libr.* iii. *cap.* 3. §. 18. *Pallam* vocat. Eandem Plutarchus in *Alexandr. l. c.* & Athenaeus *lib.* i. *cap.* 23. *pag.* 29. στολὴν βαρβαρικὴν, *ſtolam barbaricam*, dieunt (*g*).

LVI. Hujus autem veſtis talaris uſum Cyrus in Perſidem induxit, ut Xenophon *lib.* viii. παιδ. *pag.* 206. de eo verba faciens, ita ſcribit: Στολήν τε γὰρ εἵλετο τὴν Μηδικὴν, αὐτός τε φορεῖν, καὶ τοὺς κοινῶνας ταύτην ἔπεισεν ἐνδύεσθαι. αὕτη γὰρ αὐτῷ συγκρύπτειν ἐδόκει, εἴ τις τι ἐν τῷ σώματι ἐνδεὲς ἔχοι, καὶ καλλίστους καὶ μεγίστους ἐπιδεικνύειν τοὺς φοροῦντας. *Itaque cum ut ipſe Medicam ſtolam geſtaret, certo judicio ſtatuit, tum ſodalitati perſuaſit, ut hanc induerent. Nam ſi quid corpori deeſſet, id occultare ſtola haec Cyro videbatur, & eos, qui ipſam geſtarent, quam pulcherrimos & maximos exhibere.* Atque adeo ejus generis veſtesquam plurimas ſuis largitum Cyrum, Zonaras *tom.* i. *Annal. l. c.* poſt Xenophontem *l. c. pag.* 213. narrat. Quamquam, ſi ab ultima aotiquitate res repetenda ſit, originem haec veſtis ſpecies ducit a Semiramide: Eam namque hoc genus veſtis excogitaſſe, cum iter illi inſtaret ſubitum & loogum, Diodorus Siculus *libr.* ii. *cap.* 6. *pag.* 119. (*St.* 67. *Rh.* 94. *ſeq.*) memorat, indicans ἀδιάγνωστον καὶ κοινὴν στολὴν (*h*) fuiſſe: additque; καὶ τὸ σύνολον τοιαύτη τις ἦν αὐτῇ χάρις, ὥσθ' ὕστερον Μήδους ἡγησαμένους τῆς Ἀσίας, φορεῖν τὴν Σεμιράμιδος στολὴν, καὶ μετὰ ταῦθ' ὁμοίως Πέρσας. *Tantaque veſtis gratia erat, ut Medi poſtea & Perſae, Aſia potiti, Semiramidis ſtolam geſtarent.* Justinus *libr.* i. *cap.* 2. §. 3. de Semiramide: *Igitur brachia & crura velamentis, caput tiara tegit: & ne novo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum veſtiri jubet: quem morem veſtis exinde gens univerſa tenet.* Strabo vero *libr.* xi. *pag.* 798. (526.) ad Medeam hujus veſtis origioem refert his verbis: τοῖς δὲ Μήδοις καταδεῖξαι τὴν ἐσθῆτα ταύτην φασί,

(*a*) Cap. i.] Verba ejus ſunt: *Quorumque* (ſc. Regum) *capiti regium circumdari decus oporteat.* TR.

(*b*) Jugurthino] Ego hanc expreſſionem bis in hoc libello reperi, *cap.* 33. (*al.* 39.) & 72. (*al.* 79.) ſed utrobique non inſigne aliquod regium, ſed generatim id, quod regem decet, ſignificat. Niſi ergo auctor alium adhuc locum prae oculis habuerit, ll. cc. ſane huc non pertinent. TR.

(*c*) Frontis] Sive *capitis*, ut in ultimo *l. c.* legitur. Pertinet huc etiam *ib. v.* 542.

Impoſita capiti vincla venerando gere. TR.

(*d*) In] In aliis *Codd.* legitur ἐς; & *paulo poſt* ſimplex *albentibus.* TR.

(*e*) Refert] Immo & alias Regum Perſicorum ſive Tiara, ſive Diadema, pretioſis lapidibus erat ornatum, ut patet ex Themistii *Orat.* vii. xxiv. *pag.* 306.) ubi imago regis cujuſdam ita deſcribitur: Νεανίσκος ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ καθήμενος βασιλικοῦ, τιάραν ἔχων ὑακίνθοις τε καὶ σμαράγδοις &c. *Juvenis quidam formoſus eſt, regio in ſolio conſidens, Tiaram in capite gerens, hyacinthis ac ſmaragdis ornatum* &c. TR.

(*f*) Auream] *Auratam* legitur in *edd.* accuratioribus: eaedem cum verbo *jubet* claudunt periodum, & verba ſequentia ad periodum referunt ſequentem. TR.

(*g*) Dicunt] Quando vero accuratiſſime loquuntur veteres, tunc diſtinguunt inter veſtem Barbaricam, Medicam, & Perſicam Sic Zonaras *Annal. lib.* iv. *pag.* 191. Ἐντεῦθεν εἰς τὴν Παρθικὴν ἀναζεύγνυσιν, ἔνθα πρῶτον βαρβαρικὴν στολὴν ἐνδύεται, τῆς μὲν Μηδικῆς ἀτυφοτέραν, τῆς δὲ Περσικῆς σοβαρωτέραν. *Inde in Parthicam eſt profectus, ubi primum Barbaricam veſtem induit, Medica minus ſuperbam, Perſica inſolentiorem.* Cum quo loco confer Plutarchi loca ab auctore adducta. TR.

(*h*) Στολὴν] De horum verborum, paulo obſcuriorum, ſenſu vide Cel. *Weſſelingii* notas. Idem paulo poſt pro τοιαύτη reponit τοσαύτη. TR.

οἱ, δυνασεύοντος τῆς τύχης καθάπερ Ἰάσονα, κ̀ ἐπικρυπτομένην τὴν ὄψιν, ὅτε ἀνὰ τ̃ βασιλέως ἐξίοι. *Sunt, qui tradant, Medeam dominio iſtarum regionum cum Jaſone potitam, veſtem illam excogitaviſſe, & quoties praeter regem exiret, faciem velaſſe.* Hanc autem Medicam veſtem eandem cum Serica PROCOPIUS *lib.* I. *de Bello Perſ. cap.* 21. *pag.* 264. (61.) facit. Pretioſiſſimam vero illam Regum longam veſtem fuiſſe, multo auro, multiſque gemmis, conjicere licet cum ex *cap.* III. *Eſther.* (*a*) tum ex eo, quod de Cyri minoris ornatu Perſico, CICERO *libr. de Senectute, cap.* 17. ex XENOPHONTIS *Oeconomico* commemorat. Quin etiam ἀπειρίρχον ἀν τῷ τ̃ βασιλέως σωματικῷ κόσμον fuiſſe, τ̃ μυρίων κ̀ δισχιλίων ταλάντων, *ornatum corporis, quem rex aſſidue geſtat, duodecim millibus talentorum aeſtimatum*, auctor eſt PLUTARCHUS in *Artaxerxe, pag.* 1024. Eundemque principem, τὴν καλὴν ἐ ἐπιχώριον αὐτῷ ἐνδεδυκότα, ὅλην διὰ χρυσῷ κ̀ λίθων πολυτελῶν, *magnificentiae ſuae ſtolam, quae univerſa auro lapilliſque pretioſis diſtincta erat, indutum*, in ſolio reſediſſe, narratur *Eſther. cap.* v. *princ.* Concordat JOSEPHUS *libr.* XI. *Antiq. Jud. cap.* VI. qui ſediſſe eum ait ἐπὶ τ̃ θρόνου, τ̃ βασιλικὸν ἀμπεχόμενον κόσμον, ὃς ἦν ἐκ ποικίλης μὲν ἐσθῆτος, χρυσῷ δὲ κ̀ λίθων πολυτελῶν. *In ſolio habitu regio indutum, diſtincto auro lapilliſque pretioſis.*

LVII. Nec auro modo & purpura inſignem, ſed & variis animalium aviumque figuris diſtinctam Q. CURTIUS *lib.* III. *cap.* 3. §. 18. oſtendit, veſtitum Darii deſcribens, his verbis; *Pallam auro diſtinctam, aurei accipitres, velut roſtris inter ſe corruerent, adornabant.* Quod & PHILOSTRATUS *libr.* II. *Imagin. cap.* 30. de *Themiſtocle* ſignificat, quum ait; Καὶ θηρίων πλέον ἀήθεις μορφὰς, οἷα ποικίλλονται βάρβαροι. *Et ferarum inuſitatas formas, quibus ſe ornant barbari.* Illius vero Pallae Perſicae figuram quadrangulam fuiſſe DIONYSIUS HALICARN. *libr.* III. *pag.* 195. docet. Illic enim Hetruſcos legatos Tarquinio inter cetera σύμβολα τ̃ ἡγεμονίας, *principatus inſignia*, attuliſſe refert: χιτῶνα πορφυρῶν χρυσόσημον, ἐ περιβόλαιον πορφυρῶν ποικίλον, οἷα Λυδῶν τε ἐ Περσῶν ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς, πλὴν ὑ τετράγωνόν γε τῷ σχήματι, καθάπερ ἐκεῖνα ἦν, ἀλλ' ἡμικύκλιον. *Purpuream tunicam, auro diſtinctam, purpureumque amiculum varium, qualia Lydorum atque Perſarum reges geſtabant; niſi quod non quadrata, ut illa, ſed figura erat ſemicirculi.* Mathematicis autem τετράγωνον eſt quadratum, conſtans quatuor lateribus aequalibus, & quatuor rectis angulis. Quae & Pallii Graecorum forma & figura erat, quemadmodum TERTULLIANUS in *libr. de Pallio cap.* I. indicat, in (*b*) *viris autem*, inquiens illic, *Pallii extrinſecus habitus, & ipſe quadrangulus, ab utroque laterum regeſtus, & cervicibus circumſtructus, in fibulae morſu humeris adquieſcebat.* Et in fine ejuſdem *libri* Pallium fingit ita loqui: Omnis *liberalitas ſtudiorum quatuor meis angulis tegitur.* HRABANUS etiam *de rerum naturis libr.* XXI. *cap.* VIII. *Pallam* definit *quadrum pallium muliebre, uſque ad veſtigia.*

LVIII. Tunicam praeterea, quam patrio ſermone Κάνδυν appellabant, Reges induiſſe, ex PLUTARCHI libris, quibus *Alexandri vitam* (*pag.* 690.) & *fortunam* (*lib.* I. *pag.* 330.) literis mandavit, liquet. Atque ut Tiara capitis, ita & Candys corporis commune Perſarum tegmen erat. LUCIANUS ἐν δὶς κατηγορ. *in bis accuſato, cap.* 27. *pag.* 824. *tom.* II. Καὶ μονονουχὶ κάνδυν ἐνδέδυκεν ἐς τ̃ Ἀσσυρίων τρόπον. *Et tantum non Candyn Aſſyriorum more inditum &c.* SUIDAS: Κάνδυς χιτὼν Περσικός, *Candys, veſtis Perſica.* Quibus verbis HESYCHIUS addit: ὃν ἐμπερονῶσι (*c*) οἱ στρατιῶται. *Quam fibulis connectunt milites.* Verum Regum Candys a ceteris purpuratorum & procerum amiculis, non pretio tantum, ſed & colore diſtabat. Nam, ut POLLUX *libr.* VII. *Onomaſt. cap.* XIII. *Segm.* 58. *pag.* 727. tradit, ὁ μὲν βασιλεὺς Κάνδυς ἁλουργὴς ἦν, ὁ δὲ τ̃ ἄλλων, πορφυροῦς, erat (*d*). Quibus verbis Pollux demonſtrat, hoc eximii Candyn Regium ſupra reliquos habuiſſe, quod murice & conchylio, id eſt, marina purpura tinctus eſſet. Ea quippe ſecundum Graecorum interpretationem vocis Ἁλιπόρφυρος ſignificatio eſt. HESYCHIUS Ἁλιπόρφυρα, ἁλουργῆ, τοῦτ' ἔστιν ἐκ θαλασσίας πορφύρας. EUSTATHIUS in VII. *Iliad.* Ἁλιπόρφυρα τὰ ταῖς θαλασσίαις ἁλικάλυξι, ἁλουργῆ, πορφυρᾷ. Et in v. (*al.* XIII.) *Odyſſ.* Ἁλιπόρφυρα, inquit, τὰ πορφυρᾷ ἐν θαλάσσῃ, ἢ τὰ ἁλουργῆ. Nam & Ἁλουργὰ SUIDAS θαλασσοπόρφυρα interpretatur. DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *Sect.* II. *cap.* 70. *pag.* 214. (*St.* 599. *Rh.* 544.) in Perſepolitana praeda multas a Macedonibus militibus direptas veſtes pretioſas narrans, τὰς μὲν, ait, θαλασσίαις πορφύραις, τὰς δὲ, χρυσοῖς ἐνυφάσμασι πεποικιλμένας. *Alias marina purpura tinctas, alias aureis texturis variegatas.* Cujuſmodi murice infectas veſtes prae ceteris purpureis in pretio fuiſſe, indicio ſunt haec, quae apud STOBAEUM *cap.* LXXXIII. *pag.* 487. legimus: εἵματα ποικίλα (*e*) διὰ θαλασσίης βαφεῖσα τ̃ κόγχης. Rurſuſque apud eundem *cap.* XCI. *pag.* 508. ex *Naumacho*: εἵματα δ' εἰνάλιος (*f*) αἵματι βάπτει κόγχης. Ejus vero generis veſtes Perſarum Regibus, Phoenicum oram maritimam, cui imperabant, ſuppeditaſſe, veriſimile eſt, quod illic laudatiſſimus murex legebatur: ibique purpurae Baphia Imperatores Romanos, Conſtantinopolitanoſque habuiſſe, notum eſt. Poſterioribus vero ſeculis aliud ex Sandice Indica purpurae genus in pretium veniſſe apud Perſas, VOPISCUS in *Aureliano cap.* 29. auctor eſt: ad cujuſmodi purpuras, cum reliquae Romanorum purpurae jungerentur, *cineris ſpecie decolorari*, ut ait ille, *videbantur, divini comparatione fulgoris.*

LIX. Regum utique amiculum purpureum, μεσάλαγχον, ſeu ἀμφίλαχον (utrumque enim idem valet) fuiſſe obſervavi: qualem habitum nemini, praeter Regem, geſtare licuiſſe, docet XENOPHON *lib.* VIII. παιδ. *pag.* 215. qui Cyrum indu-

(*a*) ESTHER] In *cap.* III. nihil reperi, quod huc ſpectaret. Intelligit forſan auctor *cap.* VI. *v.* 8. vel *cap.* VIII. *v.* 15. TR.

(*b*) IN] In *ed. Pariſ.* ita legitur: *Quadrata juſtitia beatae in viris ſtabant. Pallium extrinſecus &c.* Paulo poſt *circumſtructus*, ibi legitur *circumſtrictus.* TR.

(*c*) Vox ἐμπερονῶνται reſtituenda HESYCHIO ex editione SCHREVELII, in qua vitioſe ἐμπεριρῶνται legitur. L. Perinde, ut jam antea legebatur in *ed. Baſil.* 1521. TR.

(*d*) ERAT] Interpres ita reddidit: *Candys vero regius totus purpureus erat; aliorum autem purpura ornatus.* Videtur ergo legiſſe ὁλοπόρφυρος. Sed auctoris interpretatio & lectio probatur in notis *noviſſ. ed.* TR.

(*e*) Ποικίλα] Apud Stobaeum ita legitur: εἵματα σιγαλόεντα, κ̀ ποικίλα &c. *Veſtes valde ſplendidas, & oſtri marini cruore tinctas.* TR.

(*f*) Εἰνάλιος] Sequentia apud Stobaeum ita leguntur: ἁλιβάπτοις αἵματι κόγχης. *At veſtes marinae purpurae cruor inficit.* Ceterum Ἁλουργίδος in veſtitu Regum Perſicorum mentionem quoque facit THEMISTIUS *Orat.* V. (XIX. *princ. p.* 226.) & *Orat.* VII. (XXIV. *pag.* 306.) TR.

indutum fuiſſe χιτῶνα πορφυροῦν μεσόλευκον, *veſtem purpuream albo diſtinctam*, refert. PLUTARCHUS in *Alexandri vita*, *pag.* 694. de his, qui Perſarum imperio ſuberant: Οἱ τὴν Περσικὴν ζώνην, καὶ τὸν διάλευκον αὐτοῦ χιτῶνα προσκυνοῦσι. *Qui Perſicam zonam, & ejus albo diſtinctam veſtem adorant.* Alexander etiam, poſtquam in Perſarum mores tranſiit, τό τε Περσικὸν διάδημα περιέθετο, καὶ τὸν διάλευκον ἐνεδύσατο χιτῶνα. *Et Perſarum Diadema ſibi impoſuit, & albo diſtinctam veſtem induit:* ut DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *cap.* 77. *pag.* 220. (*St.* 603. *Rb.* 549. *ſeq.*) ſcribit. Quod & *Ephippi Olynthii* auctoritate firmatur, ex quo ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* 9. *pag.* 537. haec verba citat: Καθ' ἑκάστην ἡμέραν χλαμύδα τε πορφυρᾶν, καὶ χιτῶνα μεσόλευκον, καὶ Καυσίαν ἔχοντα (*a*) τὸ Διάδημα τὸ βασιλικόν. *Quotidie* (*geſtabat*) *chlamydem purpuream, tunicam albo diſtinctam, cauſiam, quae diadema regium ſuſtineret.* Tigranem quoque Armeniae Regem, DIO *libr.* XXXVI. *pag.* 26. indicat geſtaſſe χιτῶνα μεσόλευκον, καὶ τὸν Κάνδυν τὸν ὁλοπόρφυρον. *Tunicam media parte albam, & candyn totum purpureum.* Tarſenſem quoque Tyrannum, Lyſiam, πορφυροῦν καὶ μεσόλευκον χιτῶνα, *purpuream & media parte albam tunicam* geſtaſſe, ATHENAEUS *libr.* V. *pag.* 215. memorat. Idem *libr.* XIV. *cap.* 4. *pag.* 622. Phallos (*b*) χιτῶσι μεσολεύκοις uſos tradit. Sed enim quae ſit harum Graecarum vocum vis ac poteſtas, cum PLINIO, CURTIUS planum facit. Ille enim *libr.* XXI. *cap.* VI. διάλευκον *mediocandidum* interpretatur. Hic vero *libr.* III. *cap.* 3. §. 19. & *libr.* VI. *cap.* 6. §. 4. cum Diadema Darii deſcribit, μεσόλευκον, ſeu διάλευκον, *purpureum albo diſtinctum* vertit. Alias, *purpureum, cui medium album intextum erat*, reddit. De Darii namque cultu *libr.* III. *cap.* 3. §. 17. loquens, ait: *Cultus Regis, inter omnia, luxuria notabatur: purpureae tunicae medium album* (*c*) *intextum erat.* Ac ne quis a parum idoneo auctore interpretationem ſumptam ſuſpicetur, CURTIUS hic, ex cujus ſcriptis toties a me auctoritas in his libris ad faciendam fidem petitur, iis temporibus vixit, quibus bonas artes & ſtudia literarum floruiſſe, nemo infitiari poſſit. Nam, niſi me conjectura fallit, hic hiſtoriae Alexandri auctor, CURTIUS ille RUFUS eſt, qui jam inde a Tiberii temporibus Rempublicam attigit, & cui, dum Africae Proconſuli, velut comes & ſectator haereret, ſpectrum muliebri figura ſeſe obtulit, eique provinciae praefuturum eum, praedixit. Quod & eventus re ipſa comprobavit. Claudio enim imperante Africam cum imperio obtinuit, triumphaliaque inſignia adeptus, ibi diem obiit, quemadmodum TACITUS *libr.* XI. *Annal. cap.* 20. *ſeq.* & PLINIUS *Epiſt.* XXVII. *libri* VII. memorant. Itaque ad Claudium Imperatorem pertinet, quod ille *lib.* X. *cap.* 9. §. 3. *ſeqq.* ſcribit, in haec verba: *Proinde jure meritoque Populus Romanus ſalutem ſe principi ſuo debere profitetur, cui noctis, quam paene ſupremam habuimus, novum ſidus illuxit. Hujus Hercule non ſolis ortus lucem caliganti reddidit mundo, cum ſine ſuo capite diſcordia membra trepidarent. Quot ille tum exſtinxit faces? quot condidit gladios? quantam tempeſtatem ſubita ſerenitate diſcuſſit? Non ergo revireſcit ſolum, ſed etiam floret imperium. Abſit modo invidia, excipiet hujus ſeculi tempora ejuſdem domus utinam perpetua, certe diuturna poſteritas.* Idemque mecum ſentiet, qui de ejus loci interpretatione SUETONIUM in *Claudio cap.* X. & XI. & JOSEPHUM *libr.* XIX. *Antiquit. cap.* II. & III. conſulet: a quibus diſcet, poſt Caji caedem, per biduum, de mutando Reipubl. ſtatu, adſerendaque communi libertate, haeſitatum. Senatu vero ſegniore in exſequendis conatibus, per taedium ac diſſenſionem diverſa cenſentium, & multitudine, quae circumſtabat, Rectorem unum, & nominatim Claudium, expoſcentium, imperium ei ſtabilitum atque firmatum. His & illud addam, Curtium hunc Rufum a SUETONIO clarorum Rhetorum albo adſcriptum fuiſſe. Manuſcriptis enim ejus argumenti codicibus, tam eorum, quae exſtant, quam quae injuria temporis perierunt, capitum, Catalogum ſeu Indicem brevem reperiri *Achilles Statius* teſtatur: in quo Porcio Latroni Q. CURTIUS RUFUS ſubjungitur.

LX. Ceterum, ut ad ordinem, a quo me Curtii injecta mentio averterat, redeam, Candyn amiculum fuiſſe Chiridotum, ſuſpenſum ex humeris, POLLUX *libr.* VII. *Onomaſt. cap.* XIII. *Segm.* 58. *pag.* 727. docet (*d*). Ac certe, prolixis ultra brachia, & uſque in primores manus, ac prope in digitos Tunicis uſos Perſas, STRABO *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) indicat: cujuſmodi Tunicas, Graeci χειριδωτοὺς, id eſt, manicatas, appellabant. Hanc ſiquidem vocis illius Graecae ſignificationem ACELLIUS *libr.* VII. *cap.* XII. tradit, eamque Romanos uſu ſuam feciſſe, demonſtrat, Publii Africani orationem contra Sulpicium citans, in qua ille *Chiridotam tunicam* dixerat. Quam vocem LAMPRIDIUS quoque in *Heliogabalo* (*e*) uſurpat: unde obiter admonebo ISIDORI *libr.* XIX. *Origin. cap.* 22. locum emendandum eſſe hoc modo; *Manuleata* (*f*) *tunica, id eſt, manicata, eo quod habeat manicas, quam Graeci χειριδωτὴν vocant.* Chitidotas autem fuiſſe Barbarorum veſtes HERODIANUS *lib.* V. *cap.* 5. (*al.* 3. 13.) teſtatur his verbis: Προῄει δὲ χλαμύδι βαρβάρῳ, χιτῶνας χρυσοϋφεῖς, καὶ ἁλουργεῖς χειριδωτοὺς, καὶ ποδήρεις ἀναξυρίδας. *Prodibat barbarico cultu, tunicas indutus intextas auro, ac manuleatas, & ad pedes uſque demiſſas.* Et alio ejuſdem *libri* loco, *cap.* 13. (*al.* 5. §. 21.) Ἀνεζωσμένοι, οἱ μὲν χιτῶνας ποδήρεις, καὶ χειριδωτοὺς, νόμῳ Φοινίκων. *Induti tunicas talares ac manuleatas more Phoenicum.* Quod genus veſtium Romani, quorum tunicae ſubſtrictae, & circa humerum deſinentes erant, molle cenſebant, tunicisque uti virum, quae manus totas operirent, probro ducebant. Qua de cauſa VIRGILIUS *libr.* IX. *v.* 616. *Aeneid.* hujuſmodi veſtes, ut femineas & probroſas, criminatur. Quin etiam Alexander e cultu quidem Perſarum veſtem ſumpſit; Candyn autem, ut DIODORUS *libr.* XVII. *cap.* 77. *pag.* 220. (*St.* 603. *Rb.* 550.) & PLUTARCHUS *libr.* I. *de Fort. Alex. pag.* 830. auctores ſunt, reſpuit. Regum plane, ut & reliquorum Perſarum tunicae χειρῖδας, ſeu manicas habe-

(*a*) Ἔχοντα] In *ed.* quam ego inſpexi, legitur: καὶ τὴν καυσίαν ἔχοντα. TR.

(*b*) PHALLOS] Sive potius *Ithyphallos*, ut in *Athenaei edd.* legitur. TR.

(*c*) ALBUM] In aliis *Codd.* legitur *albo.* TR.

(*d*) DOCET] De Candye legi meretur *Ezech. Spanhemius* in *Op. de Uſu & Praeſt. Numiſm. Diſſ.* VIII. *pag.* 455. *ſeq.* TR.

(*e*) HELIOGABALO] In hac vita ego hanc vocem reperire non potui: ſed reperi in CAPITOLINI vita *Pertinacis*, *cap.* 8. ubi vide *Interpp.* TR.

(*f*) MANULEATA] In *ed. Opp. Colon.* in textu quidem legitur *Manicleata*, ſed auctor *notarum* ſequitur Briſſonii emendationem. Paulo poſt ibi corrupte legitur: χειροδότην. TR.

habebant, quibus eorum manus tegebantur; extra quas, ut ſupra docuimus, nun licebat Perſis coram Rege manus exerere. *Manuleati* ergo, ut Plautus *Pſeudolo Act.* II. *Sc.* 4. *v.* 48. Seneca *Epiſt.* XXXIII. & Suetonius in *Caligula cap.* 52. loquuntur, erant, quicumque Regi apparebant. Rex vero ipſe, manibus extra manicas protenſis, conſpiciendum ſe praebebat. Ex his efficitur, Regum inſignia, quae Dionysius Halicarn. *lib.* III. *pag.* 195. σύμβολα τῆς ἡγεμονίας, *principatus inſignia*, & Dio Chrysost. *Orat.* XIV. *pag.* 234. βασιλείας σημεῖα, *regni inſignia*, vocant, fuiſſe Tiaram rectam cum Diademate, Candyn ἁλουργῆ & μανιάκην. Cujuſmodi inſignia imperii Darium fugientem indecore abjeciſſe, ne cultu proderetur, Curtius *libr.* III. *cap.* XI. §. II. narrat. Eademque ornamenta Antonio in Alexandrum unum ex filiis cooferre placuit. Eum enim, ex ſe & Cleopatra natum, Antonius (quemadmodum Plutarchus in ejus vita *pag.* 941. refert) in publicum produxit, ἐσθῆτι, Τιάραν καὶ Κίδαριν ὀρθὴν ἐχούσῃ, *veſtitu, qui Tiaram & Cydarin rectam habebat*; quae quidem, ut ſubjicit, κόσμος Μήδων, *Medorum ornamenta*, erant. Alexandri vero ſucceſſores, κρηπῖσι, καὶ χλαμύδι, καὶ καυσίᾳ διαδηματοφόρῳ κεκοσμημένους, *crepidis, & chlamyde & cauſia cum Diademate ornatos*, fuiſſe, Plutarchus *eodem libr.* tradit. Diadema autem ſinuatum fuiſſe in orbes, indicat Tacitus *libr.* VI. *Annal. cap.* 37. cum ait, Tyridatem omen imperii, ſeu proſperi transgreſſus auſpicium, hoc accepiſſe, quod eo ſacrificante, Euphratem nulla imbrium vi, ſponte in immenſum attolli, ſimul albentibus ſpumis, *in modum Diadematis ſinuare orbes*, contigit.

LXI. Perſarum utique Reges crinitos & capillatos fuiſſe, indicio eſt Veſpaſiani dicterium, quo Cometem, qui ſuis temporibus apparuit, eluſit, dicens, ad Perſarum Regem pertinere, *cui capillus effuſior*: quod Suetonius in *Veſpaſiano, cap.* XXIII. & Sex. Aurelius Victor, *Epit. cap.* IX. memorant.

LXII. Reges etiam inaures geſtaſſe argumento eſt, quod Cyri ſepulcro illata fuiſſe ἐνώτια, Arrianus *libr.* VI. *cap.* 29. *pag.* 272. refert. Ita Peroſae, Perſarum Regi, ex aure dextra pendebat μάργαρος λευκός τε καὶ μεγέθους ὑπερβολῇ ἄξιος, ἐξ ὠτὸς τοῦ δεξιοῦ ἀπεκρέματο, *unio candore atque magnitudine rarus ex aure dextra ſuſpenſus*, ut Procopius *lib.* I. *de bello Perſico, cap.* 4. *pag.* 230. (II.) refert. Quod & Parthorum genti familiare fuiſſe, Tertullianus in *libr.* II. *de cultu Feminar. cap.* 10. tradit his verbis: *Scrupuloſa Deus auribus vulnera intulit, & tanti habuit vexationem operis ſui, & cruciatus infantiae innocentis tunc primum dolentis, ut ex illis ad ferrum nati corporis cicatricibus grana neſcio quae penderent: quae plane Parthi per omnia quaeque ſua* (a) *bullarum vice inſerunt.* Zona etiam accinctos fuiſſe Perſarum Reges, Curtius *libr.* III. *cap.* 3. §. 18. docet, cum ait: *Zona aurea muliebriter cinctus, acinacem ſuſpenderat, cui ex gemma erat vagina.* Diodorus Siculus *libr.* XVII. *cap.* 77. *pag.* 220. (*St.* 603. *Rh.* 549. *ſeq.*) de Alexandro: εἶτα τὸ Περσικὸν διάδημα περιέθετο, καὶ τὸν διάλευκον ἐνεδύσατο χιτῶνα, καὶ τὴν Περσικὴν ζώνην. *Dein Perſicum Diadema ſibi impoſuit, induitque veſtem albo diſtinctam, Perſicamque zonam.* Unde & Plutarchus in *Alexandro, pag.* 696. eos, qui Perſarum imperio parebant, Περσικὴν ζώνην προσκυνοῦντας, *Perſicam zonam adorantes*, vocat. Ἀναξυρίδας plane χιτῶνας Barbarorum Herodianus *libr.* V. uno & item altero loco (*cap.* 5. & 13.) memorat.

LXIII. Hoc amplius, Bracchis & feminalibus Regum crura velabantur. Proinde Xenophon *libr.* VIII. *Paed. cap.* 215. Cyri habitum deſcribens, habuiſſe cum ait: περὶ τοῖς σκέλεσιν ἀναξυρίδας ὑσγινοβαφεῖς. *Circum crura braccas byſgino colore tinctas.* Siquidem ἀναξυρίδας Hesychius & Suidas φεμινάλια καὶ βρακία interpretantur. Eustathius etiam in *Illiad.* Ἀναξυρίς, ait, τὸ παρὰ Ῥωμαίοις βρακίον δηλοῖ. Cujuſmodi feminalia, ſeu bracchas, uſque ad genua pertingentes, a Graecis περισκελῆ appellari, D. Hieronymus *Epiſt.* (b) *ad Fabiol.* ſcribit. Quae cum recta ſit vocis ἀναξυρίδος interpretatio, quaero, quid ſibi velit Pollux *libr.* VII. *Onomaſt. cap.* XIII. *Segm.* 58. *pag.* 726. cum ait: Καὶ Περσῶν μὲν ἴδια Κάνδυς, καὶ ἀναξυρίς, ἣν καὶ Κυρβασίαν, καὶ Κίδαριν, καὶ Πῖλον καλοῦσι. Falſum enim eſt, ſynonyma iſta eſſe: & bracchas pileo, perinde eſt, ac coelum terrae miſcere. Ac plane Pollucem deliraſſe, nemini ſano veriſimile fiet: nec dubium eſt, deeſſe vocem Τιάρα, quae ex contextu evolavit, quam ſi revoces & inſeras, in hunc modum: Καὶ Περσῶν μὲν ἴδια κάνδυς, καὶ ἀναξυρίς, καὶ Τιάρα, ἣν καὶ Κυρβασίαν, καὶ Κίδαριν, καὶ Πῖλον καλοῦσι. *Perſarum propria* (*veſtimenta*) *ſunt Candys, & Bracchae, & Tiara, quam & Cyrbaſiam, & Cidarin & Pileum appellant*; verba conſtabunt, & iis ſententia congruet. Quanquam ſi cui cum *Lazaro Bayſio* placeat ita emendare; τὴν δὲ Κυρβασίαν, &c. non valde repugnabo. Ac tectum eſt, quod in fine adjicit: (*Segm.* 59. *pag.* 728.) τὰς δὲ ἀναξυρίδας καὶ σκελέας καλοῦσιν. *Braccbas etiam* σκελέας *vocant.* Σκελέας autem Hesychius interpretatur τὰ τῶν σκελῶν σκεπάσματα. *Crurum tegumenta*; eaque a Parthis Σαράβαρα (ſic enim emendo) vocari tradit. Quam vocem pro Perſica adgnoſcit Suidas his verbis: Σαράβαρα (ita quippe lego) ἐσθὴς Περσική. ὅτινες δὲ λέγουσι βρακία. *Sarabara, veſtis Perſica. quidam vero ſic vocari dicunt Bracchas.* Proinde *Antiphanes* ἐν Σκύθαις ἢ Ταύροις apud Pollucem *libr.* VII. *cap.* XIII. *Segm.* 59. *pag.* 728. & *libr.* XL. *cap.* XI. *Segm.* 168. *pag.* 1355. Σαράβαρα καὶ χιτῶνας πάντες ἐνδεδυκότες. *Sarabara & tunicas induti omnes.* Hesychius etiam alio loco, Σαράβαρα, ait, περὶ τὰς κνημῖδας, aut, ut magis placet, κνήμας, ἐνδύματα. *Sarabara veſtimentum, qua tibiae* (*crura*) *tegebantur.* In cujus verbi explicatione nugatur Isidorus *libr.* XIX. *Origin. cap.* 23. ex quo tamen *Publii* locum elicimus, quem ad ſuperiura loca adjungam. Ex eo enim haec verba citat: *Ut quid ergo in ventre tuo Parthi Sarabara ſuſpenderunt?* Invenitur & hoc verbum *cap.* III. *v.* 21. DANIE-

(a) Sua] Verba haec nullum commodum ſenſum habent. In *ed. Pariſ. Opp.* ita legitur. *Parthi peronibus quoque ſuis.* Si hoc modo legatur locus, non probat, quod auctor ex illo probare voluit. TR.

(b) Epist.] Eſt *Epiſtola* 127. in veteribus *edd.* In nova *Pariſ. Benedict.* eſt *Epiſt.* 4. inter *criticas*, & legitur *Tom.* II. *Opp. pag.* 574. Ceterum de Anaxyridibus confer *Cl. Salmaſii notas* ad *Scriptt. Hiſt. Aug. pag.* 977. *Hieron. Magii Miſcell. lib.* III. *cap.* 3. & *Jacobi Perizonii notas* ad *Aelian. Var. Hiſt. lib.* XII. *cap.* 32. *pag.* 716. *ſeq.* TR.

Digitized by Google

NIELIS, ubi ſic eſt; τότε οἱ ἄνδρες ἐκεῖνοι ἐπεδήθησαν σὺν τοῖς Σαραβάροις (a) αὐτῶν καὶ Τιάραις. *Tunc iſti viri vincti ſunt una cum Sarabaris atque Tiaris.* Et *eod. cap. v.* 27. Καὶ τὰ Σαράβαρα αὐτῶν οὐκ ἠλλοιώθη. *Neque Sarabara eorum immutata erant.* Quamquam D. HIERONYMUS in ſuis ad illud Danielis caput *commentariis*, hanc ſcripturam improbat (*b*). Sic enim priorem illum locum convertit: *Et confeſtim illi viri vincti Braccbis ſuis, & Tiaris, & calceamentis, & veſtibus.* Ubi ille, *pro braccis*, ait, *quas Symmachus* ἀναξυρίδας *interpretatus eſt, Aquila & Theodotion,* Saraballa *dixerunt, & non, ut incorrupte legitur,* Sarabara. *Lingua autem Chaldaeorum* Saraballa *crura hominum vocantur & tibiae: &* ὁμωνύμως *etiam Braccae eorum, quibus crura teguntur & tibiae, quaſi crurales tibiales appellatae ſunt.* Eamque vocem idem HIERONYMUS in *Epiſt.* (*c*) *ad Innocent. de muliere ſaepius icta*, uſurpat.

LXIV. Ceterum Perſas omnes Braccatos fuiſſe, & crura feminalibus velaſſe, POLLUX *libr.* VII. *Onomaſtic. cap.* VIII. *ſegm.* 58. *pag.* 726. docet: Περσῶν μὲν, inquiens, ἴδια Κάνδυς, καὶ ἀναξυρίς. *Perſarum propria (veſtimenta ſunt) Candys & Braccae.* Ut & *Ariſtagoras Mileſius* apud HERODOTUM *libr.* V. *cap.* 49. de Perſis loquens in hunc modum: Ἀναξυρίδας ἔχοντες ἔρχονται ἐς τὰς μάχας. *Braccati pugnas ineunt.* Perſas etiam, ut & Parthos, Τιάραν καὶ ἀναξυρίδας, *Tiaram & Braccas* geſtaſſe, DIO CHRYSOSTOMUS *Oration.* LXXII. *pag.* 628. ſcribit. Inter βαρβαρικὴν *peregrinum* quoque κοσμηθέντα καὶ ἀλουργὸν, *barbaricum atque inſolentem babitum*, PLUTARCHUS in *Alexandri vita, pag.* 600. & *libr.* I. *de ejuſdem fortuna, pag.* 329. *ſeq.* Τιάραν, καὶ κάνδυν καὶ ἀναξυρίδας, *Tiaram, Candyn & Braccas*, ponit. Et his braccis atque Candye, ut & Tiara, abſtinuiſſe eum principem, PLUTARCHUS ibidem, cum DIODORO *libr.* XVII. *cap.* 77. *pag.* 270. (*St.* 603. *Rb.* 549. *ſeq.*) ſcribit. Unde & *Perſicam braccam*, OVIDIUS *libr.* V. *Triſt. Eleg.* X. v. 34. dixit, & *Medos braccatos*, PERSIUS *Satyra* III. *v.* 53. SUIDAS in *voce* Κάνδυς, haec ex vetuſto ſcriptore ad Perſas pertinentia verba profert: Ἀποδύσαντες δὲ τὸν Κάνδυν καὶ τὰς ἀναξυρίδας. *Exuentes Candyn & Braccas.* ISIDORUS *libr.* XIX. *Origin. cap.* 23. *Perſae brachia & crura lineamentis, caput Tiara tegunt.* Quo loci *velamentis* legendum indicat JUSTINUS *lib.* I. *cap.* 2. §. 3. e cujus fonte hic rivulus manavit (*d*). Apud eum namque legitur, Semiramidem brachia & crura velamentis, caput Tiara texiſſe. CURTIUS *libr.* V. *cap.* I. §. 38. de Babyloniis mulieribus; *Ad ultimum (honos auribus ſit) ima corporum velamenta projiciunt.*

EUSTATHIUS autem in *libr.* II. *Iliad.* τὸ κάλυμμα τῶν αἰδοίων a Romanis Βράκας, ab aliis Ἀναξυρίδα, ἐκ τοῦ ἀνασύρεσθαι, dici tradit.

LXV. Nec luxu caruiſſe eas procerum Braccas docet XENOPHON *libr.* I. Ἀναβάσ. Κύρ. *pag.* 257. his verbis: Ἔχοντες τούτους τοὺς πολυτελεῖς χιτῶνας, καὶ τὰς ποικίλας ἀναξυρίδας. *Habentes has pretioſas tunicas & variegatas braccas.* Quin etiam principes viros ἀναξυρίδι τριπλῇ, *anaxyride tripla* uſos, STRABO *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) tradit. Ipſas quoque mulieres in Perſide bracchis uſas, ex PHILOSTRATO in *Rhodogines Icone, lib.* II. *num.* 5. colligitur. Bracchas autem *tegmen Barbarum* Romanos exiſtimaſſe, vel unus Tacitus de Caecina loquens, locuples teſtis eſt.

LXVI. Poſtremo, ſceptrum aureum Reges Perſarum geſtaſſe, indicat XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. Κύρ. *pag.* 253. [*p.* 185.] apud quem Cyrus moriens haec ad filios verba facit: Οὐ τόδε το χρυσοῦν σκῆπτρον, τὸ τὴν βασιλείαν διασῶζόν ἐστιν, ἀλλ' οἱ πιστοὶ φίλοι σκῆπτρον βασιλεῦσιν ἀληθέστατον. *Non hoc aureum ſceptrum eſt, quod regnum tibi conſervat, ſed amici fideles regibus & veriſſimum & tutiſſimum ſceptrum ſunt.* Sed & χρυσῆν ῥάβδον, *auream virgam*, Regis Artaxerxis, legere eſt *Eſther. cap.* IV. *v.* II. & *cap.* V. *v.* 2. & apud JOSEPHUM *libr.* XI. *Antiquit. Jud. cap.* VI. SUIDAS etiam σκῆπτρον interpretatur βασιλικὴν ῥάβδον, *Regiam virgam.* Verum de Regio veſtitu cultuque ſatis ſuperque (*e*). Proxime ſequitur, ut quibus in locis degere ac verſari Reges ſolerent, utique eorum Regiae extructae inſtructaeque eſſent, dicamus.

LXVII. Perſarum Reges certo loco continuas ſedes non habebant, ſed eas ſtatis temporum vicibus mutabant, alibi aeſtate, alibi hyeme moram facientes. Cyrus quidem certe, ut XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 233. ſcribit: Τὸν μὲν ἀμφὶ τὸν χειμῶνα χρόνον διῆγεν ἐν Βαβυλῶνι ἑπτὰ μῆνας· (αὕτη γὰρ ἀλεεινὴ ἡ χώρα) τὸν δὲ ἀμφὶ τὸ ἔαρ, τρεῖς μῆνας ἐν Σούσοις, τὴν δὲ ἀκμὴν τοῦ θέρους, δύο μῆνας ἐν Ἐκβατάνοις. *Hybernum tempus ſeptem menſium Babylone agebat: (nam haec regio tepida eſt) tres vernos menſes Suſis, ipſa aeſtate vigente, menſes duos Ecbatanis.* Addicque: οὕτω δὲ ποιοῦντα αὐτὸν, λέγουσιν, ἐν ἐαρινῷ θάλπει καὶ ψύχει διάγειν ἀεί. *Quod quia faceret, idcirco ſemper in calore frigoreque verno vitam egiſſe dicitur.* Similiter ZONARAS *Annal. Tom.* I. *libr.* III. §. XXVI. *p.* 168. de Cyro; Ἐν Βαβυλῶνι μὲν, ait, μῆνας διῆγεν ἑπτὰ, τὸν χρόνον δὲ τὸν χειμέριον ἀλεεινὴ γὰρ αὕτη ἡ χώρα· τρεῖς δὲ μῆνας καὶ (*f*) ἀμφὶ τὸ ἔαρ ἐν Σούσοις· ἐν δὲ Ἐκβατάνοις δύο διῆγε

(*a*) Σαραβάροις] In textu Chaldaico legitur: [illegible], quae vox a Lexicographis & quibuſdam Interpp. redditur *chlamys*: ſed melius HIERONYMUS explicavit. Vetus *Scholiaſtes* in *ed.* LXX. *Lamb. Bos* ita commentatur: τοῖς Σαραβάροις εἰρήκασι τὰ ἐπὶ τῶν σκελῶν τῶν πολλῶν λεγόμενα μόνον, τουτέστι τῶν Ἑλλήνων ἀναξυρίδες σημαινόμενα. TR.

(*b*) IMPROBAT] Non improbat ſcripturam LXX. *Interpretum*: ſed *Aquilae & Theodotionis.* Suſpicor ergo, verba quaedam hic e textu excidiſſe. Videat Lector locum ipſum, & judicet, ac ſciat ſimul, me parvulas quaſdam in textu addidiſſe ex *nov. Benedict. ed.* TR.

(*c*) EPIST.] In *veter. edd.* eſt *Epiſt.* 49. in *ed. nov. Bened.* eſt *Ep.* 17. quae legitur *Tom.* IV. *Part.* II. *pag.* 23. *ſeqq.* Vocabulum ipſum repetitur *pag.* 25. TR.

(*d*) MANAVIT] Niſi forſan ISIDORUS ſcripſerit *ligamentis*; quod propius ad vulgatam lectionem accedit. TR.

(*e*) SUPERQUE] Praetermiſſis tamen auctor Torquem, auro gemmiſque fulgentem, (ut jam notavit *Jo. Schefferus* in *libello de vet. Torquib.*) quo reges ſemper; alii non niſi ex regis conceſſione (qua de re infra auctor agit) utebantur. Ego probationis gratia duo tantum loca eleganta THEMISTII adſcribam. *Orat.* V. (XIX. *princ. pag.* 226.) ita de rege Perſarum loquitur: ὁ ὅτι αὐτὸς ἐπικόσμητο στρεπτοῖς, καὶ τιάρᾳ, καὶ ἁλουργίδι. *Sive quod torquibus idem, & tiara, ac purpurea veſte fulgeret.* Idem *Orat.* VII. (XXIV. *pag.* 306.) dum imaginem regis cujuſdam Perſarum deſcribit, poſt verba, quae exhibui ſupra in *not.* (l) ad §. LIV. haec addit: Καὶ στρεπτὸν τοιοῦτον πλατὺν, καὶ χλαῖναν ἁλουργῆ τε καὶ χρυσόπαστον ἠμφιεσμένον. *Ejuſdemque operis* (hyacinthis ſc. ac ſmaragdis ornatus) *latiſſimum torquem, nec non purpurea laena, auro diſtincta circumdatus.* TR.

(*f*) Καὶ] Pro hoc verbo melius in *noviſſ. edd.* legitur τοὺς. TR.

δύο μῆνας τὴν τοῦ θέρους ὥραν. *Septenos menſes hyberno tempore, ob regionis teporem Babylone, degit: ternos menſes vernos Suſis: Ecbatanis binos aeſtivo tempore.* Quod ejus inſtitutum reliqui deinceps fere ſecuti ſunt. XENOPHON *libr.* III. Ἀναβάσ. *pag.* 315. Ἡ δὲ αὐτὴ ἦν, ait, ἐπὶ Σοῦσά τε καὶ Ἐκβάτανα φέρει, οὗ λέγεται θερίζειν καὶ ἐαρίζειν βασιλεύς. *Ad orientem ſolem (via) Suſa & Ecbatana ducit, ubi rex aeſtatem & ver exigere dicitur.* PLUTARCHUS in *libr. de Exilio*, *pag.* 604. Καίτοι τούς γε Περσῶν βασιλέας ἐμακάριζον, ἐν Βαβυλῶνι τὸν χειμῶνα διάγοντας, ἐν δὲ Μηδίᾳ τὸ θέρος, ἐν δὲ Σούσοις τὸ ἥδιστον τοῦ ἔαρος. *At enim reges Perſarum eo nomine felices praedicant, quod hyemem Babylone, aeſtatem in Media, Suſis juaviſſimum veris tempus exigerent.* Hoc & AELIANUS *libr.* III. *de Animalib. cap.* XIII. ſignificat, cum de Gruum migratione, & coeli mutatione tractans, addit: Σοφίαν δὲ ἡγοῦνται ἄνθρωποι θαυμαστὴν τοῦ Περσῶν βασιλέως, οἳ ἐπαινοῦσιν ἀέρων χρῆσιν Σοῦσά τε καὶ Ἐκβάτανα ᾄδοντες, καὶ τὰς διόδους καὶ ἐκείνου τὰς Περσῶν περιβοήτους μεταβάσεις. *Regis Perſarum admirabilem ſapientiam ad deprehendendam coeli commoditatem exiſtimant homines, illiuſque ultro citroque Suſis migrationes ad Ecbatana pervagatas praedicant.* ATHENAEUS *libr.* XII. *Dipnoſoph. cap.* 2. *ſeq. pag.* 513. Διαβόητοι δὲ ἐπὶ τρυφῇ ἐγένοντο πρῶτοι πάντων ἀνθρώπων Πέρσαι, ὧν καὶ οἱ βασιλεῖς ἐχείμαζον μὲν ἐν Σούσοις, ἐθέριζον δὲ ἐν Ἐκβατάνοις. *Omnium hominum primi celeberrimi luxu Perſae fuerunt, quorum reges Suſis hiemarunt, aeſtivarunt in Ecbatanis.* Et mox; Ἐν Περσεπόλει δὲ διατρίβουσι φθινόπωρον, καὶ ἐν Βαβυλῶνι τὸ λοιπὸν τοῦ ἐνιαυτοῦ μέρος. *In Perſepoli autumnum morantur, Babylone vero anni reliqua parte.* Quae res ARISTIDI in *Oratione de Romae laudibus*, *pag.* 203. *Tom.* I. anſam ad reprehendendum dedit. Illic enim Perſarum Reges Scythis Nomadibus comparat, quaſi vagi & errones, hac atque illac commearent. Verba ejus ſunt haec: Μετανίστησι τοὺς βασιλέας, καὶ Σκυθῶν τῶν νομάδων τοσοῦτον διέφερον, ὅσον οὐκ ἐφ' ἁμαξῶν ἀλλ' ἐφ' ἁρμαμαξῶν· νομάδες τινὲς βασιλεῖς καὶ πλάνητες διὰ τὴν ἀπιστίαν καὶ τὸν φόβον τοῦ ἐν ταὐτῷ αὐλίζεσθαι, πιέζοντες ὡς ἀληθῶς ὥσπερ βύρσαν τὴν ἑαυτῶν χώραν, καὶ τοῦτο περιιόντες νῦν μὲν Βαβυλῶνα, πάλιν δὲ Σοῦσα, εἶτα Ἐκβάτανα. *Deſultorii quidam reges, quique hoc a Scythis Nomadibus diſtabant, quod non plauſtris, ſed eſſedis circumvehebantur. Vagi quidam & errones principes, quique propter incredulitatem & metum, ne in eodem loco diu ſubſiſterent, regionem ſuam re vera ut utrem aliquem premerent; itaque nunc Babylonem, nunc Suſa, occuparent, rurſus Ecbatana.* Ea plane ratione Perſarum Reges adſecutos ferunt, ut in verna temperie, & ἐαρινῷ θάλπει καὶ ψύχει, *in calore frigoreque verno*, vitam perpetuo degerent (*a*).

LXVIII. Quae cum ita ſe habeant, quomodo ſtare poteſt, quod AELIANUS *libr.* X. *de Animalibus cap.* VI. ſcribit, cochleas Ponticas, Perſarum regem, aeſtivos dies Suſis, hibernos vero Ecbatanis agentem, imitari? Hoc enim Graeca ejus verba ſonant; Ποντικαὶ δὲ ἄρα κοχλίαι τὸν Περσῶν βασιλέα μιμοῦνται, θερίζοντα μὲν ἐν Σούσοις, χειμάζοντα δὲ ἐν Ἐκβατάνοις. *Perſarum regem Cochleae Ponticae imitantur, aeſtivos dies Suſis agentem, hybernos vero Ecbatanis.* Quae plane corrupta ſunt, & eorum vitio, fidus alioquin interpres, praeceps in errorem actus eſt. Sic igitur procul dubio, commutatis verbis, ille locus reſtituendus eſt; Θερίζοντα μὲν ἐν Ἐκβατάνοις, χειμάζοντα δὲ ἐν Σούσοις. *Aeſtivos dies ſuos Ecbatanis, hybernos vero Suſis agentem.* Cur autem Suſis ea anni parte morarentur, in cauſa erat, ut STRABO *libr.* XV. *pag.* 1063. (731.) & ab eo mutuatus EUSTATHIUS in *Dionyſ. de Situ orbis ad verſum* 1073. *p.* 280. *ſeq.* ſcribit (*b*): Καὶ Σούσοις δὲ καυματηρὸν τὸν ἀέρα ἔχει, πῦρ καυματηρόν, ὥστε οἱ ὄφεις καὶ αἱ σαῦραι καὶ οἱ ὄφεις ἐν τῷ διαβαίνειν τὰς ὁδούς, ἀλλὰ καταφλέγονται, καὶ λέγεται δὲ ὕδωρ εἰς τὸ λουτρὸν ψυχρὸν ἐκθερμαίνεσθαι παραχρῆμα. *Adeo fervidum & calore ſuo urentem eſſe Suſis coeli aërem, ut nec lacertae, nec ſerpentes illas tranſire vias queant, ſed adurantur, imo aquae ad lavandum frigidae expoſitae confeſtim calefiant.* Suſa autem a loci amoenitate & floriditate nomen traxiſſe, ex *Ariſtobulo* & *Chare Mitylenaeo* ATHENAEUS *lib.* XII. *cap.* 2. *pag.* 513. notat, propterea quod lingua Perſica, SUSUM, lilium ſignificaret. Similiterque idem EUSTATHIUS in *Dionyſium*, *l.c.* Suſa διὰ τὸ τοῦ τόπου ἀνθηρόν, *ob loci floriditatem*, ita vocata ſcribit; Σοῦσα γὰρ ἐγχωρίως, τὰ κρίνα. *Suſa etenim ejus loci incolis vocantur lilia.* STEPHANUS vero *libr. de Urbibus*, *pag.* 615. Suſa vocata ait ἀπὸ τῶν κρίνων, ἃ πολλὰ ἐν τῇ χώρᾳ πεφύκει ἐκείνῃ. *A Liliis, quorum in ea regione gignatur copia.* Ad fluvium autem Choaſpem ſita fuiſſe Suſa, illicque domicilium Reges conſtituiſſe, HERODOTUS *libr.* V. *cap.* 49. [*p.* 134.] ſcribit in hunc modum: Ἐν γῇ (*c*) Κισσίῃ ταύτῃ παρὰ ποταμὸν τόνδε Χοάσπην κείμενά ἐστι τὰ Σοῦσα ταῦτα, ἔνθα βασιλεύς τε μέγας δίαιταν ποιέεται, καὶ τῶν χρημάτων οἱ θησαυροὶ ἐνθαῦτά εἰσι. *In terra Ciſſia juxta hunc fluvium Choaſpen ſita ſunt haec Suſa, ubi rex magnus domicilium habet, atque pecuniarum theſauri ſunt.* Cyrum etiam loci opportunitatem ſequutum, Suſis τὸ τῆς ἡγεμονίας βασίλειον, *principatus regiam*, conſtituiſſe, quod ea urbs victis a ſe gentibus immineret, STRABO *libr.* XV. *pag.* 1058. (727.) ſcribit. Ibidemque οἰκητήριον τῷ βασιλεῖ ἀποδεδειγμένον, *regia ſedes erat*, ait PAUSANIAS in *Laconicis*, ſive *lib.* III. *cap.* IX. *pag.* 226. ut & AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIII. *cap.* 6. *Suſa, ſaepe domicilium Regum.* DIODORUS quoque *libr.* XVII. *cap.* 65. *pag.* 210. (*St.* 596. *Rh.* 579.) τὰ ἀοίδιμα ἐν Σούσοις βασίλεια. *Celebrata Suſis regia.* PLINIUS *libr.* VI. *cap.* XXVII. *Infra eſt Suſiane, in qua vetus regia Perſarum, Suſa, a Dario Hyſtaſpis filio condita.* Quae verba uti accipienda ſint, AELIANUS *libr.* I. *de Animalib. cap.* LIX. docet, qui a Dario lautius aedificata, & aedium Regiarum magnificentia ornata fuiſſe Suſa ſcribit. Alioquin enim refragaretur vetuſtas, quae a Tithono ejuſque filio Memnone Suſa condita credidit. Unde oppidum hoc Μεμνόνειον ἄστυ, καὶ βασίλεια τὰ Μεμνόνεια, *Urbs Memnonia*, & *regia Memnonia*, HERODOTUS *libr.* V. *cap.* 53. & 54. vocat. Ejus certe arx, Μεμνόνειον a STRABONE *libr.* XV. *pag.* 1058. (728) vocatur. Sed &

(*a*) DEGERENT] Vide praeterea hac de re locum elegantem DIONIS CHRYSOSTOMI *Orat.* VI. quae *Diogenes*, ſive *de Tyrannide* inſcribitur, in *princ. pag.* 86. *ſeq.* quem ob prolixitatem non adſcribo. TR.

(*b*) SCRIBIT] Auctor in verbis ipſis neque Strabonem, neque Euſtathium exacte ſequitur; ſed ex utroque ſumſit, quae in rem ſuam eſſe videbantur, ita tamen, ut magis Euſtathium, quam Strabonem, qui paulo prolixior eſt, ſequatur. TR.

(*c*) Κισσίῃ] Ex Herodoto & aliis ſcribendum Κισσίῃ. S. Pro Κισσίῃ prioris editionis, quae vox haud dubie ab operis fuit depravata, ex Herodoto reſcripſi Κισσίῃ, qui non ſemel Ciſſiorum meminit. Heſych. Κισσιοι, ἔθνος Περσῶν. conf. Strabo *libr.* XV. *pag.* 728. Steph. *de urbibus* voce Σοῦσα &c. L.

& AELIANUS *lib.* XIII. *de Animalib. cap.* XVIII. τὰ Μεμνόνεια Σοῦσα nominat. STEPHANUS *de Urbib. pag.* 615. Suſa, Μέμνονος κτίσμα (a) οἰκοδομηθέντα ἐπὶ τῆς ἄκρας τὰ ἐν Σούσοις βασίλεια, τὰ διαμείναντα μέχρι τῆς Περσῶν ἡγεμονίας, κληθέντα δ' ἀπ' ἐκείνου Μεμνόνεια. *Memnonis opus. Qui in arce Suſis regiam condidit, quae ad Principatum uſque Perſarum manſit, ab eoque Memnonia vocata fuit.* Cui & DIODORUS *libr.* II. *cap.* 22. *pag.* 136. (*St.* 77. *Rb.* 109.) adſtipulatur. CASSIODORUS vero *libr.* VII. *Variar. Epiſtol.* XV. Cyri, Medorum Regis, domum, *quam Memnon arte prodiga, illigatis auro lapidibus fabricavit*, inter fabricarum ſeptem terris attributa miracula numerat. JOSEPHUS certe *libr.* X. *Antiq. Jud. cap. ult.* & *libr.* XI. *cap.* V. Suſa, μητρόπολιν τῆς Περσίδος, ſeu Περσῶν appellat.

LXIX. Nec eſt ſilentio Ecbatanorum Regia praetermittenda, quam HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 98. praedicat. Ecbatana namque Medorum Metropolim DIODORUS *lib.* XVII. *cap.* 110. *pag.* 247. (*St.* 621. *Rb.* 576.) vocat. (*b*). Q. CURTIUS *libr.* V. *cap.* 8. *Ille jam Ecbatana pervenerat, Caput Mediae (c), nunc tenent Parthi, eaque aeſtiva gentibus.* ATHENAEUS tamen *libr.* XII. *cap.* 11. *pag.* 513. nulla Ecbatanorum mentione facta; Καὶ οἱ Πάρθων βασιλεῖς, ait, ἐαρίζουσι μὲν ἐν Ῥάγαις, χειμάζουσι δὲ ἐν Βαβυλῶνι. *Parthorum reges ver Rhagis, hyemem Babylone traducunt.* STRABO *libr.* XVI. *pag.* 1079. (743.) de Cteſiphonte: ταύτην δὲ ἐποιοῦντο χειμάδιον οἱ τῶν Παρθυαίων βασιλεῖς. *In hoc (pago) reges Parthorum hiemabant.* Et mox: Εἰώθασι γοῦν ἐνταῦθα τοῦ χειμῶνος διάγειν οἱ βασιλεῖς διὰ τὸ εὐάερον· τοῦ θέρους δὲ ἐν Ἐκβατάνοις. *Ibi Parthorum reges in hyeme propter aëris temperiem degere ſolebant: aeſtate vero Ecbatanis.* JOSEPHUS *libr.* XVIII. *Antiq. Jud. cap. ult.* Τούτους δὲ ἐπὶ εἰς Κτησιφῶντα ἀναχωροῦσι (d), πόλιν Ἑλληνίδα, καὶ τῇ Σελευκείᾳ πλησίον κειμένην, ἔνθα χειμάζει ὁ βασιλεὺς κατὰ πᾶν ἔτος, καὶ πλείστη τῆς ἀποσκευῆς αὐτοῦ τῇδε ἀποκειμένη τυγχάνει. *Hi deinde ſeceſſerunt Cteſiphontem, urbem Graecanicam, vicinam Seleuciae, ubi quotannis rex hybernare eſt ſolitus, habens ibi majorem ſupellectilis partem repoſitam.* Mediam utique diverſoriis & magnos receſſus, eoſque nemoribus manu conſitis amoenos, habuiſſe, Q. CURTIUS *libr.* VII. *cap.* 2. §. 22. narrat, *Eaque*, ut ibidem adjicit, *praecipua Regum Satraparumque voluptas erat.* Atque adeo ubique in Regis Perſarum ditione βασιλήιοι σταθμοὶ fuiſſe, καὶ καταλύσιες κάλλισται, *regias manſiones, ac diverſoria pulcherrima, Ariſtagoras Mileſius (e)* apud HERODOTUM *libr.* V. *cap.* 52. Cleomeni exponit.

Quippe praeter Suſa & Ecbatana alias quoque complures Regias, teſte STRABONE *libr.* XV. *pag.* 1059. (728.) Perſarum Reges habebant: & in his Paſargadas ac Perſepolim, conſentiente ARRIANO *libr.* III. *de rebus geſt. Alexandr. cap.* 18. *pag.* 131. Illic vero Regiam gazam fuiſſe, καὶ τοὺς θησαυροὺς, καὶ τὰ μνήματα, ait STRABO *libr.* XV. *pag.* 1059. (728.) ὡς ἐν τόποις ἐρυμνοτάτοις καὶ ἅμα προγονικοῖς. *Et theſauros & monumenta, ut in locis cum munitioribus, tum a majoribus ipſorum cultis.* Cyrum utique Paſargadas prae ceteris coluiſſe, ibique Regiam, ceu victoriae monumentum, condidiſſe, quod eo loci Aſtyagem bello viciſſet, idem *pag.* 1062. (730.) oſtendit: & *Anaximenes* ἐν μεταλλαγαῖς βασιλέων, *in mutationibus regum*, confirmat, apud STEPHANUM *libr. de Urbibus, pag.* 534. cujus verba ſic habent: Τὰς δὲ Πασαργάδας (*f*) ἔκτισεν ὁ Κῦρος, ἐφ' ᾧ τόπῳ τὸν πόλεμον Ἀστυάγην ἐνίκησεν, ἑρμηνεύεται δὲ ἡ πόλις διερμηνευθεῖσα, Περσῶν στρατόπεδον. *Paſargadas Cyrus condidit, quo in loco Aſtyagem acie vicerat, vocatur vero haec urbs, ſi interpreteris, Perſarum caſtra.* Eadem de vocis hujus notatione, ſeu etymo, EUSTATHIUS in *Dionyſ. v.* 1069. *pag.* 280. tradit.

LXX. In Perſepolitana quoque urbe (quam *Caput Perſici Regni* PLINIUS *libr.* VI. *Hiſtor. Nat. cap.* XXVI. JUSTINUS *libr.* XI. *cap.* 14. §. 10. Q. CURTIUS *libr.* IV. *cap.* 5. §. 8. DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *cap.* 70. *pag.* 214. (*St.* 599. *Rb.* 543.) μητρόπολιν τῆς Περσῶν βασιλείας vocant) Palatium aedificaſſe Cyrum, AELIANUS *libr.* I. *de Animalibus cap.* LIX. auctor eſt. Perſepolim (*g*) quoque fuiſſe, βασίλειον ἐκπρεπὲς, καὶ μάλιστα τῇ πολυτελείᾳ τῶν κειμένων, *regiam magnificam, maxime ob magni pretii theſauros*, id eſt, rerum adſervatarum & reconditarum, idem STRABO *eodem libro pag.* 1061. (729.) ſcribit: eaque, τὰ μεγάλα καὶ κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην περιβόητα βασίλεια, *regiam magnam & toto orbe celebratiſſimam*, DIODORUS *libr.* XVII. *cap.* 70. *pag.* 214. (*St.* 599. *Rb.* 544.) vocat. Hanc urbem opulentia regia ſupra ceteras refertam fuiſſe, Q. CURTIUS *libr.* V. cap. 6. §. 3. confirmat his verbis: *Hujus urbis divitiae vicere praeterita. In hanc totius Perſidis opes congeſſerant barbari: aurum argentumque cumulatum erat. Veſtis ingens modus, ſupellex non ad uſum modo, ſed ad oſtentationem luxus comparata.* Hanc etiam urbem *multis annis illuſtrem, refertamque orbis terrarum ſpoliis* fuiſſe, JUSTINUS *libr.* XI. *cap.* 14. §. 10. ait. Denique urbs haec, ut DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *cap.* 70. *pag.* 214. (*St.* 599. *Rb.* 543.) ſcribit: Πλουσιωτάτη δὲ οὖσα τῶν ὑπὸ τὸν ἥλιον (*h*) τὰς ἄλλας πό-

(*a*) Κτίσμα] Pro Μέμνονος κτίσμα, quae ſola ibi ſunt *Stephani Byzantii* verba, aliquam multa deſiderantur, per amanuenſem vel typographicas operas in prima editione omiſſa. S. Immo nihil deeſt: nam verba ſequentia apud DIODORUM *l. c.* leguntur. Vitium ergo ſive librarii, ſive typographi in eo conſiſtit, quod haec verba Graeca ponere demum debuiſſet poſt verbum *adſtipulatur*. TR.

(*b*) VOCAT] Idem *lib.* II. *cap.* 13. *pag.* 127. (*St.* 72. *Rb.* 101.) refert, Semiramidem hanc urbem condidiſſe: quem cum HERODOTO (qui *l. c.* originem ejus ad Dejocem rejicit) ita conciliat Cel. *Weſſelingius* in *not.* ad *Diod. l. c.* ut Dejoci reſtaurationem tantum adſcribat, id quod confirmat ex *libro Judith. cap.* 1. *v.* 2. TR.

(*c*) MEDIAE] Verba ſequentia in editis ita leguntur hodie: *Urbem hanc nunc tenent Parthi, eaque aeſtiva agentibus ſedes eſt.* Sunt qui totum hoc comma pro gloſſemate habent. TR.

(*d*) Ἀναχωροῦσι] Ἀποχωροῦσι legitur in editione *Joſephi Lipſienſi*, in qua mox pro ἀποκειμένη ex *Briſſonio* ἀποκει-μένη reponendum. L. In *nov. Haverk. ed.* locus jam recte legitur. TR.

(*e*) MILESIUS] Eſt μνημονικὸν in Noſtro ἁμάρτημα. Non enim haec ſunt Ariſtagorae Mileſii ad Cleomenem; ſed Herodoti ipſius verba. L.

(*f*) Πασαργάδας] Nomen urbis varie ſcribitur: in *Stephani Codd.* legitur Πασσαργάδας: ubi vide *Th. de Pinedo notas*, qui & de etymologia diſſerit. TR.

(*g*) PERSEPOLIM] In praecedentibus *edd.* vitioſe legebatur *Paſargada*. TR.

(*h*) Ἥλιον] Verba illa: τὰς ἄλλας πόλεις ὑπερεῖχεν εὐδαιμονίᾳ, non ea ſerie in Diodori contextu ſunt, qua a noſtro citantur. & ſane ſi praecedentibus ſic jungenda forent, copula ſaltem requiretur. Leguntur vero haec verba non multo poſt [*pag.* 215. *Weſſ. St.* 599. *Rb.* 544.] apud Diodorum in illis: Ἡ μὲν ἐν Περσέπολις, ὅσον τὰς ἄλλας πόλεις ὑπερεῖχεν εὐδαιμονίᾳ, τοσοῦτον ὑπερέβαλε τὰς ἄλλας ταῖς ἀτυχίαις. *Itaque Perſepolis quo magis urbes alias felicitate anteceſſerat, eo majori calamitatum cumulo eas ſuperabat.* L.

πόλεων ὑπερεῖχεν εὐδαιμονίᾳ, τῶν ἰδιωτικῶν οἰκιῶν πεπληρωμένων ἐκ πολλῶν χρόνων παντοίας εὐδαιμονίας. *Urbs haec omnium ſub ſole ditiſſima erat, felicitateque reliquas urbes ſuperabat, privatis quoque domibus per multas aetates omni felicitatis genere refertis.* Regia autem in arce ſita erat, cujus deſcriptionem propter ὑπερβολὴν πολυτελείας, *operum magnificentiam*, hiſtoriae ſuae inſerere operae pretium Diodorus *eod. lib. cap.* 71. *pag.* 215. *ſeq.* (*St.* 600. *Rb.* 544. *ſeq.*) duxit. Arcem enim, cum ſatis ampla & ſpatioſa eſſet, triplici muro cinctam fuiſſe refert: quorum Primus immenſo ſumptu extructus erat, altitudine cubitorum XVI. exornatus pinnis. Secundus, fabrica priori aſſimilis, duplo altior erat. Tertii ambitus figura erat quadrilatera: ejus autem murus altitudinem habebat cubitorum LX. duro lapide, & ad perpetuitatem appoſitiſſimo aedificatus. Latera ſingula aeneas habebant portas, quibus adſtabant valli aenei XX. cubitorum longitudine. Hi quidem ad percellendos ſpectantium animos, illae ad firmitatem comparatae. Qua parte arx ad Orientem ſpectabat, aberat ab ea quatuor jugeribus mons, qui Regius vocabatur, in quo erant ſepulcra Regum. In eadem arce etiam erant Regiae manſiones complures, extructae ſumptuoſe: & theſauri ad pecuniarum cuſtodiam accommodate fabricati.

LXXI. Enimvero multa cedro aedificatam fuiſſe Perſepolitanam Regiam, Q. Curtius *libr.* V. *cap.* 7. §. 5. retulit; cui Alexander, ſtimulos admovente ebrio ſcorto, primus ignem injecit, aliiſque faces ſubdentibus, celeriter igne concepto, late ſeſe fudit incendium, ut narrant Diodorus Siculus *libr.* XVII. *cap.* 72. *pag.* 216. (*St.* 600. *Rb.* 545.) Arrianus *libr.* III. *cap.* 18. *pag.* 131 & Curtius *libr.* V. *cap.* 7. qui urbis illius caſum ita deflet: (§. 8.) *Hunc exitum habuit Regia totius Orientis, unde tot gentes ante jura petebant, patria tot Regum, unicus quondam Graeciae terror, molita mille navium claſſem, & exercitus, quibus Europa inundata eſt, contabulato mari molibus, perfoſſiſque montibus, in quorum ſpecus fretum immiſſum eſt. Ac ne tam longa quidem aetate, quae excidium ejus ſecuta eſt, reſurrexit. Alias urbes habuere Macedonum Reges, quas nunc habent Parthi. Hujus veſtigium non inveniretur, niſi Araxes amnis oſtenderet.*

LXXII. Tranſlato vero ad Parthos imperio, Cteſiphon Imperii ſedes conſtituta. Tacitus *libr.* VI. *Annal. cap.* 42. *Atque interim Cteſiphon ſedes Imperii petita.* Herodianus *libr.* III. *cap.* 29. de Cteſiphonte: Ἔνθα δὴ τὰ βασίλεια τοῦ Παρθυαίου. *Ubi regia Parthorum regis.* Plinius *libr.* VI. *cap.* XXVI. *Cteſiphontem in Chalanotide condidere Parthi: quod nunc eſt caput regni.*

LXXIII. Septam autem fuiſſe Perſarum Regiam multis januis & ſtipatoribus, Aristoteles *libr. de Mundo cap.* 6. ſcribit, cujus verba ipſa Graeca, quod non Regiarum modo aedium magnificentiam, verum etiam faſtum Perſici Regni graphice depingant, ſubjeci. Sic autem habent: Ἀλλ' οἷον ἱστορεῖται, τὸ Καμβύσου, Ξέρξου τε καὶ Δαρείου πρόσχημα, εἰς σεμνότητα καὶ ὑπεροχῆς ὕψος μεγαλοπρεπῶς διεκεκόσμητο. Αὐτὸς μὲν γὰρ, ὡς λόγος, ἵδρυτο ἐν Σούσοις ἢ Ἐκβατάνοις παντὶ ἀόρατος, θαυμαστὸν ἔχων βασίλειον οἶκον, καὶ περίβολον χρυσῷ καὶ ἠλέκτρῳ καὶ ἐλέφαντι ἀστράπτοντα· πυλῶνες δὲ πολλοὶ καὶ συνεχεῖς, αἴθουσαί τε συχναῖς εἰργόμεναι σταδίοις ἀπ' ἀλλήλων, θύραις τε χαλκαῖς καὶ τείχεσι μεγάλοις ὠχύρωντο. ἔξω δὲ τούτων ἄνδρες οἱ πρῶτοι καὶ δοκιμώτατοι διεκεκόσμηντο, οἱ μὲν ἀμφ' αὐτὸν βασιλέα δορυφόροι τε καὶ θεράποντες, οἱ δὲ ἑκάστου περιβόλου φύλακες, πυλωροί τε καὶ ὠτακουσταὶ λεγόμενοι· ὡς ἂν ὁ βασιλεὺς αὐτὸς δεσπότης καὶ θεὸς ὀνομαζόμενος πάντα μὲν βλέποι, πάντα δὲ ἀκούοι. χωρὶς δὲ τούτων ἄλλοι καθειστήκεσαν προσόδων ταμίαι, καὶ στρατηγοὶ πολέμων, καὶ κυνηγεσίων, δώρων τε ἀποδοχεῖς, τῶν τε λοιπῶν ἔργων ἕκαστοι κατὰ τὰς χρείας ἐπιμεληταί. τὴν δὲ σύμπασαν ἀρχὴν τῆς Ἀσίας, περατουμένην Ἑλλησπόντῳ μὲν ἐκ τῶν πρὸς ἑσπέραν μερῶν, Ἰνδῷ δὲ, ἐκ τῶν πρὸς ἕω, διειλήφεσαν κατὰ ἔθνη στρατηγοὶ καὶ Σατράπαι καὶ βασιλεῖς, δοῦλοι τοῦ μεγάλου βασιλέως, ἡμεροδρόμοι τε καὶ σκοποὶ, καὶ ἀγγελιαφόροι, φύλακες, φρυκτωριῶν τε ἐποπτῆρες. τοσοῦτος δὲ ἦν ὁ κόσμος, καὶ μάλιστα τῶν φρυκτωριῶν κατὰ διαδοχὰς πυρσευόντων ἀλλήλοις ἐκ περάτων τῆς ἀρχῆς μέχρι Σούσων καὶ Ἐκβατάνων, ὥστε τὸν βασιλέα γινώσκειν αὐθημερὸν πάντα τὰ ἐν τῇ Ἀσίᾳ καινουργούμενα. Quem Ariſtotelis locum Apuleius in libro ejuſdem argumenti & tituli, *pag.* 738. *ſeq.* Latinum fecit in hunc modum: *Cambyſes & Xerxes & Darius potentiſſimi Reges fuerunt: horum praepotentia, quam ex opibus collegerant, lenocinium vitae effecerat celſioris: cum eorum alter apud Suſam & Ecbatanas, ut in fano quodam ſacratus, nulli temere notitiam oris ſui panderet, ſed circumſeptus admirabili Regia, cujus tecta fulgerent, eboris, argenti, luce flammea, auri vel electri claritate. Limina vero alia prae aliis erant. Interiores fores exteriores januae muniebant, portaeque ferratae & muri adamantina firmitate. Ante fores viri fortes, Stipatoreſque regalium laterum tutela pervigili, cuſtodiam per vices fortium ſuſtinebant. Erant inter eos diverſa officia in comitatu Regio. Armigeri quidam, at extrinſecus ſinguli cuſtodes locorum erant, & Janitores, & Atrienſes. Sed inter eos Aures Regiae & Imperatoris Oculi quidam homines vocabantur; per quae officiorum genera, Rex ille ab hominibus Deus eſſe credebatur, cum omnia, ubicunque gererentur, ille Otacuſtarum relatione diſcebat. Diſpenſatores pecuniae, Quaeſtores vectigalium, & Tribunos aerarios habebat: alios & alios praefecerat ceteris urbibus: alii venatibus agendis provinciam nacti, pars domibus & muneribus praefecti putabantur, & ceteri perpetuis magniſque curis obſervatione ſingularum rerum appoſiti erant. Sed omne Aſiaticum Regnum ab Occidente Helleſpontus terminabat, ab ortu gens inchoabat Indorum. Duces ac Satrapae ubique diſpoſiti, & permixta locis omnibus mancipia regalia. Ex eo numero erant excurſores diurni, atque nocturni exploratores, & per vices incenſae faces ex omnibus Regni ſublimibus locis in uno die Imperatori ſignificabant, quod ſcito opus.* Quae verba valde in editis exemplaribus depravata, a me ſunt manuſcriptorum codicum beneficio, in integrum reſtituta (*a*). Facit autem hic locus ad eorum firmandam opinionem, qui librum illum de Mundo, utpote ſtante adhuc, & necdum everſo Perſarum imperio ſcriptum, Ariſtoteli merito adſcribendum cenſent: quem ſine cauſa plerique ad alium auctorem transferunt.

LXXIV. Porro auream Regis Perſarum Domum Philostratus *libr.* II. *Imag. cap.* 30. in Themiſtoclis tabula, ſtrictim & per tranſennam

(*a*) Restituta] Hinc nihil quoque mutare volui, licet locus aliter paſſim in recentioribus etiam editionibus legatur. Nimis quoque operoſum fuiſſet varias adſcribere lectiones: qui harum rerum curioſus eſt, ipſe conferat auctorem cum *edd. optimis*; quarum accuratiſſima futura eſt, quam cum maxime adornat V. C. *Franciſcus Oudendorpius*. TR.

nam attigit. Apud AESCHYLUM quoque ἐν Πέρσαις, v. 159. Atoſſa χρυσεοστόλμους ſuas δόμους, *auro fulgentes domos*, jactat. Nec non DIO CHRYSOST. *Orat.* II. *de Regno*, *pag.* 27. αὐλὴν τῶν Ἀσιανῶν βασιλέων fuiſſe πολυχρήματον & πολύχρυσον, *aulam Aſianorum regum divitiis auroque refertam* ait: Menelaique habitationem, ab HOMERO *libr.* IV. *Odyſſeae*, tanquam Perſicam aut Medicam Regum habitationem deſcribi. Sed & χρυσοῦν βασιλέως οἶκον, *auream regis domum* praedicat LUCIANUS in *libr.* περὶ οἴκου, *de domo*: cujus Arſacidas conditores facit, quam tamen popularem duntaxat admirationem habuiſſe, propter magnificentiam laude carentem, ſcribit (a).

LXXV. Sed & in aurea ſella ſediſſe Perſarum Regem PHILOSTRATUS *libr.* II. *Imag. cap.* 30. illo, quem paulo ante laudavi, loco oſtendit. CTESIAS quoque *cap.* 14. meminit δίφρου χρυσοῦ, quod Magus falſus Rex in cubiculo habebat, cujus pede arrepto contra percuſſores ſuos pugnavit. Xerxem etiam ἐν χρυσῷ θρόνῳ καθήμενον, *aureo folio inſidentem*, navalem pugnam ſpectaſſe, JO. TZETZES *Hiſtor. Chil.* I. *cap.* XXXII. *v.* 980. ſcribit. Aureo pariter ſolio Alexandrum uſum ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* 9. *pag.* 537. ſcribit. Ejuſdem mortui corpus aureo ſolio impoſitum Q. CURTIUS *libr.* & *cap. ult.* §. 13. refert. AELIANUS *libr.* IX. *Var. Hiſtor. cap.* III. Ἐν μέσῳ δὲ τῇ σκηνῇ χρυσοῦς ἐτίθετο δίφρος, καὶ ἐπ' αὐτῷ καθήμενος Ἀλέξανδρος ἐχρημάτιζε. *In medio tabernaculi aurea ſella ponebatur, inque ea ſedens Alexander cauſas cognoſcebat.* ARRIANUS autem *libr.* VII. *cap.* XXIV. *pag.* 306. θρόνον βασίλειον Alexandri deſcribens, fuiſſe ait κλίνας ἑκατέρωθεν τοῦ θρόνου ἀργυρόποδας, ἐφ' ὧν οἱ ἀμφ' αὐτὸν ἑταῖροι ἐκάθηντο. *Lectos ab utraque ſolii parte, argenteis pedibus innixos, quibus amici circa ipſum inſidebant.* Similiter ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* IX. *p.* 537. ex *Ephippo Olynthio*: Ἐν τῷ παραδείσῳ ἔκειτο αὐτῷ χρυσοῦς θρόνος, καὶ κλῖναι ἀργυρόποδες, ἐφ' ὧν καθεζόμενος ἐχρημάτιζε μετὰ τῶν ἑταίρων. *In hortis ipſi ſtatutum fuit aureum ſolium, & lecti argenteis fulti pedibus, in quibus ſedens cum amicis jus dicebat.* Unde DIO CHRYSOST. *Orat.* XLIX. *pag.* 538. Perſarum Reges ἐν θρόνοις χρυσοῖς καθημένους βασιλέας, *aureis ſoliis inſidentes reges*, vocat. Ipſius etiam Cyri, qui Regis Darii minor natu filius erat, cum provinciam ſibi a patre decretam obtineret, θρόνον, ἐφ' ᾧ ἐκάθητο, ἀργυροῦν καὶ χρυσοῦν, *ſolium, cui inſidebat, argenteum & aureum* fuiſſe, XENOPHON *libr.* I. Ἑλλην. *pag.* 440. indicat. Regiam vero ſellam, & θρόνον τῆς βασιλείας, Suſis Regis habuiſſe ex *cap.* I. & V. *Hiſtoriae Eſther.* patet. Eamque urbem ingreſſus Alexander, in Darii ſella conſediſſe dicitur: Quod conſpiciens Demaratus Corinthius, ut PLUTARCHUS *libr.* I. *de Fort. Alexand. pag.* 329. narrat (b), prae gaudio lachrymans, maxima voluptate & laetitia Graecos caruiſſe dixit, qui morte praerepti, Alexandrum Darii ſellae inſidentem non vidiſſent.

LXXVI. De hac autem Regia ſella, in qua privatis conſidere capitis poena interdictum fuiſſe, ſupra docuimus, hiſtoriam non injucundam DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *ſection.* II. *cap.* 66. *pag.* 211. (*St.* 597. *Rh.* 540.) refert, quam Curtii verbis enarrabo. Hoc enim interprete Graecus auctor gloriabitur. Sic igitur Diodori ſententiam CURTIUS *libr.* V. *cap.* 2. §. 13. *ſeqq.* de Alexandro Suſa ingreſſo agens, expreſſit: *Conſedit deinde in Regia ſella, multo excelſiore, quam pro habitu corporis. Itaque cum pedes imum gradum non contingerent, unus ex Regiis pueris menſam ſubdidit pedibus: & cum Spadonem, qui Darii fuerat, ingemiſcentem conſpexiſſet Rex, cauſam moeſtitiae requiſivit. Ille indicat, Darium veſci in ea ſolitum, ſeque ſacram ejus menſam ad ludibrium recidentem ſine lachrymis conſpicere non poſſe: ſubiit ergo Regem verecundia violandi hoſpitales Deos. Jamque ſubduci jubebat, cum Philotas; Minime vero haec feceris Rex, ſed Omen quoque accipe, menſam, ex qua libavit hoſtis epulas, tuis pedibus eſſe ſubjectam.* Quo loci notandum eſt, quod DIODORUS τὸ κατὰ τὸν θρόνον ὑποπόδιον dixit, CURTIUM *imum gradum* vertiſſe. Et quidem θρόνον ATHENAEUS *libr.* V. *pag.* 192. καθέδραν σὺν ὑποποδίῳ, *ſellam cum ſubſellio*, interpretatur. Quod autem PLUTARCHUS in *Alexandri vita*, *pag.* 682. & *libr.* II. *de Fortuna ejuſdem Principis*, *pag.* 338. in Darii precatione Κύρου θρόνον dixit: HORATIUS *Ode* II. *libr.* II. *v.* 17. *Cyri ſolium*: CURTIUS vero *libr.* VI. *cap.* 3. §. 12. *Cyri ſedem* vocat. Sellam plane Regiam Parthorum Regi repetenti, quam Trajanus ceperat, Antoninum Pium pernegaſſe, CAPITOLINUS in ejus *vita*, *cap* 9. ſcribit. Enimvero ſellae illius, in qua ſedens Perſarum Rex populo Jus reddere ſolebat, ornatum ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* II. *pag.* 514. declarat his verbis: Ὁ δὲ θρόνος, ἐφ' ᾧ ἐχρημάτιζε καθήμενος, χρυσοῦς ἦν· ὃν περιεστήκεσαν (c) τέτταρες κιονίσκοι λιθοκόλλητοι χρυσοῖ, ἐφ' ὧν διετέτατο ἱμάτιον ποικίλον πορφυροῦν. *Solium, in quo ſedens, jus dicebat, reſponſaque dabat legationibus, aureum erat, & quatuor aureis & gemmatis columellis ſuſtinebatur, ſuper quibus variam purpureamque veſtem extendebant.*

LXXVII. Praeterea aureo lecto cubare Reges ſolebant, qui mos & ad Parthos tranſiit. Proinde Artabanus, Parthorum Rex, Adiabenorum Regem, cujus ope in Regnum reſtitutus fuerat, quam maximis poſſet honoribus ornare cupiens, Τιάραν ὀρθὴν ἐπέτρεψεν αὐτῷ φορεῖν, καὶ ἐπὶ χρυσῆς κλίνης καθεύδειν· ἅπερ μόνων ἐστὶ γέρας καὶ σημεῖον τῶν Πάρθων βασιλέων. *Tiaram rectam ei geſtare permiſit, & in aureo lecto cubare: quae honoris inſignia conceſſa ſunt ſolis Parthorum regibus*, ait JOSEPHUS *libr.* XX. *Antiquit. Judaic. cap.* III. Ei etiam ex tribus corporis cuſtodibus, qui verioris orationis palmam ferret, pollicitum Darium ἐπὶ χρυσῷ, ſeu ἐπὶ χρυσίνη καθεύδειν, *in auro dormire*, *libr.* III. *Eſdrae cap.* III. *v.* 6. & apud JOSEPHUM *libr.* XI. *Antiquit. Judaic. cap.* IV. (*al.* III.) legimus. Sed & aureo tabernaculo, navem Sidoniam, qua Xerxes vehebatur, inſtructam fuiſſe HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 100. referi. Auream quoque Platanum, item Auream arbuſtivam vitem Regis Perſarum hiſtoriarum monumenta praedicant. XENOPHON *libr.* VII. [*p.* 486.] Ἑλλην. *pag.* 622. Ἐπεὶ καὶ τὴν ὑμνουμένην ἂν χρυσῆν πλάτανον οὐχ ἱκανὴν ἔφη εἶναι τέττιγι σκιὰν παρέχειν. *Nam & nobilem illam platanum auream, ne cicadae quidem, dixit, umbram praebere poſſe.* Qua de re ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* 9. *pag.* 539. haec *Philarchi* verba adfert: Τὰς χρυσᾶς πλατάνους, καὶ τὴν χρυσῆν ἄμπελον, ὑφ' ἣν οἱ Περσῶν βασιλεῖς ἐχρημάτιζον πολλάκις καθήμενοι, σμαραγδίνους βότρυς ἔχουσαν, καὶ τῶν Ἰνδικῶν ἀνθράκων ἄλλων

τε

(a) SCRIBIT] Intelligit ſine dubio locum, qui in *nov. edd.* legitur *cap.* 5. *pag.* 193. *Tom.* III. ubi tamen non tam de aurea domo, quam de aurea platano ſermo eſt. TR.

(b) NARRAT] Adde ejuſdem *Vitam Alexandri*, *pag.* 687. TR.

(c) Περιεστήκεσαν] In *ed.* quam ego conſuli, legitur: ἀφεστήκεσαν. TR.

τὰ πυροπάλιον λίθων ὑπερεϐαλλόντων ταῖς πολυτελείαις. *Aureos platanos, & auream vitem, cum uvis confectis e Smaragdis, Carbunculis Indicis, & aliis gemmis omne genus, ſummi pretii, fidem omnem excedentis, ſub quis ſaepius reges Perſarum ſedentes legatos audiebant, & jus dicebant.* Plane aurea Platano, ſimul & aurea vite, Darium a Pythio Lydo, hoſpite ſuo, donatum HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 27. memoriae prodidit. PLINIUS *libr.* XXXIII. *cap.* X. *Quota vero ille ipſe (neque enim de Regibus loquor) portia fuit Pythii Bithyni, qui Platanum auream vitemque nobilem illam Dario Regi donavit.* Unde TZETZES *Hiſtoria verſ. chil.* I. *cap.* XXXII. *v.* 924. Πύθιος τούτων (Xerxem videlicet) ὁ Λυδὸς ὡς πρότερον Δαρείῳ πλάτανον δέδωκε, καὶ ἄμπελον πάγχρυσον (*a*). Atque aureae hujus plstani meminit DIO (*b*) CHRYSOSTOMUS *Orat.* LVII. *in fine*, *pag.* 572. Ejus etiam, ut & χρυσοῦ ἀναδενδράδος, PLUTARCHUS *lib.* II. *de Fortuna Alexandri*, *pag.* 342. mentionem facit, narrans, Alexandrum a tenera aetate Regiae indolis ſpecimen exhibuiſſe in eo, quod Regis Perſarum legatos ad patrem miſſos nihil de aurea illa vite, nec aliis id genus ludicris percontatus foret. Vitem autem illam gemmis ornatam fuiſſe, & lecto ſuperſtantem, ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* 11. *pag.* 514. planum facit. Haec enim ex *Chare Mitylenaeo libr.* V. *Alexandreïdos* verba adducit: Ἦν δὲ ἐν τῷ κοιτῶνι καὶ ἀναδενδρὰς χρυσῆ, ὑπὲρ τῆς κλίνης. *In ejus cubiculo fuit & vitis aurea, gemmis ornata, ſuper lectum diſtenta.* Hujus vitis uvas ex precioſiſſimis lapilis coagmentatas fuiſſe, ibidem refert, Amyntam auctorem laudans, cujus haec verba adfert: Τὴν δὲ ἄμπελον ταύτην Ἀμύντας ἔφη ἐν τοῖς σταθμοῖς, βότρυας ἔχειν ἐκ τῶν πολυτελεστάτων ψήφων συντεθειμένους. *Hujus vitis uvas, Amyntas libro de Ponderibus & ſtateris ait, ex precioſiſſimis gemmis compoſitas fuiſſe.* Fuiſſe hoc Theodori opus (*c*), HIMERIUS ἐν μελέταις *pag.* 69. docet: Καὶ οἶκος, inquiens, Δαρείῳ βασίλειος, καὶ ἄμπελος Ἀρταξέρξῃ χρυσῆ, Θεοδώρου Σαμίου ποίημα. *Domus regia Dario, & vitis aurea Artaxerxi facta, Theodori Samii opus.*

LXXVIII. Palatiis vero Regum hortos applicitos fuiſſe, ex *cap.* VII. *Eſther. v.* 7. colligitur. Erant & illis agri conſepti, ac diligenter conſiti, quos παραδείσους lingua ſua vocabant, in quos animi laxandi & remittendi cauſa ſeccedere & morari conſueverant. XENOPHON *Oeconomico*, ſive *Memorab. lib.* V. *pag.* 829. [655.] de Rege Perſarum loquens; Ἐν ὁπόσαις τε χώραις ἐνοικεῖ, καὶ εἰς ὁπόσας ἐπιστρέφεται, ἐπιμελεῖται τούτων, ὅπως κῆποί τε ἔσονται, οἱ παράδεισοι καλούμενοι, πάντων καλῶν τε καὶ ἀγαθῶν μεστοί, ὅσα ἡ γῆ φύειν ἐθέλει. Καὶ ἐν τούτοις αὐτὸς τὰ πλεῖστα διατρίβει, ὅταν μὴ ἡ ὥρα τοῦ ἔτους ἐξείργῃ. *Quaſcunque regiones incolit, & quocunque ſe confert, ſtudioſe dat operam, ut horti ſint, quos Paradiſos vocant, omnibus referti, quaecunque pulchra & bona naſci de terra poſſunt, atque in his ipſe magna ex parte verſatur, quum anni tempus id fieri non prohibet.* Et mox ait, cum in his Paradiſis Rex verſari ſoleret, operam dediſſe eum, ὡς κάλλιστα κατεσκευασμένοι, δένδρεσι καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι καλοῖς, ὅσα ἡ γῆ φέρει. *Ut pulcherrime inſtructi ſint, cum arboribus, tum aliis rebus e terra naſcentibus.* Ejuſmodi ſeptum in urbe Phoeniciae Sidone habuiſſe Reges Perſarum indicio eſt, quod DIODORUS *libr.* XVI. *cap.* 41. *pag.* 113. (*St.* 532. *Rh.* 440.) ſcribit: Βασιλικὸν παράδεισον, ἐν ᾧ τὰς καταλύσεις οἱ τῶν Περσῶν βασιλεῖς εἰώθεσαν ποιεῖσθαι, δενδροτομήσαντες διέφθειραν. *Paradiſum regium, in quo diverſari Perſarum reges ſolebant, excifis arboribus devaſtarunt.* PLUTARCHUS etiam in *Artaxerxe*, *pag.* 1024. Ἐπεὶ δὲ, inquit, εἰς σταθμὸν ἀφίκοντο βασιλικὸν, παραδείσους ἔχοντα θαυμαστοὺς, καὶ κεκοσμημένους διαπρεπῶς, ἐν τῷ πέριξ χωρίῳ ἐρήμῳ καὶ ψιλῷ χωρίῳ. *Cum ad diverſorium regium Paradiſis elegantiſſimis & magnifice exornatis inſtructum perveniſſet, circumjacente campo nudo, & arboribus vacuo* &c. Unde HESYCHIUS Παράδεισον, τὸν βασιλέως καταλύσιν, *Paradiſum, locum, ubi rex diverſari ſolet*, interpretatur. Quam vocem e Perſide in Graeciam migraſſe, illa XENOPHONTIS modo ptolata verba ſatis apetto indicant: diſerte vero idipſum confirmat POLLUX *libr.* IX. *cap.* III. *ſegm.* 13. *pag.* 984. his verbis: Οἱ δὲ παράδεισοι βαρβαρικὸν εἶναι δοκεῖ τοὔνομα, ἐπεὶ καὶ ἐξ ἐπιπολῆς (*d*) εἰς χρῆσιν Ἑλληνικὴν, ὡς καὶ ἄλλα πολλὰ τῶν Περσικῶν. *Paradiſi vox barbara eſſe videtur, quae uſu in linguam Graecam recepta eſt, ut alia quoque Perſica vocabula plurima.* Uſurpatur & ab Hebraeis vox haec, *Pardes*, e Perſico idiomate, ut *Eccleſiaſtici cap.* II. *v.* 5. & *Canticor. cap.* IV. *v.* 13. apparet. Valeant ergo, qui eum SUIDA peregrinae hujus vocis originem παρὰ τὸ ἄρδειν, id eſt, βρέχω, *rigo*; aut παρὰ τὸ τὰς δρεῖς (id eſt, βοτανῶν ζυλλογὴν) ποιεῖν, *herbas colligere*, arceſſunt.

LXXIX. Paradiſos autem Perſarum φυτῶν δένδρων καὶ θηρίων, *arboribus atque feris refertos* fuiſſe, XENOPHON *libr.* III. Ἑλληνικῶν docet. His enim incluſae ferae alebantur, quas Reges, voluptatis ſimul & exercendi corporis cauſa, agitare exercereque conſueverant. Itaque Aſtyages ad Cyrum apud XENOPHONTEM *libr.* I. παιδ. *pag.* 11. Ταῦτά σοι ἐν τῷ παραδείσῳ θηρία δίδωμι νῦν. *Feras tibi nunc largior, quae ſunt in Paradiſo, ſeu vivario.* Et alias eodem *libr. pag.* 14. Ταχὺ δὲ ἐν τῷ παραδείσῳ θηρία ἀνηλώκει, διώκων, καὶ βάλλων, καὶ κατακαίνων. *Celeriterque feras, quae in vivario erant, perſequendo, jaciendo interficiendoque ita conſumpſit* &c. Ac paulo poſt, *pag.* 16. Ἐφλυαροῦμεν, ὅτε καὶ ἐν τῷ παραδείσῳ θηρία ἐθηρῶμεν. *Nugabamur, cum eas, quae vivario continebantur, feras venabamur.* Idem *libr.* I. Ἀναβάσ. *pag.* 246. de Celaenis Phrygiae urbe: Ἐνταῦθα Κύρῳ βασίλεια ἦν, καὶ παράδεισος μέγας, ἀγρίων θηρίων πλήρης, ἃ ἐκεῖνος ἐθήρευεν ἀπὸ ἵππου, ὁπότε γυμνάσαι βούλοιτο ἑαυτόν τε καὶ τοὺς ἵππους. *Erat hic Cyro regia, & ingens Paradiſus, feris refertus, quas eques ipſe inſectabatur, ſi quando ſeipſum & equos exercere vellet.* PHILOSTRATUS *libr.* I. *de vita Apollonii*, *cap.* 38. Μέλλων δέ ποτε αὐτὸς θηρᾶν ἐπιχειρεῖν τῶν ἐν τοῖς παραδείσοις χωρίων, ἐς οὓς λέοντές τε ἀπόκεινται τοῖς βαρβάροις, καὶ ἄρκτοι καὶ παρδάλεις. *Quum vero (Rex) venationi aliquando incumbere vellet, qualis inſtitui ſolet in regionibus, quae paradiſos abſolvunt, in quibus leones barbarie aſſervantur, & urſi, & pantherae.* Unde hiſee paradiſis clauſas feras, θηρία πεπαρδεισευμένα, XENOPHON *libr.* I. παιδ. *pag.* 16. vocat. Cujuſmodi ſepta Romani *Vivaria* appellabant. AGELLIUS *libr.* II. *cap.* XX. *Vivaria quae nunc dicuntur, ſepta quaedam loca, in quibus*

(*a*) Πάγχρυσον] In mea edizione ſic legitur: Πύθιος τούτων ὁ Λυδὸς, ὁ δωρήσας Δαρείῳ &c. *Pythius hunc Lydus, qui prius Dario vitem dedit, & platanum auream.* Et ſic in Briſſonio quoque legendum exiſtimo. Eſt praeterea in editis non πάγχρυσον, ſed παγχρύσους. L.

(*b*) DIO] Adde ejusdem *Orat.* VI. *pag.* 93. TR.

(*c*) OPUS] Immo non vitem auream; ſed aureum craterem fuiſſe Theodori Samii opus, teſtatur ATHENAEUS *l. c.* TR.

(*d*) Συνῆθεν] In *noviſſ. ed.* leguntur συνήθως. TR.

bus ferae vivae paſcuntur. Et mox: *Vivaria autem, quae nunc vulgus dicit, ſunt quos* Παραδείσους *Graeci appellant.* AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXXI. *cap.* 10. de Gratiano: *Intra Septa, quae appellant Vivaria, ſagittarum pulſibus crebris dentatas conficiens beſtias.* Cujus generis ſaltus multos in regione, quae *Bazaria* appellatur, fuiſſe, CURTIUS RUFUS *libr.* VIII. *cap.* 1. §. 11. *ſeq.* ita ſcribit: *Barbarae opulentiae in illis locis haud ulla ſunt majora indicia, quam magnis nemoribus ſaltubuſque nobilium ferarum greges clauſi. Spatioſas ad hoc eligunt ſilvas crebris perennium aquarum fontibus amoenas. Muris nemora cinguntur, turreſque habent venantium receptacula.* Sed & AMMIANUS MARCELL. *libr.* XXIV. *cap.* 5. refert in lucorum tractu, *extentum* fuiſſe *ſpatium & rotundum, loricae ambitu circumcluſum, deſtinatas regiis voluptatibus continens feras, cervicibus jubatis leones, armiſque hiſpidos apros, & urſos (ut ſunt Perſici) ultra omnem rabiem ſaevientes, & alia lecta immania corpora beſtiarum.* Venationes quoque regias fuiſſe in Babylone, & omnis generis beſtias, quae murorum ejus tantum ambitu coërcerentur, D. HIERONYMUS in *Comment. Eſajae lib.* v. ad *cap.* XIII. in *fine*, *pag.* 111. ſcribit (*a*). Hiſce vero conſeptis agris ſupra modum oblectatos Perſarum Reges, vel ex eo liquet, quod Sardianum Paradiſum manu ſua conſerere Cyrus minor non ſit gravatus. Quod poſt XENOPHONTEM in *Oeconomico*, AELIANUS *lib.* 1. *de Animalibus cap.* XIX. refert. Sed ipſum Xeoophontem Latine, CICERONIS ore loquentem, audiamus. Ejus enim in *libr. de Senectute, cap.* 17. verba ſic habent: *Xenophon, in eo libro, qui eſt de tuenda re familiari, qui Oeconomicus inſcribitur, refert, Cyrum minorem, Perſarum Regem, praeſtantem ingenio atque imperii gloria, quum Lyſander Lacedaemonius, vir ſummae virtutis, veniſſet ad eum Sardis, eique dona a ſociis attuliſſet, & ceteris in rebus comem erga Lyſandrum atque humanum fuiſſe, & ei quendam conſeptum agrum, diligenter conſitum oſtendiſſe. Quum autem admiraretur Lyſander & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum ſubactam atque puram, & ſuavitatem odorum, qui afflarentur e floribus: tum eum dixiſſe, mirari ſe non modo diligentiam, ſed etiam ſolertiam ejus, a quo eſſent illa dimenſa atque deſcripta: & ei Cyrum reſpondiſſe; Atqui ego omnia iſta ſum dimenſus; mei ſunt ordines, mea deſcriptio; multae etiam iſtarum arborum mea manu ſatae ſunt. Tum Lyſandrum intuentem ejus, purpuram & nitorem corporis, ornatumque Perſicum multo auro, multiſque gemmis dixiſſe: Recte vero te Cyre beatum ferunt, quoniam virtuti tuae fortuna conjuncta eſt.* Eoſdem Cyri minoris hortos praedicat & AELIANUS *libr.* 1. *de Animal. cap.* LIX. Cujus verba Graeca cum Latinis Ciceronis cuilibet comparanda relinquo. Alexandrum vero hiſce Perſarum ſeptis e Graecia advectas arbores poni juſſiſſe PLUTARCHUS *libr.* III. *Sympoſiac. qu.* 2. *pag.* 648. auctor eſt.

LXXX. Hoc loco celebres illos Hortos penſiles Babylonis tacitus praeterire non poſſum: Hos enim inter ſeptem orbis mira narrari, LACTANTIUS *libr.* III. *de falſa Sapientia, cap.* XIV. prodidit. De quibus haec DIODORUS SICULUS *libr.* II. *cap.* 10. *pag.* 123. *ſeq.* (*St.* 70. *Rh.* 98.) Ὑπῆρχε δὲ ὁ κρεμαστὸς καλούμενος κῆπος παρὰ τὴν ἀκρόπολιν· οὐ Σεμιράμιδος, ἀλλά τινος ὕστερον Σύρω (*b*) βασιλέως κατασκευάσαντος χάριν γυναικὸς παλλακῆς· ταύτην γάρ φασιν οὖσαν τὸ γένος Περσίδα, καὶ τοὺς ἐν τοῖς ὄρεσι λειμῶνας ἐπιζητοῦσαν, ἀξιῶσαι τὸν βασιλέα μιμήσασθαι διὰ τῆς τοῦ φυτουργείου φιλοτεχνίας τὴν τῆς Περσίδος χώρας ἰδιότητα. *Erat etiam penſilis, ut vocant, hortus, juxta arcem; non a Semiramide, ſed Syro quodam rege, poſteris temporibus in gratiam pellicis aedificatus. Quae cum ex Perſis, ut perhibent, oriunda eſſet, in montibus prata requirens, a rege, ut artificioſo quodam plantario Perſicae naturam terrae imitaretur, contendit.* Horti autem illi, ut ibidem ſubjungit, patebant in ſingula latera quatuor jugera: acceſſus vero montoſus erat, habebatque extructiones alias ex aliis aptas, ita ut theatri aſpectum referrent: ſub extructis autem aſcenſibus aedificatae erant teſtudines, ſuſtinentes totum viridarii pondus, ſeque invicem ſenſim paululum exuperantes acceſſu. Fornici autem ſupremo, cujus altitudo erat L. cubitorum, impoſita erat ſuprema hortorum ſuperficies, ambitui propugnaculorum adaequata. Deinde muri ſumptuoſe firmati & ſtabiliti craſſitudinem habebant pedum XXII. Egreſſus autem quilibet latitudinem habebant x. pedum. Culmina tegebantur lapideis trabibus, longitudine, una cum epibolis, pedum XVI. latitudine vero IV. Tabulatum autem trabibus impoſitum, primo quidem ſubſtratum habebat calamum multo bitumine illitum; deincepſque laterem coctum duplicem gypſo colligatum: tertio ſuperinjectum erat tectum plumbeum: ne aggeris humor altius penetraret: ſuper haec aggeſta erat terrae magna vis, quae ſufficeret alendis maximarum arborum radicibus. Solum autem adaequatum & complanatum, plenum erat arborum omnis generis, quarum & magnitudine & reliqua venuſtate ſpectatores caperentur. Fornices lumen excipientes, quod ſe mutuo excederent, habebant multas & varias Regum diaetas: Quarum una ſupremam ſuperficiem multis locis inciſam habebat, & machinas ad hauriendas aquas, quibus aquae magna vis ex flumine ſurſum attollebatur, quod a nemine externo perſpici poterat. Similiter & STRABO *libr.* XVI. *pag.* 1072. *ſeq.* (738.) hortos iſtos penſiles deſcribens, quadrata figura fuiſſe, eorumque ſingula latera quatuor jugera patuiſſe ſcribit. Continebanturque, ut ibidem ait, ac fulciebantur concameratis fornicibus, firmatis ſuper talis cuborum ſimilibus, quorum alii ſuper alios erant impoſiti. Tali autem illi concavi erant, terra pleni, ad excipiendas & alendas maximas quaſque arbores; ex coctili latere & bitumine conſtructi, tam ipſi, quam fornices & teſtudines. Supremum tectum aſcenſus ſcalares habebat, & cochleas ipſis appoſitas, per quas aquam ſurſum in hortos ex Euphrate aſſidue attollebant ii, quibus id oneris mandatum erat. Fluvius ſiquidem mediam civitatem praeterfluebat, latitudine ſtadii, cui erant horti impoſiti. Placet etiam Q. CURTII de iiſdem hortis locum, ex ejus *libr.* v. *cap.* 1. §. 32. *ſeqq.* ſubjicere: ut eo modo Latina ejus verba cum Graecis Diodori & Strabonis conjungi poſſint (*c*).

Super

(*a*) SCRIBIT] Notari tamen debet, Hieronymum ibi de ſuis loqui temporibus. TR.

(*b*) Σύρω] In *noviſſ. ed.* legitur Σύρου. TR.

(*c*) POSSINT] Locus hic paſſim aliter legitur in recentioribus edd. Ego neque aliquid mutare volui, quia ſine dubio & ſuos *Codd.* habuit auctor, quos ſecutus fuerit; neque varias lectiones adjicere, quod nimis fuiſſet operoſum: ſed ſuadeo potius harum rerum curioſis, ut ipſi locum cum optimis *edd.* conferant. TR.

Super arcem, ait ille, *vulgatum Graecorum fabulis miraculum, Penſiles horti ſunt, ſummam murorum altitudinem aequantes, multarumque arborum umbra & proceritate amoeni. Saxeae pilae, quae totum onus ſuſtinent, inſtructae ſunt. Super pilas lapide quadrato ſolum ſtratum eſt, patiens terrae, quam altam injiciunt, & humoris, quo rigant. adeoque validas arborum ſuſtinent moles, ut ſtipites earum* VIII *cubitorum ſpacium craſſitudine aequent, in* L *pedum altitudinem emineant, & frugiferae aeque ſint, ac ſi terra ſua alerentur. Et cum vetuſtas non opera ſolum manu facta, ſed etiam ipſam naturam paulatim exedendo perimat, haec moles, quae tot arborum radicibus premitur, tantique nemoris pondere onerata eſt, inviolata durat: quippe* XX *lati parietes ſuſtinent,* XI *pedum intervallo diſtantes, ut procul viſentibus ſilvae montibus ſuis imminere videantur. Syriae Regem, Babyloniae regnantem, hoc opus eſſe molitum, memoriae proditum eſt, amore conjugis victum, quae deſiderio nemorum ſylvarumque in campeſtribus locis virum compulit, naturae genium amoenitate hujus operis imitari.* Illius autem Aſſyriorum Regis, hujuſmodi hortorum auctoris, nomen, quod DIODORUS SICULUS, eumque ſecutus CURTIUS, ſilentio praetermiſit, efferre mihi in promptu eſt, indicium deferente JOSEPHO *libr.* X. *Antiq. Jud. cap.* XI. qui *Nabuchodonoſorem* patris Regiae aliam adjeciſſe, cum horum hortorum acceſſione, ita ſcribit (a): Ἐν δὲ τοῖς βασιλείοις τούτοις ἀναλήμματα λίθινα ἀνοικοδομήσας, τὴν ὄψιν ἀποδοὺς ὁμοιότατα (b) τοῖς ὄρεσι, καὶ καταφυτεύσας δένδρεσι παντοδαποῖς, ἐξειργάσατο· καὶ κατεσκεύασε τὸν καλούμενον κρεμαστὸν παράδεισον, διὰ τὸ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ ἐπιθυμεῖν τῆς οἰκείας διαθέσεως, ὡς τεθραμμένην ἐν τοῖς κατὰ Μηδίαν τόποις. *In hac regia moles ſaxeas fornicibus ſuſpendit, montium ſpeciem referentes, ſuperne conſitas variis arborum generibus, atque ita celebratos illos penſiles hortos abſolvit, eo quod uxor, educata in Media, concupiſſet patriae ſuae quandam ſimilitudinem.* SUIDAS: Ναβουχοδονόσορ, βασιλεὺς Βαβυλῶνος. οὗτος κτίσας Βαβυλῶνα, πόλιν μεγάλην, καὶ κιστέρναν, καὶ ἐπάνω αὐτῆς κῆπον τεχνησάμενος, (c) καὶ τὸν κληθέντα Κρεμαστὸν, καὶ καταφυτεύσας ἐν αὐτῷ παντοδαπῶν γένη φυτῶν, ἐν αὐτῷ διῆγε. εἰς τοῦτον δὲ ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἀναστρεφομένη, καὶ πᾶσαν (d) ἐκείνην ἐπιβλέπουσα, κατετέρπετο, ὑπ' οὐδενὸς ὁρωμένη. *Nabuchodonoſor rex Babylonis. Hic cum condidiſſet Babylonem, urbem magnam, & ciſternam, & ſupra eam extruxiſſet hortum, qui penſilis vocatur, & in eo omnigena plantarum genera plantaſſet, in eo degebat. Ejus autem uxor in eo verſans, & omnem illam regionem circumſpiciens, vehementer gaudebat, quod a nemine conſpiceretur.* Fallitur ergo EUSTATHIUS (e) in ſuis ad *Dionyſ. de ſitu orbis*, v. 1005. *commentariis, pag.* 274. qui Semiramidi hujuſmodi hortos acceptos fert, in reliquis belle cum Diodoro conveniens, his verbis: Ἔκτισε δὲ (Semiramidem intellige) καὶ δεξαμενὴν μεγάλην, ἧς κῆπος ἐπίκειτο θαυμαστὸς, ἐπιλεγόμενος κρεμαστὸς, ὃς τετράπλευρος μὲν ἦν, ἑκάστη δὲ πλευρὰ πλέθρων εἶχε τεσσάρων· καὶ ἦν ἓν καὶ αὐτὸς τῶν ἑπτὰ θαυμαζομένων. *Extruxitque ingentem ciſternam, in qua hortum ſtupendum erexit, qui penſilis vocabatur, & quatuor habebat latera, quorum unumquodque quatuor plethorum erat. Fuitque hic ipſe hortus ex miraculis ſeptem mundi unum.* Atque hi ſunt κρεμαστοὶ κῆποι, *horti penſiles*, quorum PLUTARCHUS *libr.* II. *de Fort. Alexand. pag.* 342. mentionem facit. Qua in parte ſitne μονονουχὶ ἡμαρτηκὼς DIO CHRYSOSTOMUS lapſus, aliorum eſto judicium. Ille enim orationis flumen aureum fundens, Suſis penſilem hortum in extremo *Orationis* περὶ πλούτου, *de divitiis*, *pag.* 665. ita adſignat: Οὐ δ' ἂν γένοιντο ποτὲ ἄνθρωποι εὐδαίμονες ἀνόητοι, καὶ ἄφρονες, οὐδ' ἂν τὸν ἐν Σούσοις παράδεισον οἰκοδομήσωσιν, ὅς ἦν, ὥς φασι, μετέωρος ἅπας. *Neque enim unquam felices poterunt eſſe homines ſtulti & inſipientes, neque ſi Paradiſum in Suſis inhabitent, qui erat, ut ajunt, totus ſuſpenſus.* Leguntur & *penſiles hortos*, imo vero totum oppidum, feciſſe, Aegyptiae Thebae (f), auctore PLINIO *libr.* XXXVI. *Natur. Hiſt. cap.* XIV.

LXXXI. Ceterum quoniam in Babylonis mentionem incidimus, non alienum foret, quae de ejus urbis pulchritudine ac venuſtate literis & memoriae prodita ſunt, hic inſerere. Nec enim penſiles modo horti, ſed & ipſa urbis moenia omnium in ſe ora & oculos converterunt: uſque adeo, ut inter ſeptem mirabilia orbis opera numerentur. Verum ad alia, quae hujus inſtituti propria ſunt, feſtinans, ſatis habebo locos, unde hujus rei cognitio peti poſſit, indicaſſe. Igitur qui amplitudinem urbis noſſe deſiderabit, ſumat in manus HERODOTUM *libr.* 1. *cap.* 178. *ſeqq.* DIODORUM SICULUM *libr.* II. *cap.* 7. *ſeq. pag.* 120. *ſeqq.* (*St.* 67. *ſeqq. Rb.* 95. *ſeqq.*) STRABONEM *libr.* XVI. *pag.* 1072. *ſeq.* (738.) PROPERTIUM *libr.* III. *Eleg.* 9. *v.* 21. *ſeqq.* PLINIUM *libr.* VI. *cap.* XXVI. CURTIUM *libr.* V. *cap.* I. SOLINUM in *Polyhiſtore, cap. ult.* Neminem illi patientur a ſuis diſcendi epulis non ſatiatum diſcedere. Tantum admunebo, inter eos ſcriptores de murorum & turrium altitudine, & ambitus ſpatio, non omnino convenire. Omnium quidem in unum conſentiens fert opinio, inclytae illius urbis murum laterculo coctili, bitumine, harenae vice, interſtrato, interlitum fuiſſe, ejuſque ſpatium XXXII. pedum latitudinem amplexum; ita ut quadrigae inter ſe occurrentes ſine periculo commearent. Verum, ſecundum CURTIUM, *l. c.* §. 26. *altitudo muri quinquaginta cubitorum eminebat ſpatio: Turres denis pedibus, quam murus, altiores erant. Totius operis ambitus* CCCXLVIII. *ſtadia complectebatur.* At ſecundum PLINII opinionem, Babylon ſexaginta millia paſſuum muris amplectebatur, ducenos pedes altis, quinquagenos latis, in ſingulos pedes ternis digitis, menſura ampliore quam Romana. Cujus veſtigiis inſiſtens SOLINUS, urbem ſexaginta millia paſſuum circuitu patuiſſe ſcribit, muriſque circumdatam, quorum altitudo CC. pedes detinebat, latitudo L. in ſingulos pedes ternis digitis, ultra quam menſura Romana erat, altioribus. HERODOTUS vero; (g) Στάδιοι περίοδος τῆς πόλιος, ὀγδώκοντα καὶ τετρακόσιοι, τεῖχος δὲ πεντήκοντα πηχέων βασιληΐων τὸ εὖρος, ὕψος δὲ διηκοσίων πηχέων, *ambitum urbis, quadringen-*

(a) SCRIBIT] Et quidem ex BEROSO. TR.

(b) Ὁμοιότατα] In *nov. ed.* ex MSS. reponitur ὁμοιοτάτην. TR.

(c) Καὶ] Vocabulum καὶ nec Doctiſſ. Porti, nec Clariſſ. Kuſteri editio agnoſcit, quam & ſenſus abeſſe vult. L.

(d) Πᾶσαν] Poſt hanc vocem inſeritur in *nov. ed.* γῆν, quam ſenſus omnino requirere videtur. TR.

(e) EUSTATHIUS] Immo ſcriptor ille in toto iſto articulo nihil aliud egit, quam ut diverſas diverſorum ſententias bona fide referret. TR.

(f) THEBAS] Videtur auctor locum hunc PLINII ita accepiſſe, ac ſi Thebis Aegyptiis etiam horti penſiles fuerint. Sed alia, mea ſententia, PLINII mens eſt. TR.

(g) HERODOTUS] Attulit Briſſonius ex Herodoto tantum, quae in rem ſuam, de qua agit, faciunt; alias quaedam interjecta omiſſa ſunt. vid. *Clio cap.* 178. *pag.* 32. L.

gentorum & octoginta ſtadiorum; murum vero quinquaginta cubitorum regiorum craſſitudine, ducentorum celſitudine fuiſſe ſcribit. Quem quidem regium cubitum fuiſſe tribus digitis vulgari cubito ampliorem, ait. CTESIAS autem, DIODORO teſte, τεῖχος σταδίων τριακοσίων ἑξήκοντα, *murum ſtadiorum trecentorum ſexaginta* fuiſſe ſcripſerat. CLITARCHUS, & qui cum Alexandro in Aſiam trajecerant, τριακοσίων ἑξήκοντα καὶ πέντε σταδίων, *trecentorum ſexaginta & quinque ſtadiorum.* Murum etiam, ut idem DIODORUS memorat, CTESIAS ſcripſerat fuiſſe, πεντήκοντα ὀργυιῶν *quinquaginta orgyiarum.* Recentiores alii, πηχῶν πεντήκοντα, *cubitorum quinquaginta.* STRABO vero *libr.* XVI. *pag.* 1072. (738.) Babylonem habuiſſe κύκλον τοῦ τείχους τριακοσίων ὀγδοήκοντα πέντε σταδίων· πάχος δὲ τοῦ τείχους ποδῶν δύο καὶ (a) τριάκοντα· ὕψος δὲ τῶν μὲν μεσοπυργίων, πηχῶν πεντήκοντα, τῶν δὲ πύργων ἑξήκοντα, τὴν δὲ πάροδον ἐπὶ τοῦ τείχους, ὡς τεθρίπποις ἐναντιοδρομεῖν ἀλλήλοις. *In ambitu muri trecenta octoginta quinque ſtadia; craſſitiem vero muri fuiſſe pedum triginta duorum; altitudinem inter turres cubitorum quinquaginta, turrium ipſarum ſexaginta; viam ſuper moenibus tam amplam, ut quadrigae ſe tranſmitterent.* Quos locos in concordiam adducere difficile eſt, cum in ea re ſententiis & ſcriptis veterum auctorum variatum conſtet. Ut tamen *Clitarcho* conſentiat CURTIUS, crediderim in notis numerorum vitium eſſe, & ita legendum; *Totius operis ambitus* CCCLXV. *ſtadia complectitur.* Eoque nos ipſemet Curtius velut manu ducit. Subdit enim: *ſingulorum ſtadiorum ſtructuram ſingulis diebus perfectam eſſe, memoriae proditum eſt.* Quae verba indicant numerum ſtadiorum, dierum, quibus annus conſtat, numerum aequaſſe (b). Similiterque apud STRABONEM τριακοσίων ἑξήκοντα πέντε σταδίων lubens emendaverim: ejuſque auctoritate emendandum quoque cenſuerim, quod in CURTII codicibus legitur; *Turres denis pedibus quam murus altiores ſunt*, & totidem *cubitos*, pedum loco, ſubſtituendos. A *Curtio* vero & *Strabone* PLINIUS & ejus ſimia SOLINUS aberrant. Horum enim uterque altitudini murorum ducenos, latitudini quinquagenos pedes tribuit: cum illi duntaxat altitudini LXXV. pedes, latitudini XXXII. adſignent. Nec enim majorem pedum numerum efficiunt cubiti, quibus altitudinem latitudinemque eorum murorum definiunt. A quibus omnibus diſcrepans Herodotus totidem cubitos, quot Plinius pedes, altitudini murorum tribuit. HERODOTUM utique, quod ad urbis ambitus ſpatium attinet, Plinius ſecutus videtur, qui ab illo verbis, non ſententia diſſentit. Ambitus enim Babylonis, ab illo poſitus, Stadiorum quadringentorum octoginta, efficit, Romana computatione, ſexaginta millia paſſuum. Denique mirifice congruerent omnia, ſi pro pedibus, cubitos apud Plinium legeremus. Alioquin enim numerorum ratio conſtare non poteſt. D. etiam HIERONYMUS in *Comm. Eſajae lib.* V. ad *cap.* XIV. *v.* 22. *pag.* 114. ex Herodoto & Graecis aliis hiſtoricis tradit, Babylonem in campeſtribus per quadrum ſitam, ab angulo uſque ad angulum muri, ſexdecim millia tenuiſſe paſſuum, id eſt, ſimul per circuitum quadriogenta octoginta (c) ſtadia. Sed me ſentio paulo longius eſſe provectum, quam propoſiti argumenti ratio poſtularet. Igitur, ut ad ea, quae ad hujus libri inſtitutum pertinent, redeam, de Regum cottidiano victu dicere adgrediar.

LXXXII. Perſarum Reges unius Choaſpis, fluvii Suſa praeterfluentis, aquam potabant, quemadmodum HERODOTUS *libr.* I. & poſt eum ARISTIDES *Orat. in puteum Aeſculapii, circa fin. pag.* 256. *Tom.* I. memorant. HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 188. [*p.* 34.] Καὶ δὴ καὶ ὕδωρ ἀπὸ τοῦ Χοάσπεω ποταμοῦ ἅμα ἄγεται, τοῦ παρὰ Σοῦσα ῥέοντος, τοῦ μούνου πίνει βασιλεύς, καὶ ἄλλου οὐδενὸς ποταμοῦ. *Portatur etiam aqua ex flumine Choaſpe, Suſa praeterfluente, ex quo uno, ex omnibus fluminibus, rex bibit.* Ideoque ea una ex omnibus aqua decocta, & in argenteos urceos, ſeu urnas condita, quacumque iter facerent, multis quadrigis vehebatur. Quod ex Herodoto ita tradit ATHENAEUS *libr.* II. *cap.* VI. *pag.* 45. (d) Ὁ Περσῶν βασιλεύς, ὥς φησιν ἐν τῇ πρώτῃ Ἡρόδοτος, ὕδωρ ἀπὸ Χοάσπεως ποταμοῦ λέγεται τοῦ περὶ Σοῦσα ῥέοντος· τοῦ δὲ μόνου πίνει ὁ βασιλεύς. τοῦ δὲ τοιούτου ὕδατος ἀπεψημένου, ἅμαξαι κάρτα πολλαὶ τετράκυκλοι ἡμιόνειαι κομίζουσαι ἐν ἀγγείοις ἀργυρέοις ἕπονταί οἱ. *Perſarum rex, uti libro primo narrat Herodotus, aquam ex Choaſpe fluvio bibere dicitur, Suſa praeterlabente; eamque tantum, nec aliam bibit rex. Quae aqua decocta, & vaſis argenteis excepta, in quam multis plauſtris quatuor rotarum, quae muli trahunt, eundem ſequitur.* Quo modo vero ea Regia aqua decoqui, & vaſis infuſa Regi deferri ſoleret, CTESIAS in *Perſicis*, eodem ATHENAEO teſte, expoſuerat, eamque aquam & leviſſimam & ſuaviſſimam eſſe tradiderat. SOLINUS in *Polyhiſt. cap.* 41. (*Sal.* 38.) *Choaſpes ita dulcis eſt, ut Perſici Reges, quamdiu intra ripas Perſidis fluit, ſolis ſibi ex eo pocula vendicarint: & cum eundum foret peregre, aquas ejus ſecum vectarint.* Quorum partem ISIDORUS *libr.* XIII. *Origin. cap.* XXI. deſcripſit, cujus corrupta verba ex Solini codice emendanda ſunt. AELIANUS *Var. Hiſt. libr.* XII. *cap.* XL. Τῶν ἄλλων ἐφοδίων ὄντων τῷ Ξέρξῃ πολυτελείας καὶ ἀλαζονείας πεπλησμένων, καὶ ὕδωρ ἐπηκολούθει τὸ ἐκ τοῦ Χοάσπου. *Cum alii commeatus magnificentia & oſtentatione pleni ſequebantur Xerxem, tum vero etiam aqua ex Choaſpe ſimul vehebatur.* AUSONIUS de Burdegala: (*Carm. ult. de claris urbibus, v.* 28.)

Unum per cunctas ſolitus portare Choaſpem.

Quo nomine Choaſpem, *Regiam Lympham*, TIBULLUS *libr.* IV. *Carm.* I. *v.* 140. vocat. MAXIMUS TYRIUS *Serm.* XXXIII. (III. *cap.* 9. *pag.* 27.) de Diogene loquens; ἥδετο, ait, ταῖς κρήναις πανταχοῦ, ὡς ὁ Καμβύσης Χοάσπῃ μόνῳ. *Delectabatur omnibus fontibus, ut Cambyſes Choaſpe ſolo.* Idem *Serm.* XXXIV. (IV. *cap.* 4. *pag.* 35.) Χορηγοῦσι δὲ καὶ οἱ ποταμοὶ ταῖς βασιλέως ἡδοναῖς, Πακτωλὸς χρυσόν, Νεῖλος πυρόν, Χοάσπης ὕδωρ. *Voluptatibus quoque regis inſerviunt Fluvii, dum Pactolus aurum, Nilus triticum, aquam praebet Choaſpes.* CLEMENS ALEXANDRINUS *libr.* II. *Paedagog. cap.* II. *pag.* 185. κάλλιστον ὕδωρ εἰς πόσιν τὸ Χοάσπειον, *optima ad potum aqua ex Choaſpe*, ait. EUSTATHIUS in cam-

(a) Pro τριάκοντα editi Strabonis τεσσαράκοντα habent. L.

(b) AEQUASSE] Sed haec interpretatio non eſt neceſſaria: ergo emendatio quoque non ſatis firmo nititur fundamento. Potuit enim Curtius alios ſequi auctores. Sed vide *Interpp.* TR.

(c) OCTOGINTA] *Sexaginta quatuor* emendarunt ex *Codd.* MSS. Benedict. in *nov. ed.* TR.

(d) Ὁ Περσῶν] Aliter hic locus in editione Caſauboni apud Athenaeum legitur, ſequenti ſcilicet modo: Ὁ Περσῶν βασιλεύς, ὥς φησι ἐν τῇ πρώτῃ Ἡρόδοτος, ὕδωρ ἀπὸ τοῦ Χοάσπεω ποταμοῦ ἄγεται, τοῦ παρὰ Σοῦσα ῥέοντος, τοῦ δὲ μόνου πίνει ὁ βασιλεὺς &c. L. Ibidem pro ἀργυρέοις, legitur ἀργυρέοισι. TR.

comment. Dionyſ. de Situ orbis pag. 280. ad hunc *verſum;* (1072.) ἕλκων Ἰνδοῦ ὕδωρ. Χοάσπης, ait, ὃς ἐκ τοῦ Ἰνδοῦ χωριζόμενος ποταμοῦ, παραρρέει δὲ καὶ τὰ Σοῦσα, ἐξ οὗ καὶ μόνου ἔπινεν ὁ τῶν Περσῶν βασιλεύς. καὶ ἦν βασιλικὸν ὕδωρ τὸ Χοάσπειον. *Qui ſe ab Indo fluvio ſeparat, Suſa praeterfluens, ex quo ſolo bibit Rex Perſarum. Et regia aqua erat Choaſpia* (*a*). Xerxem quoque ſitibundum Choaſpiam aquam popoſciſſe, AELIANUS *libr.* XII. *Var. Hiſtor. cap.* XI. refert. Unde Perſarum Reges, quod ſolam Choaſpiam aquam bibentes, reliquum terrarum orbem ſibi aridum & aquae inopem eo pacto facerent, PLUTARCHUS in *libr. de Exilio pag.* 601. ita mordet: Εἶτα τῶν μὲν Περσῶν βασιλέων καταγελῶμεν. εἴ γε δὴ ἀληθὲς, ὅτι τὸ Χοάσπου μόνον ὕδωρ πίνοντες, ἄνυδρον αὑτοῖς τὴν ἄλλην ποιοῦσιν οἰκουμένην. *Ergo Perſarum ridemus reges, ſolam Choaſpis aquam,* (*ſiquidem id verum eſt*) *bibentes, quod ſic reliquum ſibi terrarum orbem aquae expertem reddant.* Choaſpi vero PLINIUS *libr.* XXXI. *cap.* III. Eulaeum ſocium adjungit, *Parthorum Reges,* inquiens, *Choaſpe & Eulaeo tantum bibunt, & eae, quamvis in longinqua, comitantur illos: & horum placere potum, non quia ſint amnes, quoniam nec e Tigri, nec Euphrate, nec e multis aliis bibunt.* Idem *libr.* VI. *cap.* XXVII. *Suſianen ab Elymaide diſterminat amnis Eulaeus, ortus in Medis, mediuque ſpatio cuniculo conditus, ac rurſus exortus, per Meſobatenem lapſus circuit arcem Suſarum, ac Dianae templum auguſtiſſimum illis gentibus, & ipſe in magna ceremonia. Siquidem Reges non ex alio bibunt, & ob id in longinqua portant.* Plinio adſtipolatur & STRABO, qui de Perſarum Regibus haec *libr.* XV. *pag.* 1068. (735.) ſcribit: Διὰ δὲ τὸν πλοῦτον εἰς τρυφὴν ἐξέπεσον οἱ βασιλεῖς, ὥστε πυρὸν μὲν ἐξ Ἄσσου τῆς Αἰολίδος μετήεσαν, οἶνον δὲ ἐκ Συρίας τὸν Χαλυβώνιον, ὕδωρ δὲ ἐκ τοῦ Εὐλαίου, πάντων ἐλαφρότατον, ὥστ' ἐν Ἀττικῇ κοτύλῃ, δραχμῇ ἀφαλκέστερον εἶναι. *Per opulentiam reges in delicias luxumque prolapſi ſunt, adeo ut triticum ex Aſſo Aeoliae afferri vellent, vinum autem ex Syria, quod Chalybonium dicitur, aquam ex Eulaeo, quod ea omnium eſſet leviſſima, ut Atticae heminae comparata, drachma minus appenderet.* SOLINUS etiam in *Polyhiſtore, cap.* XXXVI. (*Salm.* XXXIII.) ut qui fonte Pliniano labra proluiſſet, *flumen,* ait, *Eulaeum, quod ortum a Medis, tam puro fluore inclytum eſt, ut inde omnes Reges non alias, quam ejus aquas bibant.*

LXXXIII. Praeterea de Regia Perſarum potu, ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* II. *pag.* 515. *Dipnoſophiſt.* haec ex *Agathocle* adfert; Ἐν Πέρσαις εἶναι καὶ χρυσοῦν καλούμενον ὕδωρ· εἶναι δὲ τοῦτο λιβάδας ἑβδομήκοντα. καὶ μηδένα πίνειν ἀπ' αὐτοῦ, ἢ μόνον βασιλέα, καὶ τὸν πρεσβύτατον αὐτοῦ τῶν παίδων· τῶν δὲ ἄλλων ἐάν τις πίῃ, θάνατος ἡ ζημία. *Apud Perſas aquam eſſe, quam auream nominant, eſſe nimirum ejus ſeptuaginta ſcaturigines, e quibus ſoli bibebant rex ipſe, ac maximus natu filius: aliorum ſi quis attigiſſet, morte poenas luebat.* Quae ATHENAEI verba, ſuppreſſo auctoris nomine, tranſcripſit EUSTATHIUS in *libr.* XXI. *Iliad.* ad ea verba; βαθυῤῥόου Ἀργυροδίνεω. ac de ſuo ad extremum addit: ζητητέον δὲ εἰ καὶ τὸ Χοάσπειον ὕδωρ, ὅπερ ἔπινε στρατευόμενος ὁ Περσῶν βασιλεύς. *Videndum, utrum aqua haec ſit illa Choaſpia, quam rex Perſarum, cum expeditionem ſuſciperet, bibebat.* PLUTARCHUS etiam in *Alexandro pag.* 686. ex *Dinone* narrat, Reges Perſarum, ut imperii ſui amplitudinem comprobarent, & reipſa oſtenderent, ſe in omnes imperium obtinere, aquam ex maximis quibuſque & longinquis fluminibus petere aerarioque inferre, & cum theſauris ſuis recondere conſueviſſe. Verba Plutarchi ita habent: Δείνων δέ φησι, καὶ ὕδωρ ἀπὸ τοῦ Νείλου καὶ τοῦ Ἴστρου, μετὰ τῶν ἄλλων μεταπεμπομένους εἰς τὴν γάζαν ἀποτίθεσθαι τοὺς βασιλεῖς, οἷον ἐκβεβαιουμένους τὸ μέγεθος τῆς ἀρχῆς, καὶ τὸ κυριεύειν ἁπάντων. *Dinon aſſerit, aquam etiam a Nilo & Iſtro advectam cum aliis ſolitos reges in theſauro reponere, ut ea reteſtentur magnitudinem ſui imperii, omnia complectentis.* Quem *Dinonis* locum ATHENAEUS quoque *libr.* II. *cap.* XXV. *pag.* 67. perſtringit hoc modo: Οὐδὲ Δείνων ἐν τῇ Περσικῇ πραγματείᾳ, ὅς γε φησὶ καὶ ἅλας Ἀμμωνιακὸν ἀπ' Αἰγύπτου ἀναπέμπεσθαι βασιλεῖ, καὶ ὕδωρ ἐκ τοῦ Νείλου. *Neque Dinon, in hiſtoria Perſica, qui ex Aegypto ſalem Ammoniacum & Nili aquam ad regem mitti prodidit.* Nihilo tamen ſecius Darius, licet in Perſicis hiſce educatus deliciis, cum in fuga aquam turbidam, & cadaveribus inquinatam bibiſſet, negavit unquam ſe bibiſſe jucandius. *Numquam videlicet* (ut CICERO *libr.* v. *Tuſculan. quaeſtion. cap.* 34. ait) *ſitiens biberat.* Quod Artaxerxi Mnemoni contigiſſe PLUTARCHUS in ejus *vita pag.* 1017. ita ſcribit: Αὐτῷ δὲ μικροῦ δεήσαντος ἀπολέσθαι διὰ τὸ δίψος, Παλιβαρζάνης (*b*) ὁ εὐνοῦχος περιέθει ζητῶν πιεῖν· οὐ γὰρ εἶχε τὸ χωρίον ὕδωρ, καὶ πολὺ ἦν ἀπὸ τοῦ στρατοπέδου. μόλις οὖν ἐπιτυγχάνει τῶν Καυνίων ἐκείνων τῶν κακοβίων ἑνός, ἐν ἀσκῷ φαύλῳ διεφθαρμένον ὕδωρ ὅσον ὀκτὼ κοτύλας ἔχοντος, καὶ λαβὼν τοῦτο, καὶ κομίσας βασιλεῖ δίδωσιν· ἐκπιόντα δὲ αὐτὸν, ἠρώτησεν εἰ μὴ πάνυ δυσχεραίνει τὸ ποτόν· ὁ δὲ ὤμοσε τοὺς θεοὺς, μήτε οἶνον ἥδιον, οὔτε πώποτε πεπωκέναι, μήτε ὕδωρ τὸ κουφότατον καὶ καθαρώτατον. *Rege interim pene ſiti pereunte, Patibarzanes eunuchus circumcurſitabat, potum quaerens: nam neque aqua erat eo in loco, & aberant procul a caſtris. Tandem unum de miſeris iſtis, quos diximus, Cauniis adipiſcitur, qui in utriculo ſordido aquae corruptae circiter octo cotylas habebat. Eam aquam eunuchus ad regem affert: cumque is ebibiſſet, quaeſivit ex eo, ecquid non plurimum ex hoc potu moleſtiae ſenſiſſet? Reſpondet rex, Deos teſtatus, nunquam ſe ita ſuaviter vel Vinum bibiſſe, vel aquam leviſſimam atque puriſſimam.* Pro quo benefacto Caunium illum hominem ἐξ ἀδόξου καὶ πένητος ἔντιμον καὶ πλούσιον, *ex ignobili & paupere, honoratum & divitem,* effeciſſe Artaxerxem, PLUTARCHUS ibidem refert. Plutarcho conſentit MAXIMUS TYRIUS *Serm.* XXXV. (*v. cap.* 6. *pag.* 47.) his verbis: Οὕτω λέγεται καὶ Ἀρταξέρξης, ὁ Περσῶν βασιλεὺς, τέως μὲν (*c*) ὑφ' ἡδονῆς μακρᾶς καὶ εἰρήνης διηνεκοῦς, μὴ συνιέναι τῆς εὐτυχίας· ᾧ παρεσκεύαζε μὲν ἡ Ἀσία τὸ δεῖπνον, ἐπεπίνετο δὲ τὸ ποτὸν ποταμοὶ οἱ κάλλιστοι, ἐμηχανῶντο δὲ αὐτῷ τὸν βίον αἱ τέχναι μυρίαι. ἀλλ' ἐπεὶ πόλεμος αὐτῷ ἐκ θαλάττης ἦλθε, καὶ Ἕλληνες μύριοι, καὶ στρατηγοὶ δεινοὶ, ἡττηθεὶς, ἔφυγεν ἐπὶ ψιλὸν λόφον, ὅπου τῆς νυκτὸς ἀναπαυόμενος, ἐδίψησεν ὁ δύστηνος ἀνθρώπων τότε, ὅτε αὐτῷ οὐ Χοάσπης, οὐ Τίγρης, οὐ Νεῖλος, οὐκ ὀπτώμενα, οὐκ οἰνοχόος· καὶ ἐζήτησε παρ' ἀνδρὸς Μάρδου λαβεῖν ἐν ἀσκῷ ὕδωρ ὀδωδός. *Sic & Artaxerxes Rex Perſarum dicitur, prae voluptate nimia, continuaque, in qua verſatus erat, pace, felicitatem aliquamdiu ne vidiſſe ſuam. Cui epulum parabat tota Aſia, potum praebebant fluvii omnes pulcherrimi, vitae inſerviebant artes plurimae. Verum poſtquam e mari bellum illi eſt exortum, cum decem Graecorum millibus, fortiſſimiſque congreſſus imperatoribus, victus in colliculum quendam profugit: in quo noctu cum quieviſſet, tum primum ſitire coepit, homo miſerrimus.* Ubi

(*a*) CHOASPIA] Sed tu vide Exercit. Salmaſ. in Solin. pag. 493. L.

(*b*) Παλιβαρζάνης] In *ed. Opp. Francof.* legitur Σατιβαρζάνης. TR.

(*c*) Μὲν] Sequentia ita ex *Codd. MSS.* reponit Daviſius: ὑπ' εἰρήνης μακρᾶς καὶ ἡδονῆς δ. μ. σ. τ. ε. ᾧ παρεσκεύαζε μὲν ἡ Α., &c. In fine ὀδωδὸς ὕδωρ. TR.

Ubi non Choaſpen ſuum habebat, non Tigrin, non Nilum, non pocula aut pincernas. Hic illi ſatis fuit, quod a Mardo homine aquae corruptae utrem acciperet. Itaque ne Cicero imprudens μνημονικῷ, ut uſu venit, ἁμαρτήματι in Artaxerxis locum Darium ſufficcerit, cautio eſt.

LXXXIV. Ut autem aqua non omni, ita nec vino quolibet; ſed eo tantum Chalybonio, e Syria advecto, Perſarum Reges utebantur, quemadmodum STRABO *libr.* XV. *pag.* 1068. (735.) tradit. ATHENAEUS *libr.* I. *cap.* XXII. *Dipnoſoph. pag.* 28. ex *Poſſidonio:* Ὁ Περσῶν βασιλεὺς τὸν Χαλυβώνιον μόνον οἶνον ἔπινεν (a), ὅν φησι Ποσειδώνιος, καὶ Δαμασκῷ τῆς Συρίας γίνεσθαι, Περσῶν αὐτόθι καταφυτευσάντων τὰς ἀμπέλους. *Rex Perſarum, ut Poſidonius narrat, tantum vinum Chalybonium bibebat, quod vinum in Damaſco Syriae naſcebatur, poſtquam Perſae ibi vites plantaſſent.* Quo reſpexit PLUTARCHUS *libr.* II. *de Fort. Alexandr. pag.* 342. cum ait: Οὐδὲ τράπεζαι Μηδικαί, καὶ γυναῖκες, οὐδὲ (b) Χαλυβώνιος οἶνος. *Non luxus Medicus, & menſae mulieres, neque vinum Chalybonium.* Eoque vino inebriari ipſis ſemel quotannis licuiſſe, ex ATHENAEO *libr.* X. *cap.* X. *pag.* 434. didici, cujus verba ſunt haec: παρὰ δὲ Πέρσαις τῷ βασιλεῖ ἐφίεται μεθύσκεσθαι μιᾷ ἡμέρᾳ, ἐν ᾗ θύουσι τῷ Μίθρῃ. *Apud Perſas uno tantum die, quo Mithrae ſacrificant, regi licet ad ebrietatem uſque vino indulgere.* Qua de re & DURIS *libr.* VII. *Hiſtor.* ut ibidem refert, haec ſcripſerat: Ἐν μόνῃ τῶν ἑορτῶν τῶν ἀγομένων ὑπὸ Περσῶν τῷ Μίθρῃ, βασιλεὺς μεθύσκεται, καὶ τὸ Περσικὸν ὀρχεῖται· τῶν δὲ λοιπῶν οὐδεὶς κατὰ τὴν Ἀσίαν, ἀλλὰ πάντες ἀπέχονται κατὰ τὴν ἡμέραν ταύτην τῆς ὀρχήσεως. *Ex omnibus feſtis diebus, eo ſolo, quo Perſae Mithrae ſacra faciunt, rex inebriatur, & Perſico more ſaltat, aliorum, qui habitant in Aſia, nemo, ſed eo die univerſi abſtinent a ſaltationibus.* Quem Duridis locum EUSTATHIUS in V. *Odyſſ.* citat. Reliquo toto anno fuiſſe Perſarum Reges moderatiores in potu, arguit, quod ex *Selino* STOBAEUS *Serm.* XLII. *pag.* 294. ſcriptum reliquit, conſueviſſe eos, πρὸ τοῦ πίνειν, περὶ τῆς σωφροσύνης διαλέγεσθαι. *Antequam biberent, de temperantia loqui.* Hinc Darii, qui Magos de medio ſuſtulit, monumento inſcriptum fuiſſe ATHENAEUS *lib.* X. *cap.* IX. *pag.* 434. refert, Ἠδυνάμην καὶ οἶνον πίνειν πολλόν, καὶ τοῦτον φέρειν καλῶς. *Poteram & multum vini bibere, & ferre commode.* Idem & de ſeipſo Cyrus minor praedicabat, ut PLUTARCHUS in *Artaxerxe, pag.* 1014. commemorat. Cambyſen Regem, quemadmodum SENECA *libr.* III. *de Ira, cap.* 14. ſcribit, *nimis deditum vino, Praexaſpes unus ex cariſſimis monebat, ut parcius biberet, turpem eſſe dicens ebrietatem in Rege, quem oculi omnium aureſque ſequerentur. Ad hoc ille, ut ſcias, inquit, quemadmodum numquam excidam mihi, approbabo jam, & oculos poſt vinum in officio eſſe & manus. Bibit deinde liberalius quam alias, & capacioribus ſcyphis: & jam gravis & vinolentus, objurgatoris ſui filium procedere ultra limen jubet, allevataque ſuper caput ſiniſtra manu ſtare. Tunc intendit arcum, & ipſum cor adoleſcentis (id enim ſe petere dixerat) figit, reciſoque pectore, haerens in ipſo corde ſpiculum oſtendit: ac reſpiciens patrem, an ſatis certam haberet manum, interrogavit. At ille negavit Apollinem potuiſſe certius mittere. Dii illum male perdant, animo magis, quam conditione mancipium.*

LXXXV. Xerxem autem, diebus ſingulis ſemel tantum cibum cepiſſe, argumento eſt, quod HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 120. narrat, ab Abderitis eum ſplendida & opipara coena acceptum; de cujus ſumptibus Megacreontem Abderitam dixiſſe, magnam ſe diis habere gratiam, quod minime bis in die epulari Xerxes ſoleret. Abderitas enim, ſi prandium coenae par illi inſtruendum fuiſſet, tantum ſumptum ferre non potuiſſe.

LXXXVI. (c) Plane triticeo pane veſci Reges ſolitos HERODOTUS ſcribit. Non tamen ex quovis tritico, ſed ut STRABO *libr.* XV. *pag.* 1068. (735.) ait, eo, qui ἐξ Ἄσσου τῆς Αἰολίδος, *ex Aſſo Aeolide.* HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 22. Quaerenti enim Regi Aethiopum ex Cambyſis Legatis, quo genere cibi Rex Perſarum uteretur, reſponderunt illi, σιτέεσθαι μὲν τὸν ἄρτον, ἐξηγησάμενοι τῶν πυρῶν τὴν φύσιν. *Veſci pane, exponentes ſimul tritici naturam.*

LXXXVII. Regum vero menſae conquiſitiſſimis epulis extruebantur. Quod XENOPHON in libello *de Ageſilai laudibus, pag.* 671. [531.] teſtatur his verbis: Τῷ Πέρσῃ πάντες γῆν περιέρχονται μαστεύοντες τί ἂν ἡδέως πίοι, μυρίοι δὲ τεχνῶνται τί ἂν ἡδέως φάγοι. *Perſicus rex quoſdam habet, qui terram univerſam circumeunt, & quo rex potu jucunde uti poſſit, inveſtigant: innumeri homines, quo cum voluptate veſcatur, excogitant.* Similiterque MAXIMUS TYRIUS *Serm.* XXXV. (V. *cap.* 6. *pag.* 47.) Ἐπιτεχνῶνται, ait, αὐτῷ τὴν δίαιταν τέχναι μυρίαι. *Victui ejus inſerviunt innumerae artes.* Quin & ATHENAEUS *libr.* XIV. *cap.* 18. *pag.* 652. ex *Dinonis* Rerum Perſicarum libris, memorat, Perſarum Regi ex omnibus eſculentis, quae regiones ejus imperio ſubditae ferebant aliquid, primitiarum inſtar, in epulis apponi ſolitum: Peregrino vero cibo & potu non utendum primos Reges duxiſſe, eandemque ſibi abſtinentiae legem poſteriores dixiſſe. Quare cum inter reliqua bellaria caricas Atticas, ſecunda menſa appoſitas, Eunuchus quidam aliquando intuliſſet, rogaſſe Rex fertur, unde advectae eſſent; & cum reſponſum tuliſſet, Atticas eas eſſe, vetuit obſonatoribus, ne emerent: velle namque ſe non emere, ſed in ipſo ſolo, in quo gignerentur, eas, quantum quoque modo videretur, decerpere. Regis illius nomen, ſilentio ab ATHENAEO praetermiſſum, prodit PLUTARCHUS in *Apophthegm. pag.*

(a) Ὡς] Pro ὡς, editio Caſauboni ὅν, quod praefero, illud alterum operarum παρόραμα exiſtimo. L.

(b) Χαλυβώνιος, ut Briſſonius hic citat, ſcribendum in Plutarchi loco, cujus editiones, H. Stephani, Sylburgii Baſileenſis & Francofurtenſis Καλυβώνιος male legunt. Suidas Χαλυβώνιος habet; ſed eidem Χαλυβώνιος reddendum eruditi jam obſervarunt, amiciſſimus mihi olim & eruditiſſimus Scherpezelius notis ad Strabon. libr. XV p. 735. & Clariſſimus Küſterus in praeſtanti Suidae editione. Meminit Chalybonii Vini quoque Pollux meus VI. 16: & Phavorinus, qui & hic, ut alias ſaepe, Heſychii ſcrinia compilavit. L.

(c) Turbata haec & depravata, ſic in ordinem redigenda exiſtimo: Plane triticeo pane veſci Reges ſolitos Herodotus *libr.* III. *p* 74. ſcribit. Quaerenti enim Regi Aethiopum ex Cambyſis legatis, quo genere cibi Rex Perſarum uteretur, reſponderunt illi, σιτέεσθαι μὲν τὸν ἄρτον, ἐξηγησάμενοι τῶν πυρῶν τὴν φύσιν, *veſci pane, exponentes ſimul tritici naturam.* Non tamen ex quovis tritico, ſed ut Strabo *libr.* XV. ait, eo qui ἐξ Ἄσσου τῆς Αἰολίδος, *ex Aſſo Aeolidae. Regum vero* &c. L. Recte locum in ordinem redegit Lederlinus. Sed ſciendum tamen, hanc confuſionem non tam ipſi Briſſonio, quam Sylburgio adſcribendam eſſe, qui *Praetermiſſa*, quae in prima editione in *Appendice* annexa ſunt, non recto hic ordine collocavit. TR.

pag. 173. qui hoc Xerxi, Darii filio tribuit. Cambyſi autem interim, dum fame ejus exercitus miſere periret, ſervatas generoſas aves, & inſtrumenta epularum camelis vecta, SENECA *libr.* III. *de Ira*, *cap.* XX. ſcribit. Prae ceteris vero cibia commendatum Διὸς ἐγκέφαλον, invenio. Sic enim SUIDAS: Διὸς ἐγκέφαλος, τὸ κάλλιστον βρῶμα. οὕτω λέγουσιν οἱ Πέρσαι ἐπὶ τῶν ἡδυπαθούντων ὁ βασιλέως ἐγκέφαλος. *Jovis cerebrum, id eſt, cibus lautiſſimus. Proverbio hoc Perſae utuntur de iis, qui delicate vivunt. Vel, Regis cerebrum.* ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* II. *pag.* 14. (*a*) Κλέαρχος φησὶ τοῦ Περσῶν βασιλέως ἆθλα προτιθέναι τοῖς αὐτῷ προσφέρουσιν ἡδύ τι βρῶμα, ἀλλ' ὅτι ἐκεῖνος οὐκ ἔχων. τοῦτ' γὰρ ἐστὶ ὁ λεγόμενος (εἰπεῖν) Διὸς καὶ βασιλέως ἐγκέφαλος. *Clearchus Perſarum regem narrat praemia proponere iis, qui delicatiorem ſibi cibum obtuliſſent, minus prudenter. Id autem, ni fallor, eſt, quod verbo dicitur, Jovis & regis cerebrum.* HESYCHIUS: Διὸς ἐγκέφαλος, πέμματα, ὡς Κλέαρχος φησὶ οἷον ἐπὶ τῶν ἄγαν θείων. *Jovis cerebrum proverbium eſt, quod Clearchus uſurpari ait de admodum divinis ſeu excellentibus rebus.* Medici quoque mali grana Parthorum reges in eſculentis decoxiſſe, SERVIUS in 2. *Georgic.* tradit: quod ex PLINIO *libr.* XI. *cap.* LIII. petitum eſt (*b*).

LXXXVIII. Praeterea Regi, quemadmodum ex *Amynta* ἐν σταθμοῖς Περσικοῖς, *in ſtationibus*, ſive, *manſionibus Perſicis*, ATHENAEUS *libr.* II. *cap.* 25. *pag.* 67. tradit, magna ex Perſicis juglandibus olei copia exprimebatur. Oleo quoque, quod in Caramania ex ſpina fiebat, uſum Regem, ibidem narrat. Illud etiam obſervat idem ATHENAEUS *l. c.* a *Cteſia* aeque ac *Dinone*, dum omnia, quae Regibus ad prandium parabantur, recenſent, nullam neque piperis neque aceti (quod omnium condimentorum eſt praeſtantiſſimum) factam mentionem. Ex eodem *Dinone* ibidem addit, ſalem Ammoniacum Regi Perſarum ex Aegypto allatum.

LXXXVIII. Sane Regem Perſarum a ſubditis, quacunque iter faceret, coena excipi ſolitum, & hoc munus, more, legeve, ſingulas civitates, quas ille adiiſſet, pro facultatum viribus neceſſario obiiſſe, eum in eam rem pecunia, velut tributum, exigeretur, ATHENAEUS *libr.* IV. *cap.* 10. *pag.* 145. ex *Theopompo* memorat: maximoſque in ejuſmodi coenas ſumptus factos ait, ut interdum viginti, interdum triginta talenta, & plura, impenderentur.

LXXXIX. Natalem vero diem, prae ceteris, laetum & feſtum Perſarum Reges agebant. ZOSIMUS *libr.* II. *Hiſt. cap.* XXVII. §. 2. de Hormiſda: Τοῦ πατρὸς (*c*) αὐτῷ Περσῶν βασιλεύοντος, καὶ τὴν γενέθλιον ἡμέραν ἐπιτελοῦντος κατὰ τὸν τῶν Περσῶν νόμον. *Cum Pater ejus, qui rex Perſarum erat, diem ſuum natalem more Perſico celebraret.* Aſtyagem etiam amicos convivio excepiſſe, ἐν τοῖς γενεθλίοις, *natali die*, XENOPHON *libr.* I. παιδ. Κύρ. *pag.* 10. oſtendit. Natali utique Regum die Regale epulum inſtruebatur; quod ex apparatus magnificentia, & quia numeris omnibus abſolutum erat, Perſica quidem lingua, TYCTA, Graece vero τέλειον, id eſt, perfectum, nuncupabatur, ut HERODOTUS *libr.* IX. *cap.* 109. refert, cujus verba ad eam rem pertinentia, ATHENAEUS *libr.* IV. *cap.* 10. *pag.* 146. laudat. Eo vero die Regem caput comere, purgare, & mundare conſueviſſe, congiarium populo Perſico dare, donaque & largitiones tribuere, idem HERODOTUS auctor eſt. Ejus quoque diei feſtivitati hoc Perſarum Reges indulgebant, ut quae ab iis tum peterentur, ea denegare non ſuſtinerent, exoratoreſque redirent, qui oratores acceſſerant, ſicut eodem loco HERODOTUS *cap.* 110. ſubjicit.

XC. Adhibitam inſuper regalibus menſis, non lautitiam modo, ſed & exquiſitam munditiam, dubium non eſt: ut non immerito *Perſicos apparatus* HORATIUS commendet: HORATIUS inquam *libr.* I. *Ode ult. v.* I. *Perſicos odi, puer, apparatus*: ad quae verba vetus interpres: *Perſicos, Regales. Perſae autem Reges ob nimias divitias in ſumptuoſiſſimis deliciis degere dicuntur.* Sic & Περσικὴν τρυφὴν, *Perſicum luxum*, menſae, MAXIMUS TYRIUS *Serm.* XI. (XXVII. *cap.* 5. *pag.* 327.) Idque ex eo Mardonii apparatu, qui in Pauſaniae poteſtatem venit, colligere licet: item ex his, quae de Darii tabernaculo PLUTARCHUS in *Alexandri vita*, *pag.* 676. & CURTIUS *libr.* III. *cap.* XI. §. 23. narrant. Regem certe ipſum, ubi quid eduliorum attigiſſet, mantilibus manus tergere ſolitum, XENOPHON *libr.* I. παιδ. *pag.* 9 [7.] docet his verbis, quibus Cyrus Aſtyagem avum ita affatur: Ὅτι σε ὁρῶ, ὅταν μὲν τοῦ ἄρτου ἅψῃ, εἰς οὐδὲν τὴν χεῖρα ἀποψώμενον· ὅταν δὲ τούτων τινὸς θίγῃς, εὐθὺς ἀποκαθαίρῃ τὴν χεῖρα εἰς τὰ χειρόμακτρα. *Quod te video tangentem panem, nullam ad rem manum extergere; Sin autem horum aliquid attingas, continuo manum ad mantilia purgas.*

XCI. Porro ſeptem Eunuchos in Regis Artaxerxis conſpectu miniſtraſſe, menſaeque ejus adſtitiſſe, narratur in Hebraeo Codice *Eſther. cap.* I. *v.* 10.

XCII. Quotquot autem Regi prandenti miniſtrabant, eos pure lotos, & pretioſa veſte indutos fuiſſe, ATHENAEUS *libr.* IV. *cap.* 10. *pag.* 145. ex *Heraclide Cumano* refert. Proinde Theagenes, qui Reginae Arſacae a poculis erat, cum munere ſuo fungebatur, ἐσθῆτά τε Περσικὴν μετημφιεσμένος, καὶ στρεπτοῖς τε χρυσοῖς καὶ ὁρμοῖς διαλιθοῖς ἐκοσμεῖτο. *Veſte Perſica induebatur, & aureis torquibus, & monilibus gemmis diſtinctis ornabatur*: ut HELIODORUS *libr.* VII. *Hiſt. Aethiop. pag.* 357. narrat (*d*). Regii quidem pincernae & pocillatores operam dabant, ut aptiſſime decentiſſimeque vinum funderent, ac Regibus propinarent, eaque in re magnam curam & diligentiam ad-

(*a*) Κλέαρχος] Verba Clearchi in editis Athenaei libris plane aliter habent, ſed ita, ut vitio omnium exempl. intelligi a ſe non quiviſſe ſcribat in Animadverſionibus ſuis XII. 2. eruditus Caſaubonus, cui etiam nonnulla deeſſe videntur. L. Lederlinus non animadvertit, locum hunc paullo poſt, nempe *cap.* VII *ejuſd. libr. pag.* 529 iterum paullo contractiorem occurrere, & auctorem locum poſteriorem prae oculis habuiſſe. Hic enim in editis eodem modo legitur, ut auctor exhibet, niſi quod poſt Διὸς inferatur verbum ἄμφω. TR.

(*b*) EST] Confer infra *lib.* II. §. 236. ubi plura hac de re inveniuntur. TR.

(*c*) Prior editio Sylb. [ut & prima auctoris] legebat, αὐτοῦ βασιλ. Pro quibus ex Zoſimo repoſui: αὐτῷ Περσῶν βασιλεύοντος &c. L. In *edd. Zoſimi* vox νόμον in finem commatis poſt τὴν rejecta; articulus τῶν vero omiſſus eſt. Auctor forſan h. l. magis quoad ſenſum, quam quoad ipſiſſima verba referre voluit. TR.

(*d*) NARRAT] Auctor locum non integrum, ut in editis legitur, adduxit, ſed verba tantum excerpſit, quae in rem ſuam eſſe videbantur. TR.

adhibebant, Phialam tribus ſummis digitis ita offerentes, ut facillime prehendi poſſet. Quod XENOPHON *libr.* I. παιδ. Κυρ. *pag.* 10. [8.] narrat in hunc modum: οἱ δὲ τῶν βασιλέων τούτων οἰνοχόοι κομψῶς τε οἰνοχοοῦσι, καὶ καθαρείως ἐγχέουσι, καὶ διδόασι τοῖς τρισὶ δακτύλοις ὀχοῦντες τὴν φιάλην, καὶ προσφέρουσιν ὡς ἂν ἐνδοῖεν τὸ ἔκπωμα (a) εὐληπτότατα τῷ μέλλοντι πίνειν. *Horum regum pincernae magna cum gratia munus ſuum obeunt, & eleganter vina infundunt, ac digitis tribus phialam ita ferunt, ut eam bibituro commodiſſime capiendam praebeant.* Ideoque ad hoc miniſterium ab Arſaca adſumptus Theagenes, ab HELIODORO *l.* 7. inducitur; (b) περιφέρων Ἀρσάκῃ κούφως κεκερασμένον, εὐρύθμως τέ τι καὶ ἄκροις τοῖς δακτύλοις ἐποχῶν τὴν φιάλην. *Afferens Arſacae leviter infuſum concinno quodam & apto modo, extremis digitis ſublatam tenens phialam.* Ibidemque, hujus miniſterii ergo Abacos, quos [illegible] τρίποδας vocat, habuiſſe eos, idem HELIODORUS indicat.

XCIII. Et quia multis vita Regum inſidiis erat expoſita, ne venena eis infunderentur, calicem labris non ante admovebant, quam pincernae potum guſtu exploraſſent. Eaque de cauſa, poſt Phialam porrectam, qui Regi a poculis erant, Cyatho ex ea hauſtum vinum in ſiniſtram manum fundentes, abſorbebant. Quem ritum XENOPHON eodem *libro pag.* 10. ita exponit: Οἱ γὰρ τῶν βασιλέων οἰνοχόοι, ἐπειδὰν ἐνδιδῶσι τὴν φιάλην, ἀρύσαντες (c) ἀπ' αὐτῆς τῷ κυάθῳ, εἰς τὴν ἀριστερὰν χεῖρα ἐγχεάμενοι καταρροφοῦσι, τοῦ δὲ, εἰ φάρμακα ἐγχέοιεν, μὴ λυσιτελεῖν αὐτοῖς. *Regum enim pincernae, quum phialam porrigunt, vinum ex ea cyatho hauſtum, inque manum ſiniſtram fuſum abſorbent, ne ſine detrimento proprio venena infundant.* Eandemque in cibis cautionem adhibuiſſe Reges, &, cum ſibi a venenis timerent, non niſi praeguſtatos cibos cepiſſe, credibile eſt. Hoc enim a Regibus paſſim obſervari ſolitum XENOPHON in *Hierone*, & ATHENAEUS *libr.* IV. *cap.* 21. *pag.* 171. docent. Atque adeo primos Perſas inſtituiſſe, miniſtrorum guſtu cibos explorari: SUIDAS tradit, his verbis: Ἐδέατρος. Τὸ μὲν ὄνομα Ἑλληνικὸν, ἡ δὲ χρεία Περσικὴ (d) ἦν, ὃς προγευόμενός τι πρῶτον, [illegible], τοῦ βασιλέως εἰς ἀσφάλειαν. Ἐδέατρος. *Hoc quidem nomen eſt Graecum, at res, quam ſignificat, Perſica. Sic autem primum appellabatur praeguſtor, ſive is, qui cibos ante regem ſecuritatis gratia praeguſtabat.* Ex miniſtris igitur, qui epulas inferebant, quidam praeguſtatorum munere fungebantur. Regii utique pincernae Neemiae, qui Xerxi miniſtrabat, fit mentio apud JOSEPHUM *libr.* XI. *Antiquit. Judaic. cap.* V. Fuiſſe autem pocillatorum munus honorificum patet ex HERODOTO *libr.* III. *cap.* 34. quo loci ait, filium Praexaſpis fuiſſe Cambyſis pincernam, additque τιμὴ δὲ καὶ αὕτη οὐ σμικρή, *qui honor non exiguus erat.* Antipatri etiam filios Philippum & Jollam praeguſtare ac temperare Alexandri potum ſolitos, JUSTINUS *libr.* XII. *cap.* 14. §. 6. narrat. Jam obſonatores, cocos, ſtructores, alioſque id genus gulae artifices & miniſtros Perſarum in aula abundaſſe non eſt ignotum. Antiochus certo Legatus ad Artaxerxem miſſus, hoc potiſſimum, ut XENOPHON *libr.* VII. *Hellen. pag.* 621. (486.) teſtatur, renunciavit: Ὅτι βασιλέα ἀρτοκόπους καὶ ὀψοποιοὺς, καὶ οἰνοχόους, καὶ θυρωροὺς παμπληθεῖς ἔχοι ἄνδρας. *Regem panum & obſoniorum artifices, & pincernas & oſtiarios complures habere.* Inter Darii etiam impedimenta, quae Damaſco capta in Parmenionis poteſtatem venerunt, inventi ſunt, ut ATHENAEUS *libr.* XIII. *cap.* 9. *pag.* 608. refert, coqui ducenti ſeptuaginta ſeptem; Mediaſtini, qui ollas perfricarent & abſtergerent, viginti novem; lactarii tredecim, nec non qui potum ſedandae per aeſtum ſiti pararent ſeptendecim; Collarii, & qui vinum colis defecarent, ſeptuaginta; Unguentarii quadraginta; & qui coronas plecterent, ſexaginta ſex.

XCIV. Ceterum qui in Aula principis verſabantur, Genio Regis menſam cibis epuliſque inſtructam cottidie apponebant. Quod aſſentandi ſtudio *Nicoſtratum Argivum* turpiter factitaſſe ATHENAEUS *libr.* VI. *cap.* XIII. *pag.* 252. narrat his verbis: (e) Καθ' ἑκάστην ἡμέραν ὁπότε μέλλοι δειπνεῖν, τράπεζαν παρετίθει χωρὶς, ὀνομάζων τῷ δαίμονι τοῦ βασιλέως, ἐμπλήσας σίτου καὶ τῶν ἄλλων ἐπιτηδείων, ἀκούων μὲν τοῦτο ποιεῖν, καὶ τῶν Περσῶν τοὺς περὶ τὰς θύρας διατρίβοντας. *Quotidie coenaturus ſeorſim Genio regis inſtructam menſam apponebat, cibis & aliis rebus, quae epulis conveniunt, dapſilem, cum intellexiſſet a Perſis id fieri, qui in aula regia verſantur.*

XCV. Conviviales autem ludos, tota Perſide, Regibus purpuratiſque cordi fuiſſe, Q. CURTIUS *libr.* V. *cap.* 1. §. 37. tradit. Sed & conclave, ubi rex epulabatur, mulierum vocibus cantuque Symphoniae perſonabat. Ac plane, ut hoc quoque voluptatis, qua Reges perfruebantur, genus exequar, Muſicis vocibus, numeris, & modis, oblectatos Perſarum Reges ſatis conſtat. Primum enim Angari cujuſdam, qui in Aſtyagis aula ὃς τῶν ᾠδῶν εὐδοκιμώτατος, *cantorum erat praeſtantiſſimus*, meminit ATHENAEUS *libr.* XIV. *cap.* 8. *pag.* 633. cumque ad epulas Regis accitum, ſollemne carmen cecinisse refert. Idem *libr.* IV. *cap.* 10. *pag.* 145. pellices cantibus ſuis regum aures detinuiſſe ſcribit: quarum una auſpicabatur, numeriſque & verbis praeibat: reliquae deinde confertim accinebant. Atque adeo in deliciis Tibicinas, Fidicinas, Pſaltrias, Perſici Reges habebant. Cujuſmodi mulieres a Graecis Μουσουργοὺς, patrio vero Perſarum ſermone, *Zarba*, aut, ut codices manuſcripti habent, (f) βάρζα vocatas SUIDAS voc. Μουσουργοὶ, auctor eſt.

XCVI. Regum utique in has Μουσουργοὺς propenſam animi affectionem teſtatur ATHENAEUS *libr.*

(a) Εὐληπτότατα] Melius εὐληπτότατα Xenoph. edit. S. [εὐληπτότατα legitur in ed. *Leunclavii.* TR.] In praeced. pro διδῶσι Xenoph. edit. διδόασι. L. Et pro [illegible] legitur [illegible]. TR.

(b) Περιφέρων] Περιφέρων prior editio agnoſcebat, ſenſu reclamante, emendavi igitur, προσφέρων. L.

(c) In edit. Xenoph. eſt ἀπ'. L.

(d) Περσικὴ] Poſito poſt hoc verbum puncto, ſequentia ita in *noviſſ. ed.* leguntur: ἦν δὲ ἀπογεύεσθαι &c. Eadem, ut notat *Kuſterus*, leguntur apud EUSTATHIUM ad *Odyſſ.* A. *pag.* 1403. ed. *Rom.* 1558. *fol.* ut adeo utroſque ex eodem fonte hauſiſſe credibile ſit. ATHENAEUS *l. c.* ex *Pamphilo* obſervat, Eleatros (ſic enim ille ſcribit, frequenti commutatione Δ in Λ) prius vocatos fuiſſe, qui convivas ad regiam menſam invitarent, poſtea vero praeguſtatores. Confer de hiſce *Jo. Meurſii Exercit. Crit. Part.* II. *cap.* 3. TR.

(e) Locum hunc ex Athenaeo emendavi; qui in priori edit. ita habebat: ἑκάστην ἡμ. ὁπ. μ. δ. τρ. παρετίθ. χ. ὀ. τ. δ. τ. β. ἐ. σ. κ. τ. ἀ. ἐπ. αὐτὸ μὲν τοῦ [illegible] L.

(f) Βάρζα in 2 MSS. Pariſ. reperit quoque nuperus Suidae editor Clariſſ. Kuſterus. L. In textu tamen vulgatam lectionem retinuit. TR.

libr. XIII. *cap.* IX. *pag.* 607. cujus verba ipſa ponam: Ἐπιθυμεῖν δ' ἐστὶ καὶ βασιλεῖς περὶ τὰς μουσουργοὺς, ὡς δηλοῖ Παρμενίων, ἐν τῇ πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπιστολῇ, ἣν ἐπέστειλεν αὐτῷ μετὰ τὸ Δαμασκὸν ἑλεῖν, καὶ τῆς ἀποσκευῆς τοῦ Δαρείου ἐγκρατὴς γενέσθαι. Καταριθμησάμενος γὰρ τὰ αἰχμάλωτα, γράφει καὶ ταῦτα· Παλλακίδας εὗρον μουσουργοὺς τοῦ βασιλέως τριακοσίας εἰκοσιεννέα. *Studium quoque reges adhibuerunt, ut eſſent in comitatu feminae peritae muſices. Liquet hoc ex epiſtola Parmenionis ad Alexandrum, in qua ſignificat ipſi Damaſco in poteſtatem redacta, omnibus impedimentis, vaſis & ſarcinis Darii ſe potitum fuiſſe, recenſens eos, qui inter captivos ſunt reperti, nimirum pellices regias, quae callerent muſicam, trecentas viginti novem.* Xenophon quoque in extremo *libr.* IV. παιδ. Κυρ. *pag.* 113. Cyro e praeda ſelectas μουσουργὼς δύο, τὰς κρατίστας, *duas praeſtantiſſimas, quae muſicam callerent*, narrat. Athenaeus *libr.* XII. *cap.* 2. *pag.* 514. pellices totam noctem vocis ac fidium cantu traducentes, ſomnum Regi conciliaſſe, ex *Heraclide Cumano* refert. Eodemque *libr. cap.* VII. ex *Cteſia*, de Annaro Babyloniae praeſide haec tranſcripſit: Ἀν ᾧ εἰς δεῖπνον εἰσιόντι (a) πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν ψάλλουσαι καὶ ᾄδουσαι γυναῖκες, ἔψαλλον δὲ αὗται καὶ ᾖδον, ἕως δειπνοίη. *Ad eum coenantem centum quinquaginta mulieres, quae pſallebant & canebant, intromittebantur. pſallebant autem atque canebant hae, dum ille coenaret.* Harum mulierum, ut Suidas ſcribit, aliae tibia canebant, aliae pſallebant Pſalterio, tum Pentachordo, tum Heptachordo. Eaedem fidium cantui accinebant. Fidium autem cantus non ad cantilenam accommodatum habebat melos, ſonum ac canorem, uti apud Graecos fieri conſueverat: ſed erat veluti cantilenae praeludium. Simulatque autem menſa removebatur, deſinebant canere. Cum vero fundi ſibi merum rex jubebat, ex integro canere & pſallere occipiebant. Qua de re Suidae verba ſunt haec: Μουσουργοὶ, ψάλτριαι. αἱ δὲ Μουσουργοὶ βάρβαροι ἦσαν γυναῖκες ὀνομαζόμεναι ἐπιχωρίως βάρζαι· καὶ τούτων αἱ μὲν αὐλοῦσι, αἱ δὲ ψάλλουσι πενταχόρδῳ καὶ ἑπταχόρδῳ ψαλτηρίῳ, αἱ αὐταὶ δὲ καὶ προσᾴδουσι τῷ ψαλμῷ. ὁ ψαλμὸς δὲ ὁ παρὰ τούτοις οὐκ ἔχει πεποιημένον τὸ μέλος, (b) καθάπερ παρ' Ἕλλησιν, ἀλλ' ἐστὶν οἷον ἰδύσιμος εἶναι τῇ ᾠδῇ. Καὶ λήγοντος μὲν τοῦ πότου τοῦ βασιλέως, καὶ ἡ ᾠδὴ ξυνεπαύετο· ἐπεὶ δὲ ἐγχεῖν κελεύοντος, αὖθις ἤρχοντο ᾄδειν, καὶ ψάλλειν. Μουσουργοὶ, *Pſaltriae. Pſaltriae vero erant barbarae, quae ab indigenis appellabantur Barzae. Harum aliae tibia canunt, aliae vero partim pentachordo, partim heptachordo inſtrumento pſallunt. Eaedem etiam accinunt pſalmo. Pſalmus vero non habet modulos ad cantionem accommodatos, quemadmodum apud Graecos: ſed eſt quaſi cantus exordium. Et cum rex potare deſinebat, cantus quoque finem habebat. Eo vero vinum ſibi infundi jubente, & pſaltriae rurſus canere & pſallere incipiebant.* Quem locum vel ea potiſſimum gratia adduxi, ut inde mendum tollam. Vitioſum eſt enim quod legitur, οἷον ἰδύσιμος εἶναι: emendandumque, οἷον ἐνδόσιμος εἶναι (c). Idque non ſcriptorum tantum codicum fide, ſed & alio ipſius Suidae loco (d) ita eſſe planum faciam. Sic enim in voce ἐνδόσιμον ſcriptum lector inveniet: ὁ δὲ ψαλμὸς, οἷον ἐνδόσιμος εἶναι τῇ ᾠδῇ. *Pſalmus vero novi cantus quaſi erat praeludium.* Pſalmus autem, ut *Interpres* Aristophanis in *Avibus* v. 218. explicat, proprio τὸ τὰ νεῦρα ἠχεῖν, id eſt, ſonum ſeu pulſum fidium ſignificat: ut, *pſallere*, eſt fides pulſare. Apud Perſas igitur cantum praecedebat pulſus fidium, qui proludii loco praemittebatur, non ille quidem ad numeros, vel verba cantilenae, accommodatus: ſed pro arbitrio citharistriae. Enimvero Parthis quoque, Perſarum luxuriae ſucceſſoribus & aemulis, muliebrem hanc Muſicam placuiſſe, oſtendit Plutarchus in *Craſſo*, *pag.* 564. quo loci actum de ejus caede triumphum narrans, ait: Κατόπιν δ' εἵποντο Σελευκίδες ἑταῖραι μουσουργοὶ, πολλὰ βωμολόχα καὶ γελοῖα, δι' ᾀσμάτων, εἰς θηλύτητα καὶ ἀνανδρίαν (e) τοῦ Κράσσου λέγουσαι, *a tergo ſequebantur Seleucienſes meretrices cantatrices, multa in mollitiem & ignaviam Craſſi ſcurrilia & ridicula carmina concinentes.* Ibidemque conſentiente Appiano in *Parthicis*, *pag.* 259. *ſeq.* (154) Parthos plerumque choreis, & cantibus, noctem cum id genus mulieribus inſomnem tranſegiſſe memorat. Alias quoque gentes feminis, quae tibias inflarent, Cithara perſonarent, fides pulſarent, & pſallerent, uſas invenio. De Halyatte quidem Rege Lydiae, Herodotus *libr.* I. *cap.* 17. ſcribit; ἐστρατεύετο δὲ ὑπὸ συρίγγων τε καὶ πηκτίδων, καὶ αὐλοῦ γυναικηΐου τε καὶ ἀνδρηΐου. A quo loco caliginem Latinus interpres non depulit, qui verbum verbo reddens, Halyattem in expeditionem proceſſiſſe ſcribit, *ad cantum fiſtularum fidiumque, ac tibiae tam muliebris quam virilis.* Verum poſtrema haec verba in tenebris jacere non ſinit Agellius, qui eorum ſententiam, & Herodoti mentem perſpicue *libr.* I. *Noct. Attic. cap.* XI. expreſſit. Ejus igitur ore Herodotus non minus dilucide, quam Latine, ita loquitur: *Halyattes autem, Rex terrae Lydiae, more atque luxu barbarico praeditus, cum bellum Mileſiis faceret, concinentes habuit (f) fiſtulatores & fidicines; atque feminas etiam tibicinas in exercitu, atque in procinctu habuit, laſcivientium delicias convivorum.* Tibicinas etiam nuptiis, epulis & conviviis adhibitas, docent Plautus *Aulular. Act.* II. *Sc.* IV. *v.* 2. & *Act.* III. *Sc.* VI. *v.* 21. *Moſtellar. Act.* IV. *Sc.* II. *v.* 25. *Epidico Act.* II. *Sc.* II. *v.* 34. & Terentius *Adelph. Act.* V. *Sc.* VII. *v.* 7. Horatius *libr.* I. *Epiſt.* XIV. *v.* 25. *Nec meretrix Tibicina, cujus Ad ſtrepitus ſalias terrae gravis.* Fidicinarum etiam fit mentio apud Plautum *Epidico Act.* II. *Sc.* III. *v.* 8. & *Act.* III. *Sc.* III. *v.* 30. Puellam quoque Citharistriam, quae lenoni impuriſſimo ſerviebat, praedicat Terentius *Phormion. Act.* I. *Sc.* II. *v.* 32. Idem pſaltriae meminit *Adelph. Act.* IV. *Sc.* VII. *v.* 6. ut & Cicero *libr.* III. *Tuſcul. quaeſt.* & *pro Seſtio cap.* 54. Horatius *Ode* XIII. *libr.* IV. *doctae pſallere* feminae. Ab exercitu Aſiano luxuriam peregrinam in urbem invectam, Livius *libr.* XXXIX. *cap.* 6. narrans, *Tunc*, ait, *Pſaltriae* (ſic enim emendo) *Sambuciſtriaeque, & convivalia ludionum oblectamenta, addita epulis.* Plutarchus ἐν ἐρωτικῷ, ſive *Amatorio*, *pag.* 753. Αὐλητρίδες δὲ Σάμιαι, καὶ ὀρχηστρίδες, Ἀριστονίκα, καὶ τύμπανον ἔχουσα (g) Οἰνάνθα καὶ Ἀγαθόκλεια, διαδήμασι βασιλέων ἐπέβησαν. *Tibicines Samiae, & Saltatrices, Ariſtoniſa, & tympanum gerens Oenan-*

(a) Εἰσιέναι] In editis legitur: εἰς τὸ δεῖπνον εἰσιέναι. TR.

(b) Καθάπερ] Καθὰ legebat prior edit. L.

(c) Εἶναι] Ita quoque locum emendavit noviſſ. editor, *Kuſterus.* TR.

(d) Loco] Qui ex priori ſine dubio excerptus eſt. TR.

(e) Ἀνανδρίαν] In *ed. Francof. Opp.* legitur ἀνανδρείαν, quod uſitatius. TR.

(f) Habuit] Hoc loco verbum in plurimis *Codd.* abeſt: & ſalvo etiam ſenſu abeſſe poteſt, quum mox iterum repetatur. TR.

(g) Οἰνάνθα] Edit. Steph. Οἰνάνθη. L.

nanthe, *atque Agathoclea*, *regiis diadematibus inſultarunt.* Charem quoque Athenienſem in expeditione militari duxiſſe αὐλητρίδας, καὶ ψαλτρίας, καὶ πεζὰς ἑταίρας, *tibicinas*, *pſoltrias*, *& meretrices pedibus incedentes*, Athenaeus *libr.* XII. *cap.* VIII. *p.* 532. narrat. Ibidem *pag.* 531. de Stratone Sidoniorum Rege talia refert: Ὁ δὲ Στράτων καὶ αὐλητρίδων καὶ ψαλτριῶν, καὶ κιθαριστριῶν, κατεσκεύαζε τὰς συνουσίας· καὶ μετεπέμπετο πολλὰς μὲν ἑταίρας ἐκ Πελοποννήσου, πολλὰς δὲ Μουσουργοὺς ἐξ Ἰωνίας· ἑταίρας δὲ παιδίσκας ἐξ ἁπάσης τῆς Ἑλλάδος, τὰς μὲν ᾠδικάς, τὰς δὲ ὀρχηστικάς. *Straton cum feminis tibicinis*, *pſaltriis & citbariſtriis familiarius converſabatur*; *accerſebatque non pauca ex Peloponneſo ſcorta*, *& multas ex Jonia Pſaltrias*; *meretriceſque puellas ex univerſa Graecia*, *quae partim cantarent*, *partim ſaltarent.*

XCVII. Sed, ut ad propoſitum revertamur, Perſarum Reges ita vivebant, ut nulla tam exquiſita poſſet inveniri voluptas, qua non abundarent. Uſque adeo autem luxu & deliciis diſfluebant, ut artifices haberent conquirendarum & comparandarum voluptatum. Quin etiam iis, qui novum aliquod edulii voluptatiſve genus excogitaſſent, publice praemia proponerent, quemadmodum Athenaeus *libr.* XII. *cap.* II. *p.* 514. *Dipnoſophiſt.* teſtatur his verbis: τοῖς γοῦν πορίσασί τι αὐτῷ (de Perſarum Rege loquens) ἡδὺ βρῶμα, διδοὺς ἆθλα τοῦ πορισθέντος. *Ei igitur*, *qui delicatiorem cibum obtuliſſet*, *praemium pro eo*, *quod oblatum erat*, *dabat.* Idem *libr.* IV. *cap* X. *Dipnoſophiſt. pag.* 144. ex *Theophraſti libr.* περὶ βασιλείας, *de regno*, τοὺς, ait, Περσῶν βασιλεῖς ὑπὸ τρυφῆς ἀνακηρύττειν τοῖς ἐφευρίσκουσί τινα καινὴν ἡδονὴν ἀργυρίου πλῆθος. *Perſarum reges*, *luxu effeminatos*, *iis*, *qui novam quandam voluptatem adinvenerint*, *ingentem pecuniae ſummam per praeconem polliceri.* Cicero *libr.* v. *Tuſculanar. Quaeſtion. cap.* 7. *Nam Xerxes quidem refertus omnibus praemiis doniſque fortunae*, *non equitatu*, *non pedeſtribus copiis*, *non navium multitudine*, *non infinito pondere auri contentus*, *praemium propoſuit*, *qui inveniſſet novam voluptatem*, *qua ipſe non fuit contentus.* Valerius Max. *libr.* IX. *cap.* II. *ext.* 3. *Xerxes opum Regiarum oſtentatione eximia*, *eo uſque luxuria gaudebat*, *ut edicto praemium ei proponeret*, *qui novum voluptatis genus reperiſſet.* Quam Regum miſeram & anxiam luxuriam, qua efficiebatur, ut eorum Regnum omni eſſet voluptatum genere inferius, Athenaeus *libr.* XII. *cap.* 9. *pag.* 539. hoc epilogo denotat: Ὁ Περσῶν βασιλεὺς ἀθλοθετῶν τοῖς τὰς ἡδονὰς ἂν οἱ πορίζωσιν, ὑπὸ πασῶν τὴν ἰδίαν ὑποβεβλημένην ἀπέδειξε τὴν βασιλείαν. *Rex Perſarum*, *dum iis*, *qui voluptates ipſum docerent*, *praemia proponit*, *omni voluptatum genere imperium inferius eſſe*, *palam oſtendit.* Ideoque non injuria Diogenes, ut Cicero *libr.* v. *Tuſculanar. quaeſtion. cap.* 32. ſcribit, diſputare ſolebat, quanto Regem Perſarum vita fortunaque ſuperaret; ſibi nihil deeſſe; illi nihil ſatis umquam fore: ſe ejus voluptates non deſiderare, quibus numquam ſatiari ille poſſet; ſuas eum conſequi nullo modo poſſe. Sed & in Gorgia Socrates, cum eſſet ex eo quaeſitum; *Tu igitur ne de Perſarum quidem Rege magno potes dicere*, *beatus ne ſit? An ego*, reſpondit, *poſſum*, *cum ignorem*, *quam vir doctus*, *quam vir bonus? Quid? tu ne in eo ſitam beatam vitam putas?* Sic enim Graeca *Platonis* verba Cicero *libr.* v. *Tuſcul. quaeſt. cap.* 12. in Latinum convertit. Quae fuſius Dio Chrysost. *Oration.* III. *de Regno*, *princ. pag.* 36. *& deinde pag.* 41. *ſeqq.* perſequitur.

XCVIII. Ut plurimum autem Rex ſolus coenabat. Interdum tamen uxor cum eo, & aliquot ex liberis, epulabantur: quod Athenaeus *libr.* IV. *cap.* X. *pag.* 145. tradit, in hunc modum; τὰ δὲ πλεῖστα ὁ βασιλεὺς μόνος ἀριστᾷ καὶ δειπνεῖ. ἐνίοτε δὲ καὶ ἡ γυνὴ αὐτῷ συνδειπνεῖ καὶ τῶν υἱῶν ἔνιοι. *Ut plurimum rex ſolus prandet ac coenat*; *interdum tamen & uxor & liberorum quidam cum eo coenant.* Praeter uxorem vero, matrem quoque menſae adhibuiſſe Artaxerxem, ita tamen, ut haec ſupra; illa infra illum adſideret, oſtendit Plutarchus in *Artaxerxe*, *pag.* 1013. his verbis: τραπέζης δὲ τῆς αὐτοῦ μηδενὸς μετέχοντος, ἀλλ' ἢ μητρὸς βασιλέως, ἢ γαμετῆς γυναικός, καθεζομένων, τῆς μὲν, ὑπ' αὐτὸν, τῆς δὲ μητρὸς, ὑπὲρ αὐτόν. *Menſae vero ejus nemo particeps fiebat praeter matrem regis*, *& legitimam conjugem: quarum haec infra ipſum*; *illa vero mater*, *ſupra eum ſedebant.* Additque ejuſdem menſae honore Artaxerxem fratres ſuos, Oſtacen, & Oxaten, dignatum.

XCIX. Quandoque etiam Reges magnifico & lauto convivio Satrapas, purpuratoſque ſuos, excipiebant. Et ita Artaxerxem epulum Satrapis, Praetoribuſque ſuis, praebuiſſe, hiſtoriarum monumentis proditum eſt. Cujus magnificentiſſimum apparatum qui ſtudebit noſſe, is librum *Eſther. cap.* I. & Josephum *libr.* XI. *Antiq. cap.* VI. adeat. Mihi namque brevitatis ſtudioſo, digitum in fontes intendiſſe viſum eſt ſatis. Similiterque Darius Mediae & Perſidis praeſidibus, omnibuſque praefectis coenam dediſſe, narratur *libr.* III. *Eſdrae cap.* III. Cujuſmodi Epulas, LXX. *Interpretes* utrobique δοχὴν vocant. Erant & Perſarum Regibus ſollemnes epulae, ad quas ſoli Cognati vocabantur: συγγενικὸν δεῖπνον Athenaeus *libr.* II. *cap.* 9. *pag.* 48. appellat. Nam ut Romani ſollemne (quemadmodum Valerius Maximus *libr.* II. *cap.* I. *ex.* 8. ſcribit) convivium inſtituerant, quod Charistia appellabant, cui praeter Cognatos & adfines nemo interponebatur: ita Perſarum Reges ad hoc convivium Cognatos ſolos admittentes, Graecos, alioſve Barbaros minime adhibebant. Itaque honore eximio & prope ſingulari, ad eam Cognatorum coenam, Artaxerxes Timagoram Cretenſem (vel, ut aliis placet, Euthymium Gortynium) invitavit, cum is aemulatione Themiſtoclis inceenſus ad Artaxerxem ſeſe contuliſſet: Qui honor Graecorum nulli antea contigerat, nec praeter eum, alii cuiquam poſtea conceſſus fertur.

C. Alios quoque, quibus honorem habitum vellent, menſa Reges dignabantur, quos φίλους καὶ συντραπεζίους vocat Xenophon *libr.* I. Ἀναβάσ. *pag.* 269. Sic Democedem medicum a Dario, quem valetudini reſtituerat, Regiae menſae adhibitum, Herodotus *libr.* III. *cap.* 132. narrat. Apud eundem *libr.* v. Darius Hiſtiaeum ad ſe evocans, ὁμοτράπεζον, id eſt, convictorem eum, & a conſiliis habiturum, pollicetur, ut Ctesias in *Perſicis* teſtatur (*a*).

CI.

(*a*) Testatur] In Cteſiae Fragmentis nihil de Hiſtiaeo iſto reperi. Apud Herodotum *libr.* v. *cap.* 24. legitur: ἔσῃ τε σύσσιτος ἐμοὶ καὶ σύμβουλος. *Meus convictor ac conſiliarius futurus.* Vox vero ὁμοτράπεζος legitur tantum *lib.* III *cap.* 132. de Democede. Parthorum Reges exteros, in fidem ſuſceptos, per apicem, ſive tiaram,

CI. Nec tamen eundem accubitus & conſeſſus ordinem perpetuo Cyrus obſervaſſe dicitur: ſed lege cavit, ut pro meritis ad ampliſſimos honorum gradus adſcenderetur. XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 221. [*p.* 174.] Οὐ μέντοι ἀθάνατον τὴν τεχθεῖσαν ἕδραν κατεστήσατο, ἀλλὰ νόμιμον ἐποιήσατο, καὶ ἀγαθοῖς ἔργοις προβιβάζειν εἰς τὴν ἐντιμοτέραν ἕδραν, καὶ εἴ τις ῥᾳδιουργοίη, ἀναχωρεῖν εἰς τὴν ἀτιμοτέραν. *Neque tamen eſſe cuique perpetuum locum volebat, qui tum aſſignabatur; ſed lege cavit, ut praeclaris factis ad locum honoratiorem aſcenderetur, ac, ſi quis ignaviter ſeſe gereret, ad minus honorificum ſecederet.*

CII. Eorum autem, quos ad coenam Rex vocabat, alii foris, alii intra triclinium coenabant, alii intus cum eo, velo tamen interjecto, ita ut Regem intueri non poſſent, licet ab eo conſpicerentur. Quod ATHENAEUS *libr.* IV. *cap.* X. *p.* 145. *Dipnoſophiſt.* ex *Heraclide Cumano* latius ita exponit: Τῶν δὲ τῷ βασιλεῖ συνδειπνούντων, οἱ μὲν ἔξω δειπνοῦσιν, οὓς καὶ ὁρᾶν ἔξεστι παντὶ τῷ βουλομένῳ· οἱ δὲ εἴσω μετὰ βασιλέως. καὶ οὗτοι δὲ οὐ συνδειπνοῦσιν αὐτῷ, ἀλλ' ἔστιν οἰκήματα δύο κατ' ἀντικρὺ ἀλλήλων, ἐν ᾧ ὁ βασιλεὺς τὸ ἄριστον ποιεῖται, καὶ ἐν ᾧ οἱ σύνδειπνοι. καὶ ὁ βασιλεὺς ἐκείνους ὁρᾷ διὰ τοῦ παρακαλύμματος τοῦ ἐπὶ τῇ θύρᾳ· ἐκεῖνοι δ' αὐτὸν οὐχ ὁρῶσιν· ἐνίοτε μέντοι ἐπειδὰν ἑορτὴ ᾖ, ἐν ἑνὶ οἰκήματι ἅπαντες δειπνοῦσιν, ἐν ᾧ καὶ ὁ βασιλεύς, ἐν τῷ μεγάλῳ οἴκῳ. ὅταν δὲ βασιλεὺς πότον ποιῆται (ποιεῖ δὲ πολλάκις) συμπόται αὐτῷ εἰσὶν ὡς μάλιστα δώδεκα. καὶ ὅταν δειπνήσωσιν, ὁ μὲν βασιλεὺς αὐτὸς καθ' ἑαυτὸν, καὶ οἱ σύνδειπνοι, καλεῖ τοὺς συμπότας τούτους τις τῶν εὐνούχων. καὶ ὅταν εἰσέλθωσι, συμπίνουσι μετ' αὐτοῦ, οὐ τὸν αὐτὸν οἶνον πίνοντες· καὶ οἱ μὲν χαμαὶ καθήμενοι, ὁ δ' ἐπὶ κλίνης χρυσόποδος κατακείμενος· καὶ ὑπερμεθυσθέντες ἀπέρχονται. *Convivarum regis alii foris coenant, quos volenti cuivis intueri licet; intus alii cum rege: & hi quidem revera cibum cum eo non ſimul capiunt, verum coenacula duo ſunt ex adverſo inter ſe poſita, unum in quo rex prandet, alterum in quo convivae. Hos quidem rex videt per obditum januae velum; regem autem contueri illi non poſſunt. Aliquando tamen feſtis diebus in eodem atrio coenant omnes: rex quidem in aedificio magno ſeorſum: qui ſi convivatur, id quod facit ſaepiuſcule, convivae illi ſunt maxime duodecim. Ubi vero coenaverunt, ſolus quidem rex ac per ſe, reliqui convivae ſimul, compotores illi ab eunucho quodam vocati conveniunt, & cum rege bibunt, non tamen idem vinum. Rex tum in lecto aureis fulto pedibus jacet, illi vero humi ſedent, ac diſcedunt, cum immodice temulenti fuerint.* Convivarum autem, qui regalibus epulis accipiebantur, modum & numerum definitum fuiſſe, ATHENAEUS *libr.* IV. *l. c.* indicat. Regum enim menſis, ad ſummum duodecim convivas accubuiſſe ſcribit. Ordinem vero accubationis epularis eorum, quos Cyrus ad prandium vocabat, XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 220. [*p.* 174.] deſcribit his verbis: Ὡς δὲ ἦλθον οἱ κληθέντες ἐπὶ τὸ δεῖπνον, οὐχ, ὅπου ἔτυχεν, ἕκαστον ἐκάθιζεν, ἀλλ' ὃν (*a*) μὲν μάλιστα ἐτίμα, παρὰ τὴν ἀριστερὰν χεῖρα, ὡς εὐεπιβουλευτοτέρας ταύτης οὔσης, ἢ τῆς δεξιᾶς· τὸν δὲ δεύτερον, παρὰ τὴν δεξιάν· τὸν δὲ τρίτον, πάλιν παρὰ τὴν ἀριστεράν· τὸν δὲ τέταρτον παρὰ τὴν δεξιάν. καὶ ἂν πλείους ὦσιν, ὡσαύτως &c. *Ad coenam invitati cum veniſſent, non temere quemlibet collocabat, ſed quem honore maximo dignabatur, ad laevam, quod haec inſidiis obnoxia magis ſit, quam dextra; ſecundum ab hoc ad dextram, tertium rurſum ad laevam, quartum ad dextram: ac ſi plures etiam forent, eadem eos ratione collocabat.* Ubi obſervandum eſt, infra Cyrum, ſiniſtrorſum accubuiſſe eos, quorum ille fidem ſpectatam habebat: ſupra vero eum dextrorſum eos, quibus minus fidebat: illamque ſedem hac honoratiorem habitam, propterea, quod ejus, qui lateri noſtro haeret, inſidiis, laeva corporis noſtri pars magis pateat, expoſitaque ſit, quam dextra. Qua ratione hodieque apud pleraſque Orientis gentes, ſive in inceſſu, ſive in conſeſſu, honoratior ille locus exiſtimatur, qui ſiniſtrae alterius ſubeſt, laevumque ejus latus premit: ideo quod enſis, qui laeva accingitur, capulo imminet.

CIII. Verum ab hujuſmodi epulis praecipuum earum condimentum, libertas, aberat. Capite ſiquidem demiſſo, & oculis in terram dejectis, convivam cibum capere oportuiſſe, ne quis Eunuchorum in aliquam ex pellicibus Regis oculos conjicientem eum animadverteret, LUCIANUS in *libr. de mercede conduct. cap.* 29. *pag.* 688. ſignificat his verbis: Δεῖ δέ σε, ὥσπερ ἐν τοῖς Περσικοῖς δείπνοις, κάτω νεύοντα κατακεῖσθαι, δεδιότα μή τις εὐνοῦχος σε ἴδῃ προσβλέψαντα μιᾷ τῶν παλλακίδων. *Quamobrem vultu demiſſo, quemadmodum in Perſicis conviviis, tibi eſt accumbendum, verito, ne quis eunuchus videat te oculos in concubinam aliquam conjicere.* Inſolentius vero ſe Parthorum Reges erga convivas ſuos gerebant. Nam, ut ATHENAEUS *libr.* IV. *cap.* 13. *pag.* 152. *ſeq.* ex *Poſſidonio* refert, ſi quem ex amicis Rex Parthorum ad coenam vocabat, eum menſa non dignabatur: verum humi proſtratus, Rege in ſublimi & edito lecto accumbente, id demum, quod ab ipſo projiciebatur: canis inſtar excipiens, comedebat: ac ſaepe levi de cauſa e triclinio coenaculove abductus, virgis loriſque caeſus, & cruore foedatus, illum a quo caeſus erat, tanquam accepto beneficio, procumbens venerabatur. Ibidemque Regem Parthorum, ſeorſim ab aliis, altioreque ſupra ceteros lecto, accubuiſſe, & ei ſoli, ceu terreſtri Deo, menſam peregrinis cibis refertam appoſitam, ſcribit. Ad Regiam utique menſam adhibitis, neceſſe fuiſſe dolori fraenos imponere, nec patienter modo, ſed & libenter, injurias ferre, Harpagi & Praexaſpis exemplis, SENECA *libr.* III. *de Ira, cap.* XIV. *ſeq.* docet.

CIV. Quandoque vero Reges amicis, aut his, quos honore proſequebantur, partes de coena mittebant: quod jam inde a Cyri temporibus, & ejus inſtituto, in uſum veniſſe, XENOPHON *libr.* VIII. [*p.* 164.] παιδ. Κύρ. *pag.* 208. notat. Poſtquam enim eadem convivis appoſita, quae Cyro, iiſdemque veſci ſolitum eum dixit, ſubjicit: Ὅσα δὲ περιττεύοι πολλὰ πάνυ, πλὴν οἷς αὐτὸς καὶ οἱ σύνδειπνοι χρῷντο, διεδίδου οἷς ἂν βούλοιτο τῶν φίλων μνήμην ἐνδείκνυσθαι ἢ φιλοφροσύνην. διέπεμπε δὲ καὶ τούτοις, οὓς ἀγασθείη, ἢ ἐν φυλακαῖς, ἢ ἐν θεραπείαις, ἢ ἐν ἄλλαις

τισὶ

ram, participes facere ſolebant menſae regalis & intimiorum conſiliorum, ut perſpici poteſt ex AMMIANO MARCELLINO *lib.* XVIII. *cap.* 5. Praeterea, id etiam notare volo, *paragraphum ſeq.* C1. eſſe ex *Append. praetermiſſorum*, propterea, quia mea ſententia collocari demum debuiſſet poſt §. CII. Dum enim in *App. primae ed.* verba haec pertinere dicuntur ad *pag.* 95. *v.* 16. manifeſtum adeſt vitium typographicum: id tamen dubium manet, utrum illud in numero *pagg.* an in numero *lineae*, ſive *verſus*, ut auctor vocat, ſit quaerendum. *Sylburgius* numerum lineae corruptum putavit, & hinc verba illa ad *pag.* 95. *lin.* 17. retulit: ego vero exiſtimo, ea fuiſſe referenda ad *pag.* 96. *lin.* 16. juxta *prim. ed.* adeoque juxta hanc *ed.* poſt §. CII. collocanda. Sed judicet lector. TR.

(*a*) Voculam μὲν, & πάλιν, ante illa: παρὰ τὴν ἀριστερὰν, ex edito Xenoph. huc revocavi. L.

καὶ τραπέζης. *Quaecunque vero apponebantur, ea ſemper omnia diſtribuebat in amicos, quos viſum eſſet, quo ſe ipſorum memorem eſſe oſtenderet, vel benignitatem declararet, extra illos cibos, quibus ipſe & convivae utebantur. Praeterea cibos mittebat iis, quorum vel in excubiis operam admiraretur, vel in praeſtandis obſequiis, vel aliis in actionibus.* Atque hunc morem a Cyro inſtitutum ad ſua uſque tempora ſervatum, ibidem ait, ut quos ex amicis demereri vellent, eis partes de prandio mitterent: ſummoque in honore habitos eos, ad quos, in conſpectu populi, fercula de menſa Regis deferrentur: & ita Timagorae Athenienſi, qui Artaxerxem adoraverat, τῶν παρατιθεμένων βασιλεῖ, καὶ ἀπὸ τῆς τραπέζης (a) ἀπεστέλλετο, *ex appoſitis regi ferculis miſſa quaedam fuit portio,* ATHENAEUS *libr.* II. *cap.* 9. *pag.* 48. narrat. Sic & Nabuchodonozorus, Babyloniorum rex, quatuor adoleſcentibus Judaeis, quos ſub Eunuchi cuſtodia educabat, ἐχορήγει, ut JOSEPHUS *libr.* X. *Antiquit. cap.* X. ſcribit, τὰ ἀπὸ τῆς τραπέζης αὐτοῦ εἰς δίαιταν, καὶ ἀπὸ τοῦ δείπνου καθημέραν συνήθως ἔπεμπεν. *Praebebat de ſua menſa victum, & de coena ſua quotidie ex more mittebat.* Ex hoc more Arſaca, Regina Perſarum, convivio Perſarum primores excipiens, ut eſt apud HELIODORUM *libr.* VII. *pag.* 338. μοίρας, ὡς τὸ εἰωθὸς, τῶν ἐδεσμάτων, τοῖς περὶ τὸν Θεαγένην ἀπέστελλε. *Portiones ciborum, ut conſueverat, Theageni mittebat.*

CV. Coenas utique Regibus appoſitas ejuſmodi, ut magnae reliquiae fierent, ATHENAEUS *libr.* IV. *cap.* 10. *pag.* 145. auctor eſt. Indeque ad ſtipatores, ſatellites, & corporis cuſtodes, epulae deferebantur: qui eas inter ſe partiri, & aequas in partes tribuere, ſolebant. Atque adeo vel ipſorum canum prandium, in Regia menſa apponebatur, ut non homines modo, quorum opera Rex utebatur, menſae ipſius participes fierent: verum ipſa quoque domeſtica animalia, ejus uſibus deſervientia, inde partem ferrent. Quod ſilentio praetermittendum non cenſuit XENOPHON *libr.* III. & *libr.* VIII. (b) παιδ. Κύρ. ex quo PLUTARCHUS ſumpſit, quae *libr.* VII. *Problemat. Sympoſ. cap.* IV. *pag.* 703. ſcribit in hunc modum: Περσῶν βασιλεῖς φασιν οὐ μόνον φίλοις, καὶ ἡγεμόσι, καὶ σωματοφύλαξιν ἀποπέμπειν ἀεὶ μερίδας, ἀλλὰ καὶ τὸ τῶν δούλων, καὶ τὸ τῶν κυνῶν ἀεὶ δεῖπνον ἐπὶ τῆς αὐτοῦ παρατίθεσθαι τραπέζης, ὡς (c) ἐν οἷόν τε ἦν, πάντας οἷς ἐχρῆτο ποιούμενον ὁμοτραπέζους καὶ ὁμεστίους. *Perſarum Reges, ut fertur, non amicis modo, & proceribus, ac ſtipatoribus ſolebant de coena portiones mittere; ſed ſemper ſervorum quoque & canum coena in ipſorum menſa proponebatur, cum, quantum omnino fieri poterat, omnes, quorum utebantur opera, ſuae menſae facerent participes.*

CVI. Sed de his hactenus. Ad conjugia igitur Regum tranſitum faciamus. Enimvero ſtirpis Regiae propagandae gratia, plures Perſarum Regibus juſtas uxores ducere licebat: quod & Perſarum Regibus in more poſitum CICERO *libr.* III. *Accuſat. in Verrem cap.* 33. tradit. Atque, ut alios taceam, Darium, Hyſtaſpis filium, duas Cyri filias, Atoſſam viduam, & Ariſtonam virginem, praeterea Parmyn, Cyri neptem; & hoc amplius Othanis gnatam, eodem tempore in matrimonio habuiſſe HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 38. & *libr.* VII. *cap.* 2. refert. Nuptias autem ſuas Reges omni apparatus magnificentia celebrabant. Aſſuerum quidem, ob Eſtheris nuptias, ferias populo Perſico extra ordinem indixiſſe, ex JOSEPHO patet. Is enim *libr.* XI. *Antiquit. cap.* VI. Διέπεμψε δὲ, ait, τοὺς ἀγγάρους λεγομένους εἰς πᾶν ἔθνος, ἑορτάζειν αὐτοῖς τοὺς γάμους παραγγέλλων. *Dimiſitque, quos Angaros vocant, per omnes gentes, nuptiale feſtum eis indicens.* Eademque de cauſa eum Satrapas, & optimates Medorum & Perſarum, ſollemni epulo, per menſem integrum, excepiſſe, ibidem JOSEPHUS refert. At LXX. Interpretes, *Eſther. cap.* II. *v.* 18. non epulum modo per ſeptem duntaxat dies praebuiſſe Artaxerxem: verum praeterea tributorum remiſſionem, ejus feſtivitatis gratia, provinciis indulſiſſe, narrant.

CVII. Uxorum vero, quas ſibi maritali affectione conjungebant, capiti diadema Reges imponebant. Sic enim *Eſther. cap.* II. *v.* 17. ſcribitur; Καὶ ἠράσθη ὁ βασιλεὺς Ἐσθὴρ, καὶ εὗρε χάριν παρὰ πάσας τὰς παρθένους, καὶ ἐπέθηκεν αὐτῇ τὸ διάδημα τὸ γυναικεῖον. *Dilexitque Rex Eſtherem, quae prae reliquis virginibus gratiam invenerat, & cui aureum muliebre diadema impoſuit.* JOSEPHUS quoque *libr.* XI. *Antiq. Jud. cap.* VI. Ἀφικομένης δὲ τῆς Ἐσθῆρος πρὸς αὐτὸν, ἡσθεὶς αὐτῇ, καὶ πεσὼν τῆς κόρης εἰς ἔρωτα, νόμιμον αὐτὴν ἄγεται γυναῖκα. *Cum vero Eſther adducta fuiſſet, delectatus ea, & amore puellae correptus, legitimam conjugem ſibi eam adjunxit.* Et mox: Εἰσελθούσης δὲ εἰς τὸ βασίλειον, περιτίθησιν αὐτῇ τὸ διάδημα. *Cumque regiam ingreſſa eſſet, imponit ei diadema.* SULPITIUS SEVERUS *libr.* II. *Sacr. Hiſtor. cap.* 12. *Igitur juncta Regi, brevi (ut fit) vi pulchritudinis totum ejus animum facile cepit: adeo ut eam aequatam imperio inſigni Regio, veſte purpurea, donaret.* Cujuſmodi diadema illa, in ſua ad Deum precatione, σημεῖον τῆς ὑπερηφανίας μου, ὅ ἐστιν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς μου, *magnificentiae meae inſigne, quod eſt in capite meo,* vocat *cap.* IV. (d) libri ejus hiſtor. Monimam quoque Mileſiam, in conjugium a Xerxe (e) adſcitam, Diademate revinctam fuiſſe, PLUTARCHUS in *Lucullo pag.* 503. refert. Secundum quae HELIODORUS *libr.* VII. *pag.* 337. Arſacam reginam, προκαθημένην ἐφ' ὑψηλοῦ, ἁλουργῷ μὲν καὶ χρυσοπάστῳ ἐσθῆτι φαιδρυνομένην, ὅρμων τε πολυτελείᾳ, τιάρας ἀξιώματι μεγαλαυχουμένην. *Sedentem pro tribunali, purpura & auro intexta veſte ornatam, moniliumque pretio & tiarae dignitate ſuperbientem.*

CVIII. Reginas autem ſupra modum, ſeu δεινῶς φιλοκόσμους, *ſive rerum ad ornatum pertinentium valde ſtudioſas* fuiſſe, AELIANUS *libr.* XII. *Var. Hiſt. cap.* I. ſcribit. Regali certe cultu ornatas, indicio eſt, quod DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *cap.* 38. *pag.* 188. (*St.* 581. *Rh.* 517.) de Alexandri erga Darii uxorem humanitate loquens, καὶ ἀπέδωκεν, ait, αὐτῇ κόσμον βασιλικὸν, *Regium ipſi cultum dedit.* Reginis utique regiones certas attribuebant, ex quarum reditu mundum ſibi pararent. Qua de re CICERO *libr.* III. Ac-

(a) Rectius ἀπεσταλμένα, Baſil. ed. 24, 36. S. Reddidi ex edito Athen. ἀπεστέλλετο. L. In prima, & ſecunda *Sylb. ed.* legebatur ἀπηγγελμένα. TR.

(b) LIB. VIII.] Hoc citatum, a *Sylburgio* omiſſum, ex prima *ed.* ubi inter *menda* notatum, revocavi. In *lib.* III. nihil reperire potui, quod huc ſpectaret. Ex *libr.* VIII. ſine dubio auctor reſpexit ad locum, qui *pag.* 208. reperitur, ubi tamen pro κυσὶ, *Codd.* quidam legunt παισὶ, ut adeo nondum certum ſit, num Plutarchus ex Xenophonte, an ex alio ſcriptore ſua hauſerit. TR.

(c) Editi habent αὐτοῖς. L.

(d) CAP. IV.] Locus in ſolo texta Graeco legitur, non procul a fine hujus *cap.* TR.

(e) XERXE] Immo a Mithridate, Ponti Rege. TR.

Accuſat. in Verrem, cap. 33. Solere ajunt barbaros Reges Perſarum ac Syrorum plures uxores habere: his autem uxoribus Civitates attribuere, hoc modo: Haec Civitas mulieri Redimiculum praebeat; haec in Collum; haec in Crines. Ita Populos habent univerſos, non ſolum conſcios libidinis ſuae, verum etiam adminiſtros. Hoc & *Socrates*, apud PLATONEM in *Dialogo*, qui *Alcibiades* inſcribitur, *primo*, *pag.* 442. confirmat, auditione ſe id a quodam, qui ad Regem Perſarum legationis officio functus erat, accepiſſe memorans. Narrabat enim ille, magnam ſe fertilemque regionem, unius prope diei iter patentem, peragraſſe, quam incolae *Zonam Reginae* nuncuparent: Eſſe & aliam quam *Reginae Calyptram*; aliaque inſuper loca eſſe & lata & feracia, ad mundum & ornatum Reginae ſuppeditandum deſtinata: quae ab unaquaque mundi mulíebris ſpecie appellationem ſortita erant. ATHENAEUS *libr.* I. *cap.* XXV. *pag.* 33. de Antylla urbe, quae non procul abeſt ab Alexandria, ἥν, ait, οἱ τότε βασιλεῖς Αἰγύπτιοί τε καὶ Πέρσαι ταῖς γυναιξὶν ἐδίδοσαν εἰς ζώνας. *Cujus reditum ac vectigalia Perſarum Aegyptiorumque reges ad cinctuum impenſas uxoribus dabant.* Reginarum autem caput unguentis delibutum fuiſſe, apparet ex *capite* IV. *Eſther*, ubi & σμηγμάτων τεχνῶν fit mentio (*a*). Eodemque libro, de inceſſu Eſther Reginae, haec LXX. *Interpretes cap.* V. *princ.* ſcripta reliquerunt: Παρέλαβε τὰς δύο ἄβρας· καὶ τῇ μὲν μιᾷ ἐπηρείδετο, ὡς (*b*) τρυφερομένη· ἡ δὲ ἑτέρα ἐπηκολούθει, κουφίζουσα τὴν ἔνδυσιν αὐτῆς. *Sumpſitque ſecum duas ancillas, cui uni, ut delicians, innitebatur, at altera ſequebatur, levans indumentum ejus.* JOSEPHUS vero *libr.* XI. *Antiq. cap.* VI. Κοσμησαμένη δ' ὡς ἐχρῆν τὴν βασίλισσαν, σὺν δυσὶ θεραπαίναις, ὧν ἡ μὲν ἐπηρεισμένην αὐτὴν κούφως ἔφερεν· ἡ δ' ἑπομένη, τὸ βαθὺ τῆς ἐσθῆτος, καὶ μέχρι τῆς γῆς κεχυμένον, ἄκροις ἐκούφιζε τοῖς δακτύλοις, ἧκε πρὸς τὸν βασιλέα. *Sumpto cultu, qui reginam decebat, cum duabus pediſſequis, quarum altera ſuſtinebat innixam leniter, altera a tergo ſinuoſam & fluentem in terram veſtem ſummis attollebat digitis, ad regem venit.*

CIX. Jam Reginis nullos, aliter atque Spartae, cuſtodes adpoſitos, invaluiſſeque, ut citra ullam cuſtodiam, ſolo metu in fide retinerentur, formidineque poenae pudicitiam ſervarent, bonos mores colerent: ac proinde nullam unquam ſuſpicionem ortam, ex alio, quam ex Rege, ſuſceptos liberos, qui Reginarum partu edebantur, PLATO *Alcibiade* I. *pag.* 441. [p. 32.] ſignificat: cujus verba, vel ea maxime gratia ſubjeci, quod ab eorum ſententia Lemanorum Latina interpretatio longe aberret: Ὁ δὲ Περσῶν βασιλεὺς τοσοῦτον ὑπερβάλλει, ὥστ' οὐδεὶς ὑποψίαν ἔχει ὡς ἐξ ἄλλου βασιλεὺς ἂν γένοιτο, ἢ ἐξ αὐτοῦ. Διὸ οὐ φρουρεῖται ἡ τοῦ βασιλέως γυνὴ, ἀλλ', ἢ ὑπὸ φόβου. *Perſarum rex adeo excellit, ut nemo ſuſpicetur regem ex alio, quam ex ipſo genitum eſſe: quamobrem regis uxor non alio, quam metu cuſtoditur.*

CX. Verum libidini laxas habenas dantes Reges, pellicum turbam, & ut Q. CURTIUS *lib.* VI. *cap.* 2. §. 2. loquitur, *Greges*, Uxoribus, quas juſtis ſibi nuptiis junxerant, adbibuiſſe, adjunxiſſeque, non eſt ignotum: Παλλακίδων enim multitudini ſola Regum libido modum faciebat. Cui rei teſtimonio eſt, quod Artaxerxem ex pellicibus CXV. filios ſuſcepiſſe, JUSTINUS *lib.* X. *cap.* I. ſcribit. Sed & Darii Regiam Pellices CCCLX. implebant, eumque non domi modo, verum etiam militiae comitabantur, ut Q. CURTIUS *libr.* III. *cap.* 3. §. 24. auctor eſt. (*c*) Totidemque Pellices Alexandrum ſecutas, idem CURTIUS *libr.* VI. *cap.* 6. §. 8. & DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *cap.* 77. *pag.* 220. (*St.* 603. *Rh.* 550.) memorant. ATHENAEUS *libr.* XIII. *cap.* 9. *pag.* 607. Parmenionem, Damaſco in poteſtatem redacta, litteras ad Alexandrum miſiſſe narrat, quibus ſignificabat, ſe omnibus impedimentis Darii potitum: inter quae inventas pellices Tibicinas trecentas viginti novem. Surenam etiam, qui ſecundum a Rege Parthorum locum tenebat, ſecum in expeditionem duxiſſe διακοσίας ἀπήνας παλλακίδων, *ducenta pellicum vehicula*, PLUTARCHUS in *Craſſo*, *pag.* 556. narrat.

CXI. Pellicatum autem iſtum, qui *maxime caſtas*, ut Impp. noſtri *l.* 8. *C. de repud.* loquuntur, *exaſperat*, Reginas aequo animo ferre & perpeti coactas, ATHENAEUS *libr.* XIII. *cap.* I. *pag.* 556. ſcribit, tum quod Rex, velut dominus, omne in Uxorem imperium haberet, eaque in ejus manu mancipioque eſſet: tum quod ut ex *Dinone* addit, Pellices Reginam colerent, ac venerarentur. Idem *lib.* XII. *cap.* 2. *pag.* 514. ex *Heraclide Cumano* tradit, CCC. mulieres Regem Perſarum cuſtodiiſſe: quae interdiu ſomnum capiebant; totam autem noctem inſomnem, accenſis lucernis, canendo & pſallendo, traducebant. Eas Rex ut plurimum per Melophororum aulam admittebat.

CXII. Regiae autem Pellices ſingulae ſeparatim recludebantur, ut JUSTINUS *libr.* I. *cap.* 9. §. 16. ſcribit (*d*). Ejus rei ergo, in Regia, Gynaeceum erat, cujus apud ATHENAEUM *libr.* I. *cap.* II. & *ult.* & PHILOSTRATUM *libr.* I. *de Apollonii vita cap.* 37. fit mentio: Quo in Gynaeceo Pellices a Spadonibus adſervabantur. Et ita, cum Artaxerxes forma praeſtantiſſimas virgines conquiri juſſiſſet, eas Suſa deductas in conclave mulierum, ſub cuſtodia Eunuchi Hegaei (qui Gynaeceo praefectus, & τῶν γυναικῶν φύλαξ, *feminarum cuſtos* erat) abditas, *Eſtheris cap.* II. ſcribitur: quo Gynaeceo eas per XII. menſium ſpatium adſervatas, ut interim corpori curando & comendo operam darent, refertur. Ac prioribus ſex menſibus unguentis & oleo myrteo delibutas; reliquo vero tempore odoribus quibuſdam aſperſas, & pigmentis fucatas fuiſſe ait. Honoris autem expertes Pellices non erant. Nam & Pellicem ad dextram Regis ſediſſe, eoque familiariter uſam, narratur *Eſdrae libr.* III. *cap.* IV. *v.* 29. *ſeqq.* TREBELLIUS POLLIO in *Valeriano*, *cap. ult.* *Cepit regis theſauros: cepit etiam, quas theſauris cariores habent Reges Perſici* (*e*), *Concubinas.* Idem TREBELLIUS in *Herode*, ſive in XXX. *Tyrann. cap.* 16. Odenatum poſt devictum Regem Perſarum, quidquid *concubinarum regalium*, quidquid divitiarum

(*a*) MENTIO] Hic locus, ut & ſequens, in textu tantum Graeco legitur. TR.

(*b*) Edit. τρυφερομένη. e quibus etiam mox ἔνδυσιν repoſui, cum in Sylb. [ut & in prima] edit. ἔνδον eſſet. L.

(*c*) EST] Adde ATHENAEUM *lib.* XIII. *cap.* I. *pag.* 557. TR.

(*d*) SCRIBIT] Id quod primus Magus ille, qui poſt Cambyſem regnavit, feciſſe videtur, ſi fides HERODOTO *lib.* III. *cap.* 68. De Gynaeceo apud ATHENAEUM *l. c.* nihil reperi. TR.

(*e*) PERSICI] *Parthici* legitur in *edd.* quas ego vidi. TR.

tiarum gemmarumque ceperat, Herodi filio, paterna affectione pervictum, tradidiſſe refert.

CXIII. Inter has utique Pellices noctium vices Reges participabantur, ut patet ex *Eſthere, libr.* I. *cap.* 11. Et hoc eſt, quod HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 69. ait, ἐν περιτροπῇ γὰρ δὴ γυναῖκες φοιτῶσι τοῖς Πέρσῃσι *Uxores Perſarum per vices & in orbem ad illos accedunt.* De Alexandri etiam ſimili luxu, DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *cap.* 77. *pag.* 220. (*St.* 603. *Rh.* 550.) Τάς τε παλλακίδας ὁμοίως τῷ Δαρείῳ περιῆγε, τὸν μὲν ἀριθμὸν οὔσας οὐκ ἐλάττους πλῆθει τῶν κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν ἡμερῶν, κάλλει δὲ διαπρεπούσας, ὡς ἂν ἐξ ἁπασῶν τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν γυναικῶν ἐπιλελεγμένας. Αὗται δὲ ἑκάστης νυκτὸς περιΐσταντο τὴν κλίνην τοῦ βασιλέως, ἵνα τὴν ἐκλογὴν αὐτὸς ποιήσηται τῆς μελλούσης αὐτῷ συνεῖναι. *Concubinas inſuper, prout Darius conſueverat, circumducere ſecum coepit: quarum turba dierum numero haud inferior erat. Pulchritudine autem, utpote ex feminis per totam Aſiam praeſtantiſſimis ſelectae, eminebant. Hae ſub unamquamque noctem regis lectum circuibant, ut quam liberet, ad concubitum rex adoptaret.*

CXIV. Pellices plane, quoties rex venatum exibat, una cum eo proficiſcebantur, ut ATHENAEUS *libr.* XII. refert. Quinetiam expeditionem ſuſcipientem Regem comitabantur: quemadmodum, exemplo Darii, CURTIUS *libr.* III. *cap.* 3. §. 24. oſtendit. Joniam autem Regi magno pellices ſuppeditaſſe, MAXIMUS TYR. *Serm.* XXXIV. (IV. *cap.* 4. *pag.* 35.) ſcribit. Atque adeo ex Jonia, pellicis inſtar, lectica operta, Themiſtocles Suſa delatus dicitur (*a*). Sed & PLUTARCHUS in *Craſſo*, *pag.* 564. complures ex Mileſia & Jonia pellices quaeſitas tradit.

CXV. Liberorum vero, quos ex juſtis uxoribus ſuſceperant, educatio & diſciplina ſummae curae Regibus erat. Ac proinde, ſtatim atque major natu Regis filius, quem proxima ſpes ſucceſſionis contingebat, in lucem editus erat, non is vili alicui & obſcurae mulierculae; verum, ut PLATO in *Alcibiade* I. *pag.* 441. ſcriptum reliquit, Eunuchis praeſtantiſſimis & optimis committebatur: quibus, praeter educationis onus, hoc etiam mandabatur, ut ejus membra componerent, dirigerentque; denique operam darent, omnique ratione providerent, quo puer quam pulcherrimus evaderet. Atque in magno pretio erant, quibus id negotii dabatur. Cum vero Puer ſeptimum aetatis annum attigiſſet, equitare diſcebat, eique Equeſtris diſciplinae periti magiſtri adhibebantur. Venatu quoque exerceri incipiebat. Anno autem decimo quarto in diſciplinam tradebatur iis, quos Regios Paedagogos appellabant. Erant hi viri ſelecti quatuor ex his, qui ſapientiſſimi, juſtiſſimi, temperantiſſimi, & fortiſſimi apud Perſas haberentur. Quorum primus, prudentia inſignis, Magiam docebat Zoroaſtris, Horomazi filii, quae in deorum cultu verſabatur: Tradebat & ille regia inſtituta. Alter, juſtitia commendatus, puerum inſtituebat veritatem toto vitae curriculo amplexari. Tertius, temperantia praeſtans, docebat, domitas habere libidines, voluptatemque corporis (quam *omnium malorum matrem* CICERO *libr.* I. *de Legib. cap.* 17. vocat: quaque nullam *capitaliorem* eſſe *peſtem*, idem *libr. de Senectute*, *cap.* 12. tradit) aſpernari. Quartus, fortitudine praelucens, in eo laborabat, ut puerum impavidum intrepidumque redderet, ne metu frangeretur, aut debilitaretur. Ex quo Platonis loco Magiae dignitatem adſerere conatur APULEJUS *Apolog.* I. *pag.* 447. Etenim, poſt ipſa Platonis verba relata, ſubjicit: *Auditiſne, Magiam, qui eam temere accuſatis, artem eſſe diis immortalibus acceptam, colendi eos ac venerandi pergnaram, piam ſcilicet & divini ſcientem jam inde a Zoroaſtre & Oromazo auctoribus ſuis nobilem, coelitum antiſtitem, quippe inter prima regalia docetur, nec ulli temere inter Perſas conceſſum eſt Magum eſſe, haud magis quam regnare.* De illis vero Regiis Paedagogis haec CLEMENS ALEXANDRINUS *lib.* I. *Paedagog. cap.* VII. *pag.* 131. ſcribit: Οὐκ ἔλαθεν ἡμᾶς οἱ παρὰ Πέρσαις βασίλειοι καλούμενοι Παιδαγωγοί, οὓς τέτταρας τὸν ἀριθμὸν ἀριστίνδην ἐκλέγοντες ἐκ πάντων Περσῶν, οἱ βασιλεῖς Περσῶν τοῖς σφῶν αὐτῶν ἐφίστων παισίν. *Neque latent nos, qui apud Perſas regii vocantur Paedagogi, quos numero quatuor ex optimis quibuſque omnium Perſarum lectos, reges Perſarum ſuis praeficiebant liberis.* Sed & a mulieribus atque Eunuchis Regûm liberos educatos fuiſſe, PLATO *lib.* III. *de Legib. pag.* 815. *ſeq.* ſcribit.

CXVI. Verum ut ad Regum cottidianae vitae conſuetudinem accedam, illud apud Perſas nunquam ſatis laudatum inſtitutum viguit, quod, ut apud HOMERUM ad Agamemnonem a ſomno excitandum miſſum inſomnium, his eum verbis acuit: (*Iliad. B. v.* 24.)

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
Ὧι λαοί τ' ἐπιτετράφαται καὶ τόσσα μέμηλε.

Turpe viro totam conſulto ſtertere noctem,
Cui populique ſalus, & tanta negotia curae:

ſic Perſarum reges ab uno de cubiculariis ſuis mane cottidie excitari conſueverant, ut ad regni procurationem, ipſis a Deo concreditam, ſuſcipiendam, e lecto ſurgerent: quemadmodum PLUTARCHUS in *libr.* πρὸς ἡγεμόνα ἀπαίδ. ſive *ad Principem indoctum*, *pag.* 78?. refert his verbis: Ὁ μὲν γὰρ Περσῶν βασιλεὺς ἕνα τῶν κατευναστῶν εἶχεν αὐτὸ τοῦτο τεταγμένον, ὥστε ἕωθεν εἰσιόντα λέγειν πρὸς αὐτόν· Ἀνίστω, ὦ Βασιλεῦ, καὶ φρόντιζε πραγμάτων, ὧν σε φροντίζειν ὁ Μεσορομάσδης ἠθέλησεν. *Rex Perſarum unum de cubiculariis ad hoc habebat conſtitutum, ut mane ad regem ingrediens diceret: ſurge, o rex, & curam rerum gere, quas Te curare Meſoromaſdes voluit.* Quinetiam, ex quo Athenienſes incendio Sardes deleverunt, uni ex miniſtris imperaſſe Xerxem (*b*) ut prandio appoſito, ter ei inclamaret, Δέσποτα, μέμνεο τῶν Ἀθηναίων. *Memento, Domine, Athenienſium*, HERODOTUS *libr.* V. *cap.* 105. auctor eſt.

CXVII. Reges plane cottidie rem divinam feciſſe conſtat: ejuſque rei gratia mille in ſingulos dies victimas, in his Boves, Aſinos, & Cervos, caedi conſueviſſe, ATHENAEUS *libr.* IV. *cap.* 10. *pag.* 145. refert. Sacra vero facientibus illis, Magi adſtabant: idque ex Cyri inſtituto. Is enim, ut XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 204. [p. 161.] narrat, populo planum facere ſtudens, res divinas ſibi curae & cordi eſſe, Magos inſtituit, ὑμνεῖν τε ἀεὶ, ἅμα τῇ ἡμέρᾳ, τοὺς θεοὺς, καὶ θύειν (*c*) δὲ ἑκάστην ἡμέραν, οἷς οἱ Μάγοι θεοῖς εἴποιεν. *Qui ſemper ſimul ac dies*

(*a*) DICITUR] Vide PLUTARCHUM in vita *Themiſtoclis*, *pag.* 125. TR.

(*b*) XERXEM] Immo Darium. TR.
(*c*) Editi ἀν' ἑκ. L.

dies illuceſceret, Deos hymnis concelebrarent, ac quotidie ſacrificarent diis illis, quibus ipſi ſacrificandum pronunciarent. Eaque, uti a Cyro conſtituta erant, a ſucceſſoribus conſtantiſſime ſervata ſubjicit. STRABO quoque *libr.* XV. *pag.* 1045. (717.) apud Perſas Magos συνόντας τοῖς βασιλεῦσι διηγεμένους τὰ περὶ τοὺς θεοὺς, *cum regibus converſatos, quae ad Deos ſpectabant, iis expoſuiſſe*, tradit. Praeſentibus ergo Magis Rex hoſtias immolabat. PHILOSTRATUS *libr.* I. *de vita Apollonii, cap.* 29. his verbis: ἔθυε μὲν θύσας, παρεῖναι τῶν Μάγων αὐτοῖς. τὰ γὰρ ἱερὰ ὑπ' ἐκείνοις δρᾶται. *Sacrificia, aſtantibus ſibi Magis, peragebat. (Rex) ſiquidem ſacra ſub eorum inſpectione fieri ſolent.* Eos etiam Regum conſiliis intimos fuiſſe, ſignificat DIO CHRYSOSTOMUS *Orat.* XLIX. *pag.* 538. illos inquiens conſtitutos, ἐπιστάτας τῷ βασιλεῖ καὶ ἄρχοντας: *adſeſſores regibus & principes.* Quod & PROCOPIUS *libr.* I. *de bello Perſico cap.* 3. *pag.* 229. (10) & *cap.* 5. *pag.* 233. (16.) adſtruit.

CXVIII. Perſarum autem Reges, priusquam ſacra facerent, de pietate diſſeruiſſe ac verba feciſſe, teſtis eſt STOBAEUS *Serm.* XLII. *pag.* 294. ex Serino, his verbis: Οἱ Περσῶν βασιλεῖς, πρὸ μὲν τῶν θυσιῶν, περὶ εὐσεβείας διαλέγονται αὐτοί· τῶν πότων, περὶ εὐφροσύνης· πολεμεῖν δὲ μέλλοντες, περὶ ἀνδρείας. *Perſarum reges, antequam ſacrificia perſagant, de pietate loquuntur: antequam bibant, de temperantia; bellum vero ingreſſuri de fortitudine.* Teſtatam utique pietatem ſuam reliquit Cyrus, eo decreto, quod *libr.* I. *Eſdrae cap.* V. *v.* 13. *ſeqq.* & *cap.* VI. *v.* 3. *ſeqq.* memoratur. Etenim non modo templum Dei Hieroſolymis inſtaurari permiſit: verum etiam ex arca ſua, de tributis, quae ei a regione trans flumen ſita pendebantur, ſumptus neceſſarios, ad opus abſolvendum ſuppeditari praecepit. Tauros quoque, oves, agnos, & quicquid ad rem divinam & ſacrificia opus eſſet, praeſtari, frumentum item, ſal, vinum & oleum, in dies dari ſacerdotibus juſſit: ut ſacra Deo immortali, & pro ſalute Regis, filiorumque ejus, vota facerent. Atque huic decreto idem Cyrus (*a*) ſanctionem, ſecundum LXX. *Interpretum* verſionem, ſubjecit hujuſmodi: *v.* 11. & 12. Καὶ ἀπ' ἐμοῦ ἐτέθη γνώμη, ὅτι πᾶς ἄνθρωπος, ὃς ἀλλάξει τὸ ῥῆμα τοῦτο, καθαιρεθήσεται ξύλον ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ (*b*) καὶ ὠρθωμένος παγήσεται ἐπ' αὐτοῦ, καὶ ὁ οἶκος αὐτοῦ. τὸ δὲ ὄνομα ἐκεῖ, καταστρέψαι πάντα βασιλέα, καὶ λαὸν, ὃς ἐκτενεῖ τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἀλλάξαι καὶ ἀφανίσαι τὸν οἶκον τοῦ θεοῦ ἐκεῖνον τὸν ἐν Ἱερουσαλήμ. *A me poſitum eſt decretum, ut quiſquis verbo huic contra fecerit, ex ejus aedibus lignum ſit auferendum, & ex erecto illo ipſe eum ſua familia ſit ſuſpendendus. (Deus, cujus habitat) ibi nomen, ſubvertat omnes reges atque populos, quicumque manus ſuas ad immutandam aut deſtruendam aedem Dei, quae Hieroſolymis eſt, extendere auſi fuerint.* Cui Cyri decreto Darius ſubſcripſit in hunc modum; Ἐγὼ Δαρεῖος ἔθηκα γνώμην, ἐπιμελῶς ἔστω. *Ego, Darius decrevi: diligentia curetur.*

CXIX. Quibus autem verbis idem Cyrus voluntatem ſuam de hac re populo ſibi ſubdito notam fecerit, eamque per omnes ditioni ſuae ſubjectas regiones promulgaverit, pete lector ex *cap.* I. *Eſdrae.* (*c*) unde & formulam, qua Edicta decretaque Regum Perſicorum concipi ſolebant, aliquatenus colligere licet.

CXX. Jam Cyri proceſſum e Regia, XENOPHON *libr.* VIII. Παιδ. Κύρ. *pag.* 213. *ſeqq.* accurate deſcribit, praefatus, unam hanc miſſe rationem Cyrum, qua majeſtatem Regibus conciliaret, imperiumque, cujus tutelam in majeſtate poſitam, ſcite Q. CURTIUS (*d*) pronuntiat, auguſtius venerabiliuſque efficeret. Hinc Imperatoris Juliani, qui Eunuchos, Cocos, Tonſores, palatio exegit, factum a pleriſque hoc nomine improbatum SOCRATES *libr.* III. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* I. tradit: Ὅτι πανομένη ἡ ἐκ τῆς βασιλικῆς πλέτω τοῖς πολλοῖς ἐγγινομένη κατάπληξις, ἀπερι φρόνητος ἐποίει τὴν βασιλείαν. Id eſt, ut CASSIODORUS *libr.* VI. *Hiſtor. Triport. cap.* I. vertit, *quod remoto faſtu palatii, contemptibile videretur imperium.* Perſarum ergo Rex, Regia egrediens, ut Deos ſalutatum iret, vel iis ſacra faceret, hac pompa procedebat: (ipſamet enim de ea re XENOPHONTIS verba *pag.* 214. ponam) Στῖχοι εἱστήκεσαν ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῆς ὁδοῦ ὥσπερ καὶ νῦν ἔτι ἵστανται, ᾗ ἂν βασιλεὺς μέλλῃ ἐλαύνειν, ὧν ἐντὸς οὐδενὶ ἔστιν εἰσιέναι τῶν μὴ τετιμημένων. μαστιγοφόροι δὲ καθέστασαν οἳ ἔπαιον εἴ τις ἐνοχλοίη. Quibus verbis declarat, ordines ex utraque viarum, per quas rex inceſſurus erat, parte poſitos: intra quos cancellos nemini praeter Honoratos ingreſſus patebat. Maſtigophori eos, qui ordines interturbarent, ſummovebant. Pro foribus autem Regiae, ſeu palatii, haſtati erant, & equites ex equis deſcendebant. Apertis vero Regiae foribus, ut idem Xenophon tradit, primum quidem ducebantur tauri eximii quaterni, Jovi & aliis Diis, quibus rem divinam faciendam eſſe Magi ſtatuebant. Poſt hos ducebantur equi, Soli grata & accepta hoſtia. Poſtea educebatur currus albis equis junctus, aureum habens jugum, coronis redimitus, Jovi ſacer: poſtea Solis currus, albis quoque equis vectus, eodemque modo coronatus, ut prior. Educebatur deinde tertius alius currus, cujus equi puniceum ſtratum habebant: pone currum ſequebantur homines, Ignem ferentes in foco ingenti. Poſtea exibat Rex, curru vectus, ſectam habens Tiaram, & amiculum purpureum albo diſtinctum, & circa crura braccas purpureas. Cognati etiam ejus iiſdem inſignibus erant conſpicui. Regis autem exercitae erant extra manicas manus. Procedente vero curru, praecedebant quatuor millia ſcutatorum. Currum practerea ab utraque parte circumdabant bis mille haſtati. Subſequebantur & Sceptrigeri, equis inſidentes, cum jaculis, circiter trecenti. Equi deinde, qui Cyro alebantur, aureis frenis ornati adducebantur circiter ducenti. Hos ſequebantur ter mille Perſae: poſtremo loco equites Medi, Armenii, Hircani.

CXXI. Toties autem a me in hiſce commentariis petitas ex XENOPHONTIS *libris* περὶ παιδ. Κύρ. auctoritates, non eſt quod quis in dubium vocet, hoc obtentu, quod eos libros CICERO *lib.* I. ad *Q. Frat. Epiſt.* I. non ad hiſtoriae fidem,

(*a*) CYRUS] Haec ſanctio ibi Dario adſcribitur: non tamen improbabile, eam ex Edicto Cyri fuiſſe translatam. TR.

(*b*) Καὶ] Verba ſequentia emendatiora & pleniora ita leguntur in *ed. Lamb. Bos*: καὶ ὠρθωμένος πληγήσεται ἐπ' αὐτοῦ, καὶ ὁ οἶκος αὐτοῦ τὸ κατ' ἐμὲ ποιηθήσεται. Καὶ ὁ Θεὸς, οὗ κατασκηνοῖ τὸ ὄνομα &c.

(*c*) ESDRAE] *Lib.* ſcilicet I. Adde *lib.* III. *Eſdrae, cap.* 2. TR.

(*d*) CURTIUS] Reſpicit ſine dubio auctor ad locum *lib.* VIII. *cap.* 5. §. 11. TR.

dem, ſed ad effigiem juſti imperii ſcriptos cenſuerit. Nam, quod ad Perſicos ritus & mores attinet, nihil a vero alienum ſe comminiſci ipſemet profitetur: adſerens non ſemel, ſuis etiamnum temporibus ſervata ea, quae a Cyro inſtituta praedicat. Oculati autem teſtis, & qui tot Perſici imperii regiones peragraſſet, quis eſt, qui fidem elevare auſit? Plane quod is hac in parte tradit, teſtimonio quoque HERODOTI & CURTII confirmatur: quorum verba, quod ad aciei ordinem pertinent, in extremum librum rejeci. Illud dumtaxat in tranſitu notandum moneo, quod de Igne, qui Regi praeferebatur, XENOPHON perſtringit. Erat enim hic ſacer & aeternus ignis, de quo AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIII. *cap.* 6. *ferunt*, ait, (de Magis loquitur) *ſi juſtum eſt credi, etiam ignem coelitus lapſum, apud ſe ſempiternis foculis cuſtodiri: cujus portionem exiguam, ut fauſtam, praeiſſe quondam Aſiaticis Regibus dicunt*: quem quidem ignem, poſt Regum exceſſum, extinctum, ſupra demonſtravimus.

CXXII. Sane Perſarum Rex, vix umquam pedibus incedens, aut de plano ſui copiam populo faciebat: ſed vel curru vectus, aut in equo ſedens, Regiam egrediebatur: nec aliter conſpiciendum ſe, extra Regiam, praebebat. Idque majeſtatis conſervandae cauſa invaluiſſe veriſimile eſt: cujus recepti moris teſtis eſt ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* 21. *pag.* 514. *Dipnoſophiſt.* qui de Rege Perſarum loquens, Ὅτι, ait, εἰς τὴν ἐξωτέραν αὐλὴν ἐλθὼν, ἀνέβαινεν ἐπὶ τὸ ἅρμα, ἐνίοτε δὲ καὶ ἐφ᾽ ἵππου, πεζὸς δὲ οὐδέποτε ὤφθη ἔξω τῆς βασιλείας. *Ad exteriorem aulam cum veniſſet, in currum aſcendebat, & aliquando in equum, nunquam enim pedes extra regiam conſpiciebatur.* Quin etiam ſi quando per Melophororum aulam pedibus incedebat, ſubſterni conſueviſſe ψιλοτάπιδας Σαρδιανὰς, ἐφ᾽ ὧν οὐδεὶς ἄλλος ἐπέβαινεν, ἢ βασιλεύς. *Tapetes glabros Sardianos, per quos incedere alii nemini, quam regi, conceſſum erat*, idem ATHENAEUS *eodem libro* teſtatur. Equum autem, in quem Rex aſcendebat, χρυσοχάλινον, *aureo freno ornatum* fuiſſe, XENOPHON *libr.* 1. παιδ. Κύρ. *pag.* 8. docet. Plerumque vero in rheda Perſarum Reges vehi, atque adeo in ipſis praeliis currum inſcendere conſueverant. Et ita Darium *triumphantis magis*, quam *dimicantis more*, curru ſublimem, praelium cum Alexandro iniiſſe, Q. CURTIUS *libr.* III. *cap.* 11. §. 7. & *libr.* IV. *cap.* 1. *princ.* & *cap.* 14. §. 9. & *cap.* 15. *paſſim*, narrat. Idem *libr.* V. *cap.* 10. §. 13. *Darius, ſigno ad eundum dato, currum, priſtino more, conſcendit.* Albis autem equis tractos Regum currus, indicat SENECA *libr.* III. *de Ira*, *cap.* XXI. ubi de Cyro, qui Gynden, late fuſum amnem, vado tranſire tentavit, verba faciens, *ibi*, ait, *unus ex his equis, qui trahere Regium currum albi ſolebant, abreptus, vehementer commovit Regem.* A LUCIANO utique in *Timone*, *cap.* 20. *pag.* 131. & in *libr. de Mercede conductis*, *cap.* 3. *pag.* 654. & in *Epiſtolis Saturni*, *cap.* 29. *pag.* 410. *Tom.* III. & in *Somnio*, ſive *Gallo*, *cap.* 12. *pag.* 719. *Tom.* II. λευκὸν ζεῦγος, in deliciarum argumento ponitur. Ad eam rem Perſarum Reges Niſaeis equis utebantur. Ita HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 40. Xerxem vectum ait, ἐφ᾽ ἅρματος ἵππων Νησαίων. *Curru, quem Niſaei equi trahebant.* Niſaeos autem equos, a regione quadam Mediae, quae ingentes equos ferebat, nomen traxiſſe, HERODOTUS ibidem tradit. Ἔστι, ait ille, πεδίον μέγα τῆς Μηδικῆς, τῷ οὔνομά ἐστι Νήσαιον. τοὺς ὦν δὴ ἵππους τοὺς μεγάλους φέρει τὸ πεδίον τοῦτο. *Eſt ingens Medicae regionis campus, nomine Niſaeus, qui grandes fert equos.* Quorum equorum praeſtantiam DIO CHRYSOSTOMUS *Oration.* 1. *de Regno* (*a*), & MAXIMUS TYR. *Serm.* XXXIV. (IV. *cap.* 4. *pag.* 35.) celebrant. THEMISTIUS *Oration.* V. (XIX. *princ. pag.* 226.) Ἢ ὅτι χρυσᾶ ἅρματα αὐτοῦ προπέμπειν Νησαίων ἵππων. *Aut quod aureos in pompa praemiſit currus cum equis Niſaeis.* Hujuſmodi vero equos albos fuiſſe, indicat PHILOSTRATUS *libr.* I. *de vita Apollonii*, *cap.* 31. cum de Rege Perſarum loquens, ait: Λευκὸν δὲ ἄγειν ἵππον, τῶν σφόδρα Νισαίων, καταθύσειν ἤμελλε. *Album equum, qui ex Niſaeis potiſſimum erat, mactare volebat.* Quot autem impedimenta ſecum, Heliogabali aetate, Reges Perſarum iter facientes ducerent, oſtendit LAMPRIDIUS in *Heliogabalo*, *cap.* 31. *Sexcenta*, inquiens, *vehicula dicitur duxiſſe, adſerens, decem millibus Camelorum Perſarum Regem iter facere.* Cum vero Rex Perſarum curru deſcenderet, neque deſiliebat, quamvis exigua eſſet altitudo a terra; neque hominum manibus fulciebatur: ſed aurea ſella illi ſemper apponebatur, cui pedes imponens, deſcendebat. Ejus rei ergo, unus e Regis famulis ſellam ferens, currum ſemper ſequebatur, ut auctor eſt ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* 2. *pag.* 514.

CXXIII. Perſarum vero Rex, iter vehiculo faciens, temporis fallendi, taediique vitandi cauſa, Philyrium, & quo id ſcinderet, cultellum, manibus tenebat, quemadmodum AELIANUS *libr.* XIV. *Var. Hiſtor. cap.* XII. tradit. Prorſus enim, neque libri ullius lectioni vacabat, nec cogitationes in res aliquas ſerias aut graves impendebat. Qua potiſſimum de cauſa, Perſarum Reges, SENECA *libr.* III. *de Ira*, *cap.* XVII. *Barbaros* vocare non dubitavit, *quos nulla eruditio, nullus literarum cultus imbuerat.* Cum autem e Perſide in Mediam migrabat Rex, quod ea Regio ſcorpiis infeſtabatur, triduo antequam itineri ſe committeret, omnibus ejus tractus incolis venationem ſcorpiorum indicebat: & eum, qui quamplurimos confeciſſet, muneribus donabat, ut idem AELIANUS *libr.* XV. *de Animalibus*, *cap.* XXVI. refert.

CXXIV. Solebant autem & Perſarum Reges, veteri inſtituto, omnes ditionis ſuae provincias obire, luſtrare, peragrare, ut XENOPHON in *Oeconomico*, ſive *Memorab. lib.* V. *pag.* 828. & ARISTIDES *Oratione de Roma*, *pag.* 202. *ſeq. Tom.* 1. tradit. Id quod, Oebari monitu & hortatu, Cyrum inſtituiſſe credibile eſt. Primus enim illic, Ariſtide teſte, Cyrum longinquam peregrinationem gravate ferentem monuiſſe fertur, prorſus illi, nollet vellet, excurſiones ejuſmodi faciendas, ſi quidem imperio potiri cuperet: in eamque rem utris ſimilitudine uſum, qui inflatus ac turgidus pede facile premeretur coërceretürque: ſublato vero ac remoto pede, mox exurgeret; rurſuſque calcatus ſubſideret.

CXXV. Ac plane PLINIUS in *Panegyrico cap.* 80. veri principis munus eſſe ait, *reconciliare aemulas civitates, tumenteſque populos non imperio magis, quam ratione, compeſcere, intercedere iniquitatibus Magiſtratuum, infectumque reddere,* quic-

(*a*) REGNO] In hac *Orat.* nihil ego de hiſce equis reperi. Mentionem vero eorum feci in *Orat. Boryſthenica*, ex quo locum huc ſpectantem affert auctor infra *lib.* II. §. LXII. TR.

quicquid fieri non oportuerit: poſtremo, velociſſimi ſyderis more, omnia inviſere, omnia audire, & undecunque invocatum, ſtatim, velut numen, adeſſe & aſſiſtere. Ad eas vero provincias, quas adeundi, & oculis ſuis inſpiciendi facultas non dabatur, fidos Legatos, qui earum ſtatum vice ſua explorarent, ſibique renuntiarent, mittebat. Atque ubi, vel per ſe, vel aliorum relatu, rectores moderatoreſque provinciarum perbelle officium ſuum facere, beneque & ex provincialium utilitate provincias regere comperiſſet, hominumque multitudine affluere urbes, agros optime cultos, & arboribus conſitos, &, uberi fructuum proventu, copiis abundare reſciſſet: illarum Praeſides & rectores non minus muneribus, quam laudibus honoribuſque auctos, ad alias dignitates promovebat: eiſque regendas alias provincias mandabat. Qui vero per ſocordiam & ignaviam exhauſtam, ac tenuem, incoliſque infrequentem provinciam reliquiſſe deprehendebantur, eos, graviter multatos, poteſtate eis decreta abdicabat.

CXXVI. Sane Perſarum Reges ſummopere ſatagebant, ut civitates, quae in eorum regno & ditione erant, bene ac beate habitarentur, propterea quod, ut Libanius *libr. 11. Epiſtol.* ait, τὰς πόλεις οἰκεῖσθαι καλῶς, βασιλείας ἐστὶν ἀσφάλεια, *regnum, cujus urbes bene habitentur, firmum atque tutum ſit.* Popularium ergo quietem, & otium, totamque diſciplinam publicam, non minus quam rem militarem, & bellica munia, ad curam & ſollicitudinem ſuam revocabant: ſtudiumque adhibebant, ut omni remoto metu, agricolae agris colendis, negotiatores mercaturis faciendis, opifices mechanicis artibus exercendis, libere vacarent. Eoque modo Tributis, in quibus nervi Reipubl. poſiti ſunt, conſulebant: prudenter cogitantes, male & negligenter cultis agris, aut opificibus ferias agentibus, artiumque ſuarum exercitio prohibitis, tributa pendi non poſſe. Καὶ γὰρ, χώραν ... (ut ait in *Oeconomico*; ſive *Memorab. lib. v. pag. 829. [p. 654.]* Xenophon) οἱ κακῶς τὴν χώραν ἐργαζόμενοι, οὔτε τὰς φρουρὰς τρέφουσιν, οὔτε τοὺς δασμοὺς δύναιντ') ἀποδιδόναι. *Illi, qui terram male colunt, neque praeſidiarios alunt, neque tributa poſſunt pendere.* Itaque ut a vi & injuria ſarta tectaque oppida tuerentur, nec ullam agricolae opificeſve ignaviae inertiaeque ſuae cauſam praetenderent, rationem invenerunt, qua ſecuritatem ſubditis praeſtantes, eorum induſtriam acuerent: eoque modo, dum agrorum culturae, & opificiis ſingulorum animi intenti eſſent, cum frugibus, tum etiam & aliis, quae ad victum cultumque corporis neceſſaria erant, regio quaeque abundaret. Hoc conſilio & hac mente, quorumdam Magiſtratuum fidei urbes & regiones committebant, aliis arcium cuſtodiam cum praeſidiis credebant, &, ut Xenophon in *Oeconomico l. c.* ait, alios conſtituebant ἄρχοντας τῶν κατοικούντων τε, καὶ ἐργαζομένων, *qui incolis & operas facientibus praeeſſent*, ſimulque, τῶν ἔργων ἐπιμελουμένους, *qui operum faciendorum curam gererent*: alios vero, ἄρχοντας τῶν ὡπλισμένων φρουρῶν, *qui praeſidiis armatis praeeſſent*, quos & φρουράρχους appellat. Illorum muneri incumbebat, δασμὸς ἐκ τῶν κατοικούντων καὶ ἐργαζομένων ἐκλέγειν, *vectigalia de incolis & opera facientibus colligere.* Et ſi quidem mandatum ſibi munus Phrurarchus, ſeu Arcis cuſtos, non obiret, nec ab urbis & regionis incolis vim injuriamque propulſaret, ejus nomen Praefectus urbi (*a*) apud Principem deferebat: ac ſocordiae incuriaeque reum poſtulabat, quod opus facere, & artes ſuas exercere, διὰ τὴν ἀφυλαξίαν, *ob cuſtodiae negligentiam*, incolae non poſſent. Contra, ſi Arcis praefecto ſecuritatem & pacem ita conciliante, ut quaelibet opera tuto exerceri poſſent, Praefectus urbi nihilominus ὀλιγάνθρωπόν τε καὶ ἀργὸν τὴν χώραν, *nec frequentem, nec cultam regionem*, haberet, ignavumque deſidere populum pateretur, eum, quaſi impoſitam ſibi a Rege perſonam non ex fide, nec ex utilitate publica ſuſtineret, reum Phrurarchus agebat. Atque ita alter alterum, ſi in officio male negligenterve verſaretur, obſervabat.

CXXVII. Jam vero Perſarum Reges jus dicere conſuevisse Josephus *libr. xi. Antiq. Jud. cap. iii.* oſtendit. Ipſam quoque Semiramidem cum Regio capitis inſigni, e ſolio, jura reddidiſſe, Plutarchus ἐν Ἐρωτικῷ. ſive *Amatoria, pag. 753.* declarat. Loci autem, in quo Perſarum Reges jus dicebant, admirabilem ornatum Philostratus *libr. 1. de vita Apollonii, cap. 25.* ita deſcribit; Φασὶ δὲ καὶ ἀνδρῶνι ἐντυχεῖν, οὗ τὸν ὄροφον, ἐς θόλου ἀνῆχθαι σχῆμα, οὐρανῷ τινι εἰκασμένον, σαπφειρίνῃ δὲ αὐτὸν κατηρέφθαι λίθῳ. κυανωτάτη δὲ ἡ λίθος, καὶ οὐρανία ἰδεῖν. θεῶν τε ἀγάλματα, οὓς νομίζουσιν, ἵδρυται ἄνω, καὶ χρυσᾶ φαίνεται, καθάπερ ἐκ τοῦ αἰθέρος. δικάζει μὲν δὴ ὁ βασιλεὺς ἐνταῦθα. χρυσαῖ δὲ ἴυγγες ἀποκρέμανται τοῦ ὀρόφου τέτταρες, τὴν Ἀδράστειαν αὐτῷ παρεγγυῶσαι, καὶ τὸ μὴ ὑπὲρ τοὺς ἀνθρώπους αἴρεσθαι. ταύτας οἱ μάγοι αὐτοί φασιν ἁρμόττεσθαι, φοιτῶντες ἐς τὰ βασίλεια, καλοῦσι δὲ αὐτὰς θεῶν γλώττας. *Ferunt autem & in porticum veniſſe, cujus ſuprema pars, in formam clypei fabricata, coeli faciem imitabatur, Sapphiro lapide extrinſecus adoperta, qui lapis maxime coeruleus coeli colorem refert, ubi eorum, quos ipſi deos habent, imagines ex auro, tanquam aetheris colorem imitantes, ſculptae erant. Is autem locus eſt, ubi rex jus dicere conſuevit. Ex teſtudine vero aviculae quatuor aureae pendebant; quas* ἴυγγας *nominant, ultionis deam ſignificantes, admonenteſque regem, ne ſe ſupra hominem efferret, eas vero dicunt Magos, cum in regiam veniſſent, juſſiſſe fieri. Vocant autem ipſas deorum linguas.*

CXXVIII. De capitalibus vero cauſis, ipſos etiam Reges Perſarum, cognoſcere ſtatuereque ſolitos, conſtat: & quod in principe exigebat Claudianus, ut eſſet *piger ad poenas, ad praemia velox*, hoc mihi Perſarum Reges praeſtitiſſe videntur. Etenim recta locum reputantes via, nullam unquam de morte hominis cunctationem longam cenſeri, propeque eſſe, ut lubenter condemnent, qui cito: neminem unquam propere feſtinanterve damnabant: nec inauditum quemquam, aut indicta cauſa, ad ſupplicium duci jubebant. Quamobrem vel graviſſimorum facinorum & criminum reos, carcere per aliquod temporis ſpatium contineri, ac de criminibus objectis interrogari curabant. Et ita, mora aliqua interpoſita, plerumque etiam quaeſtione habita, de capite ſententiam ferebant. Quod Epiphanius *libr. 11. Tom. 11. cap. 2.* de *Manichaeis* (*Haereſ. 66. §. 4.*) oſtendit, de Mane loquens in hunc modum: Πρόσταγμα δὲ βασιλικὸν ἐφθάκει εἰς τὸ δεσμωτήριον. ὁ γὰρ ... τῶν Περσῶν βασιλεὺς, ... τιμωρίας, ... τῆς μείζονος αἰτίας, τῶν ... ἐκφέρων· ἀλλὰ περιστοιχίσαι ... θανάτῳ

(*a*) Praefectus urbi] Haec quidem verba duo, neque in *prima auctoris*, neque in *Sylburgii ed.* leguntur: non male tamen a *Lederlino* ſuppleta ſunt: licet & ſine expreſſa poſitione facile ſubintelligantur. TR.

ψῆφον, μετὰ θανάτου τὰς ἐπικινδυνευμένας διατίθεσθαι. *Juſſu regis in vincula conjicitur. Neque enim Perſarum reges in gravioris delicti reos ſubinde ſupplicia decernunt; ſed exquiſitiori quodam mortis excogitato genere, tormentis prius illos ac quaeſtioni ſubjiciunt.*

CXXIX. Ac nec ob unum aliquod admiſſum, in reos, nocenteſve facinoris convictos, animadverti moris erat: ſed ita demum, ſi comparatis eorum inter ſe, bene, vel male, factis, mala praevalere praeponderareque liqueret. Et certe, inter reliqua Perſarum inſtituta, hoc HERODOTUS *lib.* I. *cap.* 137. laudat vel maxime; τὸ μὴ μιῆς αἰτίης εἵνεκα, μήτε αὐτὸν τὸν βασιλέα μηδένα φονεύειν, μήτε τῶν ἄλλων Περσέων μηδένα τῶν (a) ἑωυτοῦ οἰκετέων, ἐπὶ μιῇ αἰτίῃ ἀνήκεστον πάθος ἔρδειν· ἀλλὰ λογισάμενος, ἢν εὑρίσκῃ πλέω τε καὶ μέζω τὰ ἀδικήματα ἐόντα τῶν ὑπουργημάτων, οὕτω τῷ θυμῷ χρᾶται), *quod ob unam tantum culpam, nec ipſi regi occidere quempiam, nec alicui aliorum Perſarum liceat atrocius aliquid in familiam ſuam ſtatuere ob unum ſolum delictum: ſed ubi conſideraverit, ſi peccata commiſſa plura majoraque eſſe comperiat, quam obſequia praeſtita, tum demum iram ſuam exercet.* Quod & ſignificat ARISTIDES περὶ παραφθέγματος, *pag.* 401. *Tom.* II. cum ait: Καὶ οὐδὲ τὴν Περσικὴν καὶ Λακωνικὴν τάξιν τῆς δίκης (b) ἐκύρωσας· οὐδὲ ἔδωκας τὰ ὀλίγα τοῖς πολλοῖς, καὶ τὰ ἐλάττω τοῖς μείζοσιν. *Neque Perſicum Laconicumque inſtitutum probaveris, neque condonaveris pauca ob plura, neque minora ob majora.* Ergo ſi quem in periculum capitis, famae, exiſtimationis, adduci, eoque nomine in judicium vocari contingeret: totius ante actae vitae ratio habebatur: & in judicando, non minus ea, quae praeclare ac fortiter geſſerat, quam ea, quae commiſiſſe arguebatur, crimina, perpendebantur, numerabantur, ponderabantur: & utriſque in librae examine poſitis, utram in partem lanx propenderet ac vergeret, ſpectabatur. Et quidem, ſi rei in Rempub. merita, delictorum numero ac pondere ſuperiora eſſent, Abſolutio; ſin ſecus, Condemnatio ſequebatur. Itaque cum Sandocem, ex Regiis judicibus unum, Darius in crucem idcirco agi juſſiſſet, ὅτι ἐπὶ χρήμασι ἄδικον δίκην ἐδίκασε, *quod pecunia corruptus iniquam ſententiam tuliſſet*: poſtea, ἀνακρεμασθέντος αὐτοῦ, ἀναλογιζόμενος (c) ὁ Δαρεῖος, εὗρέ οἱ πλέω ἀγαθὰ τῶν ἁμαρτημάτων πεποιημένα ἐς οἶκον τὸν βασιλήιον. εὑρὼν δὲ τοῦτο ὁ Δαρεῖος, καὶ γνοὺς ὡς ταχύτερα αὐτὸς ἢ σοφώτερα ἐργασμένος ὤν, ἔλυσε. *Eo jam in cruce ſuſpenſo rem ſecum reputans Darius, plura peccatis eſſe beneficia in regiam domum collata reperit, quo cognito, cum ſimul properantius, quam prudentius, eum egiſſe didiciſſet, hominem ſolvi juſſit*: quemadmodum HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 194. ſcribit: atque ita vitae quodammodo redditum, ſalvum evaſiſſe narrat. Atque hoc modo publicae domeſticaeque quaeſtiones exercebantur: parique cauſae cognitione adhibita, a Regibus & Magiſtratibus, & a patribus intra privatos parietes, judicia reddebantur.

CXXX. At ſemel latam de capite ſententiam, ne Regi quidem revocare retractareque licuiſſe, argumento eſt, quod DIODORUS *libr.* XVII. *cap.* 30. *pag.* 182. (*St.* 577. *Rb.* 510.) de Dario refert (*d*), qui cum Charidemum duci ad mortem juſſiſſet, εὐθὺς, ait, μετενόησε, καὶ κατεμέμψατο ἑαυτὸν, ὡς τὰ μέγιστα ἡμαρτηκότα· ἀλλ᾽ οὐ γὰρ ἦν δυνατὸν τὸ γεγονὸς διὰ τῆς βασιλικῆς ἐξουσίας ἀγένητον κατασκευάσαι. *Statim poenitentia ductus ſe net incuſabat, ut qui maximum peccatum admiſiſſet: ſed regia poteſtas, quod factum erat, infectum reddere non poterat.* Cum vero in aliquos lege agi, capiteque animadverti jubebat Rex, hi zona prehenſi, lictoribus apparitoribuſque tradi ſolebant, a quibus protinus ad ſupplicium rapiebantur. Teſtis XENOPHON *libr.* I. Ἀναβάσ. *pag.* 260. [*p.* 205.] Μετὰ ταῦτα κελεύοντος Κύρου ἔλαβον τῆς ζώνης τὸν Ὀρόνταν ἐπὶ θανάτῳ, ἅπαντες ἀναστάντες καὶ οἱ συγγενεῖς, εἶτα δὲ ἐξῆγον αὐτὸν οἷς προσετάχθη. *Poſtea jubente rege, Zona prehendunt Orontem ad necem, ſurgentes univerſi, atque in his etiam ejus propinqui. deinde, quibus hoc negotii datum erat, ipſum educebant.* Apertius DIODORUS *libr.* XVII. *l. c.* Ὁ μὲν Δαρεῖος, ἐπιλαβόμενος τῆς τοῦ Χαριδήμου ζώνης, κατὰ τὸν τῶν Περσῶν νόμον, παρέδωκε τοῖς ὑπηρέταις, καὶ προσέταξεν ἀποκτεῖναι (*e*). *Darius prehenſa Charidemi Zona, ex lege Perſarum, tradit eum miniſtris, jubetque occidi.* Ejus etiam, in quem Rex ita accenſus incandeſceret, caput obnubi ſolitum (*f*), & ita e Regis conſpectu ſubductum Hebraei, interpretes ad *cap.* VII. *Eſther.* *v.* 8. notant.

CXXXI. Enimvero ad moratoriam illam Regum in capitalibus judiciis cunctationem, plerumque etiam humanitas accedebat. AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXX. *cap.* 8. Inter cetera Valentiniani vitia, hoc vel praecipue notat,

(a) Ἑωυτοῦ] Prior edit. ἑαυτοῦ, & mox μιᾶς, item πλείω legebat, pro quibus ex Herodot. ἑωυτοῦ, μιῆς & πλέω repoſui. habebat & prior editio in fine hujus ἐόντα, οὕτω τῷ θυμῷ κρατεῖ. pro quibus ex editis οὕτω τῷ θυμῷ χρᾶται in textum recepi. L.

(b) Ἐκύρωσας] Κυρήσεως & ἔδωκαν Sylb. editio agnoſcebat. pro quibus, ἐκύρωσας & ἔδωκας ex edito Ariſtide textui reddidi. Locus eſt in fine orationis περὶ παραφθέγματος, p. m. 56. b. L. In poſteriori verbo cum editis conſentit prima auctoris *ed.* non in priori, vitio ſine dubio typographico, quod *Sylb.* non vidit. Eſt & elegans huc pertinens locus ARISTIDIS in *Orat. Platon.* II. *pag.* 254. *Tom.* II. Πῶς οὐκ ὀρθῶς εἶχε μιμήσασθαι τὸ τῶν Περσῶν; ἐκείνοις γάρ φασιν εἶναι νόμον, ἄν τις αὐτῶν ᾐτιαμένος ᾖ τινα φαύλην αἰτίαν, μὴ πρότερον καταψηφίσασθαι, μηδ᾽ ἂν ἐλέγχηται, πρὶν ἂν τὰ ἀμφότερα ἐξετάσωσιν, ἅττα δὲ, καὶ ἃ ἡμαρτεν, ... χείρω νικώη· ὅταν δὲ τὰ τῶν εὐεργεσιῶν ... καὶ τοῖς φανεροῖς ἀδικοίη, ἀφιᾶσι ... *Cur Perſas imitandos non putaſti? Apud hos enim legibus cautum ferunt, ne quis, cui ſit aliquod crimen impoſitum, prius condemnetur, etiam convictus, quam inter ſe comparatis ejus recte & male factis, mala praeponderare deprehendantur: ſin bene facta ſint plura, quamvis manifeſtum ſit crimen, ut abſolvatur.* TR.

(c) Ἀναλογιζόμενος] Jacobus Gronovius ex *Cod.* ſuo MS. cui plurimum (neſcio, an interdum nimium) defert, hic legit λογιζόμενος, & deinde verba εὗρέ οἱ delet; circa finem vero h. l. ἐργασμένος. Sequens verbum ὤν, quod obiter moneo, ex editis ſupplevit *Sylburgius*, cum in prima editione deeſſet. TR.

(d) REFERT] Male auctor ex hoc loco colligit, ſententiam ſemel latam irrevocabilem fuiſſe apud Perſas, quum nihil aliud dicat, quam factum infectum fieri non poſſe. Poenitentia enim poſt executionem, adeoque re non amplius integra, regem ſubibat. Notavit hoc etiam Cel. *Weſſeling.* in *notis* ad *h. l.* qui addit: *Verius advocaſſet Daniel. cap.* VI. *v.* 15. Sed ibi tamen non tam de ſententia, quam de lege ſermo eſt. Immo ſententiam a rege latam, re adhuc integra, ab eo revocari potuiſſe, colligo potius ex alio Diodori loco, qui infra affertur §. CLXIII. TR.

(e) Ἀποκτεῖναι] Cel. *Weſſelingius* in *not.* ad *h. l.* ex *Nicolai Damaſceni Excerptis*, *pag.* 533. notat, hunc morem a Medis originem habere: ſimulque ablegat nos ad *Freinshemii notas ad Curtium lib.* III. *cap.* 2. TR.

(f) SOLITUM] Hunc ritum non apud Perſas tantum, ſed apud alias quoque gentes obſervatum fuiſſe, recte notavit *Corn. Adami* in *Obſervat. Theologico-philologicis*, *cap.* 2. §. 25. ubi plures hac de re ſcriptores laudat. TR.

ret, quod ita erat effuſior ad nocendum, ut nullum aliquando damnatorum capitis, eriperet morte: cum multa imitari debuiſſet peregrina atque interna exempla, *Humanitatis*, & *Pietatis*: quas ſapientes, *conſanguineas virtutes* eſſe definiunt: quod Artaxerxis propoſito exemplo firmat in hunc modum: *Artaxerxes, Perſarum ille Rex potentiſſimus, quem Macrochira membri unius longitudo commemoravit, ſuppliciorum varietates, quas ſemper natio exercuit cruda, lenitate genuina caſtigans, Tiaras, ad vicem capitum quibuſdam noxiis amputabat: & ne ſecaret aures, more Regio, pro delictis, ex galeris fila pendentia praecidebat: quae temperantia morum ita tolerabilem eum fecit & verecundum, ut adnitentibus cunctis multos & mirabiles actus impleret, Graecis ſcriptoribus celebratos.* Quod breviter PLUTARCHUS in *Apophthegmat. pag.* 173. perſtrinxit, his verbis: Ἀρτοξέρξης, ὁ Ξέρξου, ὁ Μακρόχειρ προσαγορευθεὶς, διὰ τὸ τὴν ἑτέραν χεῖρα μακροτέραν ἔχειν (*a*), πρῶτος τοὺς ἁμαρτάνοντας τῶν ἡγεμόνων τιμωρίαν ἐκέλευσεν, ἀντὶ τοῦ τὸ σῶμα μαστιγοῦν, μαστιγοῦσθαι μὲν ἀποδυσαμένων τὰ ἱμάτια (*b*) καὶ ἀντὶ τοῦ τὴν κεφαλὴν ἀποτίλλεσθαι, τὴν τιάραν ἀποθεμένων. *Artaxerxes, Xerxis filius, Longimanus cognomento, quod alteram manum haberet longiorem, primus inſtituit, ut cum principes viri ſupplicio afficerentur, non corpora, ſed veſtes, quibus ſe exuiſſent, flagellarentur, nec caput amputaretur, ſed tiara, quam deponerent, velleretur.*

CXXII. Ceterum erant apud Perſas ſelecti Judices, βασιλῆες ſeu βασιλήϊοι δικασταί, *Regii Judices*, vocati, qui ex conſultiſſimis juris Perſarum legebantur: quorum erat perpetuus magiſtratus, nec niſi in demortui locum alius ſufficiebatur. Hi jus poſtulantibus reddebant, leges patrias interpretabantur, & ad eorum collegium controverſiae omnes referebantur; quemadmodum HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 31. memorat, ea parte, qua Cambyſem de jure connubii cum ſorore hujuſmodi Judices conſuluiſſe ſcribit. Unde emendandum credo HESYCHIUM, apud quem vulgo ſcriptum eſt: βασιλῆες, οἱ δικασταί, παρ' Ἡροδότῳ, οἱ βασιλεῖ παρεπόμενοι ἐγκαζόμενοι συνεπαιρόμενοι. *Regii Judices, apud Herodotum: qui Regi, ſi quid contra leges admittit, adverſantur.* Quod quam abſurdum ſit, nemo non videt. Scribendum igitur (*c*) βασιλήϊοι δικασταί. De rebus autem controverſiiſque omnibus Judices hoſce adiri Cyrus conſtituit, ut *libr.* VIII. Κύρ. παιδ. *pag.* 212. XENOPHON narrat. PLUTARCHUS etiam in *Artaxerxe, pag.* 1026. eum quaeſtionem de Darii conjuratione his Judicibus regiis mandaſſe prodidit, & ab his illum capite damnatum. Atque in hoc Judicum collegium ab Artaxerxe adſcitum cooptatumque Rhacocem Medum (*d*), quod adverſus filium triſtem & acerbam ſumma cum ſeveritate ſententiam dixiſſet, AELIANUS *libr.* I. *Var. Hiſtor. cap.* XXXIV. refert: ex quo & illud colligitur, eos provincias obiiſſe, quin etiam Regem, quaqua iter faceret, comitari ſolitos, indicio eſt, quod HERODOTUS *libro* III. *cap.* 14. refert, in Cambyſis adverſus Aegyptios expeditione, hujuſmodi regiorum Judicum decreto, morti addictos denos ex primoribus Aegyptiis, pro ſingulis Perſis, qui a Memphitanis caeſi fuerant.

CXXIII. Curabant autem Reges, ut quam integerrime jus a Regiis iſtis judicibus diceretur. Quamobrem cum ex eorum collegio unus, nomine Siſamnes, ob rem judicandam pecuniam cepiſſe convictus eſſet, Cambyſes ex corpore ejus detractam pellem ſellae intendit, in eaque filium ejus judicaturum conſidere juſſit. Qua atroci & nova poena, ne quis poſtea Judex corrumpi poſſet, providit, quemadmodum HERODOTUS *libr.* V. *cap.* 25. & VALERIUS MAX. *libr.* VI. *cap.* III. *ext.* 3. ſcribunt. AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIII. *cap.* 6. attigit, his verbis: *Nam quod ſuperſedere corio damnati ob iniquitatem Judicis, Judex alius cogebatur, aut finxit vetuſtas, aut olim receptu conſuetudine ceſſavit.* Eadem certe de cauſa & Darius Sandocem, nummarium judicem, hoc judicandi munere in comitatu ſuo fungentem, in crucem agi juſſit, quod pecunia corruptus male judicaſſet, quemadmodum HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 194. ſcribit: Τὸν δὲ πρότερον τούτων βασιλεὺς Δαρεῖος, ἐπ' αἰτίῃ τοιῇδε λαβὼν, ἀνεσταύρωσε, ὅτι ἐὼν τῶν βασιληΐων δικαστέων ὁ Σανδώκης ἐπὶ χρήμασι ἄδικον δίκην ἐδίκασε. *Quem ante Darius ob hanc cauſam captum cruci affixerat, quod cum e regiis judicibus eſſet, Sandoces pecunia corruptus, injuſtam ſententiam pronunciaſſet.* Apud Perſas etiam Septemviros fuiſſe, prudentes patrii juris, legumque interpretes, JOSEPHUS *libr.* XI. *Antiquit. Judaic. cap.* VI. teſtatur, eos τοὺς ἑπτὰ τῶν Περσῶν, οἳ τῶν νόμων ἐξήγησιν ἔχουσι παρ' αὐτοῖς (*e*), *ſeptem Perſas, penes quos legum eorundem interpretatio eſt*, vocans: quos Artaxerxem de conjugis ſuae contumacia conſuluiſſe, ibidem ſcribit. Eos ZONARAS, *Tomo* I. *lib.* IV. *pag.* 178. ἑπτὰ τῶν Περσῶν συμβούλους, *ſeptem Perſas conſiliarios* vocat. Et de conſilii hujus ſententia, Eſdram miſſum ad Judaeam inſpiciendam, narrat Artaxerxis *Epiſtola*, quae *Eſdrae cap.* VII. *v.* 14. extat, in haec verba: ἀπὸ προσώπου τοῦ βασιλέως, καὶ τῶν ἑπτὰ συμβούλων ἀπεστάλη ἐπισκέψασθαι ἐπὶ τὴν Ἰουδαίαν. *A Rege atque ſeptem conſiliariis miſſus fuit, ut Judaeam luſtraret.* Ad quem locum Nicol. de Lyra, *in libro*, ait, *Eſther legitur, moris fuiſſe Perſarum Regibus, ut in cunctis agendis, vel diſcernendis, ſeptem Conſiliariorum conſilio uterentur.* Verum ille *Heſther* locus in ſeptuaginta interpretum verſione deſideratur (*f*). At in veteri Latina Bibliorum interpretatione, quae ad Hebraeorum

(*a*) Ἔχειν] Inter hoc & ſequens verbum ſunt quaedam intermedia, quae auctor neglexit, quia ad ſcopum ſuum non pertinerent. TR.

(*b*) Annotationem Sylburgii ad *h. l. Lederlinus* exhibet infra *lib.* II. §. CCXXVII. (83.) TR.

(*c*) Βασίλειοι] Doctiſſ. Sopingio correctio haec Briſſonii noſtri minus placet, unde pro Ἡροδότῳ, mavult legere Ἡσιόδῳ. citatque in hanc rem Euſtath. ad Od. α. p. 67. v. 10. Equidem fateor vocem βασιλεῖς pro δικασταῖς ſeu κριταῖς uſurpari ab Heſiodo Ἔργ. v. 200. & facere huc poterunt, quae apud Phavorinum leguntur: Βασιλῆας λέγει Ἡσίοδος, τοὺς δικαστὰς καὶ τοὺς ἄρχοντας· οὕτω γὰρ αὐτοὺς ἐκάλουν οἱ παλαιοί, ὡς Ὅμηρος. Ἀλλ' ἔτι Βασιλῆες Ἀχαιῶν εἰσὶ καὶ ἄλλοι: Verum ſi ab Heſychio addita, οἱ βασιλεῖ παρεπόμενοι ἐγκαζόμενοι συνεπαιρόμενοι, conſidero, non video, quid illa ad Heſiodi βασιλῆας faciant. Imo potius perſuaſus ſum cum Briſſonio noſtro, pro βασιλεῖς, βασίλειοι, vel βασιλήϊοι in Heſychio legendum. Nec abſurdum, me judice, quid dicet is, qui in verbis Heſychii praeciſe locum Herodoti ex libro tertio a Briſſ. citatum indigitari exiſtimaverit. Nam revera judices ibi contrariabantur Cambyſi; at aperte ſententiam ſuam dicere non audebant. Phavor. quoque βασιλῆες, οἱ δικασταὶ παρ' Ἡροδότῳ. L.

(*d*) MEDUM] Immo Μῆδος vocatur ab Aeliano. TR.

(*e*) Αὐτοῖς] αὐτοῖς legitur in editione noviſſima. TR.

(*f*) DESIDERATUR] Non plane deſideratur: ſed paullo aliter tantum legitur, ac in Hebraeo Codice, ita nimirum: Καὶ ἤρεσεν ὁ βασιλεὺς καὶ ὠργίσθη· καὶ εἶπε τοῖς φίλοις αὐτοῦ· κατὰ ταῦτα ἐλάλησεν Ἀμὰν, ποιήσατε οὖν περὶ τού-

τυ

rum exemplaria facta eſt, habetur, in haec verba: *cap.* I. *v.* 12. *ſeqq. Unde iratus Rex, & nimio furore ſuccenſus, interrogavit Sapientes, qui ex more Regio ei ſemper aderant, & illorum faciebat conſilio, ſcientium leges ac jura majorum. Erant autem primi & proximi, Cathena, & Cethar, & Admatha, & Tharſis, & Mares, & Marſana & Manucha, ſeptem duces Perſarum, atque Medorum: qui videbant faciem Regis, & primi poſt eum reſidere ſoliti erant.*

CXXXIV. Atque ut peccatis ſupplicia apud Perſas, ita recte factis praemia honoreſque extabant. Etenim eos, qui ſub ſe agebant, non poenarum modo metu, ſed praemiorum quoque exhortatione, bonos efficere cupientes, omnes, qui fortiter quid ac praeclare geſſerant, aut de Repub. bene meriti erant, largiter prolixeque remunerabantur. Cui rei teſtimonio eſt, quod de Zopyro HERODOTUS *libr.* III. *in fine* refert. Sapienter nimirum illi (quae & Solonis ſententia fuit, quemadmodum CICERO *Epiſt.* XV. *ad Brutum* ſcribit) cenſebant, Rempublicam duabus rebus contineri, *Praemio & Poena*: Honore & Praemiis virtutem atque induſtriam ali: generoſos quoſque animos, ad labores ſtrenue capeſſendos, ad pericula pro patria adeunda, praemiis, honoribus, & gloria accendi. *Quis enim*, ait ille, *virtutem ampleclitur ipſam, Praemia ſi tollas?* Et ita Maſcani, Xerxis Praetori, & Dorici praefecto, annua dona ac munera, a Xerxe, & ejus filio Artaxerxe, miſſa, quod cum ceteri Praetores Thracia & Helleſponto viribus Graecorum pulſi eſſent, ſolus hic ſede moveri & dejici non potuerat, HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 106. refert.

CXXXV. Omnia ſane in Rempub. merita, ac fortiter geſta, plurimum apud Perſas ad Honorum incrementa valuiſſe, HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 154. demonſtrat his verbis: Κάρτα γὰρ ἐν τοῖσι Πέρσῃσι αἱ ἀγαθοεργίαι ἐς τὸ πρόσω μεγάθεος τιμῶνται. *Res fortiter geſtae apud Perſas permultum ad incrementa honorum conſequenda valent.* Magnoque adeo apud Reges Perſarum viros egregios in pretio habitos conſtat. Unde Hydarnes, Xerxis Praetor, Aſianaeque maritimae orae Praeſes, Spartanorum legatos Xerxi conciliare ſtudens, haec eis apud eundem HERODOTUM *libr.* VII. *cap.* 135. proponit: Ὁρᾶτε γὰρ ἐς ἐμὲ ὡς ἐπίσταται βασιλεὺς ἄνδρας ἀγαθοὺς τιμᾶν, ἐς ἐμέ τε καὶ τὰ ἐμὰ πρήγματα ἀποβλέποντες. οὕτω δὲ καὶ ὑμεῖς, εἰ δοίητε ὑμέας αὐτοὺς βασιλέϊ (δεδόξωσθε γὰρ πρὸς αὐτοῦ ἄνδρες εἶναι ἀγαθοί) ἕκαστος ἂν ὑμέων ἄρχοι γῆς Ἑλλάδος, δόντος βασιλέος. *Cernite ex me & meo ſtatu, quam ſcit honore proſequi rex viros egregios. Sic & vos, ſi regi vos tradatis, ab illo ſinguli (quippe qui magnam de veſtra fortitudine opinionem concepit) principatum alicujus nationis Graecae eſtis conſecuturi.*

CXXXVI. Nec virilem modo, verum etiam muliebrem virtutem remunerabantur. Matronarum certe (quarum opera, ut JUSTINUS *libr.* I. *cap.* 6. refert, in praelio contra Aſtyagem acies a fuga conſtiterat) honori datum, legeque a Cyro lata cautum, ut quotieſcunque Rex peregre rediens, vel aliunde adveniens, Perſepolim ingrederetur, ſingulae matronae aureum ab ipſo ferrent, ſcriptum reliquit PLUTARCHUS in *libr.* cui Titulus eſt: Γυναικῶν ἀρεταί, *de mulierum virtutibus*, *pag.* 246. Cujus largitionis evitandae gratia, rarius eam regionem Principes aliquot adiiſſe; Ochum vero, qui ob avaritiam & ſordes male audiit, ejus ingreſſu abſtinuiſſe, legimus. Contra Alexander, Perſidem ingreſſus, mulieribus ſollemnia munera perſolvit, inſuperque alterum tantum praegnantibus largitus eſt, ut idem PLUTARCHUS in *Alexandro pag.* 703. narrat, inquiens: Ἔδωκε δὲ νόμισμα ταῖς γυναιξίν, ὥσπερ εἰώθεσαν οἱ βασιλεῖς, ὁσάκις εἰς Πέρσας ἀφίκοιντο, διδόναι χρυσοῦν ἑκάστῃ. *Diſtribuit pecuniam inter mulieres, ad regum Perſarum exemplum; qui quotieſcunque in Perſidem veniſſent, ſingulis mulieribus aureum dare erant ſoliti.* Et hoc eſt, quod XENOPHON *libr.* VIII. *pag.* 228. de Cyri in Perſidem profectione loquens, Ἔδωκε, ait, καὶ (a) πᾶσι Πέρσαις καὶ Περσίσιν, ὥσπερ καὶ νῦν ἔτι δίδωσιν, ὁπόταν ἀφίκηται βασιλεὺς εἰς Πέρσας. *Cunctis in Perſia viris ac feminis ea largiebatur, quaecumque ſolet hac etiam tempeſtate largiri rex, quum in Perſiam venit.*

CXXXVII. Sed nec patribus ob πολυπαιδίαν praemia apud Perſas deerant. Nam cum ad ſobolem procreandam, replendaſque liberis civitates, maxime eſſe neceſſarium ducerent, proletarios munerarier: praemia quotannis publice his, qui liberorum numero familias auxiſſent, eoque modo hominum adjectione imperium ampliaſſent, proponere conſueviſſe Reges, STRABO (poſt HERODOTUM *libr.* I. *cap.* 136.) *libr.* XV. *pag.* 1066. (733.) auctor eſt, his verbis: Τίθενται δὲ καὶ οἱ βασιλεῖς ἆθλα πολυτεκνίας κατ' ἔτος. *Reges quotannis praemia proponunt iis, qui plures liberos progenuerint.*

CXXXVIII. Praecipue vero gratos ſe ac memores Reges praeſtabant iis, qui bene de iis meriti erant, quos OROSANGAS patria lingua appellatos, HERODOTUS *libr.* VIII. *cap.* 85. tradit. XENOPHON *libr.* VIII. *med. pag.* 239. [188.] Πρόσθεν μὲν γὰρ εἴ τις ἢ διακινδυνεύσειεν ὑπὲρ βασιλέως, ἢ πόλιν, ἢ ἔθνος ὑποχείριον ποιήσειεν, ἢ ἄλλο τι καλὸν ἢ ἀγαθὸν αὐτῷ διαπράξειεν, οὗτοι ἦσαν οἱ τιμώμενοι. νῦν δὲ καὶ ἤν τις ὥσπερ Μιθριδάτης *Nam olim ſi quis pro rege periculo ſeſe objeciſſet, vel urbem aut nationem ejus imperio adjeciſſet, vel quid aliud praeclare fortiterque regi perfeciſſet, hi ergo erant, qui honoribus cumularentur, nunc ſi quis id, quod Leomithres factitavit &c.* Etenim ne meriti cujuſquam memoria intercideret, ſolebant OROSANGARUM nomina in Commentarios referri: quibus Phylarchum (*b*) adſcriptum, multiſque agrorum jugeribus donatum, HERODOTUS *eod. libr. & cap.* narrat. Mardochaeo quoque, qui Eunuchorum conjurationem detexerat, nulla illico praemia Artaxerxes perſolvit: tantum, αὐτοῦ τὸ ὄνομα, ut JOSEPHUS *libr.* XI. *Antiquit. cap.* VI. refert, τοῖς τὰ ὑπομνήματα συγγραφομένοις ἐκέλευσε σημειώσασθαι. *Ejus nomen in commentarios fuer referri juſſit & annotari.* Vel, ut LXX. *Interpretes*, *Eſther. cap.* II. ajunt, ἐπέταξε (*c*) καταχωρίσαι εἰς μνημόσυνον ἐν τῇ βασιλικῇ βιβλιοθήκῃ, ὑπὲρ τῆς εὐνοίας Μαρδοχαίου ἐν ἐγκωμίῳ. *Juſſitque rex referri in monumentum, in regia bibliotheca, pro benevolentia Mardochaei cum laude.* Proinde magna

τὸν νόμον καὶ κρίσιν. Καὶ προσῆλθον αὐτῷ Ἀρκεσαῖος, καὶ Σαρσαθαῖος, καὶ Μαλισεάρ, οἱ ἄρχοντες Περσῶν καὶ Μήδων, οἱ ἐγγὺς τοῦ βασιλέως, οἱ πρῶτοι παρακαθήμενοι τῷ βασιλεῖ. TR.

(*a*) Lato operarum vitio in prior. edit. pro πᾶσι erat [illegible]. locus in Xenoph. eſt p. m. 180. L.

(*b*) PHYLARCHUM] *Phylacus* vocatur in optimis Herodoti editionibus. TR.

(*c*) Ἐπέταξε] προσέταξε legitur in *ed. L. Bos.* TR.

magna libertate & fiducia Syloſon Samius, Suſa aſcendens, etſi nullum in aula notorem haberet, ad Regem Darium adiit, & in veſtibulo Regiae, ut HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 140. narrat, conſtitit, καὶ ἔφη, *& dixit*, ut ille ait, Δαρείου εὐεργέτης εἶναι: *Darii ſe eſſe benefactorem*: quod ei, antequam ad regni faſtigium evectus eſſet, amiculum dono dederat. AELIANUS quoque *libr.* XII. *Var. Hiſtor. cap.* XL. refert, Xerxem, in loco quodam deſerto ſitibundum, antequam veniſſent ejus commeatus, proclamari juſſiſſe in caſtris, ut ſi quis aquam Choaſpiam haberet, eam Regi bibendam daret: inventum quendam, qui pauxillum, idque turbidum, haberet: quod ille Regi porrexit: qui avide bibit, καὶ εὐεργέτην τὸν δόντα ἐνόμισεν, ὅτι ἂν ἀπώλετο τῇ δίψῃ, εἰ μὴ ἐκεῖνον εὗρε. *Et eum, qui dederat, in benefactoris loco habuit, quoniam, niſi illa fuiſſet inventa, periiſſet ſiti.* Thebanos, quod Xerxi auxilia adverſus Graecos miſiſſent, DIODORUS *libr.* XVII. *cap.* 14. *pag.* 170. (*St.* 569. *Rb.* 498.) ſcribit μόνους τῶν Ἑλλήνων ὡς εὐεργέτας τιμᾶσθαι παρὰ τοῖς βασιλεῦσι τῶν Περσῶν, καὶ τοὺς (*a*) τῶν βασιλέως πρεσβεύοντας τῶν Θηβαίων πλησίον θρόνου. *Solos Graecorum, ut benefactores a regibus Perſarum honorari, Legatis etiam Thebanorum ſolia proxime ante regem collocari.* Democedi Crotoniati, medico, cujus opera ex ancipiti morbo convaluerat, quam gratiam Darius retulerit, HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 130. narrat. Vinculis enim, quibus ab Oroete Satrapa oneratus fuerat, liberatum, duobus aurearum compedum paribus donavit: deinde ad ſuas conjuges deduci eum juſſit per Eunuchos, qui ſanitati redditum, ejus beneficio, Regem nuntiantes, his verbis uſi ſunt: ὡς βασιλεῖ οὗτος εἴη ὃς τὴν ψυχὴν οἱ ἀπέδωκε: *hunc eſſe, qui reſtituiſſet animam regi*: cujus officii remunerandi cauſa, ut ille ſubjicit: Ὑποτύπτουσα αὐτέων ἑκάστη, φιάλην (*b*) τῷ χρυσοῦ θήκῃ ἐδωρέετο τὸν Δημοκήδεα· οὕτω δή τι δαψιλεῖ δωρεῇ, ὡς τοὺς ἀποπίπτοντας ἀπὸ τῶν φιαλέων στατῆρας ἑπόμενος ὁ οἰκέτης, τῷ οὔνομα ἦν Σκίτων, ἀνελέγετο, καί οἱ χρῆμα πολλὸν τι χρυσοῦ συνελέχθη. Quibus verbis, quorum ſcopum non omnino attigiſſe videtur Interpres, Herodotus ſignificat, Regis uxores Democedi Phialam ſtateribus, id eſt, ut SUIDAS explicat, aureis nummis, refertam, cum theca, dono dediſſe, tam largo munere, ut nummos, qui ex Phiala, mulieribus ſuccutientibus, exciderant, Democedis aſſecla ſervus colligens, magnam inde pecuniarum vim reportarit.

CXXXIX. Praeterea Democedem hunc amplis aedibus Suſis habitaſſe, Regi Dario conviviſſe, Regiae menſae adſediſſe, affatimque ei omnia praebita, ſolo in Graeciam reditu denegato, HERODOTUS *eod. libr. cap.* 132. ſcribit his verbis: Οἶκόν τε μέγιστον εἶχε, καὶ ὁμοτράπεζος βασιλέϊ ἐγεγόνεε, πλήν τε ἑνὸς, τοῦ ἐς Ἕλληνας ἀπιέναι, πάντα τἄλλα οἱ παρῆν. *Maximas aedes obtinebat, & cum rege ad menſam ſedebat, omnibus rebus affluens, praeter hanc unam, quod in Graeciam redire non poterat.* Hic ille eſt Democedes, quem ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* 4. *pag.* 522. Atoſſae, filiae Cyri, uxoris Darii, quam mammarum dolore cruciatuque ſanaverat, artificio, reditum in patriam impetraſſe, Crotonemque reverſum, illic morari conſtituiſſe, refert (*c*). Ubi cum Perſa quidam, tanquam Regis mancipium, manu injecta vindicaret, adſertores libertatis nactus eſt cives ſuos Crotoniatas, qui detracta ſtola Perſica, Prytanis apparitorem ea induerunt. Ex quo apud Crotoniatas more recepto invaluit, ut Perſica veſte amictus lictor, ſeptimo quoque die, cum Prytane, aras & altaria deorum circumiret, non faſtus aut inſolentiae cauſa, ſed quod veluti per ludibrium ita Perſis inſultarent.

CXL. Abderitas etiam, ut ad ordinem redeam, bene de ſe meritos, Xerxes Acinace aureo, & Tiaremi (*d*) aurea, donavit, referente HERODOTO *libr.* VIII. *cap.* 120.

CXLI. Interdum autem, Perſarum Reges, ſi quos eximio ac praecipuo honore adficere cuperent, eos primis ſedibus collocabant, eiſque ſecundum a ſe locum adſignabant. Proinde, ut eſt apud PLUTARCHUM in *libr.* περὶ φιλαδελφίας, ſive *de amore fraterno*, *pag.* 488. Xerxes, Ariameni fratri, ſecum de regno contendenti, munera mittens, ea ab his, quibus perferenda dabat, juſſit commendari verbis hiſce: Τούτοις σε νῦν τιμᾷ Ξέρξης ὁ ἀδελφός. ἂν δὲ βασιλεὺς κριθῇ καὶ ψήφῳ Περσῶν ἀναγορευθῇ, δίδωσί σοι δευτέρῳ μεθ' ἑαυτὸν εἶναι. *His te nunc honorat Xerxes frater tuus, qui ſi rex judicio & ſuffragio Perſarum declarabitur, proximum tibi a ſe locum tribuit.* Dictis fides adfuit. Eum enim Regem factum, Ariameni fratri conceſſiſſe δευτέραν μεθ' ἑαυτὸν τάξιν, *primum a ſe locum*, idem ipſe PLUTARCHUS in *Apophthegmat. pag.* 173. ſcribit. Sic & Darius ei, qui propoſitam quaeſtionem acutius ſolviſſet, pollicitus dicitur, μεθ' αὐτὸν ἕξειν προεδρίαν, *primum a ſe habiturum locum*, ut eſt apud JOSEPHUM *libr.* XI. *Antiq. Jud. cap.* IV. (*al.* III) vel, ut ESDRAE *libr.* III. *cap.* III. *v.* 7. δεύτερον καθίζεσθαι Δαρείου, *altero a Dario loco ſedere.* Proinde, quemadmodum utrobique refertur, ut, quod ſe daturum receperat Darius, re ipſa praeſtaret, Zorobabelem, cujus ſententia vicerat, alloquens, Συγκαθεδῇ δέ μοι, *mecum ſedebis*, dixit, teſte JOSEPHO: vel, ut apud *Eſdram lib.* III. *cap.* IV. *v.* 42. ἐχόμενός μου καθήσῃ, *proximus a me ſedebis.* *Eſtheris* quoque *cap.* III. *v.* 1. de Aman talia ſcribuntur: Μετὰ ταῦτα ἐδόξασεν ὁ βασιλεὺς Ἀρταξέρξης Ἀμὰν, Ἀμαδαθοῦ Βουγαῖον, καὶ ὕψωσεν αὐτόν. καὶ ἐπρωτοβάθρει πάντων τῶν φίλων αὐτοῦ· καὶ πάντες οἱ ἐν τῇ αὐλῇ προσεκύνουν αὐτῷ. οὕτως γὰρ προσέταξεν ὁ βασιλεὺς ποιῆσαι. *Poſthaec gloria affecit rex Artaxerxes Aman, Amadathu Bugajum, & exaltavit eum, ita, ut primus incederet inter omnes ejus amicos, & omnes, qui in aula verſarentur, eum adorarent. Ita enim rex fieri juſſerat.* Eademque de eo JOSEPHUS *libr.* XI. *Antiquit. cap.* VI. narrat. Praeterea Artaxerxis literas adducit, quibus Aman hoc elogio ornabatur: τοῦ δὲ διὰ σωφροσύνην καὶ δικαιοσύνην παρ' ἐμοὶ τὴν πρώτην μοῖραν δόξης καὶ τιμῆς ἔχοντος, καὶ μετ' ἐμὲ δεύτερον, διὰ πίστιν καὶ βεβαίαν εὔνοιαν

(*a*) Edit. τῶν βασιλέων. L. Ita etiam ex mente auctoris, ut puto, edendum fuiſſet. In prima enim *ed.* legitur τῶν βασιλέως, manifeſto vitio typographico: hunc *Sylburgius* mutavit in τῷ βασιλέως: ſed mutare potius debuiſſet in τῶν βασιλέων. TR.

(*b*) Φιάλην] Jacobus Gronovius ex MS. reponit Φιάλας, & locum, tum in verſione, tum in notis, *pag* 916. ita interpretatur: *Tunc earum unaquaeque ſubverberans,* (ſcilicet pectus) *auri phialam* (ſive *phiala*) *cum theca Democedi* (ſive *Democedem*) *donavit, tam amplo munere, ut famulus, nomine Sciton,* (Σκίτων enim legit) *qui ſequebatur, excidentes ex phialis ſtateres colligens, prorſus grandem auri ſummam coegerit.* TR.

(*c* REFERT] Latius haec narrat HERODOTUS *l. c. cap.* 133. *ſeqq.* TR.

(*d*) TIAREMI] Pro τριήρει, ut vulgo legitur, *Jac. Gronovius* ex *Cod. Medic.* repoſuit τιάρῃ, ut jam *Laurent. Valla* in ſuis legit *Codd.* ut ex ejus verſione patet, in qua legitur: *tiara auro intertexta.* Vid. *Gronovii not. pag.* 991. TR.

[illegible] Ἀμάνου κηδεμονικῶς ὑποδείξαντός μοι. *Sollicite admonitus ab Amane, qui propter prudentiam & juſtitiam a me prae ceteris honoratur, & ob egregiam fidem firmamque benevolentiam, ſecundum a me locum obtinet.* Similiterque *cap.* IV. *Eſth. v.* 8. Ἀμὰν ὁ δευτερεύων τῷ βασιλεῖ, *Aman qui ſecundus a rege erat*: id eſt, ut JOSEPHUS *libr.* XI. *Antiquitat. cap.* VI. loquitur, τὴν δευτέραν ἔχων τῷ βασιλεῖ τιμὴν, *ſecundum a rege honorem obtinebat.* Eidemque Regem dediſſe πρωτεύειν καὶ ἐξάρχειν τῆς βασιλείας, *primum eſſe atque praeeſſe imperio*, refertur *cap.* V. *Eſther. v.* 11.

CXLII. Oſculum etiam quandoque dabant iis, quos honore proſequebantur: & ita Darium oſculo excepiſſe Zorobabelem, legimus apud JOSEPHUM *libr.* XI. *Antiquit. cap.* IV. (*al.* III.) & *Eſdrae libr.* III. *cap.* IV. *v.* 47.

CXLIII. Artaxerxes utique Hippocratem, ad ſe, nominis ejus fama impulſus, evocans, praemiiſque propoſitis alliciens, hoc ei literis ſuis, quae inter ſummi illius medici epiſtolas extant (*a*), pollicebatur, iiſdem eum honoribus fruiturum, quibus praeſtantiſſimi quique Perſarum: futurumque eum ἰσότιμον τοῖς ἀρίστοις. Sed & qui poſt Artaxerxem in Perſide regnarunt, ſi quem Graecorum in ſuas partes trahere, & ad ſe pellicere ſtudebant, hoc ei Epiſtolis, chirographi vim habituris, promittebant, ὡς μείζων ἔσοιτο παρ᾽ αὐτῶν (*b*) Θεμιστοκλέους: *majorem eum Themiſtocle apud ſe futurum*: quemadmodum PLUTARCHUS in *Themiſtocle pag.* 126. tradit. Ac plane reliquis peregrinis habitos honores ad eorum, quibus Themiſtocles adfectus fuit, faſtigium amplitudinemque non acceſſiſſe, idem PLUTARCHUS eodem loco ita ſcribit: Οὐδεὶς γὰρ ὅσαι αἱ τιμαὶ τοῖς τῶν ἄλλων ἐνεσήμαινον ξένων· ἀλλὰ καὶ κυνηγεσιῶν βασιλεῖ μετεῖχε, καὶ τῶν οἴκοι διατριβῶν· ὥστε καὶ μητρὶ τῇ βασιλέως εἰς ὄψιν ἐλθεῖν, καὶ γενέσθαι συνήθης· διακοῦσαι δὲ καὶ τῶν μαγικῶν λόγων, τοῦ βασιλέως κελεύσαντος. *Nihil enim erant honores, qui aliis hoſpitibus habebantur. Nam & in venationibus regi aderat, & domi converſabatur; adeoque matri etiam regis viſus familiariſque factus erat: magicos etiam ſermones juſſu regis audiebat.* Aſſyriorum etiam rex Combabo amico, fidei, quam expertus erat, remunerandae cauſa, haec apud LUCIANUM in *libr. de Syria dea, cap.* 25. *pag.* 472. *Tom.* III. pollicetur: Μεγάλη δωρεὴ ἀπίξεται, χρυσός τε πολλὸς, καὶ ἄργυρος ἄπλετος, καὶ ἐσθῆτες Ἀσσύριαι, καὶ ἵπποι βασιλήιοι. ἀπίξεαι δὲ παρ᾽ ἡμέας ἄνευ ἐσαγγελέος, οὐδέ τις ἀπείρξει σε ἡμετέρης (*c*) ὄψιος, οὐδ᾽ ἢν γυναικὶ ἅμα εὐνάζωμαι. *Ingens donum tibi obtinget, aurum multum, argentum immenſum, Aſſyriae veſtes, & equi regii. Ad nos accedes abſque admiſſario, neque te quiſquam a noſtro conſpectu arcebit, non ſi cum uxore concumbam.*

CXLIV. Quibus praeterea honoribus, ſive praemiis, ſive muneribus, bene merentes, aut qui gratia apud Reges valebant, adfici ſolerent, hoc loco commode ſubjuncturus mihi videor. Ac primum, Medica veſte donari, ſummo apud Perſas honori ducebatur. Proinde Othani, uni ex ſeptem Perſis Magicidis, qui primus conſilium caedis illius inierat, alioſque ſex conjuratos in ſocietatem adſciverat, communi conſilio praemium decretum eſſe, ut poſteri Medica quotannis veſte de publico donarentur, HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 84. auctor eſt. Acanthios quoque, quod in foſſa fodienda, quam fieri praeceperat, ſtrenuam operam navaſſent, alacreſque ſe ad bellum, & ad omne obſequium paratos exhibuiſſent, Xerxes Medica veſte donavit, ut idem HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 116. refert. Medicas utique veſtes, Perſidi prius incognitas, amicis Cyrum largitum fuiſſe, exindeque ad Perſas hoc veſtis genus tranſlatum, XENOPHON *libr.* VIII. *mod. pag.* 213. narrat. *Medicam* autem olim appellatam veſtem, quam poſteriora ſecula, *Sericam* nuncuparunt, PROCOPIUS *libr.* I. *cap.* XX. *de bello Perſ. pag.* 264. (61.) tradit his verbis: Αὕτη δέ ἐστιν ἡ μέταξα, ἐξ ἧς εἰώθασι τὴν ἐσθῆτα ἐργάζεσθαι, ἣν πάλαι μὲν Ἕλληνες Μηδικὴν ἐκάλουν, τανῦν δὲ Σηρικὴν ὀνομάζουσι. *Hocque eſt ſericum, ex quo veſtis conficitur, quae olim dicta a Graecis Medica, nunc ſerica appellatur.* Interdumque Δωροφορικὴν vocitatam, AELIANUS *libr.* I. *Var. Hiſtor. cap.* XXII. docet. Inter cetera enim, quae a Perſarum Rege exterarum nationum legatis dabantur, munera, recenſet στολὴν Μηδικὴν, ὄνομα δὲ (addit) τῇ στολῇ, Δωροφορική. *Stolam Medicam, nomen vero ſtolae illius erat Dorophorica.* HESYCHIUS: Δωροφορικὴ, ἐσθὴς οὕτω λέγεται, ἣν βασιλεὺς Περσῶν δωρεῖται. *Dorophorica, veſtis nomen, quam rex Perſarum dono dare ſolet.* ATHENAEUS *libr.* I. *cap.* 23. *pag.* 29. *ſeq.* collatis a Xerxe in Themiſtoclem beneficiis, haec velut cumuli loco acceſſiſſe, refert: (*d*) ἐκέλευσε δὲ τοῦτον, στολὴν φέρειν (*e*) βαρβαρικὴν, ὡς καὶ Δημαράτῳ δοὺς τὰ πρότερον ὑπάρχοντα, καὶ στολὴν γαμβρίαν προσέθηκεν, ἐφ᾽ ᾧτε μηκέτι Ἑλληνικὸν ἱμάτιον ἀναβάλληται. *Imperavit & rex, ſtolam ut barbaricam indueret, dans illi, quaecunque antea Demaratus dono regis poſſederat, adjecitque ſtolam, quae Gambria dicitur, ut a Graeco veſtitu in poſterum omnino abſtineret.* Verum, quaenam ſit illic γάμβριος στολὴ, non immerito dubitatur. Nec enim adſentiendum eſt interpreti, qui γαμβρίας emendans, nae intelligendo facit, ut nihil intelligat. SUIDAS quidem voces illas ſilentio non praeterit: ſed mentionem feciſſe contentus, omnino in earundem interpretatione obmutuit (*f*). Apud HESYCHIUM autem invenio, Γαμβρία, δῶρα ἢ δεῖπνα γαμικά. Et apud STEPHANUM *de urbibus, pag.* 199. Γαμβρεῖον, πόλις Ἰωνίας. quae an ad rem pertineant, dijudicandum cuique relinquo.

CXLV. Erat & ſummus apud Perſas honor, Regis conceſſu ac munere aureum Torquem collo geſtare, Armillis aureis, & Acinace aureo uti. XENOPHON *libr.* I. Ἀναβάσ. *pag.* 249. (*p.* 196.) Κῦρος δ᾽ αὐτῷ δῶρα, ἃ νομίζεται παρὰ βασιλεῖ τίμια, ἵππον χρυσοχάλινον, καὶ στρεπτὸν χρυσοῦν, καὶ ψέλια, καὶ ἀκινάκην, καὶ στολὴν Περσικήν. *Cyrus ei viciſſim (donat) munera, quae magni ſunt apud reges pretii, nimirum frenis aureis inſignem equum, & torquem aureum*

(*a*) EXTANT] *Num.* 3. *pag.* 12. *ed. Eilb. Lubini*, 1609. 8. & inter *Epiſtoll. Graec. ed. Aureliae Allobrog.* 1606. fol. TR.

(*b*) Παρ᾽ αὐτῶν] Uſitatius παρ᾽ αὐτῷ, dativo caſu, ut ſupra p. 93. v. penultimo. S. Intelligit Sylburgius locum DIODORI, qui §. CXXXVIII. exhibetur, ubi legitur παρὰ τοῖς βασιλεῦσι. TR.

(*c*) Ἡμετέρης] Hoc ego verbum ex editis inſerui. TR.

(*d*) De hoc Athenaei loco videndus omnino eruditiſſ. Caſaub. Animadv. in Athen. I. 23. cujus mentem in interpretando ſum ſecutus. L.

(*e*) Φέρειν] Φορεῖν legitur in *ed.* qua ego uſus ſum. TR.

(*f*) OBMUTUIT] Suidam ad locum Athenaei laudatum reſpexiſſe, non immerito exiſtimat *Lud. Kuſterus*, qui addit: *Ita ab Athenaeo appellatur veſtis pretioſa, qualem Reges Perſarum dare ſolebant generis ſuis, vel etiam iis, quos eodem honore, quo generos, afficere volebant.* TR.

aureum & armillas, & acinacem aureum, cum veſtitu Perſico. Atque adeo ejuſmodi ornamenta nemini, citra Regis beneficium, uſurpare licebat. Idem Xenophon *libr.* VIII. Παιδ. *pag.* 209. [*pag.* 165.] Τίνος δ' ἄλλου γιγνώσκεται, ὥσπερ ὅταν τις βασιλέως, ψέλια, καὶ στρεπτὸν, καὶ ἵπποι χρυσοχάλινοι; οὐ γὰρ δὴ ἔξεστιν ἐκεῖ ταῦτα ἔχειν, ᾧ ἂν μὴ βασιλεὺς δῷ. *Cujus munera ejuſmodi eſſe cognoſcuntur, qualia ſunt regis illius nonnulla, armillae, torques, equi frenis aureis inſignes? Non enim apud Perſas, haec habere cuiquam licet, cui rex ea non donarit.* Suis etiamnum temporibus apud Perſas Procopius *libr.* I. *cap.* XVII. *de bello Perſ. pag.* 256. (49.) ſcribit: Οὔτε δακτύλιον χρυσοῦν, οὔτε ζώνην, οὔτε περόνην χρυσῆν, οὔτε ἄλλο οὐδὲν θέμις, ὅτῳ μὴ ἐκ βασιλέως ἀξιωθείη. *Nulli enim, niſi quem dignatus rex fuerit, nec annulum aureum, nec zonam, nec fibulam, nec tale quidquam geſtare fas eſt.* Sed & apud Josephum *libr.* XI. *Antiquit. cap.* VI. & *Eſther. cap.* VI. relatum extat, Artaxerxem, cum Mardochaeum, qui ſtructas ſibi a duobus ſpadonibus inſidias prodiderat, eximiis honoribus proſequi vellet, Amanum ſententiam de ea re rogaſſe. Illum vero ita cenſuiſſe: Vir, quem dignatur Rex honore proſequi, veſte Regia indui debet, & Torque collo circundato, equo imponi, quo Rex vehi ſolet, circunducique per vicos urbis, alio ſuperdicente: Hujuſmodi honores conſequi eum, quem Rex honorare vellet. Quod Artaxerxes probans, Mardochaeum hiſce honoribus impertitus eſt. Darius etiam ei ex tribus corporis cuſtodibus, qui ſapientius & verius de propoſitis quaeſtionibus reſpondiſſet, haec apud Josephum *libr.* XI. *Antiquit. cap.* IV. (*al.* III.) pollicetur: Τούτῳ γέρας δώσειν ὑπισχνεῖτο, πορφύραν ἐνδεδύσθαι, καὶ ἐν ἐκπώμασι χρυσοῖς πίνειν, καὶ ἐπὶ χρυσοῦ καθεύδειν, καὶ ἅρμα χρυσοχάλινον, καὶ κίδαριν βυσσίνην, καὶ μανιάκην χρυσοῦν (a), καὶ μετ' αὐτὸν ἕξειν προεδρίαν διὰ τὴν σοφίαν, καὶ συγγενής μου κληθήσεται. *Ei praemium fore, uſum purpurae, & aurei poculi, in cubatu quoque & vectatione uſurum inſtrumento aureo, & cidari byſſina, ac torque aureo: & in conſeſſu habiturum ob ſapientiam locum regi proximum, annumeratum inter cognatos regios.* Eademque praemia *libr.* III. *Eſdrae cap.* III. *vs.* 5. *ſeqq.* proponuntur in haec verba: Δώσει αὐτῷ Δαρεῖος ὁ βασιλεὺς δωρεὰς μεγάλας, καὶ ἐπινίκια μεγάλα, καὶ πορφύραν περιβάλλεσθαι, καὶ ἐν χρυσώμασι πίνειν, καὶ ἐπὶ χρυσῷ καθεύδειν, καὶ ἅρμα χρυσοχάλινον, καὶ κίδαριν βυσσίνην, καὶ μανιάκην περὶ τὸν τράχηλον, καὶ δεύτερος καθιεῖται Δαρείῳ, διὰ τὴν σοφίαν αὐτοῦ· καὶ συγγενὴς Δαρείου κληθήσεται. *Dabit illi Darius rex ingentia dona, magnaque praemia: uſum veſtis purpureae, poculorum aureorum, in cubatu quoque & vectatione uſurum inſtrumentis aureis, & cidari byſſina, & torque colli aureo, proximum item a rege locum occupaturum, ob ipſius ſapientiam Darii cognatum appellandum.* Lucianus in *libr. de hiſtor. conſcribenda, cap.* 39. *pag.* 52. *Tom.* II. Ἢ φοβεῖται (b) Ἀρταξέρξην, ἰατρὸς αὐτοῦ ὤν, ἢ ἐλπίζει κάνδυν πορφυροῦν, καὶ στρεπτὸν χρυσοῦν, καὶ ἵππον τῶν Νισαίων λήψεσθαι, μισθὸν τῶν ἐν τῇ γραφῇ ἐπαίνων. *Vel Artaxerxem metuit, cujus eſt medicus, vel ſperat Candyn purpuream, vel torquem aureum, & ex equis Niſaeis aliquem ſe eſſe accepturum, videlicet laudum ſcripto inſertarum mercedem.*

CXLVI. Nec aureo tantum Torque, verum & Armillis aureis, & Acinace aureo, donatos eos, quibus honorem habitum Reges vellent, oſtendit Xenophon *libr.* I. Ἀναβάσ. *pag.* 266. [210.] de Artapate loquens, in hunc modum: Οἱ δ' ἑαυτὸν ἐπισφάξαι, σπασάμενον τὸν ἀκινάκην· εἶχε γὰρ χρυσοῦν, καὶ στρεπτὸν δὲ ἐφόρει, καὶ ψέλλια, καὶ τὰ ἄλλα, ὥσπερ οἱ ἄριστοι τῶν Περσῶν. ἐτετίμητο γὰρ ὑπὸ Κύρου, δι' εὔνοιάν τε, καὶ πιστότητα. *Alii tradunt eum ſtricto, quem aureum habebat, acinace manus ipſi ſibi attuliſſe. Nam torquem etiam geſtabat, & armillas, & alia, ut quivis e Perſarum praeſtantiſſima dignitate viris. Erat enim apud Cyrum in honore cum ob benevolentiam, tum fidem.* Unde (c) Cyrus ad Cyaxarem *libr.* II. Παιδ. *pag.* 57. Εἴπερ πορφυρίδα ἐνδύς, καὶ ψέλια λαβών, καὶ στρεπτὸν περιθέμενος, χρυσῇ κελεύοντι ὑπακούσω σοι. *Si purpura indutus, ſumtis armillis, torquatus etiam, tibi mandanti, lente paruiſſem.* Mithridati etiam, ob egregiam in bello adverſus Cyrum navatam operam, praemia haec dedit Artaxerxes: Ὡς καλὴ μὲν ἐσθὴς αὕτη, Μιθριδάτης, ἣν βασιλεὺς ἔδωκε (d), καλὰ δὲ στρεπτὰ, καὶ ψέλλια, πολλοῦ δὲ ἄξιος ὁ ἀκινάκης· (e) ὁ μακάριον σε καὶ περίβλεπτον ἄνδρα πεποίηκεν. *Pulchram hanc tibi, o Mithridates, veſtem rex dedit, tum torques & armillas, & acinacem multi pretii; ſane beatum te & omnibus ſuſpiciendum rex effecit:* ut Plutarchus in *Artaxerxe pag.* 1018. memorat. Datamen quoque, ob eam rem, quod Theium Dynaſten Paphlagoniae captum ad ſe perduxiſſet, Artaxerxes ita remuneratus eſt (*f*): *optima* (ipſamet enim Aemilii Probi in *Datame, cap.* 3. §. 1. verba ponam) *veſte contexit, quam Satrapae Regii gerere conſueverant: ornavit etiam Torque atque Armillis aureis, ceteroque regio cultu.*

CXLVII. Atque hoc ornamentorum genus a Medis & Babyloniis originem duxit. Teſtis Josephus, apud quem, *libr.* X. *Antiquitat. cap.* XI. Balthaſar, Medorum Rex, per praeconem pronuntiari juſſit: Quicunque literarum, quae in pariete ſcriptae erant, ſententiam explicaſſet, daturum ſe ei στρεπτὸν περιαυχένιον χρύσεον, (ſive, χρύσεον περὶ τὸν αὐχένα στρεπτὸν) καὶ πορφυρᾶν ἐσθῆτα φορεῖν, ὡς οἱ τῶν Χαλδαίων βασιλεῖς. *Torquem aureum, & purpureae veſtis uſum, quali Chaldaeorum reges utuntur.* Sulpicius Severus, de Daniële, *libr.* II. *Sacrae Hiſtor. cap.* 6. *Nam & Nabuchodonoſor eum regno praefecerat, & Balthaſar veſte purpurea, & Torque aureo donatum, tertium regni principem conſtituerat.* Tertullianus in *libr. de Idololatr. cap.* 18. *Igitur purpura illa, & aurum, cervicis ornamentum, eodem more apud Aegyptios & Babylonios inſignia erant dignitatis, quo more nunc Praetextae, vel Trabeae, vel Palmatae, & Coronae aureae Sacerdotum provincialium:*

(a) Χρυσοῦν] Eſt hic ponenda nota *Sylburgii*, quam Lederlinus praetermiſit: Χρυσοῦν eſt etiam in vulg. Joſephi ed. ſed rectius χρυσοῦ, neut. gen. Sequens comma μετ' αὐτὸν, locali ſignificatione accipiendum, i. e. *proxime poſt ipſum loco ſeſſurum*, ut infra p. 112. Hactenus ille. In *noviſſ. ed.* legitur χρύσεον: ibique ultima *h. l.* verba concipiuntur: συγγενής μου, ἔφη, κληθήσεται. Ceterum p. 112. ſuae ed. Sylburgius intelligit locum *Eſdrae lib.* III. *c.* 3. *v.* 2. vide §. CLXIX. TR.

(b) Φοβεῖται] In connexione ſua locus ita legitur apud Lucianum: Ἄχρις ἂν ἢ φοβῆται - - ἢ ἐλπίζῃ &c. *Quamdiu metuet - - aut ſperabit* &c. TR.

(c) Prior editio Sylb. [ut & prima auctoris] habebat: Unde Cyaxares ad Cyrum. quae verba inverti hoc modo: Unde Cyrus ad Cyaxarem; vide, ſi tanti res eſt, locum Xenoph. Παιδ. II. p. 46. L.

(d) Ἔδωκε] In *ed. Opp. Francof.* legitur δίδωσι. TR.

(e) Prior edit. ὃ, pro quo ex Plutarch. edit. H. Steph. ὃ repoſui. L.

(f) Est] Imma Datames hoc modo ornatum Thyum (ita in editis vocatur) ad Regem perduxit. Notandum etiam, pro *contexit*, in optimis *edd.* legi *texit*. TR.

lium: ſed non eadem conditione. Tantum enim honoris nomine, conferebatur (*a*) *bis, qui familiaritatem Regum merebantur. Unde & Purpurati Regum vocabantur a purpura, ſicut apud nos a toga candida, Candidati.*

CXLVIII. Porro ad aureos Torques, Acinaces, Armillas, etiam aurea equorum frena accedebant: cujuſmodi ornamentorum avidiſſimos Perſas extitiſſe, Dio Chrysostomus *Oration.* II. *pag.* 29. *de regno* ita ſcribit: Οὐκοῦν φαίνεται χρυσοφορίας ἐπαινῶν ὁ Ὅμηρος, καὶ ταῦτα εἰς πόλεμον, ψέλλιά τε καὶ στρεπτά, ὅτι δὲ χρυσῶν φαλάρων, καὶ χαλινῶν, ὁποῖα τοὺς Πέρσας φασὶν ἐπιτηδεύειν. *Non igitur videtur Homerus auri geſtationem approbare, & praeſertim in bellum, armillarum & torquium, inſuper & aurearum phalerarum & frenorum, quibus ſummopere Perſas ſtudere ajunt.* Unde inter Perſicos nobilium virorum cultus, Curtius *libr.* III. *cap.* 13. §. 10. aurea vaſa, & aureos frenos ponit. Hujuſmodi autem aureis frenis inſtructos equos, Χρυσοχαλίνους Graeci vocant. Xenophon *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 215. [170.] Οἱ δὲ αὐτῷ Κύρῳ τρεφόμενοι ἵπποι παρήγοντο χρυσοχάλινοι. *Ducebantur equi frenis aureis inſignes, qui Cyro nutriebantur.* Et ita quoque Craſſo Equum χρυσοχάλινον, Surenae juſſu, adductum, Plutarchus in *Craſſo pag.* 563. narrat. Nec ſingulares tantum equi, eo modo ornabantur, verum etiam, qui curribus rhedisve jungebantur. Inde χρυσοχάλινον ἅρμα, *currus, cujus equi frenis aureis ſunt ornati, Eſdrae libr.* III. *cap.* 3. *v.* 6. Virgata autem fuiſſe Equorum Regiorum ſtrata, Xenophon *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 215. [170.] docet.

CXLIX. Atque hujuſmodi erant honoratorum apud Perſas inſignia, quae utique Hippocrati pollicebatur Artaxerxes, cum futurum eum ἰσότιμον τοῖς ἀρίστοις, *Optimatibus bonore aequalem*, literis ſuis denuntiabat (*b*). Idemque ſentit Plutarchus in *Themiſtocle, pag.* 127. cum ait eum, τιμώμενον, ὅμοια Περσῶν τοῖς ἀρίστοις: *eodem cum Optimatibus bonore affectum fuiſſe.* Quod genus loquendi uſurpans Plato in *Alcibiade* I. *pag.* 441. [*p.* 23.] ὑπ᾽ εὐνούχων, ait, οἳ ἂν δοκῶσι τῶν περὶ βασιλέα ἄριστοι εἶναι, *ab eunuchis, qui reliquorum circa regem optimi videantur.*

CL. Interdum Reges his, quos amore & benevolentia complectebantur, aut quos demereri ſtudebant, oppida aliquot fruenda donabant, ex quorum reditu alerentur, & ea, quae ad victum cultumque corporis neceſſaria eſſent, ſibi pararent. Et ita Pytharchum Cyzicenum a Cyro ſeptem urbium reditu donatum, Athenaeus, *lib.* I. *cap.* 23. *pag.* 30. prompto ex *Agathoclis* libris teſtimonio, refert. Demaratum etiam, Lacedaemoniorum Regem, regno patriaque pulſum, Xerxes (*c*) ὑπεδέξατο μεγαλωστί, καὶ γῆν καὶ πόλιας ἔδωκε: *magnifice excepit, territorioque & urbibus donavit:* ut Herodotus *libr.* VI. *cap.* 70. ait (*d*). Plutarchus in *Alexandr. pag.* 683. Ἰσχυρᾶς δὲ τῆς μάχης γενομένης, ἐνίκησεν ὁ καλούμενος Ἀλέξανδρος, καὶ δωρεὰν ἔλαβεν, δώδεκα κώμας, καὶ στολῇ Περσικῇ χρῆσθαι. *Cumque acriter pugnatum fuiſſet, vicit ita dictus Alexander, muneraque conſecutus eſt, duodecim vicos, & uſum ſtolae Perſicae.* Saſne cum Darius, privatae adhuc fortunae, amiculo (quod πυῤῥὴν χλανίδα, Herodotus hujus hiſtoriae parens, *libr.* III. *cap.* 139. vocat) Syloſontis Samii delectatus, curioſiore contemplatione feciſſet, ut ultro ſibi, & quidem a cupido, daretur, poſtea regno potitus, quam grata muneris illius aeſtimatio animo ejus haeſiſſet, oſtendit. *Totam* namque, ut Valerius Max. *libr.* V. *cap.* II. *ext.* I. ſcribit, *urbem* & *inſulam Samiorum Syloſonti fruendam tradidit.* Syloſontem autem illum Polycratis Samii tyranni fratrem fuiſſe, ab eoque privatum relictum, Strabo *libr.* XIV. *pag.* 945. (638.) ait: additque; Δαρείῳ δὲ τῷ Ὑστάσπεως χαριζόμενος ἐσθῆτα, ἣν ἐπεθύμησεν ἐκεῖνος, φοροῦντα ἰδών, (οὔπω δὲ ἐβασίλευε τότε) βασιλεύσαντος ἀντέλαβε δῶρον, τὴν τυραννίδα. *Hic cum Dario Hyſtaſpis dono dediſſet veſtem, quam ipſo geſtante ille expetiverat, nondum ad regnum evectus: ab eo regnum adepto tyrannidem pro dono recepit.* Aelianus *Variae Hiſtor. libr.* IV. *cap.* V. Καὶ Δαρεῖος δὲ ὁ Ὑστάσπου παρὰ Συλοσῶντος λαβὼν ἱμάτιον, ἔτι ἰδιώτης ὤν, ὅτε ἐγκρατὴς ἐγένετο τῆς βασιλείας, ἔδωκεν αὐτῷ τὴν πατρῴαν ἀρχὴν, τῆς Σάμου, χρύσεα χαλκείων, φαίη τις ἄν. *Darius Hyſtaſpis filius, cum adbuc privatus amiculum a Syloſonte accepiſſet, poſtquam regni compos factus eſt, dedit ei imperium in patriam, Samum. Aurea aereis dixerit aliquis.* Non enim, ut eleganter Valerius ait, *pretium rei aeſtimatum, ſed occaſio liberalitatis eſt bonorata, magiſque a quo donum proficiſceretur, quam ad quem perveniret, proviſum.* Cujus hiſtoriae qui pleniorem cognitionem deſiderabit, poterit ex ipſo fonte, id eſt, Herodoti *libr.* III. *cap.* 139. *ſeqq.* ſitim explere. Ita Alexander in eo ludicro certamine, in quo ſingulari praelio decernere duces voluit, cum ille, qui Alexandri nomen ſumpſerat, victoriam reportaſſet, δωρεάν, ait, ἔλαβεν δώδεκα κώμας, καὶ στολῇ Περσικῇ χρῆσθαι, *munus accepit, decem vicos, & Perſicae ſtolae uſum*, quemadmodum Plutarchus in *Alexandro, pag.* 683. ſcribit.

CLI. Nonnunquam etiam urbes complures in alimenta donantes, eas ita partiebantur, ut pani praebendo urbs una: vino ſuppeditando altera: obſoniis alia attribueretur. Cujuſmodi liberalitatis genus erga Themiſtoclem exercuiſſe eos, hiſtoriarum monumentis proditum eſt. Quod princeps ſcripſit Thucydides, *libr.* I. *pag.* 90. his verbis: Μνημεῖον μὲν ἐν αὐτῷ, ſcilicet Themiſtoclis, ἐν Μαγνησίᾳ ἐστὶ τῇ Ἀσιανῇ, ἐν τῇ ἀγορᾷ· ταύτης γὰρ ἦρχε τῆς χώρας, δόντος βασιλέως αὐτῷ, Μαγνησίαν μὲν ἄρτον, ἣ προσέφερε πεντήκοντα τάλαντα τοῦ ἐνιαυτοῦ· Λάμψακον δὲ οἶνον (ἐδόκει γὰρ πολυοινότατον τῶν τότε εἶναι) Μυοῦντα δὲ ὄψον. *Itaque monumentum ejus extat in foro urbis Magneſiae, quae eſt in Aſia: nam buic regioni praefuit, quam Rex ipſi dederat. Magneſiam enim pro pane, quae quotannis quinquaginta talenta pendebat: Lampſacum vero pro vino: (boc enim oppidum ceteras illius ſaeculi urbes vini copia ſuperare videbatur) Myuntem vero pro obſonio.* Hunc ſecutus Strabo *libr.* XIV. *pag.* 943. (636.) de Myunte agens, ταύτην, ait, εἰς ὄψον λέγεται Θεμιστοκλεῖ δοῦναι Ξέρξης, ἄρτον δὲ Μαγνησίαν, οἶνον δὲ Λάμψακον. *Hanc pro obſonio Xerxes Themiſtocli fertur dediſſe; pane Magneſiam; vino Lampſacum.* Diodorus Siculus *libr.* XI. *cap.* 57. *p.* 447. *ſeq.* (*St.* 271. *Rb.* 443.) de Xerxe, ἐδωρήσατο, ait αὐτῷ (videlicet Themiſt.) καὶ πόλεις τρεῖς, εἰς ἀποτρο-
φὴν

(*a*) Conferebatur] *Conferebantur* legitur in *edd.* quas ego vidi. TR.
(*b*) Denuntiabat] Vide ſupra §. CXLIII. TR.
(*c*) Xerxes] Immo potius Darius. TR.
(*d*) Plutarchi locus expungi poteſt, quippe qui pag. ſeq. lin. 6. [in fine hujus paragraphi] prolixius repetitur. S. Puto etiam auctoris, dum iterum locum hunc poſuerit in *Appendice* ad finem hujus §. mentem fuiſſe, ut priori vice deleatur. TR.

[illegible] ἔδωκε· Μαγνησίαν μὲν τὴν ἐπὶ τῷ Μαιάνδρῳ, πλεῖστον τῶν ἐκ τῶν Ἀσίας πόλεων ἔχουσαν σῖτον, εἰς ἄρτους· Μυοῦντα δὲ εἰς ὄψον, ἔχουσαν θάλατταν εὐιχθύν. Λάμψακον δὲ, ἀμπελοφυτοτάτην ἔχουσαν χώραν τῶν τότε, εἰς οἶνον. *Quin tres etiam urbes, ad neceſſariam lautamque vitae ſuſtentationem idoneas, illi donavit. Magneſiam ad Maeandrum, frumento inter omnes alias Aſiae urbes exuberatiſſimam, ad panes illi ſuggerendos. Myuntem deinde ad obſonia: mari enim piſcoſo adjacet. Et Lampſacum tandem vineis praedivitem, ad vini inde Proventum.* Quibus, interpretis vice, Aemilius Probus, e Latio prodiens, accedet: cujus de Themiſtocle, in ejus vita, *cap. ult.* §. 2. *ſeq.* verba ſunt haec; *Magnis muneribus ab Artaxerxe donatus, in Aſiam rediit, domiciliumque Magneſiae ſibi conſtituit. Namque hanc urbem ei Rex donaverat, his uſus verbis, quae ei panem praeberet: ex qua regione quinquaginta ei Talenta quotannis redibant: Lampſacum, unde vinum ſumeret: Myuntem, ex qua obſonium haberet.* Unde adhibenda interpretatio eſt hiſce Plutarchi *libr.* 1. *de Fort. Alexand. pag.* 328. verbis: Φυγὼν ἔσχε δωρεὰν μεγάλην παρὰ βασιλέως, ὃ τρεῖς πόλεις ὑποφόρους ἔλαβε, τὴν μὲν εἰς σῖτον, τὴν δὲ εἰς οἶνον, τὴν δ᾽ εἰς ὄψον. *Poſt fugam ſuam magnis a rege muneribus fuit donatus, tres enim urbes ſibi tributarias accepit, quarum prima frumentum, altera vinum, tertia vero obſonium praebebat.* Verum in eo Probus a Strabone, & Diodoro, itidemque Plutarcho (*a*) in *Themiſtocle pag.* 128. diſſidere videtur, quod non a Xerxe, ut illi; ſed, cum Thucydide, Themiſtoclem ab Artaxerxe muneribus, quibus de agimus, donatum ſcribit. Quod diſcidium facile componi poteſt. Ille enim Probi Artaxerxes Mnomon (*b*), Xerxis quoque nomen obtinet. Μυοῦς autem, urba Joniae fuit, quemadmodum Stephanus *de Urbibus, pag.* 477. *Philonis* auctoritate, & *Apollodori primo Chronicorum*, ſcribit, citans ex Strabonis *lib.* xii. verba haec, quae habentur circa finem (*c*), *pag.* 868. (579.) ἔν τε τοῖς περὶ Μαγνησίαν καὶ Μυοῦντα: *& ad Magneſiam atque Myuntem*: quae mirum eſt conquiſiſſe illum, cum potuiſſet certius & clarius teſtimonium petere ex alio Strabonis *libro* xiv. *pag.* 943. (636.) loco, in quo eſt; πόλις Μυοῦς, μία τῶν Ἰάδων. Videat ergo Thucydidis *Interpres*, quo auctore fretus, Μυοῦντα, πόλιν eſſe (*d*) Καρίας, *urbem Cariae*, ſcripſerit.

CLII. Quidam addunt, non in Cibaria modo, ſed & in Veſtiarium, atque adeo in Sratum, quo, ut Virgilius *libr.* iv. *Aeneid. v.* 391. loquitur, *membra reponeret*, Themiſtocli Xerxem, urbes nominatim conceſſiſſe. Plutarchus in *Themiſtocle*, *pag.* 126. *ſeq.* Πόλεις δ᾽ αὐτῷ τρεῖς μὲν οἱ πλεῖστοι δοθῆναι λέγουσιν, εἰς ἄρτον καὶ οἶνον καὶ ὄψον, Μαγνησίαν καὶ Λάμψακον καὶ Μυοῦντα· δύο δ᾽ ἄλλας προστίθησιν ὁ Κυζικηνὸς Νεάνθης καὶ Φανίας, Περκώτην καὶ Παλαίσκηψιν, εἰς στρωμνὴν καὶ ἀμπεχόνην. *Plerique auctores tradunt, datas ei fuiſſe tres civitates, quarum e reditibus panem, vinum & obſonia pararet, Magneſiam, Lampſacum & Myuntem: duas addunt, in ſtratum & amictum ei conceſſas, Neanthes Cyzicenus & Phanias, nimirum Percoten & Palaeſcepſin.* Athenaeus *libr.* 1. *cap.* 23. *pag.* 29. Ὅτι Θεμιστοκλῆς ὑπὸ βασιλέως ἔλαβε δωρεὰν τὴν Λάμψακον εἰς οἶνον, Μαγνησίαν δ᾽ εἰς ἄρτον, Μυοῦντα δ᾽ εἰς ὄψον, Περκώτην δὲ καὶ τὴν Παλαίσκηψιν εἰς στρωμνὰς καὶ ἱματισμόν. *Themiſtocles a Perſarum rege Lampſacum dono accepit, e qua ſibi vinum haberet; Magneſiam, e qua panem; Myunta, e qua obſonium, Palaeſcepſin & Percopen, e quibus veſtes & ſtragula.* Id quod & Interpres Aristophanis in *Equites*, ad verſum, 84. Ὁ Θεμιστοκλέους γὰρ θάνατος, &c. adnotat: cujus verba, poſt tot claſſicos auctores, adſcribere ſupervacuum cenſerem, niſi levidenſis mendi tollendi cauſa: Apud eum enim ita ſcribitur: Εὐχαριστῶν ὁ βασιλεὺς, δωρεῖται αὐτῷ τρεῖς πόλεις· Μαγνησίαν, εἰς σῖτον· Λάμψακον, εἰς οἶνον· Μυοῦντα, εἰς ὄψον (*e*). ὡς δὲ Κλεάνθης, καὶ Περκώτην εἰς στρωμνὴν, καὶ Παλαίσκηψιν, εἰς στολήν. *Ad declarandam gratitudinem ſuam, rex ei donat tres urbes: Magneſiam, e qua cibum; Lampſacum, e qua vinum; Myunta, e qua obſonium haberet, &, ut Cleanthes tradit, Percoten quoque, e qua ſtratum, atque Palaeſcepſin, e qua veſtes acciperet.* Ubi, pro Κλεάνθης, emenda, ex Plutarcho, Νεάνθης. Hic eſt enim Neanthes Cyzicenus, Hiſtoricus, quem Attali ſaeculo vixiſſe Athenaeus *libr.* xv. *cap.* 18. *pag.* 699. tradit: qui Ἑλληνικῶν libros complures ſcripſerat, quorum tertium, ac quintum, citat idem Athenaeus *libr.* iii. & xiii. ſextum etiam, *libr.* vii. *pag.* 311. Suidas; Νεάνθης Κυζικηνὸς ῥήτωρ, μαθητὴς Φιλίσκου τοῦ Μιλησίου. *Neanthes, rhetor Cyzicenus, Philiſci Mileſii diſcipulus.* Ac ne cui in ſupra citatis locis ex varietate nominis Περκώτης & Περκώπης error objiciatur, ſciat, auctore Stephano, *pag.* 543. utramque ſcripturam rectam eſſe: eamque Troadis urbem, olim Περκώπην: poſtea Περκώτην appellatam. Timagoram etiam ab Artaxerxe iis muneribus honoribuſque cumulatum, quibus nullus unquam Graecorum poſt hominum me-

(*a*) Plutarcho] Plutarchus non tam ipſe aliquid hac de re affirmat, quam, propoſitis diverſis ſententiis, rem potius in medio relinquit. TR.

(*b*) Mnemon] *Longimanus* forte ſcribere voluit auctor: nam *Mnemonis* Imperium vivendo attingere Themiſtocles non facile potuit per rerum naturam, quum inter illud & Xerxis expeditionem in Graeciam octoginta pene anni interſint. Neque etiam de alio, quam Longimano ſentiunt Nepos & Thucydides. De neutro vero conſtat, eum Xerxem quoque vocatum fuiſſe. Miſſa ergo hac conciliandi ratione, dicere mallem, Themiſtoclem primo ad Xerxem veniſſe, & ab eo fuiſſe honoratum; deinde vero ab Artaxerxe majoribus honoribus auctum. Si Imperium illud ſimultaneum Xerxis & Artaxerxis, quod a quibuſdam recentioribus ſtatuitur, paullo eſſet certius: facilior adhuc adeſſet conciliandi ratio. Sed haec obiter. TR.

(*c*) Finem] Erravit ergo *Pinedo* in *not.* ad *Steph.* quando numeros *libb. Strabonis* corrigere vult. TR.

(*d*) Καρίας] Forte Thucydidis interpres, dum Myunta Cariae urbem eſſe ſcripſit, reſpexit antiquiora tempora; quibus Myunta Cares, teſte Pherecyde, tenebant. qua de re Strabo libr. XIV. initio: *pag.* 938. (632.) Ἔστι δ᾽ ἀπὸ τοῦ Ποσειδίου τοῦ Μιλησίων, καὶ τῶν Καρικῶν ὅρων, μέχρι Φωκαίας καὶ τοῦ Ἕρμου, τὸ πέρας τῆς Ἰωνικῆς παραλίας. Ταύτης δέ φησι Φερεκύδης Μίλητον μὲν, καὶ Μυοῦντα, καὶ τὰ περὶ Μυκάλην καὶ Ἔφεσον, Κᾶρας ἔχειν πρότερον· τὴν δ᾽ ἑξῆς παραλίαν μέχρι Φωκαίας, καὶ Χίον, καὶ Σάμον ἧς Ἀγκαῖος ἦρχε, Λέλεγας· ἐκβληθῆναι δ᾽ ἀμφοτέρους ὑπὸ τῶν Ἰώνων, καὶ εἰς τὰ λοιπὰ μέρη τῆς Καρίας ἐκπεσεῖν. *Fines orae Jonicae ſunt Poſeidium Mileſiorum, ac Cariae extrema, & Phocaea atque Hermus. De hac Miletum, Myuntem, & quae ſunt circa Mycalen atque Epheſum loca Pherecydes ſcribit Cares quondam tenuiſſe: reliquam uſque ad Phocaeam, & Chium, & Samum oram, cui Ancaeus praefuit, Leleges: utroſque autem ab Jonibus ejectos in reliquas Cariae partes demigraſſe.* L. Hanc *Lederlini* ſententiam confirmat Praeſtantiſſ. *Dakerus* ad *Thucydidis Scholia Graeca pag.* 621. TR.

(*e*) Ὄψον] Cl. *Kuſterus* edidit: ὄψα: idem vulgatam lectionem in Κλεάνθης retinuit, & in medio reliquit, utrum Plutarchus ex Scholiaſte, an contra hic ex illo ſit emendandus. Ego tamen cum auctore noſtro cenſeo, quia de Cleanthe hiſtorico altum apud veteres ſilentium. TR.

memoriam fuerat, ATHENAEUS *libr.* II. *cap.* 9. *p.* 48. ita ſcribit: Ἀρταξέρξης οὗτος μὲν ἔδωκεν αὐτῷ διαφέρουσαν τῷ κάλλει καὶ τῷ μεγέθει σκηνὴν, καὶ κλίνην ἀργυρόποδα. ἔπεμψε δὲ καὶ στρώματα πολυτελῆ, καὶ τὸν ὑποστρώσοντα· φάσκων, οὐκ ἐπίστασθαι τοὺς Ἕλληνας ὑποστρωννύειν, καὶ ἐπὶ τὸ Συγγενικὸν ἄριστον ἐκαλεῖτο ὁ Κρὴς οὗτος, τὸν βασιλέα ψυχαγωγήσων· ὅπερ οὐδενὶ πρότερον τῶν Ἑλλήνων ἐγένετο, ἀλλ' οὐδ' ὕστερον. *Artaxerxes illi tentorium dedit inſigni pulcbritudine & amplitudine, & lectum argenteis pedibus fultum, ad eumque miſit ſtragula pretioſa, & bominem, qui ea ſterneret: Graecos neſcire dictitans, quomodo ſubſterni oporteret. Invitatuſque eſt ad (gentilitium) cognatorumque prandium Cretenſis ille, regem exbilaraturus: quod Graecorum nulli antea contigerat, nec poſtea cuiquam conceſſum eſt.* Paulo aliter PLUTARCHUS in *Pelopida pag.* 294. de eodem Timagora; Οὐ γὰρ μόνον χρυσίον, οὐδ' ἀργύριον, ἔλαβεν, ἀλλὰ καὶ κλίνην πολυτελῆ, καὶ στρώτας θεράποντας, ὡς τῶν Ἑλλήνων οὐκ ἐπισταμένων. ἔτι δὲ βοῦς ὀγδοήκοντα, καὶ βουκόλους, ὡς δὴ πρὸς ἀρρωστίαν τινὰ γάλακτος βοείου δεόμενος. τέλος δὲ κατέβαινεν ἐπὶ θάλατταν ἐν φορείῳ κομιζόμενος, καὶ τέσσαρα τάλαντα τοῖς κομίζουσι μισθὸς ἐδόθη παρὰ βασιλέως. *Non enim modo aurum & argentum acceperat, ſed & lectum precioſum, & ſtratores famulos, quaſi Graeci ſternere neſcirent: praeterea vaccas octoginta & bubulcos, nempe quod valetudinis cauſa lacte vaccarum opus baberet: denique lectica ad mare deportatus eſt, & quatuor talenta mercedis nomine rex lecticariis expendit.* Timagoram autem hunc Cretenſem ATHENAEUS appellat, eumque Themiſtoclis aemulatione incenſum, ad Artaxerxem ſeſe contuliſſe narrat. PLUTARCHUS vero, ab Athenienſibus Legatum ad Artaxerxem miſſum, ac poſt reditum, quod ingentia illa ab Artaxerxe munera cepiſſet, merito damnatum, capite poenas luiſſe, in *Pelopida* ſcribit. Verum ut illius cupiditas infamata, ita ex diverſo Pelopidae continentia ſumme laudata, quod in ea re modum tenuit: ut qui non in totum Artaxerxis muneribus moroſe abſtinuerit, ſed iis duntaxat, quae Xeniorum, amicaliſque teſſerae modum excedebant. Hoc enim ſibi vult PLUTARCHUS (quod non omnes interpretes capiunt) cum de Pelopida in ejus *vita l. c.* ait: τῶν δὲ δωρεῶν οὐδὲν, ὅτι μὴ χάριτος ἦν σύμβολον καὶ φιλοφροσύνης, δεξάμενος. *Nullum eum munus, quod non gratiae benevolentiaeque eſſet ſignum, accepiſſe.* Idem Artaxerxes Antalcidae Laconi coronam capiti detractam, dein unguento pretioſiſſimo delibutam & perfuſam, miſit, ut ATHENAEUS *Dipnoſophiſtar. libr.* II. *cap.* 9. *pag.* 48. *ſeq.* ſcribit. Ad haec, lectum Argenteis pedibus, καὶ στρωμνὴν, καὶ σκηνὴν Ἀργυρόροφον ἀνθινήν, καὶ θρόνον ἀργυροῦν, καὶ ἐπίχρυσον σκιάδιον, καὶ φιάλας λιθοκολλήτους χρυσᾶς, καὶ ἀργυρᾶς δὲ μεγάλας ἑκατόν, καὶ κρατῆρας ἀργυροῦς· καὶ παιδίσκας ἑκατόν, καὶ παῖδας ἑκατόν. χρυσοῦς τε ἑξακισχιλίους, χωρὶς τῶν εἰς τὰ ἐπιτήδεια καθ' ἡμέραν διδομένων· τραπέζας ἐλεφαντόποδας τῶν ἐπιθημάτων, ἐκ τῶν καλλίστων σφενδάμνων πεποιημένων, *& ſtragula, & tentorium lacunatum inſtar regii tabernaculi, violacei coloris, argenteam ſedem, umbellam inauratam, aureas pbialas gemmatas, majores argenteas centum, argentea pocula, ancillas centum, pueros totidem, aureos ſexies mille, praeter ea, quae ad impenſam quotidianam impendebantur, menſas eburneis pedibus ſuffultas, acerna illarum parte ſuperiore*, eidem Artaxerxem donaſſe, ATHENAEUS *libr.* II. *l. c.* refert. PLUTARCHUS in *Pelopida*, *pag.* 294. de Artaxerxe: Καί τοι δοκεῖ μάλιστα τῶν Ἑλλήνων Ἀνταλκίδαν τιμῆσαι τὸν Λακεδαιμόνιον, ὅτε τὸν στέφανον, ὃν πίνων ἐφόρει, βάψας εἰς μύρον, ἀπέστειλεν. *Inter Graeces maxime videtur honoraſſe Antalcidam Spartanum, cui coronam, quam bibens gerebat, in unguente tinctam, miſit.* Idem PLUTARCHUS de Artaxerxe, haec in libro vitae ejus *pag.* 1022. ſcribit; Τὸν Ἀνταλκίδαν ὑπερηγάπησεν, εἰς Πέρσας ἀναβάντα. καί ποτε λαβὼν ἕνα τῶν ἀνθινῶν στεφάνων, καὶ βάψας εἰς μύρον τὸ πολυτελέστατον, ἀπὸ δείπνου, ἔπεμψε τῷ Ἀνταλκίδᾳ, καὶ πάντες ἐθαύμαζον τὴν φιλοφροσύνην. *Antalcidam in Perſiam profectum ſummo eſt amore complexus. & quodam tempore ſertum quoddam floreum, in precioſiſſimum intingens unguentum, Antalcidae a coena miſit, admirantibus omnibus tantam regis in eum benevolentiam.*

CLIII. Sed & Exercitu donari, eximii apud Perſas doni loco habebatur. Auctor HERODOTUS *libr.* IX. *cap.* 108. [*p.* 241.] in narratione de Xerxe & Artaxynta (*a*), in qua ait: Περσικὸν δὲ κάρτα, ὁ στρατὸς, δῶρον. *Eximium autem donum eſt apud Perſas exercitu donari.*

CLIV. Verum omnium regiorum munerum praeſtantiſſimum erat, Mola aurea. Et ita Megabyzo, cujus maxime opera Babylonem ceperat, Xerxes praeter alia multa, Molam auream dono dedit, ſex Talenta pendentem. Quod apud Perſas omnium Regiorum munerum pretioſiſſimum fuiſſe, CTESIAS in *Perſicis cap.* 22. ſcribit.

CLV. Interdum autem Reges his, quibus gratificari volebant, poteſtatem faciebant poſtulandi, quaecunque liberet. Sic Xerxes, ut eſt apud HERODOTUM *libr.* IX. *cap.* 108. [*p.* 241.] Artaxyntae conſuetudine delectatus; ἐκέλευσε αὐτὴν αἰτῆσαι, ὅ τι βούλεταί οἱ γενέσθαι, ἀντὶ τῶν αὐτῷ ὑπουργημένων· πάντα γὰρ τεύξεσθαι αἰτήσασαν. *Juſſit a ſe petere eam, quae optaret ſibi fieri in remunerationem obſequii: omnia enim quae peteret, impetraturam.* Aſſuerus etiam Eſtherem, ut ejus hiſtoriae *cap.* V. *v.* 3. refertur, ita interrogaſſe dicitur; Τί θέλεις, Ἐσθήρ, καὶ τί σου ἐστὶ τὸ ἀξίωμα, ἕως ἡμίσους τῆς βασιλείας μου, καὶ ἔσται σοι. *Quid cupis Eſther, & quodnam eſt petitum tuum? etiamſi dimidium regni petieris, tibi erit.* Quod & JOSEPHUS *libr.* XI. *Antiquitat. cap.* VI. narrat, his verbis: τὴν Ἐσθῆρα ἐκέλευσεν αὐτῷ δηλοῦν τί βούλεται· μηδενὸς γὰρ ἀτυχήσειν, μηδ' ἂν τὸ μέρος τῆς βασιλείας ἐθελήσῃ λαβεῖν. *Eſtberem, quid vellet, ſignificare juſſit: addens, nullam repulſam paſſuram, neque ſi dimidium regni peteret* (*b*). Demarato quoque Xerxem permiſiſſe petere quod vellet, SENECA *libr.* VI. *de Benefic. cap.* XXXI. ſcribit. Quod PLUTARCHUS in *Themiſtocle pag.* 126. ſentit, cum Demaratum juſſum ait, αἰτήσασθαι τὴν δωρεὰν, *petere donum.*

CLVI. Sane in eo ſollemni & anniverſario epulo, quod a Regibus eo die, quo imperium ſuſceperant, praebebatur, cui Perſicum nomen erat Tycta, nefas erat Regi quidquam eorum, quae inter pocula poſtularentur, denegare, quemadmodum HERODOTUS *libr.* IX. *cap.* 110. tradit.

CLVII. Poſterioribus quoque Perſarum temporibus, eodem etiam modo liberales ſe & munificos Reges erga bene merentes exhibuerunt. Teſtis PROCOPIUS *libro primo de bello* Per-

(*a*) ARTAXYNTA] In Graeco textu vocatur Ἀρταΰντη. TR.

(*b*) PETERET] Aliud praeterea exemplum vide *Eſtae lib.* III. *cap.* 4. *v.* 42. TR.

Perſico, cap. 5. pag. 233. (17.) de Armenio quodam, cujus magna extabant in Pacurium Perſarum Regem merita, agens: Δεῖ δὴ αὐτὸν ὁ (a) Πακούριος, ὅτι ἂν βούλοιτ᾽ αἰτήσασθαι, ἀξιῶν, ἰσχυρισάμενος ὅτι δὲ οὐδενὸς τῶν αὐτοῦ ἀτυχήσει. ὁ δὲ ἄλλο οὐδὲν ἠξίου. *Quamobrem contendit ab ipſo Pacurius, ut peteret, quicquid collibitum eſſet, additis promiſſis, ei nihil ſe negaturum. Unum hoc ille rogavit, ut ſibi fieret &c.* Et ibidem de Jacobo Syro (b) recluſo: Καβάδης μὲν δὴ αὐτὸν τὸν ἄνδρα ἐκέλευσεν, ὅ, τι ἂν αὐτῷ βουλομένῳ εἴη, χρήματα οἰόμενος αὐτὸν μεγάλα αἰτήσειν. καὶ τι ἐπαγγελλόμενος, ὡς οὐδενὸς αὐτὸν ἀτυχήσει. *Cabades optionem quidvis petendi fecit, ratus grandem pecuniam rogaturum, ideoque jactanter pollicitans, ipſius vota cumulate impletum iri.*

CLVIII. Sed & Regem deſignatum ab eo, qui deſignaverat, donum petere moris erat, ἐδίδου τῷ ἀναδειχθέντι ἄν τις ᾖ δυνατόν, *& deſignantem dare, modo fieri poterat.* Auctor Plutarchus in *Artaxerxe, pag.* 1024. Itaque cum Aſpaſiam Cyri pellicem, quam Artaxerxes uxorem duxerat, cedere ſibi patrem Darius, Rex ab eo deſignatus, poſtulaſſet, Legis apud Perſas ſanctae religioſaeque ſervatae vinculo, polliceri coactus eſt: Sed cum honeſte negare non poſſet, quod temere promiſerat, arte promiſſum eluſit, ut cum eodem Plutarcho Justinus *libr.* x. *cap.* 2. §. 4. ſcribit.

CLIX. Denique liberalitate & munificentia Perſarum Reges animos ſubditorum ſibi devinciebant. Maximas enim largitiones feciſſe eos, Xenophon *libr.* viii. παιδ. *pag.* 209. [*p.* 165.] teſtatur: Διαμένει, inquiens, δ᾽ ἔτι καὶ νῦν βασιλεῦσιν ἡ πολυδωρία. *Etiam hac tempeſtate regum munificentia durat.* In Donativis vero ſuis, quem ordinem modumque tenerent, idem Xenophon *Oeconomico*, ſive *Memorab. lib.* v. *pag.* 829. exponit, cujus verba ipſa ſubjeci: Φασὶ δέ τινες, ὅταν δῶρα διδῷ ὁ βασιλεύς, πρῶτον μὲν εἰσκαλεῖν τοὺς πολέμῳ ἀγαθοὺς γεγονότας, ὅτι οὐδὲν ὄφελος πολλὰ ἀροῦν, εἰ μὴ εἶεν οἱ ἀρήξοντες. δεύτερον δὲ τοὺς κατασκευάζοντας τὰς χώρας (c) ἀρίστας, καὶ ἐνεργοὺς ποιοῦντας, λέγοντα, ὅτι οὐδ᾽ ἂν οἱ ἄλκιμοι δύναιντο ζῆν, εἰ μὴ εἶεν οἱ ἐργαζόμενοι. *Proditur a nonnullis, quoties rex munera largiatur, primum eos arceſſi ad ipſum, qui praeclare ſe in bello geſſerint, quod multum arare nihil proſit, niſi ſint, qui arantes defendant: deinde qui regiones ſuas quam optimas praeſtant, & cultas reddunt; etenim dicere regem, ne vivere quidem poſſe viros fortes, niſi ſint, qui terram colant.*

CLX. Lautia vero, ſeu ſollemnia munera, quae Legatis exterarum gentium ad ſe miſſis, Perſarum Rex praeſtare ſolitus erat, hujuſmodi erant, ut Aelianus *libr.* i. *Var. Hiſtor. cap.* xxii. tradit: Τάλαντον μὲν ἑκάστῳ Βαβυλώνιον ἐπισήμου ἀργυρίου. τάλαντα δὲ φιάλας δύο ἀργυρᾶς. δύναται δὲ τὸ τάλαντον τὸ Βαβυλώνιον, δύο καὶ ἑβδομήκοντα μνᾶς Ἀττικάς. ψέλλιά τε, καὶ ἀκινάκην ἐδίδου, καὶ στρεπτόν, χιλίων Δαρεικῶν ἄξια ταῦτα· καὶ στολὴν ἐπ᾽ αὐτοῖς Μηδικήν· ὄνομα δὲ τῇ στολῇ, Δωροφορική. *Unicuique talentum Babylonicum argenti ſignati. Talenta vero pendentes phialas duas argenteas. Conficit autem talentum Babylonicum ſeptuaginta duas minas Atticas. Item armillas, & acinacem dabat, & torquem: quae mille Daricos valebant: adhaec ſtolam Medicam; nomen autem illi ſtolae erat Dorophorica.* Supra alias autem Graeciae legationes, Thebanam, quam Pelopidas obivit, Artaxerxem, ipſius praecipue Legati admiratione motum, plurimi feciſſe, Plutarchus in *Pelopida pag.* 294. tradit.

CLXI. Reges Perſarum hoſpitium quandoque cum iis, apud quos diverterant, contrahere; quandoque etiam ſocietatem & amicitiam cum aliis gentibus inire ac jungere conſueverant. Et ita Xerxes Pythii Lydi muneribus, bono quoque vultu, & oratione delectatus, apud Herodotum *libr.* vii. *cap.* 29 inter cetera, quibus eum ornat, ξεῖνον, ait, τέ σε ποιεῦμαι ἐμόν, καὶ (d) τὰς τετρακοσίας μυριάδας τοι τῶν στατήρων ἐκπληρώσω, παρ᾽ ἐμεωυτοῦ δοὺς τὰς ἑπτὰ χιλιάδας. *Hoſpitem meum te facio, & iſta quadragies centena millia nummûm de meo ipſius explebo, datis ſeptem millibus.* Xenophon *libr. de Ageſilai laudibus pag.* 670. literas refert Ageſilao a Rege Perſarum allatas, περὶ ξενίας καὶ φιλίας, *de hoſpitio & amicitia*: poſteaque Ageſilaum ait τὴν βασιλέως ξενίαν, *regis hoſpitium*, aſpernatum. At Pelopidas, legatus a Thebanis ad Regem Artaxerxem miſſus, cum alia, quae petierat, impetravit, tum hoc, τοὺς Θηβαίους πατρικοὺς φίλους νομίζεσθαι βασιλέως, *ut Thebani paterni amici regis cenſerentur.* ut Plutarchus in illius ducis vita *l. c.* ſcribit.

CLXII. Hoc loco de Regii jurisjurandi conceptione, ſolemnique fidei Regum vinculo, recte atque ordine mihi videor eſſe dicturus. Perſarum Reges per Mithrem, hoc eſt, divinum Solis numen, jurabant. Apud Xenophontem *libr.* vii. παιδ. Cyrus μὰ τὸν Μίθρην, *non per Mithrem*, jurat (e). Plutarchus in *Apophthegmat. pag.* 174. Artaxerxem Mnemonem, νὴ τὸν Μίθρην, *ſane per Mithrem*, jurantem inducit. Qua verborum formula ejuſdem Artaxerxis jusjurandum concipitur ab Aeliano *libr.* i. *Variae Hiſtor. cap.* xxxiii. Xenophon etiam in *Oeconomico*, ſive *Memorab. lib.* v. *pag.* 836. Cyrum minorem iiſdem conceptis verbis jurantem facit, in hunc modum: ὄμνυμί σοι τὸν Μίθρην, *juro tibi per Mithrem.* Apud Q. Curtium *libr.* iv. *cap.* 13. §. 12. Darius, *Solem hunc Mithrem, ſacrumque & aeternum invocat ignem, ut militibus ſuis, dignam vetere gloria, majorumque monumentis, fortitudinem inſpirarent.* Sed & apud Herodotum *libr.* i. *cap.* 212. Tomyris ἥλιον ἐπόμνυμι, τὸν Μασσαγετέων δεσπότην, *per ſolem jurabat Maſſagetarum dominum.* De hac autem Jurisjurandi formula ſenſiſſe videtur Valerius Maximus, cum *libr.* ix. *cap.* 11. *ext.* 6. ait, Darium *ſanctiſſimo Perſis jurejurando obſtrictum.*

CLXIII. Reges vero, Dextra data, fidem ſuam obſtringebant, eratque hoc ſanctiſſimum fidei pignus: & ut Diodorus Siculus *libr.* xvi. *cap.* 48. *pag.* 115. (*St.* 533. *Rb.* 441.) loqui-

(a) Prior edit. πακοῦργος legebat, pro quo ex edito repoſui Πακούριος, quem paulo ante male prior editio Pacuvium vocabat. Vide Procop. de bello Perſico *libro* I. *cap.* v. *p.* 17. L.

(b) Syro] In omnibus anterioribus *edd.* legebatur vitioſe Cyro. TR.

(c) Ἀρίστας] In edit. Xenoph. p. 655. eſt ἀρίστα, addito circello, pro quo lectionem Briſſonii repone. L.

(d) Verba haec: τὰς τετρακοσίας μυριάδας, quae prior editio non habebat, ex edit. Herod. huc revocavi, & paulo ante pro ξένον, ξεῖνον, quod magis Jonicum, itidem reſcripſi. L.

(e) Jurat] Auctor ſine dubio intelligit locum *pag.* 195. ubi tamen non Cyrus; ſed Artabazus, ad Cyrum ſermonem dirigens, ita jurat. TR.

loquitur, ἣ πίστις αὕτη βεβαιοτάτη παρὰ τοῖς Πέρσαις. *Haec certiſſima fidei apud Perſas arrba erat.* Proinde, ut ibidem Diodorus narrat, cum Sidonii adverſus Regem Artaxerxem rebellaſſent, Mentor (*a*), qui in ea civitate opibus auctoritateque pollebat, ſibi cavens, Theſſalionem famulorum fidiſſimum ad Regem, gratiam hanc ab eo inire ſtudens, miſit, qui ei nuntiaret, ſibi in animo eſſe, Sidonios populares ſuos prodere, & cum eo in bellum adverſus Aegyptios proficiſci, fortemque ac fidelem operam ei polliceretur, ut qui locorum gnarus eſſet. Quem nuncium grato animo Rex accepit, defectioniſque ſe Mentori gratiam facere, ac veniam dare dixit, dummodo promiſſa impleret: dona quoque ampliſſima daturum ſe recepit. At Theſſalio, nudo Regis ſermone minime contentus, inſuper fidei vinculum, Dextram Regis poſtulavit, hoc ei a domino nominatim mandatum eſſe dicens. Quam rem in contumeliam Rex accipiens, quaſi dicto ſuo fides non haberetur, in dubiumque verba ejus vocarentur, continuo a lictoribus rapi Theſſalionem, & ultore gladio feriri juſſit. At ille, cum facturum quidem Regem quod ei libuiſſet, exclamaret, ſed Mentorem, cui ea omnia praeſtare, quae pollicebatur, in promptu erat, nihil prorſus effecturum, quod Rex ei fidem dare detrectaſſet, percuſſit eo dicto animum Regis: qui poenitentia ductus, ſententiam mutavit, revocatoque Theſſalioni Dextram porrexit, & cum abire permiſit. Xenophon in *libr. de Ageſilai laudibus pag.* 664. [*p.* 525.] Κότυς δ' ὁ τῶν Παφλαγόνων ἄρχων, βασιλεῖ μὲν οὐχ ὑπήκουσε δεξιὰν πέμποντι. *Cotys. Paphlagonum praefectus, regi quidem dextram mittenti non paruit.* Sic fide data, Artaxerxem ſibi Mentorem conciliaſſe, Georg. Gemistus Plethon narrat *libr.* II. his verbis: Μέντορα δὲ, διὰ τὸ δεξιὰν δοῦναι, ᾠκειώσατο· μεγίστη γὰρ αὕτη παρὰ Πέρσαις πίστις. *Mentorem, dextra data ſibi conciliavit, certiſſima vero haec fidei apud Perſas arrba eſt.* Aemilius Probus in *Datame, cap.* 10. §. 1. de Mithridate: *Namque is pollicitus eſt Regi, ſe eum interfecturum, ſi ei Rex promitteret, ut quodcunque vellet, liceret impune facere, fidemque de ea re, more Perſarum, Dextra dediſſet: hanc ut accepit, ſimulat ſe ſuſcepiſſe cum Rege inimicitias.* Darius certe, multis vulneribus a Cognatis confoſſus, cum ſpirans adhuc, ab uno ex Alexandri militibus, quem captivus Perſicae linguae peritus comitabatur, ex voce, indigenam adeſſe cognovit, perferri quaedam Alexandro juſſit, & in his haec; Quod ad necis ſuae ultionem pertinebat, jam non ſuam, ſed exempli, communemque omnium Regum eſſe cauſam: quam negligere illi & indecorum eſſet, ac periculoſum: quippe cum in altero juſtitiae ejus, in altero etiam utilitatis cauſa verſaretur. In quam rem *unicum pignus fidei Regiae, Dexteram ſe ferendam Alexandro dare,* dixit: poſteaque, porrecta manu, expiravit (*b*). Et hoc eſt, quod Plutarchus in *Alexandro, pag.* 690. Darium, data Polycrati manu, in his noviſſimis vocibus defeciſſe refert: Ἀλέξανδρος ἀποδώσει σοι τὴν χάριν, Ἀλεξάνδρῳ δ' οἱ θεοὶ, τῆς εἰς μητέρα, καὶ γυναῖκα, παῖδας τοὺς ἐμοὺς ἐπιεικείας, ᾧ ταύτην δίδωμι τὴν δεξιὰν διὰ σοῦ. *Alexander tibi beneficium compenſabit, Alexandro dii humanitatem, quam matri, uxori, liberiſque meis exhibuit, cui hanc ego meam dextram te nuncio porrigo.* Sed & apud Xenophontem *libr.* IV. παιδ. Κύρ. *pag.* 113. [*p.* 90.] Cyrus Gobriam alloquens, Ἐγὼ ἀληθευόμενος δίδωμί τέ σοι τὴν ἐμὴν, καὶ λαμβάνω τὴν σὴν δεξιάν. θεοὶ δ' ἡμῖν μάρτυρες ἔστωσαν. *Ob has res ego vere & ex animo dextram tibi meam do, ac tuam accipio. Dii teſtes nobis ſunto.* Eodemque modo, obſides Hyrcanii Cyro fidem dant, & accipiunt. Nam cum Cyrus eos interrogaſſet, num haberent, quo fidem obligarent, & vera ſe dicere teſtarentur: ipſi viciſſim *ibid. pag.* 92. [*p.* 73.] καὶ σὺ, ajunt, ἡμῖν θεῶν τε πιστὰ ποίησον, καὶ δεξιὰν δὸς, ἵνα φέρωμεν καὶ τοῖς ἄλλοις ταῦτα, ἅπερ ἂν αὐτοὶ λάβωμεν παρὰ σοῦ. ὁ δ' οὕτω τὰ πιστὰ δίδωσιν αὐτοῖς, ἦ μὴν, ἐὰν ἐμπεδῶσιν ἃ λέγουσιν, ὡς φίλοις, καὶ πιστοῖς χρήσεσθαι αὐτοῖς. *Tu modo diis imploratis fidem nobis dato, dextramque jungito, ut quae abs te acceperimus, aliis etiam feramus. Tum deinde fidem illis dabat, ſi quae dicerent firma rataque praeſtarent, bona ſe fide ipſos amicorum & fidorum loco habiturum.* Idem & apud Parthos receptum fuiſſe, Josephus *libr.* XVIII. *Antiq. Jud. cap.* XII. (*al.* IX.) ita ſcribit: Ὁ δ' Ἀρτάβανος τούς τε πατρῴους θεοὺς ἐπώμνυτο, μηδὲν κακὸν δράσειν αὐτοὺς (*c*)· καὶ τὴν δεξιὰν ἐδίδου, ὅπερ μέγιστον παρὰ πᾶσι τοῖς ἐκείνῃ βαρβάροις παράδειγμα τοῦ θαρσεῖν γίνεται τοῖς ὁμιλοῦσι. οὐ γὰρ ἂν ψεύσαιτό τις, δεξιὰς ὑπ' αὐτῶν δόντας προσμένοιτο, οὐδ' ἂν πιστεύσειεν ἐνδοιάσας, οἷς τοιᾶσδε ἀσφαλείας δοίη προσιοῦσι, παρὰ τοῦ ἐν ὑποψίᾳ ἀδικεῖν προσδεδεγμένου. *Artabanus per patrios Deos jurat, nihil eos ſe laeſurum, cujus rei fidem dextra data fecit, quod apud Barbaros conventuros certiſſimum eſt fiduciae argumentum. nam poſt datam dextram apud eos nec fallere, nec diffidere fas eſt, ceſſantibus omnino ſuſpicionibus.* Dio Chrysost. περὶ ἀπιστίας, *de incredulitate, p.* 604. Τισσαφέρνης δ' οὐκ ὤμοσε μὲν τοῖς περὶ Κλέαρχον; τί δαὶ (*d*) ὁ βασιλεύς; οὐχὶ καὶ τοὺς βασιλείους θεοὺς καὶ τὴν δεξιὰν ἀπέστειλε; *Tiſſaphernes vero nonne juravit Clearcho? Quid vero rex? nonne etiam regios deos, dextramque ſuam miſerat?*

CLXIV. Ex quibus lumen accipit, quod Q. Curtius *libr.* VI. *cap.* 4. §. 14. ſcribit, Alexandrum, *fidem, quo Perſae more accipiebant, Nabarzani dediſſe.* Idemque *libr.* VIII. *cap.* 12. §. 10. de eodem Alexandro, *Laetus*, ait, *ſimplicitate Barbari, Rex dextram, fidei ſuae pignus, dedit.*

CLXV. Ceterum, ut ad ea, quae reſtant, gradum promoveamus, Venatu ſaepe Perſarum Reges exercebantur, eique rei ſtudioſe operam dabant. Nec ſingulis modo menſibus, ſemel atque iterum, verum etiam ſaepius, venatum proficiſcebantur, mediam cuſtodum corporis partem ſecum ducentes. Xenophon *libr.* I. παιδ. *pag.* 5. Ὅταν δ' ἐξίῃ βασιλεὺς ἐπὶ θήραν, ἐξάγει τὴν ἡμίσειαν τῆς φυλακῆς. ποιεῖ δὲ τοῦτο πολλάκις τοῦ μηνός. *Rege exeunte venatum, (& exit in menſe multoties) dimidia cuſtodiae pars ab ipſo ducitur.* Hoc a Cyro ideo inſtitutum, idem *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 205. tradit, quod ejuſmodi exercitationem ad militarem proxime accedere, & ad bellicos labores perferendos aſſuefacere, diceret. Ut enim belle a Cicerone *lib.* II. *de Nat. Deor.*

(*a*) Mentor] Immo potius *Tennes*, ut docuerunt *Rhodomanus* & *Weſſeling.* in notis. TR.

(*b*) Expiravit] Haec omnia ſunt ex Justino *lib.* XI. *cap.* 15. TR.

(*c*) Poſt αὐτούς in edit. Joſeph. adduntur ſequentia: πίστει τῷ [in *Haverk. ed.* τῇ] αὐτοῦ παρακεχωρηκότας. [in *Haverk. ed.* παρακεχωρηκότας. *qui ſeſe ejus fidei commiſerant*] mox dein pro prior. edit. ἐνδοιάσαντι repoſui ex edit. ἐνδοιάσαντος. L.

(*d*) Δαὶ] Alii *Codd.* legunt δὲ, ut *Sylb.* edidit: alii δὴ, ut prima auctoris *ed.* exhibet. TR.

Deor. *cap.* 64. ſcriptum eſt, *Venatu ad ſimilitudinem bellicae diſciplinae exercemur.* Cujuſmodi corporis exercitationem in principe ſumme laudat PLINIUS in *Panegyr.* *cap.* 81. in quo Trajanum adloquens, *Quae enim*, ait, *remiſſio tibi, niſi luſtrare ſaltus, excutere cubilibus feras, ſuperare immenſa montium juga, & horrentibus ſcopulis gradum inferre, nullius manu, nullius veſtigio adjutum?* Et mox: *Olim haec experientia juventutis, haec voluptas erat: his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris, curſu: cum audacibus, robore: cum callidis, aſtu: nec mediocre pacis decus habebatur, ſubmota campis irruptio ferarum, & obſidione quadam liberatus agreſtium labor. Uſurpabant gloriam iſtam illi quoque Principes, qui obire non poterant. Uſurpabant autem, ut domitas fractaſque clauſtris feras, ac deinde in ipſorum quidem ludibrium emiſſas, mentita ſagacitate colligerent. Huic* (videlicet Trajano) *par capiendi quaerendique ſudor, ſummuſque & idem gratiſſimus labor invenire.* Eandem etiam ut bono principi apte convenientem, DIO CHRYSOSTOMUS *Oration.* III. *de Regno in fine*, *pag.* 58. valde commendat his verbis: Ὁ δὲ ἀγαθὸς βασιλεὺς, κάλλιστον εὕρημα ἡγεῖται τὴν κυνηγεσίαν. καὶ ταύτῃ μάλιστα χαίρει, δι' ἣν τό τε σῶμα γίνεται ῥωμαλεώτερον ἥ τε ψυχὴ ἀνδρειοτέρα, καὶ πρὸς τὰ πολεμικὰ δὲ ἅπαντα ἀσκεῖται. καὶ γὰρ ἱππεῦσαι καὶ δραμεῖν ἀναγκαῖον, καὶ ὑφίστασθαι ῥώμας τῶν ἀλκίμων θηρίων, καὶ καῦμα ἀνέχεσθαι, καὶ ψῦχος ὑπομένειν· πολλάκις δὲ καὶ λιμοῦ καὶ δίψους (a) πειρᾶσθαι (b), διά τε τὴν ἐπιθυμίαν ἐθίζεσθαι καρτερεῖν μεθ' ἡδονῆς. *Bonus rex optimum inventum putat venationem, & hac maxime gaudet, per quam corpus fit robuſtius, animaque fortior, & ad omnes res bellicas exercetur. Etenim equitare & currere neceſſarium, & ſuſtinere incurſum multarum fortium ferarum & aeſtum perferre, friguſque tolerare, ſaepe quoque periculum facere & famis & ſitis, & prae cupiditate aſſueſcere etiam cum voluptate haec perferre.* His igitur de cauſis crebro, & magna alacritate, magno etiam comitatu, frequentique juventutis concurſu, Venatio peragebatur. Quod & Parthorum Reges factitaſſe accepimus. Proinde Germanici morte nuntiata, Regum Regem ad indicium maximi luctus, & exercitatione venandi, & convictu Megiſtanum abſtinuiſſe, quod apud Parthos juſtitii inſtar eſt, SUETONIUS in *Calig.* *cap.* V. refert. Darium autem Regem in venatu ferarum, HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 129. [*p.* 93.] narrat, ἀποθρώσκοντα ἀπ' ἵππου, στραφῆναι τὸν πόδα, καί κως ἰσχυροτέρως ἐστράφη. ὁ γάρ οἱ ἀστράγαλος ἐξεχώρησε ἐκ τῶν ἄρθρων. *Ab equo deſilientem, pedem intorſiſſe, vehementerque luxaſſe. nam talus e juncturis dimotus erat.* Verum quibus armis inſtructos eſſe oporteret Juvenes, qui Regem venantem adſectabantur, XENOPHON *libr.* I. παιδ. *pag.* 5. exponit. Aſſyrios quoque reges venatu exerceri ſolitos, SUIDAS in verbo Σαρδανάπαλος teſtatur.

CLXVI. Venationis autem cauſa, tanta Canum Indicorum multitudo alebatur, ut ad praebenda iis cibaria, quatuor in Babylonis planitie, magni vici adtributi eſſent, aliorum tributorum immunes, quemadmodum HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 192. tradit. Nobiles enim ad venandum canes in India eſſe, latratuque abſtinere, cum viderent feram, leonibus maxime infeſtos, CURTIUS *libr.* IX. *cap.* I. §. 31. ſcribit.

CLXVII. Non ſemper autem in campis apertis Reges venabantur, ſed & Vivariis incluſas feras agitabant. Sed enim ut laborioſam illam & martiam venationis ſpeciem DIO CHRYSOSTOMUS laudibus effert, ita mollem hanc, deſidem & ignavam improbat: propterea quod eo modo feras, velut carcere clauſas, in promptu poteſtateque habentes Perſae, non tantum earum inveſtigandarum labore levabantur, ſed & extra omnem aleam poſiti, animos indulgent vacui ab omni metu periculi, quod adeunt, qui ſe feris objiciunt, eaſque acrius inſequuntur. Ipſamet DIONIS verba, ex *Orat.* III. *de Regno*, *pag.* 58. quibus Περσικὴν iſtam θήραν vellicat, in medium proferre non pigebit. Ea ſic habent: Ἐκεῖνοι μὲν γὰρ (de Perſis loquitur) παραδείσους ἀπολαβόντες, ὅπως ἐκθηρῶσιν, ὥσπερ ἐν εἱρκτῇ, τὰ θηρία ἔκτεινον, ὡς μήτε ζητοῦντας πονεῖν, μήτε αὖ κινδυνεύοντας, ἅτε ἀσθενῆ, καὶ δεδουλωμένα. ὁμοίως δὲ ἀφῃροῦντο τήν ἐπὶ τῷ εὑρεῖν χαράν, καὶ τὴν ἐπὶ τῷ φθάσαι σπουδὴν, καὶ τὴν ἐπὶ τῇ συμβολῇ ἀγωνίαν. ὅμοιοι γὰρ (e) ἐκεῖνοι, ὥσπερ πολεμικοὶ φάσκοντες εἶναι, ἀφέντες τὸ τοῖς πολεμίοις μάχεσθαι, τοὺς αἰχμαλώτους οἴκοι λαβόντες ἔκτεινον. *Illi enim hortis incluſas, ſi quando concupiſcerent venari, tanquam in carcere beſtias occidebant, ut nullum ſcilicet haberent laborem quaerendo, neque periculum in occidendo, utpote infirmas & in ſervitutem redactas: ſimul etiam abſtulerunt ſibi gaudium ob inventionem, & ſtudium ad comprehendendum, & ſollicitudinem ob eventum. Simile autem quid fecerunt, quemadmodum ii, qui bellicoſi eſſe volunt, & relicta hoſtibus pugna, captivos domi acceptos interficiunt.* Nec alia (d) Cyri ſententia fuit, qui ejuſmodi venatione nugas agi pronuntians, apud XENOPHONTEM *libr.* I. παιδ. *pag.* 16. cauſam hanc addit: Ὅμοιον γὰρ ἐμοί γε δοκεῖ εἶναι, οἷόν περ εἴ τις δεδεμένα ζῶα θηρῴη. *Equidem id perinde duco, atque ſi quis animalia vincta venetur.* Imperatoris quoque Gratiani in ſimili venationis genere ignavia, nec malevolorum ſermones, in quos incurrit, nec AMMIANI MARCELLINI *libr.* XXXI. *cap.* 10. linguam notamque effugit. Nemini vero licebat ſagittam, jaculum, telumve in feras contorquere, priuſquam Rex animum ea voluptate expleviſſet. Itaque cum Regem Artaxerxem, inter venandum, leo adortus eſſet, periculique illius, quod a fera Regi imminebat, propulſandi cauſa, Megabyzus beſtiam eam, ſeſe in pedes erigentem, jaculo feriens occidiſſet, indignatus Rex, quod occupaſſet feram caedere, antequam in eam telum miſiſſet, eum decollari juſſit, quemadmodum CTESIAS in *Perſicis cap.* 39. refert. Aſtyagem etiam, cum venationi intereſſet, vetuiſſe, ne quiſquam feras jaculo peteret, πρὶν Κῦρος ἐμπλησθείη βάλλων, *quam Cyrus ſemet feriendo expleſſet*, XENOPHON *libr.* I. *pag.* 17. narrat. Illam tamen obſervantiam poſtea abrogatam ſupra docuimus.

CLXVIII. Verum, quo promiſſi fidem impleamus, tempus eſt, ut ad formam regendis Perſarum

(a) Δίψους] Ita ego ex editis repoſui, quum in anterioribus editionibus legeretur vitioſe ψύχους. TR.

(b) Utrum haec ex MSS habeat Briſſonius, an ex ingenio, non habeo dicere. Editio enim Frid. Morelli *pag.* 58. ſic legit: διά τε τὴν θήραν * ἐπιθυμίας ἐθιζ. &c. Ubi tamen ad litus circellus voci ἐπιθυμίας doctiſſ. quoque editori lectionem vulgatam fuiſſe ſuſpectam ſatis arguit. L. *Fr. Morellus* in *not.* legendum cenſet: τὴν θήρας ἐπιθυμίαν. TR.

(e) Ἐκεῖνοι pro prioris edit. ἐκεῖνος repoſui, & mox οἱ ante πολεμικοὶ delevi, quemadmodum ſcilicet editio Morelli habet. L.

(d) Pro *Aſtyagis*, quod prior habebat editio, repoſui *Cyri*, hujus enim, non vero illius, verba ſequentia ſunt. Vide, ſi vacat, Xenoph. παιδ. libr. I. p. 13. L.

rum provinciis datam, accedamus. Univerſum autem Perſarum imperium in Praefecturas & Provincias, quas illi SATRAPIAS, earumque rectores SATRAPAS appellabant, diſtributum erat. HERODOTUS libr. I. cap. 192. Ἡ ἀρχὴ τ̃ χώρας ταύτης, τὴν οἱ Πέρσαι Σατραπηΐην καλέουσι. *Principatus regionis ejus, quem Satrapiam Perſae vocant.* Rurſuſque libr. III. cap. 89. Ἀρχὰς, a Perſis Σατραπηΐας vocari tradit. ISOCRATES in *Paneg. pag.* 170. Οἱ καταβαίνοντες αὐτῶν ἐπὶ τὴν θάλατταν, οὓς καλοῦσι Σατράπας. *Iſti, qui ad mare deſcendunt, quos Satrapas vocant.* SUIDAS: Σατραπεία, ἡγεμονία. *Satrapia, praefectura.* HESYCHIUS: Σατράπαι, ἀρχηγοί, στρατηλάται. Περσικὴ δὲ ἡ λέξις. *Satrapae, Praefecti bello, Duces militares. vox eſt Perſica.* Satrapae etiam, χωρῶν ἄρχοντες, *Praefecti regionum*, vocantur in Artaxerxis Epiſtola, quae *Eſther. cap.* VIII. *v.* 13. ponitur (*a*). HERODIANUS libr. VI. cap. 6. a Cyro ad Darium uſque, qui ab Alexandro victus eſt, Aſiam omnem μέχρις Ἰωνίας, καὶ Καρίας, ὑπὸ Σατράπαις Περσικοῖς διοικεῖσθαι *ad Joniam & Cariam uſque a Perſicis Satrapis regi* ſcribit. PLUTARCHUS in *Themiſtocle, pag.* 127. Πέρσης ἀνήρ, Ἐπιξύης ὄνομα, σατραπεύων τ̃ ἄνω Φρυγίας. *Perſa quidam, cui nomen Epexyes, qui Satrapa ſuperioris Phrygiae erat.* Et ibidem: Λέγει τῷ Λυδίας Σατράπῃ προσάγγελλων. *Rem ad Lydiae Satrapam defert.* PHILOSTRATUS libr. I. *de vita Apollonii, cap.* XXVII. [XIX. *p.* 38.] Σατράπης, ὁ ἐπὶ τ̃ μεγάλης πύλης Βαβυλῶνος, *Satrapa, qui magnae portae Babylone cuſtodiendae praeerat.* SATRAPAE autem verbo utuntur PLINIUS libr. V. cap. V. (*b*) CURTIUS libr. III. cap. 13. princ. & libr. VI. cap. 6. §. 20. & AEMILIUS PROBUS in *Ageſilao, cap.* 2. §. 2. SATRAPEN etiam apud TERENTIUM *Heautontimor. Act.* III. *Sc.* I. *v.* 43. AEMILIUM PROBUM in *Conone, cap.* 2. §. 1. & CURTIUM pluribus locis, legere eſt. SATRAPAS tamen ut plurimum CURTIUS *Praetores* vocat, ut *Meſopotamiae praetores* apud eum *libr.* X. *cap.* 1. §. 19. Orontem (*c*) etiam CICERO *libr.* V. *de Finibus cap.* 30. *in fine*, *Darii Praetorem* appellat. Juſtinus vero SATRAPEN *Praefectum* vocat. Veluti *libr.* V. *cap.* 2. §. 5. *Ad Tiſaphernen Praefectum Darii Regis profugit.* AEMILIUS PROBUS in *Datame, cap.* 2. §. 5. *Ab Ariobarzane praefecto Lydiae & Joniae.*

CLXIX. In Satraparum vero, & Satrapiarum numero, non leviter variari notandum eſt. Darium quidem primum, CCCLX. SATRAPAS conſtituiſſe, iiſque tres ſummos SATRAPAS praefeciſſe, JOSEPHUS *libr.* X. *Antiquit. Judaic. cap.* XIV. (*al.* XI. *al.* XII.) tradit. Hic eſt Darius, Medorum Rex, quem Babyloniorum regno Balthaſarem, Nabuchodonoſoris nepotem, exuiſſe, D. HIERONYMUS in *Comment. Eſaiae libr.* V. ad *cap.* XIII. *v.* 17. *pag.* 110. tradit (*d*). Quem GEORGIUS CEDRENUS *pag.* 114. (142.) Artaxerxis quoque, Aſtyagis & Nabogiadi (*e*) nominibus appellatum, Cyrique avum fuiſſe, ait. JOSEPHUS vero Aſtyagis filium facit. Cui DANIELIS hiſtoria in Satrapiarum numero haudquaquam conſentit. Ejus enim libri, *cap.* VI. refertur, eundem Darium provinciarum, quae ſub ditione ejus erant, Praeſides ſeu SATRAPAS CXX. habuiſſe: qui quidem Triumviris, quibus ille ſummam rerum commiſerat, actus ſui rationem reddere tenebantur. At Darius Hyſtaſpis filius, ad commodiorem tributorum, quae gentibus ſibi ſubditis imperabat, praeſtationem, alias aliis, non finitimas modo, ſed & longe locorum intervallo disjunctas nationes attribuens, ἀρχὰς (quemadmodum HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 89. ſcribit) κατεστήσατο εἴκοσι, τὰς αὐτοὶ καλέουσι Σατραπηΐας. *Viginti provincias, quas ipſi Satrapias vocant, conſtituit* (*f*). Rurſus hunc ipſum Darium CXXVII. Satrapias feciſſe, diſertis verbis JOSEPHUS *libr.* XI. *Antiquit. cap.* IV. (*al.* III.) ſignificat, cum ait, ipſum lautiſſimo convivio accepiſſe τὰς τ̃ Μήδων ἡγεμόνας, καὶ Σατράπας τ̃ Περσίδος, καὶ Τοπάρχας τ̃ Ἰνδικῆς ἄχρι τῆς Αἰθιοπίας, καὶ τοὺς στρατηγοὺς τ̃ ρκζ Σατραπειῶν. *Medorum duces, & Perſarum Satrapas, provinciarumque praeſides ab Indis uſque ad Aethiopas, & praefectos copiis per centum viginti ſeptem Satrapias.* Quod & *libr.* III. *Eſdrae, cap.* III. *v.* 2. confirmatur. Illic enim narratur, Darium coenam dediſſe (*g*) Στρατηγοῖς, καὶ Τοπάρχαις τοῖς μετ' αὐτὸν, ἀπὸ τῆς Ἰνδικῆς, μέχρι τῆς Αἰθιοπίας, ἐν ταῖς ἑκατὸν καὶ εἴκοσι ἑπτὰ Σατραπείαις. *Ducibus & Provinciarum praefectis a ſe proximis ab Indis uſque ad Aethiopas per centum viginti & ſeptem Satrapias.* Quem numerum ab Artaxerxe ſervatum, JOSEPHUS *libr.* XI. *Antiquit. Judaic. cap.* VI. docet: his verbis: Παραλαβὼν δὲ τὴν βασιλείαν ὁ Ἀρταξέρξης, καὶ καταστήσας ἀπὸ Ἰνδικῆς ἄχρι Αἰθιοπίας τ̃ Σατραπειῶν ἑκατὸν εἴκοσιν ἑπτὰ ἄρχοντας. *Artaxerxes poſt ſuſceptum imperium, & conſtitutos ab India uſque ad Aethiopiam centum viginti ſeptem Satrapas.* Et alio ejuſdem capitis loco: Ἐκέλευσε γράφειν τοῖς ἔθνεσιν ὑπὲρ τ̃ Ἰουδαίων, τοῖς τε οἰκονόμοις καὶ ἄρχουσιν, ἀπ' Ἰνδικῆς ἕως τ̃ Αἰθιοπίας, ρκζ Σατραπειῶν ἡγεμόσιν. *Juſſit eos pro Judaeis ſcribere ad populos, ad magiſtratus & praefectos, ab India ad Aethiopiam uſque, ſub centum viginti ſeptem Satrapis.* *Eſtheris* quoque *cap.* I. *v.* I. de eodem Artaxerxe ſcribitur: Οὗτος ὁ Ἀρταξέρξης ἀπὸ τῆς Ἰνδικῆς ἑκατὸν εἴκοσι ἑπτὰ χωρῶν ἐκράτησεν. *Hic Artaxerxes inde ab India centum viginti ſeptem regionibus imperabat.* Ejuſdem libri *cap.* VIII. *v.* 13. Epiſtola Artaxerxis ponitur (*b*) cum inſcriptione hujuſmodi: Βασιλεὺς μέγας Ἀρταξέρξης, τοῖς ἀπὸ τῆς Ἰνδικῆς ἕως Αἰθιοπίας ἑκατὸν εἴκοσι ἑπτὰ Σατραπείαις, χωρῶν ἄρχουσι, χαίρειν. *Rex magnus Artaxerxes centum viginti ſeptem Satrapis, regionum ab India ad Aethio-*

(*a*) PONITUR] In textu ſcilicet Graeco: nam in Hebraico Codice non legitur. TR.

(*b*) CAP. V.] Ibi hanc vocem non reperi. *Satraparum regio* reperitur *lib.* VI. *cap.* 26. & *Satrapen*, *lib.* VI. *cap.* 27. & *Satrapiae lib.* VI. *cap.* 21. TR.

(*c*) ORONTEM] *Orontes* vocatur in optimis Ciceronis editionibus. TR.

(*d*) TRADIT] Verba ipſa ſunt: *Quorum* (Medorum) *Princeps, Darius primus, Babyloniorum deſtruxit imperium, occiſo Balthaſar, nepote Nabuchodonoſor, qui Evilmerodach filius fuit.* Idem ad *cap.* XIV. *v.* 21. *pag* 114. ita loquitur: *Omnes hiſtoriae conſentiunt, quod occiſo Balthaſar, nepote Nabuchodonoſor, & ſuccedente Dario in regnum Chaldaeorum, nullus de Nabuchodonoſor deinceps ſtirpe regnarit.* Ceterum multas admodum veterum recentiorumque de hoc Dario Medo ſententias poſſem adducere, ſi res eſſet hujus loci. TR.

(*e*) NABOGIADI] Hoc nomen nuſquam alibi legi. Videant eruditi, utrum forte pro Ναβογιάδος reſcribendum ſit Ναβόνιδος; ita enim in *Canone Ptolemaei* ultimus Babyloniae rex vocatur; quem tamen alii a Dario Medo diſtinguunt. TR.

(*f*) CONSTITUIT] Herodotus de viginti majoribus Satrapiis, quae veluti Dioeceſes erant, & quarum ſingulae in minores rurſus ſatrapias ſive provincias dividebantur, eſt intelligendus. TR.

(*g*) DEDISSE] Supple: πᾶσι τοῖς Σατράπαις καὶ Στρ. Paullo poſt pro μετ' in ed. *L. Bos* legitur ὑπ' & deinde articulus τ̃ ante Αἰθιοπίας; & poſt ἑπτὰ particula καὶ ibi omittitur. TR.

(*b*) PONITUR] In Codice ſcilicet Graeco: nam in Hebraico textu illa non legitur. TR.

thiopiam uſque praefectis ſalutem. Verum mihi non liquere ingenue fateor, quae PLATONIS mens fuerit, cum de Dario *libr.* III. *de Legib. pag.* 816. [*p.* 592.] ſcribit in hunc modum: Ἐλθὼν δ' εἰς τὴν ἀρχὴν, καὶ λαβὼν αὐτὴν ἕβδομος, διείλετο, ἑπτὰ μέρη νεμόμενος, ὧν καὶ νῦν ἔτι σμικρὰ ὀνείρατα λέλειπται· καὶ νόμους ἠξίου θέμενος οἰκεῖν, ἰσότητά τινα κοινὴν εἰσφέρων, καὶ τὸν τοῦ Κύρου δασμὸν, ὃν ὑπέσχετο Πέρσαις, εἰς τὸν νόμον ἐνέδει, vel, ut alii legunt, ἐνέθη. *Cum ad principatum perveniſſet, ſeptimuſque ipſum acceptſſet, ſeptem in partes ipſum partitus eſt, quorum hodie adhuc parva quaedam ſomnia reſtant, cenſuitque vivendum eſſe ſub legibus ad communem quandam conſerentibus aequalitatem: atque id ita ſanxit, diſtributionemque illam, quam Cyrus Perſis pollicitus fuerat, lege complexus eſt &c.* Falluntur certe in hujus vocis, ἕβδομος, interpretatione, qui eam ita accipiunt, quaſi ſeptimus in Perſide regnaverit Darius. Non enim ordine & numero Rex Perſarum ſeptimus, ſed ex ſeptem magorum interfectoribus unus, reliquorum ſuffragiis Rex renuntiatus & appellatus eſt. At qui me angit ſcrupulus, in ſequentibus verbis poſitus eſt. Illam enim, quam a Dario factam ait, ἀρχὴν εἰς ἑπτὰ μέρη partitionem, nec probabili quidem, quae mihi ſatisfaciat, conjectura adſequi adhuc potui.

CLXX. At poſtquam Parthi rerum potiti ſunt, illas Perſarum Satrapias, in duodeviginti Regna diviſerunt: ex quibus undecim *Inferiora*; reliqua ſeptem *Superiora* (*a*) appellabantur. PLINIUS *lib.* VI. *cap.* XIII. *Namque Perſarum Regna, quae nunc Parthorum intelligimus, inter duo maria, Perſicum & Hyrcanum, Caucaſis jugis attolluntur, utrinque per dextera laterum.* Idem ejuſdem *libr. c.* XXV. *Ipſa Perſis, adverſus occaſum ſita, obtinet litora* OLM. *paſſuum: etiam in luxum dives, in Parthorum jampridem tranſlata nomen.* Et mox: *Regna Parthorum duodeviginti ſunt omnia. Ita enim dividunt Provincias, circa duo* (*ut diximus*) *maria. Rubrum, a meridie, Hyrcanum a Septentrione. Ex iis undecim, quae Superiora dicuntur, incipiunt a confinio Armeniae, Caſpiiſque littoribus; pertinent ad Scythas, cum quibus ex aequo degunt. Reliqua ſeptem Regna Inferiora appellantur.* Enimvero, ab uno Satrape interdum plures Provinciae regebantur. Sic, Lydiae Joniaeque totiuſque Phrygiae eundem Satrapam, AEMILIUS PROBUS in *Datame, cap.* 2. §. 5. & ARRIANUS *libr.* 1. (*b*) commemorant. HERODOTUS quoque *libr.* III. *cap.* 127. Oroetem, νομὸν τόν τε Φρύγιον καὶ Λύδιον καὶ Ἰωνικὸν, *Praefecturam Phrygiae, Lydiae atque Joniae*, obtinuiſſe refert. Apud ARRIANUM *libr.* VI. *cap.* 27. *pag.* 268. Staſanor ὁ Ἀρείων καὶ ὁ Ζαραγγῶν, Satrapes. Ibidem Phratrophernes Παρθυαίων καὶ Ὑρκανίων Satrapes. Sed & Xerxe regnante unum eundemque τῆς Συρίας, καὶ Φοινίκης, καὶ Σαμαρείας ἔπαρχον, *Syriae, Phoeniciae & Samariae praefectum* fuiſſe, ex JOSEPHO *libr.* XI. *Antiquit. cap.* VIII. (*c*). & *Eſdrae* III. *cap.* VI. *v.* 3. patet: quibus in locis ἔπαρχος appellatur, qui alias Satrapes. Similique modo, quas alii Σατραπείας, PLUTARCHUS in *Apophthegmatis, pag.* 172. ἐπαρχίας vocat. ISOCRATES in *Panegyrico, pag.* 174. Hecatomnum, qui Satrapiam Cariae obtinebat, Καρίας ἐπίσταθμον vocat, ut HARPOCRATION in *decem Rhetor. Lexico*, interpretatur. CURTIUS *libr.* V. *cap.* 3. §. 16. de Alexandro: *Uxiorum deinde gentem ſubactam, Suſianorum Satrapae contribuit.* Pharnabaſo autem *ſummum imperium maritimae orae* Darium dediſſe, Q. CURTIUS *libr.* III. *cap.* 3. §. & 1. *cap.* 13. §. 14. narrat. Cujus orae maritimae Satrapem Sardibus morari & conſiſtere conſueviſſe, PAUSANIAS in *Laconicis* ſive *lib.* III. *cap.* 9. *pag.* 226. docet. Pauſaniae verba ſunt haec: Ἤλαυνεν ἐπὶ τὰς Σάρδεις. ἦν γὰρ δὴ τῆς Ἀσίας τῆς κάτω μέγιστον μέρος τηνικαῦτα ἡ Λυδία· καὶ αἱ Σάρδεις πλούτῳ τε καὶ παρασκευῇ προεῖχον· τῷ τε Σατράπῃ τῷ ἐπὶ θαλάσσῃ τοῦτο οἰκητήρια ἀποδέδεικτο, καθάπερ γε αὐτῷ βασιλεῖ, τὰ Σοῦσα. *Sardes appulit. erat enim tunc inferioris Aſiae pars maxima Lydia, etiam in ea urbs nobiliſſima Sardeis; quae, praeterquam quod opibus & omni copiarum genere ceteras longe anteibat, ejus, qui maritimam praefecturam obtinebat, ita regia erat, uti Suſa regis ipſius.*

CLXXI. Solebant vero Satrapiae filiis Regum decerni, ut ex HERODOTI *libr.* VII. (*d*) ex CTESIAE *Epitome, cap.* 8, 37, 43, 56. & XENOPHONTIS *libr.* 1. Ἀναβάσ. *pag.* 243. apparet (*e*) Reges etiam minoribus natu filiis Satrapias ſupremis judiciis relinquere conſueviſſe, declarat Cyrus apud XENOPHONTEM *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 235. dum haec moriens nuncupat: Σὺ μὲν, ὦ Καμβύση, τὴν βασιλείαν ἔχε· σοὶ δὲ, ὦ Ταναοξάρη, Σατράπην εἶναι δίδωμι Μήδων τε καὶ Ἀρμενίων καὶ τρίτων Καδουσίων. *Tuum quidem, Cambyſe, regnum eſto: tibi vero, Tanaoxare, hoc concedo, ut Medorum, & Armeniorum & Caduſiorum Satrapa ſis.* Darium utique Cyro, minori natu filio, civitates, quarum Praefectus erat, teſtamento legaſſe, JUSTINUS *libr.* V. *cap.* XI. §. 2. narrat. Hyſtaſpem etiam, Artaxerxis (*f*) filium natu minorem, quo tempore pater ab Artabano obtruncatus eſt, obtinuiſſe τὴν ἐν Βάκτροις Σατραπείαν, *Bactrianorum Satrapiam*, DIODORUS SIC. *libr.* XI. *cap.* 69. *pag.* 457. (*St.* 278. *Rh.* 53.) refert. Porum quoque victum Alexander, ut PLUTARCHUS in ejus *vita pag.* 699. ſcribit, ἀφῆκεν ἄρχειν ἧς ἐβασίλευε, Σατράπην καλούμενον. *Reliquit regni, quod tenuerat, Satrapam.*

CLXXII. Satrapae ergo provinciis praeerant, eorumque fidei & curae provinciae committebantur. Horum utique muneri & officio incumbebat, provincialibus imperare, eorum utilitatibus proſpicere, tributa cogere, primiſque cuſtodibus ſtipendia exſolvere: & quidquid inſuper facto opus eſſet, effectum dare, &, ut XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 230. ait, ἄρχειν τῶν ἐνοικούντων, καὶ τὸν δασμὸν λαμβάνοντας, τοῖς τε πρώτοις (*g*) φρου-

(*a*) Videtur ex ipſo Plinii teſtimonio, quod mox affertur, ita legendum in Briſſonii verbis: „ ex quibus undecim *Superiora*; reliqua ſeptem *Inferiora* „ L.

(*b*) LIBR. 1.] Auctor fortaſſe prae oculis habuit locum *cap.* 25. *pag.* 50. ubi narratur partem Phrygiae Majoris cum Lydia fuiſſe conjunctam. TR.

(*c*) CAP. VIII.] Hoc *cap.* nihil reperi, quod huc ſpectaret. *Cap.* IV Siſinnes, tempore Darii, vocatur, Συρίας καὶ Φοινίκης ἔπαρχος. *Lib. Eſdrae l. c.* additur καὶ Σαθραβουζάνης. TR.

(*d*) LIBR. VII.] Ego in HERODOTO nullum aliud exemplum reperire potui, quam Maſiſtis, qui *lib.* IX *cap.* 112. vocatur ὕπαρχος τῶν Βακτρίων. TR.

(*e*) APPARET] Sequentes periodos, a *Sylburgio* perturbatas, ego juxta primam editionem, ejuſque Appendicem, ſecundum mentem auctoris, in ordinem redegi. TR.

(*f*) ARTAXERXIS] Immo Xerxis filius natu minimus erat. TR.

(*g*) Πρώτοις] Hoc verbum in *ed. Leunclavii* non in textu, ſed in margine tantum legitur, & commodè etiam abeſſe poteſt. TR.

Digitized by Google

φρουροῖς διδόναι μισθὸν, καὶ ἄλλο τελεῖν, ὅ,τι ἂν δέῃ. *Regionum incolis praeeſſe, acceptoque tributo, cum praeſidiariis ſtipendium perſolvere, tum, quicquid neceſſe fuerit, perficere.* Hujuſmodi provinciarum Praeſides Regem de toto provinciarum, quas regebant, ſtatu certiorem faciebant, literiſque & per nuntios, ut ſe res haberent, ſignificabant. Mandatis enim, quae illis dabantur, continebatur, ut provincias ita regerent, uti e republica, fide & religione eorum eſſe videretur. Quibus etiam imperaſſe Cyrum, ut quoad ejus fieri poſſet, ea omnia imitarentur, ſequerentur, obſervarent, quae ipſum agere viderant, XENOPHON ibidem *pag.* 231. ſcribit.

CLXXIII. Porro in conſilium a Perſarum Regibus SATRAPAE, & provinciarum Praeſides adhibebantur. Id ex eo apparet, quod *Eſdrae libr.* III. *cap.* III. *v.* 14. ſcribitur: Ἐκάλεσε πάντας τοὺς Μεγιστᾶνας τῆς Περσίδος, καὶ τῆς Μηδίας, καὶ Σατράπας, καὶ στρατηγοὺς, καὶ τοπάρχας, καὶ ὑπάτους· καὶ ἐκάθισεν ἐν τῷ χρηματιστηρίῳ. *Convocavit omnes Perſiae atque Mediae Megiſtanas, Satrapas, belli duces, provinciarum praefectos atque conſules, inque concilio collocavit.* ESTHER quoque *cap.* I. *v.* 14. ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν, ἐγγὺς τοῦ βασιλέως, *populorum praefecti prope regem* memorantur.

CLXXIV. Cum vero Reges Perſarum, aliquos in conſilium adhibentes, eos adſidere jubebant, in medio loco ipſos conſediſſe docet LUCIANUS in *Navigio*, ſeu *Votis*, *cap.* 31. *pag.* 268. *Tom.* III. his verbis; Ἐγὼ δὲ κατὰ μέσον, ὡς νόμος βασιλεῦσι τῶν Περσῶν, ἐπειδὰν αὐτοὶ συμπαρεδρεύειν αὐτοῖς βούλωνται. *Ego vero mediam aciem regam, ut ſolent Perſarum reges, quando aliquos aſſidere ſibi volunt.* Sed & a provincialibus coli & obſervari Satrapas, Perſis placuiſſe, XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 202. ita ſcribit: Οἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν ὑπὸ βασιλεῖ ὄντες, θεραπεύουσι τὰς τῶν ἀρχόντων θύρας. *Qui in Aſia ſub rege vivunt, magiſtratuum aulas officioſe colunt.* Quinetiam pro foribus Praetorii ſtetiſſe in provinciis juvenes bene ac liberaliter educatos, qui Praeſidum mandatis parerent, eoſque venatum proficiſcentes comitarentur, idem XENOPHON *eod. libr. pag.* 231. *ſeq.* demonſtrat. Satrapas autem e publico annonas accepiſſe, indicio eſt, quod PHILOSTRATUS *libr.* I. *de vita Apollonii*, *cap.* 21. vinum his cottidie praebitum narrat.

CLXXV. Eos etiam Regios ſub ſe Scribas habuiſſe, quibus inter cetera, quae ad eorum munus pertinebant, recitandae dabantur literae, quae a rege mittebantur, apparet ex HERODOTO *libr.* III. *cap.* 128. Satellitio quoque inſtructos, & ſatellitibus ſtipatos hujuſmodi Satrapas fuiſſe, idem eodem *libr. cap.* 127. oſtendit. Oroetem enim Lydiae Joniaeque praefectum, ut ille ait, χίλιοι Περσέων ἐδορυφόρεον, *mille Perſarum ſatellites ſequebantur.* Ceterum Satrapis in fide & officio manentibus, caſteque & integre munus ſuum obeuntibus, non temere ſucceſſores dabant, ut a peritis & aſſuetis facilius provinciae continerentur. Artaxerxes tamen regnum ordinans, τῶν ὑπαρχόντων σατραπῶν τοὺς ἀλλοτρίως ἔχοντας πρὸς αὐτὸν ἀπέστησε· τῶν δὲ ἑαυτοῦ φίλων ἐπιλέξας τοὺς ἀξίους, παρέδωκε τὰς σατραπείας; *Satrapas minus ſibi benevolos abdicat; & idoneos ſibi viſos ex amicis in locum illorum ſubſtituit:* quemadmodum DIODORUS SICULUS *libr.* XI. *cap.* 71. *pag.* 458. (*St.* 279. *Rh.* 54.) ſcribit. Nec vero ἀνεκλόγιστοι, aut ἀνυπεύθυνοι, hujuſmodi Satrapae erant: quinimmo, ſi provincias, fanave expilaſſe, provinciales ſpoliaſſe, vexaſſe, pecunias extorſiſſe, aut alias male verſati eſſe dicerentur, Repetundarum poſtulari poterant, convictique, non removeri modo, cum exiſtimationis macula atque nota; ſed etiam graviter in exemplum coërceri, & pro delicti modo plecti ſolebant. Alexander quidem, ut ARRIANUS *libr.* VII. *cap.* 4. *pag.* 277. narrat, Abulidem Suſiorum Satrapen, & Oxatrem ejus filium, quod in Suſios multa avare ac ſuperbe commiſiſſe perpetraſſeque deprehenſi eſſent, occidi juſſit. Ejuſdem Alexandri aures provincialium de Satrapis querelis patuiſſe, ex eo apparet, quod idem ARRIANUS, *libr.* VI. *cap.* 30. *pag.* 273. narrat, Orxinem, Perſidis Praefectum, quod fana ſpoliaſſet, ſepulcra violaſſet, multoſque Perſarum injuſte peremiſſet, damnatum, & in crucem actum, Peuceſte in locum ejus ſuffecto.

CLXXVI. Contra, qui probe laudabiliterque provincias rexerant, & a Rege gratiam inibant, & aliis ſuper alios honoribus dignitatibuſque cumulabantur. Unde eveniebat, ut nihil magis bonis Praeſidibus ad ſequentes honores prodeſſet, quam peractus optime Magiſtratus: eaque ratione, Magiſtratus Magiſtratu; honore honor petebatur. Et cum omnia benefacta in luce collocari juvet, uberrimum virtutis induſtriaeque ſuae fructum fortes viri capiebant, Regem bene functi adminiſtratique muneris teſtem & conſcium habere. Ac plane vere PLINIUS *Panegyrico cap.* 70. adſerit, utile ac ſalutare eſſe Praeſidibus Provinciarum, hanc habere fiduciam, paratum eſſe ſanctitati induſtriaeque ſuae maximum praemium, judicium Principis, ſuffragium Principis: additque, ante Trajani imperium, ſi quis quid benefeciſſet, Caeſarem neſciſſe, aut ſi ſciſſet, teſtimonium non reddidiſſe: Ita *eadem* illa (inquit) *ſeu negligentia, ſeu malignitas Principum, cum male conſultis impunitatem, recte factis nullum praemium polliceretur: nec illos a crimine & ſorde, nec hos deterrebat a laude. At nunc ſi bene aliquis provinciam rexerit, huic quaeſita virtute dignitas offertur: patet enim omnibus honoris & gloriae campus.*

CLXXVII. Licet autem ſummam Satrapis, quorum ſpectatam fidem habebant, poteſtatem Reges conceſſiſſent, in eorum nihilominus Satrapias aliquem ex principibus viris quotannis cum imperio velut Inſpectorem mittebant: qui Satrapis, ſi qua in re auxilio egerent, opem & ſuppetias ferret: ipſos etiam, ſi negligentius in officio verſarentur, coërceret, curva corrigeret, & quae e republica eſſe viderentur, ordinaret: ſin minus, ad Regem referret, ut malis, quibus provincia premeretur, ſuo arbitrio mederetur: quorum in provincias adventu, gaudio exultans plebs, tanquam ipſis provinciis praeſentia ſua Rex ea bona circumferret, Regis Filium, Fratrem, Oculum, in eas terras deſcendiſſe, ſermonibus jactabat. Qua de re ipſamet XENOPHONTIS ex *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 232. [*p.* 183.] verba apponam: Ἐφοδεύει ἀνὴρ κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἀεὶ, στράτευμα ἔχων, ὡς ἢν μέν τις τῶν Σατραπῶν ἐπικουρίας δέηται, ἐπικουρῇ· ἢν δέ τις ὑβρίζῃ, σωφρονίζῃ· ἢν δέ τις ἢ δασμῶν φορᾶς ἀμελῇ, ἢ τῶν ἐνοίκων φυλακῆς, ἢ ὅπως ἡ χώρα ἐνεργὸς ᾖ, ἢ ἄλλο τι τῶν τεταγμένων παραλείπῃ, ταῦτα πάντα κατευτρεπίζῃ· ἢν δὲ μὴ δύνηται, βασιλεῖ ἀπαγγέλλῃ· ὁ δὲ ἀκούων, βουλεύεται περὶ τοῦ ἀτακτοῦντος. καὶ οἱ πολλάκις λεγόμενοι, ὅτι βασιλέως υἱὸς καταβαίνει, βασιλέως ἀδελφὸς, βασιλέως ὀφθαλμὸς, καὶ ἐνίοτε οὐκ ἐκφαινόμενοι, οὗτοι τῶν ἐφόδων εἰσίν· ἀποτρέπεται γὰρ ἕκαστος αὐτῶν, ὁπόθεν ἂν βασιλεὺς κελεύῃ. *Obit hinc inde quiſpiam regiones cum exercitu ſingulis annis, qui ſi auxilio Satrapae*

trapae egeant, fert eis auxilium: ſin quis inſolenter ſe gerat, eum ſanam ad mentem revocat. Quod ſi quis vel tributum adferre negligit, vel incolas tueri, vel ut terra culta ſit, vel quid aliud ex iis, quae ſunt imperata, omittit: haec omnia priſtinam ad rationem reducit; quod ſi nequeat facere, regi denunciat. Is ubi rem audit, de eo, qui praeter imperium ſeſe geſſit, deliberat: ac ſaepenumero hi, de quibus dicitur, Regis filius deſcendit, Regis frater, Regis oculus: hi ergo quum quandoque non conſpiciantur, ſunt inſpectores. Nam quiſque horum e via revocatur, ubi rex juſſerit. Quinetiam praeter Satrapas, qui toti provinciae praeerant, quidam Urbibus & oppidis; quidam vero earundem urbium Arcibus praeficiebantur. Nec enim uni eidemque Urbis, & Ἀκροπόλεως, ſive Arcis, cuſtodiam mandabant: ſed alii erant Urbium; alii Arcium Cuſtodes: quod XENOPHON in *Oeconomico*, ſive *Memorab. libr.* V. *pag.* 829. perſpicue tradit. Hoc enim pro certo ponens atque ſtatuens, non minus ſategiſſe Reges Perſarum, ὅπως ἡ γῆ ἐνεργὸς ἔσται ὑπὸ τῶν κατοικούντων, ἢ ὅπως αὐτοῦ φυλάξεται ὑπὸ τῶν φρουρῶν, *ut terra colatur ab incolis, quam ut a praeſidiis recte cuſtodiatur*: addit; Καὶ εἰσὶ δ᾽ αὐτῷ οἱ Ἄρχοντες διατεταγμένοι ἐφ᾽ ἑκάτερον, οὐχ οἱ αὐτοί, ἀλλ᾽ οἱ μὲν ἄρχουσι τῶν κατοικούντων τε καὶ τῶν ἐργατῶν, καὶ δασμοὺς ἐκ τούτων ἐκλέγουσι· οἱ δ᾽ ἄρχουσι τῶν ὡπλισμένων φρουρῶν. *Et ſunt ſane praetores ad utrumque conſtituti, non iidem: quorum alii praeſunt incolis & operas facientibus, deque his vectigalia colligunt: alii praeſidiis armatis praeſunt.*

CLXXVIII. Aliis plane Urbium, aliis Arcium cuſtodiam adtributam fuiſſe, indicat CURTIUS *libr.* V. *cap.* 2. §. 16. his verbis: *Rex, Perſidis fines aditurus, Suſa urbem Archelao, & praeſidium trium millium tradidit, Xenophilo, arcis cura mandata eſt.* Eodem *libr. cap.* 1. §. 43. Alexandrum, *arci Babylonis Agathone praeſidere juſſo, cum* DCC. *Macedonum, trecentiſque mercede conductis: Praetores, qui regioni Babyloniae, & civitati praeeſſent*, Menetem & Apollodorum reliquiſſe, narrat. ARRIANUS quoque *libro* III. *cap.* XVI. *pag.* 128. Alexandrum Suſianis reliquiſſe Satrapen Abuliten, φρούραρχον δέ, ἐν τῇ ἄκρᾳ τῶν Σούσων. *praefectum vero praeſidii arcis Suſis*, Mazarum, narrat. Diverſa vero Praefecti Urbi, & Cuſtodis Arcis, munia erant: & ille quidem, τῶν ἐνοικούντων ἄρχων, καὶ τῶν ἔργων ἐπιμελούμενος, *incolarum praetor, & operum faciendorum curam gerens*, defixos tam in Agricolas, quam in Opifices, qui in ſordida ſellulariaque arte verſantur, & in illam omnem civitatium fecem, oculos habebat: id agens, & ſedulo curans, ut quam quiſque noſſet artem, in hac ſe exerceret, & ne inerti otio urbis regioniſque incolae marceſcerent. Atque ut libere ac tuto, animoque otioſo & ab omni periculi metu vacuo, pro ſe quiſque diligenti agrorum culturae, urbaniſque artificiis operam impenderet, ad officium Arcis Cuſtodis pertinebat, ne quam oppidani a praeſidiariis militibus, vel ab hoſtibus, injuriam acciperent. Praefectus ergo urbi, rationem otii negotiique ab unoquoque exigere neceſſe habebat, rationibus & ipſe reddendis Regi obnoxius. Ejus enim culpae Agricolarum artificumque deſidia atque ignavia imputabatur, ſi modo ab illis Phrurarchus, id eſt, arcis cuſtos, injuriam propulſaſſet. Etenim, ἢν φρούραρχος μὴ ἱκανῶς τῇ χώρᾳ ἀρήγῃ, *ſi phrurarchus regionem non ſatis defenderit*, agricolaeque vel opifices non poſſent ἐργάζεσθαι διὰ τὴν ἀφυλαξίαν, *exercere opera ob cuſtodiae negligentiam*, ejus rei periculum Phrurarchus praeſtabat. Quapropter Ἄρχοντος ſeu Praefecti muneri quoque incumbebat, Phrurarchum officii ſui admonere, ceſſantemque aut detrectantem, reum ἀφυλαξίας. *neglectae cuſtodiae*, apud Regem agere. Viciſſimque, ſi παρέχοντος τοῦ φρουράρχου εἰρήνην τῆς ἐργασίας, ὁ Ἄρχων ὀλιγάνθρωπόν τε παρέχηται καὶ ἀργὸν τὴν χώραν. *Phrurarcho pacem operibus faciundis praeſtante, praetor regionem a paucis habitatam & incultam exhiberet*, cum Phrurarchus ſocordiae reum poſtulabat. Ita alter quaſi obſervator actus alterius erat: deterioriſque ſtatus tam civitatium, quam vicorum & pagorum, qui ad eas pertinebant, in alterutrum eorum culpa rejiciebatur: denique ſi pecora derelinquerentur, agricultura deſereretur, mercatorum negotiatio conquieſceret, artes βαναυσικαί, *mechanicae*, (quas Croeſus apud XENOPHONTEM *libr.* VII. παιδ. *pag.* 186. [*p.* 144.] πηγὰς τῶν καλῶν, *bonorum fontes*, veriſſime appellat) jacerent, hujus vel illius vitio ea res adſcribebatur. Satrapen vero in provincias miſſum, tam Φρουράρχου, quam Ἄρχοντος τῶν ἐνοικούντων, perſonam ſuſtinuiſſe, & utriuſque partibus functum, XENOPHON in *Oeconomico* ſive *Memorab. libr.* V. *pag.* 829. ſcribit. Satrapes ergo, ne quid ex horum, vel illorum Magiſtratuum deſidia urbes regioneſve detrimenti caperent, videbat: ruſticae & urbanae plebi conſulebat: communique & publicae utilitati inſerviens, omnibus aequaliter hominibus ſecuritatem praeſtabat. Officio quoque Praefecti urbi continebatur tributa exigere, &, ut ea ex fide penderentur, ſollicite attendere. Nec vero quidquam tributis decedere, aut deperire poterat, agris, qui in ejus tutela erant, optime cultis, & opificibus belle opus ſuum facientibus. Cyrum etiam, ubi primum φρουροὺς καὶ φρουράρχους urbibus a ſe ſubactis impoſuit, his praecepiſſe, ἄλλο μὲν οὐδὲν πολυπραγμονοῦντας, τὰ δὲ τείχη διασώζειν. *nihil aliud curioſe moliendum eſſe, ſolum munitiones tuerentur*, XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 230. ſcribit.

CLXXIX. Hoc amplius, quietis quoque publicae ac ſecuritatis tuendae cauſa, per regiones ac provincias ſtationes militum diſpoſitas habebant, quibus Tribunus praeerat, qui χιλίαρχος τῶν κατὰ τὴν χώραν φυλακῶν vocatur a XENOPHONTE, *libr.* VIII. *pag.* 229. Porro tam Chiliarchi iſti, quam Arcium Phrurarchi illi, non a Satrapis, ſed ab ipſomet Rege conſtituebantur, cui uni parebant, nec alterius cujuſquam dicto audientes erant. Hoc ideo conſtitutum, ut ſi quis Satraparum, vel faſtu elatus, vel opibus, aut clientium multitudine fretus, res novas moliretur, aut ſe inſolentius gereret, adverſarios paratos praeſto haberet, qui ejus conatus frangerent, & vim reprimere poſſent. Auctor idem XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *l. c.* qui hoc tradit in haec verba: Τοὺς μέντοι ἐν ταῖς ἄκραις φρουράρχους, καὶ τοὺς χιλιάρχους τῶν κατὰ τὴν χώραν φυλακῶν, οὐκ ἄλλου ἢ ἑαυτοῦ ἐβούλετο ἀκούειν. τοῦτο δὲ προενοήσατο, ἐννοῶν ὅπως, εἴ τις τῶν σατραπῶν ὑπὸ πλούτου καὶ πλήθους ἀνθρώπων ἐξυβρίσειε, καὶ ἐπιχειροίη μὴ πείθεσθαι, εὐθὺς ἀντιπάλους ἔχοι ἐν τῇ χώρᾳ. *Enimvero eos, qui in arcibus praeſidiariis praeerant, itemque praefectos millenûm militum, qui regionem cuſtodiebant, alii, quam ſibi, parere nolebat. atque haec ita proſpiciebat, quum cogitaret, quo pacto futurum eſſet, ut ſi quis Satraparum opibus & hominum multitudine fretus inſolenter ſe gereret, imperiumque detrectaret, continuo ſuos adverſarios in ipſa regione haberet.* Et aliquot interpoſitis, *pag.* 231. ὡς δὲ τότε Κῦρος κατεστήσατο, οὕτως ἔτι καὶ νῦν βασιλεῖ εἰσὶν αἱ ἐν ταῖς ἄκραις φυλακαί, καὶ οἱ χιλίαρχοι τῶν φυλακῶν ἐκ βασιλέως εἰσὶ καθεστηκότες, καὶ παρὰ βασιλεῖ ἀπογεγραμμένοι. *Ut autem Cyrus id temporis conſtituit, ſic & hac quoque*

que tempeſtate arcium praeſidia regis in poteſtate ſunt, & praeſidiariorum millenûm praefecti a rege conſtituuntur, & apud regem ſunt conſignati. Atque hiſce velut frenis cohibendam Satraparum poteſtatem cenſuerunt.

CLXXX. Quinetiam PHILOSTRATUS in *Apollonii vita, libr.* I. *cap.* XXI. [XV.] ἐν Βαβυλῶνος ὁρίοις φρουρὰν, *in Babyloniae confinibus Cuſtodiam* a Rege conſtitutam refert, ἣν οὐκ ἂν παρῆλθέ τις μὴ ἐρωτηθεὶς ἑαυτόν τι, καὶ πόλιν, καὶ ἐφ᾽ ὅ, τι ἥκοι, *quam nemo praeterire poterat, niſi prius interrogatus, quiſnam eſſet, & cujas, & cujus rei gratia veniſſet.*

CLXXXI. Habebant autem Perſarum Reges in ſingulis provinciis Aerarium Aerariique praefectos: Et ita Tyridatem *pecuniae*, quae ex una Satrapea redigebatur, *cuſtodem*, CURTIUS *libro* V. *cap.* 5. §. 2. memorat. Eodemque *libro cap.* 1. §. 20. Bagophanem arcis Babylonicae, & *Regiae pecuniae* ejus regionis *Cuſtodem*, Alexandro obviam egreſſum narrat. Extat Darii Epiſtola apud JOSEPHUM *libr.* XI. *Antiquit. Jud. cap.* IV. qua ſumptus, ad templi Hieroſolymitani conſtructionem, ἐκ τοῦ βασιλικοῦ Γαζοφυλακίου τῶν φόρων τῆς Σαμαρείας, *ex regio aerario, in quo tributa Samariae ſervantur*, ſuppeditari mandat. Apud eundem JOSEPHUM ejuſdem *libr. cap.* V. Xerxes Eſdrae praeberi jubet ſacrorum ſumptus, ἐκ βασιλικοῦ Γαζοφυλακίου, *ex regio aerario*; Eaque de re ſcripſiſſe ſe τοῖς Γαζοφύλαξι τῆς Συρίας καὶ τῆς Φοινίκης. *Praefectis aerarii Syriae & Phoeniciae.* Sic & *Eſdrae cap.* VII. ab Artaxerxe Edictum ad omnes, qui theſauris ſuis trans flumen praepoſiti erant, emiſſum, ut quidquid ab eis Eſdras ſacerdos, Scriba legis Dei coeli, poſtulaſſet, ilico praeſtaretur. STRABO *libr.* XV. *pag.* 1059. (728.) Perſarum Reges, licet Suſa valde ornaſſent, nihilominus etiam coluiſſe Perſepolin, & Paſargadas ſcribens, addit, illic Gazam & Theſaurum Regum fuiſſe. Paſargadis quoque, Κύρου τοῦ πρώτου θησαυροὺς, *Cyri primi theſauros* reconditos ARRIANUS *libr.* III. *cap.* 18. *pag.* 131. ſcribit. Pecuniae ergo, quae theſauris inferebatur, Cuſtodes habebant. Cujuſmodi pecuniam GAZAM Perſico ſermone appellatam, non eſt ignotum. Q. CURTIUS *libr.* III. *cap.* 13. §. 5. *Ante ſolis ortum pecuniam Regiam* (GAZAM *Perſae vocant*) *cum pretioſiſſimis rerum efferri jubet.* POMPONIUS MELA *libr.* I. *cap.* XI. *In Palaeſtina eſt ingens, & munita admodum, Gaza: ſic Perſae aerarium vocant; & inde nomen eſt, quod cum Cambyſes armis Aegyptum peteret, huc belli & opes & pecuniam intulerat.* HESYCHIUS: Γάζα, παρὰ Πέρσαις (*a*), Βασίλεια, ἢ οἱ ἐκ τῶν πολλῶν φερόμενοι φόροι. *Gaza apud Perſas ſignificat Regiam cum ſupellectile & inſtrumento ſuo, ſeu tributa & reditus.* SUIDAS vero, Γάζαν, θησαυρὸν interpretatur. SERVIUS in *libr.* I. *v.* 123. & II. *v.* 763. *Aeneid. Gazam, Perſarum lingua, cenſus & divitias* ſignificare notat: & eſſe numeri ſingularis tantum (*b*). Hujuſmodi autem aerarii praefecti, & hi, quibus Gazae cura credita erat, Γαζοφύλακες, vocantur a JOSEPHO *lib.* XI. *Antiquit. Judaic. cap.* I. & V. & Γαζοφυλακοῦντες a DIODORO SIC. *libr.* XVII. *cap.* 74. *pag.* 218. (*St.* 601. *Rh.* 547.) *Regiae pecuniae cuſtodem* vocant AEMILIUS PROBUS in *Datame, cap.* 5. §. 3. & Q. CURTIUS *lib.* V. *cap.* 1. §. 20. & *cap.* 5. §. 2. Vetus Bibliorum interpres, in *Eſther. cap.* III. *v.* 9. *Arcarium Gazae* vertit.

CLXXXII. Porro fidem prope excedit ingens & immenſa auri vis, quam theſauris Darii reconditam, hiſtoriarum monumentis proditum invenio. Primum enim in Damaſci Gaza, *ſummam pecuniae ſignatae* fuiſſe *Talenta duo millia & ſexcenta; facti argenti pondus quingenta aequaſſe,* CURTIUS *libro* III. *cap.* 13. §. 16. ſcribit. Idem *libr.* V. *cap.* 10. §. 10. poſt Darium ſecundo praelio victum, Arbela, Alexandro tradita refert, Regia ſupellectili, & *quatuor millium Talentum Gaza repleta.* At DIODORUS *libr.* XVII. *ſectione* II. *cap.* 64. *pag.* 209. (*St.* 596. *Rh.* 538.) ἀργυρίου τάλαντα τρισχίλια, *ter mille argenti talenta*, Arbelis reperta narrat. Suſis vero per deditionem receptis, Alexander, ut idem DIODORUS *eodem libr. cap.* 66. *pag.* 211. (*St.* 597. *Rh.* 540.) refert, εὗρεν ἀσήμου χρυσοῦ καὶ ἀργύρου πλείω τῶν τετρακισμυρίων ταλάντων· καὶ ἐννακισχίλια τάλαντα χρυσοῦ, χαρακτῆρα Δαρεικὸν ἔχοντα, *invenit auri & argenti non ſignati plus quadragies mille talentûm, & auri Darico ſigno notati novies mille.* PLUTARCHUS quoque τετρακισμύρια τάλαντα νομίσματος, *nomiſmatis talenta quadragies mille*, & praeterea ἄλλην κατασκευὴν καὶ πολυτέλειαν ἀδιήγητον, ὅπου πορφύρας Ἑρμιονικῆς τάλαντα πεντακισχίλια, *reliquum apparatum, & divitias ineffabiles, & Hermionicae purpurae quinque millia talentum*, Suſis inventa, in *Alexandr. vita pag.* 686. ſcribit. Eo loci etiam ARRIANUS *libr.* III. *cap.* XVI. *pag.* 128. ἀργυρίου τάλαντα ἐς πεντακισμύρια, *argenti talentûm millia quinquaginta*, fuiſſe narrat. CURTIUS *lib.* V. *cap.* 2. §. 11. *ſeq. ut vero urbem* (Suſa intellige) *intravit, incredibilem pecuniae ſummam ex Theſauris egeſſit, L. millia Talentûm, argenti non ſignati forma, ſed rudi pondere. Multi Reges tantas opes longa aetate cumulaverant, liberis poſteriſque, ut arbitrabantur: quas una hora in externi Regis manus intulit.* Erat enim Suſis & Perſepoli ſanctius aerarium, in quod, praeſidii cauſa, tantas opes a Cyro, ad Darium uſque, Reges intulerant. Teſtis DIODORUS *libr.* XVII. *cap.* 66. *pag.* 211. (*St.* 597. *Rh.* 540.) his verbis: Ταῦτα ἐκ πολλῶν χρόνων οἱ βασιλεῖς ἄθικτα ἐτήρησαν, πρὸς τὰ παράλογα τῆς τύχης ἀπολείποντες αὐτοῖς καταφυγάς. *Has opes longa aetate intactas conſervarunt reges, ut ad inopinatos fortunae caſus, quo refugerent, in promptu eſſet.* Idem eodem *libro cap.* 71. *pag.* 215. (*St.* 600. *Rh.* 544.) de Perſepolitanis theſauris, ἄνω, ait, ἀπὸ Κύρου τοῦ πρώτου Περσῶν βασιλεύσαντος, μέχρι τῶν τότε καιρῶν, ἠθροισμένων τῶν προσόδων, γέμων ἀργύρου τε καὶ χρυσίου. *Hi congeſtis a primo rege Perſarum Cyro, ad praeſens uſque tempus reditibus, magnam auri & argenti vim complectebantur.* Itaque in Perſepolitana arce Alexandrum, δώδεκα μυριάδας ταλάντων, εἰς ἀργυρίου λόγον ἀγομένου τοῦ χρυσίου, *centum & viginti millia talentûm, auro ad argenti rationem reducto*, inveniſſe refert. CURTIUS *lib.* V. *cap.* 6. §. 9. *ſeq.* in ejus urbis Gaza fuiſſe *Centum & viginti millia Talenta* ait. Acceſſiſſe ad hanc pecuniae ſummam, captis Paſargadis (*c*), *ſex millia Talentûm.* Denique, poſt Darium tribus praeliis victum, direptam ejus, Damaſci, Gazam, *adhuc* XL. *millia Talenta clauſa*, reperta fuiſſe

(*a*) In edit. Heſych. eſt βασίλειον. L. Et paullo ante ita legitur: πόλις, παρὰ δὲ Π. In fine hujus loci additur: ἢ τὰ χρήματα. TR.

(*b*) TANTUM] Sed pluralis etiam apud bonae notae ſcriptores reperitur. Vide *Fabri Theſaurum h. v.* TR.

(*c*) PASARGADIS] Varie nomen hujus urbis & hic, & alibi apud Curtium, aliosque ſcriptores legitur. Vide *Interpp. Curtii l. c. & Stephani Byzantini h. v.* TR.

fuiſſe ab Alexandro, JUSTINUS *libr.* XI. ſcribit (*a*). STRABO etiam *libr.* XV. *pag.* 1062. *ſeq.* (731.) (*b*). φασὶ δὲ χωρὶς τῶν ἐν Βαβυλῶνι, καὶ τῶν ἐν τῷ στρατοπέδῳ, τῶν παρὰ ταῦτα ἀσυλήπτων, αὐτὰ τὰ ἐν Σούσοις, καὶ τὰ ἐν Περσίδι, τέτταρας μυριάδας ταλάντων ἐξετασθῆναι· τινὲς δὲ καὶ πέντε λέγουσιν. ἄλλοι δὲ πάντα πανταχόθεν συνενεχθέντα παραδεδώκασιν εἰς Ἐκβάτανα ὀκτωκαίδεκα μυριάδας ταλάντων, τὰ δὲ Δαρείῳ φυγόντι ἐκ τῆς Μηδίας συνεκκομισθέντα, τάλαντα ὀκτακισχίλια διήρπασαν οἱ δολοφονήσαντες αὐτόν. *Traditum eſt, praeter ea, quae Babylone & in caſtris erant, & in hanc ſummam non venere, in Perſia & Suſis inventa fuiſſe talentorum* XL. *millia. Sunt qui dicunt* L. *Nonnulli omnia undique Ecbatana comportata dicunt fuiſſe* C. & LXXX. *millia talentorum:* VIII. *millia vero, quae cum Dario e Media fugiente exportata, ab iis direpta fuerunt, qui eum necaverunt.* Quin & ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* 2. §. 514. ex *Chare Mitylenaeo* refert, cubili Regio contiguas ad caput fuiſſe aedes, quinque lectis inſtructas, in quibus auri Talenta quinquies mille perpetuo adſervabantur; id *Cervical Regium* appellabant: Cubilis vero pedibus alias aedes trium lectorum capaces, ubi argenti talentorum tria millia erant repoſita, quas *Subſellium Scabellumve* Regis appellabant.

CLXXXIII. Illa vero infinita auri vis, immenſa Regum Gaza, e tributia conficiebatur & conflabatur. STRABO *libr.* XV. *pag.* 1060. (729.) Perſarum Gazophylacia ab Alexandro direpta narrans, addit; ἃ τοσούτους χρόνους ἐξεπληροῦτο, οἷς ἐδασμολόγουν Πέρσαι τὴν Ἀσίαν. *Quae per tantum temporis replebantur, quo Perſae ex Aſia tributum legebant.* Idem *eodem libro*, *pag.* 1068. (735.) inter ea, quae Perſis ἔθιμα, *in more poſita* fuiſſe tradit, ἐν Σούσοις, ait, ἑκάστῳ τῶν βασιλέων ἐπὶ τῆς ἄκρας ἰδίαν κατασκευάζειν οἴκησιν, καὶ θησαυροὺς, καὶ παραθέσεις ὧν ἐπράττοντο φόρων, ὑπομνήματα τῆς οἰκονομίας, *ut Suſis quiſque regum in arce domicilium haberet, & theſaurum, & tributorum, quae exegerit, tabulas, adminiſtratae rei monumentum.* Plane Cyro & Cambyſe regnantibus, nulla dum Tributa Stipendiaque gentibus, quae iis parebant, impoſita erant: ſed munera duntaxat Regibus ferebantur. Primus Darius, Hyſtaſpis filius, cum totum Perſarum imperium in Provincias Satrapiaſque diviſiſſet, Tributum ſingulis indixit. Auctor HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 89. Sed & STRABO *libr.* XV. *pag.* 1068. (735.) τὸν δὲ διατάξαντα τοὺς φόρους, Δαρεῖον· *Qui tributa inſtituit, Darium fuiſſe.* Quod ut rectum eſt, ita, quae apud eundem auctorem ſequuntur, τὸν Μακρόχειρα, καὶ κάλλιστον ἀνθρώπων, πλὴν τοῦ μήκους τῶν βραχιόνων. *Longimanum, qui omnium hominum pulcherrimus fuit, dempta brachiorum longitudine*, evertuntur a PLUTARCHO, & AEMILIO PROBO, *de Regibus*, *cap.* I. §. 3. *ſeq.* quos ſi duces ſequamur, non iſte Darius, ſed Artaxerxes, Xerxis filius, eo habitu corporis cum eſſet, Μακρόχειρ cognomen invenit, διὰ τὸ τὴν ἑτέραν χεῖρα μακροτέραν ἔχειν, *quod alteram manum longiorem haberet*, ut PLUTARCHUS in *Apophthegmatis pag.* 173. ſcribit, id eſt, ut idem initio *vitae Artaxerxis Mnemonis pag.* 1011. exponit, dextram ſiniſtra longiorem: Unde & *Longimanus* a Latinis appellatur. Sed haec obiter dicta ſunt. Ad Darium redeamus. Id prudenter cogitans, neque quietem gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine Tributis haberi poſſe, Perſis Tributa impoſuit (*c*). Onera enim imperii (ita quippe ex PLINII ore loquor) ut pro utilitate publica Tributa inſtitui, ita ſingulorum injuriis coëgerunt. Horum utique a Dario indictorum tributorum cauſa, Perſae eum Cambyſen, *Domini*; Cyrum, *Patris* appellatione ornarent; Darium *Inſtitorem*, ſeu *Propolam* vocitarunt, ut HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 89. refert. Κάπηλον enim, quo verbo Herodotus utitur, SUIDAS eſt, μεταβολεύς: μεταβολεῖς (*d*) autem *Interpreti* ARISTOPHANIS in *Pluto* v. 1156. ὁ ἐκ τῶν κοτυλῶν πωλῶν, ὥσπερ οἱ νῦν λεγόμενοι κάπηλοι. *Qui per cotylas* (*heminas*) *vendit, quemadmodum faciunt, qui nunc cauponer, vocantur:* quem ab ἐμπόρου, & παλιγκαπήλου & αὐτοπώλου, ſeparat, eorumque verborum differentias exponit. EUSTATHIO vero μεταβολεῖς ſunt, ὀβολῶν & ἀλφίτων, & τῶν τοιούτων, οἱ ἀνταλλάσσοντες. *Qui obolos, farinam, & ſimilia commutant.* Illius vero vulgi ore triti dicti interpretationem adſert SUIDAS in verbo Κῦρος (*e*).

CLXXXIV. Quanquam aequum ſe & moderatum Darius in Tributi deſcriptione praeſtitit. Nam, ut PLUTARCHUS in *Apophthegmat. pag.* 172. ſcribit, τοὺς φόρους τάξας ὁ Δαρεῖος, μετεπέμψατο τοὺς πρώτους τῶν ἐπαρχιῶν, καὶ περὶ τῶν φόρων ἠρώτησε, μὴ βαρεῖς εἰσί. φησάντων δὲ μετρίως ἔχειν, ἐκέλευσε τελεῖν ἡμίσεις ἕκαστον. *Cum tributa impoſuiſſet ſubditis, proceres provinciarum evocatos interrogabat, an ea eſſent gravia? cumque reſponderent, eſſe mediocria, dimidium ejus, quod propoſuerat, ſingulos pendere jubebat.* Jonibus autem ſubactis, qui adverſus Darium rebellaverant, Artaphernes, Sardium Praeſes, per *Paraſangas*, (ita enim Perſae tricena ſtadia appellabant) conferre juſſit tributa: quae, uti ab Artapherne impoſita fuerunt, ſuis etiamnum temporibus Aerario a provincialibus illata, HERODOTUS *libr.* VI. *cap.* 42. refert. Tributarias autem functiones in viginti partes Darius diſtribuit: quarum enumerationem ac diſtributionem HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 89. *ſeqq.* ponit.

CLXXXV. Ad hoc caput pertinent haec PLINII *libr.* VI. *cap.* XXVI. verba: *Apamia, ex qua Orientem petentes excipit oppidum apprime munitum, quondam ſtadiorum* LXV. *amplitudine, & Satraparum Regia appellatum, quo Tributa conferebantur, nunc in arcem redactum.* HERODOTUS *libr.* V. *cap.* 49. Cyprum ait Regi magno penſitaſſe Tributi nomine quingenta talenta. XENOPHON *libr.* VII. παιδ. *pag.* 186. [*p.* 147.] Καὶ Κίλικες δὲ καὶ Κύπριοι πάνυ προθύμως αὐτῷ συνεστράτευσαν. ἐπὶ τούτους δ' οὐδέποτε ἔπεμψε Πέρσην σατράπην οὔτε Κιλίκων οὔτε Κυπρίων, ἀλλ' ἤρκουν αὐτῷ ἀεὶ οἱ ἐπιχώριοι βασιλεύοντες· δασμὸν μέντοι ἐλάμβανε, καὶ στρατιᾶς, ὁπότε δέοιτο, ἐπήγγελλεν αὐτοῖς. *Cilices & Cyprii ſeſe ipſe hac in expeditione prompte & perlubenter adjun-*

(*a*) SCRIBIT] Auctor forſan intelligit locum *cap.* 14. §. 9. ubi tamen pro *clauſa* recentiores legunt *Saſa*. TR.

(*b*) Locum hunc, uti nunc legitur, ſic ex edit. Strab. ſupplevi: in priori edit. enim plurima aberant. L.

(*c*) Ita legendum: *Onera enim Imperii* (ita quippe ex Plinii ore loquor) *pleraque vectigalia inſtitui, ut pro utilitate communi, ita ſingulorum injuriis coegerunt.* Sic ſane Lugdunenſis editio habet in Plinii Panegyrico, *cap.* 37. *princ. p.* 330. [Sed auctor ſine dubio ſenſum magis, quam verba ſecutus fuit.] Cui loco non multum abſimilis paulo ante in eodem Panegyrico, *cap.* 32. §. 5. *p.* 327. 4. *Quippe diſcretis quidem bonis omnium, ſua cujuſque ad ſingulos mala: ſociatis autem atque permiſtis, ſingulorum mala ad neminem, ad omnes omnium bona pertinent.* S.

(*d*) Μεταβολεῖς] Adde, quae de horum verborum diſcrimine late & erudite diſſerut Vir Summus, *Tiberius Hemſterhuſius* in nupero ad *h. l. Commentar. pag.* 445 *ſeqq.* TR.

(*e*) Κῦρος] Dicit ex interpretatione Latina: *Nam Darius omnia cauponabatur: Cambyſes erat ſaevus, & rem publicam negligenter tractabat: Cyrus erat clemens, & Perſis multorum bonorum auctor.* TR.

jungebant. Quae cauſa fuit, cur nullum unquam Satrapam Perſicum Cilicibus a Cypriis miſerit, contentus indigenis eorum regibus. Tributum tamen ab ipſis exigebat, & expeditiones, cum erat opus, ipſis imperabat.

CLXXXVI. Horum tributorum colligendorum gratia, Reges in ſingulis provinciis φορολόγους habebant, ut ex *cap.* III. (*a*) & IV. *Eſdrae* patet; & φορολογουμένους (*b*), DIODORUS *libr.* XVI. Negotium etiam Satrapis aliiſque, qui in Magiſtratu poteſtateve erant, datum, ut a provincialibus ex fide Tributa penſitarentur, ſupra oſtendimus.

CLXXXVII. In ſumma autem, ſubductis rationibus, in Regium fiſcum, ex annuis tributis, quaterdecies millena quingena ſexagena Talenta Euboica, HERODOTO *lib.* III. *cap.* 95. teſte, quotannis redigebantur. JUSTINUS vero *libr.* XIII. *cap.* I. §. 9. Alexandro in annuo vectigali tributo *Tricena millia Talentûm* fuiſſe refert. Perſarum plane agri immunes erant, ut HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 97. ait.

CLXXXVIII. Tributa autem arcae inferri non ſolebant: ſed eorum condendorum ratio ea erat, quam HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 96. exponit. Liquefactum enim aurum argentumque in fictiles fidelias infundebatur: expletae mox fideliae ſubinde frangebantur, ex eoque auro argentove, quoties pecuniae Rex indigeret, tantum concidebatur, quantum uſus poſtulabat.

CLXXXIX. Enimvero praeter tributa ac ſtipendia, ſingulis regionibus, quae ſub Perſarum Imperio erant, aliquid ad alendum Regem & ejus exercitum indictum fuiſſe, HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 192. ſignificat his verbis: Βασιλέϊ τῷ μεγάλῳ ἐς τροφὴν αὐτοῦ τε, καὶ τῆς στρατιῆς, διαραίρηται πάρεξ τοῦ φόρου, γῆ πᾶσα ὅσης ἄρχει. *Regi magno omnis plaga, cui imperat, diſtributa eſt in ipſius atque exercitus ejus alimentum, praeter tributa.* STRABO *libr.* XV. *pag.* 1068. (735.) de Regibus Perſarum; Περιττὸν δ' ἐκ μὲν τῆς παραλίας ἀργύριον· ἐκ δὲ τῆς μεσογαίας, ἃ φέρει ἑκάστη χώρα, οἷον καὶ χρώματα, καὶ φάρμακα, καὶ τρίχα ἐρέαν (*c*), ἤ τι τοιοῦθ' ἕτερον, καὶ θρέμματα ὁμοίως. *Exigere eos ex ora maritima argentum, ex mediterranea, quae quaeque regio ferat, ut colores, medicamenta, lanam, vel aliud tale, aut pecora.* Atque ita ab Armeniis, equos tributarios illatos, XENOPHON *libr.* IV. Ἀναβάσ. *pag.* 333. [*p.* 261.] oſtendit, Ἀπήροντο, inquiens, τὸν κωμάρχην διὰ τοῦ Περσίζοντος ἑρμηνέως, τίς εἴη ἡ χώρα· ὁ δὲ ἔλεξεν, ὅτι Ἀρμενία. καὶ πάλιν ἠρώτων, τίνι ἵπποι τρέφονται· ὁ δ' ἔλεξεν, ὅτι βασιλεῖ δασμός. *Vici praefectum per interpretem Perſice callentem interrogant, quaenam haec eſſet regio. Qui quum Armeniam eſſe reſpondiſſet, rurſum quaerunt, cuinam equi alerentur. Regi hos tributi nomine ali reſpondet.* Ex duodecim autem, quibus annus conſtabat, menſibus, Babyloniae Satrapea menſibus quatuor; Aſia vero univerſa reliquis anni partibus Regem alebat: ſubjicitque HERODOTUS eo, quem ſupra laudavi, loco, Tritaechmae (*d*), Artabazi filio, quem Rex ei tractui praefecerat, quotquot diebus ſingulas argenti plenas Artabas praeſtitas. HERODOTUS *libr.* VI. *cap.* 42. de Artapherne, Sardium praeſide; Ταῦτά τε ἠνάγκασε ποιέειν, καὶ τὰς χώρας σφέων μετρήσας κατὰ παρασάγγας, τοὺς καλέουσι οἱ Πέρσαι τὰ τριήκοντα στάδια, κατὰ δὴ τούτους μετρήσας, φόρους ἔταξε ἑκάστοισι. *Et haec facere coëgit, & per paraſangas (ita Perſae tricena ſtadia appellant) regiones diviſit, & ſingulis tributum pendere imperavit.* PLINIUS *lib.* XII. *cap.* IV. *Unam e peculiaribus Indiae Virgilius celebravit Ebenum, nuſquam alibi naſci profeſſus. Herodotus eam Aethiopiae intelligi maluit, in Tributi vicem Regibus Perſidis & materiae* (*e*) *ejus centenas phalangas tertio quoque anno penſitaſſe Aethiopas, cum auro & ebore prodendo. Non omittendum id quoque, vicenos dentes Elephantorum grandes, quoniam ita ſignificavit, Aethiopas eadem cauſa pendere ſolitos. tanta ebori auctoritas urbis noſtrae trecenteſimo decimo anno: tunc enim auctor ille hiſtoriam eam condidit Thuriis in Italia.* Extat ille HERODOTI locus *libr.* III. *cap.* 97. in haec verba: Ἀγίνεον δὲ καὶ τὸ μέχρι ἐμεῦ (*f*), δύο χοίνικας ἀπύρου χρυσίου, καὶ διηκοσίας φάλαγγας ἐβένου, καὶ πέντε παῖδας Αἰθίοπας, καὶ ἐλέφαντος ὀδόντας μεγάλους εἴκοσι. *Portant autem adhuc uſque tempora binos choenices auri ignem non experti, & ducentas phalangas ebeni, & quinos Aethiopes pueros, & vicenos grandes elephantorum dentes* (*g*). Ad haec erant ei peculiares equi, praeter bello deſtinatos, admiſſarii octingenti, cum equarum, a quibus admittebantur, ſexdecim millibus: nam ſinguli a vicenis admittebantur. Praeterea canum Indicorum multitudo alebatur, ut ſupra diximus.

CXC. Enimvero Perſarum Reges, ut XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. Κύρ. *pag.* 209. docet, Miniſtros, ſeu officiales quoſdam, habebant, qui *Regum Aures*, & *Oculi*, appellabantur. APULEJUS *libr. de Mundo*, *pag.* 739. aulae Perſicae faſtum ex Ariſtotele deſcribens, *Sed inter eos*, ait (*h*), *Aures Regiae*, & *Imperatoris Oculi*, *quidam homines vocabantur: per quae officiorum genera, Rex ille ab hominibus DEUS eſſe credebatur, cum omnia, quae ubicunque gererentur, ille Otacuſtarum delatione diſcebat.* ARISTIDES *Oration. Panegyr. Cyzicena*, *pag.* 243. *Tom.* I.

O' μὲ

(*a*) CAP. III.] Hoc *cap.* vocabulum illud reperire non potui, ſed *cap.* IV. eo ſaepius occurrit. TR.

(*b*) Φορολογουμένους] Hoc vocabulum in DIODORO haud extare credo; ejus loco *lib.* XI. *cap.* 71. *pag.* 458. [*St.* 279. *Rh.* 54.] φορολογοῦντας reperi. TR.

(*c*) Conſentit & vulg. ed. Strab. malim, ἢ τοιοῦτό τι ἕτερον, *vel aliud quid tale*. S. Edit. Sylb. [& prima auctoris] ἔτι τοιοῦθ' ἕτερον, pro quibus lectionem edit. Caſaub. p. 735. textui jam reddidi. L.

(*d*) TRITAECHMAE] Τριτανταίχμῃ nomen hoc emendavit ex MS. *Jac. Gronovius*. TR.

(*e*) ET MATERIAE] *e materie* habent *edd.* quas ego inſpexi. Deinceps poſt *auctoritas* inſertum *erat*. TR.

(*f*) Ἐμεῦ] In *Jac. Gronovii edit.* legitur ἐμοῦ. In ſequentibus ante Ἐλέφαντος ex editis inſerui καί. TR.

(*g*) DENTES] Sequens periodus cohaeret cum iis, quae auctor ſupra ex *Herodoti lib.* I. *cap.* 192. adduxit, adeoque poſt verbum *praeſtitas* collocari debuiſſet. Loca tria vero interjecta, *Plinii* ſcilicet, & duo *Herodoti*, ad finem paragraphi fuiſſent rejicienda. Sylburgius vero ea inſeruit ex mandato auctoris in *Appendice*: niſi ibi, quod mihi probabile ſit, mendum ſit in numeris. TR.

(*h*) AIT] Auctor locum ſupra, & quidem, ut jaceat, ex MS. emendatum, exhibuit §. LXXIII. cum verbis Graecis Ariſtotelis, ubi ſimul notavi, in recentioribus *edd.* verba paullo aliter legi: nunc id addo, pro *delatione*, auctorem ſupra exhibuiſſe *relatione*, ut etiam legitur in *editione in uſum Delph.* cujus editor praeterea in *notis* monet, PLUTARCHUM in *libro* περὶ πολυπραγμοσύνης. ſive de *Curioſitate*, *pag.* 522. tradere, Darium Juniorem ob diffidentiam primum habuiſſe otacuſtas. Ceterum de hac appellatione confer *Pauli Patris notas* ad *Paleeph.* *cap.* 32. *pag.* 153. TR.

Ὁ μὲν γὰρ τῶν Περσῶν βασιλεὺς ἰδίᾳ τι διάφορον κεκτῆσθαι τῶν καλουμένων βασιλέως ὀφθαλμῶν & βασιλέως ὤτων. *Rex enim Perſarum diverſum quid habuiſſe mihi videtur, miniſtros ſcilicet; quorum hic Regis Oculus, alter Regis Aures dicebantur.* ARISTOPHANES in *Comoedia*, quae Ἀχαρνῆς inſcribitur, *v.* 91. Καὶ νῦν, ait, ἄγοντες ἥκομεν Ψευδαρτάβαν τὸν βασιλέως ὀφθαλμόν· *Et nunc una huc adducimus Pſeudartabanum, Regis Oculum.* Ad quem locum *Scholiaſtes:* Οὕτως ἐκάλουν τοὺς Σατράπας, δι' ὧν πάντα ὁ βασιλεὺς ἐπισκοπεῖ· ὡς βασιλέως ὦτα, οἱ ὠτακουσταί, δι' ὧν ἀκούει τὰ πραττόμενα ἑκάστῳ πανταχοῦ· οἷς ὡς (a) συνάρχοις χρῆται. *Sic vocant Satrapas, per quos rex omnia videt: quemadmodum Regis Aures vocantur Otacuſtae, quorum delatione, quae ubivis locorum a quovis geruntur, diſcit: quibus veluti regni ſui ſociis utitur.* Citatque ARISTOTELIS ex *libr.* III. *Politic. cap.* 12. (*al.* 16.) locum, quo velut rem abſurdam plurium Oculorum & Aurium obſequia ridet. DIO CHRYSOSTOMUS *Orat.* III. *de Regno*, *pag.* 55. *ſeq.* Ὁ μὲν Πέρσης ἕνα τινὰ εἶχεν, Ὀφθαλμὸς βασιλέως λεγόμενος, καὶ τοῦτον οὐ σπουδαῖον ἄνθρωπον, ἀλλ' ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων· ἀγνοῶν ὅτι τοῦ ἀγαθοῦ βασιλέως οἱ φίλοι πάντες εἰσὶν ὀφθαλμοί. *Rex Perſarum unum quempiam habuit, qui dictus eſt Regis Oculus, atque hic non erat homo gravis: ſed ex vulgaribus, ignorans quod boni regis amici omnes ſint oculi* (*b*). HESYCHIUS: Βασιλέως ὀφθαλμός. ἐπέμπετό τις ὑπὸ βασιλέως ἐπίσκοπος, ὃς ἐφιστᾶτο τοῖς πράγμασιν· ὃν τὸν βασιλέως Ὀφθαλμὸν ἐκάλουν. *Regis Oculus. Mittebatur quidam a Rege inſpector, qui, quid rerum gereretur, cognoſceret: quem Regis Oculum vocabant.* SUIDAS: Ὀφθαλμὸς βασιλέως, ἀντὶ τοῦ μέγα δυνάμενος παρὰ βασιλεῖ. οὕτω δὲ ἐκάλουν τοὺς Σατράπας, δι' ὧν πάντα ὁ βασιλεὺς ἐπισκοπεῖ· ὡς βασιλέως ὦτα, τοὺς ὠτακουστάς, δι' ὧν ἀκούει τὰ πραττόμενα ἑκάστῳ πανταχοῦ. *Oculus Regis, id eſt, qui multum apud regem poteſt. Sic autem vocabant Satrapas, per quos Rex omnia videbat: ut Regis aures appellabant eos, per quos Rex audiebat ea, quae ubicunque a quolibet gerebantur.* At TZETZES *Hiſtor. Chil.* X. *cap.* CCCL. *v.* 729. *ſeqq.* hujus vocis interpretationem largius porrigens, a Perſis ait Ὀφθαλμοὺς βασιλέως vocatos (*v.* 731.) τοὺς περιβλέπτας ἄνδρας καὶ εὐεργέτας, *circumſpectos viros & beneficos.* HELIODORUS *libr.* VIII. *pag.* 409. Περσῶν γὰρ βασιλείας αὐλῆς (c) Ὀφθαλμοὶ καὶ Ὦτα, τὸ εὐνούχων φῦλον· ἄπαιδες, οὐ συγγενείας, τὸ πρὸς τὴν εὔνοιαν μετάγουσαι, ἀλλὰ μόνου τοῦ πιστεύσαντος ἀνηρτημένοι. *Perſarum regiae aulae Oculi ſunt & aures, eunuchorum genus: qui, cum neque liberos neque cognatos habeant, quibus eorum animi devincti eſſe poſſint, pendent ex eo ſolo, qui ſe iis credidit.* Atque hunc Magiſtratum in Artaxerxis comitatu geſſit Artaſyris, ut PLUTARCHUS in *Artaxerxe pag.* 1016. ſcribit. AESCHYLUS quoque in *Perſis*, *v.* 985. Alpiſtum Perſam Xerxis ὀφθαλμὸν memorat. Ad quem locum *Interpres:* Οἱ Περσῶν γὰρ βασιλεῖς εἷλον (*d*) δύο τινάς, οἷς ἐπέτρεπον τὴν τῶν κοινῶν ἐπιτήρησιν· οὓς βασιλέως ἐκάλουν ὀφθαλμούς. *Perſarum enim Reges duos quoſdam eligebant, quibus id officii dabant, ut, quid vulgo fieret, obſervarent: & hos Regis Oculos appellabant.* Ibidemque ex quorundam ſententia ait, ad Oculi Regii officium pertinuiſſe, ἀριθμεῖν τὰ στρατεύματα, *numerum inire exercituum.* Ad eos utique, qui Aurium Regiarum partibus & munere fungebantur, Apollonium, cum propter veſtitus novitatem, tum quod venerari Regis ſtatuam recuſaret, perductum, PHILOSTRATUS *libr.* I. *de vita Apollonii, cap.* 28. narrat. Idem alio loco, *cap.* 21. [XV.] *init.* Σατράπης δέ, ait, τῇ φρουρᾷ ταύτῃ ἐπέτακτο (*e*), βασιλέως τις (εἶναι) ὀφθαλμός. *Satrapa, huic cuſtodiae praefectus, erat ex iis unus, qui Regis oculi ſolent appellari.* Oculorum autem & Aurium Regis Perſarum munus erat, obſervare & audire, quid ubique toto Regno diceretur a gereturve, & ad Regem referre. Quo fiebat, ut is ubique locorum pro praeſenti haberetur. Idque conſequutum eſſe Cyrum beneficiis & honoribus adficiendo ſuos, narrat XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 209. *ſeq.* Nam dum is ampliſſimis muneribus eos, qui opportuna & commoda ei retuliſſent renunciaſſentque, muneraretur, perfecit, *ut* multi ſedulo inſpicerent auſcultarentque ea, quae e re Principis fore exiſtimarent. Hinc factum eſt, ut vulgo jactatum ſit, Perſarum Regem multos habere Oculos, Aureſque multas. Regibus plane hanc aurium & oculorum copiam non deeſſe, quae non vera modo perferat renuntietque, ſed & inſuper aliquid de ſuo, cumuli ſeu auctarii loco, addat, LUCIANUS *de mercede conduct. cap.* 29. *pag.* 688. ita ſcribit: Ὦτα γὰρ καὶ ὀφθαλμοὶ βασιλέως πολλοί, οὐ μόνον τἀληθῆ ὁρῶντες, ἀλλ' ἀεί τι καὶ προσεπιμετροῦντες, ὡς μὴ νυστάζειν δοκοῖεν. *Aures enim & Oculi Regis multi ſunt, qui non ſolum vera vident, ſed ſemper aliquid addunt, ne dormitare videantur.*

CXCI. Praeterea cohortem Reges Perſarum habebant, quae decem millibus Equitum Perſarum, quos Ἀθανάτους, id eſt, IMMORTALES vocabant, conſtabat. HESYCHIUS: Ἀθάνατοι, τάγμα ἱππικὸν παρὰ Πέρσαις, μυρίων ἀνδρῶν. *Immortales, apud Perſas erat cohors decem mille equitum.* SUIDAS: Ἀθάνατοι, μύριοι Περσῶν ἐπίλεκτοι. *Immortales, decies mille delecti Perſae.* Idem in verbo Ξέρξης· εἶχε δὲ ἐπιλέκτους μυρίους, οὓς Ἀθανάτους ἐκάλει. *Habebat autem decies mille delectos, quos Immortales vocabat.* CURTIUS *libr.* III. *cap.* 3. §. 13. *Proximi ibant, quos Perſae* IMMORTALES *vocant, ad decem millia. Cultus opulentiae Barbarae non alios magis honeſtabat. Illi aureos Torques, illi veſtem auro diſtinctam habebant: manicataſque Tunicas, gemmis adornatas.* Confirmat & hunc Immortalium numerum PROCOPIUS *libr.* I. *de Bello Perſico, cap.* 14. *pag.* 250. (42.) Hoc autem nomine eam ob cauſam appellabantur, quod in demortuorum, eorumve, qui morbo ſontico laborantes, cauſariam miſſionem meruiſſent, locum alii ſufficerentur, integro ſemper manente numero, quemadmodum HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 83. docet in hunc modum: Ἐκαλέοντο δὲ Ἀθάνατοι οἱ Πέρσαι οὗτοι ἐπὶ τοῦδε· εἴ τις αὐτῶν ἐξέλιπε τὸν ἀριθμόν, ἢ θανάτῳ βιασθεὶς ἢ νούσῳ, ἄλλος ἀνὴρ ἀραίρητο (*f*). καὶ ἐγίνοντο οὐδαμὰ οὔτε πλεῦνες μυρίων, οὔτε ἐλάσσονες. κόσμον δὲ πλεῖστον παρείχοντο διὰ πάντων Περσέων, καὶ αὐτοὶ ἄριστοι ἦσαν. *Vocabantur Immortales, ob hoc, quod, ſi quis eorum aut morte aut morbo numero exceſſiſſet, alius ſufficiebatur:* nec

(*a*) Pro συμμάχοις pr. ed. reſcripſi ex Schol. Ariſtoph. συνάρχοις. L.

(*b*) OCULI] Sed hic auctor dupliciter errat; nam 1. plures erant, qui ita vocabantur, 2. itque viri, quos Rex maxime ſibi fideles exiſtimabat. Vid. *Th. Stanleji not.* ad *Aeſchylum pag.* 779. TR.

(*c*) Αὐλῆς] In editis legitur: βασιλείας αὐλαῖς: & ita ſine dubio auctor quoque edere voluit, ſiquidem in prima *ed.* legitur αὐλαῖς: quia vero *Sylburgius* in ea invenit βασιλέως, alterum verbum mutavit in αὐλῆς, quum prius potius in βασιλείοις mutare debuiſſet. TR.

(*d*) Εἷλον] In *ed. Stanleji* legitur εἶχον. TR.

(*e*) Ἐπέτακτο] ἐπετέτακτο legitur in noviſſima editione. TR.

(*f*) Ἀραίρητο] *Jac. Gronovius* ex *MS. Med.* repoſuit αἱρέετο. TR.

nec unquam plures erant paucioreſve decem millibus, praecipuo inter omnes Perſas cultu decori, & iidem praeſtantiſſimi omnium. Unde PAUSANIAS in *Phocicis*, ſive *libr.* x. *cap.* XIX. *ſin. pag.* 844. Gallorum TRIMARCISIAM πρὸς μίμησιν τῶν ἐν Πέρσαις ἀριθμοῦ τῶν μυρίων, οἱ ἐκαλοῦντο Ἀθάνατοι, *ad imitationem numeri militum decies mille apud Perſas, quos Immortales vocabant*, inſtitutam ſibi videri ait. Hoc tantum intererat, quod in eorum, qui in acie ceciderant, locum, Perſae quidem confecto demum praelio alios ſuccenturiabant: Galli vero in pugna ipſa, caeſis vel ſauciis Equitibus, integros ſufficiebant: confeſtimque, nulla interpoſita mora, Equitum deficientium numerum ſupplebant.

CXCII. Fuiſſe autem ex omni Perſica gente delectorum Equitum turmam iſtam, indicat HERODOTUS, qui Immortales hoſce, μυρίους Πέρσας ἀπολελεγμένους, *decem mille delectos Perſas*, *libr.* VII. *cap.* 83. vocat: item DIODORUS SICULUS cum *libr.* XI. *cap.* 7. *pag.* 409. (*St.* 246. *Rh.* 7.) ait: Προέπεμψε τοὺς τῶν Περσῶν ἐπιλέκτους, ὀνομαζομένους Ἀθανάτους, καὶ δοκοῦντας ταῖς ἀνδραγαθίαις πρωτεύειν τῶν συστρατευομένων. *Lectiſſimos ex Perſis mittit, quos Immortales vocant, quique ſtrenuitate commilitonibus univerſis antecellere putantur.* Unde SUIDAS in Ἀθάνατοι interpretatione, eos μυρίους Περσῶν ἐπιλέκτους, *decies mille delectos Perſas*, definit.

CXCIII. Non ex alia vero, quam ex Perſarum gente, in has vexillationes conſcriptos fuiſſe, praeter ſupra citatos locos, indicio eſt, quod HERODOTUS *libr.* VIII. *cap.* 113. ait, Mardonium, a Xerxe praemiſſum, delegiſſe ſibi Πέρσας πάντας, τοὺς Ἀθανάτους καλεομένους. *Perſas omnes, qui Immortales vocantur.* Polydamantem autem, a Dario evocatum, tres ex hac Immortalium cohorte, ſingulari praelio Suſis occidiſſe, PAUSANIAS *Eliacor. libr.* II. ſive *lib.* VI. *cap.* 5. *pag.* 464. narrat.

CXCIV. Ex his vero, qui in *Immortalium* numeros relati erant, Doryphori, ſeu haſtati mille, iique fortiſſimi ac praeſtantiſſimi legebantur, qui, quod aurea mala haſtis praefixa ferrent, Μηλοφόροι vocabantur: de quibus ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* 2. *pag* 514. ex *Heraclide Cumano* haec adducit: Ἦσαν δ᾽ οὗτοι (videlicet οἱ Μηλοφόροι) τῶν Δορυφόρων, καὶ τὸ γένος πάντες Πέρσαι, ἐπὶ τῶν στυράκων μῆλα χρυσᾶ ἔχοντες, χίλιοι τὸν ἀριθμὸν, ἀριστίνδην ἀπειλεγμένοι ἐκ τῶν μυρίων Περσῶν τῶν Ἀθανάτων καλουμένων. *Erant hi Melophori ex numero haſtatorum, omnes Perſae natione, aurea mala haſtis praefixa ferentes, numero mille, virtutis ac fortitudinis ergo ſelecti ex decem Perſarum millibus, quos vocant Immortales.* Quem Athenaei locum EUSTATHIUS in *libr.* IX. *Odyſſ.* attigit. HESYCHIUS: Μηλοφόροι, θεράποντες Περσικοὶ τοῦ βασιλέως. *Melophori, regis Perſarum ſatellites.* DIODORUS *libr.* XVII. *ſect.* I. *cap.* 59. *pag.* 206. (*St.* 593. *Rh.* 534.) Συνῆσαν δὲ τούτοις οἵ τε Μηλοφόροι, πολλοὶ ταῖς ἀνδραγαθίαις, καὶ κατὰ τὸ πλῆθος. *Conjuncti his erant Melophori, ſtrenuitate numeroque praeſtantes.* Eorum etiam ARRIANUS *libr.* III. *cap.* XI. *pag.* 119. mentionem facit. THEMISTIUS *Oration.* v. (XIX. *pag.* 226.) Ἢ ὅτι ἐδορυφόρουν αὐτὸν αἰχμοφόροι καὶ Μηλοφόροι χρυσῷ ἐσταλμένοι. *Aut quod ſequebantur ipſum haſtati & melophori auro ornati.*

CXCV. Non temere autem, aut forte, conſcriptos fuiſſe ejuſmodi Melophoros, verum Ἀριστίνδην, ATHENAEUS *l. c.* ait. Hoc quid valeat, explicat MOSCHOPULUS, περὶ σχεδῶν, in hunc modum: Ἀριστίνδην ἐκλέγει, ὅταν ἐκ τῶν ἀρίστων ποιῆται τὴν ἐκλογήν. Ἀριστίνδην *eligit, qui ex optimis electionem inſtituit.*

CXCVI. Melophoros autem in aula excubaſſe indicat ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* 2. *pag.* 514. De Regalibus enim concubinis, & Regum conſuetudine cum illis, loquens, ait: Χρῆται δὲ αὐταῖς καὶ πλεονάκις ὁ βασιλεὺς διὰ τῆς τῶν Μηλοφόρων αὐλῆς. *Saepius autem iis familiarius utitur rex per Melophororum aulam.* Αὐλὴν vero idem ATHENAEUS *libr.* v. *pag.* 189. olim ſignificaſſe ἀναπεπταμένον (*a*) τόπον, *apertum perflatumque locum*, ſcribit: Νῦν δὲ, ut ſubjicit, τὰς βασιλείους λέγουσιν Αὐλὰς, ἤτοι, διὰ τὸ μεγάλους ἔχειν τοὺς πρὸ τῶν οἴκων ὑπαιθρίους τόπους· ἢ, διὰ τὸ παρααυλίζεσθαι καὶ παρακοιμᾶσθαι τοὺς Δορυφόρους τοῖς βασιλείοις. *Nunc vero Regias Aulas vocant, aut quod ante aedificia magna ſubdialia loca habeant, aut quod in regia dormiant & conſiſtant regii ſtipatores.* Idem ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* 2. *pag.* 514. ex *Clearcho Solenſi* tradit, a Medis ad Perſas tranſiiſſe Μηλοφορίαν, μὴ μόνον ὧν ἔπαθον τιμωρίαν, ἀλλὰ καὶ τῆς τῶν δορυφορησάντων τρυφῆς, εἰς ὅσην ἦλθον ἀνανδρίας ὑπόμνημα. δοκεῖ γὰρ, ὡς ἔοικεν, ἡ περαιτέρω ἅμα τῇ ματαίῳ αὐτῶν περὶ τὸν βίον τρυφῇ καὶ τοὺς ταῖς λόγχαις καθωπλισμένους (*b*) ἀργύλας ἀποφαίνειν. *Melophoriam, i. e. ſatellites aurea mala haſtis praefixa ferentes, non ſolum ut acceptas injurias ſic ulciſcerentur, ſed & ut priſtini luxus ipſi ſatellites, & quo deveniſſent ignaviae monerentur. Poteſt enim, ut credibile eſt, intempeſtivum illud & ſtolidum in vita deliciarum ſtudium, vel armatos lanceis, inertes ac ignavos reddere.*

CXCVII. Alexandrum quoque poſt Darium victum horum Melophororum ſatellitio uſum, AELIANUS *libr.* IX. *Var. Hiſtor. cap.* III. ita ſcribit: Καὶ πρῶτοι μὲν Πέρσαι πεντακόσιοι, οἱ καλούμενοι Μηλοφόροι, περὶ αὐτὴν (ſcilicet Alexandri σκηνὴν) ἐντὸς εἱστήκεσαν, πορφυρᾶς καὶ μηλίνας ἠμφιεσμένοι στολάς. *Et primi quidem ſtabant circa ipſum (tabernaculum Alexandri) intus Perſae quingenti, qui dicebantur Melophori, purpureis melinisque ſtolis veſtiti.* Quod & ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* 9. *pag.* 589. iiſdem prope verbis ex *Phylarcho* refert: ex quorum locorum collatione didici, mendoſe in Aldina Athenaei editione ſcriptum, πεπλήμασιν ἐμπεπτωκότες πολυτελέσιν, cum legendum ſit, ἐνεστηκότες. Et quod ATHENAEUS ἐφεστηκέναι, ab AELIANO ἑστάναι dici, notandum eſt.

CXCVIII. Perſarum porro Reges latus, tam ab externis, quam domeſticis hoſtibus, magno ſtipatorum ſatellitumque agmine muniebant, qui Δορυφόροι & Αἰχμοφόροι, paſſim a Graecis auctoribus, ideo quod haſtati eſſent, appellantur: αἰχμὰς enim eos cum Acinacibus geſtaſſe, apparet ex HERODOTO *libr.* III. *cap.* 128. qua parte Oroetae caedem narrat. Hujuſmodi autem ſatellitum, quibus corporis cuſtodiam mandabant,

ſco-

(*a*) Ἀναπεπταμένον] Διαπεπταμένος legitur in editis. TR.

(*b*) Ἀργύλας] q. cod. ἀργύλους. hand ſcio an verius ἀργίτας, vel ἀργούς. poſſet etiam ἀργοῦντας legi. S. Membranarum lectionem eſſe αἰγύλους docet Caſaub. animadv. in Athen. XII, 2. qui idem, quoſdam etiam Codd. ἀργεῖλας legere obſervat. Ego in verſione lectionem Sylburgii ἀργοῦλας exprimere malui. L. Ceterum de ratione hujus ritus vide Martini de Roci *Singul. P.* II. *lib.* I. *cap.* 3. *pag.* 24. qui aurea iſta mala ſymbolum fidelis cuſtodiae fuiſſe putat. TR.

cohortes, ex Perſarum potiſſimum gente conſcribebantur. Corporis enim cuſtodes non alios, quam populares ſuos, ſibi adſciſcebant: quos & inviolatam fidem illis praeſtitiſſe Q. Curtius *libr.* vi. *cap.* 4. §. 9. docet: apud quem Nabarzanes in ſuis ad Alexandrum literis queritur, *agitaſſe Darium cuſtodiam corporis ſui, contra jus faſque, peregrino militi tradere, damnata popularium fide, quam per ducentos* (*a*) *annos inviolatam Regibus ſuis praeſtitiſſent.* Quanquam Darium, cui Ochus (*b*) nomen erat, ex Hebraeis tres adoleſcentes ſpectatae fidei, corporis cuſtodes habuiſſe Josephus *libr.* xi *Antiquit. Jud. cap.* 1. (*al.* iii.) & Sulpicius Severus *libr.* ii. *Hiſtor. Sacr. cap.* 10. ſcribunt. Hi ſunt, qui *Eſdrae libr.* iii. *cap.* 3. *v.* 4. τρεῖς νεανίσκοι σωματοφύλακες, οἱ φυλάσσοντες τὸ σῶμα τοῦ βασιλέως, *tres adoleſcentes, corporis cuſtodes, quibus regii corporis cuſtodia commiſſa erat*, dicuntur. Atque hi ſpiculatores *Regiam*, ut Aemilius Probus in *Datame cap.* 1. §. 3. loquitur, *tuebantur.*

CXCIX. Pro foribus certe Palatii excubaſſe eos, ex ii. & iii. *cap.* (*c*) *Eſther.* & Josepho *libr.* xi. *Antiquit. Jud. cap.* vi. intelligitur.

CC. Cyrum etiam ſibi, ex Perſis decem millia Spiculatorum conſcripſiſſe, qui noctu interdiuque Regiam cuſtodirent, cum ipſe intus otium ageret, Xenophon *libr.* vii. παιδ. *pag.* 147. [155.] ita ſcribit: Λαμβάνει δὲ τούτων (ſcilicet Perſarum) μυρίους δορυφόρους, οἳ κύκλῳ μὲν νυκτὸς καὶ ἡμέρας ἐφύλαττον περὶ (*d*) τὰ βασίλεια, ὁπότε ἐπιδημοίη· ὁπότε δὲ ἐξίοι ποι, ἔνθεν καὶ ἔνθεν τεταγμένοι ἐπορεύοντο. *Itaque de his (ſc. Perſis) decies mille ſatellites accipit, qui & noctu & interdiu in excubiis undique circa regiam eſſent, quando iſtic ageret: ſin aliquo exiret, hinc & inde inſtructi pergerent.* Eamque cuſtodiae diligentiam ſervatam ad ſua uſque tempora, ſubjicit.

CCI. His corporis cuſtodibus Praefectus dabatur: cujuſmodi Praefecturam geſſiſſe Ariochum, Josephus *libr.* x. *Antiquit. Judaic. cap.* x. tradit, cum de Daniële loquens, ait: Προσεισιν Ἀριόχῳ, τῷ τὴν τῶν σωματοφυλάκων τοῦ βασιλέως ἀρχὴν πεπιστευμένῳ. *Ariochum adit, qui regii corporis cuſtodum praefectus erat.* Eodemque munere Artabanum functum, in Xerxis comitatu, Diodorus Siculus *libr.* xi. *cap.* 69. *pag.* 456. (*St.* 278. *Rh.* 52.) docet, qui eum τῶν δορυφόρων ὑφηγούμενον (*e*), *ſatellitum praefectum* vocat. Duo etiam Eunuchi, Ἀρχισωματοφύλακες Regis memorantur, *cap.* ii. *Eſther. v.* 21..

CCII. Porro honori non modico ducebatur; in hujuſmodi ſpiculatorum & cuſtodum corporis numeros referri. Exiſtimandi copiam praebet Josephus *libr.* xi. *Antiquit. Judaic. cap.* iv. (*al.* iii.) qui de Zorobabele, cui vetus cum Rege Dario amicitia interceſſerat, σωματοφυλακίας, inquit, αὐτὸς μεθ' ἄλλων δύο κριθεὶς ἄξιος, ἀπέλαβεν (*f*) ἃς ἤλπισε τιμάς. *Cui cum aliis duobus regii corporis cuſtodia mandaretur, dignus judicatus, ſperatum honorem conſecutus eſt.* Alexander quoque, ut Diodorus Siculus *libr.* xvii. *cap.* 77. *pag.* 220. (*St.* 603. *Rh.* 549.) loquitur, τοὺς ἐπιφανεστάτους τῶν ἀνδρῶν δορυφορεῖν ἔταξεν· ἐν οἷς ἦν καὶ ὁ Δαρείου ἀδελφὸς Ὀξάθρης. *Nobiliſſimos viros conſtituit ſatellites, in quorum numero etiam erat Darii frater Oxathres.*

CCIII. Reges ergo magna Satellitum manu ſtipabantur, eorumque latera objecti ac circumfuſi Stipatores defendebant, qui incurrentibus periculis ſe opponerent. Curtius *libr.* iii. *cap.* 9. §. 4. *Ipſum Regem dimicaturum tria millia delectorum Equitum, aſſueta corporis cuſtodiae, ſequebantur.* Horum etiam Σωματοφυλάκων nocturnis excubiis ſomnum Reges muniebant, ut Xenophontis paulo ante adducta verba teſtantur. Unde apud (*g*) Josephum *libr.* xi. *Antiquit. cap.* iv. (*al.* iii.) de Rege ſcribitur: φυλάττεται (*h*) δὲ ὑπὸ γρηγορούντων, καὶ ὥσπερ δεδεμένον ὑπὸ τοῦ φόβου. καταλιπεῖν γὰρ οὐδεὶς τολμᾷ κοιμώμενον, οὐδὲ τὴν ἰδίαν ἀναχωρήσας ποιεῖ χρείαν· ἀλλ' ἓν ἔργον ἡγούμενος ἀναγκαῖον, τὸ φυλάττειν τὸν βασιλέα, οὕτω προσμένει. *Cuſtoditur a vigilantibus, & metu quaſi vinctis. nec enim quiſquam, dormiente illo relicto, abire ad curanda propria negotia audet, ſed unam hanc curam putans neceſſariam, ut regem cuſtodiat, in hac una eſt aſſiduus.*

CCIV. Tutiſſima quidem Regum cuſtodia in eorum, qui parent, animis ac benevolentia poſita eſt: quo ſatellitio ſtipati, ſecuram Principes, omni amoto metu, vitam degunt: animoque tranquillo, libere cibum ac ſomnum capiunt: alioquin omnia tuta timent: ipſiſque rerum experimentis cognoſcimus, veriſſimum eſſe, quod Imperator Marcus Philoſophus, apud Herodianum *lib.* 1. *cap.* 8. (*al. c.* 4. §. 10.) praedicat, Οὐ δορυφόρων φρουρὰ ἱκανὴ φυλάξαι τὸν ἄρχοντα, εἰ μὴ προϋπάρχοι ἡ τῶν ὑπηκόων εὔνοια. *Non ſtipantia ſatellitum agmina tueri principem poſſunt, niſi illi ipſi, quos regas, animum imperanti benevolentiamque accommodent.* Hoc unico Trajani exemplo confirmaſſe contentus ero: Gratiſſimum enim Senatui populoque Romano fuiſſe, Plinius in *Panegyr. cap.* 23. ait, quod ille primo ſtatim die latus ſuum credidit omnibus. *Neque enim*, adjicit, *ſtipatus ſatellitum manu, ſed circumfuſus undique, nunc Senatus, nunc equeſtris ordinis flore prout alterutrum frequentiae genus invaluiſſet, ſilentes quietoſque lictores tuos ſubſequebare.* Et mox, *cap.* 49. *Quanta nunc tutior, quanto ſecurior, eadem domus, poſtquam ejus, non crudelitatis, ſed amoris excubiis, non ſolitudine & clauſtris defenditur: & quid ergo? Nos diſcimus experimenta, fideliſſimam eſſe cuſtodiam Principis ipſius innocentiam.. Haec arx inacceſſa, hoc inexpug-*

(*a*) Ducentos] *& triginta* additur in *edd.* quas ego vidi. TR.

(*b*) Ochus] Immo de Dario Hyſtaſpis filio loquitur Joſephus. TR.

(*c*) Cap.] Ex *cap.* 2. huc pertinet *v.* 21. In *cap.* 3. vero nihil reperi, quod huc ſpectaret: praeterea huc pertinet principium *cap.* 6. uti illud in textu Graeco legitur. TR.

(*d*) Περὶ] In *Leunclavii ed.* legitur ἐπὶ TR.

(*e*) Ὑφηγούμενον] ἀφηγούμενον in *noviſſ. ed.* vocatur. TR.

(*f*) Ἀπέλαβεν] In *noviſſ. ed.* legitur ἀπήλαυσε. TR.

(*g*) Duorum locorum quae fruſtra, licet diu, a ſe quaeſita, in notis Sylb. ſcribit, hic unus eſt. Citabatur autem in prior edit. ex libr. x. cap. ix. cum tamen ſit libr. xi. cap. iv. uti nunc noſtra habet editio. Alter locus fruſtra Sylburgio quaeſitus ſupra aderat §. cxlv pag. hujus ed. 204. init. qui ex Xenoph. libr. 6. παιδ. allegabatur, cum tamen extet libro viii. ceu ibi a nobis correctum eſt. Sed non haec tantum loca corrupte citantur a Noſtro; ſunt adhuc plura alia, quibus in requirendis non parum moleſtiae devorandum fuit. L.

(*h*) Φυλάττεται] In *noviſſ. ed.* legitur φυλάσσεται, & in fine hujus loci pro οὕτω, ibi editur τοῦτο. TR.

pugnabile munimentum, munimento non egere. Sed tamen, ad ingenitam Perſis erga Reges ſuos venerationem, etiam ſalutis & majeſtatis cauſa, corporis cuſtodes accedere placuit. Eoque exemplo aliarum gentium principes ejuſmodi cuſtodibus latus tegendum cenſuerunt.

CCV. Ex illis autem Δορυφόρων unum, ſellae aureae pedibus Regis, e curru deſcendentis, ſubjiciendae cauſa, regium currum ſequi ſolitum, docet Athenaeus *libr.* XII. *cap.* 2. *pag.* 514. ex *Dinone* narrans, Regem Perſarum nunquam curru deſiliiſſe, ſed ſemper, pedibus ſellae aureae impoſitis, deſcendiſſe, ſic ut nunquam ſolum contingeret: addit; αὐτῷ (ſcilicet Regi magno) χρυσοῦς δίφρος ἐτίθετο, καὶ τούτῳ ἐπιβαίνων κατέβαινε· καὶ ὁ βασιλέως Δορυφόρος (a) εἵπετο τούτου ἕνεκα. *Ipſi aurea ſella adponebatur, cui inſiſtens deſcendebat, cujus rei gratia regius ſatelles ſequebatur.*

CCVI. Regii autem ſtipatores aes non merebant, ſed a Rege annonas capiebant, eiſque ex Regalis menſae reliquiis, uti ſupra diximus, cibaria praeſtabantur. Quemadmodum enim apud Graecos mercenariis militibus in ſtipendium pecunia numerabatur, ſic Perſarum ſatellites annonas a Rege in ſtipendii rationem accipiebant. Quod Athenaeus *libr.* IV. *cap.* 10. *pag.* 145. docet, in haec verba: Τὰ δὲ πλεῖστα τούτων τῶν ἱερείων, καὶ τῶν σιτίων, ὡς ἔφην, βασιλεὺς, τοῖς τε δορυφόροις καὶ τοῖς πελτασταῖς, ταῦτα ἀναφέρεται εἰς τὴν αὐλήν· (b) οὗ ἰδεῖν ἔστι ... μερίδας ποιήσαντες τῶν κρεῶν καὶ τῶν ἄρτων ἴσας διαιροῦνται. ὥσπερ δὲ οἱ μισθοφόροι ἐν τῇ Ἑλλάδι μισθὸν ἀργύριον λαμβάνουσιν, οὕτως οὗτοι τὰ σιτία παρὰ τοῦ βασιλέως εἰς ὑπόλογον λαμβάνουσι. *Harum victimarum & cibariorum maxima pars in aulam fertur, alendis, quos rex ſtipatores & cuſtodes habet peltaſtis & haſtatis militibus. Ubi ab epularum praefectis & carnes & panes in portiones diſtribuuntur, & dividuntur aequaliter. Nam ut in Graecia ſtipendiarii aes merent, ſic victum a rege iſti accipiunt, qui in ſtipendium cedit ac imputatur.*

CCVII. Ceterum inter eorum ordines, qui Regum lateri proximi erant, quidam Συγγενεῖς, id eſt, ut Curtius *libr.* III. & IV. & Justinus *libr.* X. *in extremo*, loquuntur, Cognati, vocabantur. De quibus ejuſdem Curtii ex *libr.* III. *cap.* 3. §. 14. verba apponam: *Exiguo intervallo, quos Cognatos Regis appellant, decem & quinque millia hominum. Haec vero turba, muliebriter propemodum culta, luxu magis, quam decoris armis, conſpicua erat* (c). *Doryphori vocabantur.* Diodorus *libr.* XVII. *ſection.* I. *cap.* 59. *pag.* 206. (*St.* 593. *Rb.* 534.) Δαρεῖος δὲ λαιοῦ κέρατος ἡγούμενος, συναγωνιστὰς εἶχε τοὺς Συγγενεῖς, ἱππεῖς ἐπιλέκτους ταῖς ἀρεταῖς καὶ ταῖς (d) εὐνοίαις χιλίους, ἐν μιᾷ συνειλημμένους ἴλῃ. *Darius laevum cornu regens, Cognatos habebat propugnatores, qui erant mille equites in unam turmam redacti, ſpectatae in regem virtutis & benevolentiae.* Iſtos etiam Συγγενεῖς acie inſtructa, circa Darium locatos, Arrianus *libr.* III. *cap.* XI. *pag.* 119. refert. Sed & Curtius *libr.* IV. *cap.* XI. §. I. Darium decem legatos, Cognatorum principes, ad Alexandrum miſiſſe refert, & idem Arrianus *libr.* VII. (e) Et ita Συγγενεῖς quoque accipe apud Diodorum *libr.* XVII. *cap.* 31. *pag.* 182. (*St.* 578. *Rb.* 510.) in quo eſt; Καὶ τῶν φίλων καὶ τῶν Συγγενῶν ἐπελέγετο (de Dario ſermo fit) τοὺς ἀξίους, ὧν τοῖς μὲν τὰς ἁρμοζούσας ἡγεμονίας κατεμέριζε, τοὺς δὲ μεθ' ἑαυτοῦ κινδυνεύειν προσέταττεν. *Tum ex amicis & cognatis idoneos ſibi viſos deligit, quorum aliis imperia, quae ſingulis convenirent, diſpartitur, alios in hoſtem ſecum ire jubet.* Hos Diodori Arrianique *Interpretes* minus perite *Conſanguineos* reddunt. Honorariam vero appellationem hujuſmodi fuiſſe, nec ullo ſanguinis jure, aut aliquo naturali cognationis vinculo competiiſſe, ex eo planum fit, quod, inter cetera victoriae praemia, tribus ſatellitibus hoc quoque Darium propoſuiſſe, καὶ Συγγενής μου (vel ἐμὸς) κληθήσεται, *& Cognatus meus vocabitur*, *Eſdrae libr.* III. *cap.* III. *v.* 7. & IV. *v.* 42. & apud Josephum *libr.* XI. *Antiquit. cap.* IV. (*al.* III.) legimus. Alexandrum etiam hoc Cognatorum nominis honore Perſas quoſdam adfeciſſe, Arrianus *libr.* VII. *cap.* XI. *pag.* 287. narrat his verbis: καλέσας εἴσω τῶν Περσῶν τοὺς ἐπιλέκτους τάς τε ἡγεμονίας αὐτοῖς τῶν τάξεων διένειμε· καὶ ὅσους Συγγενεῖς ἀπέφηνε, τούτοις δὲ νόμιμον ἐποίησε φιλεῖν αὐτὸν μόνοις. *Vocatis ad ſe Perſarum principibus, ducatus agminum inter eos partitus eſt, & quotquot Cognatos effecerat, iis ſolis, ut deoſculari ipſum liceret, ſanxit.* Quae res Macedonum animos non leviter offendit: quorum querelas Callinea perferens, ita cum Alexandro, apud eundem Arrianum expoſtulat, *pag.* 288. Περσῶν μὲν τινας ἤδη πεποίησαι σαυτῷ Συγγενεῖς, καὶ καλοῦνται Πέρσαι συγγενεῖς Ἀλεξάνδρου καὶ φιλοῦσί σε· Μακεδόνων δὲ οὔπω τις (f) γέγευται ταύτης τῆς τιμῆς. *Jam nonnullos Perſarum tibi Cognatos effeciſti, & Perſae cognati Alexandri appellantur. hos te deoſculari ſinis, Macedonibus ab hujuſmodi honore excluſis.* Cui ſatisfaciens Alexandes, ἀλλ' ὑμᾶς τε, ἔφη, ξύμπαντας ἐμαυτῷ τίθεμαι Συγγενεῖς, καὶ τό γε ἀπὸ τοῦδε, οὕτω καλέσω. *At vero omnes vos, inquit, Cognatos mihi facio, ac deinceps ita vocabo.* Quo dicto Callines, προσελθὼν, ἐφίλησέ τε αὐτὸν, καὶ ὅσις ἄλλος φιλῆσαι ἤθελεν. *Progreſſus, ipſum deoſculatus eſt, aliique, quibus id cordi fuit.* Unde colligitur Cognatos iſtos Regis, non adorandae tantum purpurae jus habuiſſe: verum & ad oris oſculum admiſſos (g). Peculiarem etiam a Rege his Cognatis coenam datam, quae Συγγενικὸν ἄριστον vocabatur, cui extraneus nullus adhibebatur, ſupra docuimus.

CCVIII. Erant & principes quidam viri ab honoria

(a) Δορυφόρος] Aſt in *ed.* qua ego uſus fui, legitur Διφροφόρος. Et probabile ſane eſt, peculiarem fuiſſe miniſtrum, qui ſellam regis portaret, quem Athenaeus διφροφόρον vocat: utrum vero hic ex δορυφόροις fuerit, id quidem ex hoc loco, ſi ita legatur, probari non poteſt, adeoque alio teſtimonio deficiente manet incertum. TR.

(b) Verti haec iterum ex mente & correctione Caſauboni, quem vide ad Athen. IV, 10. p. 271. L.

(c) Erat] Verba duo ſequentia male cum hac periodo junguntur, quum potius ad ſequentem pertineant, uti in accuratiſſimis *edd.* locus diſtinguitur. TR.

(d) Ταῖς] Hunc articulum ego ex editis inſerui, uti *Lederlinus* verba paullo poſt ſequentia ἐν μιᾷ. Pro ἴλῃ Cel. *Weſſeling.* ex MS. repoſuit ἴλῃ. TR.

(e) Libr. VII.] De duplici Darii legatione ad Alexandrum Arrianos agit *lib.* II. Et de priori quidem *cap.* 14. *pag.* 83. de poſteriori vero *cap.* 25. *pag.* 105. Non vero expreſſe dicit, cognatorum in ea principes fuiſſe. TR.

(f) Γέγευται] Prior edit. γέγονε. repoſui ex edit. doctiſſ. Blancardi, & praeſtantiſſima ed. Cl. Gronovii γέγευται. poſſet & ex Cod. Baſil. legi γεύεται. Locus apud Arrian. eſt libr. VII. cap. 11. non vero libro VI. uti prior citabat editio, cujuſmodi errores in prior. ed. non infrequentes. Reddidi item verum Macedonis, qui cum Alexandro expoſtulabat, nomen textui, Callines ſcilicet; pro quo prior edit. habebat Callinices. L.

(g) Admissos] Hinc Darius Zorobabelem quoque oſculatus fuit, *Eſdrae lib.* III. *cap.* 4. *v.* 47. TR.

Digitized by Google

noris aequalitate Ὁμότιμοι appellati, quorum apud XENOPHONTEM *libr.* I. & II. παιδ. non ſemel fit mentio. Hi (*a*) aſſiduo pro foribus regiae ſtantes, praeſto erant ad obſequia, manentes donec a Rege dimitterentur. Chryſantem namque Perſis auctorem fuiſſe cenſendi, εἴπομεν ἀεὶ παρεῖναι ἐπὶ θύρας, καὶ παρέχειν αὑτοὺς χρῆσθαι, ὅ, τι βούλοιτο, ἕως ἂν ἀφίῃ Κῦρος. *Ut honorati ſemper ad regiam praeſto eſſent, & Cyro ſuam operam offerrent, quamcunque ad rem illi viſum eſſet, donec eos dimitteret:* XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *init. pag.* 201. ſcribit. Proinde, ut *pag.* 202. ſubjicit, ἐφοίτων ἐπὶ τὰς θύρας Κύρου, οἱ ἔντιμοι σὺν τοῖς ἵπποις καὶ ταῖς αἰχμαῖς. *Ita ut honorati cum equis & armis ad Cyri regiam.* Idem *libr.* VII. *fin. pag.* 200. ἐν Πέρσαις ἐπὶ ταῖς ἀρχείοις τοὺς ὁμοτίμους διάγειν, *in Perſia Homotimos ad regiam verſari*, tradit. Regiae foribus adſtare, conſiſtereque, ex Cyri praecepto, Proceres & Primates omnes, apud Perſas uſu receptum fuit. Ideoque apud PLUTARCHUM in *Themiſtocle*, *pag.* 126. τῶν ἐπὶ θύραις appellatione, non corporis modo cuſtodes, ut quidam interpretantur, ſed Purpuratos ac Torquatos quoslibet accipe. Quod perſpicue item PLUTARCHUS in *Pelopida*, *pag.* 294. docet, ὤφθη, inquiens, τοῖς ἐπὶ θύραις Σατράπαις, καὶ στρατηγοῖς, καὶ ἡγεμόσιν ἀφθόνως θαῦμα καὶ λόγον παρέσχεν. *Ab atrienſibus regis Satrapis, ducibuſque & praefectis viſus, ſui admirationem & ſermonum de ſe materiam praebuit.* Sic *cap.* III. *Eſther. v.* 2. *Omnes ſervi Regis, qui erant pro porta Regis*, ut habet vetus verſio. Nam Servos omnes appellatos eos, qui in aulico aliquo officio miniſterioque verſabantur, non dubium eſt: quos ad fores Palatii conſidere & morari conſueviſſe conſtat.

CCIX. Perſarum etiam & Parthorum Proceres ac Purpuratos MEGISTANAS (*b*), interdum appellari obſervandum eſt. *Eſdrae* namque *libr.* III. *cap.* III. *v.* I. legimus reſcriptum: Πᾶσι τοῖς Μεγιστᾶσι τῆς Μηδίας καὶ τῆς Περσίδος. (*v.* 14.) πάντας τοὺς Μεγιστᾶνας τῆς Περσίδος καὶ τῆς Μηδίας, καὶ τοὺς Σατράπας, καὶ στρατηγοὺς, καὶ τοπάρχας. *Omnes Megiſtanas Perſiae & Mediae, Satrapas, Duces, & toparchas.* DANIEL quoque *cap.* III. *v.* 24. τότε Ναβουχοδονόσορ ἐξανέστη ἐν σπουδῇ, καὶ εἶπε τοῖς Μεγιστᾶσιν αὐτοῦ. *Tum Nabuchodonoſor confeſtim ſurrexit, & Megiſtanas ſuos allocutus dixit.* JUDITH *cap.* II. *v.* 2. Nabuchodonoſor συνεκάλεσε πάντας τοὺς θεράποντας αὐτοῦ, καὶ πάντας τοὺς Μεγιστᾶνας αὐτοῦ. *Convocat omnes ſervos ſuos, omneſque Megiſtanas ſuos.* In Euangel. D. MARCI *cap.* VI. *v.* 21. Herodes dicitur coenam exhibuiſſe, τοῖς Μεγιστᾶσιν αὐτοῦ καὶ τοῖς Χιλιάρχοις, *Megiſtaſi ſuis atque Chiliarchis.* JOSEPHUS *libr.* XX. *Antiquit. cap.* III. de Artabano in regnum reſtituto, καὶ Ἀρτάβανος οὕτω δι' Ἰζάτου πάλιν εἰς τὴν ἀρχὴν καθίσταται, πρότερον αὐτῆς ἐκπεσὼν διὰ τοὺς Μεγιστᾶνας, *ſic Artabanus Izatae opera in regnum ſuum reſtitutus eſt, unde ejectus fuerat per Megiſtanas.* ALEXANDER APHRODISIUS in *Topic.* ὁ τιμῆς ὀρεγόμενος παρὰ Βασιλέως, ἢ παρὰ Μεγιστάνων. *Qui honorem a rege, vel Megiſtaſi deſiderat.* HESYCHIUS: Μεγιστᾶνες, οἱ ἐν ὑπεροχῇ ὄντες. *Megiſtanes dicuntur, qui in dignitate eminentiori ſunt conſtituti.* SUIDAS: Μεγιστᾶνες, οἱ τοῦ βασιλέως περιφανέστεροι (*c*) ὑπ' ἐξουσίαν. *Megiſtanes, Regis proceres, ſive illuſtriores ejus miniſtri.* Quod nomen Latini quoque auctores uſu ſuum fecerunt. Nam & *Megiſtanas Babylonios*, Q. CURTIUS *libr.* V. dixit (*d*): & SUETONIUS, in *Caligula*, *cap.* V. Parthorum regem in luctu *Megiſtanum convictu abſtinuiſſe* refert. TACITUS *libr.* XV. *Annal. cap.* 27. *Megiſtanas Armenios, qui primi a nobis defecerant, pepulit* (*e*) *ſedibus.* SENECA *Epiſt.* XXI. *Omnes illos Megiſtanas, & Satrapas, & Regem ipſum, ex quo Idomenei titulus petebatur.*

CCX. Fuit & apud Partho-Perſas, celſo dignitatis gradu Magiſtratus, qui SURENAS vocabatur: quo in officio poſitos, novi Regis frontem, patrio gentis more, Diademate revinxiſſe, proximumque a Rege locum obtinuiſſe, jam in tranſitu docuimus. De cujus Magiſtratus auctoritate, poteſtateque, faſtu etiam Regalique magnificentia ejus, qui hoc officium, quo tempore Craſſus a Parthis victus caeſuſque eſt, gerebat, integrum PLUTARCHI locum, quem ſupra ſtrictim attigi, ſubjicere operae pretium cenſui. Verba in *Craſſo pag.* 556. ſic habent: Οὐδὲ γὰρ ἦν τῶν τυχόντων ὁ Σουρήνας, ἀλλὰ πλούτῳ μὲν, καὶ γένει, καὶ δόξῃ, μετὰ βασιλέα δεύτερος. ἀνδρείᾳ δὲ καὶ δεινότητι τῶν καθ' αὑτὸν ἐν Πάρθοις πρῶτος. ἔτι δὲ μεγέθει καὶ κάλλει σώματος, ὡς οὐδεὶς ἕτερος. ἐξήλαυνε δὲ καθ' ἑαυτὸν ἀεὶ χιλίαις σκευοφορούμενος καμήλοις, καὶ διακοσίας ἀπήνας ἐπήγετο παλλακίδων, ἱππεῖς δὲ κατάφρακτοι χίλιοι, πλείονες δὲ τῶν ἐλαφρῶν παρέπεμπον. εἶχε δὲ τοὺς σύμπαντας ἱππεῖς ὁμοῦ πελάτας τε καὶ δούλους, μυρίων οὐκ ἀποδέοντας. κατὰ γένος μὲν ἐν ἐξαρχῆς ἐκέκτητο, βασιλεῖ γινομένῳ Πάρθων, ἐπιτιθέναι τὸ Διάδημα πρῶτος. *Non enim de media aliquis plebe homo erat Surena, ſed vir opibus, genere, ac gloria poſt regem primus, virtute & peritia omnibus ſui temporis Parthis praeſtans, neque eum magnitudine & pulchritudine corporis quiſquam aequabat. Quoties expeditionem faceret, mille utebatur camelis ad impedimenta ferenda, ducentis curribus pellices vehebantur: mille cataphracti, plures levis armaturae equites comitabantur; & omnino equitum clientium ſervorumque, quos ſecum ducebat, numerus decem millia explebat. A majoribus hunc honorem habebat, ut creato regi Parthorum primus ipſe diadema imponeret.* Eadem & in APPIANI *Parthicis pag.* 131. *ſeq.* (140. *ſeq.*) curioſus lector inveniet, abſque ulla vel ſyllabae unius varietate, niſi quod pro ἀλλὰ, ἄλλως (*f*): pro δεινότητι, τόλμῃ: pro ὡς οὐδεὶς, ὅσον οὐδεὶς, ſcriptum eſt. STRABO *libr.* XVI. *pag.* 1083. (747.) Σίννακα, ἐν ᾗ Κράσσος διεφθάρη, δόλῳ ληφθεὶς ὑπὸ Σουρήνα, τοῦ τῶν Πάρθων (*g*) στρατηγοῦ. *Sinnaca, in qua Surena Parthorum imperator Craſſum dolo captum interemit.* TACITUS *libr.* VI. *Annalium*, *cap.* 42. *Sed ubi diem*

(*a*) Uſitatius aſſidue, ut infra pag. 287. [*lib.* III. §. VI. *in fine*] in verbis Amm. Marc. S.

(*b*) MEGISTANAS] Confer de hac voce *Barthii Adverſ. lib.* VII. *cap.* 9. & *Reineſii Var. Lect. lib.* III. *cap.* 17. TR.

(*c*) Ὑπ' ἐξουσίαν] Editi habent ὑπεξούσιοι. quae lectio prae Briſſonii noſtri mihi magis placet. eſt autem ὑπεξούσιος, *alterius poteſtati ſubjectus.* unde & pro *filio familias*, qui ſub patria poteſtate eſt, accipitur. Vide Gloſſas *Philox.* L. Immo diviſio vocum non eſt a Briſſonio, ſed a Sylburgii manu, qui primus diviſim ὑπ' ἐξουσίᾳ edidit. Nam in prima editione conjunctim legitur ὑπεξουσίᾳ: vitioſe ſine dubio pro ὑπεξούσιοι. TR.

(*d*) DIXIT] Auctor intelligit locum *lib.* V. *cap.* 13. §. 3. ubi quidam legunt: *ex Megiſtane Babylonio* · alii vero ſubſtituunt: *ex Bagyſthene Babylonio.* Vide ibi *Interpp.* TR.

(*e*) PEPULIT] In *edd.* quas ego vidi, legitur *pellit.* TR.

(*f*) Ἄλλως] In *Tollii* tamen editione ἀλλὰ, ut in Plutarcho, legitur. Quod ad ſequentia attinet, in priori voce Plutarchi; in poſteriori Appiani lectionem praeferendam cenſet Tollius. TR.

(*g*) Πάρθων] In *noviſſ. ed.* legitur Παρθυαίων. TR.

diem ex die prolatabant, multis coram & adprobantibus, Surena, patrio more, Tiridatem inſigni regio evinxit. Quod genus loquendi idem *libr.* XV. *Annal. cap.* 2. uſurpans, *Simul*, ait, *Diademate caput Tiridatis evinxit.* Manſiſſe etiam ad ſua uſque tempora hanc Magiſtratus hujus dignitatem AMMIANUS MARCELLINUS non ſemel docet. Sic enim *libr.* XXIV. *cap.* 2. *Surena, poſt Regem, apud Perſas promeritae dignitatis.* Rurſuſque *libr.* XXX. *cap.* 2. *Advenit Surena, poteſtatis ſecundae poſt Regem.* Eodemque *libr.* & *cap.* Surenae datum a Sapore Perſarum Rege negotium refert, ut ea, quae Victor Comes & Urſicius ſuſceperant, armis repeteret. ZOSIMUS *libr.* III. *cap.* 15. §. 9. Ὁ γὰρ Σουρήνας (ἀρχῆς δὲ τοῦτο παρὰ Πέρσαις ὄνομα) λόχον ἔν τινι τόπῳ καθίσας, &c. *Surenas (magiſtratus hoc apud Perſas nomen eſt) inſidiis quodam loco poſitis, &c.* Et iterum eodem *libr. cap.* 31. §. 1. Σουρήνας τε καὶ ἄλλος τῶν ἐν δυνάμει παρ' αὐτοῖς ὄντων, ἐξέπεμψαν. *Cum Surenas, tum alius eorum, qui erant apud ipſos in dignitate, emiſerant.* Invenitur & SURENAE nudum nomen apud SUIDAM: cui tamen in vocis hujus interpretatione vox faucibus haeſit.

CCXI. Reges porro Janitorem & Oſtiarium habebant. Πυλουρὸν vocat HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 140. ubi de Syloſonte ait: Ἵζετο ἐς τὰ πρόθυρα τῶν βασιλέος οἰκίων, καὶ ἔφη Δαρείου εὐεργέτης εἶναι. ἀγγέλλει ταῦτα ἀκούσας ὁ πυλουρὸς τῷ βασιλέϊ. *Sedens in veſtibulo regiae, ait, ſe eum eſſe, qui de rege ſit bene meritus. haec audiens janitor, regi renunciat.* Cui imperat Darius, αὐτὸν παράγετε ἔσω, ἵνα εἰδέω τί θέλων λέγει ταῦτα. παρῆγε ὁ πυλουρὸς τὸν Συλοσῶντα. *Hominem introducite, ut ſciam, quid haec dicendo velit ſibi. Introducit janitor Syloſontem.* Quinetiam pro portis Palatii excubias corporis cuſtodes agebant. Quae res ſeptem Perſis, conſilia de Magorum caede agitantibus, negotium faceſſere videbatur. Dario enim cenſenti, noctu adoriendos adgrediendoſque eſſe (*a*), Othanes dubitationem ita movet, apud HERODOTUM *libr.* III. *cap.* 72. Ἐξηγέο αὐτὸς ὅκως οἷοί τε ἐσόμεθα παρελθεῖν ἐς τὰ βασιλήϊα, καὶ ἐπιχειρέειν αὐτοῖσι. φυλακὰς γὰρ δὴ διεστεώσας οἶδας που καὶ αὐτὸς, εἰ μὴ ἰδὼν, ἀλλ' ἀκούσας, τὰς τέῳ τρόπῳ παρήσομεν (*b*); *Age, expone nobis ipſe, quonam pacto regiam introire poſſimus, & illos adgredi. excubias namque diſpoſitas eſſe, ipſe quoque, etſi non viſu, certe auditu noſti: quas qua ratione penetrabimus?* Cui reſpondet Darius; Ὑμεῖς δὲ ἐπεὰν φυλάκους τὰς κατεστεώσας ἴδητε, οὐδὲν χαλεπῶς παρελεύσεσθε. τοῦτο μὲν γὰρ, ἡμέων ἐόντων τοιῶνδε, οὐδεὶς ὅστις οὐ παρήσει. *Vos vero noſtis, excubias, quae diſpoſitae ſunt, haudquaquam difficiles eſſe ad penetrandum. nam cum nos tales ſimus, nemo non, quiſquis ille ſit, cedet nobis.*

CCXII. Poſt iſtos, qui atria ſervabant, Oſtiarios, quique primo aditu arcebant eos, quos ſummovendos cenſebant, occurrebant alii, foribus Regiae adſtantes, ἀγγελίας εἰσφέροντες, quos Latini auctores *Internuntios* vertunt: per quos adeuntium deſideria, preces, poſtulationeſque ad Regem perferebantur. Ordinem hunc Oſtiariorum, Excubitorum, Admiſſionaliumque, non obſcure patefacit HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 77. narrans uti Magi a ſeptem Perſis oppreſſi fuerint: Καταιδεσθέντες γὰρ οἱ φύλακοι ἄνδρας τοὺς Περσέων πρώτους, καὶ οὐδὲν τοιοῦτον ὑποπτεύοντες ἐξ αὐτῶν ἔσεσθαι, παρίεσαν, θείῃ πομπῇ χρεωμένους· οὐδ' ἐπειρώτα οὐδείς. ἐπεί τε δὲ καὶ παρῆλθον ἐς τὴν αὐλὴν, ἐνέκυρσαν τοῖσι τὰς ἀγγελίας ἐσφέρουσι εὐνούχοισι· οἵ σφεας ἱστόρεον ὅ, τι θέλοντες ἥκοιεν. καὶ ἅμα ἱστορέοντες τούτους, τοῖσι πυλουροῖσι ἀπείλεον, ὅτι σφέας παρῆκαν. *Nam cuſtodes veriti Perſarum primorios, nec aliquid hujuſmodi ſuſpicantes ex his fore, qui venirent divina eum pompa, ne interrogaverunt quidem. Ubi in aulam introgreſſi ſunt, offendunt eunuchos, qui erant a nunciis: & ab his, qua gratia venirent, interrogantur. Simulque inter percontandum janitoribus minitabantur, quod homines ingredi permiſiſſent.* Eandemque facti ſeriem breviter recitans ZONARAS *Annalium Tomo* I. *libr.* IV. *pag.* 172. Οἱ δὲ ἑπτὰ ἄνδρες ἐν τῇ ὁδῷ τὰ κατὰ τὸν Πρηξάσπην μαθόντες, ὥρμησαν εὐθὺς ἐπὶ τὰ βασίλεια καὶ εἰσῄεσαν, παρὰ τῶν φυλάκων μὴ κωλυόμενοι. ᾐδοῦντο γὰρ τὴν ὑπεροχὴν τῶν ἀνδρῶν. παρελθόντες δὲ εἰς τὴν αὐλὴν, ἐνέτυχον τοῖς ἀγγελιαφόροις εὐνούχοις, οἳ σφᾶς ἤροντο, ὅτου χρῄζοντες ἥκοιεν, κωλύουσί τε περαιτέρω ἰέναι. *Septem viri cum in via, quae circa Prexaſpen acciderant, didiciſſent, illico ad regiam contendunt, eamque non prohibiti a cuſtodibus, utpote eorum dignitatem reveritis, ingrediuntur. Aſt ubi aulam ingreſſi erant, in Eunuchos, qui Internunciorum munere fungebantur, incidunt. a quibus, cujus rei gratia venirent, interrogantur, & ab ulteriori aditu prohibentur.* Cujuſmodi Ἀγγελιαφόρου officio apud Cambyſen functum Prexaſpem, HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 34. ita ſcribit: Λέγεται γὰρ εἰπεῖν αὐτὸν (de Cambyſe verba facit) πρὸς Πρηξάσπεα, τὸν ἐτίμα τε μάλιστα, καί οἱ τὰς ἀγγελίας ἐφόρεε οὗτος. *Fertur Prexaſpae dixiſſe, quem praecipuo honore proſequebatur, & qui ad eum nuncios perferebat.*

CCXIII. Per hos Internuntios Reſponſa his, a quibus adibantur, Reges dabant. JUSTINUS *libr.* I. *cap.* 2. §. 11. *ſeq.* de Ninya, Nini & Semiramidis filio: *Raro a viris viſus, in feminarum turba conſenuit: poſteri quoque ejus, id exemplum ſequuti, Reſponſa gentibus per Internuntios dabant.* Moris utique fuiſſe apud Perſas, ἀνδράσι μὲν ἰδίᾳ, γυναιξὶ δὲ καθ' ἕτερον καιρὸν χρηματίζειν, *ſeorſim cum viris, cum mulieribus autem alio tempore agere*, HELIODORUS *libr.* VII. *Hiſtor: Aethiopicae, pag.* 336. tradit.

CCXIV. CHILIARCHUM etiam fuiſſe, τὸν τὰς εἰσαγγελίας εἰσκομίζοντα τῷ βασιλεῖ, καὶ τοὺς δεομένους εἰσάγοντα. *Qui pariter res nunciatas ad regem perferebat, & rogantes introducere ſolebat*, AELIANUS *libr.* I. *Var. Hiſtor. cap.* XXI. oſtendit. PLUTARCHUS in *Themiſtocle, pag.* 125. Ἐντυγχάνει πρῶτον Ἀρταβάνῳ τῷ χιλιάρχῳ, λέγων, Ἕλλην μὲν εἶναι, βούλεσθαι δ' ἐντυχεῖν βασιλεῖ περὶ μεγίστων πραγμάτων. *Primum omnium convenit Artabanum Chiliarchum, eique exponit, Graecum ſe eſſe, cupere autem cum rege de maximi momenti rebus colloqui.* Ejus quoque Chiliarchi, ſeu Tribuni, partes fuiſſe, exterarum gentium legatos, ad Regem miſſos, aut eos, qui cum Rege agere vellent, ad eumque quoquo modo adfectabant viam, admittere; nec ullum ſine hoc admiſſum, AEMILIUS PROBUS in *Conone, cap.* 3. §. 2. docet. Illic enim refert, Cononem a Pharnabazo, ad Regem Artaxerxem, Tiſaphernis, qui ab eo defecerat, accuſandi gratia, miſſum, *primum, ex more Perſarum, ad Tithrauſtem Chiliarchum, qui ſecundum imperii gradum tenebat*, acceſſiſſe: ſeque oſtendiſſe cum Rege colloqui velle. Hoc Chiliarchi munere Bagoam Eunuchum in Artaxerxis aula fun-

(*a*) Eſſe] Immo de nocturna adgreſſione nihil habet Herodotus, ſed refert tantum *cap.* 71. Darium cenſuiſſe, rem ſtatim ſine omni mora eſſe adgrediendam. TR.

(*b*) Παρήσομεν] περήσομεν legitur in *noviſſ. editione*. TR.

functum, Diodorus *libr.* xvii. *cap.* 5. *pag.* 163. (*St.* 564. *Rb.* 490.) refert (*a*). Sacam etiam, Aſtyagis pincernam, Admiſſionalis partes obiiſſe, Xenophon *libr.* i. παιδ. *pag.* 9. ſignificat his verbis: Ὁ δὲ Σάκας ἄρα καλός τε ὢν οἰνοχόος, καὶ τιμὴν ἔχων προσάγειν τοὺς δεομένους Ἀστυάγει, καὶ ἀποκωλύειν οὓς μὴ καιρὸς αὐτῷ δοκοίη εἶναι προσάγειν. *Sacas autem hic & pulcher erat, & ea fungebatur dignitate, ut illos, quibus opus eſſet Aſtyage, ad ipſum deduceret, alios autem arceret, quos ad ipſum deduci opportunum non eſſe ſtatueret.* Eaque gratia Sacam ἐπὶ θύραις, *ad fores*, ſtetiſſe, acceſſuque & aditu prohibuiſſe eos, qui intromittendi non eſſe videbantur, ibidem ait. (*pag.* 11.) Reges autem, Perſici ſermonis ignaros Graecos, per Interpretem audiebant: atque ita Syloſontis Samii verba a Dario exaudita, Herodotus *libr.* iii. *cap.* 140. refert: Παρῆγε ὁ πυλουρὸς τὸν Συλοσῶντα. Στάντα δὲ ἐς μέσον εἰρώτων οἱ ἑρμηνέες τίς τε εἴη; *ubi a janitore introductus eſt Syloſon, ac ſtetit in medio. Interrogabatur ab interpretibus, quiſnam eſſet?* &c. Themiſtoclem quoque, ubi primum in Artaxerxis conſpectum colloquiumque venit, per Interpretem locutum, Plutarchus in *Themiſtocle*, *pag.* 125. ſcribit. Sic etiam cum peregrinis egiſſe Reges, indicat Herodotus *libr.* iii. *cap.* 38. ſermones a Dario, coram Graecis, habitos cum Indis, narrans, his verbis: παρεόντων τῶν Ἑλλήνων, καὶ δι' ἑρμηνέος μανθανόντων τὰ λεγόμενα. *Praeſentibus Graecis, & dicta per interpretem cognoſcentibus.*

CCXV. Habebant & Reges Cubicularios, quos Plutarchus in *libr.* περὶ ἡγεμ. ἀπαιδ. *ad Principem indoctum*, *pag.* 780. & in *Alexandri vita pag.* 688. Κατευναστάς: Diodorus vero Siculus *libr.* xi. *cap.* 69. *pag.* 456. (*St.* 278. *Rb.* 53.) & idem Plutarchus in *Apophthegmat. pag.* 173. Κατακοιμιστὰς, vocant.

CCXVI. Ad domeſtica autem Janitorum, Cubiculariorum, & eorum, qui a Reſponſis, & a Poculis erant, miniſteria, Eunuchorum opera uti conſueverant. Cyrus enim intelligens, ſe cuſtodibus corporis egere, & homines nuſquam facilius capi, quam eſculentis & potulentis, balneis, ſomno, lecto, exiſtimavit ſibi fidiſſimos ad eam rem eſſe diligendos. Itaque ſpadones ad ejuſmodi officia adſumpſit, ut & Xenophon *libr.* vii. παιδ. *pag.* 197. [*p.* 155.] tradit, ἀρξάμενος ἀπὸ τῶν θυρωρῶν, πάντας τοὺς περὶ τὸ ἑαυτοῦ σῶμα θεραπευτῆρας, ἐποιήσατο εὐνούχους, *ab janitoribus facto initio, omnes, quibus corporis ſui curam mandabat, Eunuchos delegit.* Diodorus Siculus *libr.* xi. *cap.* 69. *pag.* 456. (*St.* 278. *Rb.* 53.) Ἀνακοινωσάμενος δὲ τὴν ἐπιβουλὴν πρὸς Μιθριδάτην τὸν εὐνοῦχον, ὃς ἦν κατακοιμιστὴς τοῦ βασιλέως, καὶ τὴν κυριωτάτην ἔχων πίστιν. *Hanc inſidiarum fabricam cum Mithridate Eunucho, regiſque cubiculario, qui inter fidiſſimos habebatur, communicat.* Plutarchus in *Alexandro*, *pag.* 682. Τῶν δὲ θαλαμηπόλων τις εὐνούχων, οἱ συνεαλώκεσαν ταῖς γυναιξίν, ἀποδρὰς ἐκ τοῦ στρατοπέδου, καὶ πρὸς Δαρεῖον ἀφιππασάμενος &c. *Cubicularius quidam Eunuchus, ex his unus, qui cum reginis capti fuerant, ex caſtris aufugit, & ad Darium vectus*, &c. In Hebraeo etiam codice *libr. Eſther. cap.* ii. *v.* 21. Bagathen & Tharen, Eunuchos, Janitores fuiſſe, & in primo palatii limine reſediſſe, refertur. Spadonum certe fida miniſteria, Philostratus *libro* ii. *de vita Apollonii*, praedicat (*b*). Quod genus hominum odio habuiſſe Imperator Alexander Severus dicitur. *Eunuchos* enim ille, (ut in ejus *vita cap.* 66. a Lampridio relatum extat) *nec in Conſiliis, nec in Miniſteriis habuit: qui ſoli Principes perdunt; dum eos more gentium, aut Regum Perſarum, volunt vivere: qui a populo etiam amiciſſimum principem ſemovent* (*c*): *qui Internuntii ſunt, aliud quam reſpondetur ſaepe referentes, claudentes Principem ſuum, & agentes ante omnia, ne quid ſciat.* Et alio ejuſdem libri loco, *cap.* 23. *Eunuchos*, ait Lampridius, *de miniſterio ſuo abjecit, & uxori, ut ſervos, ſervire juſſit. Et cum Heliogabalus mancipium Eunuchorum fuiſſet, ad certum numerum eos redegit: nec quicquam in Palatio curare voluit, niſi balneas feminarum: cum pleroſque Eunuchos rationibus & procurationibus praepoſuiſſet Heliogabalus, hic illis & veteres ſuſtulit dignitates. Idem, tertium genus hominum Eunuchos eſſe dicebat, nec videndum, nec in uſu habendum a viris, ſed vix a feminis nobilibus.* Denique ait *cap.* 46. noluiſſe Alexandrum, *ab aulicis ſuas vendi diſpoſitiones: quod factum fuerat ſub Heliogabalo, cum Eunuchis omnia venderentur: quod genus hominum*, inquit, *idcirco ſecreta omnia in Aula noſſe cupiunt, ut ſoli ſcire aliquid videantur, & habeant, unde vel gratiam, vel pecuniam requirant.* Dii boni, quantum diverſus Alexander ab illo, cujus principatu, *Omnia ceſſerunt, Eunucho Conſule, monſtra.*

CCXVII. Eunuchi quoque circa Reginas erant, quemadmodum ex Curtio *lib.* iv. *cap.* 10. §. 18. liquet his verbis: (*atque*) *iter facienti, Spado unus ex captivis, qui Darii uxorem comitabantur, deficere eam nuntiat.* Et infra, *lib.* i. *cap.* 10. §. 25. *E ſpadonibus, qui circa Reginam erant, Tyriodes inter trepidationem lugentium elapſus.* Idemque probatur, *Eſther. cap.* iv. *v.* 5. his verbis: Ἡ δὲ Ἐσθὴρ προσεκαλέσατο Ἀχραθαῖον τὸν εὐνοῦχον αὐτῆς, ὃς παρειστήκει αὐτῇ. *Eſtherque ad ſe vocat Acirathaeum Eunuchum ſuum, qui ipſi praeſto eſſe ſolebat.* Eoque reſpexiſſe videtur Terentius, *Eunucho*, *Act.* i. *Sc.* 2. *v.* 87. cum ait: *Eunuchum dixti velle te: quia ſolae utuntur his Reginae.* Hos etiam pellicibus & concubinis Regis cuſtodes adhibitos, ſupra oſtendimus.

CCXVIII. Inſuper, Perſarum Reges Scribas habebant, quos Γραμματέας βασιλέος Herodotus *libr.* iii. *cap.* 128. vocat. Γραμματεῖς vocantur *Eſdrae lib.* i. *cap.* iv. & *Eſther. cap.* viii. *v.* 9. & apud Josephum *lib.* xi. *Antiq. cap.* vi. *Scribae Darii* meminit Q. Curtius *lib.* vii. *cap.* 3. §. 4. Herodotus *libr.* vii. *cap.* 100. de Xerxe: Διεξελαύνων ἐπ' ἅρματος παρὰ ἔθνος ἓν ἕκαστον ἐπυνθάνετο, καὶ ἀπέγραφον οἱ γραμματισταί, ἕως ἐξ ἐσχάτων ἐς ἔσχατα ἀπίκετο καὶ τῆς ἵππου καὶ τοῦ πεζοῦ. *Conſcenſo curru ſingulas nationes luſtrans, quaenam eſſent percontabatur: quarum profeſſionem Scribae excipiebant, donec ad extremos equitum peditumque perventum eſt.* Hujuſmodi Scribas praeliis in-

(*a*) Refert] Hanc Chiliarcharum dignitatem, cum aliis Perſicis inſtitutis, deinde ad Macedones tranſiiſſe, docet Diodorus *lib.* xviii. *cap.* 48. *pag.* 193. *ſeq.* (*St.* 653. *Rb.* 625.) TR.

(*b*) Praedicat] Ego *lib.* ii. nihil reperi, quod huc ſpectet. *Lib.* i. quidem *cap.* xi. agit de eunucho, qui fines regni cuſtodiebat; & *cap.* 34. & 37. agit de eunuchorum in aula miniſteriis; ita tamen, ut nuſquam eorum fidelitatem laudet. TR.

(*c*) Semovent] In editis legitur *e & amicis Principem ſemovent.* TR.

interfuiſſe, ut ea deſcriberent, Jo. TZETZA, *Hiſtor. Chiliade* I. *cap.* 32. his, quos de Xerxe conſcripſit, verſibus docet: (*v.* 980.)

Χρυσῷ θρόνῳ ἐφεδρεύων, ὁρῶν τὴν ναυμαχίαν·
Καὶ Γραμματεῖς παρεῖναι, μέλλοντες ταύτην γράφειν.

Aureo throno ſedens ſpectabat pugnam navalem.
Et ſcribae adſtabant hanc deſcripturi.

Per hos Edicta & Reſcripta conſcribebantur, & ad Provinciarum Praeſides dirigebantur, ut apparet ex *cap.* III. *v.* 12. *Eſther.* Καὶ ἐκλήθησαν οἱ Γραμματεῖς τοῦ βασιλέως, μηνὶ πρώτῳ, τῇ τρισκαιδεκάτῃ, καὶ ἔγραψαν, ὡς ἐπέταξεν Ἀμὰν, τοῖς στρατηγοῖς καὶ τοῖς ἄρχουσι κατὰ πᾶσαν χώραν. *Et accerſiti fuere Scribae regis menſis primi die tertio decimo, qui ducibus & ſingulorum regionum praefectis ſcribebant, quae Amam juſſerat.* Rurſuſque *cap.* VIII. *v.* 9. Ἐκλήθησαν δὲ οἱ Γραμματεῖς, &c. Καὶ ἐγράφη τοῖς Ἰουδαίοις, &c. *v.* 10. ἐγράφη δὲ διὰ τοῦ βασιλέως. *Et vocati ſunt Scribae*, &c. *ſcribebaturque Judaeis*, &c. *ſcribebatur vero regis nomine.* JOSEPHUS *lib.* XI. *Antiquit. cap.* VI. Μεταπεμψάμενος δὲ τοὺς βασιλικοὺς Γραμματεῖς; ἐκέλευσε γράφειν τοῖς ἔθνεσιν ὑπὲρ τῶν Ἰουδαίων. *Regios itaque Scribas accerſitos, juſſit ſcribere populis pro Judaeis.*

CCXIX. Hoc loco libet interponere, etſi ſejunctum ab inſtituto orationis curſu eſt, uti quaque verborum formula Reſcripta, Edicta, Decretaque Regia, &, ut PLAUTUS *Captiv. Act.* IV. *Sc.* 2. *v.* 31. loquitur, *Baſilicae edictiones*, conciperentur.

CCXX. Edictorum & Reſcriptorum initiis fere adſcribi ſolebat: Βασιλεὺς οὕτως (ſeu τάδε) λέγει. *Rex ſic* (ſeu *haec*) *dicit.* Et ita apud JOSEPHUM *libr.* XI. *Antiquit. Judaic. cap.* I. In Edicto Cyri; Κῦρος ὁ βασιλεὺς λέγει. *Cyrus rex dicit.* Ejuſdemque *libr. cap.* III. in Reſcripto Cambyſis: Βασιλεὺς Καμβύσης τάδε λέγει. *Rex Cambyſes haec dicit.* Sic *cap* I. *v.* 2. *Eſdrae*; Οὕτως εἶπε Κῦρος ὁ βασιλεὺς τῶν Περσῶν. *Sic dicit Cyrus Perſarum rex* (*a*). Similiterque Xerxis ad Pauſaniam Epiſtola, quae a THUCYDIDE *libr.* I. *pag.* 84. refertur, principium habet hujuſmodi: Ὧδε λέγει βασιλεὺς Ξέρξης. *Sic dicit rex Xerxes.* HERODOTUS *libr.* V. *cap.* 24. Darii ad Hiſtiaeum literas adduci, hoc modo conceptas: Ἱστιαῖε, βασιλεὺς Δαρεῖος τάδε λέγει· Ἐγὼ φροντίζων, &c. *Hiſtiaee, rex Darius haec dicit, ſollicitus ego* &c. Sic etiam *Judith*, *cap.* II. *v.* 5. Nabuchodonoſor Holophernem, ἀρχιστράτηγον τῆς δυνάμεως, affatur: τάδε λέγει ὁ βασιλεὺς ὁ μέγας ὁ κύριος πάσης τῆς γῆς· Ἰδοὺ σὺ ἐξελεύσῃ ἐκ προσώπου μου καὶ λήψῃ, &c. *Haec dicit rex magnus, Dominus univerſae terrae: Ecce tu a me exibis, & accipies*, &c. Eandemque illis temporibus verborum formulam aliis principibus placuiſſe, HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 40 docet, de Amaſi loquens in hunc modum: Γράψας ἐς βιβλίον τάδε, ἐπέστειλε ἐς Σάμον· Ἄμασις Πολυκράτεϊ ὧδε λέγει. *Amaſis libellum Samum miſit, in haec verba ſcriptum, Amaſis Polycrati ita dicit.* Oroetis quoque ad Polycratem Samium epiſtola hanc habet inſcriptionem, apud eundem HERODOTUM *eodem libr. cap.* 122. Ὀροίτης Πολυκράτεϊ ὧδε λέγει, *Oroetes Polycrati ſic dicit.*

CCXXI. Artaxerxes utique Officialibus ſuis reſcribens, εἰρήνην καὶ (*b*) πᾶσιν, illis precatur, *Eſdrae cap.* IV. *v.* 17. Viciſſimque Praeſides, Dario ſcribentes, ejuſdem *Eſdrae cap.* V. *v.* 7. Epiſtolam ita inſcribunt: Δαρείῳ τῷ βασιλεῖ εἰρήνη πᾶσα. *Dario regi omnis generis pax.* Darii quoque literae, quas ſcripſiſſe eum, πᾶσι τοῖς λαοῖς, φυλαῖς, γλώσσαις, τοῖς οἰκοῦσιν ἐν πάσῃ τῇ γῇ, *omnibus populis, tribubus, linguis, qui habitant in univerſa terra*, *Danielis cap.* VI. *v.* 25. refertur, initium habebant hujuſmodi, *v.* 26. Εἰρήνη ὑμῖν πληθυνθείη. Ἐκ προσώπου μου ἐτέθη δόγμα τοῦτο ἐν πάσῃ ἀρχῇ τῆς βασιλείας μου, &c. *pax veſtra multiplicetur. A me proponitur decretum, hoc in toto dominatu regni mei* &c..

CCXXII. Artaxerxis autem Decretum *Eſdrae cap.* VII. *v.* 21. refertur in haec verba; Ἐγὼ Ἀρθασασθὰ βασιλεὺς, ἔθηκα γνώμην πάσαις ταῖς γάζαις, ταῖς πέραν τοῦ ποταμοῦ. *Ego rex Arthaſaſtha: a me conſtituitur lex omnibus quaeſtoribus, qui eſtis trans flumen* &c.

CCXXIII. Sanctionem vero Cyrus ſuo de ſacria Hieroſolymitania praecepto, ſi quis aliter ſeu adverſus ea feciſſet, ſubjunxit hujuſmodi; Τοὺς δὲ παρακούσαντας τούτων καὶ ἀκυρώσαντας, ἀνασταυρωθῆναι βούλομαι, καὶ τὰς οὐσίας αὐτῶν εἶναι βασιλικάς. *Eos, qui non obedierint, aut contra fecerint, cruci affigi, & bona eorum in fiſcum regium redigi volo*; quemadmodum JOSEPHUS *libr.* XI. *Antiquit. cap.* I. refert. Eademque Sanctio obliquis verbis, apud eundem JOSEPHUM *libr.* XI. *cap.* IV. ita citatur; τοὺς δὲ παραβάντας τι τῶν ἐπεσταλμένων, συλληφθέντας ἐκέλευσεν ἀνασταυρωθῆναι, καὶ τὴν οὐσίαν αὐτῶν εἰς τὸ βασιλικὸν κατατάττεσθαι αὐτῶν. *Quicunque autem contra mandatum hoc facere auſus fuerit, eum comprehenſum in crucem agi, & facultates ejus fiſco addici juſſit.* Darii quoque Edicto *Eſdrae lib.* III. *cap.* VI. *v.* 32. Sanctio ſubjicitur hujuſmodi: Ὅσοι ἂν παραβῶσί τι τῶν προειρημένων καὶ τῶν προσγεγραμμένων, ἢ καὶ ἀκυρώσωσι, ληφθῆναι ξύλον ἐκ τῶν ἰδίων αὐτοῦ, καὶ ἐπὶ τούτου κρεμασθῆναι (*c*). *Quiſquis tranſgreſſus fuerit aliquid eorum, quae ſupra dicta atque ſcripta ſunt, aut infirmaverit, amotum iri lignum ex aedibus ipſius, cui ſuſpendatur.*

CCXXIV. Reſcripta porro principum non una lingua concipiebantur, ſed ſecundum varia nationum, quibus imperabant, idiomata. Sic *Eſther. cap.* I. *v. ult.* Ἀπέστειλαν εἰς πᾶσαν τὴν βασιλείαν κατὰ χώραν, κατὰ τὴν λέξιν αὐτῶν. *Miſerunt literas ad omnes regni provincias, ſecundum cujuſque idioma.* Et *cap.* III. *v.* 12. de Scribis; Καὶ ἔγραψαν τοῖς ἄρχουσι τῶν ἐθνῶν κατὰ τὴν αὐτῶν λέξιν. *Scripſeruntque nationum praefectis ſecundum idioma ipſorum.* Item *cap.* VIII. *v.* 9. Ἔγραψαν ἑκατὸν εἰκοσιεπτὰ σατράπαις, κατὰ χώραν καὶ χώραν, κατὰ τὴν αὐτῶν λέξιν. *Scripſerunt centum viginti ſeptem Satrapis in ſingulis provinciis, ſecundum idioma ipſorum.*

(*a*) REX] Idem Edictum *Eſrae lib.* III. *cap.* 2. *v.* 3. ita incipit: Τάδε λέγει ὁ βασιλεὺς Περσῶν Κῦρος. *Haec dicit Rex Perſarum Cyrus.* TR.

(*b*) Pro πᾶσιν vulg. ed. hab. φάσιν, vetus interpres, *ſalutem & pacem.* ut φάσιν accipi hoc loco poſſit pro ſignificatione ſeu indicatione, eorum ſc. quae ad regem ex officio referenda videbantur. S. In *ed. Vaticana*, quam ſequitur *L. Bos*, legitur καὶ φάσιν. Quomodocunque vero legas, locus manet obſcurus, & medicinam ex melioribus Codd. adhuc deſiderat. TR.

(*c*) Κρεμασθῆναι] Ita locus in Aldina *ed.* quam auctor ſequitur, legi poteſt. In Vaticano vero Cod. ita legitur: ὅσοι ἐὰν παραβῶσί τι τῶν γεγραμμένων, καὶ ἀκ. λ. ζ. ἐ. τ. ἰ. α. καὶ ἐπ' αὐτοῦ κρ. TR.

CCXXV. Perſarum vero Regia ad Lacedaemonios literas, quas Athenienſes interceperunt, Aſſyrio ſermone ſcriptas fuiſſe, THUCYDIDES libr. IV. pag. 285. refert.

CCXXVI. Reſcripta porro Anulo Regio obſignabantur. Docet hoc *Eſther*, cap. VIII. v. 10. in quo ita eſt: Ἐγράφη δὲ διὰ τοῦ βασιλέως, καὶ ἐσφραγίσθη τῷ δακτυλίῳ αὐτοῦ. *Scriptum autem fuit nomine regis, & obſignatum anulo ejus.* XENOPHON libr. I. Ἑλλην. pag. 438. Καὶ ἐπιστολήν τε (a) ἔφερε πᾶσι, τὸ βασιλικὸν ἔχουσαν σφράγισμα. *Et literas ad omnes Aſiae inferioris homines, ſigillo regio munitas, ſecum afferebat.* JOSEPHUS libr. XI. Antiquit. cap. VI. Γράφειν δὲ ὃ βούλεται συνεχώρει περὶ τῶν Ἰουδαίων ὑπὸ τῷ βασιλέως ὀνόματι, καὶ σημαινόμενον αὐτὸ τῇ σφραγῖδι, πέμπειν εἰς πᾶσαν τὴν βασιλείαν· τοὺς γὰρ ἀναγινωσκομένους τὰς ὑπὸ τοῦ βασιλέως σημαντῆρι ἠσφαλισμένας ἐπιστολὰς, οὐδὲν ἀντιλέξειν τοῖς ἐγγεγραμμένοις. *Permiſit etiam, ut ipſius nomine quicquid vellet, de Judaeis ſcriberet, & regio ſigillo obſignatas literas per omnes provincias dimitteret. confirmatas enim regio ſignaculo, auctoritatem habituras apud omnes, qui eas legerint, & contradicturum neminem.* Ita CURTIUS libr. VI. cap. 6. §. 6. de Alexandro: *Literas quoque, quas in Europam mitteret, veteris Anuli gemma obſignabat: iis, quas in Aſiam ſcriberet, Darii Anulus imprimebatur.* Ejus rei ergo Rex Anulum ſignatorium geſtabat, quem, ubi res poſcebat, digito detractum, fido alicui ex amicis dabat, obſignandi cauſa. De Artaxerxe namque cap. III. v. 10. *Eſther.* ſcribitur: περιελόμενος (b) τὸ δακτύλιον, ἔδωκεν εἰς χεῖρας τῷ Ἀμὰν σφραγίσαι κατὰ τὸ γεγραμμένον κατὰ τῶν Ἰουδαίων. *Detractum ſibi anulum dedit in manus Amanis, ut ſcripta adverſus Judaeos illo obſignaret.* Idem princeps ejuſdem libr. cap. VIII. v. 8. ita loquitur: Γράψατε καὶ ὑμεῖς ἐκ τοῦ ὀνόματός μου, ὡς δοκεῖ ὑμῖν, καὶ σφραγίσατε τῷ δακτυλίῳ μου. *Scribito & vos nomine meo, prouti placuerit vobis, & annulo meo obſignate.* Moxque adjicit, ad firmandam auctoritatem literarum, quibus Regis ſignum impreſſum erat: Ὅσα γὰρ (c) γράφεται τοῦ βασιλέως ἐπιτάξαντος, καὶ σφραγισθῇ τῷ δακτυλίῳ μου, οὐκ ἔστιν αὐτοῖς ἀντειπεῖν. *Quaecunque enim jubente rege ſcripſeritis, & anulo meo obſignata fuerint, illis contradicere non licet.* Idemque cap. VIII. v. 2. Ἔλαβε δὲ βασιλεὺς τὸν δακτύλιον ὃν ἀφείλατο Ἀμὰν, καὶ ἔδωκε (d) Μαρδοχαίῳ. *Sumpſit rex anulum, quem detraxerat Amanui, & dedit illum Mardochaeo.* Hujuſmodi Anulum Alexander, jam animam agens, praecluſa voce, exemptum digito, Perdiccae tradidit, ut a CURTIO libr. ult. cap. 5. §. 4. & JUSTINO libr. XII. cap. 15. in fine memoriae proditum eſt. Sigilli quoque & σφραγῖδος Δαρείου meminit libr. III. cap. 128. HERODOTUS. Regius autem Anulus quale haberet ἐπισφράγισμα, ſive χαρακτῆρα, unus, quod ſciam, THUCYDIDIS *Interpres* attigit. Ad eum ſiquidem THUCYDIDIS locum, (lib. I. pag. 83.) quo σφραγῖδα Xerxis Pauſaniae oſtenſam refert, ἡ σφραγὶς, inquit, ἣν τοῦ Περσῶν βασιλέως εἶχε, κατὰ μέν τινας, τὴν βασιλέως εἰκών· κατὰ δέ τινας, τὴν Κύρου τοῦ πρώτου βασιλέως αὐτῶν· κατὰ δέ τινας, τὸν Δαρείου ἵππον, δι᾽ οὗ χρεμετίσαντος ἐβασίλευσε. *Regis Perſarum anulo, juxta aliquos imago regis; juxta nonnullos Cyri, primi ipſorum regis; & juxta alios Darii equus, cujus hinnitu rex factus fuit, inſculptus erat.*

CCXXVII. Reſcripta porro, Edicta & Decreta Regum in Scriniis & archiis adſervabantur. Eaque in Gazophylaciis & Bibliothecis repoſita fuiſſe, unde, ubi res poſcebat, promebantur, ex cap. V. in fine & cap. VI. princ. libr. I. *Eſdrae* perſpicue demonſtratur. Edicta vero proſcribi, unde de plano recte legi poſſent, & in celeberrimis urbis Regiae locis figi ſolita, ex JOSEPHO libr. XI. Antiquit. cap. VI. & ex cap. III. *Eſther.* in fine colligitur. In Provincias vero per Veredarios, Tabellarios, Curſoreſque emittebantur: quos LXX. Interpretes ἐπιστολογράφους vocant, *Eſther.* cap. IV. (e) & Βιβλιοφόρους ejuſdem libr. cap. VIII. v. 10. ARISTOTELES vero libr. de Mundo, cap. 6. Ἀγγελιαφόρους.

CCXXVIII. Literae vero, quas Perſarum Regibus eorum Officiales & miniſtri ſcribebant, his plerumque verbis inchoabantur: Γνωστὸν ἔστω τῷ βασιλεῖ, *notum ſit regi*, ut ex cap. IV. v. 12. & cap. V. v. 8. *Eſdrae* apparet, vel, ut eſt apud JOSEPHUM libr. XI. Antiquit. cap. II. Γνῶναί σε χρὴ (f), *noſſe te oportet.*

CCXXIX. Praeter Scribas ordinarios, qui Regibus erant ab Epiſtolis, alium fuiſſe, qui πάντα τὰ πραττόμενα, ſive τὰ πεπραγμένα, in ſcriptis redigeret, apparet ex JOSEPHO (g) libr. XI. Antiquit. Jud. cap. II. & III. Ac plane actis mandari, & in commentarios referri, quaecunque ſuis temporibus memoratu digna gererentur, ſtatuerenturque, Reges curabant: quemadmodum DIODORUS SICULUS libr. II. cap. 32. pag. 146. (St. 84. Rb. 118.) de Cteſia agens, indicat. Sic Eunuchorum adverſus Regem Artaxerxem conſpirationem, indicio Mardochaei detectam patefactamque, juſſit Rex, ad memoriam poſteri temporis ſempiternam, literis mandari, & in Bibliothecam Regiam reponi, *Eſther.* cap. II. in fine. Cujuſmodi libri ὑπομνήματα vocantur a JOSEPHO libr. XI. cap. VI. & βίβλος ὑπομνηματισμῶν, cap. IV. v. 15. *Eſdrae*, & γράμματα μνημόσυνα τῶν ἡμερῶν, *Eſther.* cap. VI. princ. Eos libros adiri, inſpicique, re ita exigente, conſueviſſe, JOSEPHUS libr. XI. Antiquit. cap. II. oſtendit. Illic enim provinciales Magiſtratus Samariae a Cambyſe petunt, ὅπως ἐπισκέψηται (h) τὰ τῶν προγόνων βιβλία. *Ut inſpiciat majorum ſuorum commentarios.* Quibus ille ita reſpondet: Ἐκέλευσα ἐπισκέψασθαι τὰ τῶν προγόνων μου βιβλία· καὶ εὑρέθη ἡ πόλις ἐχθρὰ βασιλεῦσιν ἀεὶ γεγενημένη. *Juſſi inſpici majorum commentarios, ubi inventum eſt, urbem iſtam ſemper inimicam fuiſſe regibus.* Darium quoque monitum a Satrapia, ut eoſdem commentarios conſuleret, ejuſdem libri cap. IV. narrat. Ibidemque Zorobabel Satrapas rogat, ut ad Darium ſcribant, ὅπως ἐπισκεψάμενος τὰ τῶν βασιλέων ὑπομνήματα, *ut inſpectis*

(a) Pro ἔφερε, operarum haud dubie incuria, prior ed. habeb. ἔφερεν. Dein pro βασιλικὸν edit. Xenoph. legit βασιλέως. Locus eſt Ἑλλην. libr. I. p. 241. L.

(b) Τὸ δακτύλιον etiam vulg. ed. ſed uſitatius τὸν, maſc. gen. S. Ut etiam in ed. L. Bos editum invenitur. TR.

(c) Et γράφεται cum vulg. ed. retineri poteſt, & legi γράφονται, quaecunque ſcribuntur. S.

(d) Ἔδωκε] In ed. L. Bos legitur ἔδωκεν αὐτόν. TR.

(e) CAP. IV.] In hoc cap. vocabulum illud non reperi. cap. III. v. 13. etiam Βιβλιοφόροι vocantur: & haec ſane denominatio majori jure illis convenit, quam prior, quae ad ſcribas magis pertinere videtur. TR.

(f) Χρὴ] In edd. quas ego vidi, legitur: Γινώσκειν σε δεῖ. TR.

(g) JOSEPHO] Non legitur quidem hoc ibi diſertis verbis: poteſt tamen ex ipſa hiſtoriae ſerie colligi. Addi etiam poteſt cap. VI. TR.

(h) Ἐπισκέψηται] Ita legitur in prima auctoris editione, (niſi quod ibi ὅπως deſit) & in editis Joſephi, ut neſciam, cur illud Sylburgius mutaverit in ἐπισκέψηται. TR.

ſpectis regum commentariis, inveniat a Cyro mandatam fuiſſe Scribae, templi inſtaurationem. Eodemque loco, de Dario, περιτυχὼν ἐν τοῖς βασιλικοῖς ὑπομνήμασι ζητεῖσθαι τὰ περὶ τούτων, *juſſit de his in regiis commentariis inquiri.* Sic & *cap.* IV. *v.* 15. *Eſdrae*, Scribae & alii Artaxerxem rogant: ἵνα ἐπισκέψηται ἐν βίβλῳ ὑπομνηματισμοῦ, *ut in libro memoriali inquirat.* Eoſdem rerum geſtarum commentarios ſibi quandoque legi & recitari Reges jubebant, ut indicat JOSEPHUS *libr.* XI. *Antiquit. Jud. cap.* VI. de Artaxerxe loquens his verbis: Τὸν γραμματέα κομίσαντα καὶ τῶν πρὸ αὐτοῦ βασιλέων τὰ ὑπομνήματα, καὶ τῶν ἰδίων (*a*) πράξεων, ἀναγινώσκειν αὐτῷ προσέταξεν. *Juſſit ſcribam, allatis commentariis, res tam a ſe, quam a majoribus geſtas legere.*

CCXXX. Hujuſmodi autem commentarios de rebus, quae in Cyri tempora inciderant, Ecbatanis inventos, idem JOSEPHUS *libr.* XI. *Antiquit. cap.* IV. narrat. Nam cum Darius juſſiſſet Regio hujus generis libros, ad rerum geſtarum fidem, conquiri: εὑρέθη, ait ille, ἐν Ἐκβατάνοις, (*b*) τῇ βάρει τῇ Μηδίᾳ, βιβλίον, ἐν ᾧ ταῦτα ἦν ἀναγεγραμμένα· Ἔτει τῷ πρώτῳ τῆς βασιλείας ἑαυτοῦ, Κῦρος ὁ βασιλεὺς ἐκέλευσε &c. *Inventus eſt Ecbatanis Mediae in turri liber, in quo haec ſcripta continebantur: Cyrus rex juſſit*, & reliqua. Quanquam *Eſdrae cap.* V. *in fine* Darius monetur Cyri Commentarios requirere, ἐν τῷ οἴκῳ τῆς γάζης Βαβυλῶνος, *Babylone in Gazophylacio.* Secundum quae, ejuſdem *libr. cap.* VI. *princ.* Dario ſcribitur: Καὶ ἐπεσκέψατο ἐν ταῖς βιβλιοθήκαις, ὅπου γάζα κεῖται ἐν Βαβυλῶνι. *Et inquirebat in Bibliothecis, ubi theſaurus Babylone aſſervatur.* In Medorum tamen arce repertos eos Commentarios refert. Ex his, ut locum hunc concludam, efficitur, Perſicos Regea Scrinia Memoriae & Epiſtolarum, item Bibliothecas habuiſſe. In illo autem Eſdrae loco, qui Hebraicam linguam callent, Bibliothecam *domum theſaurorum* interpretantur, traduntque duplicis generis Bibliothecas extitiſſe. Unas, in quibus libri, qui ad ſapientiam & doctrinam pertinebant, adverſabantur: Alias vero, in quibus Ratiociniorum publicorum codices, & ad rem nummariam pertinentia volumina, reponebantur.

CCXXXI. Jam Archiatros in comitatu ſuo Perſarum Reges habuiſſe, quibus ſe liberoſque ſuos in aegritudine corporum committebant, ex HERODOTI *libr.* III. *cap.* 129. liquet. Et quidem peregrinorum, non etiam indigenarum, Medicorum opera uſos Reges Perſarum, argumento ſunt, Aegyptii illi Archiatri, quos, ut *ibidem cap.* 132. HERODOTUS refert, Darius ob imperitiam, & quia morbo ſuo, non aeque atque Democedes Crotoniates, medicinam feciſſent, in crucem agi juſſit: quibus tamen Democedes capitalis hujus inſcitiae veniam impetravit.

CCXXXII. Medicas utique artes in Aegypto inclaruiſſe, eoque nomine Alexandriam vel maxime nobilitatam, AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXII. *cap. ult.* teſtatur. Etenim eam urbem olim liberalibus ſtudiis floruiſſe, ac ne ſuis quidem temporibus in eadem urbe doctrinas varias ſiluiſſe narrans, adjicit; *Medicinae autem (cujus in hac vita noſtra, nec parca, nec ſobria, deſiderantur vitae noſtrae (c) adminicula crebra) ita ſtudia augentur in dies, ut licet opus ipſum redoleat, pro omni tamen experimento ſufficiat medico, ad commendandam artis auctoritatem, ſi Alexandriae ſe dixerit eruditum.*

CCXXXIII. Porro de Democede, Archiatro, praeter Herodotum videndus SUIDAS, & Jo. TZETZES *Hiſtoricor. verſuum Chiliad.* III. *cap.* XCVII. *v.* 544. *ſeqq.* In hoc Perſicorum Archiatrorum ordine, & numero, non infimum locum CTESIAS CNIDIUS tenet, quem Perſicarum rerum bonum auctorem in primis, indictum tacitus praeterire non poſſum: a me ergo is hoc μνημόσυνον feret, quod ei lubens, merito, do dicoque. Hunc Artaxerxis Mnemonis Archiatrum fuiſſe, praelioque quod inter ipſum & Cyrum fratrem commiſſum eſt, interfuiſſe, atque adeo curaſſe vulnus Regi a fratre inflictum, conſtat ex XENOPHONTE *libr.* I. Ἀναβάσ. *pag.* 266. & PLUTARCHO in *Artaxerxe*, *pag.* 1016. Xenophontis verba, quae & Plutarchus ſtrictim attigit, ſunt: παίει (videlicet Cyrus minor Artaxerxem fratrem) κατὰ τὸ στέρνον, καὶ τιτρώσκει διὰ τοῦ θώρακος, ὥς φησι Κτησίας ὁ ἰατρός· καὶ ἰᾶσθαι αὐτὸς τὸ τραῦμά φησι. *Pectus ei ferit, & per ipſam loricam vulnerat, quemadmodum Cteſias medicus memoriae prodidit: qui ſe etiam vulnus illud curaſſe commemorat.* Et mox: Ὁπόσοι μὲν τῶν ἀμφὶ βασιλέα ἀπέθανον, Κτησίας λέγει· παρ' ἐκείνῳ γὰρ ἦν. *Quot homines ex parte regis perierint, Cteſias refert, qui apud regem tum erat.* A quibus DIODORUS SICULUS diſſentiens, in Cyri minoris partibus Cteſiam fuiſſe, eoque praelio captum, in Artaxerxis poteſtatem veniſſe, & propter artis praeſtantiam a Rege ad curam corporis adſumptum; *libr.* II. *cap.* 32. *pag.* 146. (*St.* 84. *Rh.* 118.) ita ſcribit: Κτησίας δὲ ὁ Κνίδιος, τοῖς [καθ' Ἡρόδοτον (*d*)] μὲν χρόνοις ὑπῆρξε κατὰ τὴν Κύρου στρατείαν ἐπὶ Ἀρταξέρξην τὸν ἀδελφὸν, γενόμενος δὲ αἰχμάλωτος, καὶ διὰ τὴν ἰατρικὴν ἐπιστήμην ἀναληφθεὶς ὑπὸ τοῦ βασιλέως, ἑπτακαίδεκα ἔτη διετέλεσε τιμώμενος ὑπ' αὐτοῦ. οὗτος οὖν φησιν, ἐκ τῶν βασιλικῶν διφθερῶν, ἐν αἷς οἱ Πέρσαι τὰς παλαιὰς πράξεις κατά τινα νόμον, εἶχον συντεταγμένας, πολυπραγμονῆσαι τὰ καθ' ἕκαστα, καὶ συνταξάμενος τὴν ἱστορίαν εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξενεγκεῖν. *At Cteſias Cnidius, [Herodoto recentior,] ſub expeditionem Cyri adverſus Artaxerxem fratrem vixit. Captus enim tunc, & ob artis Medicae ſcientiam a rege in gratiam receptus, ſeptemdecim annos cum honore apud illum exegit. Hic e regiis membranis (in quibus res antiquas Perſae, juſſu legis cujuſdam, ordine deſcriptas habebant) ſtudioſe indagavit ſingula, inque hiſtoricum ordinem redacta ad Graecos tranſtulit.* STRABO de Cnido loquens, *libr.* XIV. *pag.* 969. (656.) Ἐντεῦθεν

ἐστὶ

(*a*) Ἰδίᾳ] In *noviſſ. ed.* legitur ἰδίων. TR.

(*b*) Verti βάρει, *turris*, ſecutus Heſychium atque Suidam, quibus βάρις inter alia πύργος exponitur. Imo ipſe Joſephus ſuperius libro X. cap. 14. p. m. 553. de Daniele narrat: ᾠκοδόμησεν ἐν Ἐκβατάνοις τοῖς Μηδικοῖς βάριν, ἐκπρεπεστάτην τε κατεσκευασμένην καὶ θαυμασίως πεποιημένην &c. *aedificavit Ecbatanis Mediae turrim, opus pulcerrimum, & ſingulari admiratione dignum* &c. qua de re vid. Briſſon. mſt. §. CCXLIX. p. 153. Alias apud Steph. Byzant. Βάρις urbem quoque fuiſſe reperio, ubi *Salmaſius in annotationibus ad marginem ſui Stephani exaratis, teſtatur ſe in MS. inveniſſe*, Βάρις, πόλις τῆς ἐπιταλαμὶς Περσίδος, ceu in notis editionis Berkelii obſervatur. Quod excerptum MS. firmari poterit auctoritate quoque Graeci Interpretis Aeſchyli, qui in Perſ. p. m. 151. βαρίδας naves dici ἀπὸ τῆς Βάρεως, ἥτις ἐστὶ πόλις Περσίδος, ſcribit. L.

(*c*) VITAE NOSTRAS] Haec duo verba ab optimis Codicibus abſunt. TR.

(*d*, Καθ' Ἡρόδοτον] Verba haec, quae crucem figunt Interpretibus, delenda plane cenſet Cel. *Weſſelingius*; & hinc recte quoque in verſione Rhodomani delevit verba: *Herodoto recentior*, quae ego ideo uncis incluſi, perinde ac verba illa Graeca. TR.

ὁ ϗ Κτησίας, ὁ ἰατρεύσας τὸν Ἀρταξέρξην, συγγράψας δὲ τὰ Συριακὰ (a), ϗ τὰ Περσικά. *Inde etiam artundus erat Cteſias Artaxerxis medicorum princeps, qui Syriaca ſcripſit & Perſica.* Extat & apud Suidam de Cteſia elogium hujuſmodi: Κτησίας, Κτησιάρχου, ὁ Κτησιόχου, Κνίδιος, ἰατρὸς, ὃς ἰάτρευσεν ἐν Πέρσαις Ἀρταξέρξην, τὸν Μνήμονα κληθέντα, ϗ συνέγραψε Περσικὰ ἐν βιβλίοις εἴκοσι ϗ τρισί. *Cteſias, Cteſiarchi aut Cteſiochi filius, Cnidius medicus, qui medicinam fecit in Perſia apud Artaxerxem, cognomine Mnemonem; & conſcripſit rerum Perſicarum libros viginti tres.* Praeterea περὶ τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν φόρων, *de tributis, quae in Aſia penduntur*, libros ſcripſiſſe eum, Athenaeus *libr.* x. *pag.* 442. docet: quorum tertium, *libr.* II. *cap.* 25. *pag.* 67. laudat. Apud Stobaeum quoque *Serm.* XCVIII. *pag.* 541. ejuſdem *de Montibus liber* x. (b) citatur. Atque Cteſiam hunc potiſſimum ducem & auctorem in Aſſyriorum hiſtoria conſcribenda ſeſe ſecutum eſſe, Diodorus Siculus profitetur. Meminit & hujus Cnidii Cteſiae Plinius *libr.* II. *cap.* CVI. Unus in hujus Cteſiae hiſtoria fidem deſiderat Plutarchus, qui in *Artaxerxe pag.* 1017. famae ejus non parcit his verbis (c): Κτησίας, ὡς ἔοικε, φιλότιμος ὢν, ϗ οὐχ ἧττον φιλολάκων ϗ φιλοκλέαρχος, ἀεί τινας ἐν τῇ διηγήσει χώρας ἑαυτῷ δίδωσιν, ἐν αἷς γενόμενος, πολλὰ ϗ καλὰ μέμνηται Κλεάρχου ϗ τῆς Λακεδαίμονος. *Sed mirifice nimirum ambitioſus Cteſias, juxtaque Laconum & Clearchi ſtudioſus, ſubinde in narratione ſua locum ſibi aliquem parat in laudes Clearchi & Spartae digrediendi, eaſque depraedicandi.* Nec vero aequum ei fuiſſe Plutarchum, haec *initia vitae Artaxerxis*, *pag.* 1012. ab eo poſita declarant: ἀλλά τοι Κτησίαν, & cetera. Hippocratem utique, ſummum medicorum, quibus ad ſe praemiis allicere Artaxerxes tentaverit, laudata non ſemel a nobis ejus Regis Epiſtola declarat.

CCXXXIV. In domeſtico etiam Regum miniſterio fuiſſe quoſdam, qui horas nuntiarent, indicat Josephus *libr.* XI. *Antiq. cap.* VI. cum de Artaxerxe loquens, ait: Τίς εἴη τῆς νυκτὸς ὥρα, παρὰ τῶν ἐπὶ τούτῳ τεταγμένων ἐπυνθάνετο· μαθὼν δὲ, ὡς ὄρθρος ἐστὶν ἤδη. *Quota noctis hora ſit, ex eo, cui id negotii datum erat, quaerit, eumque diluculum jam eſſe didiciſſet* &c. Alios praeterea fuiſſe Veſti Regali excipiendae deſtinatos, diſertis verbis tradit Curtius *libr.* III. *cap.* 3. §. 15. *Proximam*, inquiens, *his* (ſcilicet Cognatis) *agmen, ſoliti veſtem excipere Regalem.*

CCXXXV. In publicum vero prodeuntes Reges, cum alii anteambulones multi, tum etiam Σκηπτοῦχοι, id eſt, Sceptrigeri, anteibant, quemadmodum Xenophon *libr.* VIII. παιδ. *paſſim* docet. Cujuſmodi aulici muneris, idem Xenophon *libr.* I. Ἀναβάσεως *pag.* 266. mentionem facit, narrans, Cyro minore mortuo, (d) τὸν σκηπτοῦχον ὡς ἦν οἱ Σκηπτοῦχος τοῦ τιμίου, ὄνομα δὲ Ἀρταπάτην, ἑαυτὸν ἐπικατασφάξαι τῷ νεκρῷ. *Sceptrigerum ejus eunuchum Artapatem nomine ſuper ea extincto ſe occidiſſe:* quem Xenophontis locum Aelianus *libr.* VI. *de Animalibus*, *cap.* XXV. citat. Sediſſe autem in equis Sceptuchos iſtos magno numero, eoſque cum peltis: praefuiſſe etiam iis aliquem non infimae ſortis, Xenophon duobus *libr.* VIII. παιδ. locis docet: in quorum uno *pag.* 215. eſt: ἐφείποντο δὲ ἐν περὶ αὐτὸν Σκηπτοῦχοι ἐφ᾽ ἵππων, κεκοσμημένοι σὺν τοῖς (e) Πελτοῖς, ἀμφὶ τοὺς τριακοσίους. *Sequebantur in equis ſceptrigeri circa ipſum, qui ornati erant cum peltis, & numero erant trecenti.* In altero vero, *pag.* 220. Γαδάτας δὲ τῶν Σκηπτούχων ἦρχεν αὐτῷ. *Gadatas vero ſceptriger ipſi praeerat* (f). Ῥαβδοφόρους etiam & Ὁπλοφόρους Aſtyagis, Athenaeus *libr.* XIV. *cap.* 8. *pag.* 633. memorat. Nec vero Stratores, a quibus equis imponerentur, Regibus defuiſſe, arguit Xenophon *libr.* IV. Ἀναβάσ. *pag.* 327. his verbis: Ὕπαρχος δ᾽ αὐτῆς ἦν Τηρίβαζος, ὁ ϗ βασιλεῖ φίλος γενόμενος· ϗ ὁπότε παρείη, οὐδεὶς ἄλλος βασιλέα ἐπὶ τὸν ἵππον ἀνέβαλλεν. *Praeerat ei cum poteſtate Teribazus, amicus regis. Quoties is regi aderat, nemo praeter ipſum regem in equum tollebat.*

CCXXXVI. Ex Miniſtris etiam Regiis unus hoſpitum recipiendorum curam gerebat, quem τὸν ἐπὶ ξενίων, Plutarchus in *Apophthegmat.* vocat.

CCXXXVII. Poſtremo multa officiorum, munerum, miniſteriorumque aulicorum & procurationum genera, principalibus uſibus deſervientia, inſtituiſſe Cyrum, Xenophon *libr.* VIII. παιδ. Κύρ. *pag.* 202. refert: veluti Diſpenſatores, Actores, Suſceptores, Arcarios, Procuratores patrimonii & rei privatae, qui reditus ejus colligerent, & ſumptibus ſuppeditarent, quos προσόδων λήπτορας, & χρημάτων φύλακας, vocat. Item Curatores Operum, quos Ἔργων ἐπιστάτας: nec non Curatores domus Regiae, qui ea, quae ad victum pertinebant, procurarent, quos τῶν εἰς τὴν δίαιταν ἐπιτηδείων ἐπιμελητὰς appellat. Alios etiam, qui Equorum & Canum curam gererent, quos ἵππων ϗ κυνῶν ἐπιμελητὰς vocat.

CCXXXVIII. Ceterum Cyrus Curſum publicum inſtituit, quo mutatis ad celeritatem equis, per veredarios, brevi temporis momento certior fieret omnium, quae in remotiſſimis & longo locorum intervallo disjunctis regni partibus gererentur. Manſiones autem, & Stationes equorum uti diſpoſitae eſſent, Xenophon docet *libr.* VIII. *Paed. pag.* 232. his verbis: Σκεψάμενος γὰρ πόσην ἂν ὁδὸν ἵππος κατανύτοι τῆς ἡμέρας ἐλαυνόμενος, ὥστε διαρκεῖν, ἐποιήσατο ἱππῶνας τοσοῦτον διαλείποντας, ϗ ἵππους ἐν αὐτοῖς κατέστησε, ϗ τοὺς ἐπιμελησομένους τούτων· ϗ ἄνδρα ἐφ᾽ ἑκάστῳ τῶν τόπων ἔταξε τὸν ἐπιτήδειον παραδέχεσθαι τὰ φερόμενα γράμματα, ϗ παραδιδόναι, ϗ παραλαμβάνειν τοὺς ἀπειρηκότας ἵππους, ϗ ἄλλους πέμπειν νεαλεῖς. ἔστι δ᾽ ὅτε οὐδὲ τὰς νύκτας φασὶν ἵστασθαι ταύτην τὴν πορείαν, ἀλλὰ τῷ ἡμερινῷ ἀγγέλῳ τὸν νυκτερινὸν διαδέχεσθαι. *Quum enim conſideraſſet, quantum itineris equus conficere per diem poſſet, ut ne deficeret: ſtabula parabat, quae tantumdem diſtarent, & in his equos conſtituit, cum illis, qui eorum curam gererent. Diſpoſuit & quolibet loco quemdam, qui & ad recipiendum literas allatas idoneus eſſet, & ad tradendum eas, quique defatigatos equos acciperet, recenteſque ſubmitteret. Atque hoc*

(a) Συριακὰ] In *ed. noviſſ.* ex MS. emendatur Ἀσσυριακά. TR.

(b) Liber x.] Immo *liber ſecundus*, ut in editis legitur. TR.

(c) Verbis] Periodus in editis ita incipit: ἀλλὰ δαιμονίως ὁ Κτησίας &c. TR.

(d) Verba haec τῆς ἱστορ. ſunt Aeliani libr. VI. de Animal. c. XXV. non vero Xenophontis. Hiſtoria autem ipſa legitur apud Xenoph. Ἀναβάσ. libr. II. p. 303 non, ut prior editio habebat libr. I. & inde Aelianus hiſtoriam hauſit. L. Immo in *ed. Leunclavii* hiſtoria legitur *lib.* I. *pag.* 266. TR.

(e) Rectius παλτοῖς, ut infra in retractatione pag. 293. [*lib.* III. §. XV.] Leonclavius vertit cum *jaculis*. S. παλτοῖς habet Leoncl. editio Xenoph. L.

(f) Praeerat] In *Leuncl. ed.* locus ita redditur: *Gadates autem ſceptrigeris ejus praeerat.* TR.

ac iter interdum ne noctu quidem ceſſare dicitur, ſed nuncio diurno ſuccedere nocturnum. HERODOTUS etiam *libr.* VIII. *cap.* 98. Xerxem eladis a ſe ad Salaminem acceptae nuntios in Perſidem miſiſſe narrans, ſubjicit, *nihil* his nuntiis pernicius tranſcurriſſe in rebus humanis: eamque rem hunc in modum a Perſis conſtitutam; Ὅσων ἂν ἡμερέων ᾖ ἡ πᾶσα ὁδός, τοσοῦτοι ἵπποι τε καὶ ἄνδρες διεστᾶσι, κατὰ ἡμερησίην ὁδὸν ἑκάστην (a) τεταγμένοι· τοὺς οὔτε νιφετός, οὐκ ὄμβρος, οὐ καῦμα, οὐ νὺξ ἔργει μὴ οὐ κατανύσαι τὸν προκείμενον αὐτῷ δρόμον τὴν ταχίστην. ὁ μὲν δὴ πρῶτος δραμὼν παραδιδοῖ τὰ ἐντεταλμένα τῷ δευτέρῳ, ὁ δὲ δεύτερος, τῷ τρίτῳ· τὸ δὲ ἐνθεῦτεν ἤδη κατ᾽ ἄλλον διεξέρχεται παραδιδόμενα, κατάπερ Ἕλλησι ἡ λαμπαδηφορίη, τὴν τῷ Ἡφαίστῳ ἐπιτελέουσι. τοῦτο τὸ δράμημα τῶν ἵππων καλέουσι Πέρσαι Ἀγγαρήϊον. *Quot ex diebus tota via conſtat, totidem equos ac viros ferunt eſſe diſtinctos ad ſingulorum dierum iter faciendum, quos neque vis nivium, neque imber, neque aeſtus, neque nox diſtinet, quin propoſitum ſibi curſum celerrime conficiant. Quorum curſorum primus mandata tradit ſecundo, ſecundus item tertio: & ita deinceps illa mandata in alium atque alium pertranſeunt, quemadmodum apud Graecos fax, quam Vulcano per vices ferre curſores perſeverant. Hanc equorum curſitationem Perſae Angareïon vocant.* Hujuſmodi ergo Veredarios, ſeu tabellarios, Ἀγγάρους vocabant. JOSEPHUS *libr.* XI. *Antiq. Jud. cap.* VI. de Artaxerxe; Διέπεμψε δὲ τοὺς Ἀγγάρους λεγομένους, εἰς πᾶν ἔθνος, ἑορτάζειν αὐτοῖς τοὺς γάμους παραγγέλλων. *Dimiſitque, quos Angaros vocant, per omnes gentes, nuptiale feſtum eis indicens.* SUIDAS certe, τοὺς τοῦ βασιλέως ἀγγέλους, *nuncios regios*, a Perſis Ἀγγάρους appellatos ſcribit. Idem etiam Ἀγγάρους interpretatur, τοὺς ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόρους. *tabellarios, alios aliis ſuccedentes*, Perſicamque vocem eſſe ait. HESYCHIUS quoque, Ἄγγαρον, λέξιν Περσικὴν, *vocem Perſicam*, eſſe ſcribit, ſignificareque, τοὺς ἐκ διαδοχῆς βασιλικοὺς γραμματοφόρους. *Regios tabellarios, quorum alii aliis per vices ſuccedunt.*

CCXXXIX. Ἀγγάρους autem iſtos etiam Perſico ſermone ASTANDAS dictos, SUIDAS auctor eſt, Ἀστάνδαι, inquiens, οἱ ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι· οἱ δὲ αὐτοὶ καὶ Ἄγγαροι· τὰ δὲ ὀνόματα Περσικά. *Aſtandae, Tabellarii per certa intervalla diſpoſiti, quorum alius alium excipit. Iidem etiam Angari vocantur. Nomina autem illa ſunt Perſica.* HESYCHIUS; Ἀστάνδης, ἡμεροδρόμος. *Aſtandas, Curſor diurnus.* EUSTATHIUS in *Odyſſ.* τ. (XIX.) Κυρίως δὲ κατὰ Αἴλιον Διονύσιον, Ἄγγαροι οἱ ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι, οἱ δ᾽ αὐτοὶ (φησὶ) καὶ Ἀστάνδαι, Περσικῶς. *Proprie juxta Aelium Dionyſium Angari ſunt Tabellarii, quorum alius alium per certa intervalla diſpoſitus excipit. quos eoſdem etiam Perſis Aſtandas dictos ajunt.* Nec vile aut ignobile munus hoc fuiſſe videtur. Darium enim, quem Alexander regno exuit, hoc munere functum apud Ochum & Arſem Reges, PLUTARCHUS non ſemel teſtatur. Etenim *libr.* I. *de Fort. Alexand. pag.* 326. inter fortunae ludos, Δαρεῖος, ait, σὸν ἔργον, ὃν ἐκ δούλου καὶ ἀστάνδου βασιλέως, κύριον Περσῶν ἐποίησας. *Tuum opus eſt Darius, quem ex ſervo & aſtanda regis, Dominum Perſarum feciſti.* Et *libr.* II. *pag.* 340. Καὶ στολὴν ἐκδυσάμενος ἀστάνδου, περιέθετο τὴν βασιλικήν. *Exuens Aſtandae ſtolam, impoſuit regiam &c.* Idem in *Alexandri vita, pag.* 674. Dario Alexandri ſpeciem in ſomniis obverſatam narrans, τὸν δὲ Ἀλέξανδρον, ait, ἔχοντα στολήν, ἣν αὐτὸς ἐφόρει πρότερον (b) Ἀστάνδης (ſic enim emendo) ὢν βασιλέως, ὑπηρετοῦντα αὐτῷ. *Alexandrum, eo amictu, quem ipſe olim, cum eſſet aſtandes regius, geſtaſſet, ſibi adſtare miniſtrum.*

CCXL. Hic & Aulae Parthorum Perſicae officia aliquot adſcribere non erit alienum. In his numerat PROCOPIUS CHANARANGEM: Ex ejus enim *libr.* I. *de bello Perſico cap.* V. *pag.* 232. (15.) haec verba deſcripſi; Παρελθὼν δὲ τῶν τις ἐν Πέρσαις λογίμων, ὄνομα μὲν (c) Γουσαναστάδης, χαναράγγης δὲ τὸ ἀξίωμα, (εἴη δ᾽ ἂν ἐν Πέρσαις στρατηγὸς οὗτός γε) πρὸς αὐταῖς που ταῖς ἐσχατιαῖς τῆς Περσῶν γῆς τὴν ἀρχὴν ἔχων, ἐν χώρᾳ ἣ τοῖς (d) Ἐφθαλίταις ὅμορός ἐστι. *Progreſſus eſt Guſanaſtades, primae inter Perſas nobilitatis vir, idem & Chanaranges, (*vox ea Praetorem ſonat*) extremae Perſidis, ad Ephthalitarum confinia, praefecturam gerens.* Atque hoc Chanarangis munus poſt patris mortem Vuarames geſſit, &, ut ille loquitur, (*cap.* 23. *pag.* 268.) (6) τὸ τοῦ χαναράγγου ἀξίωμα ἔσχε, *Chanarangis dignitatem obtinuit.* Perſicam etiam poteſtatem ANDRASTADARANSALANEM, idem PROCOPIUS *libr.* I. *de bello Perſico cap.* VI. *pag.* 235. (19.) memorat: Τὸν δὲ Σεόσην (e) ἈΝΔΡΑΣΤΑΔΑΡΑΝΣΑΛΑΝΗΝ εἶπεν ἀνεῖπε. δύναται δὲ τοῦτο, τὸν ἐπὶ ἀρχαῖς τε ὁμοῦ καὶ στρατιώταις ἅπασιν ἐφεστῶτα. ταύτην ὁ Σεόσης τὴν ἀρχὴν πρῶτός τε καὶ μόνος ἐν Πέρσαις ἔσχεν. οὔτε γὰρ πρότερον, οὔτε ὕστερον τῳ γέγονεν. *Seoſem autem ANDRASTADARANSALANEM renunciavit. (Id valet ſummum magiſtratuum omnium militumque Praefectum) Id ille munus & primus & ſolus obtinuit; ut quod nemini ante ipſum, nec poſt unquam delatum fuerit:* Et alias eodem *libr.* c. XI. *pag.* 243. (32.) Ἐκ Περσῶν δὲ ἀνὴρ δυνατώτατός τε καὶ ἐξουσίᾳ πολλῇ χρώμενος, ὄνομα μὲν Σεόσης, Ἀνδρασταδαρανσαλάνης τε τὸ ἀξίωμα, καὶ Μεβόδης τὴν μαγίστρου ἔχων ἀρχήν. *E Perſis Seoſes ſumma vir poteſtate, & Andraſtadaranſalanis dignitate inclitus, & Mebodes magiſter.* Ex eodem genere eſt, & MIRRHANES. Idem PROCOPIUS *eod. libr.* I. c. XIII. *pag.* 246. (36.) Στρατηγὸς δὲ ἦς ἅπασιν ἐφεστήκει, ἀνὴρ Πέρσης, Μιῤῥάνης μὲν τὸ ἀξίωμα· οὕτω γὰρ τὴν ἀρχὴν καλοῦσι Πέρσαι. *Unus omnibus natione Perſa imperabat, factus ante Mirrhanes: ſic Perſae quandam dignitatem vocant.* His addo OVARIZEM, ex eodem PROCOPII *libr. cap.* XII. *pag.* 245. (34.) in quo eſt; καὶ στρατηγὸν ἄνδρα Πέρσην, Οὐαρίζην μὲν τὸ ἀξίωμα, *& ducem, hominem Perſam, ad Ovarizis dignitatem evectum.*

CCXLI. Ne illud quidem, ut ad inſtitutum hujus libri pertinens, ſilentio praetermittendum mihi videtur, uti Babylonem ingrediens Alexander, ab oppidanis exceptus fuerit, quique potiſſi-

(a) Ἑκάστην] Poſito poſt *h. v.* commate, *Jac. Gronovius* hunc locum ex *MS. Med.* ita ſupplet & emendat, ἵππος τε καὶ ἀνὴρ τεταγμένος: ita vero interpretatur: *Quot dierum eſt tota via, totidem equos ac viros ferunt diſtare ad diei uniuſcujuſque iter, equi nempe & vir deſtinatus.* Confer ejus *not. pag.* 989. *ſeq.* TR.

(b) Et ſic quoque Berneggerus noſter ad Codicis ſui oram, quo uſus fuit, emendat. L. Probat quoque *Henr. Stephanus* hanc emendationem in *notis*, quas vide, ut & *Xylandri*. In textu tamen retinuerunt *lect. vulg.* ἀγγάνδης. Ceterum de Angaris & Aſtandis poſt Auctorem noſtrum diligentius egit *Balth. Stolbergius* in *Exercitat. De Angariis Veterum pag.* 152. *ſeqq. ed. Schurzfleiſch.* qui hic conferri meretur. TR.

(c) In edit. Pariſina 1662. eſt Γουσανστάδης. L. Ex eadem editione & diſtinctionem & verſionem emendavi. TR.

(d) Pro Ἐφθαλίταις inf. p. 160. [*lib.* II. §. VII.] *Euthalitae* ſunt, itemque in Ortelii noſtri Theſauro Geographico. neſcio an iidem *Abdelitae* apud Georg. Cedrenum. S.

(e) In Graeco textu vox haec diviſa eſt, h. m. Ἀδρασάδαραν Σαλάνην. Interpres Maltretus *Summum Magiſtratum omnium militumque Praefectum* valere ait. L.

tiſſimum obviam illi proceſſerint: quod Q. CURTIUS *lib.* v. *cap.* I. §. 19. *ſeqq.* narrat his verbis: *Plures obviam egreſſi ſunt: inter quos Bagophanes, Arcis & regiae pecuniae Cuſtas, ne ſtudio a Mazaeo vinceretur, totum iter floribus coronisque conſtraverat, argenteis altaribus utroque latere diſpoſitis, quae non ture modo, ſed omnibus odoribus cumulaverat. Dona eum ſequebantur, greges Pecorum, Equorumque: Leones quoque & Pardales caveis praeferebantur. Magi deinde ſuo more Carmen canentes: Poſt hos Chaldaei, Babyloniorumque non Vates modo, ſed etiam artifices, cum fidibus ſui generis ibant. Hi laudes* (a) *Regum canere ſoliti: Chaldaei ſiderum motus, & ſtatas vices temporum oſtendere. Equites deinde Babylonii, ſuo equorumque cultu ad luxuriam magis, quam ad magnificentiam exacto, ultimi ibant. Rex armatis ſtipatus, oppidanorum turbam poſt ultimos pedites ire juſſit. Ipſe cum curru urbem, ac deinde Regiam intravit.*

CCXLII. Ceterum Perſarum Regibus, non minus quam Auguſto Caeſari (*b*), exitum facilem, ſive εὐθανασίας, in votis fuiſſe, conjectura adſequi licet. Reges ita lenibus utebantur venenis, ut poſſent ſine dolore interire. Cujus rei gratia, in ſuos, matriſque (nec enim alium quenquam in ſocietatem venire patiebantur) *uſus*, quaeſitum reconditumque venenum habebant, ex (*c*) Dicaeri (id aviculae parvae apud Indos nomen) excremento, effuſiſque: quod milii magnitudine, potu dilutum, quiſquis ebibiſſet, modico poſt temporis intervallo, omnis doloris expers, & ſine ullo cruciatu, vitam cum morte commutabat. Unde miſſum ab Rege Indorum hujuſmodi δώρημα, gratiſſimum & acceptiſſimum, ſimulque pretioſiſſimum Regi magno munus fuit, καὶ ἐν τοῖς δώροις (ait AELIANUS, *libr.* IV. *cap.* XLI. *de Animal.*) τοῖς μεγάλοις τιμίοις τῷ Περσῶν βασιλεῖ ὁ Ἰνδῶν πέμπει καὶ τοῦτο. ὁ δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων προτιμᾷ λαβὼν, καὶ ἀποθησαυρίζει, κακῶν ἀνιάτων ἀντίπαλόν τε καὶ ἀμυντήριον, εἰ ἀνάγκη καταλάβοι. οὐκ οὖν οὐδὲ ἔχει τις ἐν Πέρσαις αὐτὸ ἄλλος, ὅτι μὴ βασιλεύς τε αὐτὸς, καὶ μήτηρ ἡ βασιλέως. *Inter alia dona valde precioſa, quae rex Indorum Perſarum regi mittit, etiam hoc eſt, quod & reliquis omnibus antefert & ſtudioſe aſſervat, inſanabilium morborum remedium, ſi quae neceſſitas obveniat, neque apud Perſas quiſquam alius, quam Rex, id habet, regiſque mater.*

CCXLIII. Sed & PLINIUS *libr.* XXIV. *cap.* XVII. inter Herbas mirabiles *Theombrotion* numerans, *naſci* ait, XXX. *ſchoenis a Choaſpe, pavonis picturis ſimilem, odore eximio. Hanc autem a Regibus Perſarum comedi, aut bibi, contra omnia corporum incommoda, inſtabilitatemque mentis: eandem Semnion, a potentiae majeſtate, appellari.* Idemque eodem *cap. Helianthe, cum adipe leonino decocta, addita croco & palmeo vino, perungi Magos & Perſarum Reges, ut fiat corpus aſpectu jucundum: idea eandem Heliocallidem nominari.* Praeterea *Latacem dari ſalitam a Perſarum Rege Legatis, ut quocumque veniſſent, omnium rerum copia abundarent*, idem PLINIUS *libr.* XXVI. *cap.* IV. tradit. Idem ipſe, *libr.* XIII. *cap.* IV. *Palmarum* omnium clariſſimas fuiſſe ſcribit, quas *Regias* appellavère, *ab honore: quoniam Regibus tantum Perſidis ſervabantur, Babylone natae uno in horto* (*d*).

CCXLIV. Nec de aliena minus, quam de ſua ſalute ſollicitus Cyrus, cum animadvertiſſet pleroſque omnes, dum proſpera valetudine fruuntur, magis de ea tuenda conſervandaque, ac victus ratione ſanis corporibus accommodata, quam de conquirendis parandiſque morborum profligandorum remediis laborare: huic quoque rei ſubveniendum ſibi eſſe ſtatuit. Medicos ergo, quemadmodum XENOPHON *libro* VIII. παιδ. *pag.* 212. refert, qui ceteris praeſtare videbantur, ad ſe vocatos conſuluit, & quaecunque ad ſanandos morbos medicamenta, ſeu eſculenta potulentave, ſeu inſtrumenta, conducere ab his edoctus cognovit, ea omnia parata in condito habuit, uſui futura his, qui in adverſam valetudinem incidiſſent: & pro cujuſque morbi genere ſalutaria aegrotantibus in tempore medicamenta ſuppeditabat.

CCXLV. Extremam hujus libri partem, Regum funera ſibi vindicant: quae omni apparatu atque honore celebrabantur. Matrem certe & conjugem Darii, provolutas ad pedes Leonnati, oraſſe, ut priuſquam interficerentur, *Darii corpus* ipſis *patrio more ſepelire* permitteretur; *functas ſupremo in Regem officio, ſe impigre morituras*, CURTIUS *libr.* III. *cap.* 12. §. 11. narrat. Sed & Alexandrum omnem honorem funeri uxoris Darii, *patrio Perſarum more*, ſervaſſe, idem CURTIUS *libr.* IV. *cap.* 10. §. 23. ſcribit. Ipſi etiam Dario, Alexandri beneficio, ταφῆς βασιλικῆς contigiſſe, ARRIANUS *libr.* III. *cap.* 22. *pag.* 137. refert. PLUTARCHUS in *Alexandro*, *pag.* 682. Darium ait audita uxoris morte exclamaſſe, indoluiſſeque eam ἄμοιρον κεῖσθαι ταφῆς βασιλικῆς, *regii funeris expertem jacere.* cui reſpondit Eunochus cubicularius: Οὔτε ἀπολαύσεν κόσμου τοῦ ἁρμόττοντος γέγονεν. *neque mortua ullo honore caruit.* DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *cap.* 54. *pag.* 203. (*St.* 591. *Rb.* 531.) Ἅμα δὲ τούτοις πραττομένοις, ἡ τοῦ Δαρείου γυναικὸς ἀποθανούσης, ὁ Ἀλέξανδρος ἔθαψεν αὐτὴν μεγαλοπρεπῶς. *Inter haec Darii uxor vita exceſſerat: quam Alexander magnificis cum honoribus funeravit.* JUSTINUS *libr.* XI. *in fine*, de morte Darii: *quae ubi Alexandro nuntiata ſunt; viſo corpore defuncti, tam indignam illo faſtigio mortem lacrymis proſecutus eſt, corpuſque Regio more ſepeliri, & reliquias ejus majorum tumulis inferri juſſit.* Poſt exceſſum vero Regum, pro maximi luctus publici argumento, Ignem ſacrum aeternumque extingui ſolitum conſtat. Proinde Alexander, juſta Hephaeſtioni faciens, τοῖς (ut DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *cap.* 114. *pag.* 250. (*St.* 623. *Rb.* 580.) ſcribit τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν οἰκοῦσι προσέταξε, τὸ παρὰ τοῖς Πέρσαις ἱερὸν πῦρ καλούμενον ἐπιμελῶς σβέσαι, μέχρι ἂν τελέσῃ τὴν ἐκφοράν· τοῦτο δ' εἰώθεσαν (*e*) οἱ Πέρσαι ποιεῖν, κατὰ τὰς τῶν βασιλέων τελευτάς. *Mandatum ad omnes Aſiae gentes dedit, ut ignem, qui ſacer a Perſis vocatur, quouſque exequias peregiſſet ſtudioſe, extinguerent. Id quod in regum obitu a Perſis factitari ſolet.*

CCXLVI:

(*a*) HI LAUDES] In *edd.* quas ego vidi, melius legitur: *Laudes ii*, Magi ſcilicet. TR.

(*b*) CAESARI] Vide vitam ejus apud SUETONIUM *cap.* C. Idem hic de Julio Caeſare teſtatur in ejus vita, *cap.* LXXXVII. TR.

(*c*) Δίκαιρον habet etiam Aeliani editio: qui ait Indicum eſſe nomen; a Graecis appellari δίκαιον. Cteſias δίκαιρον habet, quaſi a Duplici apice tracto vocabulo. S. In prima auctoris editione legebatur *Dircaeri*. TR.

(*d*) UNO IN HORTO] *In horto Bagon*, legitur in *edd.* quas ego vidi. TR.

(*e*) Εἰώθασιν] Cl. *Weſſeling.* ex MS. emendaſſe εἰώθεσαν, jam ſupra monui §. XLIV. TR.

CCXLVI. Perſarum utique Reges ſua habebant Mauſolea, ſeu Regia monumenta, quibus corpora eorum inferri & condi conſueverant. Βασιλικὰς θήκας, ARRIANUS & AELIANUS appellant. Sic enim ille *libr.* III. *de reb. geſt. Alexandri, cap.* XXII. *pag.* 136. Ἀλέξανδρος δὲ τὸ μὲν σῶμα τὸ Δαρείου ἐς Πέρσας ἔπεμψε, θάψαι κελεύσας ἐν ταῖς βασιλικαῖς θήκαις, καθάπερ καὶ οἱ ἄλλοι οἱ πρὸ Δαρείου βασιλεῖς. *Alexander Darii corpus ad Perſas miſit, ut in regiis mauſoleis, more aliorum regum, qui Darium anteceſſerant, conderetur.* Hic vero *libr.* VI. *Var. Hiſtor. cap.* VIII. de Artaxerxe, qui & Ochus cognominatus eſt: Ἐτάφη δέ τις ἄλλος ἀντ' αὐτοῦ, καὶ ἀπεδόθη ταῖς βασιλικαῖς θήκαις. *Sepultus autem eſt ejus loco alius, & regiis conditoriis traditus.*

CCXLVII. In Perſepolitana autem arce Regum Mauſoleum, ſeu Conditorium fuiſſe, STRABO *libr.* XV. (*a*) tradit. DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *cap.* 71. *pag.* 215. (*St.* 600. *Rh.* 545.) in hujus arcis deſcriptione: Ὄρος ἐστὶ τὸ καλούμενον βασιλικὸν, ἐν ᾧ τῶν βασιλέων ὑπῆρχον τάφοι. *Mons eſt, quem regium vocant, in quo regum ſepulcra inerant.* At Cyri monumentum Paſargadis fuiſſe, ἐν παραδείσῳ πύργον οὐ μέγαν, τῷ (*b*) δασεῖ τῶν δένδρων ἐνακεκρυμμένον, κάτω μὲν στερεὸν, ἄνω δὲ στέγην ἔχοντα καὶ σηκὸν, στενὴν τελέως ἔχοντα τὴν εἴσοδον. *In hortis turrim non ſane magnam, arborum denſitate occultam, a parte inferiore ſolidam, ſuperiore tabulatum habentem & ſacellum, perangusto aditu,* STRABO *libr.* XV. *pag.* 1061. (730.) auctor eſt. Quibus conſentanea ARRIANUS *libr.* VI. *cap.* XXIX. *pag.* 271. ſcribit: Εἶναι γὰρ, inquiens, ἐν Πασαργάδαις, ἐν τῷ παραδείσῳ τῷ βασιλικῷ, (*c*) τοῦ Κύρου τὸν τάφον, καὶ περὶ αὐτὸν ἄλσος ἐμπεφυτεῦσθαι δένδρων παντοίων· καὶ ὕδατι εἶναι κατάρρυτον, καὶ πόαν βαθεῖαν πεφυκέναι ἐν τῷ λειμῶνι. καὶ αὐτὸν δὲ τὸν τάφον τὰ κάτω λίθου τετραπέδου, ἐς τετράγωνον σχῆμα, πεποιῆσθαι· ἄνωθεν δὲ οἴκημα ἐπεῖναι λίθινον ἐστεγασμένον, θυρίδα ἔχον φέρουσαν εἴσω στενὴν, ὡς μόλις ἂν ἑνὶ ἀνδρὶ οὐ μεγάλῳ, πολλὰ κακοπαθοῦντι, παρελθεῖν. *Eſſe enim apud Paſargadas in hortis regiis Cyri ſepulcrum, & circum id, lucum omnis generis arboribus conſitum, aquiſque irriguum, atque alto gramine hortum ipſum refertum eſſe: ſepulcrum ipſum, ab ima parte ſaxo quadrato ſtructum, quadrangularem formam prae ſe ferre. In editiore parte aediculam eſſe, lapideo fornice contectam, portulamque habere, quae in eam ducat, ita anguſtam, ut aegerrime unus aliquis, neque is magnae ſtaturae, ingredi poſſit.*

CCXLVIII. Loculo autem aureo, aut Arcula aurea, Cyri corpus conditum, ARRIANUS ibidem ait his verbis: ἐν δὲ τῷ οἰκήματι πύελον χρυσοῦν (ita enim ſcribi ſatius eſt (*d*)) κεῖσθαι, ἵνα τὸ σῶμα τοῦ Κύρου ἐτέθαπτο. *In aedicula ſolium aureum eſſe poſitum, in quo Cyri corpus conditum ſervatur.* Et paulo poſt (*pag.* 272.): Πύελος ἔκειτο, ἐν ᾗ τὸ σῶμα τοῦ Κύρου ἔκειτο. *Solium erant poſitum, corpus Cyri continens.* Cui conſentiens STRABO *l. c.* in eo Cyri monumento πύελον χρυσῆν inventam ait. Πύελον autem SUIDAS θήκην interpretatur, citans haec verba: Τῇ πυέλῳ τῶν ἱερῶν λειψάνων τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου. *Cum arca ſacrarum reliquiarum Petri, Apoſtolorum principis.* HESYCHIUS vero λάρνακα exponit. Haec ideo, ne quis ab interpretibus STRABONIS ARRIANIque fallatur, quorum ille πύελον, *alveolum* (*e*); hic (*f*) vero *urnam* vertit. At CURTIUS *lib.* X. *cap.* 1. §. 32. *Solium, in quo corpus jacebat,* vocat. Addit ARRIANUS, (*pag.* 271. *ſeq.*) in eo Cyri monumento fuiſſe κλίνην παρὰ τῇ πυέλῳ· πόδας δὲ εἶναι τῇ κλίνῃ χρυσοῦς σφυρηλάτους, καὶ τάπητα ἐπίβλημα Βαβυλωνίων, καὶ (*g*) κανάκας πορφυρᾶς ὑποστρώματα (*h*). ἐπεῖναι δὲ καὶ ΚΑΝΔΥΣ, καὶ ἄλλους χιτῶνας, τῆς Βαβυλωνίου ἐργασίας. καὶ ἀναξυρίδες Μηδικαὶ, καὶ στολαὶ ὑακινθοβαφεῖς, λέγει ὅτι ἔκειντο· (*i*) αἱ δὲ πορφυραῖ· αἱ δὲ ἄλλης χρόας. καὶ στρεπτοὶ, καὶ ἀκινάκαι, καὶ ἐνώτια, χρυσοῦ τε καὶ λίθων κολλητὰ· καὶ τράπεζα ἔκειτο. *Lectum ſub ſolio, cujus pedes ex ſolido auro fabrefacti ſint, hunc tapetis Babylonis ſtratum, ſtragulis purpureis ſubſtratis: lecto CANDYAS aliaſque veſtes Babylonis operis impoſitas fuiſſe. Femoralia etiam Medica: veſtes quoque hyacynthino colore tinctas ibi poſitas fuiſſe ſcribit: atque has quidem purpurei, alias vari coloris; torques quoque ac gladios & inaures, auro & gemmis ligatos; menſa praeterea ibi poſita erat.* Quo loco quid verbo κανάκας Arrianus ſentiat, res eſt arbitrio non dirimenda meo. Κανάκαι quidem HESYCHIO eſt ξίφος, quod prima facie aliquid eſſe videtur, propterea, quod in Cyri ſepulcro Acinacem inventum, Curtius ait: ſed hoc aliquid, nihil eſt: haec enim Interpretatio ab adjuncto verbo πορφυρᾶς refellitur. STRABO etiam *l. c.* aeque atque ARRIANUS, in Cyri monumento fuiſſe κλίνην τε χρυσῆν, καὶ τράπεζαν σὺν ἐκπώμασι, καὶ πύελον χρυσῆν, καὶ ἐσθῆτα πολλὴν, κόσμον τε λιθοκόλλητον: *Lectum aureum, & menſam cum poculis, & aureum ſolium, veſtem plurimam, & mundum gemmis ornatum,* ex Ariſtobulo refert: Verum contradicit CURTIUS, qui ab illis Graecis auctoribus quantum diſcrepet, palam facient ipſa ejus verba, quae ſubjeci: *Forte* (ait ille *lib.* X. *cap.* 1. §. 30. *ſeq.*) *ſepulcrum Cyri Alexander juſſit aperiri, in quo erat conditum ejus corpus, cui dare volebat inferias. Auro argentoque repletum eſſe crediderat: quippe ita fama Perſae vulgaverant. Sed praeter clypeum ejus putrem, arcus duos Scythicos, & acinacem, nihil reperit. Ceterum corona aurea impoſita amiculo, cui aſſueverat ipſe, Solium, in quo corpus jacebat, velavit: miratus tanti nominis Regem, tantis praeditum opibus, haud pretioſius ſepultum eſſe, quam ſi fuiſſet e plebe.* Attamen conciliari facile Latinus noſter auctor Graecis poteſt, ipſomet Graecorum interventu, quibus bis apertum Cyri ſepulcrum fuiſſe, non obſcure ſignificant. Ac primum quidem

(*a*) LIBR. XV.] Ego hoc apud STRABONEM reperire non potui: niſi forte auctor reſpiciat locum *pag.* 1059. (728.) ubi de regia Perſepolitana & Paſargadica ſimul ait: καὶ ἡ γάζα, καὶ οἱ θησαυροὶ, καὶ τὰ μνημεῖα ἐνθάδε ἦν τοῖς Πέρσαις. *Nam & gaza, & theſauri, & monumenta Perſarum ibi erant.* TR.

(*b*) Xyl. ed. δάσει, ſubſtantive. S. Et ſic quoque Caſaub. L.

(*c*) Edit. Κύρου ἐκείνου τάφον. L.

(*d*) EST] Neque aliter editum eſt in *nov. ed. Gronovii.* TR.

(*e*) ALVEOLUM] Etiam in *nov. ed.* legitur in verſione: *aureum alveum.* TR.

(*f*) HIC] Intelligit *Barth. Facium*: nam *Bonaventura Vulcanius* ſecundum auctoris mentem per *ſolium* reddidit. TR.

(*g*) Καυνάκας pro κανάκας legendum, dudum eruditi monuerunt, & ſic quoque poſteriores Arriani editiones habent. Ceterum quae de voce Καυνάκας hic Briſſon. ſcribit, uti & fere quae ſupra de Πύελος aderant, inique Noſtro ab editore Arriani edit. Amſtel. ſurrepta eſſe, indicavit in notis ſuis doctiſſimus Jac. Gronovius. L.

(*h*) Ὑποστρώματα] Hanc lectionem in *notis* defendit quoque *Jac. Gronovius*, licet in textu ediderit ἐπιστρώματα. Idem paulo poſt pro πορφυραῖ edidit πορφύρας. TR.

(*i*) Malim αἱ μὲν - & paulo poſt, ἐνώτια. de κάνδυϊ vero melius infra in retractatione [*lib.* II. §. 192.] *pag.* 252. S.

dem, Alexandri juſſu, Ariſtobulus id ingreſſus, ea omnia repeiit, quae eo illata erant: poſtea ita violatum expilatumque, ut nihil, vel tantivis pretii, reliquum avaritia τυμβωρύχων fecerit, iidem ajunt. Ideoque eum id, interjecto aliquo tempore, iterum inſpici Alexander juſſit, ea dumtaxat, quae Curtius memorat, inventa ſunt.

CCXLIX. Hujus Cyri ſepulcri cuſtodiam Magis mandatam ac creditam fuiſſe; iiſque cottidie in alimenta Ovem; ſingulis vero menſibus Equum praeſtari conſueviſſe, STRABO, *libr.* XV. *pag.* 1062. (730.) cum ARRIANO *libr.* VI. *cap.* 29. *pag.* 272. ſcribit. PLINIUS *libr.* VI. *Natur. Hiſtor. cap* XXVI. *Inde ad Orientem Magi obtinent Paſargadis* (*a*) *Caſtellum, in quo Cyri ſepulcrum eſt.* SOLINUS in *Polybiſtor. cap. penult.* in fine: *Deinde tractus bic procedit uſque ad Caſtellum quod Magi obtinent, Paſargadis nomine: bic Cyri ſepulcrum.* Ceterum Daniel, gratia apud Darium Regem florens, Turrim Ecbatanis conſtruxit, quae Joſephi etiamnum aetate extabat: & ſpectantibus recentiſſimae ſtructurae videbatur, ac ſi ea ipſa die, qua ſpectabatur, abſolutum opus eſſet: tantam novitatis ſpeciem, & tam integram pulchritudinem habebat, nulla vetuſtatis injuria laeſam. In ea Turri, Medorum, Perſarum, atque Parthorum Reges humari ſolitos, idem JOSEPHUS *libr.* X. *Antiquit. Jud. cap.* XIV. (*al.* XII. *al.* XI) tradit: idque ad ſua uſque tempora obſervatum: & Turris ejus cuſtodiam ſacerdoti Judaicae gentis creditam, ejuſque fidei mandatam, ait.

CCL. Tumulis autem Regum Titulos ſuperaddi, carminaque incidi conſueviſſe, teſtantur Epigrammata, quae Cyri & Darii utriuſque monumentis inciſa fuiſſe accepimus. Cyri quidem ſepulcro ARISTOBULUS, referente STRABONE *libr.* XV. *pag.* 1062. (730.) literis prodiderat, inſcriptum fuiſſe: Ὦ ἄνθρωπε, ἐγὼ Κῦρός εἰμι, ὁ τὴν ἀρχὴν τοῖς Πέρσαις κτησάμενος, ὁ τῆς Ἀσίας βασιλεύς. μὴ οὖν φθονήσῃς μοι τοῦ μνήματος. *O Homo, ego Cyrus ſum, qui Perſis imperium paravit, & Rex Aſiae fui. Ne igitur mibi monumentum invideas.* ONESICRITUS vero ſcriptum reliquerat, Turrim X. Tabulatis excelſam fuiſſe, & in ſuperiore Tabulato Cyrum conditum, cum Graeco Epigrammate, Perſicis literis inſculpto, in haec verba: Ἐνθάδ' ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος βασιλεὺς βασιλήων. *Hic ſitus ego ſum Cyrus Rex Regum*: in eandemque ſententiam aliud Perſico ſermone Epigramma. ARISTUM vero Salaminium, longe tempore poſteriorem, ſcripſiſſe, idem STRABO *l. c.* ait, Turrim illam duo Tabulata habuiſſe, ingentemque fuiſſe; ac tranſlato a Medis ad Perſas imperio exſtructam, (hoc enim illic valent Graeca haec verba: ἐν τῇ Περσῶν διαδοχῇ ἱδρυθῆναι) & bilingue Epigramma, Perſicum nimirum & Graecum, ejuſdem utrunque ſententiae, adſcriptum. Quae legentem me admiratio ſubit, cur in Cyri elogiis PATRIS PATRIAE cognomen, illi cunctis totius populi ſuffragiis, ut HERODOTUS *libr.* III. (*b*) & XENOPHON *libr.* VII. παιδ. teſtantur, delatum, quod longe & multum reliquis in eum congeſtis ornamentis antecellit, ab illis buſtuariis vatibus ſit praetermiſſum.

CCLI. Ex hoc more, STRABO *libr.* XV. *l. c.* Oneſicriti (innixus) auctoritate, Darii monumento inſcriptum fuiſſe (ait (*c*),) Φίλος ἦν τοῖς φίλοις. Ἱππεὺς καὶ Τοξότης ἄριστος ἐγενόμην. Κυνηγῶν ἐκράτησα. πάντα ποιεῖν ἠδυνάμην. *Amicus amicis fui, & Eques & Sagittator optimus: Venatores ſuperavi: omnia facere potui.* Darii utique, Hyſtaſpis filii, monumento Titulum fixum hujuſmodi: ἠδυνάμην καὶ οἶνον πίνειν πολλὸν, καὶ τοῦτον φέρειν καλῶς. *Poteram multum bibere vini, & ferre commode*, ATHENAEUS *libr.* X. *pag.* 434. & EUSTATHIUS in Σ. (XVIII.) Ὀδυσ. referunt.

CCLII. Antiquum autem & vetus eſſe, ſepulcris Regum Titulos inſcribi, Nini Epitaphium demonſtrat: quod ex *Phoenice Colophonio*, ATHENAEUS *libro* XII. *cap.* 7. *pag.* 530. exſcripſit in haec verba:

Ἐγὼ Νῖνος πάλαι ποτ' ἐγενόμην πνεῦμα.
Νῦν δ' οὐκ ἔτ' οὐδὲν, ἀλλὰ γῆ πεποίημαι.
Ἔχω δ' ὅσσ' ἐδαισάμην, χὤσσ' ἠεισάμην,
Χὤσσ' ἠράσθην.

Quondam ego Ninus fui, ſpiritumque vitalem hauſi:
Nunc vero aliud nibil, quam terra factus ſum:
Quicquid comedi, babeo, quicquid volupe mibi fuit,
Et quicquid pulcrarum feminarum in amore laſcivii, & reliqua.

CCLIII. Hunc quoque morem, Sardanapali ſepulcro inſcriptum Epitaphium confirmat: de quo DIODORUS SICULUS *libr.* II. *cap.* 23. *pag.* 137. (*St.* 78. *Rb.* 110.) talia ſcribit: Ἐπὶ τοσοῦτο δ' ἀσχημοσύνης τρυφῆς καὶ τῆς αἰσχρᾶς ἡδονῆς, καὶ ἀκρασίας, ὥστε Ἐπικήδειον εἰς αὑτὸν ποιῆσαι, καὶ παραγγεῖλαι τοῖς διαδόχοις τῆς ἀρχῆς μετὰ τὴν ἑαυτοῦ τελευτὴν ἐπὶ τὸν τάφον ἐπιγράψαι, ὃ συνέγραψε μὲν ὑπὸ διαλέκτου βαρβαρικῆς, μεθηρμηνεύθη δ' ὕστερον ὑπό τινος Ἕλληνος.

Ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον, καὶ ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτος
Τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται.

Eoque tandem deliciarum, & turpiſſimae voluptatis ac intemperantiae proceſſit, ut carmen boc funebre ſibi ipſi componeret, & ſucceſſoribus ſepulcbro ſuo poſt mortem inſcribendum mandaret. Id autem e lingua Barbarica a Graeco aliquo tranſlatum ita ſe babet:

(*d*) *Haec babeo quae edi, quaeque exſaturata libido*
Hauſit: at illa jacent multa & praeclara relicta.

Quem DIODORI locum, ſed pleniorem, JOANN. TZETZES *Hiſtor. Chil.* III. *cap* XCV. citat in hunc modum: (*v.* 450.)

Τρυφῇ

(*a*) PASARGADIS] De varia hujus nominis ſcribendi ratione jam ſupra monui: id quod etiam de Plinii & Solini Codd. notandum. TR.

(*b*) LIBR. III.] Intelligit ſine dubio locum *cap.* 89. ubi narrat, Cyrum poſt mortem, ratione Cambyſis & Darii vocatum fuiſſe Patrem. XENOPHON, non quidem *lib.* VII. ſed *lib.* VIII. *pag.* 207. & 209. dicit Cyrum a ſubditis ſuis patrem vocatum fuiſſe: non tamen expreſſe dicit, illi viventi ſollemniter Patris patriae cognomen indutum fuiſſe: unde neque hoc in ſepulchri titulo fuit expreſſum. TR.

(*c*) AIT.] Verba duo in parentheſi poſita *Lederlinus* ad ſenſum ſupplendum addidit. TR.

(*d*) Ita vertit Cicero Tuſcul. Quaeſt. libro V. vid. *inſt.* p. 333. L.

γράφει (videl. Diod.) καὶ τὸ ἐπίγραμμα τὸ Σαρδαναπάλου,
Ὃ μεθερμηνευθὲν ὕστερον ὑφ' Ἕλληνος τινὸς εἶχεν οὕτως. Πέφυκε γράμμασι Ἀσσυρίοις,
Κἀν ἐξεῖπεν ἀποχωρίζομεν ταῦτα δηλοῖ τὰ ἔπη· (a)
Εὖ εἰδὼς ὅτι θνητὸς ἔφυς, σὸν θυμὸν ἄεξε,
Τερπόμενος (b) θαλίῃσι· θανόντι τοι οὔτις ὄνησις.
Καὶ γὰρ ἐγὼ σποδός εἰμι, Νίνου μεγάλης βασιλεύσας·
Ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον, &c.

Scribit & epigramma Sardanapali,
Quod Aſſyriis fuit ſcriptum literis,
Et Graece redditum haec indicant carmina:
Cum te mortalem teneas, praeſentibus exple
Deliciis animum: poſt mortem haec nullius uſus.
Ipſe Nini quondam magnae rex, nunc cinis hic ſum.
Haec habeo, quae edi, & reliqua.

At Strabo *libr.* xiv. *pag.* 988. (672.) etiam ſtatuam Sardanapali monumento cum inſcriptione ſuperpoſitam tradit. De Anchiala enim, (quam Sardanapali κτίσμα, ex Ariſtobulo, eſſe tradit) loquens, ἐνταῦθα δ' εἶναι, ait, μνῆμα τοῦ Σαρδαναπάλλου, καὶ τύπον λίθινον, συμβεβληκότα τοὺς τῆς δεξιᾶς χειρὸς δακτύλους, ὡς ἂν ἀποκροτοῦντα. ἔνιοι δὲ καὶ ἐπιγραφὴν εἶναι Ἀσσυρίοις γράμμασι τοιάνδε. Σαρδανάπαλλος, ὁ Ἀνακυνδαράξεω παῖς, Ἀγχιάλην καὶ Ταρσὸν ἔδειμεν (ſic enim emenda, id eſt, *exſtruxit, condidit*) ἡμέρῃ μιῇ· σὺ δ' ὦ ξένε ἔσθιε, πῖνε, παῖζε. *Ibique Sardanapali eſſe monumentum, & imaginem lapideam conſerentis dextrae manus digitos, ac plauſum edituri. Sunt qui Aſſyriis literis haec ajunt eſſe inſcripta: Sardanapalus, Anacyndaraxis filius, Anchialen & Tarſum una die aedificavit. Tu autem hoſpes, ede, bibe, lude.* Adjicit deinde verſus hoſce:

Εὖ εἰδὼς ὅτι θνητὸς ἔφυς, σὸν θυμὸν ἄεξε,
Τερπόμενος θαλίῃσι· θανόντι τοι οὔτις ὄνησις.
Καὶ γὰρ ἐγὼ σποδός εἰμι, Νίνου μεγάλης βασιλεύσας.
Ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον, καὶ ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτος
Τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται.
Ἥδε σοφὴ βιότοιο παραίνεσις ἀνθρώποισιν·
(c) Ὡς τἄλλα τὰ ἀνθρώπινα οὐκ ὄντα τούτου ἄξια τοῦ ἀποκροτήματος. μέμνηται δὲ καὶ Χοιρίλος τούτων.

Cum te mortalem teneas, praeſentibus exple
Deliciis animum: poſt mortem haec nullius uſus.
Ipſe Nini quondam magnae rex, nunc cinis hic ſum.
Haec habeo, quae edi, quaeque exſaturata libido
Hauſit: at illa jacent multa & praeclara relicta.
Mortales ſapiens praeceptum hoc diſcite vitae.

Etenim reliquae res hominum non dignae ſunt hacce re, digitorum ſc. comploſione. Meminit horum etiam Choerilus. Quae vero apud eum auctorem ſequuntur, ea abundant, nec ταυτολογίας vitio vacant. Eoſdem etiam verſus Sardanapali ſepulcro inſcriptos fuiſſe, ex *Chryſippo* Athenaeus *libr.* viii. *cap.* 3. *pag.* 335. *ſeq.* refert: nec alia ulla inter Strabonis & Athenaei codices hac in re differentia intercedit, niſi quod apud Athenaeum non Ταῦτ' ἔχω, ſed Κεῖν' ἔχω: nec μετ' ἔρωτος, ſed σὺν ἔρωτι: nec κεῖνα λέλειπται, verum πάντα λέλυνται, ſcribitur. Poſtremis vero verſibus haec ſunt a Chryſippo addita:

Ἡ δὲ σοφὴ βιότοιο παραίνεσις· οὐδέ ποτ' αὐτῆς
Λήσομαι, ἐκτήσθω δ' ὁ θέλων τὸν ἀπείρονα χρυσόν.

Hoc ſapiens vitae monitum: quod pectore nunquam
Excidet, immenſum conquirat, qui volet, aurum.

Sunt qui illis verſibus legendum cenſeant, non τέρπν' ἔπαθον, ſed τέρπν' ἐδάην, prout *libr.* ii. Ἀθλολογίας legitur: quod & adgnoſcere videtur Cicero *Tuſc. Quaeſt. libr.* v. *cap.* 35. qui vertit: *quaeque exſaturata libido hauſit.* Varie etiam ab Antiquis hujus Sardanapali monumenti inſcriptionem referri, Suidas in verbo Ὀχάνα memorat, in hunc modum: Ἔσθιε, πῖνε, ὄχευε· ὡς τἆλλα οὐδενός ἐστιν ἄξια. ἐν ἄλλοις· ὡς τἆλλα οὐ τούτου ἐστὶν ἄξια, τοῦ τῶν δακτύλων ἀποκροτήματος. τὸ γὰρ ἐφεστὼς τῷ μνήματι ἄγαλμα ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς εἶχε τὰς χεῖρας ἐπιπεπληγμένας, ὡς ἂν ἀποληκοῦν τοῖς δακτύλοις, ἀνεζωσμένον Λυδιστὶ, πεποιημένον τῷ λίθῳ. *Ede, bibe, coi: cetera enim nihili facienda ſunt. In aliis (libris ſcriptum eſt,) Cetera quidem, ne hoc quidem digitorum ſtrepitu, digna ſunt. Statua enim (Sardanapali) monumento impoſita ita facta erat, ut manus haberet ſupra caput elatas, ac ſi digitis creparet, more Lydio ſuccincta, & ex marmore fabricata.* Straboni conſentiens Suidas, de Sardanapalo ex Calliſthene ſcribit haec: Ἐν Νίνῳ δὲ ἐπὶ τοῦ μνήματος αὐτοῦ τοῦτ' ἐπιγέγραπται· Σαρδανάπαλλος, ὁ Ἀνακυνδαράξεω παῖς, Ἀγχίαλον καὶ Ταρσὸν ἐν ἡμέρῃ μιῇ ἐδείματο· σὺ δὲ ὦ ξένε, ἔσθιε, καὶ πῖνε, καὶ παῖζε· ὡς τἆλλα τὰ ἀνθρώπινα (d) (ita repono) οὐκ ὄντα τούτου ἄξια· τουτέστι τοῦ τῶν δακτύλων ἀποκροτήματος. τὸ γὰρ ἐφεστὼς τῷ μνήματι ἄγαλμα, ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἔχει τὰς χεῖρας, πεποιημένον ὡς ἂν ἀποληκοῦν τοῖς δακτύλοις. ταὐτὸ καὶ ἐν Ἀγχιάλῳ τῇ πρὸς Ταρσῷ ἐπιγέγραπται, ἥτις νῦν καλεῖται Ζεφύριον. *In hujus monumento Nini inſcriptum erat: Sardanapalus, Anacyndaraxis filius, Anchialum & Tarſum una die condidit. Tu vero, hoſpes, ede, bibe & lude. Nam cetera humana ne tanti quidem facienda ſunt. Id eſt, ne iſto quidem digitorum crepitu digna ſunt. Simulacrum enim ſepulcro impoſitum, manus ſupra caput attollens, digitis veluti crepabat. Idem etiam inſcriptum eſt (monumento ejus) Anchiali prope Tarſum, quae nunc Zephyrium vocatur.* Quo loci τὸ ἀποληκεῖν, eſt, ut Strabo loquitur, ἀποκροτεῖν. Nam & Hesychius Ἀπολήκησε, τοῖς δακτύλοις ἐψόφησεν interpre-

(a) Ἔπη] Sequentes tres verſus etiam in melioribus Diodori Codicibus legi, teſtatur Cel. *Weſſeling.* qui eos quoque in textum ſuae editionis recipere non dubitavit. TR.

(b) Melius θαλίῃσι, &c, οὔτις ὄνησις, ut paulo poſt. S. Ita etiam in Diodoro ſuo edidit Cel. *Weſſeling.* TR.

(c) Metrum conſtabit ſi legamus; Ὡς τ' ἄλλα πάντ' οὐκ ὄντα τούτου ἄξια: ut ſequens commation exegema ſit praecedentis demonſtrativi τούτου. S. Haec poſtrema Ὡς τἄλλα &c. τοῦ ἀποκροτήματος, loco ſuo turbata, reſtituit doctiſſ. Caſaub. in ſua Strabonis editione, & ſecutus veteres Codices tranſtulit poſt illa, σὺ δ' ὦ ξένε ἔσθιε, πῖνε, παῖζε. ut adeoque immutatione Cl. Sylburgii non ſit opus. Idem eruditus Caſaub. eleganter, illa τοῦ ἀποκροτήματος, non eſſe amplius verba ἐπιγραφῆς, ſed interpretationis gratia a Strabone addita, obſervat, quem vide prolixius p. 672. Cave autem, credas Athenaeum & Arrianum hanc ἐπιγραφὴν ex Clitarcho citare, quem errorem Caſauboni nuper indicavit eximium Belgii decus Jac. Gronovius in egregia Arriani editione II, 5. L.

(d) Ἀνθρώπινα] In *ed. noviſſ.* legitur ἀνθρώπεια. Paullo ante pro παῖζε in quibuſdam *Codd. MSS.* legi ὄχευε teſtantur *Interpp.* TR.

Digitized by Google

pretatur. Idem SUIDAS de Sardanapalo: Οὗτος ἐσφάγη ὑπὸ Περσέως· οἱ δὲ κόλακες καὶ μιμηταὶ τῆς ἐκείνου φιλοτρυφίας, καὶ γαστριμαργίας, καὶ ἀσελγείας, ἐπέγραψαν, ὡς ἐκ αὐτοῦ δῆθεν, ἐν τῷ τάφῳ αὐτοῦ, τὸ, Τοσσ' ἔχω, καὶ τὰ ἑξῆς. *Hic a Perſeo occiſus eſt. Adulatores vero, & illi, qui ejus mollitiem, & luxuriam, & furorem imitabantur, ſepulcro ejus carmen hoc inſcripſerunt, tanquam ab ipſo prolatum: Tantum habeo &c.* ARRIANUS *libr.* II. *cap.* V. *pag.* 66. *ſeq.* de Anchialo: Καὶ τὸ μνῆμα τοῦ Σαρδαναπάλου ἐγγὺς ἦν τῶν τειχῶν τῆς Ἀγχιάλου· καὶ αὐτὸς ἐφειστήκει ἐπ' αὐτῷ Σαρδανάπαλος συμβεβληκὼς τὰς χεῖρας (a) ἀλλήλοις ὡς μάλιστα ἐς κρότον συμβάλλονται. καὶ ἐπίγραμμα ἐπεγέγραπτο αὐτῷ, Ἀσσύρια γράμματα. οἱ μὲν Ἀσσύριοι καὶ μέτρον ἔφασκον ἐπεῖναι τῷ ἐπιγράμματι· ὁ δὲ νοῦς ἦν αὐτῷ ὃν ἔφραζε τὰ ἔπη, ὅτι Σαρδανάπαλος, ὁ Ἀνακυνδαράξου παῖς, Ἀγχίαλον καὶ Ταρσὸν ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ ἐδείματο. σὺ δὲ, ὦ ξένε, ἔσθιε, καὶ πῖνε, καὶ παῖζε· ὡς τἆλλα τὰ ἀνθρώπινα, οὐκ ὄντα τούτου ἄξια, τοῦ ψόφου αἰνισσόμενος ὅνπερ αἱ χεῖρες ἐπὶ τῷ κρότῳ ποιοῦσι. καὶ τὸ παῖζε ῥᾳδιουργότερον ἐγγεγράφθαι ἔφασαν τῷ Ἀσσυρίῳ ὀνόματι. *Sardanapali ſepulcrum ad ipſa Anchiali moenia extabat, cui innitebatur Sardanapalus manus collidens, ut in plauſibus fieri ſolet. Inſcriptio ſtatuae addita erat Aſſyriis litteris, cui metrum ſubeſſe dicebant. Verſuum ſententia haec erat: Sardanapalus, Anacyndaraxis filius, Anchialon & Tarſon uno die condidit. Tu vero hoſpes, ede, bibe, lude, quum ceterae res humanae tanti non ſint. Plauſum ſignificans, quem manus colliſae faciunt. Illud vero Lude, molliore quodam laſciviore que Aſſyrio vocabulo expreſſum ajebant.* Quod autem ait STRABO, etiam *Choerilum* horum mentionem facere, ſuffragatorem habet ATHENAEUM, qui *libr.* XII. *cap.* VII. *pag.* 529. Sardanapali ſepulcro, ἐν στήλῃ λιθίνῃ, Χαλδαϊκοῖς γράμμασιν, *in columna lapidea, Chaldaicis literis,* inciſum fuiſſe Titulum ſcribit, quem Choerilus in Graecum transferens, numeris adſtrinxit, in hunc modum; Ἐγὼ δὲ ἐβασίλευσα, καὶ ἄχρι ἑώρων τοῦ ἡλίου φῶς, ἔπιον, ἔφαγον, ἠφροδισίασα· εἰδὼς τόν τε χρόνον ὄντα βραχὺν, ὃν ζῶσιν οἱ ἄνθρωποι, καὶ τοῦτον πολλὰς ἔχοντα μεταβολὰς καὶ κακοπαθείας· καὶ ὧν ἂν καταλίπω ἀγαθῶν, ἄλλοι ἕξουσι τὰς ἀπολαύσεις· διὸ κἀγὼ ἡμέραν οὐδεμίαν παρέλιπον τοῦτο ποιῶν. *Ego regnavi, & quamdiu lucem ſolis ſum intuitus, bibi, comedi, Venerem exercui: quia ſcirem breve tempus eſſe, quo vivunt mortales, inque multis permutationibus atque moleſtiis, inquietum, ac eorum bonorum, quae ſum relicturus, fructum & delicias alios percepturos: itaque nullo ceſſavi die, quin id agerem.* Quorum numerorum legitimum ſonum neque digitis, neque aure callere me non inficior. Verſus certe longiuſculos, hujus Choerili ἐν ποιῷ, citat idem ATHENAEUS *libr.* XI. *pag.* 464. Sed & hi verſus a CLEMENTE ALEXANDRINO, *libr.* II. Στρωμάτων referuntur, iiſdem cum Strabone verbis: male tamen Τέρψ' ἔπαθον, pro Τέρπν' ἔπαθον, ibi legitur. Unum etiam hujus Epitaphii verſum citat PLUTARCHUS *libr.* I. *de Fort. Alexandr. pag.* 330. his verbis; Τοῖς δὲ Σαρδαναπάλου μνήμασιν ἐπιγέγραπται, Ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα. *Sardanapali monumento inſcriptum fuit: Haec habeo, &c.* Integros vero omnes verſus *Interpres* ARISTOPHANIS, εἰς Ὄρνιθας, *in Avibus, v.* 1022. ex Apollodoro & Hellanico recenſet: apud quem aliter, atque apud Strabonem, ſcribitur: Εὖ εἰδὼς ὅτι θνητὸς ἔφυς, σὸν θυμὸν ἄεξε. item pro βασιλεύσας, βασιλεύων: pro μετ' ἔρωτος, μετ' ἐρώτων. Reliqui verſus, qui in Strabone deſunt, apud eum Interpretem ex ATHENAEO ſupplendi emendandique ſunt. Praeterea prioris inſcriptionis poſtrema verba ſic habent: Πῖνε, παῖζε, ὄχευε· ὡς τἆλλα οὐδενὸς ἐστὶν ἄξια. Illos autem verſus, Ταῦτ' ἔχω, &c. ſale ſuo condiens CICERO *libr. Tuſculanar. Quaeſtion. cap.* 35. Latii jure ita donavit: *Quomodo igitur jucunda vita poteſt eſſe, a qua abſit prudentia, abſit moderatio? ex quo Sardanopali opulentiſſimi Syriae Regis error adgnoſcitur, qui incidi juſſit in buſto:*

Haec habeo, quae edi, quaeque exſaturata libido
Hauſit: at illa jacent multa & praeclara relicta.

Quid aliud, inquit Ariſtoteles, in bovis, non in Regis ſepulcro inſcriberes? Haec habere ſe mortuum dicit, quae ne vivus quidem diutius habebat, quam fruebatur. Qui ARISTOTELIS locus in his libris, qui ſalvi ad nos enatarunt, nuſquam comparet. Demerſus eſt ergo naufragio eorum voluminum, quae ſcripſiſſe eum quam plurima, DIOGENES LAERTIUS in ejus *vita, lib.* V. *ſegm.* 21. auctor eſt: quaeque temporum injuria amiſſa, triſte nobis & acerbum ſui deſiderium reliquerunt.

Atque hic Perſarum Reges, ad alia properans, valere jubeo.

(a) Ἀλλήλοις communi genere alibi quoque obſervare memini. S. Editi habent, ἀλλήλαις. L.

F I N I S.

BARNABAE BRISSONII JC.

SENATUS PARISIENSIS PRAESIDIS,

DE

REGIO PERSARUM PRINCIPATU

LIBER SECUNDUS.

I. Quae ad Perſicorum Regum majeſtatem, faſtum, magnificentiam, ſummumque in ſtolata ſua mancipia Imperium, pertinebant, abunde libro ſuperiore expoſuiſſe mihi videor. Sequitur, ut de populi Perſici vita, religione, legibus, moribus, inſtitutis, dicam. Ordiar autem primum a Sacris, & unde illi rerum agendarum, inde ego dicendi initium faciam.

II. Perſae cum aeternum mundi opificem Deum Opt. Max. ignorarent (*a*), pro arbitrio, ſibi numina, reliquorum gentilium exemplo, finxerunt. Erroris quippe caligine obductus eorum animus e tenebris emergere, & altius arcana penetrare, veraeque religionis penetralia rimari non poterat. JOVEM quidem coluiſſe eos argumento eſt, quod in pompa currum Jovi ſacrum traducebant, quemadmodum HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 40. & 55. XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 215. & CURTIUS *libr.* III. *cap.* 3. §. II. memoriae prodiderunt. Idem XENOPHON Cyrum ſaepe JOVEM precantem inducit, ut ecce *libr.* VII. παιδ. *init. pag.* 172. Μετὰ δὲ ταῦτα αἰτησάμενος Δία πατρῷον, ἡγεμόνα εἶναι καὶ σύμμαχον, ἀνέβαινεν ἐπὶ τὸν ἵππον. *Poſthaec implorato Jove patrio, ut & dux & opitulator eſſet, equum adſcendit.* Quem etiam Darius apud PLUTARCHUM *libr.* II. *de Fortun. Alexandr. pag.* 338. ita invocat: Ζεῦ πατρῷε Περσῶν. *Jupiter patrie Perſarum.* STRABO *libr.* XV. *pag.* 1064. (732.) de Perſis: τὸν οὐρανὸν ἡγοῦνται Δία. *Coelum Jovem putant* (*b*).

III. Prae ceteris vero, quibus cultum impendebant, numinibus, SOLEM venerabantur. Pleni ſunt teſtimoniorum libri: Hoc enim HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 131. STRABO *libr.* XV. *l. c.* JUSTINUS *libr.* I. *cap.* 10. §. 5. MACROBIUS (*c*) *libr.* I. *cap.* VI. & alii complores ſcriptum reliquerunt. Proinde SOLI ſacer currus. Regem in publico procedentem anteire ſolebat, ut XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 215. refert. Darius etiam, poſtquam Alexandri erga matrem, uxorem, & filias continentiam intellexit, dicitur manus ad SOLEM tendens, tollenſque, clara voce, ſe ut exaudiri poſſet, precatus, ut aut ſe, aut Alexandrum regnare vellent, quemadmodum ATHENAEUS *libr.* XIII. *cap.* 8. *pag.* 603. narrat.

IV. Perſas otique aetate ſua Solem in linteo depictum adoraſſe, TERTULLIANUS *Apologet. cap.* 16. declarat his verbis: *Ad Perſas ſi forte deputabimur: licet Solem non in linteo depictum adoremus, habentes ipſum ubique in ſuo clypeo: denique inde ſuſpicio, quod innotuerit, nos ad Orientis regionem precari.*

V. Huic Deo, ceu gratam & decoram hoſtiam, Equum Perſae immolabant. JUSTINUS *libr.* I. *cap.* 10. §. 5. *Nam & Perſae Solem unum Deum credunt: eique Equos ſacratos eſſe ferunt* (*d*). XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 215. [169.] Ἵπποι ἤγοντο, θῦμα τῷ Ἡλίῳ. *Equi ducebantur, ad ſacrificium Solis.* Et ita Perſarum Regem, cum rem divinam faceret, Equum album Soli mactaſſe, PHILOSTRATUS *libr.* I. *de vita Apollonii cap.* XXXI. ſcribit his verbis: Λευκὸν δὲ ἄρα ἵππον τῶν σφόδρα Νισαίων καταθύσειν ἔμελλε τῷ Ἡλίῳ, φαλάροις κοσμήσας ὥσπερ εἰς πομπήν. *Erat candidum equum Soli*

(*a*) IGNORARENT] Non prorſus ignorarunt verum Deum, an tamen ideo ab idololatriae crimine, quod quidam faciunt, abſolvendi ſint, altioris indaginis quaeſtio eſt, quam ego dijudicare non audeo. Eſt ante omnia diligentius adhuc excutienda quaeſtio praeliminaris, utrum plus fidei habendum veteribus ſcriptoribus Graecis & Latinis, quos auctor ſequitur; qui fortaſſis Perſarum mentem non recte intellexerunt, illiſque multa ex praeconceptis ſuis opinionibus falſa attribuerunt: an vero ipſis Perſicis ſcriptoribus, quos hodie habemus, de quorum tamen aetate & auctoritate nondum certo ſatis conſtat, cum a ſemijudaeis, ſemichriſtianis, ſemimahomethanis, partim componi, partim interpolari potuerint. Legi interim meretur *Thomae Hyde Hiſtoria religionis veterum Perſarum*, Oxon. 1700. 4. Judicium vero ſit penes lectorem. TR.

(*b*) PUTANT] Ita etiam HERODOTUS *lib.* I. *cap.* 131. τὸν κύκλον πάντα τοῦ οὐρανοῦ Δία καλέοντες. *Omnem gyrum Coeli Jovem appellantes.* Jovem vero Perſas patria lingua BELUM vocaſſe, teſtatur AGATHIAS *lib.* II. *pag.* 45. *ed. Ven.* & 62. *ed. Pariſ.* conf. *Jac. Gronovii notas ad Herodot. l. c. pag.* 836. TR.

(*c*) MACROBIUS] Apud hunc ſcriptorem de cultu Solis apud Perſas in ſpecie nihil reperi: de Aſſyriis tamen quaedam habet *lib.* I. *Saturn. cap.* 17. 21. & 23. TR.

(*d*) FERUNT] In editis locus ita legitur: *Nam & Solem Perſae unum Deum eſſe credunt, & equos eidem Deo ſacratos ferunt.* TR.

Soli mactaturus ex Niſaeis optimis, phaleris ornatum, tanquam ad pompam. In eoque venuſte ludens HIMERIUS Rhetor, ἐν προπεμπτικῷ λόγῳ, pag. 59. ſeq. ait. Τὸν ἐμὸν πῶλον ἔξαρχον πώλων ἱερὸν καὶ ἀγέρωχον, οἷον ἡλίῳ θεῷ Νισαίους πώλους παλαιῶν, τοῦτον ἐγὼ τὸν πῶλον ψαλίοις κοσμήσας Μουσῶν, καὶ ταῖς Χαρίτων μίτραις ὅλον ποικίλως ἀναδήσας, ὥσπερ θεῷ τινι τῆς ἐμῆς ἀγέλης ἀπαρχὰς φέρων, ἀνάπτω. *Meorum equuleorum primarius equuleus, ſacer atque ſuperbus, quales Soli Deo Niſaei equuleos domant. Hunc ego equuleum Muſarum frenis ornatum, & Charitum mitris undique redimitum, ceu gregis mei primitias, Deo cuidam oblatum, dedico.* Hujus rei rationem non illepidam reddit OVIDIUS *libr.* I. *Faſtor.* his verſibus (385.):

Placat Equo Perſis radiis Hyperiona cinctum:
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Eandemque cauſam adfert HERODOTUS *libr.* I. *in extremo*, cur Maſſagetae Soli, quem ſummopere venerabantur, equos mactarent: Θεῶν δὲ μοῦνον ἥλιον σέβονται, τῷ θύουσι ἵππους. νόος δὲ οὗτος τῆς θυσίης, τῶν θεῶν τῷ ταχίστῳ πάντων τῶν θνητῶν τὸ τάχιστον δατέονται. *Ex diis unum Solem venerantur, cui equos immolant. Eſt autem inſtitutum hoc ſacrificium, ut Deorum pernicissimo, a quadrupedibus omnibus perniciſſimum mactent.* PLUTARCHUS tamen in *Parallelis, pag.* 305. de Xerxe, βουθυτῶν δὲ, ait, μέλλοντος ἐπὶ τῷ τοῦ Ἡλίου βωμῷ. *Cumque vellet bovem mactare in Solis ara.*

VI. Nec minus apud Armenios Soli Equos ſacratos, XENOPHON *libr.* IV. Ἀναβάσ. *pag.* 333. [261.] docet, Καὶ ἵππον, inquiens, ὃν εἰλήφει, παλαίτερον, δίδωσι τῷ κωμάρχῃ ἀναθρέψαντι, καταθῦσαι, ὅτι ἤκουεν αὐτὸν ἱερὸν εἶναι τοῦ Ἡλίου. *Equumque vetuſtum, quem acceperat, vici praefecto tradit paſcendum, & in ſacrificia mactandum: inaudierat enim Soli ſacrum eſſe.*

VII. Enimvero translato ad Parthos Perſarum imperio, ad Partho-Perſas Solis quoque veneratio tranſiit. Eos enim Solem, patrio more, ſalutaſſe, HERODIANUS *libr.* IV. *cap.* 30. (*al.* 15, 2.) auctor eſt, de Artabani exercitu loquens, in hunc modum: Ἀσπασάμενοι δὲ τὸν ἥλιον, ὡς ἔθος αὐτοῖς, οἱ βάρβαροι. *Ut autem ſolem barbari de more ſalutarunt.* Proinde Saporis Regis Perſarum juſſu, Simeonem, cum aliis multis, quod Solem adorare recuſaſſet, ultimo ſupplicio adfectum, SOZOMENUS *libr.* II. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* IX. *ſeqq.* tradit. Atque ad poſteriora uſque tempora mos hic manſit, ut ex Peroſae Perſarum Regis non ineleganti hiſtoria planum fit, cujus PROCOPIUM auctorem habeo. Is enim *libr.* I. *de Bello Perſ. cap.* 3. *pag.* 225. *ſeq.* (9. *ſeq.*) narrat, Peroſam Perſarum Regem Euthalitarum inſidiis circumventum: eique capto has ſalutis expediendae, & libertatis adipiſcendae, conditiones Euthalitarum Regem tuliſſe, ut ſe tanquam dominum adoraret, fidemque, jurejurando ſolemni adhibito, daret, Perſas non amplius eos bello perſecuturos. Qua de re Magos, quos in comitatu ſuo habebat, Peroſas conſuluit. Illi autem reſponderunt, quod ad jusjurandum attinebat, liberum ei eſſe facere, quae liberet: at, quod ad προσκύνησιν, aſtu doloque fallendum eſſe hoſtem: εἶναι γὰρ αὐτοῖς νόμον, τὸν ἥλιον ἀνατέλλοντα προσκυνεῖν ἡμέρᾳ ἑκάστῃ, *in patriis eſſe moribus adorare quotidie ſolem orientem.* Ea propter tempus in hac re obſervandum, ut mane Regem Euthalitarum conveniret, ac tum ad Solem Orientem converſus, eum adoraret: atque hoc modo patrio more ſervato, facti ignominiam eum vitaturum: cujuſmodi fallacia evaſiſſe Peroſam, ibidem narrat.

VIII. Solem autem MITHRAE nomine coluiſſe Perſas, nemo eſt qui neſciat (*a*). STRABO *libr.* XV. *pag.* 1064. (732.) Τιμῶσι δὲ ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθρην. *Colunt ſolem, quem Mithram vocant.* SUIDAS: Μίθραν νομίζουσιν οἱ Πέρσαι εἶναι τὸν ἥλιον· καὶ τούτῳ θύουσι πολλὰς θυσίας. οὐκ ἂν οὖν εἰς αὐτὸν δυνήσαιτό τις τελεσθῆναι, εἰ μὴ διὰ τινῶν βαθμῶν παρελθὼν τῶν κολάσεων, δείξῃ ἑαυτὸν ὅσιον καὶ ἀπαθῆ. *Perſae Mithram putant eſſe ſolem, eique multas victimas immolant. Nemo autem ſacris ejus initiari poteſt, quin certos cruciatuum gradus emenſus, ſanctum ſe & perturbationibus animi vacuum eſſe oſtenderit.* HESYCHIUS: Μίθρας, ὁ ἥλιος παρὰ Πέρσαις· Μίθρης ὁ πρῶτος ἐν Πέρσαις θεός. *Mithras, Sol eſt apud Perſas: Mithres praecipuus Perſarum Deus.* DIONYSIUS AREOPAGITA *Epiſt.* VII. *ad Polycarpum:* Μάλιστα μὲν ἂν τοῦτο ταῖς Περσῶν ἱερατικαῖς ἐμφέρεται φήμαις, καὶ εἰσέτι Μάγοι τὰ μνημόσυνα τοῦ τριπλασίου Μίθρα τελοῦσι. *Maxime equidem hoc in ſacris Perſarum hiſtoriis continetur, & nunc uſque Magi memoriam triplicis Mithrae celebrant.* CYRILLUS *Catecheſi* VI. *pag.* 57. Manem (*b*) in Perſidem profectum, adverſarios illic oſtendiſſe, καὶ ἱεροφάντας, τοὺς τοῦ Μίθρου. *Mithrae ſacerdotes.* Itaque ſanctiſſimum Regum jusjurandum *per Mithrem* concipiebatur: ut libro ſuperiore demonſtravimus.

IX. In *Antro* autem Deum Mithrem cultum fuiſſe, LACTANTIUS PLACIAD. in *libr.* I. *Statii Thebaid.* tradit. JULIUS FIRMICUS *libr.* I. *cap.* V. *de errore profanae religion. Perſae, & Magi omnes, qui Perſicae regionis incolunt fines, ignem praeferunt omnibus elementis, & putant debere praeponi.* Et mox: *hunc Mithram dicunt. Sacra vero ejus in ſpeluncis abditis tradunt, ut ſemper obſcuro tenebrarum ſqualore demerſi, gratiam ſplendidi ac ſereni luminis non videant.* MITHRAE quoque militem initiatum *in Spelaeo*, hoc eſt, ſpecu, ait TERTULLIANUS *libr. de corona milit. cap.* 15. Unde D. HIERONYMUS *Epiſt.* (*c*) *ad Laetam*, SPECUM MITHRAE dixit.

X. In

(*a*) NESCIAT] Mithrae cultus, ex Perſia ortus, per totum paene terrarum orbem diffuſus fuit: hinc cauto adhibenda, ne omnes de Mithra opiniones, & circa cultum ejus ritus, Perſis ipſis adſcribantur. Ceterum de Mithra, ejuſque cultu, praeter ſcriptores generales de Diis, & *Th. Hyde* opus ſupra laudatum, legi poteſt *Petr. Crinitus de honeſta diſciplina, lib.* VI. *cap.* 6. *Fort. Liceti Reſponſ. de quaeſ. per Epiſt.* in *Roberti Miſcell. Tom.* II. *pag.* 194. *ſeqq. Memoriae Trevoltin.* 1724. *Febr. Art.* 13. *Martini* opus, Gallica lingua ſcriptum, *de religione Gallorum, Tom.* I. *lib.* 2. *cap.* 32. *ſeqq. Ph. a Turre Monumenta veteris Antii, Part.* II. *Montfauconii Antiq. ill.* T. I. P. II. *lib.* 4. *cap.* 3. *ſeqq.* & T. II. P. I. *lib.* I. *cap.* 4. & *Suppl.* T. I. *lib.* 6. *cap.* 4. TR.

(*b*) MANEM] Non ibi ſermo eſt de Mane; ſed de Terebintho, qui ſe Budam nominavit. TR.

(*c*) EPIST.] Eſt in *vet. edd. Epiſt.* VII. in *non Benedict. Epiſt.* LVII. *pag.* 590. *Tom.* IV. *Part.* II. Verba, ut in *nov. ed.* reperiuntur, ſunt: *Ante paucos annos propinquus veſter Gracchus, nobilitatem patriciam nomine ſonans, quum praefecturam gereret urbanam, nonne ſpecum Mithrae, & omnia portentoſa ſimulacra, quibus Corax, Nymphus, Miles, Leo, Perſes, Heliodromus pariter initiantur, ſubvertit, fregit, excuſſit.* TR.

X. In iſtis vero Mithrae initiis myſteriiſque, Militi, qui initiabatur, Coronam, interpoſito gladio, oblatam, quam capiti ſuo accommodaret: Diabolum inſuper ipſas res ſacramentorum divinorum aemulatum, Tinxiſſe, Signaſſe in frontibus, celebraſſe Panis oblationem, imaginem reſurrectionis induxiſſe, TERTULLIANUS eo, quem modo laudavi, libro auctor eſt (a). Idem *libr. de Praeſcription. adverſus haeretic. cap.* 40. de Diabolo: *Tinguit & ipſe quoſdam utique credentes & fideles ſuos, expiationem (b) delictorum de lavacro repromittit, & ſic adhuc initiat Mithrae, ſignat illic in frontibus milites ſuos. Celebrat & panis oblationem, & imaginem reſurrectionis inducit, & ſub gladio redimit coronam.* Quinetiam variis cruciatibus corporis probari ſolitos eos, qui Mithrae initiabantur, indicat GREGORIUS NAZIANZENUS *adverſus Julian. Imper. Invectiva* I. ſive *Orat.* III. *pag.* 89. de Marco Arethuſio martyrium paſſo, loquens, Εἵλκετο, ait, διὰ πλατειῶν, εἵλκετο καθ' ὑπονόμων, τῶν τριχῶν εἵλκετο, οὐκ ἔστιν ὅτι μὴ μέρος τοῦ (c) σώματος, μεγαλοπρεπὴς τῇ αἰκίᾳ τῆς ὕβρεως, παρὰ τῶν ἀξίως ἐν Μίθρου τιμῶν κολαζομένων *Raptabatur per plateas, protrudebatur per cloacas, crinibus, & quavis alia corporis parte (admixta nempe tormento contumelia) ab iis trahebatur, qui in Mithrae ſacris hujuſmodi ſuppliciis juſte cruciantur.* Idem *Orat.* εἰς τὰ ἅγια φῶτα, *in ſancta lumina*, ſive *Orat.* XXXIX. *pag.* 626. Οὐ δὲ Μίθρου κολάσεις ἔνδικοι, τῶν τὰ μυεῖσθαι τὰ τοιαῦτα ἀνεχομένων. *Nec Mithrae juſtum adverſus eos ſupplicium, qui ejuſmodi ſacris initiari ſuſtinent.* Ad quem locum NICETAS in *Scholiis, pag.* 1018. eos, qui Mithrae ſacris imbuendi erant, per duodecim ſuppliciorum genera deductos, nempe per famem, per ignem, per frigus, per verbera, alioſque hujus generis cruciatus, notat. NONNUS etiam in ſuis ad *Gregor. Nazianzen. notis, pag.* 501. Mithrae hoſtias a Perſis caeſas, ſacraque in ejus honorem facta ait, additque, ejus Dei myſteriis non potuiſſe initiari quenquam, niſi prius per quoſdam ſuppliciorum gradus tranſiiſſet. Fuiſſe tormentorum gradus LXXX. partim remiſſiores, partem intentiores. Primum enim levioribus ſuppliciis, deinde gravioribus adfici. Igni quoque & aqua, aliiſque variis ſuppliciorum generibus excruciabantur: ac demum poſt decurſa omnia ejuſmodi tormenta, exantlatoſque cruciatus, ſacris imbutos fuiſſe. Rurſuſque alio loco, *pag.* 510. *ſeq.* ad Mithrae ſacra admiſſum neminem, niſi qui prius omnia tormentorum genera patienter pertuliſſet, pietatiſque ſuae, & fortitudinis animi, in perferendis ac tolerandis doloribus, ſpecimen edidiſſet. Fuiſſe autem LXXX. cruciatuum genera, quorum gradatim ac ſtatuto ordine perpetiendorum ei, qui initiandus erat, neceſſitas imponebatur. Verbi gratia, primum ei diebus multis fodienda foſſa, aperiundaque erat aqua: deinde in ignem conjicere ſeſe, poſtea in ſolitudine morari, cibo omni per aliquot dies abſtinere, neceſſe habebat: atque ita ad alia progredi, quouſque LXXX. illis ſupliciorum generibus defunctus eſſet. Quibus perdurans, ſi ſalvus ſuperſteſque evaſiſſet, tum demum ſacris Mithriacis initiabatur. TERTULLIANUS *adverſus Marcionem libr.* I. *cap.* XIII. *Sicut aridae & ardentis naturae ſacramenta, leones, Mithrae philoſophantur.*

XI. Praeterea Perſae, auctore Zoroaſtre, OROMAZUM, vel, ut aliis placet, (d) OROMAGDAM; nec non & inter laeva numina, ARIMANEM, ceu Veiovem, aut Averruncum Deum, colebant, ut PLUTARCHUS in *libr. de Iſide & Oſiride, pag.* 369. LAERTIUS in *Prooemio, ſegm.* 8. & AGATHIAS *libr.* II. *pag.* 45. (62.) docent. PLUTARCHUS in *Alexandro, pag.* 682. Τὸ σὸν ἱερὸν φῶς, ὃ πάλιν (e) ἀναλάμψαι λαμπρὸν ὁ Κύριος Ὠρομάσδης, *tuum videre ſplendorem, quem coruſcum reddet dominus Oromazdes.* Arimanem autem HESYCHIUS Ditem patrem, ſeu Plutonem facit: ſic enim explicat: Ἀρειμάνιος, ὁ Ἅιδης, παρὰ Πέρσαις. Xerxes plane, laetitia ob Themiſtoclis adventum exultans, ab Arimane precatus dicitur, ut hoſtibus ſuis eandem ſemper mentem, viros praeſtantes & fortes patria pellendi, injiceret, quemadmodum PLUTARCHUS in *Themiſtocle pag.* 126. ſcriptum reliquit.

XII. Atque hi erant *Patrii Perſarum Dii*: per quos milites ſuos Darius obteſtatur, apud CURTIUM *libr.* IV. *cap.* IV. §. 24. per quos Tyriotes dicta ſua firmat, apud eundem *libr.* IV. *cap.* 10. §. 33. quos & ibidem *libr.* IV. *cap.* 10. §. 34. Darius manus ad coelum tendens precatur: quos & Beſſus fidei ſuae teſtes apud eundem *libr.* V. *cap.* 12. §. 3. invocat: quibus denique ſacrificium rite factum, *libr.* VII. *cap.* 4. §. I. narrat. Hos etiam θεοὺς πατρῴους, in precationibus invocatos apud XENOPHONTEM aliquoties legimus. Sed & Hiſtiaeus apud HERODOTUM *libr.* V. *cap.* 106. jurat in hunc modum: Θεοὺς ἐπόμνυμι τοὺς βασιληΐους. *Deos juro regios.* HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 65. Καὶ δὴ ὑμῖν τάδε ἐπισκήπτω, θεοὺς βασιλήιους

(a) EST] Verba ſunt: *Erubeſcite, commilitones ejus, jam non ab ipſo judicandi, ſed ab aliquo Mithrae milite. Qui cum initiatur in ſpelaeo, in caſtris vere tenebrarum, coronam interpoſito gladio ſibi oblatam, quaſi mimum martyrii, deinde capiti ſuo accommodatam, monetur obvia manu a capite pellere, & in humerum, ſi forte, transferre, dicens, Mithram eſſe coronam ſuam. Atque exinde nunquam coronatur, idque in ſignum habet ad probationem ſui, ſicubi tentatus fuerit de ſacramento, ſtatimque creditur Mithrae miles, ſi dejecerit coronam, ſi eam in Deo ſuo eſſe dixerit. Agnoſcimus ingenia Diaboli, idcirco quaedam de divinis adfectantis, ut nos de ſuorum fide confundat & judicet.* TR.

b) EXPIATIONEM] Rigaltius ex *Cod. Agobardi* reponit: *expoſitionem*, quod pro depoſitione poſitum putat. Mihi tamen vulgata lectio magis arridet. Sequens comma ita legitur in *ed. Pariſ. & ſi adhuc memini, Mithra ſignat* &c. Ceterum quod de panis oblatione ſequitur, illuſtrat locus notabilis JUSTINI MARTYRIS *Apolog.* II. *pag.* 98. ubi, poſtquam de euchariſtia egit, addit: ὅπερ καὶ ἐν τοῖς τοῦ Μίθρου μυστηρίοις παρέδωκαν γίνεσθαι μιμησάμενοι οἱ πονηροὶ δαίμονες· ὅτι γὰρ ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος τίθεται ἐν ταῖς τοῦ μυουμένου τελεταῖς μετ' ἐπιλόγων τινῶν, ἢ ἐπίστασθε, ἢ μαθεῖν δύνασθε. *Quod quidem etiam in myſteriis & initiis Mithrae fieri docuerunt per imitationem pravi Daemones. Quod namque Panis & Poculum aquae in ſacrificiis, ſive re divina ejus, qui initiatur, ponatur, verbis quibuſdam additis, aut certe ſcitis, aut cognoſcere poteſtis.* TR.

(c) Poſt τοῦ σώματος, e praecedenti membro ſubaudiendum verbum εἵλκετο, i. *nulla non corporis parte trahebatur.* S.

(d) Rectius OROMASDAM, ut infra [LVII.] p. 181. & alibi. S. Ζεὺς καὶ Ὠρομάσδης vocatur etiam apud Laertium l. c. Apud Agathiam vero l. c. vocatur Ὠρομάσδης. Hic erat auctor omnium bonorum; ſicut alter omnium malorum. Utrum vero haec duo Principia coaeterna exiſtimaverint Perſae, adhuc diſputatur. Legi meretur, praeter *Th. Hyde* Opus laudatum, *Jo. Chriſtoph. Wolfii Manichaeiſmus ante Manichaeum.* TR.

(e) Ἀναλάμψαι eſt etiam in Flor. ed 286. h. ut ſit bene ominantis. alioqui & optative legi poſſit ἀναλάμψειε, ſeu ἀναλάμψειεν. S.

λιῶν ἱστεκλίων. *Haec vobis impero, deos regios obteſtans.* Darium quoque PLUTARCHUS *libr.* II. *de Fortuna Alexandr pag.* 338. ita precantem facit: Ζεῦ πατρῷε Περσῶν, καὶ βασίλειοι θεοί. *Jupiter patrie Perſarum, Diique regii.* Quam Darii precationem CURTIUS *libr.* IV. *cap.* 10. §. 34. ita concipit: *Dii Patrii, primum mihi ſtabilite regnum: deinde, ſi de me jam tranſactum eſt, precor, ne quis potius Aſiae Rex ſit, quam iſte tam juſtus hoſtis.* Sic & βασιλείους θεοὺς, *regios Deos*, accipe apud DIONEM CHRYSOST. περὶ ἀπιστίας, *de incredulitate, pag.* 640. Artabanus, Parthorum Rex, apud JOSEPHUM *libr.* XVIII. *Antiq. Judaic. cap. ult.* τοὺς τε πατρῴους θεοὺς ἐπιμαρτυρόμενος, *patrios Deos teſtabatur.* Quae cum ita ſe habeant, quaero quid ſibi velit STRABO *libr.* XV. *pag.* 1057. (727.) qui de Carmanis agens, Perſis Unicum Deum Martem ita adſignat: Ὄνῳ τε θύουσι τῷ Ἄρει, ὃν Πέρσαι σέβονται θεῶν μόνον. *Aſinum Marti ſacrificant, quem ſolum Perſae ex omnibus diis colunt.* (*a*) Liceat in re obſcura conjectura uti. Equidem aut verbum Πέρσαι ut ſubdititium rejiciendum delendumque eſt: aut, quod magis eſt, ſcripſerat STRABO, ὅνπερ σέβονται: quae, dictante forte aliquo, cum oſcitans librarius excepiſſet, facili lapſu, duas ſeparatas ſyllabas in unum contraxit; & a prioris vocabuli extremo, πε, a ſequenti, ρσ, mutuatus, inde conflavit vocem Πέρσαι: quam alienam eſſe, propoſitoque minime congruere: nemo eſt qui non videat. Abſurde certe Carmanorum religioni Perſicam, quae ſuo loco ſeparatim ab eo tractatur, intermiſceri palam eſt: nec aliud in animo, aut in ore habuit Strabo, quam Carmanos Marti, quem unum Deum eſſe credunt, Aſino facere. Quod ſi Perſis tribueret, pugnantia cum iis, quae eo ipſo libro poſtea tradit, loqueretur.

XIII. Lunam quoque & Venerem, Perſas divinorum numinum loco & numero habuiſſe, perſpicue STRABO *libr.* XV. *pag.* 1064. (732.) ſcribit (*b*).

XIV. Nec vero clariſſima ſolum illa mundi lumina, coelo fixa, verum etiam ipſum terris conceptum, terreſtremque noſtrum ignem, qui, ut SERVIUS in VI. *Aeneid.* v. 747. loquitur, *conſtat de ligno & aëre*, ſumma obſervantia ac veneratione colebant, quemadmodum STRABO *libr.* XV. *l. c.* docet. MAXIMUS TYRIUS *Serm.* XXXVIII. (VIII. *cap.* 4. *pag.* 83.) τὸ δὲ βαρβαρικὸν, ὁμοίως ἅπαντες μὲν ξυνιᾶσι τὸ θεῖον, κατεστήσαντο δὲ αὑτοῖς σημεῖα ἄλλοι ἄλλα· Πέρσαι μὲν Πῦρ ἄγαλμα ἐφήμερον, ἀδηφάγον, καὶ ἀκόρεστον. *Inter barbaros vero, qui Deum non agnoſcat, nemo eſt: alia tamen illi atque alia ſigna inſcripſere. Ignem Perſae, quotidianum hoc elementum, rem voracem, atque inſatiabilem.* THEODORITUS *libr.* V. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* XXXVIII. de Perſis: Θεὸν γὰρ τὸ Πῦρ ὑπειλήφασι. *Ignem Deum putant.* EVAGRIUS *libr.* V. *Eccleſiaſt. Hiſtor. cap.* XIV. Perſarum Regis Choſrois ſupellectilem a Curte Scytha captam memorans, (*c*) πᾶσαν, ait, τὰ βασίλεια κειμήλια, τάτε ἀχθοφόρα τῶν ζώων, σὺν καὶ αὐτοῖς φορτίοις φέρων· (*d*) ἐν οἷς καὶ τὸ Χοσρόου σεβαστὸν πῦρ, ὃ θεὸς ἀνεθείμιζε. *Omnem regiam ſupellectilem, jumenta cum ſarcinis, inter quas ignis fuit, quem pro deo coluit Choſroes, abducit.* EUSTATHIUS in *Dionyſ. de ſitu orb.* v. 1056. *pag.* 279. de Perſis: τιμῶσι τὸ Πῦρ, *venerantur ignem.* ISIDORUS *libr.* XIV. *Origin. cap.* III. *In Perſia primum orta eſt ars Magica: ad quam Nemroth gigas, poſt confuſionem linguarum, abiit: ibique Perſas ignem colere docuit. Nam omnes in illis partibus Solem colunt, qui ipſorum lingua* EL *dicitur.* Unde & Samaritanos, quod a Perſis originem ducerent. *Ignem, more Perſarum, coluiſſe*, D. AMBROSIUS in *Comment. Epiſtolae* I. *ad Corinth. cap.* IX. v. 21. ſcribit. CLEMENS ALEXANDRINUS in *Protreptico, cap.* 5. *pag.* 56. (43.) Περσῶν δὲ οἱ Μάγοι τὸ Πῦρ τετιμήκασι, καὶ τῶν τὴν Ἀσίαν κατοικούντων πολλοί. *Perſarum autem Magi ignem coluerunt, & multi ex iis, qui Aſiam incolant.* (*e*) Et paulo poſt: Πρὸς δὲ καὶ Μακεδόνες, ὥς φησι Διογένης ἐν πρώτῳ Περσικῶν. τί μοι Σαυρομάτας καταλέγειν; οὓς Νυμφόδωρος ἐν Νομίμοις βαρβαρικοῖς τὸ Πῦρ σέβειν ἱστορεῖ· ἢ τοὺς Πέρσας, καὶ τοὺς Μήδους, καὶ τοὺς Μάγους; θύειν ἐν ὑπαίθρῳ τούτους ὁ Δίνων λέγει, θεῶν ἀγάλματα μόνα τὸ Πῦρ καὶ Ὕδωρ, νομίζοντας. *Quin etiam Macedones, ut ait Diogenes in primo Perſicorum. Ne Sauromatas recenſeam, quos refert Nymphodorus, in libro de Inſtitutis Barbaricis, ignem colere, aut Perſas, & Medos & Magos. Hos autem dicit Dinon ſacrificare ſub dio, ſola deorum ſimulacra ignem & aquam eſſe putantes.*

XV. Atque ut Romani Janum in ſacris praefabantur, ita Perſis *Ignis* in ſacrificando princeps erat, eique primo ſupplicabatur: atque adeo cuicumque Deo rem divinam facerent, *Ignem* primum invocaſſe, eique precationes feciſſe, STRABO ſignificat *libr.* XV. *pag.* 1066. (733.) cum ait: ὅτῳ δ' ἂν θύωσι θεῷ, πρώτῳ τῷ πυρὶ εὔχονται. *Cuicumque Deo ſacrificent, primum igni precationes faciunt.* Apud Perſas etiam, ut PLUTARCHUS in *libr. de primo Frigido pag.* 950. tradit, τῶν ἱκετευμάτων μέγιστον ἦν καὶ ἀπαραίτητον, εἰ Πῦρ λαβὼν ὁ ἱκετεύων, καὶ ἐν ποταμῷ βεβηκὼς ἀπειλοίη, μὴ τυχὼν τὸ Πῦρ ἐς τὸ ὕδωρ ἀφήσειν. ἐτύγχανε μὲν γὰρ ὧν ἐδεῖτο, τυχὼν δὲ ἐκολάζετο, διὰ τὴν ἀπειλὴν, ὡς παράνομον καὶ τῆς φύσεως ὑβριστικήν, *ſupplicandi genus erat acerrimum & repulſae ſecurum, ſi ſupplex cum igne in fluvium deſcendens, minaretur, ignem ſe in eum abjecturum, niſi impetraret, quod petebat. Fiebat enim compos voti, ſed puniebatur propter comminationem, utpote injuſtam & naturae contrariam.*

XVI. Ignis autem, divinis illis honoribus a Perſis cultus, perpetuo focis accenſus, ſic ut numquam deficeret, adſervabatur: eumque Regibus praeferri ſolitum, ac demum illis vita functis extinctum (*f*), ſupra docuimus. Unde Perſicus

(*a*) Doctiſſimus Cornelius Bertramus, indice Caſaubono in notis ad Strab. libr. XV. p. 727. ingenioſa conjectura ita loco corrupto medetur: ὅνπερ καὶ σέβονται θεῶν μόνον, *quem etiam ex diis ſolum colunt.* L. Quamvis enim quidam, in quibus & *Th. Hyde*, putent, lectionem vulgatam poſſe defendi, ſi de quibuſdam Perſis intelligatur: ipſa tamen loci connexio repugnat, faveque laudatae emendationi. TR.

(*b*) SCRIBIT] Confer, quae de Veneris cultu infra ſcribit auctor §. XXIX. TR.

(*c*) Locus ex Euagrio citatus, in edit. Col. Allobr. 1612. ab initio paulo aliter habet. L.

(*d*) Poteſt etiam ſic diſtingui, ἐν οἷς καὶ τὸ Χοσρόου σεβαστὸν πῦρ, ὁ θεὸς, ἀνεθείμιζε, ut infra pag. 166. [§. XX.] Cedrenus refert ignem apud Perſas, ex inſtituto Perſei, magna veneratione coli ſolitum; velut Deum e coelo delatum. S.

(*e*) Atqui verba haec ſequentia cum prioribus in edit. Clem. immediate cohaerent. L.

(*f*) EXTINCTUM] Ex hoc ritu Cl. *Weſſeling.* in *notis* ad *Diodorum Siculum lib.* XVII. *cap.* 114. *pag.* 250. colligit, Perſas ignem non Deum ipſum exiſtimaſſe, ſed Divinae tantum majeſtatis ſymbolum. Recte, ſi hoc intelligit de prudentioribus, & de igne illo terreſtri, qui in focis adſervabatur. Perſas enim ipſum ignem elementarem, & Solem, pro Deo non habuiſſe, ex hoc fateri the

ſicus ille ſacer Ignis, *Aeternus* a CURTIO appellatur *lib.* IV. *cap.* 14. §. 24. Illic enim Darius milites ſuos ad praelium ſtrenue ineundum cohortatus, ad extremum eos per *patrios Deos, aeternumque Ignem, qui praefertur altaribus*, obteſtatur. Eademque ratione ἀσβεστον Πῦρ, a STRABONE *libr.* XV. appellatur, & a SOCRATE διηνεκῶς καιόμενον Πῦρ. Apud eum namque *libr.* VII. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* VIII. de Rege Perſarum ſcribitur: εἰώθει δὲ ὁ βασιλεὺς ἐν οἰκήματι τινὶ διηνεκῶς καιόμενον Πῦρ προσκυνεῖν. *Rex ignem perpetuo ardentem in aede quadam adorare ſolebat.* Hoc illud eſt, τὸ παρὰ Πέρσαις ἱερὸν Πῦρ καλούμενον, *Ignis, qui ſacer a Perſis vocatur*, apud DIODORUM SICULUM *libr.* XVII. *cap.* 114. *pag.* 250. (*St.* 623. *Rh.* 580.) CLAUDIANUS *libr.* I. *de laudibus Stilichonis*, *v.* 59. *penetralibus Ignem Sacratum rapuere adytis.*

XVII. Sacro autem huic & aeterno Igni dicata Sacraria quaedam Perſas habuiſſe conſtat: quae Πυρεῖα & Πυραιθεῖα a Graecis auctoribus nuncupantur: quorum cuſtodia Magorum fidei, curae, ac vigilantiae credebatur. STRABO *libr.* XV. *pag.* 1066. (733.) Ἔστι δὲ καὶ Πυραιθεῖα (*a*) σηκοί τινες ἀξιόλογοι, ἐν δὲ τούτοις μέσοις βωμός, ἐν ᾧ πολλή τε σποδός, καὶ Πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ Μάγοι· καὶ καθ' ἡμέραν δὲ εἰσιόντες, ἐπᾴδουσιν ὥραν σχεδόν τι, πρὸ τοῦ πυρός, τὴν δέσμην τῶν ῥάβδων ἔχοντες. *Sunt & Pyrathea, ſepta quaedam ingentia, in quorum media ara eſt. In eo Magi & cinerem multum, & ignem perennem ſervant, & eo quotidie ingreſſi, imprecationes faciunt, per horam, ante ignem virgarum faſciculum tenentes.* Ad quem utique ritum, pertinent *Phoenicis Colophonii* de Nino Rege verſus, qui ab ATHENAEO *libr.* XII. *cap.* VII. *pag.* 530. citantur:

Οὐ παρὰ Μάγοισι Πῦρ ἱερὸν ἀνῆψεν,
Ὥσπερ νόμος, ῥάβδοισι τοῦ θεοῦ ψαύων.

Ignem apud Magos ſacrum non excitavit,
Ut lege ſtatutum eſt, Deum nec virgis attigit.

THEODORITUS *libr.* V. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* XXXVIII. Πυρεῖα δὲ καλοῦσιν οἰκίσκους, τοῦ πυρὸς τοὺς οἴκους. *Templa, in quibus ignis ſervatur, ipſi Pyrea vocant.* SUIDAS Πυρεῖον interpretatur θυμιατήριον: & haec ex vetuſto quodam auctore, de Imperatore Heraclio, verba citat: Ὁ δὲ Ἡράκλειος τάς τε πόλεις καθῄρει, καὶ τὰ Πυρεῖα διέφθειρε τῶν Περσῶν. *Heraclius vero & urbes demolitus eſt, & Pyrea Perſarum evertit.* Quod Heraclii factum celebrat JO. TZETZES, *Hiſtor. verſ. Chil.* III. *cap.* LXVI. *v.* 48. in hunc modum:

Καὶ Πῦρ Περσῶν κατέσβεσεν, ὅπερ εἰς σέβας εἶχον·
Ἐκ κεραυνοῦ μὲν ἀναφθὲν τοῦ Περσέως πάλαι,
Λυχνοκαίαις δὲ πυρσοῖς τοῖς ἀεὶ διαδόχοις,
Καὶ συνεχέσι δὲ πυραῖς, μεγάλαις, λαβροτάταις,
Ἐπιμελῶς τηρούμενον μέχρι τοῦ τότε χρόνου,
Ὑφ' Ἡρακλείου δὲ σβεσθὲν μέγα πένθος Περσίδι.

Atque ignem Perſarum extinxit, quem in veneratione habebant:
Ex fulmine quidem accenſum a Perſeo olim,
Luminaria accenſa, facibus ſemper ſuccedentibus,
Et continuis pyris, magnis, vehementiſſimis,
Studioſe ſervatum uſque tunc temporis,
Ab Heracleo autem extinctum, magnum luctum Perſidi.

Nec hoc quoque tacuit ZONARAS, in Heraclio. Nam *Annalium Tom.* II. *lib.* XIV. *pag.* 14. Ἡράκλειος δὲ, ait, καὶ εἰς τὴν ἐσωτέραν Περσίδα εἰσέβαλε, καὶ τάς τε πόλεις καθῄρει, καὶ τὰ τεμένη σὺν τῷ Πυρὶ αὐτῶν τῷ τιμωμένῳ παρ' αὐτοῖς, συνδιέφθειρε. *Heraclius vero etiam in Perſiam interiorem penetravit, urbes evertit, templa una cum Igni, qui ab ipſis colitur, delevit.*

XVIII. Πυρεῖον vero HESYCHIUS interpretatur, ἀγγεῖον κεραμεοῦν εἰς πυρὸς ἔνθεσιν, *vas figulinum, in quo ignis reconditur.* At ignem, qui procedenti Cyro praeferebatur, foculis geſtatum XENOPHON *libro* VIII. παιδ. *pag.* 215. tradit, καὶ Πῦρ, inquiens, ὄπισθεν αὐτοῦ ἐπ' ἐσχάρας μεγάλης ἄνδρες εἵποντο φέροντες. *Et poſt eum viri ſequebantur, qui magno in foco ignem geſtabant.*

XIX. Deſcendiſſe autem ad noviſſima uſque Perſarum tempora eandem ignis venerationem, teſtis eſt AGATHIAS, qui *libr.* II. *pag.* 45. (63.) Ignem ſanctiſſimum habitum apud Perſas ſcribit: eumque perpetuum ſervatum a Magis, qui exactiſſimam diligentiam ei cuſtodiendo adhibebant, iidemque arcana peragebant ſacra. Aedieulis vero adſervatum, ibidem, Socrati congruenter ſcribit (*b*).

XX. Enimvero hujus, quo de agimus, cultus ignis originem, ab eodem, quo & Tzetzes capite, GEORGIUS CEDRENUS *pag.* 21. (23.) arceſſit: de Perſeo enim verba faciens, ἐπεὶ, ait, ηὔξατο, ἄφνω κεραυνὸς, ὡς σφαῖρα πυρὸς, οὐρανόθεν κατηνέχθη. *Ut precatus eſt, fulmen veluti globus ignis ſubito delatum eſt.* Et mox: Καὶ γοῦν τοῦ Πυρὸς ἐκείνου πῦρ ἀνάψας ὁ Περσεὺς, εἶχε μεθ' ἑαυτοῦ βαστάζων, εἰς τε τὰ ἴδια βασίλεια ἀγαγὼν, καὶ ἱερὸν τοῦ Πυρὸς κατασκευάσας, καὶ ἱερεῖς εὐλαβεῖς ἄνδρας ἐπιστησάμενος. ὁμοίως μὲν καὶ ἐν Ἰωπόλει, καὶ ἐν πάσῃ τῇ ὑπ' αὐτὰ γῇ· καὶ ὡς ἐξ οὐρανοῦ κατενεχθέντα θεὸν σέβεσθαι τὸ Πῦρ ἐκεῖνο θεσπίσας, ἐδίδαξε πυρολατρεῖν, μάγους (*c*) Μοθὰς τοῦ Πυρὸς ἱερεῖς καλέσας. *Ex eo igitur igne Perſeus ignem accendit, ſecumque tulit, & in ſuam regiam apportans, aedem igni extruxit, ſacerdotioque pios viros praefecit. Idemque & Jopoli, & in tota ſua ditione inſtituit: mandatoque, ut de coelo delatus Deus Ignis coleretur, ignis colendi ritum docuit, Ignis ſacerdotibus Magis Motis vocatis.* Hinc AMMIA-

rim tuto colligi nequit: ſed haec quaeſtio manet altioris indaginis. Interim de Πυρολατρείᾳ Perſarum ſingularis Diſſ. Praeſide Jano Dons, Reſp. *Jo. Otton. Bang*, pr. *Hafn.* 1732. Plures ſcriptores de cultu Solis, Ignis, Aquae, apud varias gentes recenſet *Jo. Alb. Fabricius* in *Bibliogr. Antiq. cap.* 8. §. 12. *ſeq.* TR.

(*a*) Πυραιθεῖα] In *noviſſ. ed.* editum inveni Πυραιθεῖα. TR.

(*b*) SCRIBIT] Adſcribam & locum notabilem PROCOPII *lib.* II. *de bello Perſ. cap.* 24. *pag.* 322. (147.) Τὸ μέγα πυρεῖον ἐνταῦθά ἐστιν, ὃ σέβονται Πέρσαι θεῶν μάλιστα· οὗ δὴ τὸ πῦρ ἄσβεστον φυλάσσοντες Μάγοι, τά τε ἄλλα ἐς τὸ ἀκριβὲς ἐξοσιοῦνται, καὶ μαντείῳ ἐς τῶν πραγμάτων τὰ μέγιστα χρῶνται· τοῦτ' ἔστι τὸ πῦρ, ὅπερ Ἑστίαν ἐκάλουν τε καὶ ἐσέβοντο ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις Ῥωμαῖοι. *Magnum ibi Pyreum eſt, maximo Perſis prae Diis omnibus in honore: ubi ignem inexſtinctum foventes Magi, quum alia ſacra procurant ſtudioſe, tum in gravioris momenti rebus oraculum conſulunt. Hic ille ignis eſt, quem Romani Veſtam vocabant, ac ſuperiori memoria venerabantur.* TR.

(*c*) Unde hos Μοθὰς Briſſ. hauſerit, dicere non habeo. In editione enim Jo. Oporini vox haec non comparet. L. Ejus tamen loco in *noviſſ. edd.* legitur articulus τοὺς, ex cujus forte corruptione ortum fuit vocabulum illud ignotum. TR.

MIANUS MARCELL. *libr.* XXIII. *cap.* 6. de Magis; *Feruntque etiam, (ſi juſtum eſt credi) Ignem coelitus lapſum apud ſe ſempiternis foculis cuſtodiri: cujus portionem exiguam, ut fauſtam, praeiſſe quondam Aſiaticis Regibus dicunt.*

XXI. Uſque adeo autem *Ignem* coluiſſe Perſas, ut & eo nomine quaelibet πυρωπὰ venerarentur, EUSTATHIUS in ſuis *Dionyſ. de ſitu orbis commentariis ad v.* 1056. *pag.* 279. adnotat: Nam & ea de cauſa Pyropo, ceu flammas imitanti, honorem exhibuiſſe eos, STRABO *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) teſtatur, his verbis: Τὸ πυρωπὸν τιθεμένοις ἐν τιμῇ. διὸ οὐδὲ νεκρῷ προσφέρουσιν, καθάπερ οὐδὲ τὸ πῦρ κατὰ τιμήν. *Pyropum venerantibus, quare eum neque mortuo apponunt; quemadmodum nec ignem ob honorem, quem ei deferunt.*

XXII. Quin etiam Aquam, Perſae divini numinis inſtar colebant: eique, non ſecus atque Igni, divinos honores tribuebant, quemadmodum STRABO *libr.* XV. *pag.* 1065. (732.) & AGATHIAS *libr.* II. *pag.* 45. (63.) ſcribunt. SIDONIUS APOLLINARIS *Panegyr. Anthem. Aug. v.* 83. *Magis juratur ab illis Ignis & Unda, Deus.* Fluvios etiam Perſas coluiſſe, ARNOBIUS *libr.* VI. *pag.* 196. & CLEMENS ALEX. In προτρεπτικῷ (*pag.* 29.) tradunt: in tantum, ut nec lotio nec ſputo foedari & inquinari Flumina fas eſſet. Proinde in Flumine, ut HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 138. & STRABO *libr.* XV. *pag.* 1066. (733.) & AGATHIAS *l. c.* conſentiunt, neque lavabant, neque veſicam levabant, nec inſpuebant: nec cadaver aut alia, quae ſpurca, polluta, aut contaminata viderentur, in profluentem abjiciebant. Ac ne manus quidem, ut iidem teſtantur, vivo flumine Perſae abluebant. Verba HERODOTI, quibus haec, quae dixi, comprobantur, ſunt haec: ἐς ποταμὸν δὲ οὔτε ἐνουρέουσι, οὔτε ἐμπτύουσι· οὐ χεῖρας ἐναπονίζονται, οὐδὲ (*a*) ἄλλο τι οὐδὲν ποιεῦσι, ἀλλὰ σέβονται ποταμοὺς τῶν πάντων μάλιστα. *In flumen nec mejunt; nec inſpuunt, nec manus abluunt, nec ſimile quippiam faciunt, ſed flumina inter omnia religioſiſſime colunt.* STRABONIS vero *libr.* XV. verba ſunt haec; εἰς ποταμὸν οὔτ' οὐροῦσιν, οὔτε νίπτονται, οὐδὲ λοῦνται, οὐδὲ νεκρὸν ἐμβάλλουσιν, οὐδ' ἄλλο τῶν δοκούντων εἶναι (*b*) μιαρῶν. (ſic enim emendo.) *In fluvium Perſae non immejunt, nec lavant, nec abluuntur, nec cadaver injiciunt, nec alia, quae immunda eſſe videantur.*

XXIII. Ex hac apud Perſas recepta Fluminum veneratione fidem facile inveniet, quod a TACITO *libro* V. *Annalium cap.* 37. relatum extat, Tiridatem, cum Vitellii copiis ad ripam Euphratis conſiſtentem, *placando amni Equum adornaſſe, proſperi* nimirum *transgreſſus* cauſa, ut ibidem innuit, id eſt, ut felicibus auſpiciis flumen illud trajiceretur. Cujus rei gratia Vitellium quoque more Romano Suovetaurilibus feciſſe, Sacriſque peractis litatum egregie, ac ponte navibus effecto, exercitum tranſmiſſum narrat.

XXIV. Tellurem quoque Matrem, ut Deum, Perſae venerabantur: cui & hoſtias mactatas a Cyro, XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 216. refert.

XXV. In ſumma, Perſae, ut STRABO *libr.* XV. *pag.* 1064. (732.) ſcribit, colebant Ἥλιον, καὶ Σελήνην, καὶ Ἀφροδίτην, καὶ Πῦρ, καὶ Γῆν, καὶ Ἀνέμους, καὶ Ὕδωρ, *Solem, & Lunam, & Venerem, & Ignem, & Terram, & Ventos, & Aquam.* Quae ille HERODOTO duce & auſpice ſcripſit, apud quem *libr.* I. *cap.* 131. legere eſt: Θύουσι δὲ ἡλίῳ τε καὶ σελήνῃ, καὶ γῇ, καὶ πυρὶ, καὶ ὕδατι, καὶ ἀνέμοισι. τούτοισι μὲν δὴ μούνοισι θύουσι ἀρχῆθεν. *Soli Lunaeque ſacrificant, & Terrae, & Igni, Aquae atque Ventis. hisque ſolis ſacra faciunt jam inde ab initio.*

XXVI. Unde Solis Lunaeque defectus, qui Peloponeſiaci belli tempore contigerunt, ARISTOPHANI joci materiam in *Comoedia*, quae Εἰρήνη, *Pax*, inſcribitur, praebuerunt. Illic enim Trygaeus vinitor Mercurio, tanquam grande arcanum, aperit, Solem & Lunam, propitia Perſis, a quibus ſummopere colebantur, numina, conſilia in necem aliorum Deorum agitaſſe. Id enim agere ſidera illa, ut bello ſuperiores Perſae victoreſque diſcedant; eoque modo, ſubacta deletaque Graecia, ſibi ſolis cultores ſuppetant, ceteris numinibus deſint. Sed ipſummet Trygaeum, cum Mercurio ſermones caedentem, & ore floridi, doctrinaque florentis, noſtratia interpretis (*c*) (qui verſum verſu feliciter reddens, ipſius prope auctoris gloriam aequat) Latina verba fundentem in ſcenam producamus: (*v.* 405.)

TRYG. *Nam Luna jampridem, atque Sol nefarius*
Conſilia veſtrum moliuntur in caput,
Qui Graeciam omnem prodiderunt Barbaris.
MERC. *Quia nam iſta faciunt?* TR. *Quod ſolemus per Jovem*
Litare vobis ſubque placare; iis ſolent
Voluntque Barbari: inde jure poſtulant
Omnes ſemel nos funditus perbitere:
Quo, nempe, ſacra coelitum cedant ſibi.
MERC. *Ergo dierum hinc illa diminutio,*
Et prava detritae orbitae aurigatio.
TR. *Ita eſt, amice Mercuri.*

Ad quae verba (*v.* 409.) Interpres: οἱ βάρβαροι τὸν Ἥλιον καὶ τὴν Σελήνην τιμῶσιν, ὡς Ἡρόδοτος ἱστορεῖ. *Barbari, narrante Herodoto, Solem & Lunam colunt.* Et mox: Ἐπειδὴ δὲ οἱ βάρβαροι τόν τε Ἥλιον καὶ τὴν Σελήνην θεῶν (*d*) μᾶλλον πάντων σέβουσι· διὰ τοῦτο καὶ τὴν Δῆλον καὶ τὴν Ἔφεσον οὐ διελυμήναντο. ὁ μὲν γὰρ Ἥλιος, Ἀπόλλων ἐνομίζετο· ἡ δὲ Ἄρτεμις, Σελήνη. *Jure vero barbari & Solem & Lunam ceu Deos ex aliis omnibus rebus potius colunt: quapropter etiam nec Delum, nec Epheſum vaſtarunt, quod Apollo, Sol; Diana vero Luna eſſe putetur.*

XXVII. Enimvero, cum tranſmiſſo ab Alexandri exercitu Tigri, ingens ob Lunae defectionem

(*a*) Οὐδὲ] Pro ſequentibus hujus commatis verbis *Jac. Gronovius* ex *MS. Med.* reponit: ἄλλον οὐδένα περιορῶσι: quae ita in verſione reddit: *nec alium iſta facientem negligunt.* In ſequenti commate verba τῶν πάντων ejuſdem *Cod.* fide delet. TR.

(*b*) Poteſt etiam μιαρῷ ferri, ut habet Xylandri editio, pag. 848. atque adeo convenientius illud, quam Briſſonianum μιαρῶν: S. In *nov. ed.* legitur ῥυπαρῶν. Quomodocunque vero legas; ſenſus manet unus idemque. Ceterum de cultu fluminum legi meretur *Jo. Gottl. Boſſeck Diſſ.* 2. *Lipſ.* 1740. habitae. TR.

(*c*) INTERPRETIS] Intelligitur *Q. Septimius Florens Chriſtianus*, cujus verſio hujus Comoediae etiam in *Kuſteri* Ariſtophanis *ed.* legitur. Hujus filius eſt is, qui velut gratiam pro hoc patris elogio reddens, auctoris noſtri Operum editionem poſtumam Pariſienſem procuravit, ut in Praefatione monebitur. TR.

(*d*) Θεῶν] Melius in *nov. ed.* legitur Θεῶς. Locum ita verti: *tanquam omnium Deorum maximos colunt:* ſive: *maxime prae omnibus aliis Diis.* TR.

nem religio, & ex ea formido quaedam Macedonum animis incuſſa eſſet, Alexander, ut eſt apud CURTIUM *libr.* IV. *cap.* 10. §. 2. *ſeqq. Duces principeſque militum frequentes adeſſe Praetorio; Aegyptioſque vates, quos coeli ac ſiderum peritiſſimos eſſe credebat, quid ſentirent, expromere juſſit. At illi, qui ſatis ſcirent temporum orbes implere deſtinatas vices, Lunamque deficere, cum aut terram ſubiret, aut Sole premeretur, rationem quidem ipſis perceptam non edocuerunt vulgus: ceterum adfirmarunt*, SOLEM, GRAECORUM; LUNAM, ESSE PERSARUM: *quotiens illa deficeret, ruinam ſtragemque illis gentibus portendi: veteraque exempla recenſuerunt Perſidis Regum, quos averſis Diis pugnaſſe, Lunae oſtendiſſet defectio.* Similiterque Xerxe caſtra movente e Sardibus, eum Sol defeciſſet, defectu ejuſmodi territus Xerxes conſuluit Magos, quid oſtentum illud portenderet. οἱ δὲ, ut eſt apud HERODOTUM *libr.* VIII. *cap.* 37. ἔφρασαν, ὡς Ἕλλησι προδεικνύει ὁ θεὸς ἔκλειψιν τῶν πολίων· λέγοντες Ἥλιον εἶναι Ἑλλήνων προδέικτορα, σελήνην δὲ, σφέων. *Reſponderunt, Deum ſignificare Graecis civitatum defectum: quod dicerent, Solem, Graecorum; Lunam, Ipſorum eſſe praeſidem* (*a*). Denique DIOGENES LAERTIUS in *Prooemio* librorum *de vitis Philoſophorum*, *ſegm.* 6. Magos credidiſſe ait, Θεοὺς εἶναι, καὶ Πῦρ, καὶ Γῆν, καὶ Ὕδωρ, *Deos eſſe, & Ignem, & Terram, atque Aquam.*

XXVIII. Sed jam ad Perſicorum ſacrorum ritus accedamus. Perſae Divis ſuis neque templa, aut delubra, neque aras, (*b*) vel altaria ponebant: nullas etiam Deorum pictas fictaſve imagines, aut ſculpta ſigna, habebant: numina apud eos abſque ſimulacris colebantur. Quinimmo inſaniae arguebant eos, qui Deos ex hominibus ortos credentes, eos humana forma adſimilabant. Haec HERODOTUS ſuggerit, *libr.* I. *cap.* 131. his verbis: Ἀγάλματα μὲν, καὶ νηοὺς, καὶ βωμοὺς οὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένους ἱδρύεσθαι. ἀλλὰ καὶ τοῖσι ποιεῦσι μωρίην ἐπιφέρουσι· ὡς μὲν ἐμοὶ δοκέειν, ὅτι οὐκ ἀνθρωποφυέας ἐνόμισαν τοὺς θεοὺς, κατάπερ Ἕλληνες, εἶναι. *Neque ſtatuas, neque templa, neque aras extruere conſuetudo eſt: quinimmo haec facientibus inſaniae tribuere, ob id, ut mea fert opinio, quod non, quemadmodum Graeci, ſentiunt deos ex hominibus eſſe ortos* (*c*). STRABO *libr.* XV. *pag.* 1064. (732.) Πέρσαι τοίνυν ἀγάλματα μὲν καὶ βωμοὺς οὐχ ἱδρύονται. *Perſae nec ſtatuas, nec aras erigunt.*

XXIX. Magos quoque ſigna & ſimulacra Deorum damnaſſe improbaſſeque, DIOGENES LAERT. *Prooem. ſegm.* 6. docet, qui inter cetera eorum doctrinae capita, ait eos ξοάνων καταγνώσκειν. CLEMENS ALEXANDRINUS in *Protreptico*, *cap.* 5. *pag.* 57. (43.) de Magis tractans: Ἀγάλματα μὲν θεῶν οὐ ξύλα καὶ λίθους ὑπειλήφασιν, ὥσπερ Ἕλληνες· οὐδὲ μὴν ἴβιδας καὶ ἰχνεύμονας, καθάπερ Αἰγύπτιοι· ἀλλὰ Πῦρ τε, καὶ Ὕδωρ, ὡς φιλόσοφοι. μετὰ πολλὰς μέν τοι ὕστερον περιόδους ἐτῶν, ἀνθρωποειδῆ ἀγάλματα σέβειν αὐτοὺς, Βήρωσσος ἐν τρίτῃ Χαλδαϊκῶν παρίστησι, τοῦτο Ἀρταξέρξου τοῦ Δαρείου τοῦ Ὤχου εἰσηγησαμένου· ὃς πρῶτος τῆς Ἀφροδίτης Ταναΐδος τὸ ἄγαλμα ἀναστήσας ἐν Βαβυλῶνι, καὶ Σούσοις, καὶ Ἐκβατάνοις, Πέρσαις, καὶ Βάκτροις, καὶ Δαμασκῷ, καὶ Σάρδεσιν, ὑπέδειξε σέβειν. *Deorum quidem ſimulacra, ligna & lapides non exiſtimarunt, ut Graeci; nec ichneumonas & ibides, ut Aegyptii: ſed ignem & aquam, ut philoſophi. Poſt multorum tamen annorum ſeriem eos figuras hominum ad inſtar expreſſas coluiſſe, oſtendit Beroſus in tertio Chaldaicorum, cum hoc Artaxerxes, Darii filius, & Ochi nepos* (*d*) *introduxiſſet; qui cum primus Veneris Tanaidis ſtatuam erexiſſet Babylone, & Suſis, & Ecbatanis, Perſis, & Bactris, & Damaſco, & Sardibus eam oſtendit eſſe colendam.* Veneri ergo Tanaidi templum condidiſſe Artaxerxem ait. STRABO vero eam (*e*) Naitidem vocat *libr.* XV. *pag.* 1066. (733.) cum ait: Ταῦτα δὲ ἐν τοῖς τῆς Ναΐτιδος καὶ τοῦ Ὠμανοῦ ἱεροῖς νενόμισται. *Haec in Naitidis & Omani delubris fiunt.* At PLUTARCHUS in *Artaxerxe*, *pag.* 1025. Τῆς γὰρ, ait, Ἀρτέμιδος τῆς ἐν Ἐκβατάνοις, ἣν Ἀνῖτιν καλοῦσιν. *Dianae* (*f*) *enim, quae Ecbatanis colitur, & Anitis dicitur.* Quid autem ſint ξόανα, & unde dicta, aperit CLEMENS ALEXANDRINUS in προτρεπτικῷ, (*pag.* 29. *ſeq.*) his verbis: Καὶ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων οἱ ἔτι παλαιότεροι ξύλα ἱδρύοντο περιφανῆ, καὶ κίονας ἵστων ἐκ λίθων, ἃ δὴ καὶ ξόανα προσηγορεύετο, διὰ τὸ (*g*) ἀπεξέσθαι τῆς ὕλης. *Et ex aliis hominibus, qui erant adhuc antiquiores, ligna erigebant inſignia, & columnas ponebant ex lapidibus, quae etiam appellabantur* ξόανα, *eo quod* ἀπεξέσθαι, *eraderentur & expolirentur ex materia.*

XXX. Magis itaque auctoribus, Perſarum Regem templa Graeciae inflammaſſe, CICERO *libr.* II. *de Legib. cap.* 10. ait: *quod parietibus includerent Deos, quibus omnia deberent eſſe patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis Templum eſſet & domus.* ASCONIUS in *libr.* I. *Accuſat. in Verr. cap.* 18. *pag.* 82. Perſas merito Diis hominibuſque inviſos a Cicerone dici notat: *quia non ſolum hoſtes erant, utpote Barbari, verum etiam, more gentis ſuae, nulla Diis in terris templa condenda eſſe credebant, praeſertim cum uni Soli, quem venerarentur, vix mundus ipſe ſufficeret.* Illud vero Perſarum inſtitutum reprehendens CICERO, illo de Legibus libro, *Melius*, inquit, *Graeci, atque noſtri: qui ut augerent pieta-*

(*a*) PRAESIDEM] Utrum hoc pro re nata tunc ita finxerint Magi, ut cenſet *Th. Hyde*: an vero arcanam aliquam ita reſpondendi rationem habuerint, altioris indaginis quaeſtio eſt. TR.

(*b*) ARAS] De ara quidem loquitur AESCHYLUS in *Perſ.* v. 201. Sed poëtam ſecundum Graecorum morem locutum fuiſſe putat *Th. Stanlejus* in *notis*, *pag.* 762. TR.

(*c*) ORTOS] *Deos humanae formae eſſe*, interpretantur *Th. Stanlejus* & *Jac. Gronovius*. TR.

(*d*) NEPOS] *Ochi pater* redditur in *ed. nov. Anglicana*. Poteſt fortaſſis melius ita explicari locus: *Darii filius, ejus, qui Ochus vocatus fuit*, ſcilicet ante regnum adeptum, juxta CTESIAM *cap.* 47. TR.

(*e*) Rectius *Anaitidem*: itemque mox Ἀναΐτιδος, ut recte Xylandri editio habet tribus in locis apud eundem Strabonem. eſt enim ἡ Ἀναῖτις, ſeu ἡ Ἀναῖτις θεὰ, eadem, quae & Anaea: ut apud eundem Strabonem initio *libr.* XVI. τὸ τῆς Ἀναίας ἱερόν. Eſt autem Ἀναία & mulieris nomen, & oppidi, cujus gentile Ἀναιεὺς & Ἀναίτης, teſte Stephano Byz. unde & paulo ante in Clementis noſtri loco pro Ταναΐδος procul dubio reponendum Ἀναΐτιδος. S. Ἀναΐτιδος etiam *h. l.* legitur in *ed.* noviſſima. TR.

(*f*) DIANAE] Artemidem Anaitidem non eſſe Dianam, ſed Venerem recte monuit *Th. Hyde*. Perſas Venerem ſub Anaitidis nomine coluiſſe, teſtatur etiam AGATHIAS *lib.* II. *pag.* 45. (62.) Unde neſcio quid ſibi velit HERODOTUS, dum *lib.* I. *cap.* 131. dicit, Perſas Venerem vocaſſe Μίτραν: niſi forſan tum inter Μίτραν & Μίθραν; tum inter tempora ante & poſt Artaxerxem Mnemonem ſit diſtinguendum. Sed videant alii. Legi interim poſſunt *Jac. Gronovii notae* ad *l. c. pag.* 836. *ſeq.* TR.

(*g*) Rectius ἀποξέεσθαι, vel praeterito tempore ἀπεξέσθαι: ut delubra quoque a delibratione nonnullis dicta videntur. S. In *ed.* quae *Pariſ.* 1641. ex recenſione *Fr. Sylburgii* & *Dan. Heinſii* prodiit, legitur ἀπεξέσθαι. TR.

Digitized by Google

tatem in Deos, eaſdem illos, quas nos urbes, incolere voluerunt. Adſert enim haec opinio religionem utilem civitatibus. Quamquam per aliquot, ab urbe condita annorum ſpatium, Romae Perſico more (a) cultos Deos, D. AUGUSTINUS *libr.* IV. *de Civitate Dei*, *cap.* XXXI. ex *Varrone* docet, in hunc modum: *Dicit etiam*, de Varrone verba facit, *antiquos Romanos, pluſquam annos centum & ſeptuaginta Deos ſine ſimulacro coluiſſe.* QUOD SI ADHUC, *inquit*, MANSISSET, CASTIUS DII OBSERVARENTUR. *Cujus ſententiae ſuae teſtem adhibet inter cetera etiam gentem Judaeam: nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat:* QUI PRIMI SIMULACRA DEORUM POPULIS POSUERUNT, EOS CIVITATIBUS SUIS ET METUM DEMPSISSE, ET ERROREM ADDIDISSE: *prudenter exiſtimans, Deos facile poſſe in ſimulacrorum ſoliditate contemni. Quod vero non ait*, ERROREM *tradiderunt, ſed* ADDIDERUNT, *jam utique fuiſſe etiam ſine ſimulacris intelligi vult errorem.* Idem D. AUGUSTINUS *libr.* IV. *de Civitate Dei*, *cap.* X. Senecam in eo libro, quem contra ſuperſtitiones condiderat, cum de ſimulacris ageret, talia ſcripſiſſe ait: *Sacros, immortales, inviolabileſque deos (b) in materia viliſſima atque immobili dedicant, habitus illis hominum, ferarumque & piſcium, quidam vero mixto ſexu diverſis corporibus induunt: Numina vocant, quae ſi ſpiritu accepto ſubito occurrerent, monſtra haberentur.*

XXXI. Verum ut ex diverticulo in viam, id eſt, a Quiritibus ad Perſas redeamus: omnia Graecorum fana ſubvertiſſe ſpoliaſſeque Perſas, poſt DIODORUM SICULUM *libr.* V. *cap.* 63. *pag.* 380. (*St.* 230. *Rh.* 332.) D. HIERONYMUS in *Eſaiae cap.* XXXVII. *v.* 19. auctor eſt. Incendio vero abſumptas, illis faces admoventibus, aedes ſacras fuiſſe conſtat: quem caſum deplorans (c) AESCHYLUS in *Perſis*, v. 811. ait:

> Οἳ γῆν μολόντες Ἑλλάδ', οὐ θεῶν βρέτη
> Ἠδοῦντο συλᾶν, οὐδὲ πιμπράναι νεώς.
> Βωμοὶ δ' ἄιστοι, δαιμόνων θ' ἱδρύματα
> Πρόῤῥιζα φύρδην ἐξανέστραπται βάθρων.

> *Qui Graecanicam terram invadentes, nec deorum ſtatuas*
> *Reveriti ſunt violare, nec urere delubra.*
> *Arae deſtructae ſunt, & deorum fana*
> *Radicitus ſine ullo diſcrimine e fundamentis everſa.*

ISOCRATES in *Panegyrico*, *pag.* 172. de Perſis: Οἳ καὶ τὰ τῶν θεῶν ἕδη, καὶ τοὺς νεὼς συλᾶν ἐν τῷ προτέρῳ πολέμῳ, καὶ κατακαίειν ἐτόλμησαν. *Qui & ſimulacra deorum immortalium, & templa ſpoliare priore bello, & comburere non dubitarunt.* Unde Alexander apud CURTIUM *libr.* III. *cap.* XI. §. 9. queritur, *Diis dedita templa ruinis & ignibus eſſe deleta a* Perſis. Quo nomine CICERO *libr.* I. *Accuſ. in Verr. cap.* 18. Perſas *Diis hominibuſque bellum indixiſſe* ait. Acriter etiam & amare in eos MAXIMUS TYRIUS *Serm.* XXXVIII. (VIII. *cap.* 40. *pag.* 83.) invehitur, quod tantopere huic fero & agreſti Deo deditI eſſent, cui & vorandas ipſas urbes, templa, delubra, ſignaque Deorum abſumenda praebuiſſent: Eos enim alloquens, περὶ ὧν μάλιστα. ait, ἀγνοεῖτε τὸ ἀγελαιότατον καὶ ὀξύτατον, οὐ ξύλον αὐτῷ τροφὴν χορηγοῦντι μόνον, οὐδὲ ἱερεῖον, οὐδὲ θυμιαμάτων, ἀλλὰ τούτῳ τῷ ἀγάλματι καὶ τούτῳ τῷ θεῷ καὶ τὴν Ἐρετριέων ἀναλῶσαι δεδώκατε, καὶ τὰς Ἀθήνας αὐτὰς, καὶ τὰ Ἰώνων ἱερὰ, καὶ τὰ Ἑλλήνων ἀγάλματα. *Uni vero (elemento) immaniſſimo omnium violentiſſimoque (ſoli) adhaeretis, quam quidem veſtram ſtatuam veſtrumque Deum non lignis tantum paſcitis aut victimis, aut ſuffitu ſacro, ſed majoribus longe. Quippe & Eretriam totam, ipſaſque Athenas & Jonum ſacra Graecorumque ſtatuas huic devorandas objeciſtis.*

XXXII. Ab hac tamen templorum clade immunes fuiſſe Delum & Epheſum, eorumque templa intacta reliquiſſe Perſas, quod illa Apollini, qui idem eſt cum Sole: haec Dianae, quae Luna eſſe perhibetur, ſacra eſſent, *Interpres* ARISTOPHANIS in *Irenam*, v. 409. tradit. CICERO *libr.* I. *Accuſat. in Verrem*, *cap.* 18. *Latonam ex longo errore & fuga gravidam, & jam ad pariendum vicinam, temporibus exactis confugiſſe Delum, atque ibi Apollinem Dianamque peperiſſe: qua ex opinione hominum illa inſula eorum Deorum ſacra putatur: tantoque ejus auctoritas religionis & eſt, & ſemper fuit, ut ne Perſae quidem: cum bellum toti Graeciae, Diis hominibuſque indixiſſent, & mille numero navium claſſem ad Delum appuliſſent, quidquam conarentur aut violare, aut attingere: hoc tu fanum depeculari homo improbiſſime atque amentiſſime audebas?*

XXXIII. Enimvero non tam religionis impulſu, quam vindictae cauſa, templis Graeciae bellum indixiſſe Xerxem, HERODOTUS *libr.* V. *cap.* 102. oſtendit. Nam quod Athenienſes Sardibus ignes intuliſſent, unaque templum Cybeles incendio conflagraſſet, inde Perſas offenſos, & hoc obtentu poſtea templa Graecorum cremaſſe, tradit.

XXXIV. Porro ea templa, a Perſis deleta, Graeci inſtaurari vetuerunt: ut extaret ad memoriam poſteri temporis ſempiternum hoſtilis eorum impietatis monumentum: quemadmodum PAUSANIAS in *Phocicis* ſive *libr.* X. *cap.* 35. *pag.* 887. ita ſcribit: Ἀλλὰ Ῥωμαῖοι μὲν αἰδοῖ τῇ ἐς τὸν Ἀπόλλωνα, Ἀβαίοις δεδώκασιν αὐτονόμους σφᾶς εἶναι. στρατιὰ δὲ ἡ μετὰ Ξέρξου κατέπρησε καὶ τὸ ἐν Ἄβαις ἱερόν. Ἕλλησι δὲ τοῖς ἀντιταχθεῖσι τῷ βαρβάρῳ τὰ κατακαυθέντα ἱερὰ μὴ ἀνιστάναι σφίσιν ἔδοξεν, ἀλλὰ ἐς τὸν πάντα ὑπολείπεσθαι χρόνον τοῦ ἔχθους ὑπομνήματα. καὶ τοῦδε ἕνεκα οἱ ἐν τῇ Ἁλιαρτίᾳ ναοὶ, καὶ (d) Ἀθηναίοις τῆς Ἥρας ἐπὶ ὁδῷ τῇ Φαληρικῇ. *Abaeis enim Romani ut ſuis legibus uterentur, Apollinis cultu adducti, conceſſerunt: Xerxis vero exercitus ipſum etiam, quod Abis templum fuit, exuſſit. Et ſane Graeci, qui contra barbarum arma ceperunt, non eſſe, quae illi concremaſſent, deorum templa reſtituenda, cenſuerunt; quo ſempiterna extarent inimicitiarum monumenta: eamque*

(a) MORE] Caute hoc accipiendum de ſolis ſimulacris: nam templis & aris nunquam caruerunt Romani: quamvis & illud a quibuſdam in dubium vocetur, qua de re alibi erit dicendi locus. TR.

(b) DEOS] Hanc vocem, cum praecedenti particula *que*, *Codd. MSS.* auctoritate delent Benedictini: & paulo poſt pro *ſenſu*, reponunt *ſexu*. TR.

(c) DEPLORANS] Non eſt ibi proprie deploratio, neque poëta ex propria loquitur perſona: ſed Darii umbram loquentem introducit, poenas minitantem Perſis, pro impiis factis. TR.

(d) Aptius fere adverb. Ἀθήνῃσι. S. In fine ad ſenſum ſupplendum adde: Καὶ οἱ ἐπὶ Φαλήρῳ τῆς Δήμητρος, καὶ νῦν ἔτι ἡμίκαυτα μένει. *Cereris in ipſo Phalero, hac etiam aetate ſemiuſta* oſtenduntur. TR.

que ob rem in Haliartiorum finibus delubra multa, & apud Athenienſes Junonis in Phalerica via &c.

XXXV. Unde Jones, ut magni animi plenos, ISOCRATES in *Panegyrico pag.* 172. ſummis efferri laudibus aequum cenſet, quod diris devoviſſent, execratique eſſent eos, qui a Perſis incenſa templa refeciſſent, reaedificaſſentve. Verba Iſocratis ita habent: Διὸ καὶ τοὺς Ἴωνας ἄξιον ἐπαινεῖν, ὅτι τῶν ἐμπρησθέντων ἱερῶν ἐπηράσαντο, εἴ τινες οἰκοδομήσειαν, ἢ πάλιν εἰς τὰ ἀρχαῖα καταστῆσαι βουληθεῖεν· οὐκ ἀποροῦντες ὅθεν ἐπισκευάσωσιν, ἀλλ' ἵνα ὑπόμνημα τοῖς ἐπιγιγνομένοις ᾖ τῆς τῶν βαρβάρων ἀσεβείας, καὶ μηδεὶς πιστεύῃ τοῖς τοιαῦτα εἰς τὰ τῶν θεῶν ἔδη ἐξαμαρτεῖν τολμήσασιν· ἀλλὰ καὶ φυλάττωνται, καὶ δεδίωσιν, ὁρῶντες αὐτοὺς οὐ μόνον τοῖς σώμασιν ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀναθήμασι πολεμήσαντας. *Quare laudandi ſunt Jones, quod diris eos execrationibus devoverunt, qui templa cremata inſtaurarent, aut in iiſdem fundamentis exaedificarent: non quod deeſſet, unde ea reficerent, ſed ut monumenta poſteris eſſent barbarorum impietatis: & nemo fidem iis haberet, qui ad eum modum in templa deorum immortalium graſſari non dubitaſſent: ſed eos & caverent & formidarent omnes, quos non tantum corporibus noſtris cernerent, ſed etiam religioni bellum intuliſſe.*

XXXVI. Atque adeo apud Plataeas adverſus Xerxis copias dimicaturi Graeci, paene in procinctu, uno ore, communique conſenſu, conceptis verbis, ex animi ſententia, ſeſe jurejurando obſtrinxerunt, fanorum, quae a Barbaris incenſa & diruta erant, nullum omnino inſtauraturos, ſed eandem locorum faciem poſteris relicturos, parietinaſque ſeſe ad eos tranſmiſſuros, ut Barbaricae impietatis ſempiternum exſtaret monumentum. Etenim inter ejus ſollemnis jurisjurandi capita, hoc vel praecipuum, ultimum certe & quod agmen cogeret, fuit: Καὶ τῶν ἱερῶν τῶν ἐμπρησθέντων καὶ καταβληθέντων ὑπὸ τῶν βαρβάρων, οὐδὲν ἀνοικοδομήσω, ἀλλ' ὑπόμνημα τοῖς ἐπιγιγνομένοις ἐάσω καὶ καταλείψω, τῆς τῶν βαρβάρων ἀσεβείας. *Templorumque a barbaris incenſorum ac dejectorum nullum denuo extruam omnino, ſed monumentum poſteris ſinam relinqui barbarorum impietatis:* quemadmodum LYCURGUS *Orat. contra Leocratem*, (inter *Orator. vet. pag.* 88.) & DIODORUS SICULUS *libr.* XI. *cap.* 29. *pag.* 427. (*St.* 258. *Rh.* 24.) literis prodiderunt.

XXVII. Plane vindictae a Perſis expetendae cauſa, Perſepolitanae urbi faces ab Alexandro ſubditas fuiſſe, STRABO *libr.* XV. *pag.* 1061. (729.) ita ſcribit: Ἐνέπρησε δ' ὁ Ἀλέξανδρος τὰ ἐν Περσεπόλει βασίλεια, τιμωρῶν τοῖς Ἕλλησι, ὅτι κἀκείνων ἱερὰ καὶ πόλεις οἱ Πέρσαι πυρὶ καὶ σιδήρῳ διεπόρθησαν. *Alexander Perſepolis regiam combuſſit, ultus Graecos, quorum templa & urbes Perſae ferro & igni vaſtaverant.* CURTIUS quoque *lib.* V. *cap.* 7. §. 2. *ſeqq.* Thaidem inter pocula ad id Perſepolis incendium calcar addidiſſe refert: cum adfirmaret, maximam eum apud omnes Graecos initurum gratiam, ſi regiam Perſarum juſſiſſet incendi: expectare hoc eos, quorum urbes Barbari deleſſent. *Ebrio ſcorto*, ait ille, *de tanta re ferenti ſententiam, unus & alter, & ipſi mero onerati aſſentiuntur. Rex quoque fuit avidior, quam patientior. Quin igitur ulciſcimur Graeciam, & urbi faces ſubdimus? Omnes incaluerant mero. itaque ſurgunt temulenti ad incendendam urbem, cui armati pepercerant. Primus Rex ignem Regiae injecit, tum convivae, & miniſtri, pellicesque.*

XXXVIII. Cum ergo Perſae templorum parietibus Deos ſuos includerent: ſub dio illis, in editiſſimis quibuſque locis, arcibus, collibus, ſacra faciebant. HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 131. Οἱ δὲ νομίζουσι Διῒ μὲν ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες, θυσίας ἔρδειν, τὸν κύκλον πάντα τοῦ οὐρανοῦ Δία καλέοντες. *Moris habent, editiſſimis quibuſque conſcenſis montibus, Jovi hoſtias immolare, omnem gyrum coeli Jovem appellantes.* XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 233. his verbis de Cyro loquens: Ἔθυε, ait, Διΐ τε πατρῴῳ καὶ Ἡλίῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς, ἐπὶ τῶν ἄκρων, ὡς Πέρσαι θύουσιν *Jovi patrio, & Soli, & diis ceteris in ſummis montium jugis (ſic enim Perſae conſueverant) ſacra facit.* STRABO *libr.* IV. *pag.* 1064. (732.) de Perſis: Θύουσι δ' ἐν ὑψηλῷ τόπῳ, τὸν οὐρανὸν ἡγούμενοι Δία. *Sacra in loco excelſo faciunt, Coelum Jovem exiſtimantes.*

XXXIX. Et quidem ἐν ὑψηλῷ τόπῳ ſacrificaſſe eos, ibidem STRABO, poſt HERODOTUM *libr.* I. *cap.* 132. ſcribit. Diis autem omnibus, quos colere & venerari more gentis receptum eſſet, hoſtias Perſae caedebant, ut HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 131. *ſeq.* indicat. Immolabant autem mactabantque Jovi maximas hoſtias, veluti tauros, ut & Soli Equos. XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 216. de ſacrificio Cyri: Ἐπεὶ δὲ ἀφίκοντο πρὸς τὰ τεμένη, ἔθυσαν τῷ Διΐ, καὶ ὁλοκαύτωσαν τοὺς ταύρους· ἔπειτα τῷ Ἡλίῳ ὁλοκαύτωσαν τοὺς ἵππους· ἔπειτα Γῇ σφάξαντες, ὡς ἐξηγήσαντο οἱ μάγοι, ἐποίησαν· ἔπειτα δὲ ἥρωσι τοῖς Συρίαν ἔχουσι. *Quum ad delubra veniſſent, ſacrum Jovi faciebant, tauris integris crematis: deinde Soli, crematis huic equis integris. Poſthaec terrae, mactatis hoſtiis, ſic faciebant, uti Magi praeibant. Hinc Syriam incolentibus heroibus.* De Regum autem in ſacrificiis magnificentia, diximus libro ſuperiore: quibus adde ex HERODOTO *libr.* VII. *cap.* 43. Xerxem in tranſitu Minervae Ilienſi βοῦς χιλίας, *mille boves*, mactaſſe.

XI. Sane rem divinam facturos Perſas, neque Aras erexiſſe, neque ignem accendiſſe, neque Libamentis, Tibiis, Infulis, Vittiſve, aut Molis ſalſis, uſos invenio. Verum ut quiſque Divis ſacra facere inſtituerat, in locum purum victimam ducens, Deum illum, quem placare in animo habebat, operto capite, Corona, eaque praecipue Myrtea, Tiarae circundata, invocabat. Teſtis HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 132. cujus ipſa verba, ut fides penes auctorem ſit, ponam: Οὔτε βωμοὺς ποιεῦνται, οὔτε πῦρ ἀνακαίουσι, μέλλοντες θύειν. οὐ σπονδῇ χρέωνται, οὐκὶ αὐλῷ, οὐ στέμμασι, οὐκὶ οὐλῇσι. τῶν δὲ ὡς ἑκάστῳ θύειν θέλει, ἐς χῶρον καθαρὸν ἀγαγὼν τὸ κτῆνος, καλέει τὸν θεόν, ἐστεφανωμένος τὸν (a) τιήρην μυρσίνῃ μάλιστα. *Sacrificaturi nec aras erigunt, neque incendunt prorſus: ſed neque libamentis utuntur, aut tibiis, infulisve, aut molis ſalſis: verum ut quiſque facere ſacra ſtatuit, in locum purum victimam deducens, deum illum implorat, myrto maxime cinctam geſtans tiaram.*

XLI. Coronatos ſacrificaſſe Perſas oſtendit XENOPHON *libr.* III. παιδ. *pag.* 81. his verbis:

(a) Τὸν] *Jac. Gronovius* ex *MS. Med.* reponit τὸ, idque defendit in notis *pag.* 837. TR.

bis: Κῦρος μὲν ἐστεφανωμένος ἔθυε· παρήγγελλε δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις ὁμοτίμοις ἐστεφανωμένοις πρὸς τὰ ἱερὰ παρεῖναι. *Cyrus coronatus rem ſacram faciebat, & homotimis etiam ceteris, ut coronati ſacrificiis adeſſent, imperabat.* Hoſtiam quoque coronatam fuiſſe, indicat STRABO *libr.* XV. *pag.* 1065. (732.) θύουσι δὲ, inquiens, ἐν καθαρῷ τόπῳ, κατευξάμενοι, (ſic enim emendo (*a*)) καὶ παραστησάμενοι τὸ ἱερεῖον ἐστεμμένον. *Sacrificant in loco puro, precantes, & coronatam hoſtiam ſiſtentes.*

XLII. Quiſquis autem rem divinam faciebat: non pro ſe privatim, ſed pro populo faciebat: nec a Diis, ut ſibi ſpeciatim bona tribuerent, petebat: verum ut genti univerſae bene eſſet, fauſtumque, felix ac ſalutare Regi, populoque Perſico eſſet, optabat: nec aliter quam ſub communi & generali Perſarum nomine, ipſius ſacrificantis perſona Diis commendabatur. Appellatione enim Populi eum quoque, qui ſacra faceret, contineri cenſebant. Omnibus certe ſacris pro ſalute Regis vota nuncupabantur. Haec ita eſſe HERODOTI verba *libr.* I. *cap.* 13. declarant, quae ita habent: Ἑωυτῷ δὲ τῷ θύοντι ἰδίῃ μούνῳ οὔ οἱ ἐγγίνεται ἀρᾶσθαι ἀγαθά· ὁ δὲ πᾶσι τοῖσι Πέρσῃσι κατεύχεται εὖ γίνεσθαι, καὶ τῷ βασιλέϊ· ἐν γὰρ δὴ τοῖσι ἅπασι Πέρσῃσι καὶ αὐτὸς γίνεται. *Illi autem qui ſacrificat, non licet ſibi privatim precari bona, ſed communiter univerſi Perſis, & imprimis quidem regi ut bene ſit, optat. quoniam inter cunctos Perſas, & ipſe, qui ſacra facit, comprehenditur.*

XLIII. Mactatae vero hoſtiae membratim proſectae carnes Perſae coquebant, molliſſimumque aliquod ac tenerrimum gramen, maxime vero Triſolium, ſubſternentes, ei carnes, elixas imponebant. Magus autem ſacrificio adſtans, Theogoniam accinebat, ſiquidem hanc illi exiſtimabant eſſe incantationem: modico dein intervallo interpoſito, qui immolaverat, carnes auferebat, & iis veſcebatur utebaturve, prout ferebat animus. Auctor HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 132. cujus verba ſubjeci: ἐπεὰν δὲ διαμιστύλας κατὰ μέρεα τὸ ἱρήϊον, ἑψήσῃ τὰ κρέα, ὑποπάσας (*b*) ποίην ὡς ἁπαλωτάτην, μάλιστα δὲ τὸ τρίφυλλον, ἐπὶ ταύτης ἔθηκε ὦν πάντα τὰ κρέα. διαθέντος δὲ αὐτοῦ, μάγος ἀνὴρ παρεστεὼς ἐπαείδει θεογονίην. *Ubi vero jam in minutas portiunculas membratimque hoſtiam conſcidit, carnibus elixis herbam ſubſternit quam molliſſimam, maxime trifolium. Huic impoſitis carnibus Magus adſtans theogoniam accinit.* Et mox: ἐπισχὼν δὲ ὀλίγον χρόνον, ἀποφέρεται ὁ θύσας τὰ κρέα, καὶ χρᾶται ὅ, τι μιν ὁ λόγος αἱρέει. *Mox ſacrificus ſublatis carnibus utitur, in quemcunque uſum illi fert animus.* At STRABO *libr.* XV. *pag.* 1065. (732.) Magum, qui ſacrum peragebat membratim conſciſſas hoſtiae carnes in partes his, qui intererant, tribuiſſe, ac ſua quemque parte accepta abiiſſe, ſcribit, nullo vel tantillo Diis relicto. Credebant enim Deos ſolam hoſtiae animam velle: Omentique dumtaxat partem aliquam exiguam flammae imponebant: ut quoſdam tradidiſſe, idem STRABO *l. c.* ſcribit, cujus verba de toto hoc ritu ſunt haec; μερίσαντος δὲ τοῦ μάγου τὰ κρέα τοῦ ἀφηγουμένου τὴν ἱερουργίαν, ἀπίασι διελόμενοι, τοῖς θεοῖς οὐδὲν ἀπονείμαντες μέρος· τῆς γὰρ ψυχῆς φασὶ τοῦ ἱερείου δεῖσθαι τὸν θεὸν, ἄλλου δ' οὐδενός· ὅμως δὲ τοῦ ἐπίπλου τι μικρὸν τιθέασιν, ὡς λέγουσί τινες, ἐπὶ τὸ πῦρ. *Ubi Magus, qui in ſacrificio praeit, carnes in portiones diſtribuit, ſua quiſque accepta abeunt, nulla parte diis relicta: dicunt enim deum nihil velle, praeter hoſtiae animam. quidam tamen, ut fertur, omenti partem igni imponunt.* Quae Strabonis verba EUSTATHIUS in I. *Iliad.* ſua fecit hoc modo: τῶν δὲ ἱερείων οἱ Μάγοι τὰ κρέα διελόμενοι, τοῖς θεοῖς οὐδὲν ἀπονέμουσι, λέγοντες, τῆς ψυχῆς τοῦ ἱερείου δεῖσθαι τὸν θεὸν, ἄλλου δὲ οὐδενός· τοῦ δὲ ἐπίπλου μικρόν τι ἐπὶ τὸ πῦρ τιθέασι. *Hoſtiarum carnes Magi in portiones diſtribuunt, nulla parte diis relicta, nihil enim praeter hoſtiae animam, velle deum dicunt: omenti vero pauxillum igni imponunt.*

XLIV. Perſae ergo honorem Diis ſola victimarum caede habebant: neque exta ulla iis dabant, cum nihil eorum Diis cordi eſſe cenſerent. Perſicum vero illum Omenti in flammis liqueſaciendi ritum confirmat CATULLUS *Epigrammate* LXXXVI. (*al.* XC.) *v.* 5. de Magis, cum ait:

> *Gnatus ut accepto veneretur carmine divos,*
> *Omentum in flamma pingue liqueſaciens.*

XLV. Hoſtias autem, quas caedebant, interdum totas igne abſumebant; quod erat ὁλοκαυτοῦν. XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 216. Ἐπεὶ δὲ ἀφίκοντο πρὸς τὰ τεμένη, ἔθυσαν τῷ Διΐ, καὶ ὡλοκαύτησαν τοὺς ταύρους· ἔπειτα τῷ ἡλίῳ, καὶ ὡλοκαύτησαν τοὺς ἵππους. *Quum ad delubra veniſſent, ſacrum Jovi faciebant, tauris integris crematis, deinde Soli, crematis huic equis integris.* Interdum vero partem dumtaxat cremabant, reliquas vero carnes aſſervabant. Idem XENOPHON eodem *libr. pag.* 217. τοῖς δὲ νικῶσι πᾶσιν ἐδίδου βοῦς τε, ὅπως ἂν θύσαντες ἑστιῷντο. *Victoribus tum boves dabat, ut eis mactatis epularentur.* D. HIERONYMUS in *Eſaiam, cap.* LVI. *v.* 7. *Differentiam hoſtiarum & Holocauſtorum in Levitico plenius diſcimus. Holocauſta ſunt, quae ſuper altare integra concremantur: Victimae & Hoſtiae, quarum pars offertur altari, pars ſacerdotibus traditur.*

XLVI. Nec Superis Inferiſve tantum Diis, verum etiam Terreſtribus & Semonibus (*c*), ſacra Perſae faciebant. Hinc Cyrum, poſtquam Jovi Tauro; Soli Equo feciſſet: Telluri deinde Matri; atque Heroibus hoſtias immolaſſe, XENOPHON *libr.* VIII. *pag.* 216. ita ſcribit: ἔπειτα Γῇ σφάξαντες, ὡς ἐξηγήσαντο οἱ Μάγοι, ἐποίησαν· ἔπειτα δὲ Ἥρωσι τοῖς Συρίαν ἔχουσι. *Poſthaec Terrae mactatis hoſtiis, ſic faciebant, uti Magi praeibant: hinc Syriam incolentibus Heroibus.* Idem XENOPHON *libr.* III. παιδ. *pag.* 79. de Cyro: Συμπαρεκάλει δὲ καὶ Ἥρωας γῆς Μηδίας οἰκήτορας καὶ κηδεμόνας. *Praeterea Heroas Medorum terrae incolas & patronos implorabat.* Et mox: Ἐπεὶ δὲ τάχιστα διέβη τὰ ὅρια, ἐκεῖ αὖ καὶ τὴν Γῆν ἱλάσκετο χοαῖς, καὶ θεοὺς θυσίαις, καὶ Ἥρωας Ἀσσυρίας οἰκήτορας ἐμενίζετο. *Ut vero primum fines ſuperarat, Tellurem libationibus propitiam ſibi reddebat, & Deos atque Heroas regionis Aſſyriorum incolas ſacrificiis placabat.* His etiam parentaſſe, inferiaſque miſiſſe Magos, HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 43. ſignificat his verbis: Χοὰς δὲ οἱ μάγοι τοῖσι

(*a*) EMENDO] Hanc emendationem in textum recepit *Caſaubonus:* antea enim nullo ſenſu legebatur: καὶ ...ξάμενοι. Ex hac etiam *ed.* in textu ſupplevi ſequentem particulam καὶ. TR.

(*b*) Ὑποπάσας] *Jac. Gronovius* ex *MS. Med.* reponit ὑποστορέσας; cujus vide *notas pag.* 837. *ſeq.* TR.

(*c*) SEMONIBUS] Inter hos forſan erant *Saturnus* & *Hercules*, (a Perſis *Sandes* vocatus) quos eos coluiſſe teſtatur AGATHIAS *lib.* II. *pag.* 45. (62.) Ab auctore tamen ſupra in recenſione Deorum Perſicorum omiſſi ſunt. TR.

τοῖσι Ἥρωσι ἐχίαστο *Libationibus vero Magi Heroibus parentabant.* Aliter autem Igni, aliter Aquae, ſacra feciſſe Perſas, STRABO *libr.* XV. *pag.* 1065. (732. *ſeq.*) ſcribit. Hoc enim valent prima ejus clauſulae, quam integram ſubjeci, verba: quorum vim interpres in ipſo limine impingens ignoravit: Διαφερόντως δὲ τῷ Πυρὶ καὶ τῷ Ὕδατι θύουσι· τῷ μὲν πυρὶ, προστιθέντες ξηρὰ ξύλα τὸν λοπὸν χωρὶς, πιμελὴν ἐπιτιθέντες ἄνωθεν· εἶθ' ὑφάπτουσιν, ἔλαιον καταχέοντες, οὐ φυσῶντες, ἀλλὰ (a) ῥιπίζοντες. τοὺς δὲ φυσήσαντας, ἢ νεκρὸν ἐπὶ πῦρ θέντας, ἢ βόλβιτον, θανατοῦσι, τῷ δὲ ὕδατι, ἐπὶ λίμνην, ἢ ποταμὸν, ἢ κρήνην ἐλθόντες, βόθρον ὀρύξαντες, εἰς τοῦτον σφαγιάζονται, φυλαττόμενοι μή τι τοῦ πλησίον αἵματος (b) αἱμαχθείη, ὡς μιανοῦντες. εἶτ' ἐπὶ μυρρίνης ἢ δάφνης διαθέντες τὰ κρέα, ῥαβδίοις λεπτοῖς ἐφάπτονται οἱ Μάγοι, καὶ ἐπᾴδουσι, ἀποσπένδοντες ἔλαιον ὁμοῦ γάλακτι καὶ μέλιτι κεκραμένον, οὐκ εἰς πῦρ, οὐχ ὕδωρ, ἀλλ' εἰς τοὔδαφος. τὰς δ' ἐπῳδὰς ποιοῦνται πολὺν χρόνον (c) ῥάβδων μυρικίνων λεπτῶν δέσμην κατέχοντες. *Aliter autem Igni, aliter Aquae ſacrificant. Igni quidem arida ligna imponentes abſque cortice, & arvina ſuperinjecta: deinde infuſo oleo, ſuccendunt, non inſpirantes, ſed virgis caedentes; ſi quis enim inſpirat, aut mortuum quicquam, coenumve in ignem conjiciat, morte punitur. Aquae vero ſacra peragunt hoc modo. Ad lacum, vel flumen, vel fontem venientes, ſcrobem faciunt, inque ea beſtiam jugulant, caventes, ne quid proximae aquae purae ſanguine tingatur, atque ſic polluatur: poſtea carnibus myrto, lauroque impoſitis, eas gracilibus virgis comburunt; & factis imprecationibus quibuſdam, oleum lacte ac melle mixtum inſpergunt, non in ignem, nec in aquam, ſed in terram. Imprecationes diu faciunt, faſciculum virgarum myricinarum tenuium tenentes:* Certis porro & ſollemnibus verbis Perſas Igni ſacra facientes uſos, MAXIMUS TYRIUS *Serm.* XXXVIII. (VIII. *cap.* 4. *pag.* 83.) docet, Θύουσι, inquiens, Πέρσαι Πυρὶ, ἐπιφορῶντες αὐτῷ τὴν Πυρὸς τροφὴν, ἐπιλέγοντες, Πῦρ δέσποτα ἔσθιε. *Jam ſacrum faciunt Perſae, alimentum igni ſuppeditantes, acclamantque, Comede o Domine Ignis.* Quae an ille arbitrio ſuo finxerit, an ex ritualibus Perſicae gentis libris hauſerit, in medio relinquo.

XLVII. Ad ſacrorum etiam Perſicorum ritus, pertinent haec XENOPHONTIS *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 233. [*p.* 184.] verba de Cyro; ἔθυσε τὰ νομιζόμενα ἱερὰ (d), καὶ τοῦ χοροῦ ἡγήσατο Πέρσαις κατὰ τὰ πάτρια. *Rite rem ſacram procuravit, & patriis inſtitutis chori apud Perſas dux fuit.*

XLVIII. Ceterum Perſas Ture Diis ſupplicaſſe, aut divis ſuis Tura dediſſe, apud eos auctores, qui res Perſicas literis mandarunt, legere me non memini. Proinde ad Perſarum Regem perductus Apollonius Tyaneus, juſſuſque una cum eo, patrio Perſarum more, ſacrificare, talibus dictis apud PHILOSRATUM *lib.* I. *cap.* XXXI. reſpondit; Σὺ μὲν, ὦ βασιλεῦ, θῦε τὸν σαυτοῦ τρόπον· ἐμοὶ δὲ τὸν ἐμαυτοῦ συγχώρησον θῦσαι. καὶ δραξάμενος τοῦ λιβανωτοῦ, *tu quidem, o rex, tuo more ſacrificato, mihi autem meo more ſacrificare permittito. turaque manu capiens*, Solem precatus eſt, ac deinde, ἐφαπτόμενος τοῦ πυρὸς, ὅπη δικόρυμβόν τι καὶ καθαρὸν φαίνοιτο, Θῦε, ἔφη, λοιπὸν, ὦ βασιλεῦ, κατὰ τὰ σαυτοῦ πάτρια· τὰ γὰρ πάτρια τἀμὰ τοιαῦτα. καὶ ἀνεχώρει τῆς θυσίας, ὡς μὴ κοινωνοίη τοῦ αἵματος. *Probanſque ignem, qua bonum omen edere puruſque eſſe videbatur, tu, dixit, o rex, jam perge patriis moribus ſacra peragere, ita enim qui mihi ſunt patrii mores ſcrebant. Indeque a ſacrificio diſceſſit, ne in ſanguinis communionem veniret.*

XLIX. Vinum vero Perſas Patera Diis dediſſe, ex ATHENAEO colligitur, qui Perſica lingua pateram hanc CONDY vocatam ſcribit *libr.* XI. *pag.* 477. *ſeq.* ejuſque poculi formam ibidem exponit: cui conjecturae favere videtur CLAUDIANUS *libr.* I. *de laudib. Stilicon.* his verſibus: (*v.* 61.).

> —— —— *Rex ipſe micantem*
> *Inclinat dextra Pateram, ſecretaque belli (e),*
> *Et vaga teſtatur volventem ſidera Mithrem.*

Xerxem quoque, priuſquam in Graeciam trajiceret, aurea phiala libaſſe, Votaque Soli feciſſe, ut quod in animo habebat, aggrediebaturque, bene verteret, ac deinde Phialam in mare, cum aureo Cratere & Acinace, abjeciſſe, HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 54. narrat: Ὡς δὲ ἐπανέτελλε ὁ ἥλιος, σπένδων ἐκ χρυσέης φιάλης Ξέρξης ἐς τὴν θάλασσαν, εὔχετο πρὸς τὸν Ἥλιον, μηδεμίαν οἱ συντυχίην τοιαύτην γενέσθαι, ἥ μιν παύσει καταστρέψασθαι τὴν Εὐρώπην, πρότερον ἢ ἐπὶ τέρμασι τοῖσι ἐκείνης γένηται. εὐξάμενος δὲ, ἐσέβαλε τὴν φιάλην ἐς τὸν Ἑλλήσποντον, καὶ χρύσεον κρητῆρα, καὶ Περσικὸν ξίφος, τὸ ἀκινάκην καλέουσι. *Ubi Sol exortus eſt, aurea phiala libans in mare Xerxes, Soli vota fecit, ne quid ſibi adverſi contingeret, quo prius deſiſteret Europam ſubigere, quam ad illius terminos perveniſſet. Quae precatus, phialam in Helleſpontum abjecit, cum aureo cratere, & gladio Perſico, quem acinacem vocant.*

L. Epulas etiam Diis libaſſe Perſas, & velut coenae primitias iis dediſſe, docet XENOPHON *libr.* VII. παιδ. *init. pag.* 172. Ὁ δὲ Κῦρος, ὥσπερ εἶχεν ἑστηκὼς, ἀπαρξάμενος ἠρίστα, καὶ μετεδίδου ἀεὶ τῷ μάλιστα δεομένῳ· καὶ σπείσας, καὶ εὐξάμενος, ἔπιε· καὶ οἱ ἄλλοι δὲ οἱ περὶ αὐτὸν οὕτως ἐποίουν. *Cyrus, ita ut ſtabat, primitiis conſecratis prandebat, & ſemper ei, qui maxime indigeret, largiebatur: cumque libaſſet & precatus eſſet, cum ipſe bibit, tum ceteri, qui apud ipſum erant.* Sane cum Alexandri pedibus unus ex Regiis pueris menſam, quae Darii fuerat, ſubdidiſſet, inde ſpadonem ingemuiſſe, CURTIUS *lib.* V. *cap.* 2. §. 13. *ſeqq.* refert. Quod conſpicatus Alexander, cauſam moeſtitiae requiſivit. *Ille indicat, Darium veſci in ea ſolitum, ſeque ſacram ejus menſam ad ludibrium recidentem ſine lacrymis conſpicere non poſſe. Subiit ergo Regem verecundia violandi hoſpitales Deos: jamque ſubduci jubebat, cum Philotas: minime vero feceris Rex, ſed omen quoque accipe, menſam, ex qua libavit hoſtis epulas, tuis pedibus ſubjectam eſſe.*

LI. Poſtremo Perſae, cum nihil rite nihilque providenter homines, ſine Deorum ope, conſilio,

(a) Melius ῥιπίζοντες Xyl. ed. *p.* 847. S. Quam ſequitur etiam *nov. ed.* unde in verſione *ventilantes*. TR.

(b) Αἵματος] In hujus verbi locum in *nov. ed.* ſubſtituitur: ὕδατος πλησίον. TR.

(f) Procul dubio verior lectio eſt ῥάβδων μυρσίνων λεπτῶν δέσμην, *faſciculum tenuium myrti virgarum*, ſicut paulo ante, ἐπὶ μυρρίνης ἢ δάφνης. S. Quoad duo poſteriora verba lectio, quam Sylburgius commendat, in textum *nov. ed.* recepta fuit; in verbo vero μυρικίνων lectio vulgata retinetur. TR.

(d) Ἱερὰ] In *ed. Leuncl.* legitur ἱερεῖα. TR.

(e) BELLI] *Joſ. Scaliger* hunc locum emendans, ſubſtituit *Beli*; probante *Caſp. Barthio*. TR.

filio, honore, auſpicari crederent, omnium rerum agendarum initium a patriorum Deorum invocatione capiebant: ut Cyri exemplis XENOPHON non ſemel teſtatur. Sic Xerxes expeditionem adverſus Graecos parans, apud HERODOTUM *libr.* VII. *cap.* 53. νῦν δὲ, ait, διαπρηξάμενοι τοῖσι θεοῖσι, τοὶ Περσίδα γῆν λελόγχασι. *Nunc igitur Deos praeſides terrae Perſidis precati, tranſeamus.*

LII. Jam vero ſacra omnia, publica privataque, obibant Magi: nec ullum abſque eorum interventu rite ſacrificium peragebatur. HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 132. Ἄνευ γὰρ δὴ Μάγου, οὔ σφι νόμος ἐστὶ θυσίας ποιέεσθαι. *Abſque Mago ſacrificia peragere apud eos nefas eſt.* AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIII. *cap.* 6. de Magorum genere agens, *Ejus*, ait, *myſteriis* (*a*) *Perſicae poteſtates in faciendis rebus divinis ſollemniter utebantur. Eratque piaculum aras adire, vel hoſtiam contrectare, antequam Magus conceptis precationibus libamenta diffunderet praecurſoria.* CLAUDIANUS *libr.* I. *de laudibus Stiliconis*, *v.* 60.

—— —— Rituque. Juvencos
Chaldaeo ſtravere Magi.

Magi plane Regibus ac populo praeibant, quibusnam Divis, quoque modo res divina facienda eſſet: quod Graeci ἐξηγεῖσθαι & ἀφηγεῖσθαι dicunt. XENOPHON *libr.* VIII. *pag.* 216. [171.] Σφάξαντες οἷς (*b*) ἐξηγήσαντο οἱ Μάγοι. *Mactantes hoſtias ut Magi praeibant.* Idem XENOPHON *libr.* VII. παιδ. *pag.* 184. [145.] Τῶν δ᾽ εἰσελθόντων, ἐκεῖνα τὰ Κροῖσου χρήματα, πρῶτον μὲν τοῖς θεοῖς ἐξελεῖν, ὁπόσα ἂν οἱ Μάγοι ἐξηγῶνται. *Aliis hoc negotii dabat, ut de pecuniis, quaſcunque Croeſus traderet, primum diis ſeligerent, quas Magi ſumendas declararent.* Et alias eodem *libr. pag.* 196. Ἐπεὶ δ᾽ εἰσῆλθεν ὁ Κῦρος, πρῶτον μὲν Ἑστίᾳ ἔθυσεν, ἔπειτα Διὶ βασιλεῖ, καὶ εἴ τινι ἄλλῳ θεῷ οἱ Μάγοι ἐξηγοῦντο. *Quum ingreſſus eſſet Cyrus, primum Veſtae ſacrificat, deinde Jovi regi, & ſi cui alii Deo Magi ſacrificandum ſignificarent.* STRABO *libr.* XV. *pag.* 1064. (732.) Τοῦ Μάγου ὑφηγουμένου τὴν ἱερουργίαν. *Mago in ſacrificiis praeeunte.* Idem *libr.* XV. *pag.* 1045. (717.) de Calano Indo: Συνακολουθῆσαι γὰρ αὐτὸν, ὡς ἐγκωμιαστὴν τοῦ βασιλέως, ἔξω τῶν τῆς Ἰνδικῆς ὅρων, παρὰ τὸ κοινὸν ἔθος τῶν ἐκεῖ φιλοσόφων. ἐκείνους γὰρ συνεῖναι τοῖς αὐτόθι βασιλεῦσιν, ὑφηγουμένους τὰ περὶ τοὺς θεούς, ὡς τοὺς Μάγους τοῖς Πέρσαις. *Eum tanquam regis praedicatorem ſecutum fuiſſe ultra Indiae fines, praeter communem aliorum philoſophorum conſuetudinem, qui Indiae regibus aſſiſtunt, ea praecipientes, quae ad Deorum cultum pertinent, quomodo Magi Perſarum regibus ſolent.*

LIII. Secundum quae Perſarum Regi ſacrificanti Magi adſtant, apud PHILOSTRATUM *libr.* I. *de Vita Apollon. cap.* 29. non ſecus ac Cyro apud XENOPHONTEM *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 204. quo loci narrans, Cyrum, cum res ſecundae erant maxime, tum maxime meditatum, pium ſe Deorum cultorem oſtendere, adjicit: Καὶ τότε πρῶτον κατεστάθησαν οἱ μάγοι ὑμνεῖν τε ἀεὶ ἅμα τῇ ἡμέρᾳ τοὺς θεούς, καὶ θύειν ἀν᾽ ἑκάστην ἡμέραν οἷς οἱ Μάγοι θεοῖς (*c*) εἴποιεν. *Ac tum primum Magi conſtituti ſunt, qui ſemper ſimulac dies illuceſceret deos hymnis concelebrarent, ac quotidie ſacrificarent diis illis, quibus ipſi ſacrificandum pronunciarent.*

LIV. Magos autem ſapientiae ſtudiis, & rerum divinarum notitia Perſis praeluxiſſe: ut apud alias gentes, Druidas, Gymnoſophiſtas, Brachmanas, STRABO *libr.* V. (*d*) & DIOGENES LAERT. in *proœmio libr.* quos *de vitis Philoſophorum* conſcripſit, tradunt. APULEJUS *Apologia* I. *pag.* 446. *Nam ſi, quod ego apud plurimos lego, Perſarum lingua* MAGUS *eſt, qui noſtra Sacerdos, quod tandem eſt crimen ſacerdotem eſſe? & rite noſſe, atque ſcire, atque callere, leges cerimoniarum, fas ſacrorum, jus religionum? Siquidem Magia id eſt, quod Plato* (*e*) *interpretatur*, θεῶν θεραπείαν, *cum commemorat, quibuſnam diſciplinis puerum Regium adoleſcentem Perſae imbuant.* SUIDAS: Μάγοι, παρὰ Πέρσαις οἱ φιλόσοφοι καὶ φιλόθεοι. *Magi, ſic apud Perſas vocantur philoſophi, & philothei.* HESYCHIUS: Τὸν θεοσεβῆ, καὶ θεολόγον, καὶ ἱερέα, *Dei cultorem, theologum & ſacerdotem, Magum* a Perſia vocatum. THEODORETUS *libr.* V. *Hiſt. Eccleſ. cap.* XXXVIII. τοὺς τὰ στοιχεῖα θεοποιοῦντας, *qui elementa deos faciunt*, a Perſis *Magos* appellari. Eos τὴν Περσῶν θρησκείαν, ὥσπερ τι φῦλον καὶ (*f*) ἱερατικόν, κατὰ διαδοχὴν γένους, ἀρχῆθεν ἐπιτροπεύειν, *religionem Perſarum velut tribum aliquam aut ſacerdotalem ſtirpem ſucceſſione quadam inde fere ab initio adminiſtrare*, SOZOMENUS *libr.* II. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* IX. ſcribit. APPIANUS *libr.* II. *de bellis civilib.* circa *fin. pag.* 854. (526.) Ἀλέξανδρος (*g*) ἐξετάζων τοὺς Βραχμᾶνας, οἳ δοκοῦσιν Ἰνδῶν εἶναι μετεωρολόγοι τε καὶ σοφοί, καθὰ Περσῶν οἱ Μάγοι. *Res Indorum Alexander didicit a Brachmanibus, qui Indorum ſubtiliſſimi & ſapientiſſimi habentur, ut Perſarum Magi.*

LV. Sane Magorum ſcitis omnia publica privataque ſacra ſubjiciebantur: ut eſſet, quo conſultum plebs veniret, ne quid divini juris, negligendo patrios ritus, peregrinoſque adſciſcendo, turbaretur. *Nyctegreto* autem herba, quae & *Chenonychos* appellatur, *Magos, Parthorumque Reges, uti ad vota ſuſcipienda*, PLINIUS *libr.* XXI. *cap.* XI. tradit. Ipſos etiam Reges Magorum ſacris initiatos fuiſſe, CICERO *libr.* I. *de Divinat. cap.* 41. ſcribit. DIO CHRYSOST. *Orat.* XLIX. *pag.* 538. Magos Regibus a conſiliis fuiſſe ait, οἳ τὴν φύσιν ἦσαν ἔμπειροι, καὶ τοὺς θεοὺς ᾔδεσαν ὡς δεῖ θεραπεύειν. *Quod naturae haberent experientiam, & noſſent, quo pacto dii eſſent colendi.* Magos utique a Cambyſe ſuſcepiſſe τὰ Περσῶν βασίλεια ὅτε εἰς τὴν Αἴγυπτον ἐστρατεύετο. *Perſarum*

(*a*) MYSTERIIS] *Miniſteriis* legitur in noviſſimis editionibus. TR.

(*b*) Οἷς] Ita & in editis Xenophontis, & in omnibus ante Lederlinum edd. legitur: hic vero ſubſtituit ὡς; quod eum conſulto feciſſe, ex verſione colligo: juxta veram enim lectionem ſenſus eſt: *quibus* (Diis) *mactandas cenſebant Magi.* TR.

(*c*) Ita ex Xenoph. repoſui, prior editio legebat, ἐποίουν. L.

(*d*) LIB. V.] In hoc libro nihil occurrit, quod huc ſpectaret. Auctor forſan reſpexit ad locum *lib.* XVI. *pag.* 1106. (762.) TR.

(*e*) PLATO] Intelligit locum, quem ſtatim in ſequentibus integrum adducit, ex PLATONE in *Alcibiade* I. *pag.* 441. ex quo & auctor ſupra *lib.* I. §. CXV. quaedam attulit. TR.

(*f*) Καὶ] Haec particula ab optimis Codicibus abeſt. TR.

(*g*) Ἐξελαύνων prior editio; quod in ἐξετάζων mutavi, ex edit. H. Stephani. L. Cum qua *nov. Tollii ed.* conſpirat. Ad ſenſum vero ſupplendum initio hujus loci addenda verba: Τὰ μὲν Ἰνδῶν κλ. TR.

ſarum regiam, quando in Aegyptum cum exercitu profectus eſt, Dio Chrysostomus *Orat. de Fide, iuit. pag.* 632. refert. Unde *Magos* Regiarum aedium Cuſtodes Constantinus Manasses *pag.* 15. (18) appellat. Plinius *libr* xxx. *cap.* 1. de Magica arte tractans, *In tantum*, ait, *faſtigii adolevit, ut hodieque etiam in magna parte gentium praevaleat, & in Oriente Regum Regibus imperet.* Auctoritate quoque & gratia apud Reges plurimum Magos valuiſſe, Socrates *libr.* vii. *Hiſtor. Eccleſiaſtic. cap.* viii. ſcribit. Nec non Divus Hieronymus in *Danielis cap.* ii. *v.* 2. Magos Philoſophos fuiſſe Chaldaeorum, & ad artis eorum ſcientiam Reges & Principes ejuſdem gentis omnia facere tradit.

LVI. Denique maximo Magos olim in pretio & honore apud Perſas fuiſſe, Eustathius in *Commentariis Dionyſii de ſitu orbis*, *v.* 1056. *pag.* 279. ſcribit. Quin & Agathias, *libr.* ii. *pag.* 47. (65.) ſuis etiamnum temporibus Perſas ſumma obſervantia ac veneratione Magos ſuos coluiſſe: eorum conſilio ac vaticiniis omnia publica negotia geſta: de conſilii eorum ſententia bene de Republica meritis praemia decreta: nocentibus contra poenas irrogatas ſcribit: proindeque cognitionibus Principum ac Magiſtratuum interfuiſſe, nec quidquam juſtum, licitum, legitimumve habitum, quod non eſſet eorum ſententiis comprobatum. Suidas: Μαγική. ταύτην εὗρον Μῆδοι καὶ Πέρσαι· ἡ διαφέρουσα τῆς γοητείας καὶ αὐτῆς τῆς φαρμακείας. *Ars Magica. hanc Medi & Perſae invenerunt. Differt autem a* γοητείᾳ *&* φαρμακείᾳ.

LVII. Magorum vero ortum, progreſſum, incrementa, nemo melius Ammiano Marcellino expoſuit. Is enim *libr.* xxiii. *cap.* 6. poſtquam ex Platone Magiam *divinorum incorruptiſſimum cultum* definit, addit: *Cui ſcientiae ſeculis priſcis multa ex Chaldaeorum arcanis Bactrianus addidit Zoroaſtres: deinde Hyſtaſpes* (a) *prudentiſſimus Darii pater, qui cum ſuperioris Indiae ſecreta fidentius penetraret, ad nemoroſam quandam venerat ſolitudinem, cujus tranquillis ſilentiis praecelſa Bracmanorum ingenia potiuntur: eorumque monitu, rationes mundani motus & ſiderum, puroſque ſacrorum ritus, quantum colligere potuit, eruditus, ex his, quae didicit, aliqua ſenſibus Magorum infudit: quae illi, cum diſciplinis praeſentiendi futura, per ſuam quiſque progeniem, poſteris aetatibus tradunt. Ex eo, per ſecula multa, ad praeſens, una eademque proſapia multitudo creata, Deorum cultibus dedicatur.* Cujus Magorum originis apud veteres numerus erat exilis: verum, ut ibidem Ammianus Marcellinus, *aucti paulatim, in amplitudinem gentis ſolidae conceſſerunt & nomen: villaſque inhabitantes nulla murorum firmitudine communitas, & legibus ſuis uti permiſſi, religionis reſpectu ſunt honorati.* Plinius *lib.* xxx. *c.* 1. Magicam ſine dubio ortam in Perſide a Zoroaſtre, inter auctores convenire ait. *Sed unuſne hic fuerit, an poſtea & alius, non ſatis conſtat. Eudoxus, qui inter ſapientiae ſectas clariſſimam utiliſſimamque eam intelligi voluit, Zoroaſtrem hunc ſex millibus annorum ante Platonis mortem fuiſſe prodidit. Sic & Ariſtoteles. Hermippus, qui de tota ea arte diligentiſſime ſcripſit, & vicies centum millia verſuum a Zoroaſtre condita, indicibus quoque voluminum ejus poſitis, explanavit, praeceptorem, a quo inſtitutum diceret, tradidit Azonacem, ipſum vero quinque millibus annorum ante Trojanum bellum fuiſſe.* Et paulo poſt: *Primus extat (ut equidem invenio) commentatus de ea Oſthanes, Xerxem Regem Perſarum bello, quod is Graeciae intulit, comitatus, ac velut ſemina artis portentoſae ſparſiſſe, obiter infecto, quacunque commeaverat, mundo. Diligentiores paulo ante hunc ponunt Zoroaſtrem alium Proconneſium. Quod certum eſt, hic maxime Oſthanes ad rabiem, non aviditatem modo ſcientiae ejus, Graecorum populos egit*: Ac demum *non levem & Alexandri magni temporibus auctoritatem addidit profeſſioni ſecundus Oſthanes, comitatu ejus exornatus, planeque, quod nemo dubitet, orbem terrarum peragravit.* Clemens *lib.* iv. *Recognition.* Perſas genus ſuum ducere ab uno ex filiis Cham, qui *Meſraim* appellabatur, quem poſt obitum *Zoroaſtrem*, hoc eſt, vivum ſidus nominavere: Eum autem, igne a daemone immiſſo, crematum tradit: cineres lectos, & ad Perſas delatos, ut ab iis, tanquam coelo in terras delapſus ignis, perpetuis ſervaretur excubiis, ac pro Deo coleretur. Plutarchus in *libr. de Iſide & Oſiride*, *pag.* 369. poſt relatam eorum ſententiam, qui duos eſſe Deos credebant, quaſi adverſarios & ἀντιτέχνους: quorum alter Bona, alter Mala, operaretur: illumque *Deum*; hunc *Daemonem* appellabant: idem & ſenſiſſe Zoroaſtrem ait, qui ἐκάλει τὸν μὲν, *vocabat illum quidem*, (videlicet Bonum Genium) Ὡρομάζην ſeu Ὡρομάσδην· *Oromazen* ſeu *Oromaſdem*; τὸν δὲ, *hunc vero*, (ſcilicet malum Genium) Ἀρειμάνιον· μέσον δὲ ἀμφοῖν, τὸν Μίθρην εἶναι· διὸ καὶ Μίθρην Πέρσαι τὸν μεσίτην ὀνομάζουσιν. *Arimanium: medium horum eſſe Mithren, quare & Perſae Mithren vocant Meſiten, i. e. mediatorem ſeu intermedium.* Ac illi quidem, votorum ſolvendorum & gratiarum agendarum cauſa, felices; huic contra, malorum averruncandorum cauſa, diras & ſurvas hoſtias mactandas dicebat. A quo edocti Magi, ut ibidem refert, herbam quandam Omomi appellatam, in mortario tundentes, Ditem invocabant & tenebras: deinde, admixto lupi jugulati ſanguine, efferebant & abjiciebant in locum obſcurum, & quo ſolis radii non pertingerent. Quin & de Stirpibus, & de Beſtiis ita opinabantur, alias τῷ Ἀγαθῷ Θεῷ, alias, τῷ κακῷ Δαίμονι εἶναι. Alia praeterea multa de Oromaſde & Arimane fabuloſa ab iis narrari ſubjicit.

LVIII. Suidas etiam Zoroaſtrem ipſius Magorum appellationis auctorem facit, Ζωροάστρης, inquiens, Περσομήδης ὃς πρῶτος ἦρξατο τοῦ παρ' αὐτοῖς πολιτευομένου (b) ὀνόματος τῶν Μάγων. *Zoroaſtres, Perſomedus, qui primus auctor Magorum nominis apud ipſos recepti.*

LIX. Totam autem Magorum doctrinam Diogenes Laertius in *Prooemio* Librorum, quos *de vitis philoſophorum* conſcripſit, *Segm.* 6. *ſeqq.* paucis complectitur, hoc modo: Τοὺς δὲ Μάγους περί τε θεραπείας θεῶν διατρίβειν, καὶ θυσίας καὶ εὐχὰς, ὡς αὐτοὺς μόνους ἀκουομένους· ἀποφαίνεσθαί τε περί τε οὐσίας θεῶν

(a) Hystaspes] In editis additur *Rex*; quod vocabulum vel ab imperita manu in textu additum, vel ab Ammiano ſumitur pro Satrapa. TR.

(b) Πολιτευομένου] In *nov. ed.* legitur πολιτευομένου. Ceterum de Zoroaſtre, ſive unus, ſive plures hujus nominis fuerint, conſule *Th. Hyde* Opus laudatum, & ſcriptores Hiſtoriae literariae, inprimis philoſophicae, quorum diligentiſſimus hac in parte *Petr. Lambecius* in *Prodromo* ſuo. TR.

θεῶν καὶ θυσιῶν, ὡς καὶ πῦρ εἶναι, καὶ γῆν, καὶ ὕδωρ· τῶν δὲ ξοάνων καταγινώσκειν, καὶ μάλιστα τῶν λεγόντων ἄῤῥενας εἶναι θεοὺς καὶ θηλείας· περί τε δικαιοσύνης λόγους ποιεῖσθαι, καὶ ἀνόσιον ἡγεῖσθαι πυρὶ θάπτειν· καὶ ὅσιον νομίζειν μητρὶ ἢ θυγατρὶ μίγνυσθαι, ὡς ἐν τῷ εἰκοστῷ τρίτῳ ὁ Σωτίων. ἀσκεῖν τε καὶ μαντικὴν, καὶ πρόῤῥησιν, καὶ αὐτοῖς θεοὺς ἐμφανίζεσθαι λέγοντας· ἀλλὰ καὶ εἰδώλων πλήρη εἶναι τὸν ἀέρα, κατ' ἀπόῤῥοιαν ὑπὸ ἀναθυμιάσεως εἰσκρινομένων ταῖς ὄψεσι τῶν ὀξυδερκῶν· καλλωπισμῶν τε καὶ χρυσοφορίας ἀπαγορεύειν. τούτων δὲ ἐσθὴς μὲν λευκή, στιβὰς δὲ χαμαί, καὶ λάχανον τροφή, τυρός τε καὶ ἄρτος εὐτελής· καὶ κάλαμος ἡ βακτηρία· ᾧ κεντοῦντες (φασί) τὸν τυρὸν ἀνῃροῦντο καὶ ἀπήσθιον. τὴν δὲ γοητικὴν μαγείαν οὐδ' ἔγνωσαν, φησὶν Ἀριστοτέλης ἐν τῷ Μαγικῷ, καὶ Δείνων ἐν τῇ πέμπτῃ τῶν ἱστοριῶν. *Magos deorum vacare cultui, ſacrificiiſque ac precibus, quaſi ſoli ab iis exaudiantur; praeterea de deorum ſubſtantia & ortu ſententias proferre; quos & ignem, terramque & aquam eſſe arbitrentur. Signa ſtatuaſque repudiare, & eorum inprimis, qui mares eſſe deos ac feminas eſſe dicunt, opinionem improbare. De juſtitia verba facere, impiumque arbitrari igni ſepelire, fas putare matri ac filiae miſceri, ut in vigeſimo tertio libro ait Sotion. Divinationem praeterea, praedictionemque exercere, ſibi Deos apparere aſſerentes: ſed & plenum eſſe aërem ſimulacrorum, quae cum e corporibus effluant, cum vaporum elevatione oculis acute cernentium inferantur. Eoſdem facierum ornamentis aurique uſu in veſtitu, interdicere. His autem veſtis candida; lectus humus; eſca olus, caſeus, paniſque cibarius eſt. Arundine pro baculo utuntur, cujus ſummitate caſeum figebant, & ad os attollentes comedebant. Praeſtigiis utentis divinationis ignaros Ariſtoteles ait in libro, quem inſcripſit magicum, & Dinon in quinto hiſtoriarum libro.* Subjicit deinde Laertius ex *Dinonis* v. *Hiſtoriar. Ariſtotelis libr.* I. *de Philoſophia, Hermippo libr.* I. *de Magis, Eudoxo* ἐν περιόδῳ, *Theopompo libr.* VIII. *Philippicor.* & *Eudemo Rhodio*, duo, Magos principia ſtatuiſſe, Ἀγαθὸν δαίμονα καὶ Κακόν: illum Jovem, & Oromasdem; hunc Ditem & Arimanem, appellari. Magos praeterea cenſuiſſe, mortales quandoque revicturos, & ſempiterno aevo fruituros, καὶ ἔσεσθαι Ἀθανάτους, καὶ τὰ ὄντα ταῖς αὐτῶν ἐπικλήσεσι διαμένειν. *Immortaleſque futuros, & quae ſunt, illorum precibus permanſura.* Credidiſſe etiam eos, γεννητοὺς τοὺς Θεούς. Denique eos, qui de Magorum diſciplina ſcripſerant, Herodotum mendacii inſimulaſſe ait. Neque enim jacula in Solem miſiſſe Xerxem, ut ille memoriae prodidit; nec compedes Mari injeciſſe: propterea quod a Magis, numinum loco, Sol & Aqua, colerentur. Ex quibus perſpicue apparet, Magos Perſis, falſa illa ſua numina colendi, auctores fuiſſe. Clemens Alexandr. in προτρεπτικῷ *cap.* 5. *pag.* 56. (43.) Περσῶν δὲ οἱ Μάγοι τὸ Πῦρ τετιμήκασι. *Perſarum vero Magi ignem coluerunt.* Et mox; ἀλλά μοι Σαυρομάτας καταλεγέτω, οὓς Νυμφόδωρος ἐν Νομίμοις βαρβαρικοῖς, τὸ Πῦρ σέβειν ἱστορεῖ; ἢ τοὺς Πέρσας, καὶ τοὺς Μήδους, καὶ τοὺς Μάγους; θύειν ἐν ὑπαίθρῳ τούτους ὁ Δίνων λέγει, θεῶν ἀγάλματα μόνα τὸ Πῦρ καὶ Ὕδωρ νομίζοντας. *Quid Sauromatas recenſeam, quos refert Nymphodorus de Inſtitutis Barbaricis ignem colere? aut Perſas, & Medos, & Magos? Hos autem dicit Dinon ſacrificare ſub dio, ſola Deorum ſimulacra ignem & aquam eſſe putantes.* Vitruvius in *Praefatione lib.* VIII. *Thales Mileſius omnium rerum principium Aquam eſt profeſſus; Heraclius Ignem; Magorum ſacerdotes Aquam & Ignem.* Perſas etiam Πυρὶ θύειν, ut Aegyptios Ὕδατι, Lucianus in *Jove Tragoedo cap.* 42. *pag.* 690. *Tom.* II. ſcribit. Epiphanius *libr.* III. *contra haereſ. cap. ult.* §. 13. Παρὰ Πέρσαις Μαγουσαῖοι καλούμενοι, οἱ εἴδωλα μὲν βδελυττόμενοι, εἰδώλοις δὲ προσκυνοῦντες, Πυρὶ, καὶ Σελήνῃ, καὶ Ἡλίῳ. *Apud Perſas Maguſaei, cum ſimulacra deteſtentur, ſimulacra tamen adorant, Ignem videlicet, & Lunam, atque Solem.* Unde Tyridatem, qui Armeniacum de ſe triumphum adferens, ad Neronem venit, cum Magus eſſet, navigare noluiſſe, Plinius *libr.* XXX. *cap.* II. refert, quoniam *exſpuere in Maria, aliiſque Mortalium neceſſitatibus violare naturam eam, fas non putant.*

LX. Convenienter etiam iis, quae a Laërtio traduntur, Agathias *libr.* II. *pag.* 45. (62.) Perſas duo prima rerum omnium principia ſtatuere: unum Bonum, & optima quaeque gignens, alterum pernicioſum, ac peſſimum: ac Bonum quidem Deum, ſeu Creatorem, Oromasdem; (ſic enim emendo) Cacodaemonem vero Arimanem ab illis appellari tradit. Apud Plutarchum in *Alexandro*, *pag.* 682. Eunuchus cubicularius ad Darium, οὐδὲν ἔχεις αἰτιάσασθαι τὸν πονηρὸν Δαίμονα Περσῶν. *Nihil eſt, quod malum Daemonem Perſarum incuſes.*

LXI. Signa quidem & ſimulacra Deorum, ex diſciplinae inſtituto, Magos evertiſſe, inter omnes conſtitiſſe, Laertius *Prooem. Segm.* 9. tradit. Eodemque teſte, ab his Magis Gymnoſophiſtas originem traxiſſe, Clearchus *libro* I. περὶ παιδείας, tradiderat. Aegyptiis etiam antiquiores eſſe, Aristoteles *libro* I. *de Philoſophia* ſcripſerat. A Sacerdotibus utique Aegyptiis hoc differebant, quod nullius animantis caede ſeſe Magi polluebant, praeter ea dumtaxat, quae diis immolabant: cum Aegyptii ſuis manibus quidvis, homine ac cane exceptis, occiderent.

LXII. Quaedam etiam Magorum arcana aperit Dio Chrysostomus *Orat. Boryſthenica*, *pag.* 448. *ſeq.* quae ſubjungere, vel ea maxime gratia, e re eſſe cenſui; quod illos Jovi Solique ſacros currus, quos in pompa traduci apud Perſas conſueviſſe, ex Herodoto, Xenophonte & Curtio liquet, myſticum quendam habuiſſe ſenſum inde intelligere licet. Primum autem Dio, Zoroaſtrem, a quo Magi originem repetunt, ſapientiae juſtitiaeque amore captum atque incenſum, a vulgi conſuetudine ſeſe ſubtraxiſſe, ac ſeceſſiſſe in montem, ibique ſeorſim per aliquod tempus aetatem egiſſe, ponit. Deinde habitatione illa relicta, perpetuo Igne, coe'itus delapſo & immiſſo, coruſcum ardentemque conſpiciendum ſe praebuiſſe, copiamque ſui feciſſe, non paſſim quidem omnibus, verum dumtaxat τοῖς ἀρίστοις αὐτοῖς ἀληθείας πεφυκόσι, καὶ τοῦ θεοῦ συνιέναι δυναμένοις, οὓς Πέρσαι Μάγους ἐκάλεσαν, ἐπισταμένους θεραπεύειν τὸ δαιμόνιον, οὐχ ὡς Ἕλληνες ἀγνοίᾳ τοῦ ὀνόματος οὕτως ὀνομάζουσιν αὐτοὺς γόητας· οὗτοι δὲ τά τε ἄλλα δρῶσι κατὰ λόγους ἱερούς, καὶ δὴ τῷ Διὶ τρέφουσιν ἅρμα Νισαίων ἵππων. *Iis, qui belliſſime ad veritatem eſſent natura idonei, Deumque poſſent intelligere, quos Perſae Magos vocarunt, Dei cultum ſcientes: non, ut Graeci, nominis ignoratione ſic nominant, pro veneficis habentes. Illi vero & alia juxta ſacros ſermones faciant, atque etiam Jovi aiunt currum Niſaeorum equorum.* Et mox (*a*); Τῷ δέ γε Ἡλίῳ ἕνα ἵππον. ἐξηγοῦνται δὲ τὸν μῦθον, οὐχ ὥσπερ οἱ ἡμέ-

(*a*) Inter praecedentia & ſequentia verba intersunt non niſi pauca haec: Οἱ δὲ εἰσὶ κάλλιστοι καὶ μέγιστοι τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ. *Hi autem ſunt pulcherrimi maximique omnium; qui ſunt in Aſia.* TR.

Digitized by Google

περὶ ἐμοῦ Περσῶν τῆς Μουσῶν, ἕκαστα φράζουσι, μετὰ πολλῆς πειθοῦς· ἀλλὰ μάλα αὐθαδῶς. εἶναι γὰρ δὴ τοῦδε ξύμπαντος μίαν ἀγωγήν τε καὶ ἡνιόχησιν, ὑπὸ τῆς ἀκροτάτης ἐμπειρίας τε καὶ ῥώμης γιγνομένην ἀεί, καὶ τούτων ἄπαυστον, ἐν ἀπαύστοις αἰῶνος περιόδοις· τοὺς δὲ Ἡλίου καὶ Σελήνης δρόμους, καθάπερ ἵππων μερῶν εἶναι κινήσεις· ὅθεν ὑπ' αὐτῶν ὁρᾶσθαι σαφέστερον. τὸ δὲ τοῦ ξύμπαντος κινήσεως καὶ φορᾶς, μὴ ξυνιέναι τοὺς πολλούς, ἀλλ' ἀγνοεῖν τὸ μέγεθος τοῦδε τοῦ ἀγῶνος. *Soli vero unum equum. Interpretantur autem omnia ſermone; non quemadmodum Muſarum apud nos prophetae, ſingula cum magna perſuaſione dicunt, ſed valde arroganter. Eſſe enim dicunt univerſitatis rerum unam vectionem & aurigationem, a ſumma quae fiat experientia & robore ſemper, eamque inceſſabilem in inceſſabilibus ſeculi circuitibus. Solis autem & Lunae curſus, veluti equorum, motus eſſe partium, unde & ab ipſis clarius videri. Univerſi autem motum atque curſum vulgum non intelligere, ſed illius ſpectaculi ignorare magnitudinem.* PHILO JUDAEUS *libr.* ἐν τῷ περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον ἐλεύθερον εἶναι, *quod omnis virtuti ſtudens liber ſit, pag.* 876. Perſarum Magos ita commendat; τὰ φύσεως ἔργα διερευνώμενοι πρὸς ἐπίγνωσιν ἀληθείας, καθ' ἡσυχίαν τὰς θείας ἀρετὰς τρανοτέραις ἐμφάσεσιν, ἱεροφαντοῦνταί τε, καὶ ἱεροφαντοῦσι. *Naturae prae veritatis indagandae ſtudio ſcrutatores, qui per otium divinas virtutes contemplantur clarius, initiantur, & alios iiſdem initiant myſteriis.* CICERO *libr.* 1. *Tuſculanar. quaeſtion. cap.* 45. *Magorum mos eſt, non humare corpora, niſi a feris ſint antea laniata.*

LXIII. Futura vero praedixiſſe, Deorumque voluntatem prodidiſſe Magos, vel unus CICERO *libr.* 1. *de Divinatione, cap.* 41. locuples teſtis eſſet. *In Perſis*, ait ille, *augurantur & divinant Magi: qui congregantur in fana, commentandi cauſa atque inter ſe colloquendi.* STRABO *libr.* XVI. *pag.* 1106. (762.) priſcis temporibus Μάντεις, ſeu Vates, in pretio fuiſſe ſcribit, cujuſmodi erant Magi apud Perſas: Παρὰ δὲ τοῖς Πέρσαις, ait, οἱ Μάγοι καὶ νεκυομάντεις, καὶ ἔτι οἱ λεγόμενοι λεκανομάντεις, καὶ ὑδρομάντεις. *Apud Perſas Magi, & qui Necyomantici, & Lecanomantici, & Hydromantici appellantur.* AELIANUS *libr.* II. *Var. Hiſt. cap.* XVII. ἡ τῶν ἐν Πέρσαις Μάγων σοφία τὰ τε ἄλλα οἶδεν, ὅσαπερ αὐτοῖς εἰδέναι θέμις, καὶ δὴ καὶ μαντεύεσθαι. *Perſicorum Magorum Sapientia cum alia novit, quae ipſis ſcire conceſſum eſt, tum etiam vaticinari.* Unde LUCIANUS ἐν μακροβίοις, ſive *longaevis, cap.* 4. *pag.* 210. *Tom.* III. *Magos* vocat γένος μαντικὸν καὶ θεοῖς ἀνακείμενον. *Genus fatidicum, diiſque ſacrum.* CICERO *libr.* 1. *de Divinat. cap.* 23. *Quid ergo, quae Magi Cyro illi principi interpretati ſunt, ex Dionyſii* (a) *Perſici libris proferam? Nam cum dormienti ei Sol ad pedes viſus eſſet, ter eum ſcribit fruſtra appetiviſſe manibus, cum ſe convolvens Sol elaberetur, & abiret: ei Magos dixiſſe, (quod genus ſapientum & doctorum habebatur in Perſis) ex triplici appellatione Solis, triginta annos Cyrum regnaturum eſſe portendi: quod ita contigit: nam ad ſeptuageſimum pervenit, cum quadraginta natus annos regnare coepiſſet.* Herba autem *Theangelide* pota Magos divinaſſe, PLINIUS *libr.* XXIV. *cap.* XVII. tradit. Ibidemque de Aglaophonti herba, quae & Marmaritis, ait: *Magos utique ea uti, cum velint Deos evocare.*

LXIV. Magos etiam ex notis corporis praedixiſſe, VELLEJUS PATERCULUS *libr.* II. *cap.* 24. ait.

LXV. Magos quoque de prodigiis & oſtentis conſultos indicio eſt, quod VALERIUS MAXIMUS *libr.* I. *cap.* VI. *ext.* 1. de Xerxe refert: *prius quam Athenas deleret, Lacedaemonis invadendae conſilia agitanti, admirabile inter coenam prodigium incidit. Infuſum namque paterae ejus vinum, nec ſemel, ſed iterum ac tertio, in ſanguinem converſum eſt. Qua de re conſulti Magi monuerunt, ut ab incepto abſtineret.*

LXVI. Horum & ſobrietatem & abſtinentiam continentiamque vetuſtas praedicat. D HIERONYMUS *adverſus Jovinianum libr.* II: *pag.* 206. *Tom.* IV. *Part.* II. *Eubulus quoque, qui hiſtoriam Mithrae multis voluminibus explicuit, narrat, apud Perſas tria genera Magorum; quorum primos, qui ſint doctiſſimi & eloquentiſſimi, excepta farina & olere, nihil amplius in cibo ſumere.* CLEMENS ALEXANDRINUS *libr.* III. *ſtromat. cap.* 6. *pag.* 533. Ἀμέλει διὰ φροντίδος ἐστὶ καὶ τοῖς Μάγοις, οἴνου τε ὁμοῦ καὶ ἐμψύχων καὶ ἀφροδισίων ἀπέχεσθαι. *Certe Magis curae eſt, a vino, animatis & rebus venereis abſtinere.* Ob eam certe victus rationem & ſobrietatem, aetatem eos in longos annos produxiſſe, LUCIANUS in *Macrobiis cap.* 5. *pag.* 210. *Tom.* III. ſcribit. Ac plane STRABO *libr.* XV. *pag.* 1058. (727.) eos σεμνοῦ τοῦ βίου ζηλωτὰς, *gravis vitae aemulatores*, appellat.

LXVII. Non alios vero Magi, quam indigenas, & Perſide ortos, doctrina ſua, niſi Regis permiſſu, imbuebant, quemadmodum PHILOSTRATUS *de vit. Sophiſt. lib.* 1. *num.* 40. in *Protagora* docet, cum ait: οὐ γὰρ παιδεύουσι τοὺς μὴ Πέρσας οἱ Πέρσαι Μάγοι, ἢν μὴ ὁ βασιλεὺς ἐᾷ. *Non ſolent Perſarum Magi inſtituere eos, qui Perſae non ſunt, niſi rex juſſerit.*

LXVIII. Atque hos Perſarum Magos Pythagoras adiiſſe fertur, beatae vitae comparandae cauſa, cujus cupiditate incredibili ardebat, ut CICERO *lib.* V. *de Finib. cap.* 29. ſcribit. PLINIUS *libr.* XXX. *cap.* 1. in Magices commendatione; *Certe Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato, ad hanc diſcendam navigavere, exiliis verius quam peregrinationibus ſuſceptis. Hanc reverſi praedicavere, hanc in arcanis habuere. Democritus, Apollonicem Captidenem, & Dardanum e Phoenice illuſtravit, voluminibus Dardani in ſepulcrum ejus petitis, ſuis vero ex diſciplina eorum editis.* Democritum utique poſt Pythagoram, *Magorum ſtudioſiſſimum*, idem PLINIUS *libr.* XXIV. *cap.* XVII. vocat. Apollonius etiam Tyaneus hanc ſibi in Perſide morandi, cum ad Indos iter haberet, cauſam fuiſſe ajebat, cum, ut Regem intueretur, tum, σοφίας, ὑπὲρ ἣν Πέρσαις ἐπιχώριος, μελετωμένην Μάγοις ἀνδράσι, καταμαθεῖν διεῤῥωμένος, εἰ τὰ θεῖα, ὡς λέγονται, σοφοί εἰσιν. *Sapientiam, quae patria Perſis eſt, & a Magis excolitur, explorare cupiens, an nempe in rebus divinis, uti fama eſt, ſapiant.* Idemque aliquamdiu cum iis converſatus, poſt multa, bis in die, videlicet meridie, & circa medias noctes, habita colloquia, cum eſſet ex eo quaeſitum, quid de iis ſentiret, reſpondiſſe fertur: Σοφοὶ μὲν, ἀλλ' οὐ πάντα, *ſapientes ſunt quidem, non tamen in omnibus.* Utrunque PHILOSTRATUS *libr.* I. *cap.* XXVI. & XXXII. *de vita Apollonii*, ſcribit.

LXIX. Porro apud Perſas Mulierum quoque ſacerdotia erant. Mulieres autem, quae in Sacer-

(a) DIONYSII] *Dinonis* legitur in optimis Codicibus: ut & in ſequentibus *Appetitione* pro *appellatione.* TR.

cerdotium Solis legebantur, caſte continenterque vivebant, eiſque perpetua ab omnibus viris pudicitia imperabatur. JUSTINUS *libr.* x. *cap.* 2. §. 4. & PLUTARCHUS in *Artaxerxe*, *pag.* 1025. memorant: qui in hac quidem continentiae, temperantiaeque lege congruunt: verum in eo diſcrepant, quod ille *Solis* ſacerdotibus; hic, *Dianae* (*a*), quae Ecbatanis Ἀναῖτις nomine colebatur, hanc pudicitiae legem dictam ait.

LXX. Perſas vero feſtos dies aliquos egiſſe dubium non eſt. Nam & annua feſtivitate celebraſſe eos MAGOPHONIA, id eſt, diem, quo Magi imperii incubatores & uſurpatores a Septemviris Perſis interfecti fuere, HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 79. & AGATHIAS *libr.* II. *pag.* 46. (65.) narrant. Natales etiam Regum dies, ut ſupra ex PLATONIS *Alcibiade* I. *pag.* 441. docuimus, feſti Perſis erant. Suum etiam quiſque natalem magna laetitia & feſtivitate, genio plus ſolito indulgens, transſigebat, ut HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 133. tradit his verbis: Ἡμέρην δὲ ἁπασέων μάλιστα ἐκείνην τιμᾶν νομίζουσι τῇ ἕκαστος ἐγένετο. ἐν ταύτῃ δὲ πλέω δαῖτα τῶν ἄλλων δικαιεῦσι προτίθεσθαι· ἐν τῇ οἱ εὐδαίμονες αὐτῶν, βοῦν, καὶ ἵππον, καὶ κάμηλον, καὶ ὄνον προτιθέαται, ὅλους ὀπτοὺς ἐν καμίνοισι· οἱ δὲ πένητες αὐτῶν, τὰ λεπτὰ τῶν προβάτων προτιθέαται. *Ex omnibus diebus praecipue colendum cenſent ſuum quiſque natalem: nimirum hoc die plus aliis aequum cenſentes eiborum apponere. Et ditiores integros boves, camelos, equos, aſinos, eoſque in fornacibus toſtos, iſto die in menſam apponunt: pauperes natalem minoribus pecoribus honorant.*

LXXI. Mithrae etiam quoſdam dies dicatos fuiſſe, quibus Regi vino ſe onerare fas erat: ſaltare vero uni illi conceſſum, ATHENAEUS *libr.* x. *cap.* x. *init. pag.* 434. docet, ex *Duridis hiſtoriar.* VII. citans haec: Ἐν μιᾷ τῶν ἑορτῶν τῶν ἀγομένων ὑπὸ Περσῶν τῷ Μίθρῃ, βασιλεὺς μεθύσκεται, καὶ τὸ Περσικὸν ὀρχεῖται. *Eo ſolo feſto, quo Perſae Mithrae ſacra faciunt, rex inebriatur, & Perſico more ſaltat.* Ex eodem genere erat etiam Saccarum feſtum, quod a DIONE CHRYSOSTOMO *Orat.* IV. *de Regno*, *pag.* 69. *ſeq.* deſcribitur: in qua Diogenes Alexandrum alloquens ait: Οὐκ ἐννενόηκας τὴν τῶν Σακαίων ἑορτὴν, ἣν Πέρσαι ἄγουσιν (*b*); λαβόντες τῶν δεσμωτῶν ἕνα τῶν ἐπὶ θανάτῳ, καθίζουσιν εἰς τὸν θρόνον τὸν τοῦ βασιλέως, καὶ τὴν ἐσθῆτα διδόασιν αὐτῷ τὴν αὐτὴν (*c*), καὶ τρυφᾶν, καὶ ταῖς παλλακαῖς χρῆσθαι τὰς ἡμέρας ἐκείνας ταῖς βασιλέως· καὶ οὐδεὶς οὐδὲν αὐτὸν κωλύει ποιεῖν ὧν βούλεται· μετὰ δὲ ταῦτα, ἀποδύσαντες καὶ μαστιγώσαντες, ἐκρέμασαν. *Nonne animadvertiſti Saccorum diem feſtum, quem Perſae celebrant? Accipiunt unum ex captivis ad mortem, collocantque in regis thronum, & eundem illi dant veſtitum, ſinuntque eum deliciari, & concubinis regiis uti illis diebus, & nemo illum vetat quicquam facere, quae velit. Poſthaec autem exutum virgiſque caeſum, ſuſpendunt.* Quod ludicrum ſeriam admonitionem in ſe continere docet: Οὐκ πολλάκις ἀνόητοι ἄνθρωποι καὶ πονηροὶ τὴν ἐξουσίαν ταύτην (videlicet Regalis) καὶ τὸ ὄνομα τυγχάνουσιν, ἔπειτα χρόνον τινὰ ὑβρίσαντες, αἴσχιστα καὶ τάχιστα ἀπώλοντο. εἰκὸς τοίνυν (*d*) ἐπειδὰν ἄρωσι τὸν ἄνθρωπον ἐκ τῶν δεσμῶν, (*e*) εἰκὸς ἐστι, τὸν μὲν ἀνόητον καὶ ἄπειρον τοῦ πράγματος, χαίρειν καὶ μακαρίζειν ἑαυτὸν ἐπὶ τοῖς γιγνομένοις· τὸν δὲ εἰδότα, ὀδύρεσθαι, καὶ μὴ θέλειν ἑκόντα συνακολουθεῖν, ἀλλὰ μᾶλλον ὥσπερ εἶχε, μένειν ἐν ταῖς πέδαις. *Ideo quod ſaepe ſtolidi homines & pravi, talem poteſtatem* (*regiam ſc.*) *& nomen adipiſcuntur, dein per aliquod tempus ſuperbe & inſolenter viventes, turpiſſime atque ociſſime pereunt. Proinde tum, quum hominem tollunt ex vinculis, veriſimile eſt, fatuum quidem & rei inexpertem gaudere, & ſemet propter ea, quae fiunt, beatum praedicare; gnarum vero lamentari, & nolle ſponte ſequi, ſed potius in compedibus, ut erat, manere velle.* Hoc etiam Saccarum feſto, aeque ac Saturnalibus, ſervos veſte, quae Regali haud diſſimilis eſſet, indutos, per quinque dies dominis imperaſſe, totique familiae praefuiſſe, ATHENAEUS *libr.* XIV. *cap.* 10. *pag.* 639. ita ex Beroſo narrat: Βήρωσσος δ' ἐν πρώτῳ Βαβυλωνιακῶν, τῷ Λῴῳ, φησί, μηνὶ ἑκκαιδεκάτῃ, ἄγεσθαι ἑορτὴν, (*f*) Σακέας προσαγορευομένην, ἐν Βαβυλῶνι ἐπὶ ἡμέρας πέντε· ἐν αἷς ἔθος εἶναι ἄρχεσθαι τοὺς δεσπότας ὑπὸ τῶν οἰκετῶν, ἀφηγεῖσθαί τε τῆς οἰκίας ἕνα αὐτῶν ἐνδεδυκότα στολὴν ὁμοίαν τῇ βασιλικῇ, ὃν καὶ καλεῖσθαι Ζωγάνην. *Beroſus libro primo Babylonicorum ſcripſit, menſis Loi ſexto decimo die, per quinque dies Babylone feſtum celebrari, Saceum nominant, cujus tempore ſervi dominis imperant, & ex ſervis unus quidam praeeſt aedibus, veſtem indutus regiae ſimilem, quem Zoganam vocant.* Cujus feſti etiam a CTESIA in Perſicis mentionem fieri ſcribit.

LXXII. Inter eos autem feſtos dies, qui ſua aetate in Perſide celebrabantur, praecipuum illum fuiſſe, AGATHIAS *libr.* II. *pag.* 45. (62. *ſeq.*) ſcribit, quem *Vitiorum interitum* vocabant: in quo Serpentium & venenatorum, nec non ferarum beſtiarum pleraque interficiebant, & Magis offerebant, pro inſigni pietatis argumento: hac via gratiam ſe rem bonis Diis; moleſtam vero laevis numinibus facere credentes.

LXXIII. Nec ſtatas tantum & ſollemnes Ferias, verum etiam repentinas, & quae extra ordinem, Regum juſſu & imperio indicebantur, Perſae habebant: quales Artaxerxem, dimiſſis quoqueverſum toto regno nuntiis, pro ſalute & incolumitate regni, indixiſſe refert JOSEPHUS *Antiquit. libr.* XI. *cap.* VI.

LXXIV. Atque haec fere ſunt, quae de priſca Perſarum ſuperſtitione ex veterum libris elici poſſunt. Alio ergo mutata velificatione contendamus, & tanquam e coelo in terras migrantes, a divino Perſarum jure ad humanum tranſeamus.

LXXV. Perſarum Monarchiam bonis legibus, inſtitutis ac moribus, fundatam fuiſſe conſtat. Perſicas certe leges commendans, laudibuſque efferens, XENOPHON *libr.* I. *inſtit.* *pag.* 3. eximium aliquid ac praecipuum, eas, ſupra aliorum po-

(*a*) DIANAE] Immo potius Veneris, ut ſupra monui; & huic potius, quam Soli, feminas Sacerdotes convenire, cenſet *Th. Hyde*. TR.

(*b*) Ἄγουσιν] Sequentia non immediate; ſed interjectis demum aliquot vocibus ſequuntur. TR.

(*c*) Αὐτὴν] In margine hunc locum ita emendandum & ſupplendum cenſet editor *ed. Pariſ.* 1604: τὴν βασιλικὴν, καὶ ἐᾶν, καὶ πίνειν, καὶ τρυφᾶν. *Veſtitum regium, & imperare ſinunt, ac bibere & deliciari.* TR.

(*d*) Poſt ἐπειδὰν inſere ἄρωσι, *poſtquam ſuſtulerint*. S. Neſcio, quod ſibi velit Sylburgius: nam quod verbum ille inſerendum in notis monet, illud perſpicue in textu primae auctoris editionis legitur. Excidit ergo forſan ex textu editionis Sylburgii typorum vitio; & hinc illud reſtituendum monere voluit. TR.

(*e*) Senſus poſtulat, ὡς εἰκός ἐστι. S.

(*f*) Verius fortaſſe, Σακαίαν, aut Σακέαν. S. Σακέαν habet editio Caſauboni. L.

(*g*) VITIORUM] Melius *Malorum*: in Graeco textu eſt κακῶν ἀναίρεσιν. TR.

populorum leges, habuiſſe notat. Siquidem pleriqueomnes Legiſlatores rectam puerorum adoleſcentiumque educationem (quae morum caput eſt) inſuper habentes, parentumque arbitrio liberorum inſtitutionem relinquentes: ipſis etiam, qui juſtae aetatis eſſent, vitam, prout liberet, degere permittentes: in vetandis dumtaxat coërcendiſque criminibus elaborarunt: prohibentes, verbi gratia, ne quis furtum, rapinam, injuriam, caedem, vim, ſtuprum, adulterium, faceret, aut quod aliud crimen, ſciens, dolo malo, admitteret: poenamque iis, qui adverſus legum praecepta peccaſſent, conſtituerunt. Cujuſmodi leges ſanxiſſe eos, qui primi urbes condiderunt, populumque per agros & ſilvas palantem ac diſperſum in coetus & congregationes compulerunt, Horatius in *Arte Poët. v.* 396. *ſeqq.* cecinit. At Perſae, ne admitterentur, quae legibus illis interdicebantur, ſedulo curabant: nec a vitiis criminibusve cives poenae metu deterrebant: ſed mentes ab iis cogitationeſque, ipſo virtutis amore abducebant. Criminibus enim peccatiſque obviam euntes, ut virtutem colere & amplecti, vitia odiſſe atque averſari; atque adeo a teneris (quod ajunt) unguiculis diſcerent juſtitiam moniti, & non temnere divos: civium ab ineunte aetate mores ita formabant, nihil ut nota, animadverſioneve, aut ſupplicio, dignum committerent: bonoſque eos efficere ſatagentes, ut ne in crimen incideret quiſquam, neve legum laqueis irretitus obſtrictusve teneretur, omni arte ac ſtudio praecavebant.

LXXVI. Hunc ergo ſibi propoſitum ſcopum, qua potiſſimum via & ratione Perſici legiſlatores attigerint, idem Xenophon *eod. libr.* accurate exponit. Scholam enim, ſeu ludum publicum, in quo boni mores, bene beateque vivendi artes ac praecepta docerentur, fuiſſe Perſis *Forum* quoddam, *Liberale* ſeu *Ingenuum* appellatum, ait. Cujus appellationis etymon hoc adfert, quod *Forum* illud non eſſet rerum venalium forum, boarium puta, ſuarium, aut olitorium, vel mercibus exponendis diſtrahendiſque, aut opificiis exercendis, comparatum. Quinimo ab eo Foro mercatores, negotiatores, opificeſque omnes, qui in ſordida arte verſarentur, ſummoti erant: ut ne turbae hujus ac faecis civitatis clamoribus contentionibuſque eorum, qui illic in bonis diſciplinis inſtituebantur, quique illic bene ac liberaliter educabantur, animi quies ſubterturbaretur, aut ſtrepitu aliquo eorum animi avocarentur. Xenophon *libr.* I. *mod. pag.* 3. *ſeq.* Ἔστιν αὐτοῖς ἐλευθέρα ἀγορὰ καλουμένη, ἔνθα τά τε βασίλεια, καὶ τὰ ἄλλα ἀρχεῖα πεποίηται· ἐντεῦθεν τὰ μὲν ὤνια, καὶ οἱ ἀγοραῖοι, καὶ αἱ τούτων φωναὶ, καὶ ἀπειροκαλίαι ἀπελήλανται εἰς ἄλλον τόπον, ὡς μὴ μιγνύηται ἡ τούτων τύρβη τῇ τῶν πεπαιδευμένων εὐκοσμίᾳ. *Eſt eis forum, quod Liberale vocant, in quo cum regia, tum archia cetera ſunt extructa. Hinc & venalia, & circumforanei, & clamores horum & nugae alium in locum ſunt rejectae: ne compoſitis eorum, qui jam eleganter inſtituti ſunt, moribus, illorum ſe turba immiſceat.* In cujus loci interpretatione, qui ἐλευθέρας Ἀγορᾶς, *Forum liberum* verterunt, non ſatis verborum Graecorum vim ac poteſtatem expreſſiſſe mihi videntur. Hanc autem Fori hujus appellationem, Xenophon forte a foro ejuſdem nominis duxit, quod in Theſſalia extitiſſe, Aristoteles *libr.* VII. *Politicor. cap.* XII. (*al.* XIII.) addita vocum harum notatione, ita ſcribit: πρέπει δ' ὑπὸ μὲν (*a*) τοῦτον τόπον τοιαύτης Ἀγορᾶς εἶναι κατασκευὴν, οἵαν καὶ περὶ Θετταλίαν νομίζουσιν, ἣν Ἐλευθέραν καλοῦσιν. αὕτη δ' ἐστιν, ἣν δεῖ καθαρὰν εἶναι τῶν ὠνίων πάντων, καὶ μήτε βάναυσον, μήτε γεωργὸν, μήτε ἄλλον μηδένα τοιοῦτον παραβάλλειν, μὴ καλούμενον ὑπὸ τῶν ἀρχόντων. *Decet autem ſub hoc loco hujuſcemodi fori ſedem eſſe, parem illi, quod in Theſſalia vocant Liberale. Hoc autem eſt, quod purum eſſe oportet, vacuumque a rebus cunctis venalibus: neque illiberalem artificem, neque agricolam, neque alium quempiam hujuſcemodi virum eo commeare, niſi vocatum a magiſtratibus.* Ingenui ergo Perſae in liberali ſolo Foro verſabantur. Forum vero rerum venalium non attingebant, omnique penitus commercio abſtinebant. Strabo *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) Ἀγορᾶς δ' οὐχ ἅπτονται· οὔτε γὰρ πωλοῦσιν, οὔτ' ὠνοῦνται. *Forum non attingunt; nam nec vendunt, nec emunt.* Immo vero apud Perſas nulla ejuſmodi Fora fuiſſe, aperte adſerit Herodotus *libr.* I. *cap.* 153. quo loci Cyrum Lacedaemoniorum legato reſpondiſſe refert, ſe nunquam pertimuiſſe homines illos, quibus locus erat in media urbe publicus, quo convenientes, mutuo ſeſe invicem jurejurando fallerent. Quae verba, ut ille ait, ἐς πάντας τοὺς Ἕλληνας ἀπέρριψε, ὅτι Ἀγορὰς κτησάμενοι, ὠνῇ τε καὶ πρήσι χρέωνται. αὐτοὶ γὰρ οἱ Πέρσαι Ἀγορῇσι οὐδὲν ἐώθασι χρᾶσθαι, οὐδὲ σφί ἐστι παράπαν Ἀγορή. *In univerſos Graecos deterſit, quod fora ampla haberent, in quibus negociationes exercerent: nam Perſae ipſi horum nullo diſtinentur, neque illis ullum eſt forum.* Hunc Perſarum morem Themistius *Oratione* I. (XXI. *pag.* 260.) ſic attigit: Οὐδὲ τὸν Περσικὸν νόμον αἰσχυνόμεθα, ὃς διεχώρισε τὴν ἀγορὰν τῆς ἐλευθέρας διατριβῆς. οὐκ ἐπιτρέψομεν δὲ ὅτι οἰκίαν οἰκοδομεῖσθαι, εἰς ἣν οὔτε μεταλλέας ἐμισθώσαντο, οὔτε τέκτονας (*b*). *Nec legem Perſarum eos vereri (patiemur) quae a forenſi turba liberales inſtitutiones ſemotas eſſe vult. Sed nec domum permittemus extrui, ad quam nec metallarios, nec fabros conduxerunt.*

LXXVII. In eo autem Liberali Foro Xenophon fuiſſe ait, τὰ βασίλεια, id eſt, Regiam ſeu Palatium: καὶ τὰ Ἀρχεῖα, id eſt, Judicum Praetoria, Auditoria, Magiſtratuum Secretaria, Conventus, Curias, denique loca, in quibus principes viri ad jus reddendum, docendum, interpretandum, juventutiſque mores effingendos, conſidebant. Nam qui Ἀρχεῖα, *Principia* vertunt, ex incertis incertiores lectores dimittunt. Suidas quidem Ἀρχεῖα interpretatur Κριτῶν χωρία, *Loca judicum.* Eodemque ſenſu Aristoteles hanc vocem non ſemel uſurpat: veluti *libr.* VII. *Politicor. cap.* XII. (*al.* XIII.) τῶν δὲ ἀρχείων (*c*) ὅσα περὶ τὰ συμβόλαια ποιεῖται. *Curiae vero, in quibus de contractibus agitur* &c. Et *libr. de Mundo, cap.* 6. ἔξεισιν ἄρχοντες ἐπὶ τὰ ἀρχεῖα. *Exeunt Magiſtratus in curias.* Sic & apud *Charondam* in *Legibus*, citante Stobaeo, *Serm.* XLII. *pag.* 291. Ὁ ἱερὰ καὶ Ἀρχεῖα ὑπεραίρων τῇ πολυτελείᾳ τῶν ἰδίων, μὴ δοξείσθω. *Qui ſumptuum magnificentia in privatas aedes expenſa ſuperarit templa atque Curias, nullam inde laudem ferat &c.* ubi Ἀρχεῖα inter Δημόσια, ponit.

LXXVIII. Igitur iiſdem Fori hujus liberalis ſeptis, & Regum, & Principum virorum, qui Morum Magiſtri erant, ſedes continebantur.

LXXIX.

(*a*) Omnino rectius τοῦτον τὸν τόπον, *hunc locum.* S. Immo, ita etiam legitur in editionibus, quos ego vidi. TR.

(*b*) Τέκτονας] Ad ſenſum ſupplendum adde οὐδ' οἰκοδόμους, *nec architectos.* TR.

(*c*) Edit. eruditiſſ. Hermanni Conringii habet ἔσω. quod Briſſonii lectioni praefero. L.

LXXIX. Forum autem illud Perſarum in quatuor partes, ſeu claſſes, tributum fuiſſe XENOPHON ait: quarum una Puerorum; ſecunda Adoleſcentum, ſeu Epheborum; tertia Virorum, & eorum, in quibus virilis vigor completus erat; quarta Seniorum, & eorum, qui aetatis beneficio, ſeu ſtipendiorum numero, vacationem militiae habebant. Hiſce enim aetatum (Pueritiae nimirum, Adoleſcentiae, Juſtae ſeu Perfectae aetatis, & Senectutis) gradibus atque incrementis tota Perſica inſtitutio diſtinguebatur. Quod ſignificant XENOPHONTIS verba haec: (*pag.* 4.) Διῄρηται δὲ αὕτη ἡ ἀγορὰ, ἡ περὶ τὰ ἀρχεῖα, εἰς τέτταρα μέρη. τούτων δ' ἔστιν, ἓν μὲν παισίν· ἓν δὲ ἐφήβοις· ἄλλο τελείοις ἀνδράσιν· ἄλλο τοῖς ὑπὲρ τὰ στρατεύσιμα ἔτη γεγονόσι. *Forum hoc, ad Archia ſitum, quatuor in partes eſt diſtributum. Earum prima Pueris eſt deſtinata, Puberibus altera, tertia Matura aetate viris, quarta Emeritis.*

LXXX. Pueritiam autem uſque ad decimum & ſeptimum annum Perſae porrigebant: Adoleſcentiam vero, a decimo ſeptimo anno, uſque ad vigeſimum & ſeptimum impletum: inde uſque ad quinquageſimum annum, Virilem aetatem: quam deinceps excipiebat Senectus.

LXXXI. Ac pueri quidem prima luce, aut certe bene mane, in Forum liberale veniebant: eodem loci & Ephebi, nec non quos firmata viros jam fecerat aetas, cottidie conveniebant. Seniores etiam, non modo diebus, quibus ſe ibidem ſiſtere ſuique poteſtatem facere neceſſe habebant, verum etiam quotieſcunque otium dabatur, frequentes ſeſe adſiduoſque praebebant. Hoc amplius, Ephebi quoque in Archiis aſſidue morari & cubare, corporaque illic ſomno & cibo curare conſueverant. Excipiebantur tamen hi, qui uxores duxerant: illi enim non citabantur, ac ne requirebantur quidem, niſi praedicta die, ut adeſſent, denuntiatum eſſet. Coelibes vero, & qui uxoribus carebant Juvenes, cum armis gymnicis, quibus exercebantur, ſemper Magiſtratibus apparebant. Haec nos XENOPHON docet hiſce verbis: (*pag.* 4.) Οἱ μὲν παῖδες, ἅμα τῇ ἡμέρᾳ, καὶ οἱ τέλειοι ἄνδρες· οἱ δὲ γεραίτεροι, ἡνίκ' ἂν ἑκάστῳ προχωρῇ· πλὴν ἐν ταῖς τεταγμέναις ἡμέραις, ἐν αἷς δεῖ αὐτοὺς παρεῖναι. οἱ δὲ ἔφηβοι καὶ κοιμῶνται περὶ τὰ ἀρχεῖα, σὺν τοῖς γυμνητικοῖς ὅπλοις, πλὴν τῶν γεγαμηκότων· οὗτοι δὲ οὐκ ἐπιζητοῦνται, ἢν μὴ προρρηθῇ παρεῖναι, οὐδὲ πολλάκις ἀπεῖναι καλόν. *Pueri ac perfectae aetatis viri, quamprimum illuxerit; ſeniores, ubi cuique vacuerit, extra ſtatos dies, quibus eos adeſſe neceſſe eſt. Puberes etiam circum Archia cum armis, quibus exercentur, cubant: maritis exceptis, quorum praeſentia ne requiritur quidem, niſi condictum fuerit, ut adſint: quanquam etiam hos abeſſe ſaepius turpe ducitur.*

LXXXII. Singulis vero Archiis praeerant duodecim viri: nam & Perſicus populus in tribus XII. dividebatur. Ac Pueris quidem praeficiebantur ex Senioribus lectiſſimi viri, qui illos longe optimos effecturi videbantur: ſimiliterque Ephebis ex Viris, qui juſtae aetatis eſſent, praefecti ac magiſtri dabantur, qui quam optimos effecturi viderentur. Sic enim XENOPHON *l. c.* Ἄρχοντες δ' ἐφ' ἑκάστῳ τούτων τῶν μερῶν εἰσὶ δώδεκα. (δώδεκα γὰρ καὶ Περσῶν φυλαὶ διῄρηνται) καὶ ἐπὶ μὲν τοῖς παισὶν ἐκ τῶν γεραιτέρων ᾑρημένοι εἰσὶν, οἳ ἂν δοκῶσι τοὺς παῖδας βελτίστους ἂν (a) ἀποδεικνύειν· ἐπὶ δὲ τοῖς ἐφήβοις ἐκ τῶν τελείων ἀνδρῶν, οἳ ἂν αὖ τοὺς ἐφήβους βελτίστους δοκῶσι παρέχειν. ἐπὶ δὲ τοῖς τελείοις ἀνδράσιν, οἳ ἂν δοκῶσι παρέχειν αὐτοὺς μάλιστα τὰ τεταγμένα ποιοῦντας, καὶ τὰ παραγγελλόμενα ὑπὸ τῆς μεγίστης ἀρχῆς. Εἰσὶ δὲ καὶ τῶν γεραιτέρων προστάται ᾑρημένοι, οἳ προστατεύουσιν, ὅπως καὶ οὗτοι τὰ καθήκοντα ἀποτελῶσι. *Harum partium cuique duodecim ſunt praefecti principes, quod tota Perſarum natio in totidem tribus ſit diſtributa. Praeſunt autem pueris delecti quidam ex ſeniorum coetu, qui eos effecturi quam optimos videantur. Adoleſcentibus item de virorum coetu quidam lecti, qui hos reddituri optimos exiſtimentur. Viris etiam matura jam aetate praeficiuntur, qui ſic eos inſtructuri putentur, ut quam maxime ipſis praeſcripta, & a magiſtratu ſummo imperata praeſtent. Nec ſenioribus quidem ſui praefecti deſunt, quippe quod his etiam qui praeſint delegantur, ut & ipſi officio ſuo fungantur.* Jam in puerorum quidem inſtitutione plurimum ſtudii & diligentiae Perſae adhibebant. Ac primum Liberi non prius in conſpectum Patrum veniebant, quam, ut STRABO ait, *quartum*; ut HERODOTUS, *quintum*; ut VALERIUS MAXIMUS, *ſeptimum* annum implevisſent: quorum trium auctorum leviter in hac re diſſidentes locos ſubjicere, operae pretium duxi. HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 136. Πρὶν δὲ ἢ πενταέτης γένηται, οὐκ ἀπικνέεται ἐς ὄψιν τῷ πατρί· ἀλλὰ παρὰ τῇσι γυναιξὶ δίαιταν ἔχει. τοῦδε εἵνεκα τοῦτο (b) ποιέεται, ἵνα ἢν ἀποθάνῃ τρεφόμενος, μηδεμίαν ἄσην αὐτῷ τῷ πατρὶ προσβάλῃ. *Ante quinquennium filius in conſpectum patris non venit, ſed apud feminas degit. Quod ea gratia ſic fit, ut ſi inter educationem decedat, nullam haec prolis jactura patri afferat moleſtiam.* STRABO *libr.* XV. *pag.* 1066. (733.) Τὰ δὲ τρεφόμενα, μέχρι τῶν τεττάρων ἐτῶν, οὐκ ἄγεται τοῖς γονεῦσιν εἰς ὄψιν. *Pueri ante quartum annum in conſpectum parentum non veniunt.* VALERIUS MAXIMUS *libr.* II. *cap.* VI. *ex.* 16. *Jam Perſarum admodum probabile inſtitutum fuit: quod liberos ſuos non prius aſpiciebant, quam ſeptimum implevisſent annum: quo parvulorum amiſſionem aequiore animo ſuſtinerent.*

LXXXIII. Et quoniam a teneris aſſueſcere multum eſt, & quo ſemel eſt imbuta recens, hunc ſervat odorem teſta diu: praecipue Pueri veridici eſſe, & vera loqui docebantur: ut eſſet in verbis & dictis fides, omniſque vanitas & fucus abeſſet. XENOPHON *libr.* I. *med. pag.* 34. de Cyri diſciplina; Ἐλέγετο ἐν ἐκείνῳ τῷ (c) χρόνῳ, ᾗ καὶ νῦν χρώμεθα ἔτι, ἁπλῶς διδάσκειν τοὺς παῖδας, ὥσπερ τοὺς οἰκέτας πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς διδάσκομεν, ἀληθεύειν, καὶ μὴ ἐξαπατᾶν, μηδὲ κλέπτειν, μηδὲ πλεονεκτεῖν· εἰ δὲ παρὰ ταῦτα ποιοῖεν, κολάζειν· ὅπως σὺν τοιούτῳ ἔθει ἐθισθέντες, πρᾳότεροι πολῖται εἴησαν. *Quaprepter ex eo lex orta eſt, qua nunc etiam utimur, ſimpliciter eſſe docendos pueros, quemadmodum ſervos erga nos ipſos verum dicere docemus, non decipere, neque furari, neque ſuum commodum captare; Si ſecus agant, nos animadverſuros: ut hujuſmodi conſuetudine adſuefacti, cives mitiores efficiantur.* STOBAEUS *Sermon.* XLII. *pag.* 293. ex *Nicolao* περὶ ἐθῶν· οἱ δὲ παῖδες (d) αὐτῶν, (de Perſis loquitur) ὥσπερ μαθήματα, τὸ ἀληθεύειν διδάσκονται. *Pueri ipſorum vera loqui diſcunt, ceu diſciplinas.*

At-

(a) Ἂν] Articulus hic abeſt ab *ed. Leunclavii*, & commode etiam abeſſe poteſt, quum jam ſemel in hoc ipſo commate legatur. TR.

(b) Τοῦτο] Poſt hoc verbum *Jac. Gronovius* ex *MS. Med.* inſerit ἔτι. In ſequentibus μηδεμίην ponit pro μηδεμίαν, & verbum αὐτῷ plane delet, ejuſdem *Cod.* auctoritate, ut plenius expono in *notis*, *pag.* 318. TR.

(c) Aptius χρόνῳ. S.

(d) Pro αὐτῶν apud Stobaeum eſt παρ' αὐτοῖς, *apud ipſos.* S.

Atque adeo veritatis colendae praecepta Perſicae juventutis auribus inculcabantur, & animis infigebantur, a quinto aetatis anno ad viceſimum uſque, ut HERODOTUS tradit: vel, ut STRABO, ad viceſimum & quartum uſque. Illius verba *libr.* I. *cap.* 136. ſic habent (*a*): Παιδεύουσι δὲ τοὺς παῖδας, ἀπὸ πενταετέος ἀρξάμενοι μέχρι εἰκοσαετέος, ἀληθεύειν. *Liberos ſuos, a quinto anno incipientes, uſque ad viceſimum, vera loqui docent.* Hic vero *libr.* XV. *pag.* 1066. (733.) ἀπὸ δὲ πέντε ἐτῶν, ait, ἕως τεττάρων καὶ εἴκοσι, παιδεύονται ἀληθεύειν. *A quinto uſque ad viceſimum quartum annum diſcunt vera loqui.* SUIDAS in verbo Κῦρος (*b*) ἄκρος φιλοσοφίας, εἴ τις ἄλλος, ἔμπειρος ὤν· ἅπερ παρὰ τοῖς Μάγοις ἐπαιδεύθη. Δικαιοσύνην τε καὶ Ἀλήθειαν ἐδιδάχθη, κατὰ δὴ τὸν πάτριον νόμον καθεστῶτα Περσῶν τοῖς ἀρίστοις. *Hic philoſophiae, ſi quis alius, peritus fuit, quam a Magis perdidicerat. Ad haec in diſciplina Juſtitiae & Veritatis inſtitutus fuit, ex more inſtitutoque optimatum apud Perſas.*

LXXXIV. Proinde ſummo probro vitioque Mendacium apud Perſas ducebatur. HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 138. αἴσχιστον δὲ αὐτοῖς (*c*) ψεύδεσθαι νενόμισται· δεύτερα δὲ, τὸ ὀφείλειν χρέος. *Turpiſſimum apud eos ducitur mentiri: ſecundo loco, aes alienum debere.* Nec immerito certe Mendacium, ut ingenuo & liberali homine indignum deteſtabantur: quod & ſervile vitium PLUTARCHUS, περὶ παιδ. ἀγωγ. *de liberorum educatione, cap.* 13. (*al.* 14.) *pag.* 11. appellat.

LXXXV. In primis etiam Juſtitiam Perſae a pueris edocebantur, & jus ſuum cuique tribuere in illis liberalis fori Ἀρχείοις addiſcebant. Ac quemadmodum pueri apud Graecos in ludos itabant, literarum liberaliumve artium diſcendarum cauſa: ſic apud Perſas in nobili liberalis illius Fori ludo a Magiſtris, qui non litigandi illis, ſed juris vias tradebant, verae germanaeque juſtitiae diſciplina erudiebantur: Qua de re haec XENOPHON *libr.* I. παιδ. *pag.* 4. Οἱ μὲν δὴ παῖδες εἰς τὰ διδασκαλεῖα φοιτῶντες, διάγουσι μανθάνοντες δικαιοσύνην, καὶ λέγουσιν ὅτι ἐπὶ τοῦτ' ἔρχονται, ὥσπερ παρ' ἡμῖν οἱ τὰ γράμματα μαθησόμενοι. *Pueri ergo magiſtrorum ad aedes itantes, in diſcenda Juſtitia verſantur, atque ajunt, ad hoc perinde ipſos itare, ut apud nos conſueverunt, qui literas diſcere cupiunt.*

LXXXVI. Atque quo certius diſcerent, tenaciusque eorum memoriae haereret, uti quoque modo lites, jurgia, controverſias, lege, more, jure, ex bono & aequo dirimi, judiciaque legitime exerceri oporteret, in rem eos praeſentem perducebant: ut exemplis ob oculos propoſitis, quae, ut ille ait, ſenſibus ſolent admovere lucem, & regere & regi diſcerent, duce ac magiſtra Juſtitia. Itaque, ſicut Auguſtus liberis Senatorum, quo celerius Reipublicae aſſueſcerent, protinus virili toga latum clavum ſumere, & Curiae intereſſe permiſit, quemadmodum SUETONIUS in *Auguſt. cap.* XXXVIII. refert; ita apud Perſas receptum fuit, ut Pueri judiciis quae exercebantur intereſſent: eoque modo jus reddere, & controverſias diſtrahere diſcerent. Sed poſtea, corruptis moribus, injuriae magis, quam juris exempla ex ea cauſarum auditione Perſicos auditores reportaſſe XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 240. queritur: Καὶ ὅτι γε οἱ παῖδες ἀκούοντες ἐκεῖ τότε τὰς δίκας δικαίως δικαζομένας, ἐδόκουν μανθάνειν δικαιότητα, καὶ τοῦτ' παντάπασιν ἀνέστραπται· σαφῶς γὰρ ὁρῶσι νικῶντας ὁπότεροι ἂν πλεῖον διδῶσιν. *Eſt & illud prorſus immutatum, quod pueri audiendo prius cauſarum diſceptationes, quae ex aequo fiebant, juſtitiam diſcere videbantur. Nam manifeſto vident eos ſuperiores diſcedere, qui plurimum largiuntur.*

LXXXVII. Nec vero monitis tantum praeceptorum, aut legum ſapientiaeve praeceptis, verum etiam re ipſa, juſtas, de his, quae incidebant, controverſiis, ferre ſententias, legitimaſque, pro cujuſque delicti modo & menſura, mulctas poenaſque irrogare & infligere docebantur. Itaque in ipſorummet Puerorum diſceptationibus audiendis, dijudicandiſque, bonam diei partem, iidem illi publici Juſtitiae praeceptores impendebant.

LXXXVIII. Inter ipſos enim Praetextatos, ſive puberes, ſive proximos pubertati, controverſiae ſaepe incidebant, ob res, verbi gratia, ſubreptas, raptaſve, ob convicium dictum, injuriam factam, fraudemve aliquam admiſſam. Hujuſmodi igitur quaeſtionibus motis, audientiam notionemque, qui juriſdictioni & Archio puerili praeerant, adcommodabant: & ſi quidem probationem impleſſet, reumque peregiſſet is, qui nomen detulerat, reo convicto, noxiae parem poenam infligebant: ſin vero per calumniam accuſationem inſtituiſſe accuſator compertus eſſet, eum talionis poena, aut alia legitima damnabant. XENOPHONTIS auctoritatem nemo defugiet. Ei ergo teſtimonium denuntiabo. (*lib.* I. *Cyrop. pag.* 4.) Οἱ δ' Ἄρχοντες αὐτῶν (videlicet τῶν Παίδων) διατελοῦσι τὸ πλεῖστον μέρος τῆς ἡμέρας δικάζοντες αὐτοῖς. γίνεται γὰρ δὴ καὶ παισὶ πρὸς ἀλλήλους, ὥσπερ ἀνδράσιν, ἐγκλήματα καὶ κλοπῆς, καὶ ἁρπαγῆς, καὶ βίας, καὶ ἀπάτης, καὶ κακολογίας, καὶ ἄλλων οἵων εἰκός. οὓς δ' ἂν (*d*) γνῶσι τούτων τι ἀδικοῦντας, τιμωροῦνται. κολάζουσι δὲ καὶ οὓς ἂν ἀδίκως ἐγκαλοῦντας εὑρίσκωσι. *Horum autem magiſtratus maximam diei partem in jure dicundo conterunt. Nam & pueri ſe mutuo virorum more in jus vocant de furto, de rapina, de vi, de dolo, de verborum injuriis, rebus aliis, quas incidere vero eſt conſentaneum. Quod ſi quos horum aliquid admiſiſſe compertum fuerit, ii vero poenas luunt. Etiam in eos judicium dant, quos injuſte alios accuſare deprehenderint.* Quos autem illic Xenophon Ἄρχοντας, alio ejuſdem libri loco, *pag.* 7. παίδων Διδασκάλους: & quae Ἀρχεῖα, eadem & δικαιοσύνης διδασκαλεῖα, vocat.

LXXXIX. Ab hujuſmodi vero praeceptoribus, praeter Veritatem & Juſtitiam, etiam Ingeniorum parentem, Sobrietatem; cupiditatum, voluptatum, libidinum domitricem, Abſtinentiam, Continentiam, Temperantiam, diſcebant. Quas tot egregias virtutes, non tam verbis, quam factis, abſque quibus dicta erubeſcunt, Rectores docebant. Nam cum certiſſimum ſit, ἔργα ὑπερφέρειν τῶν λόγων, *facta ſuperare verba*; magis exemplo ſuo, quam praeceptis, ſobrie frugaliterque veſci, ac continenter vivere, ventrique ac gu-

(*a*) Herodoti locus infra citatur plenius [§. CIII.] *pag.* 201. ſub fin. ſed pro ἀληθεύειν apud Herodotum eſt ἀληθίζεσθαι, *libr.* I. *p.* 36. S.

(*b*) Quae ex Suida hic afferuntur, ab eo deprompta ſunt ex Nicol. Damaſc. apud quem in Excerpt. a Valeſio editis *p.* 454. leguntur, ceu indicavit in notis ſuis ad Suidam doctiſſ. Kuſterus. L.

(*c*) Αὐτοῖς] In optimis *edd.* legitur αὐτοῖσι τὸ ψ. ex iiſdem Lederlinus jam repoſuit δεύτερα δὲ, quum ante legeretur δεύτερον. TR.

(*d*) Prior edit. vitio, haud dubie, typothetae, legebat ἀναγνῶσι, pro quo ex edit. Xen. repoſui γνῶσι. L.

gulae moderari, diſcipulos ſuos docebant, & ad ſui imitationem accendebant. Siquidem ad diſcendam temperantiam & continentiam multum conferebat, quod Seniores ipſos temperanter degere, nec prius abire cibi ſumendi cauſa, quam Rectores eos dimiſiſſent, oculis Pueri cernerent: tum etiam, quod non apud Matres, ſed apud Praeceptorem, nec niſi ſigno dato a Rectoribus, cibum Pueri capiebant: ea propter illi domo eſculenta adferebant, pro Cibo quidem, Panem; pro Obſonio, Naſturtium: Potus vero gratia, ubi ſiti laborarent, Poculum, quo e proximo flumine aquam haurire poſſent. Omnia haec (ut aes alienum more candidatorum profitear) mutua ſumpſiſſe me a Xenophonte, ingenue adgnoſco: cujus verba, chirographi mei expungendi cauſa, ſubjeci: (*pag. 5.*) Διδάσκουσι δὲ τοὺς παῖδας καὶ σωφροσύνην. μέγα δὲ συμβάλλεται εἰς τὸ μανθάνειν σωφρονεῖν αὐτούς, ὅτι καὶ τοὺς πρεσβυτέρους ὁρῶσιν ἀνὰ πᾶσαν ἡμέραν σωφρόνως διάγοντας. *Praeterea pueros ad Temperantiam condocefaciunt: plurimum vero ipſis ad hanc diſcendam confert, quod & ſeniores ipſos vident nullum non diem temperanter vivendo exigere.* Et aliquot interjectis: Διδάσκουσι δὲ καὶ ἐγκρατεῖς εἶναι γαστρὸς καὶ ποτοῦ. μέγα δὲ καὶ εἰς τοῦτο συμβάλλεται, ὅτι ὁρῶσι τοὺς πρεσβυτέρους οὐ πρόσθεν ἀπιόντας γαστρὸς ἕνεκα, πρὶν ἂν ἀφῶσιν οἱ Ἄρχοντες· καὶ ὅτι οὐ παρὰ μητρὶ σιτοῦνται οἱ παῖδες; ἀλλὰ παρὰ τῷ Διδασκάλῳ, ὅταν οἱ Ἄρχοντες σημήνωσι. φέρονται δὲ οἴκοθεν σῖτον μὲν, Ἄρτον· ὄψον δὲ, Κάρδαμον· πιεῖν δὲ, ἤν τις διψῇ, Κώθωνα, ὡς ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ ἀρύσασθαι. *Eoſdem ut ventris ac potus ſint continentes docent, atque in hoc multum adjumenti adfert, partim quod & ſeniores non prius ventris gratia diſcedere vident, quam dimiſſi a magiſtratibus fuerint: partim quod apud matrem pueri cibos non capiunt, ſed apud magiſtrum, poſtquam ita praeſides edixerint. Adferunt autem domo panes quidem in cibos; naſturtium vero pro obſonio; itemque fictile poculum, ut ſi quis ſitiat, e flumine poſſit haurire.* Eorum ergo continentiam in victu ſumma ſiccitas & integritas valetudinis ſequebatur. Rectiſſime enim Horatius *Sat. 2. libr. 2. v. 70.*

Aſpice quae victus tenuis, quot quantaque ſecum (a)
Adferat: in primis valeas bene. Nam ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul Conchylia Turdis:
Dulcia ſe in Bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret Pituita. Vides ut pallidus omnis
Coena ſurgat de dubia? & cetera.

Atque hoc modeſto victu, adhibita etiam corporis exercitatione, eam ſiccitatem conſequebantur, ut neque ſpuerent, neque mungerent, neque exſufflarent. Xenophon *libr. 1. παιδ. pag. 7.* Αἰσχρὸν μὲν γὰρ ἔτι καὶ νῦν ἐστὶ Πέρσαις, καὶ τὸ ἀποπτύειν, καὶ τὸ ἀπομύττεσθαι, καὶ τὸ φύσης μεστοὺς φαίνεσθαι. *Nam etiamnum apud Perſas expuere, & emungi, & flatus plenos videri, turpe ducitur.* Rurſuſque *libr. VIII. pag. 239. ſeq.* Νόμιμον δ' ἦν αὐτοῖς μήτε πτύειν, μήτε ἀπομύττεσθαι· (δῆλον δὲ ὅτι ταῦτα οὐ τοῦ ἐν τῷ σώματι ὑγροῦ φειδόμενοι ἐνόμισαν, ἀλλὰ βουλόμενοι διὰ πόνων καὶ ἱδρῶτος τὰ σώματα στερεοῦσθαι) νῦν δὲ τὸ μὴ πτύειν, μηδὲ ἀπομύττεσθαι ἔτι διαμένει· τὸ δὲ πονεῖν οὐδαμοῦ ἐπιτηδεύεται. *Sancitum apud ipſos lege erat, neque ſpuere, neque emungere: (planum eſt autem, id ipſos non ea de cauſa ſanxiſſe, quod corporis humori parcendum exiſtimarent, ſed quod laboribus ac ſudore ſolida corpora effici vellent) jam vero durat id quidem adhuc, ne ſpuant, neve emungant ſe, ſed laborum exercitia nulli unquam curae ſunt.* Varro *Catone, vel de liberis educandis*, citante Nonio in voce *Siccum, libr. IV. num. 433. Perſae propter exercitationes pueriles modicas, eam ſunt conſequuti corporis ſiccitatem, ut neque ſpuerent, neque emungerentur, ſufflatove corpore eſſent.* Cujus loci conciſam particulam idem Nonius citat, in verbo *Emungerentur, libr. VII. num. 110.* De Perſarum vero moderatione in victu Xenophon *libr. V. παιδ. pag. 122.* ſcribit haec: Ἐπεὶ δὲ κατενόησε τὴν μετριότητα τοῦ σίτου· ἐπ' οὐδενὶ γὰρ βρώματι οὐδὲ πόματι Πέρσης ἀνὴρ τῶν πεπαιδευμένων, οὔτ' ὄμμασιν ἐκπεπληγμένος καταφανὴς γένοιτο, οὔτε ἁρπαγῇ, οὔτε τῷ νῷ, μὴ οὐχὶ προσορᾶν, ἅπερ ἂν καὶ μὴ ἐν σίτῳ ὤν· ἀλλ' ὥσπερ οἱ ἱππικοὶ, διὰ τὸ μὴ ταράττεσθαι ἐπὶ τῶν ἵππων, δύνανται ἅμα ἱππεύοντες καὶ ὁρᾶν καὶ ἀκούειν καὶ λέγειν τι δέον, οὕτω καὶ ἐκεῖνοι ἐν τῷ σίτῳ οἴονται δεῖν φρόνιμοι καὶ μέτριοι φαίνεσθαι. τὸ δὲ κεκινῆσθαι ὑπὸ τῶν βρωμάτων καὶ τῶν πομάτων, πάνυ αὐτοῖς χοιρῶδες καὶ θηριῶδες δοκεῖ εἶναι. *Verum quum conſideraſſet in cibis moderationem (nam in nullo nec cibo nec potu Perſarum recte inſtitutorum quiſquam vel quod attinet oculos commoveri palam ſolet, vel quod rapacitatem, vel quod mentem, quo minus ea proſpiciat, quae cibis haud veſcens proſpiceret: ſed ut homines equeſtres propterea, quod in equis non perturbantur, inter equitandum & videre, & audire, & dicere, quae ſit neceſſe, poſſunt: ſic & ipſi inter epulandum eſſe ſe prudentes ac moderatos palam debere putant, ac prorſus caninum belluinumque ducunt, a cibis & potu commoveri).*

XC. Hoc amplius, etiam Magiſtratibus, monitoribus, praeceptoribuſque parere, Pueri docebantur: Seniorumque exemplo ad eam obedientiam excitabantur: quod vel Seniores obnixe, & omni ſtudio, Principibus obſequi, & eorum juſſa impigre capeſſere, conſpicerent. Haec ita Xenophon *libr. 1. παιδ. pag. 5.* Διδάσκουσι δὲ αὐτοὺς καὶ πείθεσθαι τοῖς ἄρχουσι. μέγα δὲ καὶ εἰς τοῦτο συμβάλλεται, ὅτι ὁρῶσι καὶ τοὺς Πρεσβυτέρους πειθομένους τοῖς Ἄρχουσιν ἰσχυρῶς. *Addunt praecepta de parendo magiſtratibus, qua itidem in parte plurimum valet, quod & ſeniores enixe magiſtratibus obtemperantes coram intuentur.*

XCI. Illi quoque non linguae ſolum, verum etiam animi ac virtutis Magiſtri, diſcipulis ſuis, Fabularum involucris ac figmentis, ficta, vitae regendae, fingendiſque moribus, utilia praecepta exponebant. Laudes etiam Deorum, ac res a claris viris fortiter geſtas, vel numeris, vel ſoluta oratione, decantandas proponebant. Quod Strabo *libr. XV. pag. 1066. (733.)* non obſcure ſignificat: Διδασκάλοις τε λόγων τοῖς σωφρονεστάτοις χρῶνται· οἳ καὶ τὸ μυθῶδες πρὸς τὸ συμφέρον ἀναπλέκοντες αὔξουσι, καὶ μέλους χωρὶς, καὶ μετ' ᾠδῆς, ἔργα θεῶν τε καὶ ἀνδρῶν τῶν ἀρίστων ἀναδιδόντες. *Diſciplinarum magiſtris continentiſſimis utuntur, qui & fabulas ad utilitatem accommodatas intexunt, vel ſoluta oratione, vel numeris, deorum & clarorum virorum facta celebrantes.*

XCII. Praeterea herbarum, & eorum, quae terra naſcerentur, vires, a pueris Perſae diſcebant,

(a) Locus hic ita ex editis emendandus & ſupplendus eſt:

Accipe nunc, victus tenuis quae quantaque ſecum
Afferat. Inprimis valeas bene. Nam variae res
Ut noceant homini, credas memor illius eſcae,
Quae ſimplex olim tibi ſederit. At ſimul aſſis
Miſcueris &c. Tr.

bant, ut noſſent, quae ſalutaria corpori, quae contra noxia eſſent: & illa, ſicubi uſus poſceret, conquirere; haec vitare & fugere poſſent. XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 240. Ἀλλὰ καὶ τῶν φυομένων ἐκ τῆς γῆς τὰς δυνάμεις οἱ παῖδες πρόσθεν μὲν ἐμάνθανον, ὅπως τοῖς μὲν ὠφελίμοις χρῷντο, τῶν βλαβερῶν ἀπέχοιντο. *Etiam illorum, quae e terra naſcuntur, facultates pueri antehac diſcebant, quo utilibus uterentur, a noxiis abſtinerent.*

XCIII. Atque ut earum, quas ſupra commemoravimus, virtutum amore & ſtudio: ita ex diverſo peculiari quorundam vitiorum, & in his, ut jam diximus, Mendacii odio Perſae imbuebantur.

XCIV. Secundum Mendacium, Perſae in proximo, ut HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 138. ait, turpitudinis gradu ponebant, aeris alieni molem: & illi vitio hoc vicinum & adfine malum ducebant, cum propter plurima, tum hac praecipue de cauſa, quod aeris alieni comites eſſe, fallaciam, inficiationem, perfidiam, turpem ſui occultationem, impudentiamque cenſerent: & eum, qui multis creditoribus obnoxius eſſet, cogi plerumque verba pro re dare. PLUTARCHUS in libello περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι *de vitando aere alieno*, *pag.* 829. Καὶ τοι Πέρσαι γε τὸ ψεύδεσθαι δεύτερον ἡγοῦνται τῶν ἁμαρτημάτων· πρῶτον δὲ τὸ ὀφείλειν. ὅτι καὶ τὸ ψεύδεσθαι τοῖς ὀφείλουσι συμβαίνει πολλάκις. *Enimvero Perſae ſecundum locum inter peccata adſignant mendacio, primum aeri alieno; quod mendacium debiti plerumque comes eſſe ſoleat.* APPIANUS *lib.* I. *de bellis Civilibus. pag.* 645. (382.) Ἀπεστρέφοντο γάρ μοι δοκοῦσιν οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι, καθάπερ Ἕλληνες (a), τὸ δανείζειν καὶ καπηλεύειν, ὡς βαρὺ τοῖς πένησι, καὶ δύσερι, καὶ ἐχθροποιόν· ᾧ λόγῳ καὶ Πέρσαι τὸ κιχρᾶσθαι, ὡς ἀπατηλόν τε καὶ φιλοψευδές. *Videntur illi priſci Romani, ſicut & Graeci, dare pecuniam foenori, & exercere cauponariam, ceu rem pauperibus moleſtam, & contentionibus atque inimicitiis ſerendis aptam, fuiſſe averſati. qua ratione etiam Perſae a commodando abhorrebant, ut re, quae fallaciis & mendaciis eſſet obnoxia.* Vere ergo AUTOMEDON in *Epigrammatis*, primum felicitatis gradum ſtatuit, nihil cuiquam debere:

> Εὐδαίμων, πρῶτον μὲν ὁ μηδενὶ μηδὲν ὀφείλων·
> Εἶτα δ' ὁ μὴ γήμας· τὸ τρίτον, ὅστις ἄπαις.

> *Qui nulli debet, fortunatiſſimus ille eſt:*
> *Proximus huic coelebs: tertius orbus erit.*

Proinde Auguſtus, ut eſt apud MACROBIUM *Saturnal. lib.* II. *cap.* IV. relata ad ſe magnitudine aeris alieni, quam quidem Eques Romanus, dum vixerat, excedentem ducenties, celaverat, culcitam emi cubicularem in ejus auctione ſibi juſſit, & praeceptum mirantibus hanc rationem reddit: *Habenda eſt ad ſomnum culcita, in qua ille, cum tantum deberet, dormire potuit.* Ejuſmodi quoque *Alienum aes homini ingenuo acerbam eſſe ſervitutem*, Mimus pronunciat.

XCV. Ingrati praeterea animi crimen ſumme deteſtatos Perſas accepimus: nec immerito: cum & uno ingrati nomine omnia vitia contineri veriſſime dictum ſit: & generaliter verſiculo Graeco definitum, Ingrato homine terram pejus nihil ferre: nec vero ullum vitium eſt, quod magis in odia hominum incurrat.

XCVI. Ingrati ergo apud Perſas actio prodita erat: legibuſque & moribus receptum, ut in judicium crimenque vocari poſſet is, qui beneficii accepti immemor, gratias, cum poſſet, non retuliſſet. Quem Perſarum morem, cauſis etiam additis, XENOPHON *libr.* I. παιδ. *pag.* 4. *ſeq.* eleganter exſequitur: Δικάζουσι δὲ καὶ ἐγκλήματος, οὗ ἕνεκα ἄνθρωποι μισοῦσι μὲν ἀλλήλους μάλιστα, δικάζονται δὲ (b) οὐδ' ἥκιστα, ἀχαριστίας· καὶ ὃν ἂν γνῶσι δυνάμενον μὲν χάριν ἀποδιδόναι, μὴ ἀποδιδόντα δέ, κολάζουσι καὶ τοῦτον ἰσχυρῶς. οἴονται γὰρ τοὺς ἀχαρίστους καὶ περὶ θεοὺς ἂν μάλιστα ἀμελῶς ἔχειν, καὶ περὶ γονέας, καὶ πατρίδα, καὶ φίλους. ἕπεσθαι δὲ δοκεῖ μάλιστα τῇ ἀχαριστίᾳ ἡ ἀναισχυντία. καὶ γὰρ αὕτη μεγίστη δοκεῖ εἶναι ἐπὶ πάντα τὰ αἰσχρὰ ἡγεμών. *Etiam judicant de crimine, cujus cauſſa maxima quidem inter homines odia exiſtunt, nihil autem minus fit, quam ut de eo cognoſcatur. Eſt autem hoc ingratitudinis crimen. Itaque ſi quem intellexerint gratiam non referentem, quum poſſit: in eum etiam ſevere animadvertunt. Nam ingratos homines inprimis erga deos, parentes, patriam, amicos, eſſe negligentes arbitrantur. Quin & impudentia potiſſimum ingratitudinem comitari videtur: quippe quod haec una omnium maxima dux ad turpiſſima quaeque cenſeri debeat.* Perſicam quoque hanc contra Ingratos legem, aliii etiam auctores memorant. AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIII. *cap.* 6. de Perſis: *Leges apud eos impendio formidatae, inter quas diritate exuperant latae contra Ingratos.* THEMISTIUS *Orat.* III. (XXII. *pag.* 268.) Οὐδὲν γὰρ ὅλως φιλίαν οὕτω συνδεῖ μᾶλλον εὐχαριστίας, οὔτε διαλύει ἀχαριστίας. καὶ διὰ τοῦτο ὁ Περσικὸς νόμος δίκας εἰσπράττεται ἀχαριστίας, ὅτι μάλιστα ἐμποιεῖ μῖσος· ὅπῃ δ' ἂν ᾖ, ὡς οὐδεὶς κολάζει νόμος, συνοῦσί τε αὐτῆς μισοῦσι μὲν ἀλλήλους, οὐ δικάζονται δὲ, ἀλλὰ κρύπτουσι τὸ ἔχθος. *Nihil eſt, quod amicitiam aeque ac gratitudo conglutinet; nihil, quod eam aeque diſſolvat ac ingratitudo. Hincque lege Perſis lata poenae exiguntur ob ingratitudinem, quod ea ubicunque exercetur, odii potiſſimum cauſa ſit. Ubi vero lege non coërcetur, ibi cauſa mutui odii exiſtit, & quia lis coram judice non diſceptatur, inimicitias occultant.* JOANNES TZETZES *Hiſtor. verſuum Chiliad.* III. *cap.* XCVIII. *v.* 640.

> Καὶ τί τὸν Κῦρόν σοι φημὶ χαρίτων μνημονεύειν;
> Νόμος κοινός τις Περσικός ἐστι καὶ ἀχαρίστων.
> Τοὺς ἀμειβομένους σύμπαντας χάριν ἀποδιδόναι,
> Καὶ μὴ διδόντας, ἰσχυρῶς δικάζειν καὶ κολάζειν.
> Τοὺς ἀχαρίστους οἴονται καὶ γὰρ περὶ τὴν πατρίδα,
> Καὶ περὶ γονεῖς καὶ περὶ θεὸν ἀσεβεστάτους εἶναι.

> *Et quid Cyrum tibi narro gratiarum memorem?*
> *Lex communis quaedam Perſica eſt, contra ingratos;*

Omnes

(a) In editione H. Steph. ſic legitur: τὸ δανείζειν, ὡς καπηλεύειν, ὡς βαρὺ τοῖς π. &c. quorum ſenſus eſt: *Romanos priſcos, quemadmodum & Graecos, dare pecuniam foenori, atque ac cauponariam exercere, fuiſſe averſatos, ceu rem moleſtam pauperibus, &c.* Interpres enim in edit. Steph. [illegible] videtur. Ceterum, quo in honore apud Graecos veteres cauponae fuerint, dudum docuere doctiſſ. Caſaubonus not. ad Theophr. Charact. cap. περὶ ἀπονοίας, & exoptatiſſimus praeceptor olim, atque deceſſor meus Cl. Kuhnius ad Aelian. Var. Hiſt. IX, 19. quos videſis. L. Lectionem *ed. Steph.* (quam & *Tollius* retinuit) repraeſentavit auctor in prima ſua editione, ut adeo neſciam, cur eam mutaverit *Sylburgius*. Ego veram lectionem in textu reſtituiſſem, niſi veritus fuiſſem, ne ſic nota *Lederlini* obſcura fieret. TR.

(b) q. ed. οὐχ ἥκιστα. S.

Omnes eos qui poſſunt gratias exhibere,
Neque exhibent, valde caſtigans ac puniens.
Ingratos arbitrantur enim in patriam,
Et in parentes & in deum, impiiſſimos eſſe.

Itaque, utrum conſulto & ſciens prudens, an μνησικακῶς, ut ſit, ἁμαρτάνῃ, SENECA *libr.* III. *de Beneficiis, cap.* VI. ſcripſerit: *Excepta Macedonum gente, non eſt in ulla data adverſus ingratum actio*; aliis judicandum relinquo: conſtanter quippe in vetuſtis omnibus codicibus *Macedonum*, non *Medorum*, ut quidam emendant (*d*), ſcribitur. Utut ſit, nullam eo nomine neque ordinariam, neque extraordinariam actionem, alibi competiſſe ait. *Adverſus maleficium omne conſenſimus, & homicidii, veneficii, parricidii, violatarum religionum, alibi atque alibi diverſa poena eſt, ſed ubique aliqua. Hoc frequentiſſimum crimen nuſquam punitur, ubique improbatur. Neque abſolvimus illud: ſed cum difficilis eſſet incertae rei aeſtimatio, tantum odio damnavimus & inter ea reliquimus, quae ad vindices Deos mittimus.* Ac deinde multas rationes adfert, propter quas crimen hoc in legem cadere non debeat.

XCVII. Nec minus inviſum Perſis Deſertionis crimen fuit. Acerbas enim adverſus Deſertores latas a Perſis leges, AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIII. *cap.* 6 notat.

XCVIII. Perſas vero ſumma obſervantia ac pietate parentes ſuos coluiſſe, argumento eſt, quod vel in conſpectum matris conſidere nefas erat, niſi illa permiſiſſet, ut Q. CURTIUS *lib.* V. *cap.* 2. §. 22. docet, quo loci Alexander Siſygambim, Darii matrem, quam omni honore, ac filii quoque pietate, proſequebatur, alloquens, *Quotieſcunque*, ait, *ad te veni, donec ut conſiderem annueres, reſtiti.* Ac plane TERTULLIANUS in *lib. de Oratione, cap.* 12. *Irreverens eſſe adſidere ſub conſpectu, contraque conſpectum ejus, quem maxime reverearis ac venereris*, ait. Cyaxarim filiae nuptias cum ingenti dote Cyro obtuliſſe, XENOPHON *libr.* VIII. Κυρ. *pag.* 228. refert. Is vero, non niſi patris matriſque aſſenſu, fas ſibi eſſe ducens matrimonium contrahere, reſpondit: Βούλομαι σὺν τῇ τοῦ πατρὸς γνώμῃ, καὶ τῇ τῆς μητρὸς, ταῦτά σοι συναινέσαι. *In his annuere tibi de patris ac matris ſententia volo.*

XCIX. Sed & Perſae hac rara laude gloriabantur, quod apud eos nullus unquam inventus eſſet, qui parentibus ſuis impias manus attuliſſet. Nam ſi quis tale quid patraſſet, diligenti ſuper hoc inquiſitione habita, compertum ſemper, aut ſubjectum ſuppoſitumque fuiſſe partum, aut adulterinum, vel obliquum a matre genus duxiſſe: nec adduci poterant, ut crederent, tantum ſcelus in alios, quam ſpurios, aut vulgo quaeſitos liberos, cadere poſſe: alienumque a natura, & parum credibile eſſe, ut certus parens a juſtis liberis interimeretur. Quod fide mea eſſe non jubeo, ſed fides penes auctorem eſto, id eſt, HERODOTUM, quem in jure ſiſtere ſatis habeo: & is litem excipiens, haec proſe *libr.* 1. *cap.* 137. allegat: Ἀποκτεῖναι δὲ οὐδένα κω λέγουσι τὸν ἑωυτοῦ πατέρα, ἢ (*b*) μητέρα· ἀλλὰ ὁκόσα ἤδη τοιαῦτα ἐγένετο, πάντα ἀνάγκην φασὶ ἀναζητεόμενα ταῦτα ἀνευρεθῆναι, ἤτοι ὑποβολιμαῖα ἐόντα, ἢ μοιχίδια. οὐ γὰρ δή φασι εἰκὸς εἶναι τόν γε ἀληθῶς τοκέα ὑπὸ τοῦ ἑωυτοῦ παιδὸς ἀποθνήσκειν. *Suum autem patrem aut matrem ajunt neminem occidiſſe: verum quotquot horum forte acciderunt, omni neceſſitate excuſſa, hos tandem deprehenſos tradunt aut ſubdititios, aut ſpurios. Quippe veriſimile nequaquam videri ajunt, ut is, qui verus parens ſit, a proprio filio interimatur.* Cujus fidem quoque ſecutus *Nicolaus* περὶ ἐθῶν, ut eſt apud STOBAEUM *Sermone* XLII. *pag.* 293. Ἐὰν δέ τις πατέρα κτάνῃ, ὑποβλητὸν αὐτὸν οἴονται. *Si quis patrem occiderit, ſubdititium eſſe putant.* Plane Artaxerxes Mnemon, (quemadmodum AEMILIUS PROBUS *de Regib.* XXI. *cap.* 1. §. 4. ait,) cum matris ſuae ſcelere amiſiſſet uxorem, *tantum induiſit dolori, ut eum pietas vinceret.*

C. Illud ſatis conſtat, Perſarum moribus Filios familias in patrum poteſtate fuiſſe. Atque adeo ARISTOTELES *libr.* VIII. *Ethicorum, cap.* 10. (*al.* 12.) §. 19. patriam poteſtatem apud Perſas tyrannicam fuiſſe ait: uſos enim liberis ſuis, ut ſervis. Quod & Romae olim obtinuiſſe non eſt ignotum. Patria enim Populi Romani poteſtas proxime ad dominicam accedebat: Filiorumque familias ſtatus (*c*) parum a ſervili condicione diſtabat: cum in illos, aeque atque in mancipia, vitae & necis jus patres haberent.

CI. Poſtremo, ut moralem hanc inſtitutionis Perſicae partem abſolvam, Perſis quaecumque factu, eadem & dictu turpia cenſebantur: nec minus verborum, quam factorum obſcoenitas vitabatur: nec dicere licebat, quod non & facere fas juſque eſſet. HERODOTUS *libr.* 1. *cap.* 138. Ὅσσα (*d*) δέ σφι ποιέειν οὐκ ἔξεστι, ταῦτα οὐδὲ λέγειν ἔξεστι. *Quaecunque apud eos facere non licet, ea nec dicere fas eſt.* NICOLAUS περὶ ἐθῶν, ut eſt apud STOBAEUM, *Sermon.* XLII. *pag.* 293. Πέρσαις ἃ μὴ ποιεῖν ἔξεστιν, οὐδὲ λέγουσιν. *Quaecunque Perſis facere non licet, ea nec dicunt.*

CII. Liberi autem omnium Perſidis procerum in Regiae veſtibulo, ſeu pro foribus erudiebantur: ubi multa ſummae continentiae ac temperantiae documenta excipere erat: turpe autem & indecorum nihil nec cernere, nec audire. Contemplabantur item Pueri, quibus Rex honorem haberet, & quos ignominia notaret. Quo fiebat, ut a primis aetatis annis & imperare, & parere diſcerent. Quod XENOPHON *libr.* 1. Ἀναβάσ. *pag.* 266. ita ſcribit: Πάντες γὰρ οἱ τῶν ἀρίστων Περσῶν παῖδες ἐν ταῖς βασιλέως θύραις παιδεύονται· ἔνθα πολλὴν μὲν σωφροσύνην καταμάθοι ἄν τις, αἰσχρὸν δ' οὐδὲν οὔτ' ἀκοῦσαι, οὔτ' ἰδεῖν ἔστι. Θεῶνται δ' οἱ παῖδες καὶ τοὺς τιμωμένους ὑπὸ βασιλέως καὶ ἀκούουσι, καὶ ἄλλους ἀτιμαζομένους, ὡς εὐθὺς παῖδες ὄντες μανθάνουσιν ἄρχειν τε καὶ ἄρχεσθαι. *Nam ſumma dignitate hominum apud Perſas libe-*

(*a*) EMENDANT] Verbi gratia *M. Antonius Muretus Var. lib.* XII. *cap.* 3. quam emendationem in textum recepit *Schottus* in *ed. Col. Allobr.* 1613. 8. Probat quoque illam *Jo. Harduinus* in *notis* ad *Themiſtium l. c. pag.* 514. TR.

(*b*) Ἢ] *Jac. Gronovius* ex *MS. Med.* repoſuit οὐδὲ. In ſequentibus ex eodem *Cod.* οἰκὸς, pro εἰκὸς; & ἀληθέως pro ἀληθῶς ſubſtituit. Verſionem quoque ita emendat: *verum quotquot talia forte acciderunt, dicunt omnino neceſſum eſſe, ut bene ſi excuſſi tandem deprehenſi fuerint aut ſubdititii, aut ſpurii.* TR.

(*c*) STATUS] Domeſticus ſcilicet, reſpectu patris; non civilis, reſpectu reipublicae. TR.

(*d*) Ὅσσα] Ἅσσα ex *MS. Med.* ſubſtituit *Jac. Gronovius.* TR.

ri regis in aula educantur, ubi magnam continentiam animadvertere licet, nec eſt quidquam iſtic turpe vel audire vel videre. Quin etiam ſpectant pueri cum eos, qui a rege ornantur, deque iis audiunt, tum alios, qui ignominia notantur. Qua fit, ut mox a prima pueritia parendi & imperandi leges diſcant. In provinciis quoque idem obſervatum, ut nobiliorum filii pro foribus Satraparum continentiae praeceptis inſtituerentur, idem XENOPHON *libro* VIII. παιδ. *pag.* 231. [*p.* 182.] ita ſcribit: Ὁπόσοι δ' ἂν γῆν καὶ ἀρχεῖα λάβωσιν, ἀναγκάζειν τούτους ἐπὶ θύρας ἰέναι, καὶ σωφροσύνης ἐπιμελομένους, παρέχειν αὑτοὺς τῷ σατράπῃ χρῆσθαι, ἤν τι δέηται. παιδεύειν δὲ καὶ τοὺς γιγνομένους παῖδας ἐπὶ θύραις, ὥσπερ παρ' αὐτῷ. *Quod ſi qui agrum & palatia conſecuti eſſent, eos ad frequentandum aulam cogerent, utque temperantiae ſtudioſe addicti, Satrapae ſemet utendos exhiberent, ſi quid uſus poſceret. Etiam liberos, qui eis naſcerentur, ad frequentandum aulam inſtituerent, quemadmodum apud ipſum fieret.* Et mox (*a*): Ταῦτα δὲ Κύρου οὕτω τότε ταξαμένου, ἔτι καὶ νῦν τῷ αὐτῷ τρόπῳ πᾶσαι μὲν αἱ ὑπὸ βασιλεῖ φυλακαὶ ὁμοίως φυλάττονται, πᾶσαι δὲ αἱ τῶν ἀρχόντων θύραι ὁμοίως θεραπεύονται. *Atque haec, uti tum Cyrus inſtituit, ſic etiam hodie cuncta regis imperio ſubjecta praeſidia ſervant, atque omnes magiſtratuum aulae aſſiciuſe celebrantur.*

CIII. Jam ut ad ea, quae reſtant, Perſicae inſtitutionis capita, quae quidem in corporis exercitatione verſabantur, accedam, ſumma cura pueri, ut XENOPHON *libr.* I. παιδ. *pag.* 5. auctor eſt, diſcebant τοξεύειν καὶ ἀκοντίζειν, *ſagittare & jaculari.* CLEMENS ALEXANDRINUS *libr.* I. *Poedag. cap.* VII. *pag.* 131. ἀλλὰ τοξεύειν μόνον οἱ παῖδες αὐτοῖς μανθάνουσι, *ſolam ſagittandi artem diſcunt ipſorum pueri.* Eſt autem Τοξεύειν, arcu ſagittas mittere, ſeu *Sagittare*: quod verbum optimae notae eſt, ac ne quis de ejus Latinitate dubitet, patronos adſertoreſque habet, CURTIUM *lib.* VII. *cap.* 5. §. 42. JUSTINUM *lib.* XLI. *cap.* 2. §. 5. Ἀκοντίζειν vero, *Jaculari*, id eſt, ut QUINCTILIANUS *libr.* VIII. *cap.* II. interpretatur, *Jaculum emittere.* Jaculum autem excuſſo lacerto vibrari, intorqueri, dirigi, non eſt ignotum. Apud Perſas utique Equitandi & Jaculandi laus vigebat. A pueris ergo Equos aſcendere, in equis ſedere, ferocitate exultantes domare, flectere, & ex ingenti curriculo, in exiguum gyrum compellere, denique ex equis pugnare, Perſae diſcebant. Et quidem a quinto anno ad viceſimum uſque, ut HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 136. ait: aut ad quartum & viceſimum uſque, ut STRABO *libr.* XV. Pueri Equitare, Jaculari, & Tela mittere docebantur. HERODOTI verba ſunt haec: Παιδεύουσι δὲ τοὺς παῖδας ἀπὸ πενταέτεος ἀρξάμενοι, μέχρι εἰκοσαέτεος, τρία μοῦνα, Ἱππεύειν, καὶ Τοξεύειν, καὶ Ἀληθίζεσθαι (*b*). *A quinto anno incipientes uſque ad viceſimum, tribus duntaxat inſtituunt pueros, equitare, arcu ſagittas mittere, & vera loqui.* STRABO vero *libr.* XV. *pag.* 1066. (733.) Ἀπὸ δὲ, ait, πέντε ἐτῶν ἕως τετάρτου καὶ εἰκοστοῦ παιδεύονται, Τοξεύειν, καὶ Ἀκοντίζειν, καὶ Ἱππάζεσθαι. *A quinto anno uſque ad viceſimum quartum docentur, arcu Sagittas mittere, Jaculari, atque Equitare.* In eodemque exercitio perſtabant etiam hi, qui ad virilem aetatem pervenerant. XENOPHON *libr.* I. παιδ. *pag.* 6. Αἱ δ' αὖ μένουσαι φυλαὶ διατρίβουσι μελετῶσαι τά τε ἄλλα, ἃ παῖδες ὄντες ἔμαθον, καὶ Τοξεύειν, καὶ Ἀκοντίζειν· καὶ διαγωνιζόμενοι ταῦτα πρὸς ἀλλήλους διατελοῦσιν. *Quae autem domi manent tribus, eae cum aliis in exercitiis, quae pueri tractarent, verſantur: tum in Sagittando, ac Jaculando: in quibus ſane perpetuae inter eos contentiones exiſtunt.* Unde HIMERIUS ἐν μελέταις. *pag.* 64. Πέρσαι τε (*c*) τόξα σπουδάζουσι· καὶ πᾶς ὁ βίος αὐτοῖς φαρέτρα καὶ βέλη. *Perſae arti Sagittandi dant operam; totaque eorum vita in pharetra & telis occupatur.* ATHENAEUS quoque *libr.* X. *cap.* X. *pag.* 434. Perſas ἱππεύειν μανθάνειν, *equitare diſcere*, ait.

CIV. Eadem Equitandi Jaculandique ad Partho-Perſas quoque diſciplina & cura tranſiit. JUSTINUS *libr.* XLI. *cap.* 2. §. 5. *Hos pari ac liberas ſuos cura habent, & Equitare, & Sagittare, magna induſtria docent.* HERODIANUS *libr.* VI. *cap.* 12. (*al. cap.* 5. §. 9.) Τόξοις τε καὶ ἵπποις οὐκ εἰς τὸ πολεμεῖν μόνον χρῶνται, ὥσπερ Ῥωμαῖοι, ἀλλ' ἐκ παίδων σὺν αὐτοῖς (*d*) ἀνατρέφονται, καὶ θηρῶντες διαιτῶνται, οὔτε τὰς φαρέτρας ποτὲ ἀποτιθέμενοι, οὔτε τῶν ἵππων ἀποβαίνοντες· ἀεὶ δὲ αὐτοῖς χρώμενοι, ἢ κατὰ πολεμίων, ἢ κατὰ θηρίων. *Arcubus autem & equis, non in praelio tantum, more Romanorum, utuntur, ſed a pueritia uſque enutriuntur una, venatu invigilantes, pharetras nunquam deponunt, nec equis deſiliunt, ſed omnibus hiſce utuntur, ſive bellum gerant, ſive feras conficiant.*

CV. Et haec ſunt, in quibus PUERI Perſici, ad ſeptimum & decimum uſque annum, tempus, ſtudium, operamque ponebant. Ad quem annum ubi pervenerant, in Epheborum ordinem allegebantur, puerilitateque poſita, Epheborum albo adſcribebantur. XENOPHON *libr.* I. παιδ. *pag.* 5. [4.] Μέχρι μὲν δὴ ἓξ ἢ ἑπτακαίδεκα ἐτῶν ἀπὸ γενεᾶς, οἱ Παῖδες ταῦτα πράττουσιν· ἐκ τούτου δὲ εἰς τοὺς Ἐφήβους ἐξέρχονται. *Exercent autem in his ſe pueri, uſque ad ſextum ſeptimumve ac decimum aetatis annum, a quo jam tempore Epheborum albo adſcribuntur.*

CVI. EPHEBORUM autem (hoc enim Latio nomen uſus pridem mancipavit) alia erat, atque Puerorum condicio, aliuſque vitae modus. Hi enim ſummo mane in Forum liberale venientes, veſpere domum redibant. Illi vero toto decennii, poſtquam e pueria exceſſerant, ſpatio, in Archiis interdiu noctuque verſabantur, eoque loci cibum ſomnumque capientes, adſidue morabantur: tum urbis tuendae cuſtodiendaeque cauſa, tum etiam colendae obſervandaeque temperantiae gratia. Quanto enim ad vitia proclivior proniorque adoleſcentia eſt, eo majore cura & diligentia indigere eam cenſebant. Ideoque in Rectorum conſpectu adoleſcentiae anni tranſigebantur: praeſtoque Ephebi erant, ſi qua publica neceſſitas eorum operam deſideraret. Ita Virorum Senumque coetibus permixti, alienoque potius arbitrio viventes, quam ſuo, adfines earum rerum non erant, quas fert adoleſcentia. Tales enim Juvenes evadere vere uſu venit, quales ſunt ii, quorum conſuetudine delectantur. Quinetiam liberalis illius fori finibus ac cancellis circumſcripti Ephebi, vagandi & hac illac curſitandi facultatem non habebant, nec temere inde, niſi venationis cauſa, excedebant. Venatum enim proficiſcens Rex (quod ſaepius ſingulis men-

(*a*) MOX] Locum hunc valde mancum ab auctore adductum, ex editis ſupplevit Lederlinus. TR.

(*b*) Ἀληθίζεσθαι] Ἀληθίζειν in editis legi jam ſupra ad §. LXXXIII. monuit *Sylburgius*. TR.

(*c*) Τε] *Henr. Stephanus* edidit μὲν. TR.

(*d*) Prior edit. ἀναστρέφονται, omiſſo mox διαιτῶνται. L. Ipſe auctor locum, ut hic corrigitur, adduxit infra, *lib.* III. §. 3. & 22. TR.

menſibus contingebat) mediam Epheborum partem, reliquis in Regia relictis, educebat. Inermes vero venationis cauſa nequaquam egrediebantur: verum cum armatura, non quidem omnino gravi, ſed nec penitus levi. Etenim, lorica excepta, militaribus praeliaribuſque armis inſtructi, Regi ſeſe comites addebant. Primum quidem mucrone, quem *Copidem* vocabant, in vagina recondito, accingebantur: aut *Sagari*, de quibus armorum generibus dabitur libro proximo dicendi locus. Praeterea arcus cum Pharetra, ex qua ſagittae depromerentor, ab humeris pendebat: Scutum etiam cum Paltis, id eſt, haſtilibus, duobus geſtabant; quorum alterum mitterent, & altero, ſi opus eſſet, cominus uterentur. Summo autem ſtudio venationi operam publice Perſae dabant, & Rex ipſe in Venatione, aeque ac in bello, agminis ductor erat. Nam & venabatur ipſe, & ut alii quoque venarentur ſatagebat. Eique rei non mediocris diligentia adhibebatur, quod Venatio ferarum quaſi meditatio quaedam bellicae diſciplinae, aut velitatio, videretur. Etenim diluculo ſurgere, frigus & aeſtum tolerare aſſuefacit, itineribus & curſibus exercet. Neceſſe etiam eſt, ſagittam dirigere in feram, & Jaculo eandem petere, ubicunque occurrerit. Animum quoque incaleſcere & exacui neceſſe eſt in venatione, ſi quae ſeſe ferox & valida fera objecerit. Nam ferire oportet occurrentem ſibi, & ab ejus incurſu cavere. Quare vix a venatione quidquam abeſt eorum, quae inter bellandum accidunt.

CVII. Exeuntes autem Venatu Ephebi, in prandium eadem, quae Pueris uſitata fuiſſe diximus, cibaria & obſonia, ſed aliquanto largius & copioſius, uti par erat, ferebant: Et quidem, nullatenus ante peractam venationem prandebant: Immo vero ſi ferae capiendae cauſa diutius immorari oporteret, aut alioquin diem venando extrahere & eximere vellent, prandium in coenam differebatur: & in coena veſcebantur iis, quae prandio parata deſtinataque fuerant. Poſtridie vero prandio abſtinentes, inediaeque ad coenam uſque patientes, venabantur: biduum illud in venatione tranſactum pro uno die computantes, quod unius diei cibum conſumpſiſſent. Cui abſtinentiae aſſueſcebant, ut in bello, ſicubi res exigeret, eadem ferre & perpeti poſſent. Nec enim difficile quidquam eſt, quod in naturam conſuetudo perduxerit. *Cogita*, ait SENECA *libr. de Tranquillit. animi, cap. x. compeditos, primo aegre ferre onera & impedimenta crurum: deinde ubi non indignari illa, ſed pati propoſuerunt, Neceſſitas fortiter ferre docet; Conſuetudo facile.* Carne autem (quod & de Parthis JUSTINUS *libr.* XLI. *cap.* 3. §. 3. notat) non niſi venatibus quaeſita veſcebantur: alioquin obſonium aliud nullum illis, praeter merum Naſturtium apponebatur. Ac ne periculum horum, quae dixi, praeſtem, auctorem laudabo eum, cujus ore Muſas quaſi locutas ferunt: nec enim paginam nos Atticae Muſae verbis implere vitio vertet is, qui in Stobaeo longe plura ex iiſdem ſcriptis congeſta aequi bonique conſulet. XENOPHON igitur *libr.* I. *παιδ. pag. 5. ſeq.* [4.] de Epheborum vitae ratione haec, quae ſequuntur, ſcribit: Δέκα ἔτη ἀφ' οὗ ἂν ἐκ Παίδων ἐξέλθωσι, κοιμῶνται μὲν περὶ τὰ Ἀρχεῖα, ὥσπερ προείρηται, καὶ φυλακῆς ἕνεκα τῆς πόλεως, καὶ σωφροσύνης· δοκεῖ γὰρ αὕτη ἡ ἡλικία μάλιστα ἐπιμελείας δεῖσθαι. Παρέχουσι δὲ καὶ τὰς ἡμέρας ἑαυτοὺς μάλιστα τοῖς Ἄρχουσι χρῆσθαι, ἤν τι δέωνται ὑπὲρ τοῦ κοινοῦ. καὶ ὅταν μὲν δέῃ, πάντες μένουσι περὶ τὰ Ἀρχεῖα· ὅταν δ' ἐξίῃ Βασιλεὺς ἐπὶ θήραν, ἐξάγει τὴν ἡμίσειαν τῆς φυλακῆς· ποιεῖ δὲ τοῦτο πολλάκις τοῦ μηνός. ἔχειν δὲ δεῖ τοὺς ἐξιόντας, Τόξα παρὰ τὴν Φαρέτραν, καὶ ἐν κολεῷ Κοπίδα, ἢ Σάγαριν· ἔτι δὲ καὶ Γέρρον, καὶ Παλτὰ δύο· ὥστε τὸ μὲν ἀφεῖναι, τῷ δ', ἂν δέῃ, ἐκ χειρὸς χρῆσθαι. διὰ τοῦτο δὲ δημοσίᾳ τοῦ θηρᾶν ἐπιμέλονται, καὶ βασιλεὺς, ὥσπερ καὶ ἐν πολέμῳ, ἡγεμὼν αὐτοῖς ἐστι, καὶ αὐτός τε θηρᾷ, καὶ τῶν ἄλλων ἐπιμελεῖται, ὅπως ἂν θηρῶσιν, ὅτι ἀληθεστάτη δοκεῖ αὕτη ἡ μελέτη τῶν περὶ τὸν πόλεμον εἶναι. καὶ γὰρ πρωῒ ἀνίστασθαι ἐθίζει, καὶ ψύχη καὶ θάλπη ἀνέχεσθαι. γυμνάζει δὲ καὶ ὁδοιπορίαις, καὶ δρόμοις· ἀνάγκη δὲ καὶ τοξεῦσαι θηρίον, καὶ ἀκοντίσαι, ὅπου ἂν παραπίπτῃ. καὶ τὴν ψυχὴν δὲ πολλάκις ἀνάγκη θήγεσθαι ἐν τῇ θήρᾳ, ὅταν τι τῶν ἀλκίμων θηρίων ἀνθιστῆται· παίειν μὲν γὰρ δεῖ τὸ ὁμόσε γιγνόμενον, φυλάξασθαι δὲ τὸ ἐπιφερόμενον· ὥστε οὐ ῥᾴδιον εὑρεῖν τι ἐν τῇ θήρᾳ ἄπεστι τῶν ἐν πολέμῳ παρόντων. ἐξέρχονται δὲ ἐπὶ τὴν θήραν, Ἄριστον ἔχοντες πλεῖον μὲν, ὡς τὸ εἰκὸς, τῶν παίδων, τἆλλα δὲ ὅμοιον. καὶ θηρῶντες μὲν, οὐκ ἂν ἀριστήσαιεν· ἢν δέ τι δέῃ θηρίου ἕνεκα ἐπικαταμεῖναι, ἢ ἄλλως βούλωνται διατρίψαι περὶ τὴν θήραν, τὸ Ἄριστον τοῦτο (a) δειπνίσαντες, τὴν ὑστεραίαν αὖ θηρῶσι μέχρι δείπνου· καὶ μίαν ἄμφω ταύτας τὰς ἡμέρας λογίζονται, ὅτι μιᾶς ἡμέρας σῖτον δαπανῶσι. τοῦτο δὲ ποιοῦσι τοῦ ἐθίζεσθαι ἕνεκα, ἵνα καὶ ἐάν τι ἐν πολέμῳ δέῃ, δύνωνται τοῦτο ποιεῖν. καὶ ὄψον δὲ τοῦτο ἔχουσιν οἱ τηλικοῦτοι, ὅ, τι ἂν θηράσωσιν· εἰ δὲ μή, τὸ Κάρδαμον. *Decem annos, poſtquam e pueris exceſſerunt, circum Archia cubant, ut ſupra eſt indicatum, cum reipublicae cuſtodiendae, tum exercendae temperantiae gratia. Nam haec potiſſimum aetas requirere curam ſtudiumque ſingulare videtur. Iidem interdiu quoque magiſtratibus utendos ſe praebent, ſi qua in re ipſorum opera pro republica deſideretur. Ac ſiquidem uſus ita poſtulet, omnes circum Archia manent. Rege autem exeunte venatum, (& exit in menſe multoties) dimidia cuſtodiae pars ab ipſo educitur. Quotquot autem exeunt, Arcus habere juxta Pharetram oportet, ac Copidem in vagina, vel Sagarim. Praeterea Cratem, & Haſtas binas, ut harum alteram emittunt, altera (ſi ſit opus) cominus utantur. Cauſa vero, cur publice venationi operam dent, in qua rex ducis officio perinde ac belli tempore fungitur, quum & ipſe venetur, & ut venentur alii, curam adhibeat, cauſa igitur haec eſt, quod bellicarum rerum hoec meditatio veriſſima videatur eſſe. Conſuefacit enim ad ſurgendum diluculo, & ad frigora caloreſque perferendum, atque etiam ad itinera & curſus exercet. Praeterea ſagittis jaculiſque beſtiam petere neceſſe eſt, ubicunque inciderit. Saepe etiam acui animum in venatione oportet, objiciente ſe feroci aliqua beſtia. Nam quae offerunt ſeſe beſtiae, feriendae ſunt: ab iis autem cavendum, quae in venantem irruunt. Adeoque non facile quis reperiat, quidnam eorum, quae bellum habet, a venatione abſit. Ceterum cum venatum exeunt, prandium eis praebetur, largius id quidem, ceu par eſt, quam pueris: alioqui tamen conſimile. Ac dum venantur, haudquaquam prandent. Quod ſi etiam vel ferae cauſa praeſtolari oporteat, vel ceteroqui diutius immorari venationi libeat: hoc prandio coenae tempore ſumpto, poſtridie rurſus ad coenam uſque venantur. Itaque dies binos pro uno computant, propterea quod unius diei panem abſumant. Faciunt autem hoc conſueſcendi cauſa, ut ſi quid tale in bello etiam uſus poſtulet, praeſtari ab iis poſſit. Quicquid vero venando ceperint, id eis in obſonium cedit; ſin captum nihil ſit, naſturtio veſcuntur.*

CVIII. De Venatione etiam Perſarum STRABO *libr.* XV. *pag.* 1069. (734.) ſcribit haec: Θηρεύουσι δὲ σαυνία ἀφ' ἵππων βάλλοντες, καὶ τοξεύματι,

καὶ

(a) Vulg. *δειπνήσαντες*, a them. *δειπνέω*. S.

καὶ σφενδονῶντες. *Venantur autem jacula & ſagittas ab equis mittentes, & fundantes.* Vocis autem illius Σαύνια interpretatio ab Hesychio petenda eſt: qui Σαύνιον ait eſſe, ἀκόντιον βαρβαρικὸν, *jaculum barbaricum.* Addit Strabo: Οὐχ ἅπτονται δὲ τῶν θηρευμάτων οἱ παῖδες, ἀλλὰ κομίζειν οἴκαδε ἔθος. *Nihil ex iis, quae venando ceperunt, comedunt pueri, ſed domum ferre aſſolent.*

CIX. Enimvero hanc Venationis exercitationem Perſis familiarem, Cyro acceptam fert Xenophon: a quo inſtitutam, ob eas, quas expoſuimus, cauſas, *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 205. [162.] tradit his verbis: Τοὺς πολεμικοὺς δ᾽ ἕνεκα ἀσκήσεως ἐπὶ θήραν ἐξῆγε, ὥσπερ ἀσκεῖν ταῦτα ᾤετο χρῆναι· ταύτην ἡγούμενος, καὶ ὅλως ἀρίστην ἄσκησιν πολεμικῶν εἶναι, καὶ ἱππικῆς δὲ ἀληθεστάτην. καὶ γὰρ ἐπόχους ἐν παντοδαποῖς χωρίοις αὕτη μάλιστα (a) ἀποδείκνυσι, διὰ τὸ θηρίοις φεύγουσιν ἐφέπεσθαι· καὶ ἀπὸ τῶν ἵππων ἐνεργοὺς αὕτη μάλιστα, διὰ τὴν τοῦ λαμβάνειν φιλοτιμίαν καὶ ἐπιθυμίαν· καὶ τὴν ἐγκράτειαν δὲ, καὶ πόνους, καὶ ψύχη, καὶ θάλπη, καὶ λιμὸν, καὶ δίψος, δύνασθαι φέρειν, ἐνταῦθα μάλιστα προσείθιζε τοὺς κοινῶνας. καὶ νῦν δ᾽ ἔτι βασιλεὺς, καὶ οἱ ἄλλοι οἱ περὶ βασιλέα, ταῦτα ποιοῦντες διατελοῦσιν. *Exercitationis bellicae gratia ad venationem eos educebat, quos in his exercendos arbitrabatur, quod venationem duceret cum univerſe bellicarum rerum exercitationem eſſe, tum equeſtris rei veriſſimam. Nam ad equitandum in quibuſvis locis aptos maxime reddit, quod fugientes feras ſequi neceſſe ſit: & habiles efficit maxime ad quodvis opus ab equis perficiendum, propter ambitionem cupiditatemque capiendi feras. Hic etiam maxime ſodalitatis participes condocefaciebat ad continentiam & labores, & frigora, & aeſtus, & famem, & ſitim tolerandam. Ac nunc quoque cum rex, tum qui cum rege vivunt, haec perpetuo faciunt.*

CX. Quod ſi quando longius exire & ſpatiari non liceret, Vivariis & ſeptis incluſas feras Reges agitabant. Xenophon *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 205. *ſeq.* [162.] Καὶ γὰρ ἐπὶ θήραν τοὺς μὲν ἄλλους ἐξῆγεν, ὁπότε μὴ μένειν ἀνάγκη τις εἴη· αὐτὸς δὲ καὶ ὁπότε ἀνάγκη εἴη, οἴκοι ἐθήρα τὰ ἐν τοῖς παραδείσοις θηρία τρεφόμενα. *Nam venatum quidem alios educebat, ubi nulla neceſſitas domi manere cogebat: ipſe vero, etiam retinente neceſſitate, feras in paradiſis altas domi venabatur.* Philostratus *libr.* I. *de vita Apollon. cap.* XXXVIII. Μέλλων δὲ ποτὲ αὐτὸς θήραν γίγνεσθαι τῶν ἐν τοῖς παραδείσοις (b) χωρίων, ἐς οὓς λέοντές τε ἀπόκεινται τοῖς βαρβάροις, καὶ ἄρκτοι, καὶ παρδάλεις, ἠξίου τὸν Ἀπολλώνιον ξυντυχεῖν οἱ θηρῶντι. *Cum (Rex) venationi aliquando incumbere vellet, qualis inſtitui ſolet in regionibus, quae paradiſos abſolvunt, in quibus leones barbaris adſervantur, & urſi ac pantherae, rogavit Apollonium, ut praeſto ſibi eſſe velit venanti.* Acre hoc venationis ſtudium Parthis quoque, quaſi ſucceſſionis cujuſdam jure, inſitum ingenitumque fuiſſe, Justinus *libr.* XLI. *cap.* 3. §. 3. & Herodianus *libr.* VI. *cap.* XII. (*al.* V.) demonſtrant. Unde Vononem, apud Auguſtum, cui a Phraate obſes datus fuerat, educatum, petitum Roma, acceptumque Regem, quamvis gentis Arſacidarum, ut externum tamen, aſpernatos Parthos, Tacitus *libr.* II. *Annal. cap.* II. narrans, addit; *Accendebat dedignantes & ipſe, diverſus a majorum inſtitutis, raro Venatu, ſegni Equorum cura, quoties per urbes incederet, lecticae geſtamine.* Eandemque deſidiam in Sardanapalo, tanquam a majorum inſtitutis degenerante, notatam, Suidas de eo loquens, ita ſcribit: Ἔνδον τὸ σύμπαν ἐν τοῖς βασιλείοις διατρίβων, ὅπλων μὲν οὐχ ἁπτόμενος, οὐδ᾽ ἐπὶ θήραν ἐξιὼν, ὥσπερ οἱ παλαιοὶ βασιλεῖς. *Intus intra palatium aſſidue degebat, neque arma tractans unquam, nec venatum egrediens, more ſuperiorum regum.* Apud Plutarchum in *Artaxerxe, pag.* 1014. Cyrus fratris Artaxerxis ignaviam arguebat, τοῦ (c) ὑπὸ δειλίας καὶ μαλακίας, ἐν μὲν τοῖς κυνηγεσίοις μηδὲ ἐφ᾽ ἵππου· ἐν δὲ τοῖς κινδύνοις, μηδ᾽ ἐπὶ θρόνου καθῆσθαι. *quod prae timiditate & mollicie neque in venationibus equo, neque periculoſis rebus in ſolio ſedere poſſit.*

CXI. Curſu praeterea exerceri Perſas moris fuiſſe, a Strabone accepi, qui Tubae ſono ante lucem excitatos, velut ad arma capienda, aut ad Venationem, in unum locum cogi conſueviſſe, *libr.* XV. *pag.* 1066. (733. *ſeq.*) ſcribit. Iis vero per quinquagenos diſpoſitis ac diſtributis, ducem ex Regis aut Satrapae alicujus liberis conſtitutum, quem currentem ſequi jubebant: curriculo, quod triginta, aut quadraginta ſtadia pateret, definito. Qua de re Strabonis verba ſunt haec: Συνάγουσι δ᾽ εἰς ἕνα τόπον ψόφῳ χαλκοῦ, πρὸ ὄρθρου, διεγείροντες ἐπὶ ἐξοπλισίαν ἢ θήραν· τάξαντες δ᾽ ἀνὰ πεντήκοντα, ἡγεμόνα τῶν βασιλέως τινὰ παίδων αὐτοῖς, ἢ σατράπου, τρέχειν κελεύουσιν ὑποστάντα, χωρίον ἀφορίσαντες τριάκοντα ἢ τετταράκοντα σταδίων. *Congregant eos in unum locum, aeris ſonitu ante lucem excitatos, ad arma aut venationem. Praeficiunt quinquagenis aliquem ex regis filiis, aut Satrapae, quem currentem ſequi jubent, loco triginta, quadragintave ſtadiorum determinato.* Adjicit poſt aliquot interpoſita Strabo *pag.* 1067. (734.) Τίθεται δ᾽ ὑπὸ βασιλέως ἆθλα δρόμου, καὶ τῶν ἐν τοῖς πεντάθλοις, id eſt, ut Interpres; *Curſus, & ceterorum, quae in quinquenniis exercentur, praemia ab Rege proponuntur.* Verum, Dii melius, quam ut credam, tam imperite & oſcitanter vocem πεντάθλους Interpretem, quiſquis eſt, vertiſſe. Liquet enim mihi dejerare, ſcripſiſſe illum, (d) *Quinquertiis*, Festo duce & auctore, qui *libr.* XV. *Quinquertium*, ait, *vocabant antiqui, quem Graeci πένταθλον, ut indicat verſus hic: Omnis aequalis vincebat Quinquertio.* Strabonis autem, quod obiter dictum ſit, in Latinam linguam convertendi, Nicolaus V. Pontifex Max. negotium Guarino Veronenſi, & Gregorio Tifernati dedit. Hos laborem hunc inter ſe partitos, ex vetuſtis quibuſdam Epiſtolis didici, Guarinumque Europae deſcriptionem: Gregorium Aſiae atque Africae arripuiſſe. Quod imperfectum relictum opus, poſt exceſſum Pontificis, Jacobus Antonius Marcellus, Patricius Venetus, Equeſtris ordinis vir, confectum & abſolutum ſua opera reddidit. Tranſlationis vero fronti Guarinus Titulum inſcripſerat in haec verba: *Strabo recte & acute (e) perſpiciens, mundi deſignator acutiſſimus atque ſolertiſſimus, ut ex Latinis, peragrandi orbis viam com-*

(a) Ἀποδείκνυσι &c. αὕτη μάλιστα, cum intermediis ab priori editione aberant, quae ex edito Xenophonte huc revocari. L.

(b) Χωρίων etiam vulg. edit. ſed aptius θηρίων beſtiarum. S. Nullam membranarum a vulg. lect. varietatem habet Clariſſ. & eruditiſſ. editor nuperae editionis Gottfr. Olearius. L.

(c) Verba haec ὑπὸ δ. καὶ μ. ex edito Plut. huc reſcripſi. L. In prima auctoris editione legebatur: *ignaviam ex eo arguebat, quod ἐν μὲν* &c. Sylburgius verba: *ex eo, quod* omiſit, & poſuit τοῦ, ἐν μὲν &c. Hinc *Lederlinus* verba intermedia inter τοῦ & ἐν μὲν ex editis ſupplevit. TR.

(d) Quinquertiis habet jam editio Amſtelaed. 1707. L.

(e) Melius fere *proſpiciens*. L.

commonſtraret, *Guarini Veronenſis interpretamento*, *Italis quoque ſe aperuit*, *Pontificante Nicolao* V. *eodemque mandante*. Sed haec a re propoſita recedunt, quae tamen interlocutum me, non piget. Ut igitur ad ordinem redeam: ad illum, unde digreſſi ſumus, Strabonis locum, commodiſſime accedent, quae de Gymnicis Perſarum agonibus XENOPHON *libr.* I. παιδ. refert. Ait enim, reliquas Tribus, quae domi manentes, venatum non exibant, in his ſe exercuiſſe, quae, Pueri cum eſſent, didiciſſent: Jaculis nimirum, & telis mittendis, eaque invicem decertando agitaſſe. Publice enim inſtituta erant jaculandi ſagittandique certamina, praemiaque victoribus propoſita. In ea autem Tribu, in qua plures periti ſſimi & fortiſſimi extitiſſent, ſummo, non hi modo, qui tum temporis ei praeerant, verum etiam Magiſtri, qui praeſtantiſſimos illos Jaculatores & Sagittarios erudierant, a popularibus ſuis, honore adficiebantur. XENOPHONTIS hae de re verba *libr.* I. παιδ. *pag.* 6. ſic habent: Αἱ δ' οὖν μένουσαι φυλαὶ διατρίβουσι μελετῶσαι τά τε ἄλλα, ἃ παῖδες ὄντες ἔμαθον, καὶ τοξεύειν, καὶ ἀκοντίζειν· καὶ διαγωνίζονται ταῦτα πρὸς ἀλλήλους διατελοῦσιν. εἰσὶ δὲ καὶ δημόσιοι τούτων ἀγῶνες, καὶ ἆθλα προτίθεται. ἐν ᾗ δ' ἂν τῶν φυλῶν πλεῖστοι ὦσι δαημονέστατοι καὶ ἀνδρειότατοι, καὶ εὐπειθέστατοι, ἐπαινοῦσιν οἱ πολῖται, καὶ τιμῶσιν οὐ μόνον τὸν ἄρχοντα αὐτῶν, ἀλλὰ καὶ ὅστις αὐτοὺς παῖδας ὄντας ἐπαίδευσε. *Quae autem domi manent tribus, eae, cum in aliis exercitiis, quae pueri tractarant, verſantur: tum in ſagittando ac jaculando, quibus ſane in rebus perpetua inter ipſos certamina exiſtunt. Etiam publici quidam horum ludi ſunt, & in eis praemia proponuntur. Ceterum quacunque in tribu quam plurimi fuerint ſumma peritia, fortitudine, fide; ejus non praeſes modo praefectus a civibus laudatur, honoreque afficitur, ſed etiam ille, qui eos, dum adhuc pueri eſſent, inſtituit.* Hac Sagittandi peritia apud Perſas Catenes excelluiſſe fertur: qui *adeo certo ictu*, (a CURTIO *libr.* VII. *cap.* 5. §. 41. haec ſumo) *deſtinata feriebat, ut aves quoque exciperet. Nam & ſi forſitan, Sagittandi tam celebri uſu, minus admirabilis videri ars haec poſſit: tamen ingens viſentibus miraculum, magnoque honori Cateni fuit.*

CXII. Saltatione quoque Perſae exercebantur: eamque rem ad concinnum corporis motum, roborique adjungendam agilitatem, valere cenſebant. XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 222. [175.] Ὀρχεῖσθαι δεῖ τὸ Περσικόν. *Saltanda tibi eſt ſaltatio Perſica.* ATHENAEUS *libr.* X. *cap.* X. *pag.* 434. Πέρσαι γὰρ, ὥσπερ ἱππεύειν, οὕτω καὶ ὀρχεῖσθαι μανθάνουσι· καὶ νομίζουσι τὴν ἐκ τῆς ὀρχήσεως κίνησιν ἐμμελῆ τινα λαμβάνειν γυμνασίαν τῆς τοῦ σώματος ῥώμης. *Perſae enim, ut Equitare, ita Saltare docentur, & motum in eo factum opere cenſent ad comparandum robur corporis concinnam exercitationem praebere.* Ibidemque Perſarum Regem, illis dumtaxat, qui Mithrae ſacri erant, diebus, Perſico more ſaltaſſe; reliquos vero omnes Saltationibus tum abſtinuiſſe, ſcribit. Idem ATHENAEUS varia Saltationum genera recenſens, *libr.* XIV. *cap.* VII. *pag.* 629. Perſicam ſilentio non praetermiſit. Cujus formam exprimit XENOPHON *libr.* VI. Ἀναβάσ. Κύρ. *pag.* 371. [290.] Τέλος δὲ τὸ Περσικὸν ὠρχεῖτο, (a) κρούων τὰς πέλτας· καὶ ὤκλαζε καὶ ἀνίστατο· καὶ ταῦτα πάντα ἐν ῥυθμῷ πρὸς τὸν αὐλὸν ἐποίει. *Tandem & Perſico ritu ſaltabat, ac peltis comploſis in genua procumbens, viciſſim ſurgebat. Atque haec omnia faciebat ad tibiae modos.* HERODIANUS etiam *libr.* VI. *cap.* 20. (*al.* II. §. 5.) in ſimulatis nuptiis Antonini Caracallae, cum Artabani filia, Partho-Perſas hoc quoque ſaltationis genere laetitiae, qua exultabant, documenta dediſſe, refert in hunc modum: Πᾶν δὲ τὸ πλῆθος τῶν βαρβάρων ἄνθεσι τοῖς ἐπιχωρίοις ἐστεφανωμένον, (b) ἐσθῆσι χρυσῷ καὶ βαφαῖς διαφόροις πεποικιλμένον, ἑώρταζε· πρός τε αὐλοὺς καὶ σύριγγας, τυμπάνων τε ἤχους, ἐσκίρτων εὐρύθμως. *Sed barbarorum magna multitudo, floribus indigenis coronati, atque veſtes auro diverſiſque coloribus varias induti, feſtum agitabant, ad tibiarum, fiſtularumque & tympanorum ſonitus ſaltantes numeroſe.*

CXIII. Jam vero Ephebororum opera utebantur Magiſtratus, ſi qua in re praeſidio opus eſſet, ad latrones, facinoroſoſque homines conquirendos, & ad alia, quae viribus corporis, aut velocitate gerenda eſſent. XENOPHON *libr.* I. παιδ. *pag.* 6. [5.] Χρῶνται δὲ τοῖς μένουσι τῶν ἐφήβων αἱ ἀρχαὶ, ἤν τι ἢ φρουρῆσαι δέῃ, ἢ κακούργους ἐρευνῆσαι, ἢ λῃστὰς ὑποδραμεῖν, ἢ καὶ ἄλλο τι ὅσα ἰσχύος ἢ τάχους ἔργα ἐστί. *Atque his ephebis, qui domi manent, magiſtratus utuntur, ſi quando vel cuſtodiendum ſit aliquid, vel inveſtigandi malefici, vel intercipiendi latrones, vel quid aliud eorum ſuſcipiendum, quaecunque roboris aut velocitatis opera ſunt.* Unde in tranſcurſu notandum eſt, eos qui civitatibus oppidiſque praeerant, ſollicite egiſſe, ut malis hominibus Provinciam purgarent; eaque de cauſa graſſatores, fures, homicidas, diligenter conquiſiſſe; ut prout quiſque deliquiſſet, in eum animadverterent: & hoc modo conſecutos Praeſides, ut quieta ac pacata eſſet Provincia, quam regebant.

CXIV. Praeterea STRABO de Perſarum diſciplina, *libr.* XV. *pag.* 1066. *ſeq.* (734.) ſcribit haec: Ἀπαιτοῦσι δὲ (de Magiſtris loquitur) καὶ λόγον ἑκάστου μαθήματος, ἅμα καὶ μεγαλοφωνίαν, καὶ πνεῦμα, καὶ πλευρὸν ἀσκοῦντες· καὶ πρὸς καῦμα δὲ, καὶ πρὸς ψῦχος, καὶ ὄμβρους, καὶ χειμάῤῥων διαβάσεις, ὥστ' ἄβροχα φυλάττειν, καὶ ὅπλα, καὶ ἐσθῆτα· καὶ ποιμαίνειν δὲ, καὶ ἀγραυλεῖν, καὶ καρποῖς ἀγρίοις χρῆσθαι, τερμίνθῳ, δρυοβαλάνοις, ἀχράδι· Καλοῦνται δ' οὗτοι Κάρδακες, ἀπὸ κλοπείας τρεφόμενοι· Κάρδα γὰρ τὸ ἀνδρῶδες, καὶ πολεμικὸν λέγεται. ἡ δὲ καθ' ἡμέραν δίαιτα, ἄρτος μετὰ τὸ γυμνάσιον, καὶ μάζα, καὶ κάρδαμον, καὶ ἁλῶν χόνδρος, καὶ κρέα ὀπτὰ, ἢ ἑφθὰ ἐξ ὕδατος· ποτὸν δὲ ὕδωρ. *Poſtulant hi etiam rationem de ſingulis, quae illi didicerint, ſimul & vocem, & latus & ſpiritum exercentes. Quin & adverſus aeſtum, frigus, imbres, & ad torrentium tranſitus eos condocefaciunt, ut arma & veſtes immadidas ſervent. Paſcere etiam, & in agro pernoctare docent, & fructibus ſylveſtribus veſci: ut terminthο, glandibus, pyris agreſtibus. Atque hi Cardaces vocantur, furtis viventes: nam carda virile ac bellicoſum ſignat. Quotidianus eorum cibus poſt exercitationem eſt panis, & maza, & naſturtium, & ſalis grana, & carnes aſſae vel elixae; potus aqua.* Et paulo poſt: Δειλὴ δὲ φυτουργεῖν, καὶ ῥιζοτομεῖν ἀσκοῦσι, καὶ ὁπλοποιεῖν, καὶ λίνα καὶ ἄρκυς φιλοτεχνεῖν. *Veſpertina eorum ſunt exercitia,*

(a) Κρούων eſt lectio marginis, apud Xenoph. in textu κροτῶν. L. Paulo poſt pro ὤκλαζε legitur ὤκλαξε. Confer de hac Saltatione *Jo. Meurſii Orcheſtram*, *pag.* 1378. *Tom.* VIII. *Theſ. Gronovii.* TR.

(b) Aptius opinor, ἐσθῆτί τε: ut ſit, *veſtituque auro & coloribus vario ceu pictum.* cujuſmodi loquendi genus infra [§. CXCIX.] pag. 254. ſub fin. in loco ex Diod. Sic. libr. VI. Parthos vero ac Medos tali veſtium pigmento uſos eſſe, fuſius docetus [§. CXC. *ſeq.*] pag. 251. 252. S.

eitia, arbores ſerere, au radices effodere, aut arma fabricari, aut lino & retibus ſtudium impendere artificioſe faciundis.

CXV. Talia fuiſſe Xenophon Ephebورum & Adultorum munia ait: quo in ſtatu totos decem annos agebant. Decennio vero expleto, juſtae perfectaeque aetatis habebantur, & in Virorum ordinem allegebantur ac cooptabantur. Unde, ſi tempora ad calculos revocentur, facile quivis, vel me tacente, intelliget, Perſas virilis vigoris initium ſeptimo & viceſimo anno definiſſe.

CXVI. Poſtquam vero ex Ephebis exceſſerant, novam vitae rationem Perſae ordiebantur: ad cujus metas, decurſo demum quinque & viginti annorum curriculo perveniebant. Et illi quidem Magiſtratibus, non ſecus ac Ephebi, praeſto erant, ſi qua in re publicas utilitates ope, conſilio, juvare poſſent: nec a Magiſtratibus officium ſuum operamve requiri patiebantur; quibus ultro ſeſe offerentes, adſidueque ſiſtentes, eorum, quae imperarentur, nihil quidquam detrectabant, ſolam obſequii ſibi gloriam vindicantes. Utebantur autem eorum opera Magiſtratus in his rebus, quae conjunctas prudentiae vires exigerent. Quippe jam conſilioque manuque (ut Ovidius loquitur) boni, ſtrenuam domi foriſque pro ſalute communi operam navabant: & ſicubi militiae munera obeunda erant, jam non Telis & Jaculis, Sagittis, Paltis & aliis miſſilibus, quibus antea in pueritia & in adoleſcentia aſſueverant, inſtruebantur: verum armis, quibus cominus pugnarent, induebantur. Aerea enim Lorica pectus tegebant: Laeva craticium, ſeu ex cratibus compactum Scutum: Dextra Machaeram, aut Copidem geſtabant: quo habitu Perſae, cum in armis erant, depingebantur.

CXVII. Atque virilis hic ordo ſeminarium erat Magiſtratuum, indeque legebantur omnes, qui ad munera publica vocabantur: exceptis puerorum Magiſtris, quorum lectio, uti fieret, ſupra docuimus. Horum omnium auctoritatem praeſtabit idem ipſe XENOPHON *pag.* 6. *ſeq.* qui ſe jam toties nexu obligavit. Aequis igitur animis ejus orationem, quae melle dulcior fluit, accipiamus: Ταῦτα μὲν δὴ, ait, οἱ Ἔφηβοι πράττουσιν· ἐπειδὰν δὲ τὰ δέκα ἔτη διατελέσωσιν, ἐξέρχονται εἰς τοὺς τελείους ἄνδρας. ἀφ' οὗ δ' ἂν ἐξέλθωσι χρόνου ἐκ τῶν Ἐφήβων, οὗτοι αὖ πέντε καὶ εἴκοσιν ἔτη διάγουσιν ὧδε. πρῶτον μὲν ὥσπερ οἱ Ἔφηβοι, παρέχουσιν ἑαυτοὺς ταῖς Ἀρχαῖς χρῆσθαι, ἐάν τι δέῃ ὑπὲρ τοῦ κοινοῦ, ὅσα φρονούντων τε ἤδη ἔργα ἐστὶ, καὶ ἔτι δυναμένων. ἐὰν δέ που δέῃ στρατεύεσθαι, Τόξα μὲν οἱ οὕτω πεπαιδευμένοι οὐκέτι ἔχοντες οὐδὲ Παλτὰ, στρατεύονται· τὰ δ' ἀγχέμαχα ὅπλα καλούμενα, Θώρακά τε περὶ τοῖς στέρνοις, καὶ γέῤῥον ἐν τῇ ἀριστερᾷ, οἷόν περ (a) γράφονται οἱ Πέρσαι, ἔχοντες· ἐν δὲ τῇ δεξιᾷ Μάχαιραν, ἢ Κοπίδα. καὶ αἱ ἀρχαὶ δὲ πᾶσαι ἐκ τούτων καθίστανται, πλὴν οἱ τῶν παίδων διδάσκαλοι. *Haec igitur Ephebi gerunt; qui poſtquam annos illos decem exegerunt, ad perfectae aetatis viros evadunt. A quo autem tempore ex ephebis exceſſerint, viginti & quinque annos hoc, quo indicabimus, modo, degunt. Principio perinde ac ephebi magiſtratibus utendos ſe praebent, ſicubi Reipublicae ipſorum opera neceſſaria ſit, iis praeſertim in rebus, quae & a prudentia praeditis, & valentibus etiamnum geri debent. Quod ſi militandum ſit, non jam hoc modo inſtituti vel arcus geſtant, vel paltas: ſed arma, quae* ἀγχέμαχα *dicuntur, quod eis cominus pugnetur, muniti circa pectora thorace, cratemque talem manu ſiniſtra tenentes, cum quali Perſae pinguntur: dextera vero gladium, vel copidem. Omnes autem magiſtratus ex his conſtituuntur exceptis puerorum magiſtris.*

CXVIII. At poſteaquam xxv. annos perfectae aetatis Viri in civilibus militaribusve muneribus & officiis τέλειοι iſti Ἄνδρες conſumpſerant, annos jam nati quinquaginta, aut, eo plus, Senilem ordinem ingrediebantur. Apud Perſas enim inter Seniores numerari incipiebant, quotquot aetatis annum ſupra quinquageſimum agebant. Cujus aetatis beneficio militiae vacationem habebant, nec ad delectum reſpondere, aut peregre extra patrium ſolum proficiſci cogebantur; ſed domi manentes morantesque, judicandi munere fungebantur, & judiciis publicis privatiſque operam dabant. Nec de pecuniariis modo cauſis Seniores cognoſcebant: verumetiam capitalium criminum quaeſtiones ac judicia exercebant. Ad eos etiam reliquorum Magiſtratuum, qui Rempublicam gererent, & jus populo dicerent, creatio pertinebat. Quod ſi quis ex Ephebis, aut perfectae aetatis viris, quid praetermiſiſſet eorum, quae legibus ſancita conſtitutaque eſſent, aut etiam adverſus legum praecepta quid commiſiſſet, a Tribunis & Phylarchis reus poſtulabatur. Accuſandi etiam cuilibet ex populo facultas erat: propterea quod publica erant hujuſmodi judicia, populareſque accuſationes. Poſtulabantur autem apud Seniores, qui cauſa cognita, reoque audito, ſententiam ferebant, ac convictum ordine movebant. Semel vero ordine motus, infamia notabatur, & ut ignominioſus reliquum vitae degebat. Quorum ne quis a me fidem requirat, reum debendi delegabo, & quidem idoneum ac locupletem, XENOPHONTEM, qui haec omnia κατὰ *libr.* 1. *pag.* 7. [5.] firmat his verbis: Ἐπειδὰν δὲ τὰ πέντε καὶ εἴκοσιν ἔτη διατελέσωσιν, εἶεν μὲν ἂν οὗτοι πλεῖόν τι ἢ πεντήκοντα ἔτη γεγονότες ἀπὸ γενεᾶς. ἐξέρχονται δὲ τηνικαῦτα εἰς τοὺς Γεραιτέρους ὄντας τε καὶ καλουμένους. οἱ δ' αὖ Γεραίτεροι οὗτοι στρατεύονται μὲν οὐκέτι ἔξω τῆς ἑαυτῶν· οἴκοι δὲ μένοντες, δικάζουσι τά τε κοινὰ πάντα καὶ τὰ ἴδια. καὶ θανάτου δὲ οὗτοι κρίνουσι. καὶ τὰς ἀρχὰς οὗτοι πάσας αἱροῦνται· καὶ ἤν τις ἢ ἐν Ἐφήβοις ἢ ἐν τελείοις ἀνδράσιν ἐλλίπῃ τι τῶν νομίμων, φαίνουσι μὲν οἱ Φύλαρχοι ἕκαστοι, καὶ τῶν ἄλλων ὁ βουλόμενος· οἱ δὲ γεραίτεροι ἀκούσαντες, ἐκκρίνουσιν· ὁ δὲ ἐκκριθεὶς, ἄτιμος τὸν λοιπὸν βίον διατελεῖ. *Hos annos quinque ac viginti poſtquam exegerunt, exceſſerint jam quinquageſimum aetatis annum vero eſt conſentaneum. Itaque tum eorum in numerum veniunt, qui & ſunt & appellantur ſeniores. Hi vero deinceps extra ſolum patrium militatum non abeunt, ſed domi manent, & cum de publicis omnibus, tum privatis cauſis jus dicunt. Etiam de capite cognoſcunt, ac magiſtratus omnes legunt. Quod ſi quis vel Ephebورum, vel Matura aetate virorum in iis, quae praeſcripta legibus ſunt, obſervandis negligens fuerit; eum tribuni deferunt, quicunque ſit, vel ex aliis quiſpiam, cui viſum fuerit. Seniores vero auditum loco movent. Motus autem ordine, per omnem deinde vitam infamis manet.*

CXIX. Enimvero, a viceſimo anno ad quinquageſimum uſque Perſas Magiſtratus geſſiſſe, munera publica ſubiiſſe, ſtipendia quoque meruiſſe, STRABO *lib.* xv. *pag.* 1067. (734.) tradit, στρατεύονται δὲ, inquiens, καὶ ἄρχουσιν, ἀπὸ εἴκοσιν ἐτῶν ἕως πεν-

(a) Περ] Haec lectio eſt a Sylburgii manu: nam in prima *ed.* auctoris legitur οἷον ἐγγεγράφονται: in *ed. Xenoph. Leuncl.* vero invenitur οἷον περιγεγράφονται. TR.

στρατεύονται, πεζοί τε, καὶ ἱππεῖς. *Militant & Magiſtratus gerunt a vigeſimo anno uſque ad quinquageſimum & equites & pedites.* Atque ita, ex Strabonis ſententia, Munerum publicorum vacationem quinquageſimus aetatis annus dabat.

CXX. Ad honores porro & Magiſtratus idonei quique, ex his, qui ſub imperio Regum erant, nullo habito nationis gentiſve delectu, admittebantur. Xenophon *libr.* IV. παιδ. *pag.* 92. [*p.* 74.] Καὶ νῦν δ' ἔτι ἰδεῖν ἔστιν Ὑρκανίους καὶ πιστευομένους καὶ ἀρχὰς ἔχοντας, ὥσπερ καὶ Περσῶν καὶ Μήδων οἳ ἂν δοκῶσιν ἄξιοι εἶναι. *Atque hac etiam tempeſtate videre eſt Hyrcanios fide praeſtantes, magiſtratuſque gerentes nihilo ſecius, quam qui de Perſarum Medorumque natione in pretio videntur eſſe.* Nec vero, ut idem *libr.* I. παιδ. ſcribit, Perſarum quiſquam, ſi modo Pueritiae Adultaeque aetatis curriculum in publicis Juſtitiae ſcholis confeciſſet, a dignitatibus arcebatur. Non enim omnes omnino Perſae liberalibus illis ſtudiis imbuebantur, erudiebanturque: ſed hi demum, qui parentes, pro impenſae, quae ad eam inſtitutionem neceſſario facienda erat, modo, locupletes ſortiti eſſent. Soli namque Patresfamiliarum, quibus amplae facultates, & ad liberos in illis Magiſtrorum umbraculis, ac ſcholaſticis exercitationibus educandos, ſufficientes erant, ex ſe natos in eos ludos, in quibus ad juſtitiam Pueri edocebantur, mittebant. At quibus res erat anguſta domi, quique huic oneri ferundo, ſumptibuſque ſuppeditandis, propter fortunarum tenuitatem, non erant, hi liberos apud ſe continebant, & artificio aliquo inſtruebant: nec alii prorſus in Ephéborum claſſes referebantur, ac deinde ex Ephebis in Virorum conſortium adſumebantur, quam qui in illis publicis Juſtitiae Scholis educati inſtitutique fuerant. Atque his ſolis ad honores muneraque civilia aditus patebat: reliquis excluſis, qui legitimis pueritiae rudimentis, adoleſcentiaeque tyrociniis non fuiſſent imbuti. Sed nec ad ſenile illud otium cum dignitate pertingere poterant, niſi qui Puerorum Epheborumque diſciplina eruditi, ac per eos, quos diximus gradus, laboribus citra ullam reprehenſionem defuncti, ad ſenilem tandem portum appuliſſent. Haec me Xenophon docuit, cujus verba ipſa e *libr.* I. παιδ. *pag.* 7. [*p.* 6.] ſubjeci (*a*): Τούτων δ' οὐδεὶς ἀπελήλαται νόμῳ τιμῶν καὶ ἀρχῶν· ἀλλ' ἔξεστι πᾶσι Πέρσαις πέμπειν τοὺς ἑαυτῶν παῖδας εἰς τὰ κοινὰ τῆς δικαιοσύνης διδασκαλεῖα. ἀλλ' οἱ μὲν δυνάμενοι τρέφειν τοὺς παῖδας ἀργοῦντας, πέμπουσιν, οἱ δὲ μὴ δυνάμενοι, οὐ πέμπουσιν. οἳ δ' ἂν παιδευθῶσι παρὰ τοῖς δημοσίοις διδασκάλοις, ἔξεστιν αὐτοῖς ἐν τοῖς ἐφήβοις νεανισκεύεσθαι· τοῖς δὲ μὴ διαπαιδευθεῖσιν οὕτως, οὐκ ἔξεστιν. οἳ δ' ἂν ἐν τοῖς ἐφήβοις διατελέσωσι τὰ νόμιμα ποιοῦντες, ἔξεστι τούτοις εἰς τοὺς τελείους ἄνδρας συναλίζεσθαι, καὶ ἀρχῶν καὶ τιμῶν μετέχειν. οἳ δ' ἂν ἐν τοῖς ἐφήβοις μὴ διατελέσωσιν, οὐκ εἰσέρχονται εἰς τοὺς τελείους. οἳ δ' ἂν αὖ ἐν τοῖς τελείοις διαγένωνται ἀνεπίληπτοι, οὗτοι τῶν γεραιτέρων γίγνονται. οὕτω μὲν δὴ οἱ γεραίτεροι, διὰ πάντων τῶν καλῶν ἐληλυθότες, καθίστανται. καὶ ἡ πολιτεία αὕτη, ᾗ οἴονται χρώμενοι βέλτιστοι ἂν εἶναι. *Horum nemo lege ab honoribus magiſtratibuſque rejicitur, ſed cuivis jus eſt liberos ſuos ad juſtitiae magiſtrorum aedes publicas mittere. Mittunt autem, qui alere liberos ſuos in otio poſſunt. Hoc qui praeſtare nequeunt, non mittunt. Eis ſane, qui publicos apud magiſtros inſtituti fuerint, inter Ephebos adoleſcentiari licet, id quod illis haud fas eſt, qui inſtitutionem hanc non ſunt adepti. Qui autem inter Ephebos ea, quae praeſcripta legibus ſunt, conſtanter praeſtiterint, eis matura aetate virorum in contubernio agere licet, ac magiſtratuum dignitatumque participes fieri. Sin qui vel inter pueros, vel ephebos non vixerunt, hi ne perfectorum quidem in numerum admittuntur. Quodſi qui porro inter perfectos inculpate ſe geſſerint, ii ſeniorum in ordinem cooptantur. Atque hoc modo ſeniores conſtituuntur, qui omnibus in pulcris honeſtiſque rebus verſati fuerint. Haec item vivendi eſt ratio, qua ſi utantur, optimos ſe fore ſtatuunt.*

CXXI. Porro inter cetera, quae ad rectam nec ſatis unquam laudatam Perſarum diſciplinam ſpectant, non infimum locum obtinet, quod Riſum, maximeque ſolutum & effuſum, continuiſſe eos, nec in publico cachinnum ſuſtuliſſe accepimus. Turpe quoque & inhoneſtum apud eos habebatur, non modo in propatulo, ſed ne quidem in conſpectu cujuſquam, veſicam levare, aut alvum ſolvere, ventremve exonerare, aut vomitu cibum egerere: ſed haec domi, ſub tecto, clam omnibus, ac remotis arbitris, peragebantur. Teſtimonium dictis noſtris perhibet Herodotus *libr.* I. Etenim inter ea, quae Dejocem Medum primitus inſtituiſſe vetuiſſeve refert, haec *libr.* I. *cap.* 99. numerat: Γελᾶν τε, καὶ πτύειν ἀντίον, καὶ ἅπασι τοῦτό γε εἶναι αἰσχρόν. *Praeterea ne ridere coram, vel excreare, in quoquam honeſtum haberetur.* Idem eodem *libr.* I. *cap.* 133. de Perſarum inſtitutis: καί σφι ἐμέειν ἔξεστι, οὐχὶ οὐρέειν ἀντίον ἄλλου. *Eiſdem nec vomere, nec veſicam levare in alterius conſpectu licet.* Xenophon *libr.* I. παιδ. Κύρ. *pag.* 7. *ſeq.* [*p.* 6.] Αἰσχρὸν (*b*) μὲν γὰρ καὶ νῦν ἔτι καὶ τὸ ἰόντα ποι φανερὸν γενέσθαι ἢ τοῦ οὐρῆσαι ἕνεκα, ἢ ἄλλου τινὸς τοιούτου. ταῦτα δὲ οὐκ ἂν ἐδύναντο ποιεῖν, εἰ μὴ καὶ διαίτῃ μετρίᾳ ἐχρῶντο, καὶ τὸ ὑγρὸν ἐκπονοῦντες ἀνήλισκον, ὥστε ἄλλῃ πῃ ἀποχωρεῖν. *Nam etiamnum vel mejendi, vel alterius alicujus ejuſmodi rei gratia euntem aliquo palam conſpici turpe eſt. At enim haec praeſtare non poſſent, niſi & modico nutrimento uterentur, & humorem laborando ita conſumerent, ut alio quopiam ſecederet.* Idem *lib.* VIII. παιδ. *pag.* 206. [*p.* 163.] Ἐμελέτησε δὲ καὶ ὡς μηδὲ πτύοντες, μηδὲ ἀπομυττόμενοι φανεροὶ εἶεν, μηδὲ μεταστρεφόμενοι ἐπὶ θέαν μηδενός, ὡς οὐδὲν θαυμάζοντες. *Ad hoc eos exercuit, ut palam nec ſpuerent, neque mucum rejicerent, neque ad ſpectaculum ullum ſe converterent, quaſi nihil admirarentur.* Ammianus Marcell. *libr.* XXIII. *cap.* 6. *Super his, nec ſtando mingens, nec ad requiſita naturae ſecedens, facile viſitur Perſa. ita obſervantius haec, aliaque pudenda declinant.*

CXXII. In more quoque poſitum fuiſſe apud Perſas, ut, dum itinera conficerent, neque ederent quidquam, neque biberent; ac neque urinam facientes, vel alvum exinanientes, conſpicerentur, idem Xenophon *libr.* VII. παιδ. docet. Verum aetate ſua, non jam eos, ut olim, longinquas excurſiones, ſed tam breves feciſſe, ut non mirum, ſi interim neceſſariis illis corporis fulturis, naturalibuſque dejectionibus, abſtinerent, ſcribit *pag.* 240. [*p.* 189.] his verbis: Ἦν αὐτοῖς ἐπιχώριον, τὸ μεταξὺ πορευομένους, μήτε ἐσθίειν, μήτε πίνειν, μήτε τῶν διὰ ταῦτα ἀναγκαίων μηδὲν ποιοῦντας φανεροὺς εἶναι· νῦν δ' αὖ τὸ μὲν τούτων ἀπέχεσθαι ἔτι διαμένει, τὰς μέν τοι πορείας οὕτω βραχείας ποιοῦντες,

(*a*) Subjeci] Locus hic, ab auctore valde mancus adductus, partim a Sylburgio, partim a me ex editis fuit ſuppletus. TR.

(*b*) Αἰσχρὸν] In *ed. Leunclavii* principium hujus periodi ita legitur: Αἰσχρὸν δὲ ἔτι καὶ &c. TR.

ται, ὡς μηδ' ἂν ἔτι θαυμάσαι τι ἀπέχεσθαι τῶν ἀναγκαίων. *Erat & illud unum ex inſtitutis patriis, quod itinera facientes neque comedebant, neque bibebant, neque quidquam eorum palam faciebant, quae de his neceſſario conſequuntur. Hoc tempore manet id quidem, ut ab his abſtineant, verum itinera tam exigua conficiunt, ut nihil mirum ſit, ab neceſſariis eos rebus abſtinere.* Et hoc ad ſua uſque tempora manſiſſe in Perſide, priſci illius moderati, exercitationemque laboribus firmati victus, argumentum, XENOPHON *libr.* I. *παιδ. pag.* 7. ſcribit. Perſas enim Pane & Naſturtio famem; ſitim aquae potione expleviſſe ait: quam Perſarum frugalitatem ex eo auctore CICERO *libr.* V. *Tuſculanar. quaeſtion. cap.* 34. commendat: *Perſarum a Xenophonte victus exponitur: quibus negat ad panem quidquam adhiberi* (*a*), *praeter Naſturtium.* Idem *libr.* II. *de Finib. cap.* 28. *Sit voluptas non minor in Naſturtio illo, quo veſci Perſas eſſe ſolitos ſcribit Xenophon, quam in Syracuſanis menſis, quae a Platone graviter vituperantur.* D. HIERONYMUS *libr.* II. *adverſus Jovinianum, pag.* 205. *Tom.* IV. *Part.* II. *Perſarum Regis Cyri vitam Xenophon octo voluminibus explicat, polenta, & cardamo, & ſale, ac pane cibario eos aſſerens victitare.* Nec has Perſis inſuaves epulas fuiſſe, cenſebit, ait XENOPHON, quiſquis apud ſe cogitaverit, quibus eas condimentis condirent, fame nimirum & ſiti. Quis enim neſcit quam volupe ſit, famem quovis panis genere, ac Maza ipſa, depellere: quam item avide ac jucunde arripiant aquam, qui diuturnam ſitim explere cupiunt? Nam & VIRGILIUS *Ecloga* V. *v.* 46. inter ea, quae grauſſima ſunt ac ſuaviſſima, ponit.

> *Quae per aeſtum,*
> *Dulcis aquae ſaliente ſitim reſtinguere rivo.*

CXXIII. *Mazam* autem, quo verbo XENOPHON utitur, HESYCHIUS interpretatur, ἄλφιτα πεφυρμένα ὕδατι καὶ ἐλαίῳ, *farinam aqua & oleo miſtam.* SUIDAS vero φυστὸς ἄρτος, *durum panem.* Nam, ut ibidem ait; ὅσοι Ἀλφιτοσιτοῦσι, ὕδατι μεμιγμένην τὴν Μᾶζαν ἐσθίουσι· ὅσοι δὲ Ἀρτοσιτοῦσι, ὕδατι δεδευμένον Ἄρτον. *Quicunque polenta veſcitur, mazam aqua mixtam comedit. Quicunque vero pane veſcitur, panem aqua maceratum comedit.*

CXXIV. De Perſarum etiam victus ratione haec STRABO *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) Ἡ δὲ καθ' ἡμέραν δίαιτα, Ἄρτος μετὰ τὸ γυμνάσιον, καὶ Μᾶζα, καὶ Κάρδαμον, καὶ ἁλῶν χόνδρος, καὶ κρέα ὀπτά, ἢ ἑφθὰ ἐξ ὕδατος· ποτὸν δ' ὕδωρ. *Quotidianus eorum cibus poſt exercitationem eſt panis, & maza, & naſturtium, & ſalis grana, & carnes aſſae vel elixae; potus aqua.* D. HIERONYMUS in *Daniel. cap.* VII. *v.* 5. *Rigidum, & parcioris victus, in morem Lacedaemoniorum, Regnum Perſarum fuit: ita ut in Pulmento Sale uteretur & Cardamo. Legamus Cyri majoris infantiam.*

CXXV. Naſturtio autem delectatos Perſas, quod lotii inhibendi ſiſtendique vim haberet, SUIDAS ita ſcribit: Κάρδαμα· ἐπιχώριον ὄψον τὸ Κάρδαμον, καὶ πτύσματος, καὶ διὰ τοῦτο φασὶ τοὺς Πέρσας χρῆσθαι· φυλάττονται γὰρ πολλὰ πτύειν, καὶ οὐρεῖν, καὶ ἀπομύττεσθαι. Κάρδαμα, *Naſturtium, urinam inhibens & ſalivam: quam ob cauſam Perſas eo uti tradunt. Cavent enim, ne multum expuant, vel mingant, vel emungant.* Quam tamen Naſturtii vim DIOSCORIDES *libr.* II. *cap.* CLXXXV. CASSIANUS in *Geoponic. libr.* XII. *cap.* XXVII. PLINIUS *libr.* XX. *cap.* XIII. cum ceteras ejus vires accurate receoſerent, ne attigerunt quidem.

CXXVI. Parce etiam ac duriter, nec ſine magno labore, Perſas ab initio victitaſſe, propter egeſtatem, & regionis aſperitatem, idem XENOPHON *libr.* VII. *παιδ. pag.* 197. docet: de Cyro enim loquens: Εἰδὼς οὖν, ait, Πέρσας τοὺς οἴκοι κακοβιωτάτους μὲν ὄντας διὰ πενίαν, ἐπιπονώτατα δὲ ζῶντας διὰ τὴν τῆς χώρας τραχύτητα. *Cum ſciret igitur Perſas domi miſeram exigere vitam, ob pauperiem, & multo eum labore vitam tolerare, ob regionis aſperitatem.* PLATO *libr.* III. *de Legib. pag.* 815. Ποιμένων ὄντων Περσῶν, τραχείας χώρας ἐκγόνων, σκληρᾶς καὶ ἱκανῆς ποιμένας ἀπεργάζεσθαι μάλα ἰσχυροὺς, καὶ δυναμένους θυραυλεῖν καὶ ἀγρυπνεῖν, καὶ εἰ στρατεύεσθαι δέοι, στρατεύεσθαι. *Cum Perſae paſtores eſſent in regione aſpera geniti, & ipſa ars Perſica dura eſſet, ſufficienſque robuſtos eos paſtores efficere, qui & cuſtodias agere & vigilare poſſent, & militare, ſi res poſtularet.* Proinde Sandanis Lydus, ut eſt apud HERODOTUM *libr.* I. *cap.* 71. hac ratione Croeſum a bello Perſis inferendo dehortabatur, quod adverſus eos expeditionem pararet, a quibus nec ſpolia, nec commoda ulla reportare poſſet: propterea quod σιτέονται, (ajebat ille) οὐκ ὅσα ἐθέλουσι, ἀλλ' ὅσα ἔχουσι, χώρην ἔχοντες τρηχέαν. πρὸς δὲ οὐκ οἴνῳ διαχρέωνται, ἀλλὰ ὑδροποτέουσι. οὐ σῦκα δὲ ἔχουσι τρώγειν, οὐκ ἄλλο ἀγαθὸν οὐδὲν, *non quibus volunt cibis veſcantur, ſed quos habent, utpote regionem aſperam incolentes. Adhaec potu non vini utantur, ſed aquae: non ficos ad comedendum, nec aliud quidquam boni habentes.* Verum antiquos illos rigidoſque Perſarum mores paulatim Medicus Lydiuſque luxus ita infecit corrupitque, ut priſcam frugalitatem, parſimoniam, continentiamque funditus everterit. Itaque in veteris illius ſimplicis & ſine arte menſae locum, lauta & opipara convivia ſubierunt. Sed & qui prius abſtemii & aquae potores erant, Mero ſeſe onerare & ingurgitare Perſae coepere. Itaque ut vinoſos eos HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 133. mordet, his verbis: Οἴνῳ δὲ κάρτα προσκέαται. *Vino valde ſunt addicti.* Maxime vero in eam intemperantiam prolapſi ſunt, Regibus exemplo praeeuntibus. Quis enim hiſtoriam novit, qui ignoret, quam fuerint vino dediti, Cambyſes, Darius, Artaxerxes? De Cambyſe HERODOTUM *libr.* III. *cap.* 34. & SENECAM *libr.* III. *de Ira, cap.* XIV. non amplo illo praeconis boatu, ſed exili voce, aut libello, cito. Reliquorum temulentiam inſcripta eorum monumentis epitaphia loquuntur: Nam & Merobibos, & Multobibos (liceat mihi Plautinos ſales imitari) ſeſe extitiſſe jactitant, atque gloriantur. XENOPHON *libr.* VIII. *παιδ. pag.* 240. diſciplinam veterem in praeceps ruere coepiſſe cenſet, ex quo Ἀρταξέρξης ὁ βασιλεύς, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ, ἥττους τοῦ οἴνου ἐγένοντο. *Rex Artaxerxes, & ipſius familiares vino ſe dediderunt.* Quin etiam poſtquam cibo potioneque fames ac ſitis depulſa erat, poculis non temperaſſe Perſas, ſed majoribus popoſciſſe, meroque fervide indulſiſſe, refert AELIANUS *Variae Hiſtor. libr.* XII. *cap.* I. Ὡς δὲ ἦλθε τὸ πρῶτον παρὰ Κῦρον ἡ Ἀσπασία, ἔτυχε μὲν ἀπὸ δείπνου ὤν, καὶ πίνειν ἔμελλε κατὰ τὸν τρόπον τὸν Περσικόν. μετὰ γὰρ τὸ ἐμπλησθῆναι τροφῆς, οἱ Πέρσαι τῷ τε οἴνῳ, καὶ ταῖς προπόσεσιν εὖ μάλα ἀποσχολάζουσιν, εἰσιόντες ἐς τὸν πότον, ὡς ἐς ἀντίπαλον ἀποδυόμενοι. *Quum autem primum ad Cyrum venit Aſpaſia, erat ille coena jam uſus, ac more Perſico bibiturus. Etenim Perſae, poſtquam cibo ſaturati ſunt,*

(*a*) ADHIBERI] In editis legibus: *quos -- adhibere.* TR.

Digitized by Google

ſunt, vino ſe ac propinationibus plane dedunt, tanquam in adverſarium, ſe quaſi accingentes. Perſas quoque ſibi invicem propinaſſe, convivaſque inſuper ſuos ad bibendum compuliſſe, ex eo ſatis aperte colligitur, quod *Eſtberis cap.* I. *v.* 8. legitur: in illo Aſſueri convivio, quod tanto apparatu inſtructum fuit, nullum extitiſſe, qui invitos ad bibendum cogeret; cum ita Rex conſtituiſſet. Verum diſertis verbis Perſicum hunc morem adſtruit JOSEPHUS *libr.* XI. *Antiq. cap.* VI. ubi de Artaxerxe ſcribit: Προσέταξε δὲ καὶ τοῖς διακόνοις, μὴ βιάζεσθαι πίνειν, τὸ ποτὸν αὐτοῖς συνεχῶς προσφέροντας, ὡς καὶ παρὰ Πέρσαις γίνεται· ἀλλ' ἐπιτρέπειν αὐτοῖς, καὶ ὡς ἂν ἕκαστος βούληται τῶν κατακειμένων ἱκανῶς, φιλοφρονεῖσθαι. Id eſt, ut Rufinus vertit: *Praecepit itaque Miniſtris, ne cogerent bibere eos, potionem eis offerentes: quod apud Perſas fieri ſolet: imo ut concederent unicuique diſcumbentium, ut quemadmodum vellet, epularetur.* ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* 9. *pag.* 537. de Alexandro Magno: Καὶ ἄκρατον προπόσεις προπίνων, καὶ τοὺς ἄλλους ἐπαναγκάζων. *Merum alacriter propinans, atque alios cogens.*

CXXVII. Huic etiam temulentiae ſolitas ſuas Bacchus, laetitiae dator, & ſine quo friget Venus, faces admovebat. Nam, ut TERTULLIANUS in *libr. adverſus Pſychicos*, ſive *de Jejuniis, cap.* I. eleganter ait, *Monſtrum haberetur libido ſine gula, cum haec duo tam unita atque concreta ſint, ut ſi disjungi omnino potuiſſent, ipſi prius ventri pudenda non adhaererent.* Idemque *libr.* II. *adverſ. Marcionem, cap.* 18. *comites gulae* dicit; *libidinem & luxuriam, quae fere ventris caſtigatione frigeſcunt.* Ergo merſi vino & madentes Perſae in Triclinia, ubi coenabant, mulieres induci jubebant: ſed an juſtas uxores & matronas, an vero pellices & concubinas dumtaxat? ſubſiſto. Ut enim hoc adfirmat, ita illud negat, PLUTARCHUS (*a*) *libr.* I. *Sympoſiacor. cap.* I. *pag.* 612. *ſeq.* quo tractat: εἰ δεῖ φιλοσοφεῖν παρὰ πότον; *an philoſophandum ſit inter pocula?* Καὶ πάνυ γε σεμνῶς κατηγορεῖν δοκοῦσι, λέγοντες μὴ δεῖν ὥσπερ οἰκοδέσποιναν ἐν οἴνῳ φθέγγεσθαι φιλοσοφίαν· καὶ τοὺς Πέρσας ὀρθῶς φασι, μὴ ταῖς γαμεταῖς, ἀλλὰ ταῖς παλλακίσι συμμεθύσκεσθαι καὶ συνορχεῖσθαι. *Et vero admodum gravem ſimulantes ſeveritatem, philoſophiam dicunt tanquam matrem familias non debere loqui inter pocula: Perſaſque laudant, qui non cum uxoribus, ſed pellicibus ſuis inebrientur atque ſaltent.* Cujus loci Interpretem in medium adduco MACROBIUM. Is enim, quod in tranſcurſu dictum ſit, ultimum Saturnaliorum ſuorum librum ex Plutarchi Sympoſiacis magna ex parte contexuit. Sic igitur ille *libr.* VII. *Saturnal. cap.* I. Plutarchi verba in Latinum convertit: *Doceat nos vel peregrina inſtitutio, vel diſciplina a Parthis petita, qui ſolent cum concubinis, non cum conjugibus, inire convivia: tamquam has & in vulgus produci, & laſcivire quoque: illas, non niſi domi abditas tueri deceat tectum pudorem.*

CXXVIII. Stat & ab his partibus D. AMBROSIUS *libro de Helia, cap.* XV. *Praeterieram certe ego citharam, pſalteria, tympana, quae cognovimus conviviis hujuſmodi frequenter adhiberi, ut vino & cantu excitentur libidines. Plerique etiam, Perſico more, mulieres dignas temulentorum conſortio, induci jubent: & ab his phialas accipiunt, atque illis ſe ſubſternunt ſedentibus: & hunc ritum ſacratae habent obſervationes in ebrietatis miniſterium.*

CXXIX. Contrarium HERODOTUS adſtruere videtur, eorum Legatorum ore, qui a Megabyzo ad Amyntam Macedonum Regem miſſi fuerant, ut Dario Regi terram & aquam poſcerent. Nam cum illi benigne & comiter coena opipara accepti eſſent, ab Amynta hoſpite petierunt, ut mulieres accerſi juberet, quod dicerent, eſſe hoc in more poſitum apud Perſas, ut qui ſplendidam & ingentem coenam exhibuiſſent, non concubinas modo, verum etiam matresfamilias intromitterent. HERODOTI verba *libr.* V. *cap.* 18. ſic habent: Ἀμύντης ἰδὼν τοὺς Πέρσας φιλοφρόνως. ὡς δὲ ἀπὸ δείπνου ἐγίνοντο διαπίνοντες, εἶπαν οἱ Πέρσαι τάδε· Ξεῖνε Μακεδών, ἡμῖν νόμος ἐστὶ τοῖσι Πέρσῃσι, ἐπεὰν δεῖπνον προτιθώμεθα μέγα, τότε καὶ τὰς παλλακὰς καὶ τὰς κουριδίας γυναῖκας ἐσάγεσθαι παρέδρους. σύ νυν, ἐπεί περ προθύμως μὲν ἐδέξαο, μεγάλως δὲ ξεινίζεις, διδοῖς δὲ βασιλέϊ Δαρείῳ γῆν τε καὶ ὕδωρ, ἕπεο νόμῳ τῷ ἡμετέρῳ. εἶπε πρὸς ταῦτα Ἀμύντης· Ὦ Πέρσαι, νόμος μὲν ἡμῖν γέ ἐστι οὐκ οὗτος, ἀλλὰ κεχωρίσθαι ἄνδρας γυναικῶν· ἐπεί τε δὲ ὑμεῖς ἐόντες δεσπόται προσχρηίζετε τούτων, παρέσται ὑμῖν καὶ ταῦτα. εἴπας τοσαῦτα ὁ Ἀμύντης μετεπέμπετο τὰς γυναῖκας. αἱ δ' ἐπεί τε καλεόμεναι ἦλθον, ἐπεξῆς ἀντίαι ἵζοντο τοῖσι Πέρσῃσι. *Amyntas, inſtructa ſplendida coena, Perſas percomiter in hoſpitium ſuſcepit. Poſtquam a coena ad potum pervenere, Perſae, Hoſpes, inquiunt, Macedo, nobis Perſis conſuetudinis eſt; quoties magnam exhibuimus coenam, tunc etiam concubinas, & quas virgines duximus uxores, ad adſidendum introducere. Proinde tu nunc, quoniam comiter excepiſti nos, & liberali hoſpitio proſecutus es, Regique Dario & terram das & aquam, ſectare conſuetudinem noſtram. Ad haec Amyntas, nobis, inquit, Perſae, iſta conſuetudo non eſt, ſed viros a feminis ſemovendi: verum quandoquidem vos exigitis, qui domini eſtis, hoc quoque vobis praeſtabitur. Haec locutus Amyntas feminas accerſit. Illae, ut vocabantur, praeſto fuerunt, & e regione Perſarum deinde conſederunt.* Et ut nuper Plutarcho Macrobium, ita huic quoque JUSTINUM interpretem adhibebo. Sic igitur *libr.* VII. *cap.* 3. §. 2. *ſeqq.* hanc hiſtoriam exponit: *Megabyſus*, ait, *Legatis ad Amyntam regem Macedoniae miſſis, obſides in pignus futurae pacis dari ſibi poſtulabat. Sed Legati benigne excepti, inter epulas ebrietate creſcente, rogant Amyntam, ut apparatui epularum adjiciat jus familiaritatis, adhibitis in convivium ſuum filiis & uxoribus* (*b*): *id apud Perſas haberi pignus ac foedus hoſpitii. quae ut venerunt, petulantius Perſis eas contrectantibus, filius Amyntae Alexander rogat patrem, reſpectu aetatis ac gravitatis ſuae, abiret convivio, pollicitus ſe hoſpitum temperaturum jocos. Quo digreſſo, mulieres quoque paululum e convivio evocat, cultius exornaturus, gratioreſque reducturus. In quarum locum matronali habitu exornatos juvenes ſupponit, eoſque petulantiam legatorum ferro, quod ſub veſte gerebant, compeſcere jubet.* Facit & ad hanc rem Aſſueri hiſtoria: qui lautiſſimam & omni apparatus genere inſtructiſſimam coe-

(*a*) PLUTARCHUS] Diſtinctius hac de re loquitur in *Conjugal. Praecept. pag.* 140. quem locum vel ideo adſcribam, quia fortaſſis diverſarum opinionum conciliationi inſervire poteſt. Ut tamen brevitati ſtudeam, adſcribam tantum verba Latina ex verſione Xylandri. *Perſarum Regibus in coena ac conviviis adſident reginae: verum ubi ludendi & inebriandi inceſſit voluptas, eas amandant, & muſicas pelliceſque advocant.* TR.

(*b*) UXORIBUS] In recentioribus *edd.* locus ex MSS. ita emendatus: *ſuis ac filii uxoribus:* ubi vide *Interpp.* Obiter etiam moneo, *Megabyzum*, ut ab Herodoto vocatur, in Juſtini *edd.* quas vidi, *Megabazum* nominari. TR.

coenam Proceribus Perſicis dans, Vuaſten Reginam ad eas ſollemnes epulas per Eunuchos evocavit. At illa ire detrectavit, patrium morem cauſata, quo mulieres virilibus conviviis ſummovebantur arcebanturque: nec alterius, quam conjugis oculis conſpiciendas ſe praebebant. Et recuſaſſe quidem illam eo accedere, *Heſter. cap.* I. refertur. Verum qua de cauſa, quoque obtentu, ejus libri auctor ſilentio ſuppreſſit. At quod illic omiſſum eſt, ſuppletur ex Joſepho, qui eam unam, quam ſupra attulimus, cauſam fuiſſe ait, cur illa Regi, & inſtanti, obſequi renuerit. JOSEPHI igitur ex *Antiquitat. libr.* XI. *cap.* VI. verba ipſa ſubjungam: Πέμψας, (ait ille de Artaxerxe loquens) ἐκάλεσεν αὐτὴν (Οὐάστιν βασίλισσαν) εἰς τὸ συμπόσιον ἥκειν, κάλλει τὰς γυναῖκας ἁπάσας ὑπερβάλλουσαν. ἡ δὲ φυλακῇ τῶν παρὰ Πέρσαις νόμων, οἳ τοῖς ἀλλοτρίοις βλέπεσθαι τὰς γυναῖκας ἀπαγορεύουσιν, οὐκ ἐπορεύετο. *Miſit, qui eam* (*Vaſten reginam*) *pulcbritudine omnes mulieres ſuperantem ad convivium venire juberet. Illa vero volens Perſarum leges ſervare, quae uxores vetant ab aliis, praeter domeſticos, conſpici, non venit.* Nicolaus quoque Lyranus, ad *cap.* I. *Eſther.* ait: *Mulieres comediſſe, ſegregatas a viris. Nam conſuetudo,* inquit, *erat apud Perſas, quod conjuges, maxime nobilium, non dabant ſe aſpectibus aliorum virorum.* His conſentanea JUSTINUS *libr.* XLI. *cap.* 3. §. 2. de Partho-Perſarum moribus ſcribit hoc modo: *Feminis non convivia tantum virorum, verum etiam conſpectum interdicunt.*

CXXX. Atque hujus vinolentiae inhibendae moderandaeque cauſa apud Perſas quoque legibus cautum fuiſſe, ne majores calices, quas Προχοΐδας vocabant, epulis inferrentur, XENOPHON tradit, & ſua tempeſtate eam quidem conſuetudinem permanſiſſe ait: verumtamen tantum potaſſe eos, ut ipſi e conviviis auferrentur, nedum inferrent: cum ipſis prae temeto pedes labarent. XENOPHONTIS *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 240. [189.] verba ſunt haec: Ἦν δὲ αὐτοῖς νόμιμον, μὴ προχοΐδας εἰσφέρεσθαι εἰς τὰ συμπόσια· δηλονότι νομίζοντες τὸ μὴ ὑπερπίνειν, ἧττον ἂν καὶ σώματα καὶ γνώμας σφάλλειν· νῦν δὲ τὸ μὲν μὴ εἰσφέρεσθαι ἔτι αὖ (*a*) διαμένει· τοσοῦτον δὲ πίνουσιν, ὥστε ἀντὶ τοῦ εἰσφέρειν, αὐτοὶ ἐκφέρονται, ἐπειδὰν μηκέτι δύνωνται ὀρθούμενοι ἐξιέναι. *Cautum item lege erat, ne calices majores ad convivia importarentur, quod exiſtimarent, minus cum corpora, tum mentes debilitari, ſi quis non nimium hauriat. Nunc has non importari, reſtat id quidem, tantum vero bibunt, ut non importent, ſed ipſi exportentur, quando nimirum recto corpore non amplius exire poſſunt.* Quem Xenophontis locum ATHENAEUS *libr.* XI. *cap.* 13. *pag.* 496. laudans, Προχοΐδας τὰς κύλικας, interpretatur.

CXXXI. Non eo minus tamen inter Scyphos ſumma de republica conſilia conferre Perſae ſolebant. Verum ſi qua de re inter pocula deliberaverant, de eo iterum poſtridie referre ſolebant: & ſiquidem ſobriis idem placuiſſet, quod bene potis, id amplectebantur probabantque; ſin minus, repudiabant. Quinetiam de quibuſcunque ſobrii conſilia inierant, eadem, cum mero incaluerant, in diſquiſitionem vocabant. Hujus moris non alium, quam HERODOTUM teſtem citant ATHENAEUS *libr.* IV. *cap.* 10 *pag.* 144. & *Scholiaſtes* ARISTOPHANIS in *Equites* ad verba; (v. 91.) Οἶνον γὰρ εὕροις. Eodem ergo teſte ipſo quoque utar: cujus verba ſunt haec, *libr.* I. *cap.* 133. Μεθυσκόμενοι δὲ ἐώθασι βουλεύεσθαι τὰ σπουδαιότατα (*b*) αὐτοῖσι πρήγματα. τὸ δ᾽ ἂν ἅδῃ σφίσι βουλευομένοισι, τοῦτο τῇ ὑστεραίῃ νήφουσι προτιθεῖ ὁ στέγαρχος, ἐν τοῦ ἂν ἐόντες βουλεύσωνται. καὶ ἢν μὲν ἅδῃ καὶ νήφουσι, χρέωνται αὐτῷ. ἢν δὲ μὴ ἅδῃ, μετιεῖσι. τὰ δ᾽ ἂν νήφοντες προβουλεύσωνται, μεθυσκόμενοι ἐπιδιαγινώσκουσι. *Poti de rebus maxime ſeriis conſultare conſueverunt. Quod autem ipſis placuerit deliberantibus inter pocula, id poſtridie proponit dominus illius domus, in qua deliberaverint: & ſiquidem placuerit ſobriis etiam, eo utuntur: ſin minus, relinquunt. De quibuſcunque autem ſobrii conſultaverint, inebriati ea in diſquiſitionem revocant.* SUIDAS in verbo, οἶνον πίνων. Ἡρόδοτος δὲ λέγει, Πέρσας τοῦτον κρατεῖν τὸν νόμον. οἱ μὲν ἂν εἰσηγήσωνταί τινα νήφοντες, βουλεύεσθαι περὶ τούτου ἐν μέθῃ· οἱ δὲ εἰσηγήσαντο ἐν μέθῃ, τοῦτο αὔριον νήφοντας. *Herodotus vero dicit, Perſas hunc morem ſervare, ut, ſi quid ſobrii ad deliberandum propoſuerint, de eo conſultent ebrii: ſin quid propoſuerint ebrii, id ratum facere ſobrios.* ATHENAEUS *libr.* V. *cap.* IV. *pag.* 192. Ἐν ἐνίοις δὲ καὶ τῶν Περσικῶν συμποσίων ἐγίνοντο καὶ βουλαί. *In quibuſdam etiam Perſarum conviviis conſilia capiebantur.* MAXIMUS TYRIUS *Diſſert.* XII. (XXVIII. *cap.* 4. *pag.* 337.) de Lege Conviviorum, ubi conſilia de Republica capiebantur apud Perſas: Ἐπαινῶ περὶ τούτου τὸν Περσικὸν νόμον τὸν ἀρχαῖον, δι᾽ ὃν Πέρσαι τῆς ἐλευθερίας ἐπελάβοντο· ἀνέκειντο τοῖς Πέρσαις αἱ βουλαὶ εἰς τὰς εὐωχίας, ὥσπερ τοῖς Ἀθηναίοις εἰς τὰς ἐκκλησίας (*c*), Ἀττικοῖς. ἐκεῖ μὲν γὰρ νόμος κολάζων τὴν μέθην, ἐπήγειρεν αὐτῶν τὰς ἀρετὰς τῇ εὐωχίᾳ. *Praefero ego longe antiquam Perſarum legem, qua libertatem conſecuti ſunt. Deliberare in conviviis Perſae, ſicut in concionibus Athenienſes ſolebant. Cum enim per legem inebriari nefas eſſet, comeſſatio animos eorum excitabat.* Similiterque AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XVIII. *cap.* 5. inter epulas de apparatu bellorum, & ſeriis rebus, apud Perſas, Grajorum more veterum, conſultari, tradit.

CXXXII. Sane Perſas inter epulas belli conſilia agitaſſe Q. CURTIUS *libr.* VII. *cap.* 5. §. I. narrat. Atque adeo impenſius placuiſſe, certioraque habita ea conſilia, quae temulenti ceperant, quam quae ſobrii, teſtatur STRABO *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) his verbis: Ἐν οἴνῳ τὰ μέγιστα βουλεύονται, καὶ βεβαιότερα, τῶν ἐν νήψει, τίθενται. *De rebus maximis in vino conſultant, eaque decreta ipſi firmiora cenſent, quam quae ſobrii faciunt.*

CXXXIII. Enimvero Regum exemplo, purpuratis quoque dubias coenas appoſitas ATHENAEUS *libr.* IV. *cap.* 10. *pag.* 145. ſignificat: ἔτι δὲ, inquiens, καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις Πέρσαις, τοῖς ἐν δυνάμει οὖσιν, ἀθρόα πάντα τὰ σιτία ἐπὶ τὴν τράπεζαν παρατίθεται. *Etiam apud ceteros Perſarum optimates, confertim omnia edulia menſis inferuntur.* STRABO *libr.* XV. *l. c.* Δειπνοῦσι πολυτελῶς Πέρσαι, τιθέντες καὶ ὁλομελῆ, καὶ πολλὰ καὶ ποικίλα. *Perſae laute coenant, integra & multa & varia apponentes.* AELIANUS *libr.* V. *cap.* I. de Tacho Aegyptio, qui quamdiu patrio more frugaliter vixit (*d*), pro-

(*a*) Prior editio συμμένει, pro quo ex edito Xenophonte reſtripſi διαμένει. L.

(*b*) Edit. Henr. Steph. legit, τῶν σπουδαιοτάτων. [σπουδαιότατα *ed.* Gronovii] e qua paulo poſt quoque, pro χρέωνται αὐτῷ οἱ δὲ μή, hic repoſui, χρ. αὐτῷ. ἢν δὲ μή. L. Conſentit *ed.* Gronovii; in qua praeterea pro σπουδαιότατα ex MS. reponitur σπουδαιέστατα. TR.

(*c*) Ἐκκλησίας] Poſt hoc verbum ex MS. in textum inſerit *Davifius* ſequentia: Καὶ σπουδαιότερον ἦν συμπόσιον Περσικὸν ἐκκλησίας Ἀ. TR.

(*d*) VIXIT] Haec lectio eſt a manu Sylburgii: nam in prima auctoris editione legitur: *qui donec uſus eſt vernaculo victu, & frugaliter vixit.* TR.

proſperrima valetudine uſus eſt: Ἐπεὶ δὲ εἰς Πέρσας ἀφίκετο, καὶ εἰς τὴν ἐκείνων τρυφὴν ἐξώκειλε, τὸ ἀκμῆς τῆς ἐκεῖ σιτήσεως, ὑπὸ δυσεντερίας τὸν βίον κατέστρεψε, τῇ τρυφῇ ἀπαλλαγεὶς τοῦ ζῆν. *Poſtquam vero ad Perſas venit, & in illorum luxum prolapſus eſt, quum non poſſet ferre inſolentiam ciborum, vitam dyſenteria finivit, & luxuriam cum morte commutavit.* Aemilius Probus in *Pauſania*, cap. 3. §. 2. *Epulabatur more Perſarum luxurioſius, quam qui aderant perpeti poſſent.* Suidas in verbo Παυσανίας· ἐσθῆτι καὶ τραπέζῃ ἐχρῆτο Μηδικῇ. *Veſtitu & menſa Medica uti coepit.* Hinc & Περσικὴ τράπεζα menſae, dixit Maximus Tyrius *Sermone* xi. (xxvii. *cap.* 5. *pag.* 327.) Satraparum etiam menſas Cyrus voluit ea eſſe ferculorum copia inſtructas, ut & ad famulos alendos, & ad amicos, eosque, qui praeclari aliquid geſſiſſent, demerendos, ſatis eſſet. Ita enim Satrapas alloquitur *libr.* viii. *inſtit.* Xenophon *pag.* 231. [182.] Ἔστω δὲ παρ' ὑμῖν τράπεζα, ὥσπερ ἐμοί, τρέφουσα μὲν πρῶτον τοὺς οἰκέτας, ἔπειτα δὲ, καὶ ὡς φίλοις μεταδιδόναι, ἱκανῶς κεκοσμημένη, καὶ ὡς τὸ καλόν τι ποιοῦντας καθ' ἡμέραν ἐπιγεραίρειν. *Sit & apud vos menſa, quae, ſicut & mea, primum famulos alat, deinde ſat bene inſtructa ſit etiam ad impertiendum amicis, ornandumque illos, qui ſingulos in dies aliquid praeclare geſſerint.*

CXXXIV. Vulgo tamen Perſas Cibis uſos perpaucis, Bellariis vero multis, neque iis exquiſitis, vel admodum bonis, Herodotus *libr.* i. *cap.* 133. ſcribit: indeque Perſas dicere ſolitos, Graecos finem edendi fecifſe, dum eſurirent: propterea quod ſecundis menſis nihil illis ullius pretii apponeretur: quod ſi quid appoſitum fuiſſet, non eſſe modum facturos. Verba Herodoti ſunt haec: Σίτοισι δὲ ὀλίγοισι χρέωνται, ἐπιφορήμασι δὲ πολλοῖσι καὶ καλοῖσι (a) καὶ διὰ τοῦτό φασι Πέρσαι, τοὺς Ἕλληνας σιτεομένους, πεινῶντας παύεσθαι, ὅτι σφι ἀπὸ δείπνου παραφορέεται οὐδὲν λόγου ἄξιον· εἰ δέ τι παραφέροιτο, ἐσθίοντας ἂν οὐ παύεσθαι. *Cibis autem utuntur perpaucis, bellariis multis, neque iis admodum bonis. Hinc eſt, quod Perſae dicunt: Graecos finem edendi facere, dum adhuc eſuriunt, quod a coena nihil apponatur ulli s, quod ſit alicujus pretii: quod ſi quid tale apponeretur, non eſſe finem facturos, quod ſatiati eſſent.*

CXXXV. Prae ceteris autem feſtis diebus ſumma laetitia & hilaritate natales dies tranſigebant. Itaque genium eo die lautius curantes, copioſius convivia parabant. Ac locupletiores quidem ſolidos & integros Boves, Camelos, Equos, Aſinos, eoſque in fornacibus toſtos & aſſatos, apponebant: humiliores vero ac tenuiores Natalem ſuum minorum pecorum caede celebrabant. Auctor Herodotus *libr.* i. *pag.* 133. cujus verba Athenaeus *lib.* iv. *cap.* 10. *pag.* 143. exſcripſit.

CXXXVI. Ceterum bis die cibo ventrem (ut Salustius *de rep. ordin.* i. *cap.* 8. loquitur) onerare, moris non erat. Idque ita inſtitutum, ut ſolidum rebus agendis, corporique exercendo diem impenderent. Xenophon *libr.* viii. *inſtit. pag.* 240. [189.] ſcribit, Καὶ μὴν, inquiens, πρόσθεν μὲν αὐτοῖς μονοσιτεῖν νόμιμον, ὅπως ὅλῃ τῇ ἡμέρᾳ χρῷντο καὶ εἰς τὰς πράξεις καὶ εἰς τὸ διαπονεῖσθαι. νῦν μὲν τὸ μὲν μονοσιτεῖν ἔτι διαμένει· ἀρχόμενοι δὲ τοῦ σίτου ἡνίκαπερ οἱ πρῳαίτατα ἀριστῶντες, μέχρι τούτου ἐσθίοντες καὶ πίνοντες διάγουσιν ἔστε περ οἱ ὀψιαίτατα κοιμώμενοι. *Enimvero cautum id etiam apud illos olim erat lege, ut ſemel tantum paſcerentur, quo tam ad res efficiundas, quam ad laborum exercitationes die toto fruerentur: jam reſtat id quidem, ut ſemel tantum comedant, ſed quum eo tempore veſci incipiunt, quo ſolent, qui vel maturrime prandent, tamdiu comedere ac bibere pergunt, quamdiu ſolent, qui ſero admodum cubitum eunt.* Sermone autem bono & lepido (quod caput Coenae Cicero *libr.* ii. *de Finib. cap.* 8. appellat) uſos Perſas in epulando, demonſtrat Plutarchus *libr.* ii. *Sympoſiacon*, *Quaeſt.* i. *pag.* 629. Τὸν Γωβρύαν φασὶ θαυμάσαντα τὸν Κῦρον, τά τε ἄλλα θαυμάζειν τῶν Περσῶν, καὶ ὅτι τοιαῦτα μὲν ἀλλήλους ἐρωτῶσιν, ἃ ἥδιόν ἐστιν ἐρωτηθῆναι, (b) ἢ μή· καὶ οἷς σκώπτουσιν, οἷα σκωπτόμενοι ἥδιον ἢ μή. εἰ γὰρ ἐπαινοῦντες ἐνίοτε λυποῦσι, πῶς οὐκ ἄξιον ἦν ἀγασθαι ἐκείνων, ὧν ἐν σκωπτόμενοις ἡδονὴν καὶ χάριν παρεῖχε; *Gobryam, ait, a Cyro coena exceptum cum alios Perſarum mores fuiſſe admiratum, tum quod talia invicem interrogabant, qualia interrogari quam non interrogari erat jucundius: & talibus petebant ſe mutuo falſe dictis, quibus impeti, quam non impeti erat ſuavius. Nam ſi nonnulli laudando offendunt: cur non ſummam admirationem mereatur illorum facetu calliditas, quorum etiam ſales voluptati erant iis, in quos depromebantur?* Cujus rei exempla Xenophon *libr.* v. *inſtit. pag.* 122. ſuppeditat.

CXXXVII. Perſas tandem ad priſcam majorum frugalitatem tempeſtate ſua rediiſſe, Ammianus Marcellinus *libr.* xxiii. *cap.* 6. teſtatur his verbis: *Munditias conviviorum & luxum, maxime potandi aviditatem, vitantes ut luem: nec apud eos, extra regales menſas, hora eſt praeſtituta prandendi, ſed venter unicuique, velut ſolarium eſt: eoque monente, quod inciderit editur: nec quiſquam poſt ſatietatem ſuperfluos ſibi ingerit cibos: Immane quantum reſtricti & cauti, ut inter hoſtiles hortos gradientes, nonnunquam & vineta, nec cupiant aliquid, nec contingant, venenorum & ſecretorum artium metu.* Parthorum quoque mores deſcribens Justinus *libr.* xli. *cap.* 3. §. 9. *in cibum parcos* fuiſſe eos, ſcribit. Procopius *libr.* ii. *de bello Perſico*: Μονόσιτοι γὰρ, ὥσπερ ἄλλοι οὐδένες, οἱ Πέρσαι εἰσὶ, καὶ τὰ ἐς τὴν δίαιταν ὑπὲρ ἄγαν σώφρονες. *Simplicibus moribus, ſi ulli alii, praediti ſunt Perſae, & in cibum parciſſimi.*

CXXXVIII. Ad menſam vero eximia forma Pueri conſiſtebant, iique ad nutum dominorum intuentes, diligenter miniſtrabant; aderant Unguenta, Coronae: incendebantur odores. Duras vero Miniſtratorum illorum partes Ammianus Marcellinus *libr.* xxiii. *cap.* 6. praedicat. De Perſis namque agens; *Cutes vivis hominibus detrahunt, particulatim, vel ſolidas: nec miniſtranti apud eos famulo, menſaeque adſtanti, hiſcere, vel loqui licet, vel ſpuere; ita Roſtratis* (c) *pellibus labra omnium vinciuntur.*

CXXXIX. Praeterea lautiores Perſas in miniſterio

(a) Καλοῖσι] *Jac. Gronovius* ex *MS. Med.* reponit ἀλέσι, cujus vide *not. pag.* 838. TR.

(b) Haec ἢ μὴ &c. uſque ad μή· cum interjectis ex editio Xenoph. huc tranſtuli: prior editio ita tantum legebat: ἢ μὴ σκωπτόμενοι. καὶ L. Ita etiam textus Plutarchi ſuppletur in *ed. Francof. Opp.* In qua praeterea in praecedentibus pro πρῶτον legitur ἱκανῶς; & οἷα pro ἃ: paulo poſt vero pro σκώπτουσιν legitur σκώπτουσι. TR.

(c) Rostratis] *Proſtratis* legitur in *noviſſ. edd.* TR.

ſterio habuiſſe Piſtores, Obſonatores, Cocos, Pocillatores, Xenophon *libr.* VIII. παιδ. indicat in extremo, *pag.* 241. ubi, Σιτοποιὰς, καὶ Ὀψοποιὰς, καὶ Οἰνοχόους, καὶ παρατιθέντας, καὶ ἀναιροῦντας, *Panis & Obſoniorum opifices, & Pincernas, & qui in menſas cibos apponunt, & qui eos tollunt,* in Procerum cohortibus turmiſque habitos, ait.

CXL. Artificesquoque comparandarum voluptatum, qui nova edulium genera condimentave excogitarent: qui guloſius condiendi cibos, aut luxurioſius fercula ſtruendi, viam monſtrarent, acceptiſſimos illis fuiſſe, Xenophon eodem *libr. pag.* 241. [*p.* 190.] non obſcure ſignificat, cum ait: Καὶ μὴν τά γε πέμματα ἐπὶ τραπέζαις, ὅσα τε πρόσθεν εὕρητο, οὐδὲν αὐτῶν ἀφῄρηται, ἀλλὰ τὰ ἀεὶ καινὰ ἐπιμηχανῶνται. καὶ ὄψα γε ὡσαύτως. καὶ γὰρ καινοποιητὰς ἀμφοτέρων τούτων κέκτηνται. *Praeterea quae ad menſam coquuntur, quaecunque prius inventa fuerant, eis nihil eſt detractum, & alia quaedam nova ſemper excogitant. Idem in obſoniis fit. Nam in utroque habent, qui ſemper aliquid novi quaerant.*

CXLI. Abacos vero auro argentoque coelato ornaſſe oneraſſeque Perſas, poculorumque & multitudine & eximio pretio delectatos, oſtendit cum Xenophonte, Strabo. Xenophon *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 241. [*p.* 190.] Καὶ μὴν ἐκπώματα ἢν μὲν ὡς πλεῖστα ἔχωσι, τούτῳ καλλωπίζονται. *Jam ſi etiam pocula maximo numero habeant, eo ipſo praeclare ſe ornatos arbitrantur.* Strabo *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) Κόσμος τε λαμπρὸς πολὺς, ἐκπωμάτων τε καὶ ἄλλων, ὥστε χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ καταλάμπεσθαι. *Veſtis & poculorum ornatus ſplendiſſimus, auro & argento refulgent.* Fertur Pauſanias, cum Mardonii, qui Darii Praetor erat, caſtris tabernaculiſque potitus eſſet, viſa ſupellectile ejus, multo auro & argento, variis quoque velis & Aulaeis, imperaſſe Piſtoribus, Coquis, Miniſtratoribuſque Perſicis, triclinium ſibi ſternere, coenamque inſtruere, eodem modo apparatuque, quo Mardonio ſolebant. Quod cum illi diligenter exſecuti eſſent, obſtupuit Pauſanias aſpectu lectorum aureorum argenteorumque belle ſtratorum, menſarum quoque aurearum & argentearum: nec non, magnifico totius coenae apparatu, epularumque ac ceterarum rerum appoſitarum copia, quemadmodum Herodotus *libr.* IX. *cap.* 81. & ex eo Athenaeus *libr.* IV. *cap.* 6. *pag.* 138. narrant: quod & Plutarchus in *Apophthegm. Laconic. pag.* 230. perſtrinxit. In ejuſdem quoque Mardonii impedimentis, Hiloras Laconum inveniſſe Herodotus *libr.* IX. *cap.* 79. ſcribit, σκηνὰς κατεσκευασμένας χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ, κλίνας τε ἐπιχρύσους καὶ ἐπαργύρους, κρητῆράς τε χρυσέους, καὶ φιάλας τε καὶ ἄλλα ἐκπώματα, σάκκους τε ἐπ' ἁμαξέων εὕρισκον, ἐν τοῖσι λέβητες ἐφαίνοντο ἐνεόντες χρύσεοί τε καὶ ἀργύρεοι. *Tentoria auro & argento referta, lectoſque auro & argento conſtratos: crateras etiam aureos, phialaſque, & alia vaſa potoria, nec non ſaccos ſuper plauſtra, interlucentibus intus incluſis ex auro & argento lebetibus.*

CXLII. Aureis utique lectis diſcubuiſſe Perſarum proceres, ſtratis pulcherrimis, textilibus ſtragulis, magnificiſque operibus pictis, ex Athenaei *libr.* II. *cap.* 9. *pag.* 48. *ſeq.* & XII. *cap.* 9. *pag.* 539. colligimus. Ac plane in ſollemnis illius epuli deſcriptione, quod exhibuiſſe Aſſuerum, refertur *Eſther. cap.* I. *v.* 6. κλίναι ἐrant χρυσαῖ καὶ ἀργυραῖ ἐπὶ λιθοστρώτου σμαράγδου λίθου, καὶ (a) πίνου καὶ παρίου λίθου· καὶ στρωμναὶ διαφανεῖς ποικίλως διηνθισμέναι, κύκλῳ ῥόδα πεπασμένα. *Lecti aurei & argentei in pavimento Smaragdii & Parii lapide ſtrato: & ſtragulae pellucidae, variis floribus diſtinctae, ſparſis in ambitu roſis.* Interdum etiam Lecti auratis pedibus erant. Athenaeus *libr.* IV. *cap.* X. *pag.* 145. Regem Parthorum convivis χαμαὶ καθημένοις, ait, ἐπὶ κλίνης χρυσόποδος κατακείμενον, *humi ſedentibus, in lecto aureis pedibus fulto jacuiſſe.* Idem Athenaeus *libr.* XII. *cap.* 9. *pag.* 539. coenaculum illud, in quo nuptiale epulum Perſis Alexander dedit, ἑκατοντάκλινον, *centum lectis inſtructum*, fuiſſe, ἐν ᾧ ἑκάστη ἦν κλίνη κεκοσμημένη στολῇ γαμικῇ, εἴκοσι μνῶν ἀργυρῶν· ἡ δὲ αὐτοῦ, χρυσόπους ἦν. *Unumquemque autem lectum ſtragulis nuptialibus fuiſſe exornatum, quorum pretium fuerint argenteae minae viginti; Ipſius vero (regis) pedibus inſuper fuiſſe aureis.*

CXLIII. Jam accurate Perſae Triclinia ſternebant: & in ſternendis ornandiſque Lectis ſummum ſtudium operamque ponebant. Pretioſa autem veſte ſtragula Lecti, tam Tricliniares, quam Cubiculares, ſterni atque ornari conſueverant. Quinetiam propriam quandam, & Graecis incognitam, Lectorum ſternendorum rationem, adinveniſſe eos, litteris proditum eſt: eique ſpecialiter miniſterio addictos habuiſſe famulos, quos Στρώτας Graeci vocant. Atque adeo Perſas primos hujuſmodi lectiſterniatores (fas mihi ſit Plautinam hanc, bona omnium venia, vocem mittere) in uſum invexiſſe, ut explicandis ſtragulis ſuus conſtaret ornatus, & ordo, Athenaeus *libr.* II. *cap.* 9. *pag.* 48. ex Heraclide tradit: Πρῶτοι Πέρσαι, ὥς φησιν Ἡρακλείδης, καὶ τοὺς λεγομένους Στρώτας ἐφεῦρον, ἵνα κόσμον ἔχῃ ἡ στρῶσις, καὶ εὐαφίαν. *Heraclides ſcribit, quos Stratores vocant, a Perſis primum repertos fuiſſe, ut explicandis ſtragulis ſuus conſtaret ornatus & mollis contactus.* Itaque Artaxerxes Timagorae Cretenſi στρωμνὰς πολυτελεῖς, *ſtragula pretioſa*, mittens, una quoque, ut Athenaeus ibidem ſcribit, miſit καὶ ὑποστρώσαντα, φάσκων, οὐκ ἐπίστασθαι τοὺς Ἕλληνας ὑποστρωννύειν. *Stratorem, quod diceret, Graecos ſternere non poſſe.* Similiterque Plutarchus, in *Pelopida, pag.* 294. Artaxerxem Timagorae Athenienſi (in eo enim non belle ei cum Athenaeo convenit) dono dediſſe, κλίνην πολυτελῆ, *lectum pretioſum*, refert, ſimulque καὶ στρωτὰς θεράποντας, ὡς Ἑλλήνων οὐκ ἐπισταμένων, *Famulos ſtratores, quod Graeci ſternere neſcirent.* Idem Plutarchus in *Artaxerxe, pag.* 1022. Ἔπεμψε κλίνην, καὶ στρώματα, καὶ τοὺς στρώσοντας ἔπεμψεν, ὡς οὐ μεμαθηκότων Ἑλλήνων ὑποστρωννύειν. *Lectum etiam, & ſtragula, & ſtratores miſit, quod Graeci ſternendi eſſent imperiti.* Nec ſatis habuiſſe Perſas τὰς κλίνας μαλακῶς ὑποστρώννυσθαι, *Lectos molliter ſternere*; verumetiam pedes ἐπὶ ταπίδων τιθέναι, ὅπως μὴ ἀντερείδῃ τὸ δάπεδον, *tapetibus imponere, ne pavimentum* reni-

(a) Πίνου in verſione exprimere neglexi, quod, quid proprie ſignificet, non ſuccurrat. Vide tamen an non voci huic lux affundi ex Heſychio poſſit, apud quem ſic invenio: Πίνα εἶδος ἰχθύος καὶ ὀστρεώδης κογχύλιον, (ita enim cum apud Heſychium, tum vero Phavorinum, legendum videtur; non vero ut editi, ὀστώδης. Et ſi Sophoclis Scholiaſtae tribui in his auctoritas debet, praeterea Πίννα, non vero πίνα dicendum. Cujus verba in edit. Steph. p. 23. ſic habent: Πίννα ὁ ῥύπος, δι' ἑνὸς ν· πίννα, τὸ ὄστρεον, διὰ δύο ν. Quam formam ſi ſequemur, ſimiliter quoque πίννου, non πίνου ſcribendum fuerit. L. Immo in *ed. L. Bos* LXX. *Interpp.* perſpicue quoque legitur πιννίνου, uti ante σμαραγδίτου, pro σμαράγδου. TR.

ſenitatur, *ſed tapetes nonnihil cedant*, XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 241.* [*p.* 190.] ſcribit.

CXLIV. Lectos quoque interdum Aulaeis obducebant. CURTIUS *lib.* VIII. *cap.* 5. §. 21. *Nec quidquam eorum, quae invicem jactata erant, Rex ignorabat: quum poſt Aulaeam, qua lectos obduxerut, ſtaret.*

CXLV. Velis etiam atque Aulaeis, quae interdum purpurâ, interdum auro intexta erant, Aedes ac Tabernacula exornabantur. Teſtimonio eſt & PLUTARCHUS, qui de *Artaxerxe* in ejus vita *pag.* 1026. ſcribit: Αὐτὸς δὲ τ̄ θαλάμου τ̄ ὄπισθεν τ̄ κλίνης τοῖχον ἐκκόψας, ἐ θυρώσας, κατεκάλυψε αὐλαίᾳ τὰς θύρας. *Ipſe parietem poſt lectum ſuum perfodit, oſtiumque in eo fabricatur, idque aulaeo occultat.* Et mox: ταχὺ τὴν αὐλαίαν ὑπολαβὼν, διεχώρησεν εἰς τὸ ἐντὸς οἴκημα. *Celeriter aulaeo arrepto per oſtium in conclave interius ſe proripuit.* TERTULLIANUS *libr. de habitu mulieb.* ſive *de cultu fem.* 1. *cap.* VII. de Parthis & Medis loquens; *Sed & parietes Tyriis, & Hyacinthinis & illis Regiis velis, quae vos operoſe reſoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur.* PLUTARCHUS in *Themiſtocle*, *pag.* 127. Ἐγγὺς γενόμενοι, τὴν αὐλαίαν ἀνεῖλον. *Cum prope veniſſent, aulaeum detrahunt.* ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* 9. *pag.* 538. de Tabernaculo, in quo Alexander epulum nuptiale populo praebuit, περιβέβλητο δὲ ἐν τῷ περιβόλῳ πολυτελῆ αὐλαῖα ζωωτὰ καὶ διάχρυσα, κανόνας ἔχοντα χρυσοῦς καὶ ἀργυροῦς. *Expanſa per circuitum erant aulaea pretioſa, belluataque tapetia auro fulgentia, auratis argentatiſque regulis ſuſpenſa.* Unde apparet belluata (ut PLAUTUS *Pſeud. Act.* I. *Sc.* 2. *v.* 14. loquitur) fuiſſe Perſarum Aulaea, & animalium figuris inſignita. Quae vero ATHENAEUS ζωωτά, ea ποικίλα στρώματα eodem ſenſu dixit PLUTARCHUS in *Themiſtocle pag.* 126. Illic enim Themiſtoclem, in ſecundo ſuo cum Artaxerxe colloquio ac congreſſu, reſpondiſſe refert, τ̄ δ̄ Ἀνθρώπου λόγον ἐοικέναι, τοῖς ποικίλοις στρώμασιν, *Hominis ſermonem ſimilem eſſe aulaeorum belluatorum*, dixit (*a*): Ὡς γὰρ ἐκεῖνα, καὶ τοῦτον, ἐκτεινόμενον μὲν, ἐπιδεικνύναι τὰ εἴδη· συστελλόμενον δὲ κρύπτειν καὶ διαφθείρειν· ὅθεν αὐτῷ χρόνου δεῖν. *Quem*[illegible]*m enim ea ſi explicentur, figuras oſtendere intextas: Sin contrahantur & artientur, easdem occultent & corrumpant: perinde & orationi uſu venire: petere itaque ſe dilationem dicendi.* Ex quibus efficitur, vetuſtum in Perſide Aulaeorum uſum fuiſſe. Sunt tamen, qui Attalum Aſiae Regem, tot ſeculorum intervallo a Perſicis Regibus remotum, Aulaeis parentem adſignent, freti SERVII auctoritate, qui & inde vocis ipſius notationem arceſſit. Is enim in *libro* I. *Aeneid.* ad ea verba; (*v.* 701.) *Aulaeis jam ſe regina ſuperbis: Aulaeis*, ait, *velis pictis: quae ideo Aulaea dicta ſunt, quod primum in aula Attali regis Aſiae, qui populum Romanum ſcripſit heredem, inventa ſunt* (*b*). *Ideo etiam in domibus tendebantur Aulaea, ut imitatio tentoriorum fieret, ſub quibus bellantes ſemper habitavere majores: unde & in thalamis hoc fieri hodie conſpicimus. Varro tamen dicit, Vela ſolere ſuſpendi ad excipiendum pulverem, quia uſus camerae ignorabatur.* Unde HORATIUS: *Interea ſuſpenſa graves Aulaea ruina, In patinam fecere, trahentia pulveris atri, Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.* Qui verſus HORATII, a Servio laudati, petiti ſunt ex *Sat.* VIII. *lib.* II. *Sermon. v.* 54. ad quem locum vetus Interpres: *Aulaea*, inquit, *cortinae, vela. Apud veteres tenſis Aulaeis exercebantur convivia: unde permanſit conſuetudo militibus, ut tentoria habeant: ſub cameris autem tendebantur, ut ſi quid pulveris caderet, ab ipſis exciperetur.* Idem SERVIUS in *libr.* III. *Georgic.* ad *verſum* 25. *Purpurea intexti tollant aulaea Britanni: Aulaea dicta tradit ab aula Attali regis, in qua primum inventa ſunt Vela ingentia, poſtquam is populum Romanum ſcripſit heredem.* Quae verba a me, brevitatis ſtudio, avulſa ſunt a multis aliquot, quae antecedunt: quibus, inter cetera continetur, Auguſtum, poſtquam vicit Britanniam, donaſſe populo *Aulaea, id eſt, vela inimica*: quod poſtremum quid ſit neſcio. Nam qui, ut ab hoſte capta ea vela, *inimica* appellari in animum induceret ſuum, ipſe ſibi ſomnia fingeret. Reddamus ergo Servio meliorem, id eſt, ſuam mentem. Equidem prima facie Servium ſcripſiſſe *vela mimica* credebam: poſtea conſultis manuſcriptis codicibus, inveni in his ſcriptum *Aulaea, id eſt, velamina.* DONATUS in *Praefatione commentarior. in Terent.* ſive in *Proleg. de Tragoedia & Comoedia*, circa finem: *Aulaea quoque in Scena in terra ſternuntur, quod pictus ornatus erat, ex Attalica Regia Romam uſque perlatus: pro quibus Siparia aetas poſterior accepit. Eſt autem minutum velum, quod populo obſiſtit, dum fabularum actus commutantur.* Cujus loci verba aliquot ſuſpicione non vacant. Nam, ſi *in terra ſternerentur Aulaea*, ut prima verba ſonant, populi oculis obſtare in actuum mutatione non poterant: atque ita ſumma imis non conſentiunt. Deinde, qui potuit *minutum velum* eſſe, cum eo Scena obtenderetur, populoque praetenderetur, dum fabularum actus mutaretur? nec minuta ea vela fuiſſe oſtendit LUCRETIUS *libr.* IV. his verſibus: (*v.* 73.)

Et volgo faciunt id lutea ruſſaque vela,
Et ferrugina, cum magnis intenta theatris
Per malos volgata trabeſque trementia flui-
tant.
Namque ibi conſeſſum caveai ſubter, & om-
nem
Scaenai ſpeciem patrum, matrumque deorum-
que
Inficiunt, coguntque ſuo fluitare colore:
Et quanto circum mage ſunt incluſa thea-
tri
Moenia, tum magis haec intus perfuſa le-
pore
Omnia conrident conrepta luce diei.

Quamobrem ſcripſiſſe Donatum, illic quidem, *in ſcena intenta*, vel, *intexta*: hic vero, *Mimicum velum*, vero ſimile eſt (*c*) ISIDORUS *Origin lib.* XIX. *cap.* XXVI. *Aulaea, vela picta & grandia: quae ideo Aulaea dicta ſunt, quod primum in aula Attali Regis Aſiae, cui ſucceſſit populus Romanus, inventa ſunt.* Inſcite utique NONIUS *lib.* XIV. *num.* 4. haec ex *Varronis libr.* III. *de Vita Pop: Rom.* verba citans: *Quot ex hereditate Attalica, Aulaea, Chlamydes, Pallae aureae: Aulaea*, interpretatur, *genus veſtis pere-*

(*a*) DIXIT] Hoc verbum commode poſſet deleri. TR.

(*b*) SUNT] A Romanis ſcilicet, quibus antea erant ignota. Si ita SERVIUS explicetur, nihil obſtat, quo minus jam dudum antea apud Perſas fuerint cognita. TR.

(*c*) EST] Ita quoque, ut & *intexta*, edidit *Lindenbrogius*. TR.

peregrinum: ſubjicitque, *& eſt tanquam Paludamentum Barbarici habitus militaris.*

CXLVI. Sane, ut Aulaeorum inventorem fuiſſe Attalum, indeque Aulaeis (quae vox Graeca eſt) nomen impoſitum, a vero alienum eſt, ita veritati conſentaneum, Attalum primum inveniſſe aurum velis intexere: eum duntaxat colores diverſos eorum picturae inſerere Babylon docuiſſet. PLINIUS, de pictis veſtibus agens, *libr.* VIII. *cap.* XLVIII. *Acu facere id Phryges invenerunt, ideoque Phrygiones appellati ſunt: Aurum intexere in eadem Aſia invenit Attalus Rex; Unde nomen Attalicis. Colores diverſos picturae intexere Babylon maxime celebravit, & nomen impoſuit. Plurimis vero liciis texere, quae Polymita appellant, Alexandria inſtituit.*

CXLVII. Romanis quidem hujuſmodi Stragula Attali beneficio, qui populum Romanum ex aſſe heredem reliquit, innotuere: in cujus bonis inventa illa Vela ingentia, Scenarum aediumque παραπετάσματα: quorum tunc primum fulgor aciem oculorum Latinorum perſtrinxit. Quae res exiſtimandi copiam praebuit, Aulaea inde nomen traxiſſe, quod ex Attalica aula in orbem Romanum migraſſent. Indeque *Aulaea Attalica* dixit PROPERTIUS, *Elegia* XXIII. *v.* 46. *libr.* II. & *Attalicum Torum*, idem *Eleg.* X. *v.* 22. ejuſdem *libr.* II. id eſt, Attalicis Aulaeis inſtratum. Veſtes quoque auro intextae, *Attalicae* appellatae, ab eodem PROPERTIO *Elegia* XVI. *v.* 19. *libr.* III. & PLINIO, *libr.* XXXVI. *cap.* XV. & *libr.* XXXVII. *cap.* I.

CXLVIII. Perſae porro non parietes tantum Aulaeis & velis magni pretii tegere & exornare, verumetiam ipſum aedium ſolum ac pavimentum Tapetibus ſternere ſolebant. Nec ſuper dura vel herbida humo, niſi ſubſtratis tapetibus, conſidere moris erat. Et ita, XENOPHON *libr.* IV. Ἑλληνικῶν, *pag.* 510. *ſeq.* Ageſilaum Lacedaemonium, & Pharnabazum Perſam in colloquium veniſſe narrans, ait, Ageſilaum humi jacuiſſe ſuper herbam: huic vero famulos Aulaea, in quibus molliter Perſae ſedere conſueverant, ſubſtraviſſe: verba ejus ſunt haec, (a) ὑποτιθέντων δὲ αὐτῷ τῶν θεραπόντων ῥαπτὰ, ἐφ' ὧν καθίζονται οἱ Πέρσαι μαλακῶς, ᾐσχύνθη ἐντρυφῆσαι. *Cum miniſtri pulvinos ſubſternerent, in quos ſe molliter Perſae collocant, delitiis illis uti prae verecundia noluit.* Cyrum ſubſterni juſſiſſe Cyaxari ſub palmeto, τῶν Μηδικῶν πίλων, XENOPHON *libr.* V. *pag.* 142. refert.

CXLIX. Non ſunt & in Perſico luxu Unguenta omittenda, quibus delibutos fuiſſe maduiſſeque Perſas, minimi negotii eſt probare. PLINIUS *libr.* XIII. *cap.* I. *Jam Roſae ſucco reperto. Nominatur enim id quoque in olei laude. Perſarum eſſe debet gentis Unguentum. Sed & Parthi (b) madent eo, & accerſita commendatione, ingluvie natum virus extinguunt. Primum, quod equidem inveniam, caſtris Darii Regis expugnatis, in reliquo ejus apparatu Alexander cepit ſcrinium Unguentorum. Poſtea voluptas ejus a noſtris quoque, inter laudatiſſima atque etiam honeſtiſſima vitae bona, admiſſa eſt.* Artaxerxes, ut eſt apud ATHENAEUM *libr.* II. *cap.* 9. *pag.* 48. Ἀνταλκίδᾳ, τῷ Λάκωνι, τὸν αὐτοῦ στέφανον, εἰς μύρον βάψας, ἔπεμψε. *Antalcidae Laconi coronam unguento intinctam miſit.* Quin etiam Perſas unguentis corpora in balneis fricare conſueviſſe, ex eo colligo, quod Alexander, cum animadvertiſſet, milites ſuos unguentatos e balneis prodire, nec jam oleo, ſed unguentis & odoribus, dum lavarentur, perfundi, Perſicoque more in ſervitio & miniſterio habere cubicularios, & qui eos fricarent in balneis; benigne prudenterque eos objurgaſſe dicitur, quod victores, in eorum, quos vicerant, mores turpiter indecoreque tranſirent. Id ut planius noſcatur, ipſius PLUTARCHI verba in *Alexandro*, *pag.* 688. ſubjiciam: Ἐπεὶ δὲ τοὺς περὶ αὐτὸν ἑώρα παντάπασιν ἐκτετρυφηκότας, καὶ φορτικοὺς ταῖς διαίταις καὶ πολυτελείας (c) ὄντας, μύρῳ δὲ χρωμένους, ἰόντας πρὸς ἄλειμμα καὶ λουτρὸν, ὅσον οὐδὲ ἐλαίῳ, Τρίπτας δὲ καὶ κατευναστὰς περιαγομένους· ἐπετίμησε πρᾴως καὶ φιλοσόφως, θαυμάζειν φάμενος, εἰ τοσούτους ἠγωνισμένοι καὶ τηλικούτους ἀγῶνας, οὐ μνημονεύουσιν, ὅτι τῶν (d) καταπεπονημένων οἱ καταπονήσαντες ἥδιον καθεύδουσιν· οὐδὲ ὁρῶσι, τοῖς Περσῶν βίοις τοὺς ἑαυτῶν παραβάλλοντες, ὅτι δουλικώτατον μέν ἐστι τὸ τρυφᾷν, βασιλικώτατον δὲ τὸ πονεῖν. καί τοι πῶς ἄν τις, ἔφη, δι' ἑαυτοῦ θεραπεύσειεν ἵππον, ἢ λόγχην ἀσκήσειεν, ἢ κράνος, ἀπειθισμένος τοῦ φιλτάτου σώματος ἅπτεσθαι ταῖς χερσίν; οὐκ ἴστε, εἶπεν, ὅτι τὸ κεφάλαιον νίκης ἡμῖν ἐστι, τὸ μὴ ταὐτὰ ποιεῖν τοῖς κεκρατημένοις; *Cum ſuos plane luxui deditos, intolerabilique luxuria & impendiis immenſis, & odorato unguento delibutos plures quam oleo, ire ad lavacrum & unctionem, & inſuper ſecum fricatores, atque qui dormitum euntibus ſomnum allicerent, circumducere cerneret, placide ſuos & philoſophice reprehendit. Mirari ſe ajebat, quod tot tantiſque certaminibus ſuperatis, non meminiſſent, ſuavius dormire eos, qui alios defatigaſſent, quam qui defatigati eſſent: neque ex comparatione ſuae cum Perſicae vitae ratione perſpicerent, nihil magis ſervile, quam luxuriam, nihil magis regium eſſe, quam laborare. Et vero, dicebat, quomodo is equum ſuum ipſe curet, haſtam galeamque poliat, qui deſueverit ſuis ſuum ipſius chariſſimum corpus manibus contrectare? An neſcitis eum victoriae finem nobis propoſitum eſſe, ne idem quod victi agamus?* Unde apparet in miniſterio Perſas habuiſſe Τρίπτας, a quibus deſtringerentur, & fricarentur: eaque gratia, ut Romanis mulieribus Ornatrices, ita Perſis [illegible] res inſerviſſe, oſtendit XENOPHON *libr.* [illegible] παιδ. *pag.* 241. [190.] in eorum familia accenſens κοσμητὰς, οἳ ὑποχρίουσί τε καὶ ἐντρίβουσιν αὐτοὺς, καὶ τὰ ἄλλα ῥυθμίζουσι. *Ornatores, qui ſublinant & fricent, eleganterque cetera etiam componant.*

CL. Perſas, antequam cibum caperent, lavare ſolitos, indicio eſt, quod XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 234. [184.] de Cyro ſcribit: Ἐπεὶ δὲ ὥρα εἴη, οἱ τεταγμένοι προσιόντες, λούσασθαι αὐτὸν ἐκέλευον. ὁ δὲ ἔλεγεν, ὅτι ἡδέως ἀναπαύοιτο. οἱ δ' αὖ τεταγμένοι, ἐπεὶ ὥρα ἦν, δεῖπνον παρετίθεσαν. *Poſteaquam tempus ita poſceret, accedunt ii, quibus hoc erat negotii datum, atque ut ſeſe abluat hortantur. Suaviter ille ſe quieſcere dicebat. Itidem illi, quibus id erat negotii datum, quum tempus eſſet, coenam ipſi apponunt.*

CLI. Perſas utique Balneatores circa ſe occupatos ſervos habuiſſe, teſtis eſt XENOPHON eodem

(a) Prior editio, ὑπερτιθέντων. L.

(b) SED ET PARTHI] Haec verba in *edd.* quas ego conſului, non reperi, ſed eorum loco tantum *Illi*. Ceterum de Parthis *cap. ſeq.* refert Plinius, apud eos certum genus unguenti fuiſſe, *regium* vocatum, quo ſoli Parthorum reges utebantur. TR.

(c) Πολυτελείας] In *ed. Francof.* legitur πολυτελείαις. Deinde notandum inter ὄντας & μύρῳ quaedam intercesse verba, quae auctor, tanquam ad ſcopum ſuum non pertinentia, praeterit. TR.

(d) In edit. H. Steph. [ut & Francof.] eſt, καταπονηθέντων. L.

eodem *libr. pag.* 241. in famulitio Perſarum numerans, Ἀνεγχούς. Lecticarios etiam ſervos, quorum humeris geſtarentur, habuiſſe Perſas, indicio eſt, quod Artaxerxem Timagorae donaſſe φορεῖς τοὺς κομίζοντας αὐτὸν ἄχρι θαλάσσης, μαλακῶς ἔχοντα, *Lecticarios, qui eum morbo languentem ad mare uſque geſtarent*, PLUTARCHUS in *Artaxerxe pag.* 1022. refert. Idem in *Pelopida*, *pag.* 294. de Timagora loquens, τέλος δὲ κατέβαινεν ἐπὶ θάλασσαν, ἐν φορείῳ κομιζόμενος· καὶ τέτταρα τάλαντα τοῖς κομίζουσι μισθὸς ἐδόθη παρὰ βασιλέως, *denique lectica ad mare deportatus eſt, & quatuor talenta mercedis nomine rex lecticariis expendit.*

CLII. Ex quibus efficitur, Perſas, urbanam familiam habuiſſe variis & officiorum & miniſteriorum generibus deſcriptam, ut ex XENOPHONTIS *libr.* VIII. παιδ. ſupra citatis locis apparet. Acerbe autem poteſtatem in ſervos exercebant: in quos vitae neciſque jus habuiſſe eos, AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIII. *cap.* 6. tradit. De Perſis enim agens, *juxta*, inquit, *in adverſis rebus & proſperis callias, ſuperbi, crudeles, vitae neciſque poteſtatem & in ſervos & in plebejos vindicantes obſcuros.*

CLIII. Etiam illud, priuſquam a Perſicis epulis diſcedam, admonebo, Perſarum culinas allio oppleri conſueviſſe, quod ejus odore ſerpentes & alia venenata animalia fugari exploratum haberent, ut tradit SIMEO MAGISTER Antiochenus in *Syntagmate de Cibarior. Facultatib.* de Allio tractans, his verbis: Φεύγουσι δὲ τοῦτο καὶ οἱ ὄφεις, ὥσπερ καὶ τὰ πήγανα· καὶ διὰ τοῦτο οἱ Πέρσαι τὸ παλαιὸν τὰ μαγειρεῖα αὐτῶν σκορόδων ἐπεπλήρωσαν. *Serpentes illud fugiunt, ut & rutam: & propterea Perſae olim culinas ſuas allio opplebant.* Ac nec illud praetermittendum cenſeo, quod de Perſicarum epularum reliquiis ab ATHENAEO traditum exſtat. Etenim coena peracta, reliquias circumſtantibus diviſas ait: cum magna & panis obſoniorumque copia ſemper ſublatis menſis ſupereſſet, inter famulos ac ſervos, ab eo, qui ferculis ſeu menſae praeerat, viritim diſtribuebatur: eaque ſingulis Diaria cibaria erant. Qua de re ATHENAEI verba *libr.* IV. *cap.* 10. *pag.* 145. ſunt haec: Οὕτω δὲ καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις Πέρσαις, τοῖς ἐν δυναστείᾳ οὖσι, ἀθρόα πάντα τὰ σιτία ἐπὶ τὴν τράπεζαν παρατίθεται· ἐπειδὰν δὲ οἱ σύνδειπνοι δειπνήσωσι, τῶν ἀπὸ τῆς τραπέζης περιλειπομένων (καταλείπεται δὲ πλεῖστα κρέα καὶ ἄρτοι) ὁ τῆς τραπέζης ἐπιμελούμενος, δίδωσιν ἑκάστῳ τῶν οἰκετῶν· καὶ ταῦτα λαβὼν τὴν καθ' ἡμέραν ἔχει τροφήν. *Sic apud ceteros Perſarum optimates confertim omnia edulia menſis inferuntur: Ubi vero convivae coenaverint, menſarum reſidua, (ſuperſunt autem plurima, carnes ſcilicet atque panes) famulis viritim diſtribuuntur, quibus ex iis diurnus victus eſt.*

Sed tandem aliquando, Perſicis menſis remotis, ad alia properemus.

CLIV. Perſis licuiſſe, liberorum quaerendorum gratia, quas, & quot vellent, Uxores ducere: Uxoribus etiam Pellices concubinaſque inſuper adjungere, certo certius eſt. HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 135. (*al.* 136.) Γαμέουσι δ' ἕκαστος αὐτῶν (a) πολλὰς μὲν κουριδίας γυναῖκας, πολλῷ δ' ἔτι πλεῦνας παλλακὰς κτῶνται. *Quilibet eorum virgines complures uxores ducit, ſed multo plures pellices habent.* STRABO *libr.* XV. *pag.* 1066. (733.) de Perſis: Γαμοῦσι δὲ πολλάς, καὶ ἅμα παλλακὰς τρέφουσι (b), πολυτεκνίας χάριν. *Multas vero uxores ducunt, & ſimul pellices alunt, ob numeroſae ſobolis procreationem.* AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIII. *cap.* 6. de Perſis: *effuſius plerique ſoliti ſolvi (c) in Venerem, aegreque contenti multitudine Pellicum, puerilium ſtuprorum expertes, pro opibus quiſque adſciſcere matrimonia, plura vel pauca. Unde apud eos per libidines varias caritas diſperſa torpeſcit.* Similiterque JUSTINUS *lib.* XLI. *cap.* 3. §. 1. de Parthis; *Uxores, dulcedine variae libidinis, ſinguli plures habent.* AGATHIAS (d) libr. II. *pag.* 50. (69.) *Quippe potentes apud Perſas inferiores damnis adficiunt, magnaque invicem crudelitate ac diritate ſe vexant: quodque omnium maxime abſurdum eſt, cuivis fas eſt innumeras prope ducere uxores, & nihilominus ab expertibus matrimonii adulteria deſignantur.* Quanquam olim πολυγαμίαν Perſas veriſimile eſt, non libidinis modo ſtimulis amplexos, verum etiam, quod apud eos, ut HERODOTUS ſcribit, poſt bellicam fortitudinem in pretio habebatur numeroſae ſobolis procreatio: cum in multitudine populi robur imperii poſitum eſſe cenſerent. Itaque patribus & proletariis, qui quamplurimos liberos ſuſcepiſſent, tanquam egregium aliquid praeſtitiſſent, Regem annua munera miſiſſe, ait HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 136. in hunc modum: Ἀνδραγαθίη δ' αὕτη ἀποδέδεικται, μετὰ τὸ μάχεσθαι εἶναι ἀγαθόν, ὃς ἂν πολλοὺς ἀποδέξῃ παῖδας. τῷ δὲ τοὺς πλείστους ἀποδεικνύντι δῶρα ἐκπέμπει ὁ βασιλεύς, ἀνὰ πᾶν ἔτος· τὸ πολλὸν δ' ἡγέαται ἰσχυρὸν εἶναι. *Secundum bellicam fortitudinem potior ducitur numeroſae ſobolis procreatio; & illi, qui quamplurimos liberos ediderit, huic rex munera quotannis mittit. In multitudine autem poſitum eſſe robur exiſtimant.* Iiſdem etiam praemia quotannis a Regibus propoſita decretaque, STRABO *libr.* XV. *pag.* 1066. (733.) refert.

CLV. In eorum vero conjunctionibus, neque pudoris naturalis, neque honeſtatis publicae, ratio habebatur. Nulla enim reverentia ſervata, matribus ſororibuſque jungebantur: quae eis in manum, juſtarum uxorum loco, conveniebant. PHILO in *libr. poſter. de ſpecialib. legib. p.* 778. Μητέρας γὰρ οἱ ἐν τέλει Περσῶν τὰς αὐτῶν ἄγονται, καὶ τοὺς φύντας ἐκ τούτων εὐγενεστάτους νομίζουσι, καὶ βασιλείας τῆς μεγίστης, ὡς λόγος, ἀξιοῦσι. οὗ τί ἂν γένοιτο δυσσεβέστερον ἀνοσιούργημα, πατρὸς εὐνὴν τετελευτηκότος, ἣν ἄψαυστον ὡς (e) ἱερὸν ἔχρην φυλάττεσθαι, καταισχύνειν; *Honoratiores Perſae cum matribus contrahunt matrimonia, & natos inde arbitrantur nobiliſſimos, regioque, ut ferunt, dignantur ſolio: quo nihil excogitari poteſt magis impium, conſpurcari defuncti patris thalamum, quem inſtar templi intactum ſervari oportebat.* TERTULLIANUS *Apologetico*, *cap.* 10. *Perſas cum ſuis matribus miſceri Cteſias refert.* MINUCIUS in *Octavio*; *Jus eſt apud Perſas miſceri cum matribus.*

CLVI.

(a) Αὐτῶν] *Gronovius* ex *MS. Med.* ſubſtituit αὐτέων, & κουριδίας pro κουριδίους. TR.

(b) Τρέφουσι] Τρέφουσι πλείους legitur in *ed. noviſſima.* TR.

(c) SOLITI SOLVI] In *nov. ed. Gronovii* legitur *ſolliti*: & paulo poſt *adſciſcens* pro *adſciſcere.* TR.

(d) AGATHIAS] Verba Graeca (quae auctor ſuis temporibus nondum vidit) adſcribam: Καὶ γὰρ οἱ δυνατοὶ τοὺς ἐλάττονας ἐλυμαίνοντο, ὠμότητί τε πολλῇ χρῶνται κατ' ἀλλήλων καὶ ἀπανθρωπίᾳ, καὶ τὸ δὴ πάντων παραλογώτερον· ἔξεστι γὰρ ἑκάστῳ μυρίας ὅσας ἀγαγέσθαι γαμετάς, καὶ τοι οὐ ἀγχιστεῖς, ἀλλὰ μοιχεύειν γε ὅμως τολμῶσι. TR.

(e) Editio Philonis Francof. 1691. legit ἱερῶς, cui tamen Brillonii lectionem praefero, quam & in interpretando hic ſum ſecutus. L.

CLVI. Magos etiam cenſuiſſe, fas & jus eſſe, μητρὶ ἢ θυγατρὶ μίγνυσθαι, *cum matre aut filia miſceri*, DIOGENES LAERT. in *prooemio Segm.* 7. tradit. Immo vero non alia inter Magos recepta conjugia, indicat STRABO, cujus *libr.* xv. *pag.* 1068. (735.) de Magis verba ſunt haec: τούτοις δὲ καὶ μητράσι συνέρχεσθαι νενόμισται. *Cum matribus ex majorum inſtituto coëunt.* Hinc CATULLUS, *Carm.* LXXXVI. *al.* XC.

> *Naſcatur Magus ex Gelli, matriſque nefando*
> *Conjugio, & diſcat Perſicum haruſpicium.*
> *Nam Magus ex matre & gnato gignatur oportet,*
> *Si vera eſt Perſarum impia relligio.*

At Alexander Dario victo inceſtas iſtas & nefarias nuptias, & a naturali verecundia abhorrentes, inhibuit. Is enim, ut PLUTARCHUS in *libr.* II. *de ejus Fortuna pag.* 328. ſcribit, docuit Πέρσας σέβεσθαι μητέρας, ἀλλὰ μὴ γαμεῖν. *Perſas honorare matres, ſed non uxores ducere.*

CLVII. Nec cum matribus modo, ſed & cum filiabus ac ſororibus miſceri apud Perſas (honos ſit caſtis auribus) fas & jura ſinebant. DIOGENES LAERTIUS *lib.* IX. *in Pyrrhone, Segm.* 83. Πέρσαις γὰρ οὐκ ἄτοπον ἡγεῖται θυγατράσι μίγνυσθαι. *Perſis filiabus miſceri, nefas non eſt.* ATHENAEUS *libr.* v. *pag.* 220. Ἀντισθένης δ' ἐν θατέρῳ τῶν Κύρων, κακολογῶν Ἀλκιβιάδην, καὶ παράνομον εἶναι λέγει, καὶ εἰς γυναῖκας, καὶ εἰς τὴν ἄλλην δίαιταν. συνεῖναι γάρ φησιν αὐτὸν καὶ μητρὶ, καὶ θυγατρὶ, καὶ ἀδελφῇ, ὡς Πέρσας. *Antiſthenes in altero Cyro Alcibiadem maledictis inceſſit, quod contra leges & feminarum congreſſu abuteretur, & reliquam vitae partem ageret. eſſe namque illi cum matre, filia, ſorore, more Perſarum, ſtupri conſuetudinem.* B. HIERONYMUS *libr.* II. *adverſ. Jovian. pag.* 201. *Tom.* IV. *Part.* II. *Perſae, Medi, Indi, & Aethiopes, regna non mediocria (a), & Romano regno paria, cum Matribus, & magis cum filiabus, & nepotibus, copulantur.* Et ita Atoſſa, Cyri filia, Cambyſi fratri nupſit, ut ait HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 31. Artaxerxes filiam ſuam Atoſſam duxit in matrimonium, dein & alteram, Ameſtrim, ut PLUTARCHUS in *Artaxerxe pag.* 1023. auctor eſt. Darium (*b*) quoque, novas res molientem, Atoſſae ſorori pollicitum, ſe eam ducturum, licet eam pater in matrimonio haberet, PLUTARCHUS *eod. libr. pag.* 1024. ſcribit. Unde autem ſororum matrimonium in uſum venerit, idem exponit HERODOTUS *libr.* III. *l. c.* Eum certe nefandum morem ab Aſſyriis ad Perſas tranſiiſſe, CONSTANTINUS MANASSES in *Annalibus pag.* 10. (12.) tradit. LUCIANUS in libello περὶ θυσιῶν, ſive *de Sacrificiis, cap.* 5. *pag.* 530. de Jove: Ἔγημε δὲ πολλὰς μὲν ἄλλας, ὑστάτην δὲ τὴν Ἥραν τὴν ἀδελφήν, κατὰ τοὺς Περσῶν τοῦτο καὶ Ἀσσυρίων νόμους. *Aliaſque complures uxores duxit, poſtremam vero Junonem ſororem, idque juxta Perſarum & Aſſyriorum leges.* Qua in re (*c*), caprinam Perſarum libidinem CLEMENS ALEXAND. acriter exagitat: de illis enim loquens *libr.* I. *Paedagogi, cap.* VII. *pag.* 131. BIS; Ἠρῶνται δὲ, ἀδελφαῖς, καὶ μητράσι, καὶ γυναιξὶ, γαμεταῖς τε ἅμα, καὶ παλλακίσιν ἀναριθμοῖς, ἐπιμίγνυνται καθάπερ οἱ κάπροι, εἰς συνουσίαν ἐσκαμμένοι. *Poſtquam autem ad pubertatem pervenerint, cum ſororibus & matribus, mulieribuſque tam uxoribus quam concubinis, innumerabilibus coëunt, tanquam apri ad venereum congreſſum exercitati.* AGATHIAS quoque *libr.* II. *pag.* 44. (61. *ſeq.*) iiſdem obſcenis libidinibus ſua tempeſtate volutatos Perſas narrat, monſtraque haec in ſolas terras deportanda abominatur. Qua de re, pro Graecis ipſius auctoris, quae nobis non ſuppetunt, verbia, Latina Interpretis ſubjicere cogor (*d*). De Perſis ergo agens, ait: *Non ſolum cum ſororibus ſuis & conſobrinis impudenter congrediuntur: ſed cum filiabus & genitores, proh ſcelus, miſcentur, & quod omnium eſt impiiſſimum (ô natura, ô leges) cum matribus filii. Perſis autem fuiſſe nuper id ſceleris adinventum ex eo, quod narraturi mox ſumus, noſſe quis poterit. Ferunt quondam magnam Semiramidem illam Aſſyriam fuiſſe eo temeritatis evectam, ut cum Nino filio habere congreſſum voluerit, juvenemque pertentaſſe: huncque renuentem concubitum, remque permoleſte ferentem, pergentem ad facinus matrem protinus occidiſſe, patrareque id maluiſſe quam ſcelus committere. Non enim ſi id lege permittebatur, Ninum duxerim ad id crudelitatis veniſſe. Sed quid eſt opus nimium vetuſta repetere? Paulo antequam Macedones tantas res gererent, & Perſae deſtruerentur; Artaxerxem Darii ferunt Pariſatidem matrem, quum eodem malo afficeretur, quo & Semiramis, & ſecum rem habere percuperet, haudquaquam necaſſe: ſed ejeciſſe iracundius, & repulſaſſe, quia nec pium id eſſet, nec patrium, nec in vita hominum conſuetum.*

CLVIII. In nuptiis vero contrahendis tempora quoque Perſas ſervaſſe, invenio. Nam, ut STRABO *libr.* xv. ſcribit, apud eos Nuptiae in initio verni aequinoctii celebrabantur. Sponſus vero ad lectum genialem accedebat, ſumpto prius malo, vel cameli medulla, nec alium praeteres cibum eo die guſtabat, ſumebatve. Hoc ita STRABO *lib.* xv. *pag.* 1066. (733.) Οἱ δὲ γάμοι κατὰ τὰς ἀρχὰς τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας ἐπιτελοῦνται. πάρεισι δὲ ἐπὶ τὸν θάλαμον, προφαγὼν μῆλον, ἢ καμήλου μυελὸν, ἄλλο δ' οὐδὲν τὴν ἡμέραν ἐκείνην. *Nuptiae vero celebrantur initio verni aequinoctii: Sponſus vero ad lectum genialem accedit, comeſto prius malo,*

(*a*) MEDIOCRIA] In *ed. Pariſ. Benedict.* legitur *modica:* ultima vero verba ibi ſic leguntur: *cum matribus & aviis, cum filiabus & neptibus copulantur.* TR.

(*b*) DARIUM] Immo de *Ocho*, non de *Dario*, hoc narrat Plutarchus. TR.

(*c*) Verius, opinor, aprinam. nam κάπρος in Clementis loco, qui ſequitur, non *caper* eſt, ſed *aper* ſeu *verres.* S. In *noviſſ.* tamen Anglicana *ed.* in verſione redditur *capri.* TR.

(*d*) COGOR] Ego tamen, in gratiam eorum, qui verſionibus non contenti, fontes ipſos adire ſolent, verba Graeca addam: praeſertim, quum Interpres ille, (*Chriſtoph.* nempe *Perſona*) non ſemper eſt ſatis accuratus: Οὐ μόνον ἀδελφαῖς τε καὶ ἀδελφιδαῖς ἀνέδην μιγνύμενοι, ἀλλὰ καὶ πατέρες τε θυγατράσι, καὶ τὸ δὴ πάντων ἀνοσιώτερον (ὦ νόμοι καὶ φύσις) υἱοὶ ταῖς τεκούσαις. ὅτι γὰρ νέοις καὶ νῦν ἐπιμηνυτέον, ὁπόθεν ἄν τις σαφέστατα διαγνοίη. λέγεται γάρ ποτε Σεμίραμιν τὴν πάνυ τὴν Ἀσσυρίαν εἰς τοῦτ' ἀκρασίας ἐγρηγορέναι, ὡς Νινύᾳ τῷ παιδὶ ἐθελῆσαι ξυνελθεῖν ἐς ταυτὸ, καὶ ἤδη πειρῷ τοῦ νεανίου, τοῦ δὲ ἀπαγορεύσαντος καὶ χαλεπήναντος, καὶ πολλὰ δυσχεράναντος, ἐπειδὴ αὐτὴν ἑώρα σφαδάζουσαν καὶ ἐγκειμένην, διαχρήσασθαί τε τὴν μητέρα, καὶ τὸ δὴ τὸ ἄγος αὐτὸ ἐπιλέξαι. εἰ μέντοι οἱ νόμοι ταῦτα ἐφεῖτο, οὐκ ἂν οἶμαι ὁ Νινύας ἐς τοῦτο ὠμότητος ἦκε. καὶ τί δεῖ τὰ λίαν παλαιότερα λέγειν; ὀλίγῳ γὰρ ἔμπροσθεν τῶν Μακεδονικῶν, καὶ τῆς τῶν Περσῶν καταλύσεως, Ἀρταξέρξην φασὶ τὸν Δαρείου, Παρυσάτιδος τῆς μητρὸς, ὥσπερ ἄρα τῇ Σεμιράμιδι παθούσης, καὶ ξυγγενέσθαι οἱ ἱεμένης, διακτεῖναι μὲν αὐτὴν οὐδαμῶς, ἐκβαλεῖν δὲ ὅμως σὺν ὀργῇ καὶ διωσάσθαι. ὡς οὐχ ὅσιον ὂν τοῦτό γε, οὐδὲ πάτριον, οὐδὲ τῷ βίῳ ξυνηθισμένον. TR.

(*e*) In utroque apud Suidam loco legitur in editis, κινάδας καὶ μοιχάδας. L.

lo, vel cameli medulla, nec alium cibum eo die guſtat. Quo autem ritu nuptiae apud Perſas peragerentur, docet ARRIANUS libr. VII. cap. IV. pag. 278. qui uti Alexander cum Perſica nuptias junxerit, & a ſuis jungi juſſerit, ita exponit: Οἱ γάμοι δὲ ἐποιήθησαν νόμῳ τῷ Περσικῷ· θρόνοι ἐτέθησαν τοῖς νυμφίοις ἐφεξῆς. καὶ μετὰ τὸν πότον ἧκον αἱ γαμούμεναι· καὶ παρεκαθέζοντο ἑκάστη τῷ ἑαυτῆς· οἱ δὲ ἐδεξιώσαντό τε αὐτὰς καὶ ἐφίλησαν. *Nuptiae Perſico more celebratae ſunt: ſedilia ex ordine iis poſita erant qui uxores ducturi erant, & poſt convivium ſponſae adductae ſingulae ſuis ſponſis aſſederunt, qui mox dextris datis oſculo eas exceperunt.*

CLIX. Nec Reges modo, ut ſupra libr. I. §. 110. probavimus, ſed privati quique Pellicum copia & multitudine abundabant, ut teſtatur SUIDAS, cujus in voce Ἀρβαζάκιος, & rurſus in Μυριάς, verba ſunt haec: Ὥσπερ Ὀρόντην τὸν Πέρσην φασὶν εἰπεῖν, ὅτι τὸν δάκτυλον ὁ μικρότατος καὶ μύρια σημαίνει, καὶ ἕνα ἀριθμόν· οὕτω καὶ τοὺς Ἑταίρους (a) καὶ μυριάδα ἰσχύειν. *Quemadmodum Orontem Perſam dixiſſe ferunt, minimum digitum & decem millia & unum ſignificare: ſic etiam illi meretrices & ſingulatim & per dena millia numerabant.* Pellices autem iſtas Gynaeconitide incluſas teſtatur PLUTARCHUS qui Themiſtoclem donis muneribuſque ſibi Satrapis Lydiae pellices conciliaſſe, earumque gratia ad placandum Satrapem uſum, narrat, in *Themiſtoclis vita*, pag. 127. his verbis: Φοβηθεὶς ὁ Θεμιστοκλῆς εἰς τὴν γυναικωνῖτιν κατέφυγε· καὶ ταῖς παλλακίσιν αὐτοῦ θεραπεύσας χρήμασιν, ἐκεῖνόν τε κατεπράϋνε τῆς ὀργῆς, καὶ τὰ ἄλλα παρεῖχεν αὑτὸν ἀσφαλέστερον ἤδη. *Territus Themiſtocles in gynaeceum confugit, demeritiſque argento dato pellicibus, iram (Satrapis) delinivit, & ipſe in reliquis rebus eo cautior fuit.*

CLX. Parthos quoque, quos *in libidinem projectos* fuiſſe, JUSTINUS libr. XLI. cap. 3. §. 9. ſcribit, Pellicum greges aluiſſe, & in ſuo comitatu habuiſſe, exemplo Surenae, quod apud PLUTARCHUM in *Craſſo* pag. 556. extat, planum fit.

CLXI. Licet autem Perſis & uxorum, & pellicum multitudo placeret, adulterium tamen, & lecti genialis injurias, vindicaſſe eos, JOSEPHUS libr. XI. cap. VI. indicat, cum ait: Οἱ τῶν Περσῶν νόμοι τοῖς ἀλλοτρίοις βλέπειν τὰς γυναῖκας (b) ἀπαγορεύουσιν. *Leges Perſarum, uxores ab aliis conſpici, vetant.* Atque adeo non juſtas Uxores modo, ſed & Pellices diligenter obſervaſſe Perſas, PLUTARCHUS in *Themiſtocle*, pag. 125. tradit: Τὸ βαρβαρικὸν γένος τὸ πολύ, καὶ μάλιστα τὸ Περσικόν, εἰς ζηλοτυπίαν τὴν περὶ τὰς γυναῖκας ἄγριον φύσει καὶ χαλεπόν ἐστιν. οὐ γὰρ μόνον τὰς γαμετάς, ἀλλὰ καὶ τὰς ἀργυρωνήτους καὶ παλλακευομένας ἰσχυρῶς παραφυλάττουσιν, ὡς ὑπὸ μηδενὸς ὁρᾶσθαι τῶν ἐκτός, ἀλλ' οἴκοι μὲν διαιτᾶσθαι κατακεκλεισμένας, ἐν δὲ ταῖς ὁδοιπορίαις, ὑπὸ σκηνὰς κύκλῳ περιπεφραγμένας, ἐπὶ τῶν ἁρμαμαξῶν ὀχεῖσθαι (c). τοιαύτην τῷ Θεμιστοκλεῖ χρείαν τὴν ἐπίλεξιν. Ἔφορος δέ, καὶ Δείνων, καὶ Κλείταρχος, καὶ Ἡρακλείδης, ἔτι δ' ἄλλοι πλείονες, πρὸς αὐτὸν ἀφικέσθαι τὸν Ξέρξην. *Cum plerique barbari tum vero praecipue Perſae, graviter eo a natura inſito vitio laborant, quod de mulierum pudicitia in ſiniſtras ac graviſſimas ſuſpiciones facile prolabuntur. Itaque non modo conjuges ſuas, ſed & emticias concubinas & pellices accuratiu obſervant cuſtodia, ita ut a nemine alio conſpiciantur, ſed domi incluſae vitam exigant: in itinere autem faciundo eaedem ſub tentoriis circumcirca objeptis ſupra barmamaxis vehuntur. Hujusmodi Themiſtoclis erat congreſſus. Ephorus, Dino, Clitarchus & Heraclides aliique praeterea complures ad ipſum Xerxem veniſſe ſcribunt.* Sic & Parthos, licet πολυγάμους, *nulla delicta adulterio gravius vindicaſſe*, JUSTINUS lib. XLI. cap. 3. §. I. ſcribit.

CLXII. Ad hanc vero Uxorum Pellicumque turbam, παιδεραστίαν accesſiſſe, quis credat? Ac plane ab hoc Perſas crimine AMMIANUS MARCELLINUS vindicat, qui, *puerilium ſtuprorum expertes* fuiſſe, libr. XXIII. cap. 6. adſerit (d). Contradicit tamen HERODOTUS libr. I. cap. 135. cujus verba ſcribae vice recitabo, nec quidquam addam de meo. Ea ſic habent: Καὶ εὐπαθείας τε παντοδαπὰς πυνθανόμενοι ἐπιτηδεύουσι· καὶ δὴ καὶ ἀπ' Ἑλλήνων μαθόντες, παισὶ μίγνυνται (e). *Etiam voluptatibus omnis generis, quas ſemel reſcire potuerunt, frui ſtudent. A Graecis edocti puerorum quoque indulgent amoribus.* Quod reprehendit PLUTARCHUS in libro περὶ τῆς Ἡροδότου κακοηθείας, *de Herodoti malignitate*, pag. 857. hoc modo: Πέρσας μὲν φησι παισὶ μίγνυσθαι παρ' Ἑλλήνων μαθόντας· καίτοι πῶς Ἕλλησι Πέρσαι (f) διδασκάλεια ταύτης ὀφείλουσι τῆς ἀσελγείας, παρ' οἷς ὀλίγου δεῖν ὑπὸ πάντων ὁμολογεῖται παῖδας ἐκτέμνεσθαι, πρὶν Ἑλληνικὴν ἰδεῖν θάλατταν. *Perſas ait a Graecis violationem maſculi ſexus didiciſſe. At qui Graecis Perſae hujus impuritatis minerval debent, apud quos fere omnes alii ſcriptores conſentiunt mares fuiſſe exſectos, antequam Graecum illi vidiſſent mare (g)?* Molles quoque, cinaedos, & muliebria paſſos, probroſos apud Perſas habitos, teſtimonio eſt, quod apud CURTIUM (h) X. I, 26. Oxines Perſa ait, *nec moris eſſe Perſis, mares ducere eos, qui ſtupro effeminarentur.*

CLXIII. Sane Perſae pueris virilitatem exſecabant:

(a) In utroque apud Suidam loco legitur in editis, καὶ μυριάδας. L.

(b) Editi habent ἀπηγορεύοντο. L.

(c) Plura hic a Briſſonio vel data opera, vel ἀβλεψίᾳ omiſſa ſunt, quae ex Plutarchi Themiſtocle cap. 45. ita ſuppleas licet: Τοιαύτης τῷ Θεμιστοκλεῖ κατασκευασθείσης ἀπήνης, κρυφθεὶς ἐκομίζετο, τῶν περὶ αὐτὸν ἀεὶ τοῖς ἐντυγχάνουσι καὶ πυνθανομένοις λεγόντων, ὅτι γύναιον Ἑλληνικὸν ἄγουσιν ἀπ' Ἰωνίας πρός τινα τῶν ἐπὶ θύραις βασιλέως. Θουκυδίδης μὲν οὖν καὶ Χάρων ὁ Λαμψακηνὸς, ἱστοροῦσι, τεθνηκότος Ξέρξου, πρὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ τῷ Θεμιστοκλεῖ γενέσθαι τὴν ἔντευξιν. Ἔφορος δὲ &c. *Hujuſmodi barmamaxa confecta Themiſtocli, in eaque vectus eſt: comites autem interrogati ab obviis, quid veherent? reſponderunt Graecam ſe mulierculam ex Jonia cuidam regis atrienſium adducere. Thucydides & Charon Lampſacenus narrant, Xerxe jam ante defuncto, ad filium ejus veniſſe Themiſtoclem: Ephorus vero &c.* L.

(d) ADSERIT] Ita quidem cum auctore noſtro accipere ſolent eruditi hunc locum: ſi quis tamen paullo accuratius in connexionem cum antecedentibus inquirat, haud difficile in eam incidet opinionem, verbum *expers* contrariam hic habere ſignificationem, quam illud admittere, jam ex lexicographis notum eſt. Sed judicet lector: ego enim eruditorum attentionem excitare tantum volui. TR.

(e) Μίγνυνται] Μίσγονται legitur in *noviſſ. editione*. TR.

(f) Uſitatius διδασκάλια ſine diphthongo. S.

(g) MARE] Sed mea quidem ſententia argumentum Plutarchi non ſtringit, niſi prius probaverit, caſtrationem turpitudinis iſtius cauſa unice factam fuiſſe. Mihi tamen interim probabile fit, crimen hoc deteſtandum in Oriente prius, quam in Occidente notum fuiſſe. TR.

(h) Locus in priori editione falſo ex libro VI. allegabatur. Pro *Oxines* dein edit. Freinsh. *Orſines*; Aldina vero, *Orxines* habet. L.

Digitized by Google

cabant: ac forma praeſtantiſſimos quoſque mares caſtrabant. Herodotus *libr.* VI. *cap.* 32. de Perſis: Ὡς γὰρ δὴ ἐπεκράτησαν τῶν πολίων, παῖδάς τε τοὺς εὐειδεστάτους ἐκλεγόμενοι, ἐξέταμνον, καὶ ἐποίευν ἀντὶ (a) ἐνόρχων εἶναι Εὐνούχους. καὶ παρθένους τὰς καλλιστευούσας ἀνασπάστους παρὰ βασιλέα, *nam poſtquam potiti ſunt urbibus, formoſiſſimos quoſque puerorum ſelectos caſtrarunt, exſectis teſtibus facientes eunuchos: virgineſque forma praeſtantiſſimas ad regem tranſportarunt.* Dio Chrysostomus *Orat.* XXI. quae *de pulcbritudine* inſcribitur, *pag.* 270. Perſas pulchritudinem adamaſſe hoc argumento probat, ὅτι καλοὺς Εὐνούχους ἐποίουν. *Quod pulchros Eunuchos facerent.* Et ita Hermotimo, qui auctoritate & gratia ſupra ceteros Eunuchos apud Xerxem valuit, virilitatem a Panionio Chio, qui venalitiariam negotiationem exercebat, ademptam, idem Herodotus *libr.* VIII. *cap.* 105. narrat his verbis: Ἁλόντα γὰρ αὐτὸν (videlicet Hermotimum) ὑπὸ πολεμίων, καὶ πωλεόμενον, ὠνέεται Πανιώνιος, ἀνὴρ Χῖος, ὃς τὴν ζόην κατεστήσατο ἀπ' ἔργων ἀνοσιωτάτων. ὅκως (b) γὰρ κτήσαιτο παῖδας εἶδος ἐπαμμένους, ἐκταμὼν, ἀγινέων ἐπώλεε ἐς Σάρδις τε καὶ Ἔφεσον χρημάτων μεγάλων. (παρὰ γὰρ τοῖσι βαρβάροισι τιμιώτεροί εἰσι οἱ εὐνοῦχοι, πίστιος εἵνεκα τῆς πάσης τῶν ἐνορχίων) ἄλλους τε δὴ ὁ Πανιώνιος ἐξέταμε πολλοὺς, (ἅτε ποιεύμενος ἐκ τούτου τὴν ζόην) καὶ δὴ καὶ τοῦτον. *Siquidem eum captum ab hoſtibus ac venalem mercatus eſt Panionius, vir Chius, ex hoc impuriſſimo quaeſtu, quem factitabat, vitam ducens. nam quos pueros forma praeditos coëmerat, eos caſtrabat, ductoſque aut Sardis aut Epheſum magna pecunia venundabat. Apud barbaros enim pretioſiores Eunuchi ſunt, quam qui non ſunt caſtrati, omnis fidei gratia. Ceterum ut alios permultos, ita hunc quoque Panionius exſecuit, ut qui ex hac re vitam toleraret.*

CLXIV. A Perſis autem ortam puerorum caſtrationem, ipſamque Spadonum appellationem, Stephanus *de urbibus pag.* 615. tradit (c), Σπάδα, inquiens, οὐδετέρως κώμη Περσική· ἐν ᾗ πρώτη Εὐνουχισμὸς γέγονεν· ὅθεν Σπάδωνες λέγονται. *Spada, neutraliter, vicus Perſicus, ubi primum Eunuchiſmus contigit. Unde Spadi dicuntur.* Donatus in *Eunuchum Act.* 1. *Scen.* II. *v.* 87. *Eunuchos a Perſis inſtitutos putant, ex captivis: a Babyloniis enim Hellanicus auctor eſt id habuiſſe.* Ac plane ab Aſſyriis & Medis luxum hunc manaſſe, non dubium eſt. Nam & Babyloniorum Regem Nabuchodonoſorem ex Judaica juventute quoſdam; nec non & ex aliis gentibus, bello captos, in ipſo aetatis flore, caſtrari curaſſe, Josephus *libro* X. *Antiquitatum Judaic. cap.* XVI. (*al.* X.) oſtendit his verbis: Ποιήσας τινὰς αὐτῶν ἐκτομίας, τὸ δ' αὐτὸ καὶ τοῖς ἐκ τῶν ἄλλων ἐθνῶν, ὅσα κατεστρέψατο, λαμβανομένοις ἐν ὥρᾳ τῆς ἡλικίας διαθείς. *Exſectis quibuſdam ex eo numero, quemadmodum ſolitus eſt facere & aliarum gentium devictarum formoſis adoleſcentibus.* D. Hieronymus in *caput* I. *Danielis v.* 3. ſcribit, Hebraeos arbitrari, Danielem, & Ananiam, & Miſaelem, & Aſariam, fuiſſe Eunuchos. Athenaeus *libr.* XII. *cap.* 2. *pag.* 514. *Clearchum Solenſem libr.* IV. *Vitarum*, περὶ Μήδων τρυφῆς, *de Medorum luxuria*, diſſeruiſſe refert: & inter cetera, ὅτι διὰ ταύτην πολλοὺς εὐνουχίσαιεν τῶν περιοίκων, *multos ex vicinis eos ejus (luxuriae) gratia caſtraſſe.* Atque adeo omnium primam Semiramidem mares caſtraſſe, Ammianus Marcellinus *libr.* XIV. *cap.* 6. auctor eſt: *Poſtremo (d)*, inquiens, *multitudo ſpadonum, a ſenibus in pueros deſinens, coloris oblividi, diſtortaque liniamentorum compage deformis: ut quaqua inceſſerit quiſquam, cernens mutilorum hominum agmina deteſtetur memoriam Semiramidis, reginae illius veteris, quae teneros mares caſtravit omnium prima, velut vim injectans naturae.* Cauſam ergo caſtrandi Medis fuiſſe τρυφὴν, Athenaeus *l. c.* ait. Unde Claudianus (e) in *Eutropium libr.* I. *v.* 342.

ſeu Perſica ferro
Luxuries vetuit naſci lanuginis umbram.

Sed quo τρυφῇ? an ut in longius tempus forma & laevitas vultus proferretur, formoſioreſque diutius permanerent? cui ſententiae lubens adquieſco: ne de ea, quam exorno, gente pejus aliquid ſentire aut ſuſpicari videar. Quamquam qua id fini, non celat Petronius Arbiter, *Satyrico, cap.* 119. *v.* 20.

Perſarum, inquiens, *ritu, male pubeſcentibus annis*
Subripuere viros, exſectaque viſcera ferro
In venerem fregere: Atque ut fuga mobilis aevi
Circumſcripta mora, properantes differat annos.

Quin & M. Seneca *Controverſ.* IV. *lib.* X. (*al. lib.* V. *contr.* 33.) Principes viros contra naturam divitias ſuas exercere, exciſorum greges habere, exoletos ſuos, ut ad longiorem patientiam impudicitiae idonei eſſent, amputare, jure ac merito queritur. Quorum verborum veſtigia legens D. Hieronymus *libr.* I. *adverſ. Jovinian.* ait: *Et in longam ſecuramque libidinem exſectus Spado.* Haec vero ferro truncata juventus, atque exſecta virum, deſpectui apud Perſas, aeque atque in orbe Romano, aut Graeco, non habebatur. Tacitus *libr.* VI. *Annal. cap.* 31. de Abdo Partho, quem *ademptae virilitatis* fuiſſe ait: *Non deſpectum id apud Barbaros, ultroque potentiam habet.* Et huic potiſſimum hominum generi, quaſi multis de cauſis fidiſſimo, cuſtodiam curamque corporis ſui credendam Cyrum cenſuiſſe, Xenophon *libr.* VII. *παιδ. pag.* 196. memoriae prodidit. Fidei certe cauſa, pretioſiores fuiſſe ceteris, adfirmat Herodotus *libr.* VIII. *cap.* 105. Παρὰ τοῖσι βαρβάροισι, inquiens, τιμιώτεροί εἰσι οἱ Εὐνοῦχοι, πίστιος εἵνεκα τῆς πάσης, τῶν ἐνορχίων. *Apud barbaros pretioſiores Eunuchi ſunt, quam qui non ſunt caſtrati, omnis fidei gratia.* Proinde Regibus, & in cubiculo, & in menſa, circumfuſi, eorum ſaluti invigilabant.

(a) Ἀντί] *Jac. Gronovius* ita ex *MSS. Med.* legit: ἀντὶ εἶναι ἐνορχίων εὐνούχους. TR.

(b) Ὅκως] In *ed. Gronovii* legitur ὅκως; & εἴδεος pro εἶδος; & ἐκταμέων pro ἐκταμὼν; ut etiam, quod ad ultimum verbum attinet, in prima auctoris editione conſpicitur, niſi quod ibi circumflectatur. TR.

(c) Tradit] Ubi legi poteſt *Thomae de Pinedo* nota, qui hoc in dubium vocat. TR.

(d) Postremo] *Poſtrema* legitur in editis: & deinde pro *coloris oblividis* in recentioribus *edd.* invenitur *oblurdi*; & denique *deforme* pro *deformis*. TR.

(e) Claudianus] Totus locus a v. 334. ita legitur in *ed. Caſp. Barthii.*

——— ——— Seu prima Semiramis aſtu
Aſſyriis mentita virum, ne vocis acutae
Mollities, leveſque, genae ſe prodere poſſent,
Hos ſibi conjunxit ſimiles. Seu Parthica ferro [Hanc lectionem tuetur *Barthius*: mihi magis auctoris Lectio arridet]
Luxuries vetuit naſci lanuginis umbram,
Servatoque diu puerili flore coegit
Arte retardatam Veneri ſervire juventam. TR.

Digitized by Google

bant. Argumento eſt, quod Aelianus *libr.* II. *Var. Hiſt. cap.* XVII. Magos ait praecepiſſe εὐνούχῳ τινὶ, τῶν πλησίον παρεστώτων, φυλάξαι τὸν Ὦχον, τῆς τραπέζης ἐπιδειπνοῦντα. *Cuidam ex Eunuchis circum adſtantibus, ut poſita menſa Ochum obſervaret.* Memoratur & a Ctesia *cap.* 44. Xerxis cubicularius, Pharnacya, Eunuchus, cujus ope Secundianus Regium cubiculum ingreſſus, ipſum Xerxem, ſomno vinoque ſepultum, interemit.

CLXV. Spadones quidem ſine ulla flagitii ſuſpicione omnique ſtupri vel adulterii amoto metu, in Gynaeconitide (qua de aedium parte vide Vitruvium *libr.* I. *cap.* X.) diu noctuque verſatos, teſtatur Philostratus *libr.* I. *de vita Apollonii cap.* XXXIV. Θαυμάζω σοῦ ἐννοῶν ἐξ ὅτου οἱ βάρβαροι τοὺς εὐνούχους σώφρονας τε ἡγοῦνται, καὶ ἐς τὰς γυναικωνίτιδας ἐσάγονται; ἐπειδὴ γὰρ ἡ περὶ τὸ ἀφροδισιάζειν ἀφαιρεῖται τρῶσις, ἄδεια σφίσιν αἱ γυναικωνίτιδες, κἂν ξυγκαθεύδειν ταῖς γυναιξὶ βούλωνται. *Conſidero penes meipſum, quid rei ſit, quod Eunuchos barbari caſtos credant, & in gynaecea eos admittant? Poſtquam enim ſectio Veneris uſum illis abſtulit, gynaecea eis permittuntur, & ſi vel dormire cum mulieribus voluerint.* Eunuchos quidem recte Cuſtodes virginibus mulieribusve apponi Heliodorus *libr.* IX. *Hiſtor. Aethiopic. p.* 452. indicat, propterea quod ἔχει τι ζηλότυπον τὸ εὐνούχων γένος· ὧν γὰρ ἀπεστέρηνται, τούτων εἰς κώλυμα τοῖς ἄλλοις φυλάττονται. *Habet quiddam zelotypum eunuchorum genus: quibus eſt enim ipſum privatum, ad haec aliis prohibenda objicitur.* Clemens Alexandrinus, *libr.* III. *Paedagog. cap.* IV. *pag.* 269. Εὐνοῦχοι πολλοὶ, καὶ οὗτοι μαστροποὶ τῷ ἀξιοπίστῳ τοῦ μὴ δύνασθαι ἀφροδισιάζειν, ταῖς εἰς ἡδονὰς ἐθέλουσι ῥαθυμεῖν, ἀνυπόπτως διακονούμενοι. *Eunuchi multi, iique lenones, propterea quod ſit probabile, eos libidini non poſſe operam dare iis, qui volunt vacare voluptati, inſervientes citra ullam ſuſpicionem.* Ideoque Adulterii poſtulatum quendam, qui ſe pro Eunucho gerebat, a Judicibus abſolutum, quod eredibile eis non videretur, crimen hoc, in ejuſmodi perſonam cadere, Lucianus in *Eunucho cap.* 10. *pag.* 358. *Tom.* II. ſcribit: Καὶ μοιχός ποτε ἑαλωκὼς, ὡς ὁ Ἀξονεὺς φησὶν (*a*), ἄρθρα ἐν ἄρθροις ἔχων. ἀλλὰ τότε μὲν ἐκ τῆς εὐνούχου διαφυγὼν, καὶ τοῦτο προφασισάμενος ἀφείθη, ἀπιστησάντων τῇ κατηγορίᾳ τῶν τότε δικαστῶν (*b*), λέγει τῇ φανερᾷ ὄψει. *Et aliquando in adulterio deprehenſus, membra in membris, ut tabula (Solonis) loquitur, habens atque id quidem temporis ad Eunuchum confugit, eoque reperta latebra, abſolutus fuit, cum judicibus crimen perſuaderi non poſſet, ut qui e ſpecie hominem judicarent eunuchum.* Unde Phavorinus, inter caetera quae ſibi mira contigerant, hoc ſecundo loco numerabat, quod adulterii, licet Eunuchus, poſtulatus eſſet, quemadmodum Philostratus *libr.* I. *de vitis Sophiſtarum num.* 8. narrat: quem tamen pro Hermaphrodito habitum ait, his verbis: Διφυὴς δὲ ἐτέχθη, καὶ ἀνδρόθηλυς· καὶ τοῦτο ἐδηλοῦτο μὲν καὶ τῷ εἴδει τοῦ προσώπου· ἀγένειος γὰρ τοῦ προσώπου καὶ γηράσκων ἦν· ἐδηλοῦτο δὲ καὶ τῷ φθέγματι· ὀξυηχὲς γὰρ ἠκούετο, καὶ λεπτὸν, καὶ ἐπίτονον, ὥσπερ ἡ φύσις τοὺς εὐνούχους ἥρμοσε. θερμὸς δὲ οὕτω τις (*c*) ἦν τὰ ἐρωτικὰ, ὡς καὶ μοιχοῦ λαβεῖν αἰτίαν ἐξ ἀνδρὸς ὑπάτου. *Utriuſque ſexus particeps natus eſt, & ex viro atque muliere compoſitus: idque ipſa ſpecie prodebat, facie enim imberbis ſenex etiam extitit. Prodebat idem & voce; acutum enim inſonantem audire erat, & tenue, cum intenſione, ut eunuchi a natura ſolent eſſe comparati. Adeo autem Veneris incaluerat igne, ut adulteri dicam vir conſularis ei ſcripſerit.* Sed quando in Phavorini mentionem incidimus, religio mihi eſſet, clariſſimum Galliarum noſtrarum lumen, maximumque Arelatae (unde ortus erat) decus & ornamentum, intactum dimittere. Nec vero Latinam Graecamque tanti Sophiſtae facundiam differendique ſubtilitatem, ſapientiaeque ſtudiis mixtam omnis generis doctrinam, infractam etiam adverſus Hadrianum Imperatorem libertatem, ſilentio praeterire fas eſt. Nota ſunt quae Agellius, ab cjus ore pendens, & vix a latere diſcedens, ab eo excepta, litteris mandavit: non obſcura etiam, quae de eo Philostratus *l. c.* Xiphilinus in *Hadriano lib.* LXIX. *pag.* 789. & Suidas memoriae prodiderunt. Spartianus in *Hadriano, cap.* 16. *Grammaticos, Rhetores, Muſicos, Geometras, Pictores, Aſtrologos habuit: prae ceteris, ut multi adſerunt, eminente Phavorino.* Illud haud ſcio, an a quoquam adhuc animadverſum ſit, ad eum ſpectare quae Lucianus in *Eunucho cap.* 2. *pag.* 356. *Tom.* II. ait Καί τις Ἀκαδημαϊκὸς εὐνοῦχος ἐκ Κελτῶν ὀλίγον πρὸ ἡμῶν εὐδοκιμήσας ἐν τοῖς Ἕλλησιν, ὁ Διοκλῆς δ' (*d*) κεκώλυτο αὐτὸν, εἰ ἀπέζη, καὶ τῶν ὁμοίων μεταποιεῖσθαι, αἰδεσθεὶς ἄν. ὁ καταπληγεὶς αὐτοῦ τὴν παρὰ τοῖς πολλοῖς δόξαν. *Et Academicus quidam Eunuchus natione Gallus, qui paulo ante noſtram aetatem inter Graecos claruit. Verum Diocles etiam ipſe, ſi ſupereſſet, & ſimilia ſibi vendicaret, illum prohibuiſſet nihil veritus opinionem, quam apud vulgus obtinebat.* Cyrillus apud Suidam in voce Σπάδων & Εὐνοῦχοι· (*e*) εἰώθασι γὰρ οὐ μόνοι οἱ Σπάδωνες, καὶ τὰ μόρια τῆς αἰσχρουργίας κοινῶς ἔχοντες, ἀσελγαίνειν ἀμέτρως, καὶ ἀκολασταίνειν ἀναιδῶς καὶ ἀπορίας· ἀλλά γε καὶ οἱ (*f*) τελείως ἀπότομοι, καὶ ἀποτεμνόμενοι ταῦτα. *Solent enim non ſolum Spadones, & qui membra aliquo modo turpi libidinis miniſterio addicta habent, laſcivire immodice, turpique libidini impudenter & intemperanter indulgere, ſed etiam illi, quibus virilia prorſus ſunt amputata, & qui ſunt exſecti.* Verum ut ad inſtitutum de Eunuchis ſermonem revertamur, eos a Veneris pruritu omnino alienos priſca quoque ſecula non exiſtimarunt. D. Augustinus *Libr.* VI. *contra Julianum Pelag. cap.* XIV. *Nam utique concupiſcere viventis ſentientiſque naturae eſt, ita ut non deſit concupiſcentia, quam ſpadonum quoque caſtitas frenet, minus quidem laborioſa, quia ubi materiam, de qua operetur, non invenit, minus adverſus eam libido conſurgit. Eſt tamen, pudiceque comprimitur, ne concumbendi quamvis irritus ipſe conatus, in eam turpitudinem veniat, propter quam Calligonum, Valentiniani junioris Eunuchum, gladio novimus ultore punitum,*

(*a*) Hoc eſt, ὁ Ἰγγ. vid. Meurſ. Them. Attic. libr. I. cap. V. L.

(*b*) Senſus eſt, *ex eo quod manifeſte apparebat eunuchum eſſe.* Si ἄπιστα legas, uti & Flor. ed. habet, ſen ſentia erit, *utique procul ab eo quod manifeſte in ipſo actu apparuerat*, ſeu *contra quam propalam oculi viderant.* S.

(*c*) Τις] Ti legendum cenſet noviſſimus editor. TR.

(*d*) Edit. Salmur. κεκώλυτο αὐτὸν, εἴπερ ἔζη, prae qua tamen lectione, Briſſonii mihi quidem magis arridet. L. Quod primam vocem cum Salmur. ed. conſpirata recentiſſima; quod cetera cum lectione, quae hic in textu exhibetur; quae tamen eſt a manu *Sylburgii;* nam Briſſonius in prima editione edidit ὥσπερ ἦν. TR.

(*e*) Εὐνοῦχοι] Ego haec, quae hic leguntur, ſub priori tantum voce reperi. Caeterum locus hic *Suidae* melius collocaretur poſt ſequentem periodum, & quidem poſt vocem *exiſtimarunt.* Sed ita juſſit auctor in *Appendice;* niſi ibi operarum vitio *v.* 12. pro 16. ſit impreſſum, quod credo. TR.

(*f*) Editi τέλειοι. ἀπόκοψοι, quod τὸ τέλειοι in priori edit. excipiebat, operarum, extra dubium, error, pro quo ἀπότομοι repoſui. L.

tum, meretricis confeſſione convictum. Neque enim & in libro Eccleſiaſtico adhiberetur inde ſimilitudo atque diceretur: Videns oculis & ingemiſcens, quaſi Spado complectens virginem & ſuſpirans: niſi & ipſi moverentur concupiſcentiae carnalis affectibus, licet deſtituti carnis effectibus. Et hic eſt Calligonus, praepoſitus cubiculi Valentiniani, cujus D. AMBROSIUS *Epiſt.* XXXIII. (XIV. *ed. Rom.* XX. *ed. Pariſ.*) mentionem facit.

CLXVI. Nec mulieribus tantum, ſed & parvulis, rectores cuſtodeſque Eunuchi apponebantur. Apud Eunuchos enim ac mulieres infantes pueroſque educatos, docet PLATO *libr.* III. *de Legibus*, *pag.* 815. Διαφθαρεῖσαν δὲ παιδείαν ὑπὸ τῆς λεγομένης εὐδαιμονίας τὴν Μηδικὴν περιεῖδεν ὑπὸ γυναικῶν τε καὶ εὐνούχων παιδευθῆναι αὐτῷ τοὺς υἱεῖς. *Permiſit autem ut mulieres & eunuchi Medorum ritu filios ejus educarent, quorum educatio ab ea, quae vulgo exiſtimatur felicitas, corrupta eſt.* DIO CHRYSOSTOMUS *Orat.* XXI. *pag.* 270. Perſas, ait, μέχρι πολλοῦ τρέφεσθαι ὑπό τε γυναικῶν καὶ εὐνούχων τῶν πρεσβυτέρων· παῖδας δὲ μετὰ παίδων, καὶ μειράκια μετὰ μειρακίων, μὴ πάνυ συνεῖναι. *Diu ali a mulieribus & ſenioribus eunuchis: pueros vero cum pueris, & adoleſcentes cum adoleſcentibus prorſus nullam habere familiaritatem.* Pueros quoque Eunuchis in diſciplinam rectius, quam aliis tradi, Bagoas apud LUCIANUM in *Eunucho*, *cap.* 9. *pag.* 357. *Tom.* II. ita contendit: Καίτοι καὶ ἐτόλμα προσθεῖναι ὁ Βαγώας τοιοῦτον, ὡς πολὺ ἐπιτηδειότερος εὐνοῦχος τοῖς νέοις διδάσκαλος, οὐδὲ διαβολήν τινα πρὸς αὐτοὺς ἐνδέξασθαι δυνάμενος, οὐδὲ τὸ Σωκράτους ἐκεῖνο ἔγκλημα παθεῖν ἄν, ὡς διαφθείροι τὰ μειράκια. *Auſus eſt & illud addere Bagoas, multo magis idoneum eſſe erudiendis adoleſcentibus eunuchum, cum nullam ob ipſos calumniam recipere poſſit, neque Socraticum illud crimen in hunc competat, quod adoleſcentulos corrumpat.*

CLXVII. Jam ut reliqua Perſicarum deliciarum genera exſequar; Muſicae expertes Perſas non fuiſſe conſtat. Muſicae quoque, non virilis modo, ſed & muliebris voluptate captos delinitoſque illos, documento ſunt, quae de Muſurgis libro ſuperiore §. 95. diximus. Nam, ut MACROBIUS *libr.* II. *in Somn. Scipionis*, *cap.* III. ait, *ideo in hac vita omnis anima Muſicis ſonis capitur, ut non ſolum* (a), *qui ſunt habitu cultiores, verum univerſas quoque Barbaras nationes, cantus, quibus vel ad ardorem virtutis animentur, vel ad mollitiem voluptatis reſolvantur, exerceant: quia in corpus defert memoriam Muſicae, cujus in coelo fuit conſcia.* Carmina certe quaedam, patrio more, & in Deorum, & in Regum laudes, ceciniſſe Perſas, teſtatur STRABO *libr.* XV. *pag.* 1066. (733.) de Magiſtris enim Perſarum loquens ait: Καὶ μέλους χωρὶς καὶ μετ' ᾠδῆς, ἔργα θεῶν τε καὶ ἀνδρῶν (b) τῶν ἀρίστων ἀναδιδόντες. *Et ſoluta oratione & carmine deorum & clarorum virorum facta celebrabant.* ATHENAEUS *libr.* XIV. *cap.* 8. *pag.* 633. Τὸ παλαιὸν γὰρ καὶ τῶν ἡρώων τὰς πράξεις καὶ τῶν θεῶν τοὺς ὕμνους δι' ᾠδῆς ἐποιοῦντο. *Apud majores deorum laudes & heroum facta muſicis canticis fiebant*, ut ex Homero docet: & mox ſubjicit: Τὸ δὲ ἔθος τοῦτο καὶ παρὰ τοῖς βαρβάροις ἐνίσχυεν, ὥς φησι Δίνων ἐν τοῖς Περσικοῖς. *Qui mos & apud barbaros invaluit, ut tradit in Perſicis Dinon.* ZOSIMUS *lib.* III. *cap.* 22. §. 9. Ἐπέστησαν παρὰ πᾶσαν ἐλπίδα τοῖς Πέρσαις, ᾄσματα λέγουσιν ἐπιχώρια, τὴν μὲν τῶν σφῶν βασιλέως ἀνδρείαν ὑμνοῦντα, διαβάλλοντα δὲ τὴν τῶν Ῥωμαίων βασιλέως ἀνωφελῆ ἐπιχείρησιν· ῥᾷον γὰρ ἔφασαν αὐτὸν τὴν τοῦ Διὸς αἱρήσειν αὐλήν, ἢ τὸ φρούριον. *Praeter omnem ſpem ſupervenere Perſis, qui carmina more patrio canebant, quibus regis ſui virtutem celebrabant, Romani vero imperatoris conatum irritum reprehendebant. Nam facilius ajebant eum Jovis aula, quam caſtello potiturum.* EUSTATHIUS in *Dionyſ.* παρεκβολαῖς, *v.* 1056. *pag.* 279. λέγεται δὲ Περσική τις εἶναι ᾠδή, ἧς τὰς ὠφελείας ξ΄ διαριθμοῦνται. *Dicitur Perſicum quoddam carmen eſſe, cujus ſexaginta uſus enumerant.*

CLXVIII. Sane Perſae vix ullum unquam pedibus iter conficiebant, ſed vel in equis ſedentes, vel curru vecti. Proinde Ageſilaus, quemadmodum in ejus Encomio XENOPHON *pag.* 655. [*p.* 518.] ſcribit, Perſas captivos nudos, & ſub corona venire juſſit: ut milites eorum corpora intuerentur, tum candida, quia nunquam exuerentur; tum pinguia & mollia, διὰ τὸ ἀεὶ ἐπ' ὀχημάτων εἶναι. *Quod ſemper vehiculis veherentur.*

CLXIX. Nec vero mollitiei, aut deliciarum gratia, illo itineris labore ſuperſedebant: ſed hoc bonis moribus jam inde a priſcis temporibus introductum erat: ut enim adſidua equitatione optimi equites evaderent Perſae, non facile eorum quiſquam pedeſter aliquo excurrens vel proficiſcens videbatur, ſed ſemper in equo ſedens. Verum poſtea corruptis moribus, verſa res in luxum. Equos enim, ut mollius illis inſiderent, plurima ſtragula veſte inſternebant, atque adeo plura ſtrata equis quam lectis injiciebant. Utrumque XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 241 [*p.* 190.] ita ſcribit: Πρόσθεν μὲν ἐπιχώριον αὐτοῖς μὴ ὁρᾶσθαι πεζῇ πορευομένους, οὐκ ἄλλου τινὸς ἕνεκα, ἢ τοῦ ὡς ἱππικωτάτους γίγνεσθαι· νῦν δὲ στρώματα πλείω ἔχουσιν ἐπὶ τῶν ἵππων, ἢ ἐπὶ τῶν εὐνῶν· οὐ γὰρ τῆς ἱππείας οὕτως ὥσπερ τοῦ μαλακῶς καθῆσθαι ἐπιμέλονται. *Etiam illud prius erat ipſis in more patrio poſitum, ut pedites itinera facere non conſpicerentur, idque nulla de cauſa alia, quam ut equeſtris rei peritiſſimi evaderent. Jam vero multo plus veſtis ſtragulae in equis quam in cubilibus habent. Non enim tam equeſtris res ipſis eſt curae, quam ut molliter ſedeant.*

CLXX. Perſicae quoque mulieres & lecticis & carruchis, quas proprio ac ſpeciali nomine HARMAMAXAS vocant, vehebantur. MAXIMUS TYRIUS *Sermone* XXXIV. (IV. *cap.* 2. *pag.* 33.) θαυμάζεις τιάραν Μηδικήν, καὶ τράπεζαν βαρβαρικὴν καὶ ἁρμάμαξαν Περσικήν. *Admiraris tiaram Medicam, aut menſam barbaricam, aut Harmamaxam Perſicam.* XENOPHON *libr.* III. παιδ. *pag.* 70. [*p.* 56.] ἀναβάντες ἐπὶ τὰς ἁρμαμάξας σὺν ταῖς γυναιξίν. *Conſcenſis Harmamaxis una cum uxoribus.* Idem *libr.* VII. παιδ. *pag.* 184. [*p.* 146.] ἐνθεμένη εἰς τὴν ἁρμάμαξαν ἐν ᾗπερ αὐτὴ ὠχεῖτο. *Et imponens in Harmamaxam, qua ipſa vehi ſolita.* Et alias: Ὁ ἄρχων τῶν Ἁρμαμαξῶν, *Qui praeest Harmamaxis.* Cujuſmodi HARMAMAXAS mulis jungi ſolitas, ex CTESIAE *Fragmentis cap.* 44. colligimus. Opertis autem, non patentibus lecticis geſtatas, ita ut haud ullas corporis partes cuiquam conſpiciendas praeberent, DIODORUS *libr.* XVII. *cap.* 35. *pag.* 186. (*St.* 580. *Rb.* 514.) ſignificat, cum de Perſicis mulieribus

(a) SOLUM] *Soli* legitur in *edd. recentioribus*: & deinde *univerſae barbarae.* Poſtea vox *anima* inſeritur inter *quia* & *in*. TR.

(b) Ἀνδρῶν] Hanc vocem ex editis inſerui. Caeterum in verſione *noviſſ. ed.* locus melius ita redditur: *Cum cantu & ſine cantu.* &c. TR.

bus loquens, ait, γυναῖκες, αἱ πρότερον διὰ τρυφὴν ἐπ' ἁμάξαις πολυτελέσι μόγις καθαρομιζόμεναι, καὶ γυμνὸν μηδὲν τ σώματ☉ ὅλω φαίνεσαι. *Mulieres, quae aurea pretioſis lecticis vix commode ſatis invehebantur, nec ullam corporis partem nudam conſpici ſinebant.* Has vero lecticas pretioſis tapetibus veſtiſque ornatas & conſtratas fuiſſe, indicat idem Dioduaus *libr.* XI. *cap.* 56. *pag.* 447. (*St.* 271. *Rb.* 43) in quo eas, πολυτελέσι παραπετάσμασι κεκοσμημέναις, *pretioſis velis exornatas*, memorat. Sed & ἁρμάτων πολυχρύσων, *curruum multo auro ornatorum*, quibus Perſicae mulieres vehebantur, idem Dioduaus Siculus *libr.* XVII. *l. c.* mentionem facit.

CLXXI. Perſae porro, cum luxuria diffluerent, delicateque ac molliter viverent, molliter quoque cubare, quo dulciores ſomnos caperent, ſtudebant. Idque ſtratorum & culcitarum mollitie conſequebantur. Argumento eſt illa Cyri ad eos oratio (*a*) *libr.* V. παιδ. *pag.* 122. [*p.* 97.] στρώματα δὲ νομίζεις ὑχ ἱκανῶν προβάτων φύει ἄρια, ἀλλ' ὁπόσα φύονται ὄρη τε καὶ πεδία ἄνηρες. *Praeterea non lanas ovium duc tis eſſe ſtrata: ſed quoſcunque ces tam montes, quam campi proferunt.* Idem libro VI. παιδ. *pag.* 161. [*p.* 128.] στρωμάτων δὲ ἐνδεῶντες, μὴ δείσητε ὡς ὐχ ἡδέως καθευδήσοντες. *Si ſtrutu vob s deſint, metuendum non erit, quin ſuaviter dormituri ſitis.*

CLXXII. Opulentiam utique Perſarum in ſupellectili & inſtrumento aedium potius, quam in nummis poſitam fuiſſe, Strabo *libr.* XV. *pag.* 1068. (735.) ſcribit. Cenſebant enim vaſa & alia n ſupellectilem ex auro & argento, πρὸς τὰς δωρεὰς εὐχρηστότερα μᾶλλον, καὶ πρὸς κειμηλίων ἀπόθεσιν τὸ δὲ νόμισμα τὸ πρὸς τὰς χρείας αὐτῶν ἱκανὸν εἶναι κόπτειν δὲ πάλιν τὸ τοῖς ἀναλώμασι σύμμετρον. *Ad donandum magis apta n, & ad reponenda adſervandaque in theſauris cimelia. Nomiſmatis vero tantum ſufficere arbitrabantur, quantum uſui ſatis ſit, & tantum auri percutiunt, quantum impenſis ſufficiat.*

CLXXIII. Fictilibus vero uſos apud Perſas eos, quos ignominia Reges notarent, Athenaeus *libr.* XI. *cap.* 11I. *pag.* 464. ex Cteſia ita ſcribit: Καὶ γὰρ Κτησίας παρὰ Πέρσαις φησὶν, ὃν ἂν βασιλεὺς ἀτιμάσῃ, κεραμίοις χρῆσθαι. *Quos rex ignominia notarit, fictilibus uti apud Perſas, Cteſias ait.*

CLXXIV. Hortoa etiam diligenter Perſae colebant, agrique non exiguum modum ſeptis claudebant, ut planum ſit ex his, quae libro ſuperiore §. 78. ſq. & §. 167. de Paradiſis diximus. Xenophon Ἑλλην. *libr.* IV. *pag.* 509. [*p.* 397.] Pharnabazi Praetorium deſcribens, inter caetera, quae in eo conſpiciebantur, ait: Καὶ θῆραι, αἱ μὲν ἐν περιειργμένοις παραδείσοις, αἱ δὲ καὶ ἀναπεπταμένοις τόποις παγκάλαι. *Erant & peramoenae venationes, partim in hortis undique ſeptis, partim in potentibus locis.* Apud eundem Cyrus junior παραδείσους καὶ δένδρων καὶ θηρίων μεστοὺς, *Paradiſos & arboribus & feris oppletos* ſibi a patre relictos ait, in quibus delectabatur. Quibus accedere velim haec Zosimi, ex *libr.* III. *cap.* XXIII. §. 1. *ſq.* verba: Παραγίνεται δὲ καὶ εἰς περίβολον, ὃ βασιλείας θήρας ἐκάλουν. ἦν δὲ τὸ τεῖχος χωρίον ἀπολαβὸν ἴσον πολὺ, δένδρων πεφυτευμένων παντοδαποῖς ἐν τούτῳ θηρίων παντοίων ἀποκεκλεισμένα γένη. τροφῆς τε οὐκ ἀπορῦντα, διὰ τὸ καὶ ταύτην ἐπεισάγεσθαι, καὶ παρέχειν τῷ βασιλεῖ τ θήρας, ὁπηνίκα ἂν βούλοιτο ῥᾳστώνην. *Ad ſeptu n quodd m perven ebat, quod regis venat onem vocabant. Erat autem murus q idam, intra ſe complexus ingens ſpatium, variis arboribus conſitum. In eo clauſae omnis generis ferae, ſatis alimentorum habebant, quae quidem huc eis advehebantur, & regi venandi facultatem, quoties vellet, praebebant.* Apud Xenophontem *libr.* VIII. *pag.* 231. [*p.* 128.] haec Cyrus Satrapis: Κτᾶσθε δὲ καὶ Παραδείσους, καὶ θηρία τρέφετε. *Paradiſos poſſidete, & feras alite.* In illis vero ſeptis arbores tam pomiferas frugiferaſque, quam infructuoſas, & praeter umbram nihil daturas, conſerebant ac ponebant.

CLXXV. Sed nec contenti arboribus, quae ad opacandas deambulationes geſtationeſve, patulis diffuſae ramis, latas praebebant ſpatiantibus umbras: praeterea etiam ſibi manu facto opere, Umbracula parabant, quo ſuccederent in aeſtu, tempore meridiano. Cujus rei auctorem habeo Xenophontem *libr* VIII παιδ. *pag.* 241. [*p.* 190.] Ἔτι γε μὴν τοῦ θέρους οὐκ ἀρκοῦσιν αὐτοῖς οὔθ' αἱ τῶν δένδρων, οὔθ' αἱ τῶν πετρῶν σκιαί, ἀλλ' ἐν ταύταις ἑτέρας σκιὰς (ſeu σκιάδας) ἄνθρωποι μηχανῶνται αὐτοῖς παρεστᾶσι. *Aeſtate nec arborum, nec rup um ipſis umbrae ſufficiunt, ſed rurſus alias inter has ipſas excogitanda ſibi praebent.*

CLXXVI. Vinearum quoque inſtituendarum curam geſſiſſe Perſas, ex eo apparet, quod Athenaeus *libr.* I. *cap.* 22. *pag.* 28. in Damaſco Syriae urbe etiam vinum naſci adfirmat; quia ibi Perſae vineta conſeverint, vineaſque poſuerint. Perſas quoque inter eos, qui vites ſeverunt, numerat Maximua Tyrius *Sermo* XI. (XXVII. *cap.* 6. *pag.* 327.)

CLXXVII. Perſas αὐτουργὺς fuiſſe ab initio, artificiiſque pluribus ſeſe exercuiſſe, Xenophon *libr.* VII. παιδ. *pag.* 197. ſcribit. Poſtea vero invecta in Perſidem luxuria, & quod plerique omnes ad rem militarem animum appellerent, Opifices omnes, & qui in ſordida arte verſabantur, viles & abjecti, & nullo pene loco haberi coepere. Herodotua *libr.* II. *cap.* 167. Ὁρέων καὶ Θρήϊκας, καὶ Σκύθας, καὶ Πέρσας, καὶ Λυδὺς, καὶ σχεδὸν πάντας τὺς βαρβάρους, ἀποτιμοτέρους τῶν ἄλλων ἡγημένους πολιητέων (*b*) τοὺς τὰς τέχνας μανθάνοντας, καὶ τὺς ἐκγόνους τούτων, τοὺς δὲ ἀπαλλαγμένους τῶν χειρωναξιέων, γενναίους νομίζοντας εἶναι, καὶ μάλιστα τοὺς ἐς τὸν πόλεμον ἀνειμένους. *Cum videam & apud Thraces & Scythas, Perſaſque & Lydos, denique apud omnes fere barbaros haberi pro ignobilioribus civibus, eos qui artificia diſcunt, eorumque liberos, generoſiores autem eos, qui a manuariis operibus abſtineant, praeſertim, qui rei militari vacent* Nec ea propter tamen ad victum cultumque corporia neceſſariae artes illiberales jacuerunt; quin imo, ut ex Xenophontis *Oeconomico* S. *Memorab. lib.* V. *pag.* 829. patet, non agriculturam modo, ſed & artificia omnia accurate Praeſides provinciarum, urbibuſque & arcibus praefecti, tueri ſolebant, Ergo omnis generis opificum numero affluentem Perſidem, nulla vel ad neceſſarios uſus, vel ad voluptates comparandas, Opificia deſideraſſe, conſtat. Erant utique apud Perſas Geruli, humeris onera portantes, quoa illi,

(*a*) Oratio] Immo ſunt potius Gobriae verba ad Cyrum, apud Xenophontem. TR.

(*b*) Ἡγημένους πολιητέων] *Jacobus Gronovius* ex *MS. Med.* emendat: ἡγημένους πολιητέων; & in ſequentibus νομιζομένους pro νομίζοντας TR.

illi, patria lingua Gangabas vocabant quemadmodum Curtius *lib.* III. *cap.* 13. §. 7. ſcribit.

CLXXVIII. Nunc de reliquis Perſarum moribus dicam. Enimvero Perſae ſibi invicem occurrentes, ſalutem ultro citroque dicere non ſolebant, ſed ſalutis vice ſibi mutuo oſcula ferebant: & quidem ſi pares erant, ore ſe oſculabantur: ſin alter paulo inferior, ei genas deoſculandos praebebat is, qui dignitate, vel generis nobilitate antecellebat. Infimae vero ſortis Perſa, ubi caſu in aliquem honeſtiore loco natum honoratumque incidebat, eum ille procumbens venerabatur. Herodotus *libr.* 1. *cap.* 134. Ἐντυγχάνοντες (*a*) δ' ἀλλήλοισι ἐν τῇσι ὁδοῖσι, τῷδε ἄν τις διαγνοίη εἰ ὅμοιοί εἰσι οἱ συντυγχάνοντες. ἀντὶ γὰρ τοῦ προσαγορεύειν ἀλλήλους, φιλέουσι τοῖσι στόμασι. ἢν δὲ ᾖ οὕτερος ὑποδεέστερος ὀλίγῳ, τὰς παρειὰς φιλέονται. ἢν δὲ πολλῷ ᾖ οὕτερος ἀγεννέστερος, προσπίπτων προσκυνέει τὸν ἕτερον. *Quum in via ſibi invicem occurrunt, ex hoc quis cognoſcat an pares ſint: nam ſalutationis loco ſe mutuo oſculantur. quod ſi alter fuerit inferior paulo. malas oſculantur duntaxat; ſin autem alter fuerit multum ignobilior, proſtratus adorat honoratiorem.* Strabo *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) Τῶν δ' ἐκ τῆς ὁδοῦ συναντώντων, τοὺς μὲν γνωρίμους καὶ ἰσοτίμους φιλοῦσι προσιόντες, τοῖς δὲ ταπεινοτέροις παραβάλλουσι τὴν γνάθον, καὶ δέχονται ταύτῃ τὸ φίλημα· οἱ δ' ἔτι ταπεινότεροι. προσκυνοῦσι μόνον *Si notis & aequalibus in via occurrant, eos oſculantur: ſi humilioribus, genam eis praebent, eaque oſculum excipiunt, qui humiliores admodum ſunt, digniores adorant.* At non idem indis mos. Non enim illi quemquam, ſummo licet dignitatis gradu poſitum, adorabant. Quod non interponerem, niſi in ea re ſomnum Strabonis interpreti Latino obrepſiſſe animadvertiſſem, qui adoratos ab India Reges ac proceres tradit: contra evidentem auctoris mentem, quae ſe verbis ſuis perſpicue prodit: ea ſic habent: (*eod. libr. pag.* 1045. ſive 717.) Τῶν δὲ περὶ τὸ Ἰνδικὸν λεγομένων, καὶ τοῦτ' ἐστὶν, ὅτι ἀντὶ τοῦ προσκυνεῖν, προσεύχεσθαι τοῖς βασιλεῦσι, καὶ πᾶσι τοῖς ἐν ἐξουσίᾳ καὶ ὑπεροχῇ, νόμος. *Inter ea, quae de India memorantur, illud quoque eſt, quod apud eos moris ſit, & regibus, & omnibus, qui in poteſtate aliqua ſunt, loco adorationis, vota facere.* Enimvero, quod ad oris oſculum attinet, Xenophon in *libr. de Ageſilai laudibus, pag.* 666. ἐπιχώριον, *receptum*, ait fuiſſe Perſis, φιλεῖν οὓς ἂν τιμῶσιν, *oſculo excipere, quos honorare velint.* Ibidemque ex hoc more Ageſilao Pharnabazum in congreſſu oſculi cauſa os admoviſſe refert: illum vero reſpuiſſe, cum novum videretur.

CLXXIX. Sed & Perſae oſculo dimittere & proſequi abeuntes Cognatos, eoſdemque reverſos oſculo excipere ſolebant: quod Xenophon *libr.* 1. *παιδ. pag.* 21. [*p.* 17.] docet his verbis: Λέγεται ὅτε Κῦρος ἀπῄει, καὶ ἀπηλλάττοντο ἀπ' ἀλλήλων, τοὺς συγγενεῖς φιλοῦντας τὸν Κῦρον τῷ στόματι, ἀποπέμπεσθαι αὐτὸν νόμῳ Περσικῷ (καὶ γὰρ νῦν ἔτι τοῦτο ποιοῦσι Πέρσαι) ἄνδρα δὲ τινα τῶν Μήδων, μάλα καλὸν κἀγαθὸν ὄντα, ἐκπεπλῆχθαι (*b*) πολὺν δὲ χρόνον ἐπὶ τῷ κάλλει τοῦ Κύρου· ἡνίκα δὲ ἑώρα τοὺς συγγενεῖς φιλοῦντας αὐτὸν, ὑπολειφθῆναι. *Traditum eſt, abeunte Cyro, quum a ſe invicem diſcederent, cognatos ore Cyrum, Perſico more, deoſculatos ab ſe dimiſiſſe: (quod quidem ipſum hodieque Perſae facere conſueverunt,) ibi tum Medum quendam, qui vir eſſet optimus, diu propter formae Cyri praeſtantiam obſtupuiſſe. Quumque cognatos ipſum ceteros oſculantes videret, ſubſtitiſſe.* Apud Medos vero non idem obſervatum, teſtimonio eſt quod ibidem Xenophon refert, eum fuiſſet oſculo exceptus a Cyro, rei novitate perculſum, interrogaſſe, ἦ καὶ ἐν Πέρσαις νόμος ἐστὶν οὗτος, συγγενεῖς φιλεῖν; μάλιστα, φάναι, ὅταν γε ἴδωσιν ἀλλήλους διὰ χρόνου, ἢ ἀπίωσί ποι ἀπ' ἀλλήλων. *Etiamne Perſis in more ſit, oſculari cognatos? tum Cyrus, maxime vero, inquit, ubi vel ex intervallo temporis mutuo ſe aſpiciunt, vel aliquo ab ſe invicem diſcedunt.* Praecipua autem obſervantia Perſae colebant eos, qui vicinas aedes inhabitabant. Viciniam enim illi in proxima amicitiae parte ſtatuentes, edocti uſu, quam ſit πῆμα κακὸς γείτων, *vicinus malus ingens malum*, primas proximis, ſecundas tribuebant iis, qui a primis proximi; atque deinceps progredientes, quo viciniores, hoc arctiori neceſſitudinis vinculo junctos exiſtimabant. Minimo autem eos, qui ſedes a ſe remotiſſimas incolebant, honore proſequi & adficere ſolebant. Nam cum ſeipſos omnium hominum longe praeſtantiſſimos eſſe crederent: ceteros, prout propius habitabant, virtute praeſtare, at qui ab illis longiſſimo intervallo disjuncti erant, deterrimos eſſe cenſebant. Verba Herodoti, quae hoc ipſum docent, *libro* 1 *cap.* 134. extant hujuſmodi, τιμῶσι δὲ ἐκ πάντων τοὺς ἄγχιστα ἑωυτῶν οἰκέοντας, μετά γε ἑωυτούς. δευτέρα δὲ, τοὺς δευτέρους· μετὰ δὲ κατὰ λόγον προβαίνοντες τιμῶσι. ἥκιστα δὲ τοὺς ἑωυτῶν (*c*) ἑκάστω οἰκημένους ἐν τιμῇ ἄγονται· νομίζοντες ἑωυτοὺς εἶναι ἀνθρώπων μακρῷ τὰ πάντα ἀρίστους, τοὺς δὲ ἄλλους, κατὰ λόγον τοῦ λεγομένου τῆς ἀρετῆς ἀντέχεσθαι, τοὺς δὲ ἑκαστάτω οἰκέοντας ἀπ' ἑωυτῶν, κακίστους εἶναι. *Praecipua autem obſervantia colunt eos, qui vicinas aedes inhabitant (d): ſecundas tribuunt iis, qui ab his proximi: atque ſic deinceps progredientes, quo viciniores, hoc arctiori neceſſitudine junctos exiſtimant. Minime autem eos, qui ſedes a ſe remotiſſimas incolunt, honore afficiunt: ſe ipſos omnium hominum longe praeſtantiſſimos arbitrantes in omnibus rebus, ceteros autem prout propius incolunt, (uti dictum eſt) virtutem amplecti; at qui longiſſime ab ipſis habitant, deterrimos eſſe.*

CLXXX. Eorum utique, qui Lepra vitiligineve laborarent, conſuetudinem, convictum, conſortiumque vitabant, eoſque aditu omni civitatium prohibebant: quod id hominum genus Soli inviſum eſſe crederent, ejuſmodique illis morbos immiſſos, quod Solem offendiſſent. Quinetiam peregrinum eo vitio infectum finibus ſuis pellebant. Herodotus *libr.* 1. *cap.* 138. Ὃς ἂν δὲ τῶν ἀστῶν λέπρην ἢ λεύκην ἔχοι (*e*), ἐς πόλιν οὗτος οὐ κατέρχεται, οὐδὲ συμμίσγεται τοῖσι ἄλλοισι Πέρσῃσι. φασὶ δὲ μιν ἐς τὸν ἥλιον ἁμαρτόντα τι, ταῦτ' ἔχειν. ξεῖνον δὲ πάντα τὸν λαμβανόμενον ὑπὸ τουτέων. (*f*) πολλοὶ ἐξελαύνουσι ἐκ τῆς χώρης. καὶ τὰς λευκὰς περιστεράς, τὴν αὐτὴν αἰτίην ἐπιφέροντες.

(*a*) Ἐντυγχάνοντες] Οἱ συντυγχάνοντες edidit Gronovius TR.

(*b*) Ἐκπεπλῆχθαι] In *ed. Leunclavii* legitur ἐμπεπλῆχθαι. TR

(*c*) Ἑκάστω] habet etiam Steph. editio, *p.* 36. quae ſcriptura ſi auctoris eſt, ſyncopen habet. regulariter mox ſequitur, τοὺς ἑκαστάτω οἰκέοντας, itemque 128, 3. Ἑκαστέρω τῶν Περσέων ἐόντων. *S. Jac. Gronovius* edidit Ἑκαστάτω. TR.

(*d*) Inhabitant] Paullo generalius redditur in in verſione *Laur. Vallae*, quam *Gronovius* retinuit: *Inprimis autem illos obſervant reverenter, qui proxime habitant:* additur in Gronovii editione: *attamen poſt ſe ipſos.* TR.

(*e*) Ἔχοι] ἔχῃ legitur in *ed. Gronovii*. TR.

(*f*) Maluerit fortaſſe aliquis πόλιος: ut ſit, *procul abigunt a ſua regione.* S.

φορεῖν. *Si quis e civibus lepra aut vitiligine infectus ſit, huic in civitatem accedere non conceditur, neque cum aliis Perſis conſuetudinem habere. dicunt enim hos morbos illis immiſſos, quod in ſolem peccaverint. Peregrinum vero, qui eo vitio infectus fuerit, procul a regione ſua pellunt, albas quoque columbas abigunt eandem cauſam praetendentes.* Leproſos autem (Perſica lingua PISAGAS vocitos) eorumque colloquium deſugiſſe omnes, & hujuſmodi morbi ſimulatione Megabyzum evaſiſſe, fugaque ſalutem quaeſiiſſe, CTESIAS in *Perſicis cap.* 40. ita refert: Ὁ δὲ Μεγάβυζος, πέντε διατρίψας ἐν τῇ ἐξορίᾳ ἔτη, ἀποδιδράσκει ὑποκριθεὶς τὸν πισάγαν. Πισάγας δὲ λέγεται παρὰ Πέρσαις ὁ λεπρός, καὶ ἔστι πᾶσιν ἀπρόσιτος. *Megabyzus, cum quinque annos in exilio fuiſſet moratus, aufugit, Piſagam ſimulans Piſagas vero Perſis leproſus vocatur, quem adire nemini licet.* Sed an huc reſpexerit HESYCHIUS cum ſcribit: Καρβᾶνες καὶ Περσαῖοι, οἱ ἀλφὸν ἢ λέπραν ἔχοντες. Ἕλληνες δὲ τοὺς βαρβάρους· οἱ δὲ τοὺς Κᾶρας. *Carbani & Perſaei dicuntur, qui vitiligine aut lepra laborant: At Graeci ita Barbaros vocant; alii vero Cares:* aliorum judicium eſto.

CLXXXI. Ceterum adunco naſo homines amabant Perſae, propterea quod Cyrus Rex, quem ſummopere dilexerant, eo formae habitu fuiſſet. PLUTARCHUS in *Politic.* ſive *Praeceptis de rep. gerenda, pag.* 821. Πέρσαι δ' ἐπεὶ γρυπὸς ἦν Κῦρος, ἔτι νῦν ἐρῶσι τῶν γρυπῶν, καὶ καλλίστους ὑπολαμβάνουσι. *Perſae, quia Cyrus adunco fuiſſet naſo, etiamnum tales amant, ac pro formoſiſſimis habent.* Idem in *Apophthegmat. pag.* 172. Πέρσαι τῶν γρυπῶν ἐρῶσι, καὶ καλλίστους ὑπολαμβάνουσι, διὰ τὸ Κῦρον, ἀγαπηθέντα μάλιστα τῶν βασιλέων, γεγονέναι γρυπὸν τὸ εἶδος. *Perſae adunco naſo praeditos amant, pulcherrimoſque eos judicant, quod tali forma fuit Cyrus, quo neminem regum illi majoris fecerunt.* Cyrum enim γρυπὸν fuiſſe, XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. oſtendit (*a*).

CLXXXII. Perſae autem, innato ſibi liberalitatis ſtudio, beatius eſſe ducentes, beneficium dare, quam accipere, ad largiendum, quam accipiendum, proniores erant. THUCYDIDES *libr.* II. *pag.* 166. *ſeq.* de Odryſis: Κατεστήσαντο γὰρ τοὐναντίον τῆς Περσῶν βασιλείας τὸν νόμον, ὄντα μὲν καὶ τοῖς ἄλλοις Θρᾳξί, λαμβάνειν μᾶλλον ἢ διδόναι· καὶ αἴσχιον ἦν, αἰτηθέντα μὴ δοῦναι, ἢ αἰτήσαντα μὴ τυχεῖν. *Legem enim longe aliam condiderunt, quam quae eſt apud Perſas, & quae apud alios quoque Thraces moribus eſt recepta, ut videlicet potius accipiant, quam dent. Et turpius erat, ſi quis rogatus non dediſſet, quam ſi quis non impetraſſet id, quod petiiſſet.* Additque Scholiaſtes: Οἱ γὰρ Πέρσαι χαρίζονται μᾶλλον, ἤπερ παρὰ τῶν ἄλλων λαμβάνουσιν· οἱ δὲ Θρᾷκες τοὐναντίον· καὶ οὐκ ἦν τι πρᾶξαι παρ' αὐτοῖς τὸν μὴ παρέχοντα χρήματα· ὅπερ καὶ νῦν ἐν Ῥωμαίοις. *Perſae enim dant potius, quam ab aliis accipiunt, ſecus ac Thraces. Nec quicquam apud ipſos is facere poterat, qui pecunias non eſſet largitus, quemadmodum & nunc quoque apud Romanos obtinet.*

CLXXXIII. Jam Veneficii crimen frequens fuiſſe inter Perſas argumento eſt, quod XENOPHON *Cyrop. libr.* VIII. *pag.* 240. priſcis temporibus herbarum vires didiciſſe Perſas ſcribit, ut a noxiis caverent, ſalutaria conquirerent: Νῦν δὲ, ait, ἔτι μὲν ταῦτα διδάσκουσιν ὅπως ὅτι πλεῖστα κακουργῶσιν· οὐδαμοῦ γοῦν πλείους, ἢ ἐκεῖ, οὔτε ἀποθνήσκουσιν, οὔτε διαφθείρονται ὑπὸ φαρμάκων. *Nunc vero eum in finem haec diſcere videntur, ut quam plurimum noceant. Nec enim ullibi terrarum tot moriuntur & a venenis pereunt, quam ibi.* Ac plane, quam fuerint in venenis miſcendis, tegendis, celandiſque ingenioſi & induſtrii Perſae, Statirae (quae Artaxerxis Mnemonis conjux fuit) exitus docet. Licet enim inſidias a ſocru Paryſatide ſtrui ſciens, diligentiſſime ſibi ab ea caveret, nulla tamen diligentia providentiaque conſequi potuit, quo minus tandem veneno, quod illa miro artificio paraverat, necaretur. Molita vero nurui ſuae necem Paryſatis dicitur hoc modo: Cultello, cujus pars veneno illita, pars altera intacta relicta erat, aviculam in epulis appoſitam, in duas partes ſecuit: & ipſa quidem ejus aviculae partem, ea gladii parte, quae veneno carebat, ſectam ſibi ſumpſit comeditque: reliquam vero partem, quam venenata gladii pars contigerat, Statirae porrexit: quae nihil fraudis ſubeſſe ſuſpicans, deglutire cunctata non eſt: eoque modo veneno interempta eſt: quam hiſtoriam CTESIAS in *Perſicis cap.* 60. & ex eo PLUTARCHUS in *Artaxerxe, pag.* 1020. referunt. Cteſiae verba in anguſtum PHOTIUS contraxit: ait enim *libr.* XXIII. *Perſicorum* CTESIAE narrari, Statirae Ἀναιρεῖται διὰ φαρμάκου, τοῦτον διαπραξαμένης τὸν τρόπον· (ἐφυλάττετο γὰρ Στάτειρα μή τι πάθοι, ὃ καὶ πέπονθε) μαχαιρίδιον τὸ ἓν μέρος ἐπαλείψασα τῷ φαρμάκῳ, τὸ δὲ λοιπὸν, οὐ μετέχον τούτου, τέμνουσα ὀρνίθιον μικρόν, (*b*) μέγεθος ὅσον ᾠόν. (ῥυνδάκην ἐκάλουν τὸ ὀρνίθιον Πέρσαι) τέμνουσα δὲ διχῶς, τὸ μὲν καθαρεῦον ἥμισυ αὐτὴ λαβοῦσα ἐσθίει· τὸ δὲ συνομιλῆσαν τῷ φαρμάκῳ, ὤρεξε Στατείρᾳ· ἡ δὲ, ἐπεὶ ἐσθίουσαν εἶδε τὸ ἥμισυ, μηδὲν ὑποπτεύσασα, καὶ αὐτὴ συνεσθίει τὸν θάνατον τὸν φαρμακτόν. *Caedem per venenum hoc modo factam: (Statira enim ſibi diligentiſſime caverat, ne pateretur, quod tamen fuit paſſa) Cultello, cujus pars altera veneno illita, pars altera intacta erat, aviculam, quae ovi magnitudinem aequabat, quam Perſae Rhyndacen vocant, in duas partes ſecat, & ipſa quidem Paryſatis eam dimidiam partem, quae veneno carebat, ſibi comedendam ſumit, reliquam autem, quae veneno contacta fuerat, Statirae porrigit; quae & ipſa, ubi eam, poſt porrectam dimidiam partem, ſuam comedere vidit, nihil fraudis ſubeſſe ſuſpicans, lethale venenum deglutit.* PLUTARCHUS in *Artaxerxe, pag.* 1020. *ſeq.* de Paryſatidis & Statirae jurgiis & contentionibus agens, Ἐκ δὲ τῶν (ait) πρώτων ὑποψιῶν καὶ διαφορῶν ἀρξάμεναι πάλιν εἰς τὸ αὐτὸ φοιτᾶν, καὶ συνδειπνεῖν ἀλλήλαις, ὅμως τῷ δεδιέναι καὶ φυλάττεσθαι, τοῖς αὐτοῖς σιτίοις καὶ ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἐχρῶντο. γίνεται δὲ μικρὸν ἐν Πέρσαις ὀρνίθιον, ᾧ περιττωματικὸν οὐδὲν ἔνεστιν, ἀλλ' ὅλον ἔσωθεν πιμελῆς τὰ ἐντός, ᾗ καὶ νομίζουσιν ἀνέμῳ καὶ δρόσῳ τρέφεσθαι τὸ ζῶον· ὀνομάζεται δὲ ῥυντάκης. τοῦτό φησιν ὁ Κτησίας μικρῷ μαχαιριδίῳ, κεχρισμένῳ τῷ φαρμάκῳ κατὰ θάτερον, τὴν Παρύσατιν διατεμοῦσαν, ἐκμάξαι τῷ ἑτέρῳ μέρει τὸ φάρμακον· καὶ τὸ μὲν ἄχραντον καὶ καθαρὸν, εἰς τὸ στόμα βαλοῦσαν, αὐτὴν ἐσθίειν· δοῦναι δὲ τῇ Στατείρᾳ τὸ πεφαρμαγμένον. ὁ δὲ Δείνων, οὐ τὴν Παρύσατιν, ἀλλὰ τὸν Μελάνθιον τέμνοντα τῷ μαχαιρίῳ τὰ φαρμακώμενα τοῦ κρέως, παραθεῖναι κατὰ τὴν Στάτειραν. ἀποθνήσκουσα γοῦν ἡ γυνὴ μετὰ πόνων μεγάλων καὶ σπαραγμῶν, αὐτή τε συνῄσθετο τοῦ κακοῦ, καὶ βασιλεῖ παρέσχεν ὑποψίαν κατὰ τῆς μητρός. *Cum vero poſt priores offenſas & ſimultates Paryſatis & Statira rurſus conveni-* re

(*a*) OSTENDIT] Ego hoc de Cyro ibi non legi: ſed de Chryſanta, *pag.* 223. TR.

(*b*) Mutilatus videtur locus, quod avis & ovi parum apta ſit comparatio, ita fortaſſe interpolandus, μέγεθος ὅσον ὀρνίθιον. ὀρνιθάριον δ' εἶδός ἐστι· ἀλλὰ περὶ τὸ σῶμα, πιμελῆς διάπλεων, μέγεθος ὅσον ᾠόν. Heſychia ſane aviculae hoc genus eſt ὀλίγον ὀρνίθιον. & quae de interaneis adjeci, Plutarchi ſunt paulo poſt. In eodem Plutarchi loco, καὶ σίτοις, dictum ellipſi praepoſitionis παρὰ. Scribitur autem ῥυνδάκη per δ etiam apud Heſychium, per τ, & maſculina terminatione, etiam in Floreatina Plutarchi editione, 166, b. S.

re & una coenare coepiſſent, magna tamen cum cautione iiſdem cibis, iiſdemque ciborum adminiſtris utebantur. Naſcitur apud Perſas avicula, in qua nibil eſt ſuperflui aut excrementi, ſed omnia intus adipe ſunt repleta: itaque etiam vento ac rore ali creditur. nomen ei Rbyntaces. Hanc Cteſias ait a Paryſatide cultello in duas diviſam partes, cujus altera ſuperficies veneno fuerit illita, idque ita aviculae pars altera deterſerit: atque eam parte pura & non vitiata ſumta, ediſſe, Statirae eam, quae veneno infecta erat, tradidiſſe. Dino id non Paryſatidi, ſed Melantae adſcribit. Mortua eſt Statira inter maximos cruciatus corporis atque convulſiones, & cum ipſa inſidias deprebendit, tum in animo regis ſuſpiciones ſceleris materni excitavit.

CLXXXIV. Sed jam tempus eſt, ad Veſtitum Perſicum accedere. Perſae Tiara caput tegebant, initio a Semiramide orto, quemadmodum JUSTINUS *lib.* I. *cap.* 2. §. 3. ſcribit. POLLUX *libr.* VIII. *Onomaſt. cap.* XIII. *Segm.* 58. *pag.* 726. inter Perſica (a) Τιάραν, numerat: ἣν, ait, καὶ Κυρβασίαν, καὶ Κίδαριν, καὶ Πῖλον καλοῦσι. *Quam etiam Cyrbaſiam & Pileum vocant.* DIONYSIUS HALICARNASS. *libr.* II. *pag.* 129. de Saliis, καὶ τὰς κυρβασίας ἅπαντες ἐπικείμενοι ταῖς κεφαλαῖς, πίλους ὑψηλοὺς εἰς σχῆμα συναγομένους κωνοειδὲς, ἃς Ἕλληνες προσαγορεύουσι Κυρβασίας. *Geſtant etiam capitibus, quos vocant apices, faſtigiates in coni formam pileos: Graeci appellant Cyrbaſias* Perſas autem omnes Tiaras geſtaſſe, & ab eo potiſſimum capitis tegumento inter reliquas gentes adgnitos, oſtendit ANACREON his verſibus:

> Καὶ Παρθίους τις ἄνδρας.
> Ἐγνώρισεν Τιάραις.
>
> *Parthique de tiaris*
> *Plerumque noſcitantur,*

Cimon utique, cum aliquot naves Perſicas cepiſſet, iis milites impoſuit, quorum capita Tiaris, ut prae ſe ſpeciem Perſicorum militum ferrent, texit, inſigniaque his Perſarum aptavit: eoque dolo Perſas, nec ſie opinantes, oppreſſit, quemadmodum DIODORUS SICULUS *libr.* XI. *cap.* 61. *pag* 450. (*St.* 273. *Rb.* 46.) narrat. HERODOTUS certe *libr.* III. *cap.* 12. Perſarum capita adeo fragilia fuiſſe narrans, ut ea perfnrare qois vel ſolo lapilli ictu poſſet: in cauſa eſſe ait, quod a teneris capita operire aſſueſcerent, Pilea Tiaraſque geſtantes. Τοῖσι δὲ Πέρσῃσι, ait, ὅτι ἀσθενέας φορέουσι κεφαλὰς αἴτιον τόδε. σκιητροφέουσι ἐξ ἀρχῆς, Πίλους Τιάρας τε (b) φορέοντες. *Ac Perſis cur fragilia ſint capita, id in cauſa eſt, quod a principio aſſueſiunt operire capita, geſtantes pilea tiaraſque.* Tiaram namque Πῖλον vocari POLLUX *libr.* VII. *Onomaſt. cap.* XIII. *Segm.* 58. *pag.* 727. ſcribit. SUIDAS etiam in verbo Κάνδυς haec ex vetuſto quopiam auctore citat: Ἀποδύσαντες δὲ τὸν Κάνδυν, καὶ τὰς Ἀναξυρίδας ἐξελκύσαντες, καὶ τὸν Πῖλον ἀφελόντες. *Cum autem Candyn exuiſſent, & braccas ei detraxiſſent, pileumque abſtuliſſent.* Unde & STRABO *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) Tiaram, Πίλημα appellat. Ideoque Perſarum ſucceſſores Parthos, *Pileatos* MARTIALIS *Epigr.* LXXII. *v.* 5. *libr.* X. vocat. Vulgus autem Perſarum STRABO *libr.* XV. *l. c.* tradit in capite geſtaſſe πίλημα πυργωτὸν, *pileum turritum*, vel, ut ibidem ait, ῥάκος σινδόνι τι περὶ τῇ κεφαλῇ: *circa caput ſyndonis centonem*: at Principes viros, Τιάρας παραπλησίας τοῖς τῶν Μάγων, *Tiaras ſimiles Magorum.* Procerum ergo Tiaras haud abſimiles fuiſſe Magorum Tiaris ait. Magorum autem Tiaras Bucculas babuiſſe, & ad labra uſque demiſſas, idem STRABO, eodem *libr. pag.* 1066. (733.) docet de Magis enim loquens, ait: Τιάρας περικείμενοι πιλωτὰς, καθεικούσας ἑκατέρωθεν, μέχρι τοῦ καλύπτειν τὰ χείλη, καὶ τὰς παραγναθίδας. *Tiaris velati coactis, & ex utraque parte dependentibus, adeo ut labia ac malas operirent.* Infulis vero, & filis pendentibus, Tiaras inſtructas fuiſſe, indicio eſt, quod AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXX. *cap.* 8. de Artaxerxe ſcribit: *Tiaras ad vicem capitum quibuſdam noxiis amputabat: & ne ſecaret aures, more Regio, pro delictis, ex Galeris, fila pendentia praecidebat.* Plane in quibuſdam Numiſmatis, quorum faciem nobis *Hubertus Goltzius*, vir bonu publico natus, in Faſtis magiſtratuum exhibuit, circa Triumvirorum Reip. conſtituendae tempora, quae in DCCXV. ab V. C. annum inciderunt, Regalis Tiarae Perſicae, ſeu Cidaris, figura quaedam proponitur: Ea recta eſt, atque elata, ſumma ſui parte turrita: a poſteriori parte Inſulas pendentes; anteriori vero Bucculas habet. Ejus medium ambit faſcia alba ſtellulis inſignita. In Caeſaris vero Auguſti nummis, ob ſigna a Parthis recepta percuſſis, quos idem Goltzius edidit, Parthia ſupplex ſigna illa porrigere & reddere fingitur, Tiaram vulgarem & popularem geſtans in capite, Galeri forma, & Pilei, quod abſque ulla orae latitudine, aequabile ex omni parte & rotundum erat: ac in acutum deſinens, conum flexum inclinatumque ac paululum propendens habebat.

CLXXXV. Salutationis autem apud Perſas indicium erat, Tiaram capiti detrahere. EUSTATHIUS in *Dionyſium de ſitu orbis*, *v.* 1056. *pag.* 279. λέγεται δὲ καὶ σύμβολον εἶναι ἀσπασμοῦ παρὰ Πέρσαις, τὸ ἀφελέσθαι τὴν Τιάραν τῆς κεφαλῆς. *Salutationis indicium apud Perſas eſſe dicitur, detrabere Tiaram capiti.* Atque ita apud HELIODORUM *libr.* VII. *Hiſtor. Aetbiopic. pag.* 337. *ſeq.* Arſaca Theagenem ſalutat. De Arſaca enim verba faciens, καὶ ἅμα, inquit, καὶ τῆς κεφαλῆς τὴν Τιάραν (c) ὑφεῖλε, πολλὰ τῶν παρόντων κωλυόντων. τοῦτο γὰρ ποιοῦσι Πέρσαι τὸν ἀσπασάμενον ἀμείβεσθαι. *Simul & de capite Tiaram depoſuit, multum iis, qui aderant probibentibus. Hoc enim faciunt Perſae, ad reddendam gratiam ei, qui ſalutavit.* Tiaram etiam honoris cauſa deducere ſolebant, in eorum conſpectu, quos venerabantur. SUETONIUS in *Nerone*, *cap.* XIII. *Precanti, Tiara deducta, diadema impoſuit.* Sic & Tigranem, ubi ad Pompejum venit, capiti Cidarin detraxiſſe, eamque ad pedes Pompeji demittere conatum, PLUTARCHUS in *Pompejo*, *pag.* 637. refert his verbis: Ὡς δὲ πρὸς αὐτὸν ἦλθε τὸν Πομπήϊον, ἀφελόμενος τὴν Κίταριν, ὥρμησε πρὸ τῶν ποδῶν θεῖναι, καὶ καταβαλὼν ἑαυτὸν, αἴσχιστα δὴ πάλιν, προσπεσεῖν αὐτῷ τοῖς γόνασιν. ἀλλ' ὁ Πομπήϊος ἔφθη, τῆς δεξιᾶς αὐτὸν λαβόμενος, προσαγαγέσθαι, καὶ πλησίον ἑαυτοῦ ἱδρύσασθαι. *Ubi ad ipſum pervenit Pompejum, citarim capiti detractam,*

(a) De hoc loco vide ſupra libr. I. §. 50. p. 65. *L.*

(b) Τε] Hanc particulam auctoritate *Cod. Med.* delet *Jac.* Gronovius cujus vide *notas*, *pag.* 903. *ſeq.* Paullo ante voces τὰς κεφαλὰς ex editio ſupplevi. TR.

(c) Pro ὑφεῖλε editio Commeliniana legit, ἀφεῖλε, inque eadem pro mox ſequentibus, τοῦ τε γὰρ πεν. Π. τῆς τῶν ἀσπ. ἀμειβ., ita habetur: τοῦ γὰρ ἀμείβεσθαι τῷ ἀσπασαμένῳ σύμβολον τοῦτο ποιοῦνται Πέρσαι. Locus eſt p. 337. fin. & ſeq. *L.*

ſtam, ante pedes ejus deponere, ſeque, id quod erat turpiſſimum, ad genua ipſius provolvere intendit. Sed Pompejus praevertit, dextra eum arreptum ad ſe attrahens, & juxta ſe collocans. Quae CICERO paucis complexus eſt, *Oration. pro Sextio, cap.* 27. in hunc modum: *Hunc* (Tigranem videlicet) *Pompejus, cum in ſuis Caſtris ſupplicem objectumque vidiſſet, erexit: atque inſigne Regium, quod ille de ſuo capite abjecerat, repoſuit, & imperatis certis rebus, regnare juſſit.* Sublatum quoque capiti Diadema Tyridatem imagini Neronis ſubjeciſſe, TACITUS *libr.* XV. *Annal. cap.* 29. narrat. Verum ad reliquum Perſarum veſtitum progrediamur: cujus στολὴν & πολυτέλειαν Theſſalos aemulatos, ATHENAEUS *libr.* XIV. *cap. ult. pag.* 663 tradit: eamque illis cauſam fuiſſe, Perſas in Graeciam inducendi.

CLXXXVI. Perſas veſte longa, laxa, fluitantique, indutos fuiſſe, uſu ejus a Medis accepto, pro certo adfirmare non dubito. Cujus rei ſi ab ſtirpe uſque exquiratur auctoritas, ad Semiramidem recurram, quae prima gentis hoc veſtis prodidiſſe fertur, ob eam, quam DIODORUS patefaciet, cauſam: e cujus *libr.* II. *cap.* 6. *pag.* 119. (*St.* 67. *Rh.* 94.) verba haec, quae ſequuntur prompſi: Πρῶτον μὲν ἐν πολλῶν ἡμερῶν ὁδὸν μέλλουσα διαπορεύεσθαι, στολὴν ἐπραγματεύσατο, δι' ἧς οὐκ ἦν διαγνῶναι τὸν περιβεβλημένον, πότερον ἀνήρ ἐστιν ἢ γυνή. αὕτη δ' ἦν εὔχρηστος αὐτῇ πρός τε τὰς ἐν τοῖς καύμασιν ὁδοιπορίας, εἰς τὸ διατηρῆσαι τὸ τοῦ σώματος (a) χρῶμα· καὶ τὸ σύνολον τοσαύτη τις ἦν ἐπ' αὐτῇ χάρις, ὥσθ' ὕστερον Μήδους ἡγησαμένους τῆς Ἀσίας, φορεῖν τὴν Σεμιράμιδος στολὴν, καὶ μετὰ ταῦτα ὁμοίως Πέρσας. *Primum igitur, cum multorum dierum iter conficere vellet, ſtolam excogitavit, quam indutus non dignoſci poterat, vir ne eſſet, an foemina. & haec quidem ſtola uſum praeſtabat contra aeſtum in itinere ferendum, ne ille ſcilicet corporis colorem immutaret. Inque univerſum tanta veſtis gratia erat, ut Medi poſtea & Perſae Aſia potiti Semiramidis ſtolam geſtarent.* Eandemque cauſam cur hoc pociſſimum veſtis genus Cyro placuerit. XENOPHON *libr.* VIII. *med. pag.* 206. [*p.* 126. *fin. ſq.*] adfert: Στολήν τε γοῦν εἵλετο τὴν Μηδικὴν αὐτός τε φορεῖν, καὶ τοὺς κοινῶνας ταύτην ἔπεισεν ἐνδύεσθαι. αὕτη γὰρ αὐτῷ συγκρύπτειν ἐδόκει, εἴ τίς τι ἐν τῷ σώματι ἐνδεὲς ἔχοι, καὶ καλλίστους καὶ μεγίστους ἐπιδεικνύναι τοὺς φοροῦντας. καὶ γὰρ τὰ ὑποδήματα τοιαῦτα ἔχουσιν, ἐν οἷς μάλιστα λαθεῖν ἔστι καὶ ὑποτιθεμένους τι, ὥστε δοκεῖν μείζους εἶναι ἢ εἰσί (b). *Itaque ut ipſe Medicam ſtolam geſtaret, certo judicio ſtatuit, tum ſodalitati perſuaſit, ut hanc induerent. Nam ſi quid corpori deeſſet, id occultare ſtola haec Cyro videbatur, & eos, qui ipſam geſtarent, quam pulcherrimos & maximos exhibere. Habent enim etiam calceos ejuſmodi, in quibus maxime ſubjici clam aliquid poteſt, ut majores, quam ſint, eſſe videantur.* Medicam hanc veſtem, perlucidam fluidamque fuiſſe oſtendit JUSTINUS, *libr.* XLI. *cap.* 2. §. 4. de Parthis loquens in hunc modum: *Veſtis olim ſui moris; poſteaquam acceſſere opes, ut Medis, perlucida ac fluida.* Fuiſſe quoque ejuſmodi veſtes iſtas, ut ventorum flatibus moverentur, fluitarentque, AMMIANUS MARCELLIN. docet, qui de Perſarum veſtitu haec *libro* XXIII. *cap.* 6. ſcribit: *Indumentis plerique eorum ita operiuntur, lumine colorum fulgentibus vario, ut licet ſinus lateraque diſſuta relinquant flatibus agitari ventorum, inter calceos tamen & verticem nihil videatur intectum.* Unde facile cuivis innoteſcet, cur laxum Perſarum amictum MANILIUS dixerit, *Aſtronomic. libr.* IV. his verſibus: (750.)

Et Syriae gentes, & laxo Perſis amictu,
Veſtibus ipſa ſuis haerens.

Medicas vero veſtes non unius generis fuiſſe, docet XENOPHON *libr.* VIII. *pag.* 213. [*p.* 168.] his verbis: Ἐπεὶ δὲ τοῖς κρατίστοις διέδωκε τὰς καλλίστας στολὰς, ἐξέφερε δὴ καὶ ἄλλας Μηδικὰς στολὰς (c). (παμπόλλας γὰρ παρεσκευάσατο, οὐδὲν φειδόμενος οὔτε πορφυρίδων, οὔτε ὀρφνίνων, οὔτε φοινικίδων, οὔτε καρυκινῶν ἱματίων) νείμας δὲ τούτων τὸ μέρος ἑκάστῳ τῶν ἡγεμόνων, ἐκέλευσεν αὐτοὺς τούτοις κοσμεῖν τοὺς αὐτῶν φίλους, &c. *Poſteaquam in praeſtantiſſimos ſtolas elegantiſſimas diſtribuit, & alias ſtolas Medicas protulit: (nam permultas paraverat, quum neque purpurei, neque pulli, neque punicei, neque ſanguinei coloris veſtibus parceret.) Harum parte cuilibet ex ducibus data, juſſit ut his ornarent amicos ſuos, &c.*

CLXXXVII. Medica ergo Perſarum veſtis erat ſtola ſerica. Quod veſtis genus muliebre magis, quam virile Romae ſemper eſt habitum: nec enim aliis, quam Matronis, ad talos ſtolam demiſſam convenire, Viriſque talarem & ποδήρη veſtem indecoram, Romani cenſuerunt. Itaque SERVIUS in VIII. *Aeneid.* ad haec verba, v. 724. *Diſcinctos Mulciber Afros*; haec adnotat: *Vel habitum eorum oſtendit, qui uſque ad Talos fluebat; quod Plautus in Poenulo ridet, dicens; Quae eſt illa Avis? cum Afrum vidiſſet, veſtem demiſſam trahentem.*

CLXXXVIII. Interiorem etiam Tunicam Perſae geſtabant, quam (d) CANDYN vocabant. SUIDAS cum HESYCHIO; Κάνδυς, χιτὼν Περσικός. *Candys, tunica Perſica.* Similiterque inter propria Perſarum veſtimenta, Κάνδυς, numeratur a POLLUCE *libr.* VII. *cap.* XIII. *Segm.* 58. *pag.* 726. PHILOSTRATUS in *Heroic. lib.* II. *num.* 30. imagine Themiſtoclis transfugae ad Perſas; οὐκ ἀξιοῖ ἐπαινεῖσθαι (e) ὁ ζωγράφος, εἰ Τιάραν καλῶς μεμίμηται, καὶ Καλάσυριν, ἢ Κάνδυν. *Pictor laudem ex eo non captat, quod Tiaram pulchre imitatus ſit, & Calaſyrin, & Candyn.* Et Regium quidem CANDYN ἁλιπόρφυρον fuiſſe, POLLUX tradit: cujuſmodi CANDYN, licet ἐσχισμένον, laceratum, non licuiſſe privato inducere, PLUTARCHUS in *Artaxerxe*, *pag.* 1013. de Tyribaſo agens, docet. Procerum vero Candys purpureus erat; reliquorum ſcorteus. Hoc enim ſignificant POLLUCIS *libr.* VII. *cap.* XIII. *ſegm.* 58. *pag.* 727. verba haec: Ὁ δὲ Κάνδυς, ὁ μὲν βασιλικὸς, ἁλιπόρφυρος, ὁ δὲ τῶν ἄλλων, πορφυροῦς· ἔστι δ' ὅτε καὶ ἐκ διφθέρας. *Candys quidem Regius marina purpura erat tinctus; at reliquorum erat purpureus; quandoque erat & ſcorteus.* Ac plane ſcorteam fuiſſe Perſarum veſtem, ex eo apparet, quod San-

(a) Poſt vocem χρῶμα, in Laurentii Rhodomanni editione adduntur & haec: καὶ πρὸς τὸ πράττειν ὃ βούλοιτο ἐν ταῖς χρείαις, εὐκίνητος οὖσα καὶ νεανική. [*Et ut agilitate juvenili ad quodvis ex uſu negotium expedita foret.*] Ceterum partem ultimam hujus loci, ut & ſeq. ex Xenophonte ſupra jam adduxerat Noſter, libr. I. §. 56. *L.*

(b) Εἰσί] Ultima tria verba ad ſenſum ſupplendum ex editis addidi. TR.

(c) Στολὰς] Hoc verbum ex editis addidi, licet & ſine expreſſa repetitione ſubintelligi poſſit. TR.

(d) Vide ſupra libr. I. §. 58. *L.*

(e) Ἐπαινεῖσθαι] Haec lectio eſt ex *ed.* Sylburgii: nam in Prima auctoris editione legitur ἐπαινέσαι: quod propius accedit ad lectionem, quam ego in *noviſſ.* Philoſtrati *ed.* repeti, ubi legitur ἐπαινέσαι. Paullo poſt pro καλάσιριν in hac ſcribitur καλάσυριν. TR.

Sandanis Lydus expeditionem adverſus Perſas, quam Croeſus animo agitabat, diſſuadens, Perſas vocat (*a*) ἄνδρας οἳ σκυτίνας μὲν ἀναξυρίδας, σκυτίνην δὲ τὴν ἄλλην ἐσθῆτα φορέουσι: *Viros, qui braccas ſcorteas, reliquamque veſtem ſcorteam geſtant.*

CLXXXIX. CANDYS utique, quemadmodum POLLUX, *libr.* VII. *cap.* XIII. *l. c.* tradit, χειριδωτὸς ἦν χιτών, καὶ τοὺς ὤμους ἐπιπορπούμενος, *manuleata erat tunica, humeris ſuſpenſa.* Unde apparet, Tunicas iſtas Perſicas manuleatas fuiſſe, manicaſque habuiſſe, ut *libr.* I. §. 60. diximus. A Medis autem inter alia, ad Perſas manaſſe πορφυροῦς χιτῶνας, καὶ τοὺς κάνδυς, *purpureas tunicas, & Candyas*, XENOPHON *libr.* I. παιδ. *pag.* 8. ſcribit. Perſarum enim, ante Medos ſubactos, vilia indumenta fuiſſe, HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 71. & 135. & XENOPHON *libr.* II. παιδ. *pag.* 56. teſtes ſunt. Poſtquam vero, Medis adempto Imperio, rerum potiti ſunt, a moribus antiquis deſciverunt, & in eorum, quos vicerant, voluptatis caſtra transfugerunt, ut STRABO *libr.* XI. *pag.* 797. *ſeq.* (525. *ſeq.*) ſcribit. Eoque modo, ut ſcite quidam (*b*) in diſſimili argumento cecinit, *Victores ſuos natio victa preſſit.* Quod & Romanis poſt Antiochum victum accidiſſe, LIVIUS *libr.* XXXIX. *cap.* 6. ſcribit. Luxuriae enim peregrinae originem in urbem a devictis gentibus invectam, illic narrat. Verum aliquam inter principum virorum, & vulgi Tunicas, differentiam interceſſiſſe, STRABO *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) tradit his verbis: Ἐσθὴς δὲ τοῖς ἡγεμόσι μὲν (*c*), χιτὼν χειριδωτὸς διπλοῦς, ἕως γόνατος· ὁ ὑπενδύτης μὲν λευκὸς· ἀνθινὸς δ' ὁ ἐπάνω. ἱμάτιον, θέρους μὲν, πορφυροῦν, ἢ ἄνθινον (*d*). χειμῶνος δ', ἄνθινον. τοῖς δὲ πολλοῖς χιτὼν ἕως μεσοκνημίου, καὶ διπλοῦς. *Principes tunicam manicatam duplam, genu tenus, habent; interula candida eſt, exterior vero veſtis florida. Amiculum aeſtate purpureum & floridum, hyeme autem floridum. Vulga tunicam duplam gerunt, ad medium uſque crus deſcendentem.* CANDYM autem etiam ab ARISTOPHANE in *Veſpis*, *v.* 1132. & 1144. Κανδύην appellari, POLLUX *libr.* VII. *cap.* XIII. *Segm.* 59. *pag.* 728. notat (*e*). Perſicam etiam quandam Tunicam chiridotam κάνδυν appellatam, idem ibidem *Segm.* 58. *pag.* 727. adjicit. Praeterea, eodem *capite*, *Segm.* 61. *pag.* 731. ὁ δὲ, ait, Σαράγης, Μήδων τι φόρημα, πορφυροῦς, μεσόλευκος χιτών. *Sarages, tunica purpurea, albo diſtincta, quam Medi geſtant.* Quarum duarum vocum ſecundum auctorem, βεβαιωτὴν que nullum habeo, ac plane, quod ad poſtremam attinet (*f*), mendoſam eſſe ſcripturam, mihi facile perſuaſerim. Apud HESYCHIUM enim invenio: Σάραπις, Περσικὸς χιτὼν μεσόλευκος. *Sarapis, Perſica veſtis, albo diſtincta.* Citatque haec CTESIAE. καὶ διαῤῥηξάμενος τὸν σάραπιν, καὶ τὰς τρίχας καθιείμενος (*g*), ἐπιλετό τε καὶ βοὴν ἐποίει. *Diſrupto Sarapi, capillum demiſſum ſibi evellebat, clamoremque tollebat:* ex quibus Cteſiae verbis colligitur, tam virile, quam muliebre hoc veſtis genus fuiſſe. Uſurparat & hanc vocem DEMOCRITUS EPHESIUS *libr.* 1. *de Epheſi phano*; cujus (*h*) verba, non minus ad Perſarum, quam Jonum in veſtitu luxum pertinentia ſubjicere non gravabor: nec vero longa eſſe, quibus nihil eſt, quod demere poſſis, jure quiſquam queri poterit: Τὰ δὲ τῶν Ἰώνων, ait, ἰοβαφῆ καὶ πορφυρᾶ, καὶ κρόκινα ῥόμβοις ὑφαντά· αἱ δὲ κεφαλαὶ, κατ' ἴσα διειλημμέναι ζῴοις. καὶ Σαράπεις μήλινοι, καὶ πορφυροῖ, καὶ λευκοί· οἱ δὲ ἁλουργεῖς, καὶ καλασίρεις Κορινθιουργεῖς. εἰσὶ δὲ αἱ μὲν πορφυραῖ τούτων· αἱ δὲ ἰοβαφεῖς· αἱ δὲ ὑακίνθιναι. λάβοι δ' ἄν τις καὶ φλογίνας καὶ θαλασσοειδεῖς. ὑπάρχουσι δὲ καὶ Περσικαὶ καλασίρεις, αἵπερ εἰσὶ κάλλισται πασῶν. ἴδοι δ' ἄν τις φησὶ καὶ τὰς καλουμένας Ἀκταίας· ὅπερ ἐστὶ καὶ πολυτελέστατον ἐν τοῖς Περσικοῖς περιβλήμασι. ἔστι δὲ τοῦτο στεγνὸν, ἰσχύος καὶ κουφότητος χάριν, καταπέπλασται δὲ χρυσοῖς κέγχροις. οἱ δὲ κέγχροι πάντες πορφυρᾷ μίτῳ εἰς τὴν εἴσω μοῖραν ἅμματ' ἔχουσιν ἀνὰ μέσον. *Veſtes Jonum purpurei coloris fuiſſe & violacei, tum etiam croceas, intextis rhombis: ſummitates vero animalium imaginibus, aequaliter collocatis, diſtinctas: Sarapes melinos, purpureos, candidos, marina purpura tinctos, & Calaſires opere Phrygio depictas, alias purpureas, alias violaceas, alias hyacinthinas, interdum flammeas interdum glaucas: Calaſires Perſicas omnium elegantiſſimas, & inter ea genera veſtium etiam conſpici, quas Actaeas vocant, quod eſt indumentum apud Perſas maximi pretii, textum quidem at denſum, ut firmius ſit, & levius, aureis milii granis conſperſum, quae verſus interiorem veſtem media ſui parte filo purpureo aptata vinciuntur.* Verum quas Democritus Perſicas; POLLUX Aegyptias Calaſires facit, *libr.* VII. *c.* XVI. *Segm.* 71. *pag.* 738. his verbis: Ἐν δὲ λινῷ, λινοῦς χιτὼν ὃν Ἀθηναῖοι ἐφόρουν ποδήρη, καὶ αὖθις Ἴωνες. Καλάσιρις (*i*) χιτὼν θυσανωτὸς Αἰγύπτιος. *Ex lino, linea tunica eſt, quam Athenienſes geſtabant, ad pedes uſque demiſſam, & Jones. Calaſiris tunica fimbriata, Aegyptiaca.* Quod & ARISTOPHANIS *Interpres* confirmat, ad ea Ὀρνίθων, ſive *Avium*, verba, *v.* 1294. Ὀρτυγίῳ δ' ὀφθαλμιῶν. Ait enim: Ὁ δὲ Καλάσιρις, χιτὼν πλατύσημος. φησὶ δὲ Κηφισόδημος (*k*), ὅτι Αἰγυπτία ἡ λέξις. *Calaſiris, lata tunica. quam vocem Aegyptiorum eſſe ait Cephiſodemus* HESYCHIUS Καλάσιρις, χιτὼν πλατύσημος (*l*). ἢ ἡνιοχικὸς καὶ ἱππικὸς χιτών. ἔνιοι δὲ λινοῦν καὶ ποδήρη χιτῶνα. ἐχρῶ Ἀριστοφάνης Θεσμοφοριαζούσαις. *Calaſiris lata tunica, vel tunica, qua aurigae & equites utebantur. quidam lineam & talarem tunicam fuiſſe, ajunt.* ἐχρῶ *Ariſtophanes in Theſmophoriazuſis vocat.* Unde emenda SUIDAM, apud quem Καλάσιρις, χιτὼν πλατύς. οὕτως Αἰγύπτιοι. *Calaſiris, tunica lata. Sic Aegyptii.* Sed vox quaedam ex illo Democriti loco reſonans, adhuc meo gradu remoram facit. Nec enim Ἀκταίας veſtes ſilentio praetervehi me, eximium earum pretium patitur: de quibus EUSTATHII in *libr.* 1. *Odyſſ.* obſervationem adſcribam. ὡς δὲ, ait, φάρεα, ὁ μόνον τεχνικὸν ὄνομά ἐν, ἀλλὰ καὶ ἱματίου περιφαίνεται, δῆλον ἐκ τοῦ ἀκταίου, πορφυροῦ περιβολαίου, καὶ ἰοβαφοῦς, καὶ ὑακιν-

(*a*) Locus eſt apud Herodot. libr. I. *cap.* 71. L.

(*b*) QUIDAM] RUTILIUS ſcilicet in *Itinerario*, *lib.* I. *v.* 398. TR.

(*c*) Μὲν] In editis legitur: ἀναξυρὶς ποικίλη, χιτὼν δὲ χ. TR.

(*d*) Ἄνθινον] Ἰάνθινον legendum eſſe, cenſet *noviſſ. editor*. Paullo poſt pro μεσοκνημίου in *recentiſſ. ed.* legitur μεσοκνήμιον. TR.

(*e*) NOTAT] Sed in utriuſque Scriptoris melioribus Codicibus κανδύων legitur, ut teſtantur Interpretes. TR.

(*f*) Recte mendoſam vocem ſuſpicatus eſt Briſſonius, pro qua noſtra editio è MSS. jam Σάραπις legit. ubi vide notas. L.

(*g*) Omnino legendum ἐτίλλετό τε, *capillumque ſibi evellebat*: qua de re infra [§. CCVI.] pag. 257. S.

(*h*) Verba hæc conſervavit ATHENAEUS, apud quem hodie leguntur *libr.* XII *cap.* V. *p.* 525. L.

(*i*) Καλάσιρις] In *noviſſ. ed.* legitur καλάσιρις. TR.

(*k*) Κηφισόδημος] In *ed. noviſſ.* legitur κηφισόδωρος. TR.

(*l*) Πλατύσημος] In prima auctoris editione legitur πλατύσημος, & ita quoque editur in *ed. Baſil.* 1521. Heſychii. TR.

ὑακίνθινα, καὶ φλογίνα, καὶ θαλασσοειδῆ. ἴσως δὲ, καὶ θαλασσίας, στρεφόμενον ἐν τι φάρμακον, ὡς δηλοῖ ὁ ... Φερῦντες δὲ καὶ Ἀκταίας. ἔστι δὲ, φασὶ, τῶν ... χιτὼν καὶ κυβερνήτου χλαῖνα. οἱ μὲν τοι, ἐκ δὲ ... ὁ εἰρημένος Ἀκταίας ... κατακλώντος ... στρεφόμενα. *Quod autem* θάλασσα *non modo vox ſit, qua certum denotatur elementum ſed & de colore dicatur, qui veſtibus attexitur, patet ex verbis: Purpurea amicula, violacea, hyacinthina, flammea atque marina: Et ſic forte ab* ἀκτῇ θαλάσσης, *littore maris, derivatum veſtis nomen eſt, quod eſſe dicunt veſtimenti genus textum quidem, at denſum, ut firmius ſit ac levius. Niſi tamen ab* ἄγω *forte, flecto, ſic dicta Actaea veſtis derivanda ſit quod ea ſc. quæ texuntur detorqueantur & inflectantur.* HESYCHIUS autem ἀκταῖον interpretatur πορφυροθαλάσσιον. Eandemque *Thalaſſinam* forte dixit LUCRETIUS *libr.* IV. hoc verſu: (1120.)

—— —— Teriturque Thalaſſina veſtis
Aſſidue, & Veneris ſudorem exercita potat (a).

CXC. Variam autem & Verſicolorem veſtem, quaeque vario colorum genere fulgeret, Perſis placuiſſe, oſtendit AMMIANUS, illo, quem nuper (§. CLXXXVI.) laudavi, loco, indumenta Perſarum *lumine colorum vario fulſiſſe* narrans: quod clare comprobat AELIANUS *libr.* V. *de Animalib. cap.* XXI. de Pavone loquens hoc modo; δοκεῖς φιλοτίμως τὸ τῶν πτερῶν πολύμορφον, ὑπὲρ τὰς τῶν Μήδων ἐσθῆτας, καὶ τὰ Περσῶν ποικίλματα, τὸν ταὼ ἐπιδεικνύμενος. *Gemmatiorem variamque magis, quam ſint Medorum Perſarumve veſtes, ſuam ſtolam ambitioſe admodum & elate oſtentans.* TERTULLIANUS *libr. de habitu muliebri*, ſive *de cultu foem.* I. *cap.* VII. de Parthis & Medis differens, *Proinde & veſtium de coloribus honorem ſervi eorum ferunt* (b) Perſas etiam χρώμασι ποικιλομένας veſtes geſtaſſe, indicat DIODORUS SICULUS *libr.* VI. (c) *Auro ac purpura* (d) *diſtinctas* Perſarum *Veſtes*, CURTIUS *lib.* III. *cap.* 13. §. 7. inter reliquam Damaſco exportatam praedam, memorat.

CXCI. Eaque ratione crediderim SENECAM in *ludo de morte Claudii*, dixiſſe; *Pictaque Medi Terga fugacis*: quod nimirum Medorum amicula verſicoloria eſſent. Illam enim Triumphalem veſtem, quae *Togae Pictae* nomen obtinuit, DIONYSIUS HALICARNASS. *libr.* III. *pag.* 196. περιπόρφυρον ἐσθῆτα ποικίλην vocat: idemque ποικίλοις ἀλουργίσιν indutos Triumphantes ait. Ibidemque pag. 195. Hetruſcos Regi Tarquinio haec, quibus Reges ſuos ornare conſueverant, inſignia attuliſſe refert: Χιτῶνα πορφυροῦν χρυσόσημον, καὶ περιβόλαιον πορφυροῦν ποικίλον, οἷα Λυδῶν τε καὶ Περσῶν ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς. *Purpuream tunicam auro diſtinctam, purpureumque amiculum varium, qualia Lydorum atque Perſarum reges geſtant.* Eodem etiam ſenſu *Pictam Togam*, apud PROPERTIUM *Eleg.* IV. *libr.* IV. *v.* 51. *Picta Strata*, apud OVIDIUM *libr.* VIII. *Metamorphoſ. v.* 33. *Picta Tapeta*, apud VIRGILIUM *libr.* VII. *Aeneid. v.* 277. accipere debemus. Cujuſmodi veſtium luxum reprehendens CLEMENS ALEXANDRINUS παιδαγωγ. *libr.* II. *cap.* X. *pag.* 235. τά τε χρυσᾶ ποικίλματα, καὶ τὰ ἁλουργοβαφῆ, καὶ ζῶα τε (e) περιηρτημένα τοῖς ὑφάσμασι τούτοις, τό τε μυροβαφὲς ἐκεῖνο κροκωτὸν, καὶ τῶν ὑμένων τῶν ἀτελῶν τὰ πολυτελῆ καὶ ποικίλα ἱμάτια (f) ἔχοντα ζῶδια ἐν τῇ πορφύρᾳ αὐτῇ τέχνῃ χαίρειν ἐατέον. *Quae autem ex auro affabre facta, & quae murice tincta ſunt, & hae animalium, quae vento feruntur, delitiae, & ille unguentis delibutus Crocotus, & ſuſpiciendarum membranularum pretia ingentia, & variegatae veſtes, quae in purpura habent animalia, cum ipſa arte valere jubenda ſunt.* POLLUX *libr.* VII. *cap.* XIII. *Segm.* 55. *pag.* 724. Ὁ δὲ κανδύτης χιτὼν, ὁ ἔχων ζῶα ἢ ἄνθη συνυφασμένα. καὶ ζωωτὸς δὲ χιτὼν ἐκαλεῖτο καὶ ζωδιωτός. *Kandys* χιτὼν *eſt tunica, quae animalia aut flores intextos habet,* ζωωτὸς *etiam &* ζωδιωτὸς *dicebatur.* Pantheam etiam viro in militiam proficiſcenti dediſſe, χιτῶνα πορφυροῦν ποδήρη στολιδωτὸν τὰ κάτω, καὶ λόφον ὑακινθινοβαφῆ. *tunicam purpuream ad pedes uſque demiſſam, pallae plicas habenti ſimilem, inferius, & coloris hyacinthini criſtam,* XENOPHON *libr.* VI. παιδ. *pag.* 169. narrat: id eſt tunicam, quae rugas & ſinua habebat. Στολίδες enim, unde Στολιδωτὸς nomen manat, POLLUX *libr.* VII. *cap.* XIII. *Segm.* 54. *pag.* 724. interpretatur τὰς ἐξεπίτηδες ὑπὸ δεσμῶν γινομένας κατὰ τὰ τελευταῖα ἐπιπτυχὰς, μάλιστα ἐπὶ λινῶν χιτωνίσκων. *Plicas, quae in extremitate veſtium colligando de induſtria fiunt, maxime in tunicis lineis.*

CXCII. Erat & Perſicae veſtis genus CAUNACES. ARISTOPHANES *Veſpis*, *v.* 1132. Οἱ μὲν καλοῦσι Περσίδ᾽· οἱ Καυνάκην: *Quod Perſida iſti nominant: hi Caunacem*: ad quem verſum (g) *Scholiaſtes*: Καυνάκης δὲ, χλαῖνα Περσικὴ ἀλεεινὴ, παρὰ τὸ ἀλεαίνειν· ὁ δὲ Παλαμήδης φησὶ· Καυνάκης, ἐστὶ Περσικὸν ἱμάτιον, ἔχει ἐκ τοῦ ἑτέρου μέρους μαλλούς· ἄλλως, Καυνάκης εἶδος ἱματίου, ὅπερ καὶ Περσίδα καλοῦσι. *Kaunakes eſt chlaena Perſica* ἀλεεινὴ, *aeſtiva, ab* ἀλεαίνειν. *Palamedes vero ſcribit, Caunacem eſſe veſtem Perſicam, ex altera parte villeſam. Aliis Caunaces eſt veſtis genus, quam Perſidem vocant.* Quae poſtrema verba, SUIDAS *voc.* Καυνάκης inde exſcripſit. POLLUX *libr.* VII. *Onomaſt. cap.* XIII. *Segm.* 60. *pag.* 729. Βαβυλώνιον δ᾽ ἐστὶν ὁ Καυνάκης. *Babylonia veſtis eſt Caunaces.* Unde ARRIANUM *libr.* VI. in eo, quem *libr. ſuperiore* §. 248. adduxi, loco, ubi Καυνάκας πορφυροῦς legitur, Καυνάκας ſcripſiſſe veriſimile eſt. Perſicas vero mulieres non fuiſſe Μονοχίτωνας, nec ulla ſui corporis parte nudas, aperte DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *cap.* 35. *pag.* 186. (*St.* 580. *Rh.* 514.) Πολὺ δὲ ἦν ἐλεεινὸν περὶ τὰς αἰχμαλωτιζομένας γυναῖκας. αἱ γὰρ πρότερον, διὰ τρυφὴν, ἐπὶ ἁρμαμαξῶν πολυτελῶν μόγις κατηγμένως ὀχούμεναι, καὶ γυμνὸν μέρος τοῦ σώματος οὐδὲν φαίνουσαι, τότε μονοχίτωνες, καὶ τὰς ἐσθῆτας περιερρηγμέναι, μετ᾽ ὀδυρμῶν ἐκ τῶν σκηνῶν ἐξεπήδων, ἐπικαλούμεναι θεούς. *Perquam vero miſerabilis erat captivarum foeminarum aſpectus. Nam quae prius in lecticis magnificis vix commode ſatis invectae, nullam corporis partem nudam conſpici ſinebant, tunica tunc una amictae, veſtitumque lacerantes cum lamentis e tentoriis proſiliebant, Deorum opem implorantes.*

CXCIII.

(a) POTAT] Sic & *Coloris thalaſſici* mentio fit apud PLAUTUM *Milit. glor. Act* IV. *ſc.* 4. *v.* 43. TR.

(b) FERUNT] In *ed. Pariſ.* 1664. *Opp.* legitur: *ſervi etiam eorum terunt.* TR.

(c) LIBR. VI.] Neſcio, quem locum Auctor intelligat, niſi forte prae oculis habuerit, quem infra §. CCXIX. adducit, qui tamen accurate huc non pertinet. TR.

(d) Editi, *inſignes.* L.

(e) Περιηρτημένα, pro priori περιηρτημένα ex editis repoſui. L.

(f) Quae τὸ ἔχοντα ſequuntur, ex Clemente addidi, ſenſu exigente. L.

(g) VERSUM] Immo non ad verſum laudatum, qui eſt 1132; ſed ad *v.* 1117. haec *Scholiaſtis* verba leguntur. TR.

CXCIII. Perſae etiam manus adverſus frigora & aëris injurias, Manicis ac Chirothecis muniebant. Xenoph. *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 241. [*pag.* 190.] Ἀλλὰ μὴν καὶ ἐν τῷ χειμῶνι οὐ μόνον κεφαλὴν, καὶ σῶμα, καὶ πόδας ἀρκεῖ αὐτοῖς ἐσκεπάσθαι, ἀλλὰ καὶ περὶ ἄκραις ταῖς χερσὶ χειρῖδας δασείας καὶ δακτυλήθρας ἔχουσιν. *Quin etiam biberno tempore non caput ſolum, non corpus, non pedes ipſis ſatis eſt tegi, ſed etiam ad extremas manus tegumenta quaedam manualia & digitalia villoſa babent,*

CXCIV. Nec brachia tantum, ſed & crura Perſae velamentis tegebant, ex Semiramidis inſtituto, ut Justinus *libr.* 1. *cap.* 2. §. 3. ſeribit. Cujuſmodi Crurum velamenta Ἀναξυρίδας a Graecis vocari, a Latinis *Braccas*, & *Feminalia*, jam notavimus *libr.* 1. §. 63. Unde inter ea, quae τῶν Περσῶν ἴδια eſſe Pollux *libr.* VII. *cap* XIII. *Segm.* 58. *pag.* 726. ait, Ἀναξυρίδας recenſet. Σκυτίνας autem (id eſt ſcorteas) primum fuiſſe Perſarum Braceas, Herodotus *libr.* 1. *cap.* 71. tradit. Poſtea, increſcente invaleſeenteque luxu, purpureis, janthinis, coccineis, & aliis id genus Braccis uti coepere. Perſae ergo non ſubligaculis modo, aut Campeſtribus, pudenda velabant, ſed & crura ipſa ac tibias, Braccis ad genua uſque pertingentibus tegebant.

CXCV. Mulieres vero latis & fimbriatis Zonis cinctas fuiſſe, *Scholiaſtes* Aeschyli in *Perſis* v. 153. tradit. Ideo enim Βαθυζώνους Περσίδας ab Aeschylo (v. 155.) appellatas tradit, διὰ τὸ κροσσωτὰς ζώνας ἔχειν, id eſt, zonas fimbriis ſeu villis praetextas (*a*). Hesychius namque Κροσσοὺς eſſe dicit τὰ κάτω τῶν ἱματίων τὰ ῥαμματώδη. *Fila ab imis veſtium oris dependentia.* Et alias: Κροσσοὶ, τὰ καλύμματα τῶν ἱματίων: *Ea, quae imae veſtis orae aſſuta ſunt.* Suidas vero Κροσσός eſt ὁ μαλλός. *Villus.*

CXCVI. Poſtremum in veſtitu Perſico locum Calcei obtinent. Suum autem ac proprium genus Perſarum calceamentum habuit. Strabo *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) ὑπόδημα eos habuiſſe κοῖλον, διπλοῦν (*b*), refert Clemens Alexandrinus *libr.* II. παιδαγωγ. *cap.* XI. *pag.* 240. Χαίρειν οὖν ἐατέον τὰς ἐπιχρύσους καὶ διαλίθους τῶν σανδαλίων ματαιοτεχνίας, καὶ κρηπῖδας Ἀττικὰς, καὶ τὰς Σικυωνίας, καὶ τοὺς κοθόρνους τοὺς Περσικούς τε καὶ Τυῤῥηνικούς. *Valere ergo jubenda ſunt aureorum & gemmeorum Sandaliorum vana artificia, cum crepidis Atticis & Sicyoniis, cotburniſque, & Perſicis & Hetruſcis calceamentis.* Vilibus autem ſoccis aut crepidis calceatos ab initio Perſas fuiſſe, omnes conſentiunt. Itaque Περσικὰς vilis calceamenti genus definit Stephanus *de Urbibus*, *voc.* Πέρσαι, *pag.* 544. & muliebre fuiſſe videri, ita ait (*c*): Περσικαί, εἶδος εὐτελοῦς ὑποδήματος. ἔοικε δὲ γυναικεῖον εἶναι. *Perſicae, ſpecies vilis calceamenti. Videtur vero muliebre eſſe.* Eustathius in *Dionyſ. de Situ orbis*, v. 1056. *pag.* 279. Αἱ παρωνομαζόμεναι αὐτοῖς Περσικαὶ ἐμβάδες, ὥς τινες φασὶν, ὑπόδημα εὐτελὲς ἦν. *Quae vocantur ab ipſis* Περσικαὶ ἐμβάδες, *ſunt, ut quidam ajunt, vilia calceamenta.* Hesychius: Περσικαί, ἁπλᾶ ὑποδήματα. *Perſicae, ſunt vilia calceamenta.* Suidas: Περσικαί· αἱ Περσικαὶ οὕτω μὲν δένδρα· ἔστι δὲ καὶ ὑποδήματος εἶδος γυναικεῖον. *Perſicae: Sic vocantur arbores quaedam. Eſt item calceamenti muliebris genus.* Quae ille ſumpſit ex *Scholiaſte* Aristophanis Νεφέλαις, ſive in *Nubibus*, v. 151.

CXCVII. Praeter illum, quem recenſuimus, Veſtitum, etiam alia Perſae ornamenta habebant. Nam & Torques collo, & Armillas brachiis geſtaſſe, ex his, quae libro ſuperiore §. 145. *ſeqq.* diximus, patet. Ac plane Xenophon *libr.* 1. *Cyrop. pag.* 8. [*p.* 7.] his, quae Perſae a Medis mutuati ſunt adnumerat; Στρεπτοὺς περὶ τῇ δέρῃ, καὶ τὰ ψέλλια περὶ ταῖν χεροῖν. *Circa collum torques, & armillas circa manum utramque.* Nobiliores etiam Perſas geſtaſſe Στρεπτοὺς περὶ τῷ τραχήλῳ, καὶ ψέλλια ἐπὶ τῶν χειρῶν, *torques circa collum, & in manibus armillas*, Xenophon *libr.* 1. Ἀναβάσ. *pag.* 257. [*p.* 202.] ſcribit. Sed & inter ea, quae Panthea Abradatae marito dona obtulit, καὶ περιβραχιόνια, καὶ ψέλλια πλατέα περὶ τοὺς καρποὺς τῶν χειρῶν, *& brachialia, & armillas latas circum juncturas manuum*, Xenophon *libr.* VI. παιδ. *pag.* 169. [*p.* 134.] recenſet Ammianus Marcellinus *libr.* XXIII. *cap.* 6. *Armillis uti, monilibuſque aureis, & gemmis praecipue Margaritis, quibus maxime* (*d*) *abundant, adſuefacti, poſt Indiam victam & Croeſum.* Armillae ergo, ut & Monilia, non ex auro tantum erant, ſed ex gemmis, lapillis, Margaritis. Chares Mitylenaeus, *libr.* VII. *de rebus ab Alexandro geſtis*, referente Athenaeo *libr.* III. *Dipnoſophiſtar. cap.* 14. *pag.* 93. de Margaritis loquens: Κατασκευάζουσι δ' ἐξ αὐτῶν ἐνώτιά τε καὶ ψέλλια περὶ τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας, περὶ ἃ σπουδάζουσιν οἱ Πέρσαι καὶ Μῆδοι, καὶ πάντες Ἀσιανοί, πολὺ μᾶλλον τῶν ἐκ χρυσίου γεγενημένων. *Faciunt ex iis inaures, & armillas brachiorum pedumque ornamenta, apud Medos, Perſas & Aſiaticos omnes, pluris aeſtimata, quam quae ex auro conficiuntur.* Unde apparet, Margaritas perforaſſe Perſas, ut pertuſis in linea uterentur. Ceterum quem alii Στρεπτὸν, auctor *libr.* III. *Eſdrae cap.* III. v. 6. Μανιάκην περὶ τὸν τράχηλον vocat. Suidas: Μανιάκης ὁ περιαυχένιος κόσμος. *Maniaces, ornamentum colli.* Citatque haec vetuſti cujuſdam auctoris verba, quae forte de Parthis ſcripta erant; Μανιάκαις καὶ περιχείροις ἦσαν κεκοσμημένοι (*e*): *Torquibus & armillis erant ornati.*

CXCVIII. Quemadmodum autem Romae Bullis aureis inſignitos fuiſſe praetextatos nemo neſcit, ita de Perſis, κοσμοῦνται δ' οἱ παῖδες χρυσῷ, *ornantur vero pueri auro*, ait Strabo *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.)

CXCIX. Inauribus etiam uſos Perſas ſupra docui. Diodorus Siculus *libr.* V. *cap.* 45. *pag.* 367. (*St.* 222. *Rh.* 320.) de Inſulanis quibuſdam: Ἐκ δὲ τῶν ὤτων, παραπλησίως τοῖς Πέρσαις, ἐξηρτημένους κόσμους. ὑποδέονται δὲ κρηπῖδας χρυσᾶς, ἃ τοῖς χρώμασι πεποικιλμένας διαφόροις. *Et auribus, non ſecus*

(*a*) Add. Pollux. VI. 64. L.

(*b*) Διπλοῦν] Redditur ab Interpretibus: *Calceamentum altum & duplum.* Sed κοῖλον non *altum*, ſed *cavum* ſignificat. Qua autem calceamenta ſunt, quae totum pedem, non ſolam plantam muniunt. Obiter obſervo, quod tam ad ſuperiorem librum, quam ad hunc pertinet, ab auctore vero plane praetermiſſum fuit, Regum calceos rubri coloris fuiſſe, ut recte ex Aesyli *Perſa*, v. 661. colligit *Th. Stanley* in *not. p.* 772. TR.

(*c*) Jul. Poll. Onomaſt. VII. 92. ἴδια δὲ γυναικῶν ὑποδήματα, Περσικαί, &c. ut ſc. MSS. habent, pro vulgato, Περσικαί. L.

(*d*) Maxime] Hoc verbum ab optimis *Codd.* abeſt: paullo poſt pro *Indiam* Valeſius ex MS. repoſuit *Lydiam.* TR.

(*e*) Κεκοσμημένοι] In *noviſſ. ed.* legitur κατακεκοσμημένοι. TR.

ſecus ac Perſae, annulos inſertos habent: calceis utuntur communibus, ſed colorum varietate impenſius ornatis. Hujus rei gratia aures forare ſolebant; quod Lydis in more poſitum fuiſſe, XENOPHON *libr.* III. Ἀναβάσ. *pag.* 297. ita ſcribit: Ἐπεὶ ἐγὼ αὐτὸν εἶδον, ὥσπερ Λυδὸν, ἀμφότερα τὰ ὦτα τετρυπημένον. *Poſtquam ipſum vidi, quemadmodum Lydum, utraſque aures perforatum.* Eodemque modo Afros aures foratas habuiſſe, ex Ciceronis joco quodam patet. Nam cum Octavius, qui natu nobilis videbatur, Ciceroni recitanti dixiſſet: *Non audio, quae dicis:* ille reſpondit: *Certe ſolebas bene foratas habere aures.* Auctor eſt MACROBIUS *libr.* VII. *Saturnalior. cap.* III. qui hoc eo dictum fuiſſe ait, *quia Octavius Libys oriundus dicebatur, quibus mos eſt aurem forare.*

CC. Perſis autem Gemmas & lapillos cordi fuiſſe, teſtatur ATHENAEUS *libr.* III. *cap.* 13. *pag.* 93. qui ex *Androſthenis libr.* I. τῷ τῆς Ἰνδικῆς παράπλῳ, *Indicae Navigationis*, Margarita apud Perſas ingenti pretio comparata ita ſcribit: γίνεσθαι δὲ πορφύραν τε, καὶ ὀστρέων πλῆθος τῶν λοιπῶν· ἓν δὲ ἴδιον, ὃ καλοῦσιν ἐκεῖνοι Βέρβερι· ἐξ οὗ ἡ μαργαρίτης λίθος γίνεται. αὕτη δὲ ἐστι πολυτελὴς κατὰ τὴν Ἀσίαν, καὶ πωλεῖται παρὰ Πέρσαις τε καὶ τοῖς ἄνω τόποις πρὸς χρυσίον. *Illic gignuntur, & purpurae, & aliorum oſtreorum ingens numerus, ſed unum peculiare genus, quod Berberi vocant, in quo Unio naſcitur, magni in Aſia pretii, & quae apud Perſas, ac regiones Perſide ſuperiores auro contra emitur.*

CCI. Inter eos vero lapillos, qui in Perſide in pretio erant, Ceraunium PLINIUS *libr.* XXXVII. *cap.* IX. numerat (*a*), *Parthorum*, ut ibidem ait, *Magis quaeſitum, quoniam non alibi inveniatur, quam in loco fulmine icto: Proximum Ceranniae nomen apud eos habet, quae appellatur Iris.* Idem *cap. ſequenti*, *Arizoen* (*b*) *neceſſariam fuiſſe Magis, Regem conſtituentibus. Zoroniſion*, etiam *Magorum gemmam* eſſe, *narrari* ſcribit. Ibidemque, *Telicardios*, ait, *colore cordis, Perſas, apud quos gignitur, magnopere delectat: Maculamque appellant.*

CCII. Perſas autem crinitos & comatos fuiſſe, HERODOTUS *libr.* VI. *cap.* 19. indicat, qui κομήτας eos vocat. Eaque ratione βαθυχαιτήεντες (*c*) appellantur in Epitaphio Aeſchyli, quod ATHENAEUS *libr.* XIV. *cap.* 6. *pag.* 627. refert, i. e. denſa coma capillati. Perſae etiam adſcititias capiti comas adcommodare a Medis didicerunt, ut XENOPHON *libr.* I. παιδ. *pag.* 8. [*p.* 6.] docet. Inter ea enim, quae a Medis originem ducunt, numerat κόμας προσθέτους. PLUTARCHUS in *Craſſo*, *pag.* 557. de Surena: Μηδικώτερος, ait, ἐσκευασμένος ἐντρίμμασι προσώπου, καὶ κόμης διακρίσει, τῶν ἄλλων Πάρθων ἔτι Σκυθικῶς ἐπὶ τὸ φοβερὸν τῷ ἀνασίλλῳ κομώντων. *Medorum in morem faciem fucatus, crinemque diſcriminatus, cum reliqui Parthi Scythico adhuc more ad perterrendos hoſtes comam alerent.* vel, (ut eſt apud APPIANUM (*d*) in *Parthicis pag.* 238. (143. *ſeq.*) ἀνασιλλοκομούντων.

CCIII. Perſas etiam faciem pigmentis fucaſſe, idque a Medis arripuiſſe, XENOPHON *libr.* I. παιδ. *pag.* 8. [*p.* 6.] docet. Ex Medorum enim luxu in Perſidem manaſſe ὀφθαλμῶν ὑπογραφὴν, χρώματος ἔντριψιν, *oculorum ſuppicturationem, & coloris infricationem*, ibidem ait. Ea ſiquidem, ut ſubjicit, νόμιμα ἦν ἐν Μήδοις, *peculiaria ſunt Medis.* XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 206. [*p.* 163.] de Cyro: ὑποχρίεσθαι δὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀνεῖχετο, ὡς εὐοφθαλμότεροι φαίνοιντο ἢ εἰσί· καὶ ἐντρίβεσθαι, ὡς εὐχροώτεροι ὁρῷντο ἢ πεφύκασιν. *Hoc etiam admittebat, ut oculi coloribus ſuppingerentur, quo viderentur oculos habere pulchriores, quam eſſent: & ut fricarentur, quo colore praediti meliore cernerentur, quam a natura forent.* Perſicae autem mulieres formae & pulchritudinis praeſtantia a veteribus commendantur. XENOPHON Ἀναβάσ. *libr.* III. *pag.* 303. καὶ Μήδων δὲ καὶ Περσῶν καλαῖς καὶ μεγάλαις γυναιξὶ καὶ παρθένοις ὁμιλεῖν. *Cum pulchris & proceris mulieribus atque virginibus Medorum & Perſarum converſari.* PLUTARCHUS in *Alexandro. pag.* 676. τὰς δὲ ἄλλας αἰχμαλώτους ὁρῶν ὁ Ἀλέξανδρος κάλλει καὶ μεγέθει διαφερούσας, ἔλεγε παίζων, ὡς εἰσὶν ἀλγηδόνες ὀμμάτων αἱ Περσίδες. *Reliquas captivas forma & ſtatura eximias cum videret Alexander, per jocum dixit, Perſides oculorum dolores eſſe.* AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIV. *cap.* 4. *Ex virginibus autem, quae ſpecioſae ſunt captae, ut in Perſide, ubi foeminarum pulchritudo excellit, nec contrectare aliquam voluit, nec videre.*

CCIV. Porro Perſicae mulieres in ſummo moerore & luctu Veſtes ſcindere, crineſque lacerare ſolebant. Indicat DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *cap.* 35. *pag.* 186. (*St.* 580. *Rh.* 514.) ubi, poſt Darium victum, mulieres, τὰς ἐσθῆτας περιερρηγμένας, μετ' ὀδυρμῶν, ἐκ τῶν σκηνῶν, *veſtibus laceratis, cum lamentationibus tabernaculis exceſſiſſe* refert. CURTIUS *lib.* III. *cap.* II. §. 25. *Ingens circa eam nobilium feminarum turba conſtiterat laceratis crinibus, abſciſſaque veſte, priſtini decoris immemores Reginas* &c.

CCV. Idemque confirmatur CTESIAE verbis, quae ab HESYCHIO in voce Σάραπις laudantur (*e*). Idem quoque moeſtitiae ſuae planctuſque documentum viros dediſſe, teſtatur HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 66. Πέρσαι δὲ ὡς τὸν βασιλέα εἶδον ἀνακλαύσαντα, πάντες τά τε ἐσθῆτος ἐχόμενα εἶχον, ταῦτα (*f*) κατηρείκοντό τε, καὶ οἰμωγῇ ἀφθόνῳ διεχρέωντο. *Perſae, ut regem lamentantem conſpexerunt, univerſi eum veſtimenta reſcindere, tum effuſo ploratu uti.* Idem *libr.* VIII. *cap.* 99. Ἡ μὲν δὴ πρώτη ἐς Σοῦσα ἀγγελίη ἀπικομένη, ὡς ἔχοι Ἀθήνας Ξέρξης, ἔτερψε οὕτω δή τι Περσέων τοὺς ὑπολειφθέντας, ὡς τάς τε ὁδοὺς μυρσίνῃσι πάσας ἐστόρεσαν, καὶ ἐθυμίων θυμιήματα, καὶ αὐτοὶ ἦσαν ἐν θυσίῃσί τε καὶ εὐπαθείῃσι (*g*). *Primus igitur*

(*a*) NUMERAT] Loquitur tamen ibi de certo tantum Ceraumae genere. TR.

(*b*) ARIZOEN] In *edd.* quas ego vidi, legitur *Atizoen*. TR.

(*c*) Βαθυχαιτήεντες] Haec lectio eſt ex *ed. Sylburgii*. In prima auctoris ed. legitur Βατυχαιτοῦς, quod propius accedit ad lectionem, quae in edd. conſpicitur, nempe Βατυχαιτήεις. TR.

(*d*) APPIANUM] Sed in editione *Tollii*, eodem modo voces diviſim leguntur, ut apud Plutarchum. TR.

(*e*) LAUDANTUR] Vide locum ſupra §. CLXXXIX. TR.

(*f*) Uſitatius κατηρείκοντο, ut apud Heſychium κατηρείκοντο, κατεσχίζοντο, a prim. th. ἐρείκω, *ſcindo.* ταῦτα in praecedenti commatio Jonice uſurpatum pro αὐτά. S. *Jac. Gronovius* ex *MS. Med.* repoſuit κατηρείκοντο. TR.

(*g*) Quae maxime ad rem faciunt, de qua ſermo eſt, a Briſſonio omiſſa, ex Herodoti loco citato ita ſuppleas: Ἡ δὲ δευτέρη σφι ἀγγελίη ἐπεξελθοῦσα συνέχεε οὕτω, ὥστε τοὺς κιθῶνας κατηρρήξαντο πάντες, βοῇ τε καὶ οἰμωγῇ ἐχρέωντο ἀπλέτῳ. *Secundus autem ita eos conſternavit, ut univerſi veſtes lacerarent, vociferationeque & ejulatu immenſo uterentur.* L.

gitur nuncius Suſa perlatus, Xerxem Athenis potitum eſſe, tanta Perſas, qui relicti erant, voluptate affecit, ut omnes vias myrto conſternerent, & per eas odores incenderent, & ipſi in ſacrificiis & gaudiis verſarentur. Curtius *lib.* v. *cap.* 12. §. 12. *poſt hanc vocem ſpado gemitu*, non *modo tabernaculum, ſed etiam caſtra complevit. Irrupere deinde alii, laceratiſque veſtibus, lugubri & Barbaro ululatu, Regem deplorare coeperunt.* Apud eundem *libr.* iv. *cap.* 10. §. 25. Spado Dario nuntium mortis uxoris fuſe attuliſſe, gemens, veſte lacerata, eoque habitu in Tabernaculum Regis perductus eſſe, dicitur. Lugubria etiam induebant, qui lugebant. Etenim πένθιμον (*a*) ἐσθῆτα. *lugubrem veſtem*, ſumpſiſſe mulierem Perſicam, narrat Diodorus *libr.* xi. *cap.* 57. *pag.* 447. (*St.* 271. *Rh.* 43.) Curtius *lib.* x. *cap.* 5. §. 19. *Ad Darii quoque matrem celeriter perlata eſt. Abſciſſa ergo veſte, qua induta erat, lugubrem ſumſit, laceratiſque crinibus humi corpus abjecit.* Et alios eodem *libr. cap.* 5. §. 17. *Perſae comis ſuo more detonſis, in lugubri veſte cum conjugibus ac liberis, non ut victorem & modo hoſtem, ſed ut gentis ſuae juſtiſſimum Regem, vero deſiderio lugebant.*

CCVI. Perſas quoque ob Maſiſtii, qui in acie Plataeenſi turmas equitum ducebat, caedem, prae luctu, & ſeipſos, & equos & jumenta totondiſſe (*b*), refert Herodotus *libr.* ix. *cap.* 24. πένθος ἐποιέετο Μασιστίου πᾶσά τε ἡ στρατιὴ καὶ Μαρδόνιος μέγιστον· σφέας τε αὐτοὺς κείροντες, καὶ τοὺς ἵππους, καὶ τὰ ὑποζύγια, οἰμωγῇ τε χρεώμενοι ἀπλέτῳ. *Luctus ingens ob Maſiſtium, cum omnem exercitum, tum Mardonium invaſit, adeo quidem, ut ſeipſos, & equos & jumenta totonderint, ſublato immenſo ejulatu.* Plutarchus in *Ariſtide*, *pag.* 327. Ἐγνώσθη δὲ τοῦ κατορθώματος τὸ μέγεθος τοῖς Ἕλλησιν, οὐκ ἀπὸ τῶν νεκρῶν τοῦ πλήθους· (ὀλίγοι γὰρ οἱ πεσόντες ἦσαν) ἀλλὰ τῷ πένθει τῶν βαρβάρων. καὶ γὰρ ἑαυτοὺς ἔκειραν ἐπὶ τῷ Μασιστίῳ, καὶ ἵππους, καὶ ἡμιόνους, οἰμωγῆς τε καὶ κλαυθμοῦ τὸ πεδίον ἐπίμπλασαν (*c*). *Ejus victoriae magnitudo non multitudine caeſorum, (fuit enim magnus numerus) ſed luctu barbarorum a Graecis aeſtimata eſt: nam & ſe, & equos, & mulos, Maſiſtii cauſa totonderunt, ejulatuque & fletu campum impleverunt.* Sic & poſt Hephaeſtionis obitum, pro luctus argumento, Alexandrum Equos & Mulos tonderi, inſuper etiam propugnacula murorum everti juſſiſſe, Plutarchus in ejuſdem principis *vita*, *pag.* 704. ſcribit his verbis: Οὐδενὶ λογισμῷ τὸ πένθος Ἀλέξανδρος ἤνεγκεν, ἀλλ' εὐθὺς μὲν ἵππους τε κεῖραι πάντας ἐπὶ πένθει, καὶ ἡμιόνους ἐκέλευσε, καὶ τῶν πέριξ πόλεων ἀφεῖλε τὰς ἐπάλξεις. *Hunc caſum immodice tulit Alexander; illico luctus cauſa omnium equorum mulorumque jubas totondit, & circumjacentibus urbibus propugnacula ademit.* Cujuſmodi Barbaricos luctus ridens Cicero *libr.* iii. *Tuſculanar quaeſt. cap.* 26. *Hinc ille* (ait) *Agamemnon Homericus & idem Accianus, ſcindens identidem intonſam comam: in quo facetum illud Bionis, perinde ſtultiſſimum Regem in luctu capillum ſibi evellere, quaſi calvitio moeror levaretur.*

CCVII. Mulieres autem non aliud magis in contumeliam accepiſſe, quam lanae admovere manus, Curtius *lib.* v. *cap.* 2. §. 19. teſtis eſt.

CCVIII. Ceterum, quod ad judiciorum Perſicorum formam & ordinem attinet, vix quidquam habeo, quod addam ad ea, quae & ſuperiore, & hoc ipſo libro jam diximus. Inde enim, uti judicia, ſive in pecuniariis, ſive in capitalibus cauſis redderentur, conjiciendi cuique poteſtatem facio. Cyrum conſtituiſſe, ut res controverſaeque omnes ad Judices deferrentur, nec ſibi quiſquam in re ſua jus diceret, Xenophon *libr.* viii. παιδ. *pag.* 212. [*p.* 168.] ita ſcribit: Ὥσπερ νόμον κατεστήσατο ὁ Κῦρος, ὅσα διακρίσεως δέοιτο, εἴτε δίκη, εἴτε ἀγώνισμα, τοὺς διακρίσεως δεομένους συντρέχειν τοῖς κριταῖς. *Cyrus quaſi legem conſtituit, ut quidquid tandem dijudicari neceſſe foret, ſive judicio, ſive certamine, ad judices una currerent.* Tantum adjiciam Ammiani Marcellini de Perſicis Judicibus *libr.* xxiii. *cap.* 6. locum: *Ad judicandum autem*, ait ille, *uſu rerum ſpectati deſtinantur, & integri, parum alienis conſiliis indigentes. Unde noſtram conſuetudinem rident, quae interdum facundos, juriſque publici peritiſſimos, poſt indoctorum collocat terga.*

CCIX. Rei quidem apud Perſas in carcerem & vincula publica conjiciebantur. Et ita Ctesias multos conjurationis & conſpirationis adverſus principem initae reos in carcerem conjectos narrat. Q. Curtius *lib.* vi. *cap.* 2. §. 11. (*d*) *Otridates erat nobilis Perſes, qui a Dario capitali ſupplicio deſtinatus, cohibebatur in vinculis.* Sic & Manem εἰς φυλακὴν, *in carcerem*, & cuſtodiam conjectum, & δέσμιον, *vinctum* fuiſſe, Epiphanius *libr.* ii. *Tom.* ii. *cap.* 2. *Haereſ.* 66. *de Manichaeis* §. 4. *ſeq.* & Cyrillus *Catech.* vi. *pag.* 58. narrant: & quod e carcere evaſiſſet, δεσμοφύλακας, *carceris cuſtodes* condemnatos, ibidem Cyrillus refert. In vinculis vero & aureis & argenteis interdum habitos reos, indicio eſt Croeſus a Cyro compedibus aureis vinctus, ut memorat Ausonius in *Ludo ſeptem ſapientum*, in *Solone*, his verſibus: (54.)

Vinctumque pedicis aureis ſecum jubet,
Reliquum quod eſſet vitae, totum degere.

Ammianus *libr.* xxvii. *cap. ult.* de Sapore Perſarum Rege; *captum*, ait, *Regem ipſum Arſacem, adhibitumque in convivium, juſſit ad latentem trabi poſticam: eumque effoſſis oculis, vinctum catenis argenteis (quod apud eos honoratis vanum ſupplicium (e), aeſtimatur eſſe ſolatium) exterminavit ad caſtellum Agalanae nomine.* Quo ſpectavit Tertullianus *libr. de habitu muliebri*, ſive *de cultu foem.* 1. *cap.* vi. cum ait: *Apud Barbaros quoſdam, quia vernaculum eſt aurum & copioſum, auro vinctos in ergaſtulis habent, & divitiis malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores: aliquando re vera inventum eſt, quomodo & aurum non ametur.* Aureis quoque compedibus apud Aethiopas vinctos reos, Herodotus *libr.* iii. *cap.* 23. refert.

CCX. Fuiſſe vero poſtremis temporibus apud Perſas carcerem, cui Lethe nomen impoſitum, in quem nullus, niſi capitali ſupplicio deſtinatus conjiciebatur, Procopius *libro* i. *de Bello Perſic.*

(*a*) Πένθιμον] Πενθίμην legitur in editis. TR.
(*b*) Totondisse] Hic ritus etiam Graecis non fuit incognitus: idem enim hoc Theſſalos ob mortem Pelopidae feciſſe, refert Plutarchus in *Pelop. pag.* 296. ubi etiam idem de Alexandro narrat, quod auctor mox ex alio hujus ſcriptoris loco affert. TR.
(*c*) Ἐπίμπλασαν] In *ed. Francof. Opp.* legitur ἐνεπίμπλασαν. TR.
(*d*) Editi, *Oxydates*. L.
(*e*) Supplicium] *Suppliciorum* legitur in *recentiſſ. edd.* & paullo poſt pro *Agalanae* editur *Agabana*. TR.

Perſic. cap. 5. *pag.* 232. (15.) ita ſcribit: οἱ (*a*) κτεῖναι ἄνδρα βασιλείου αἵματος, οὐδ᾽ ὅλως ἐγνώκασιν· ἐν τῷ φρουρίῳ καθεῖρξαι, ὅπερ τῆς Λήθης καλοῦσι νομίζοντες, ἢν γάρ τις ἐνταῦθα ἐμβληθεὶς τύχῃ, οὐκ ἔτι ὁ νόμος τούτου μνήμην αὐτοῦ εἶναι· ἀλλὰ θάνατος τῷ (*b*) ὀνομάσαντι ἡ ζημία ἐστί· διὸ δὴ καὶ τὴν ἐπωνυμίαν ταύτην ὡς Πέρσαι ἔλαχεν. ἅπαξ δὲ ἡ τῶν Ἀρμενίων ἱστορία φησὶ νόμον τὸν ἀμφὶ τῷ Λήθης φρουρίῳ παραλελύσθαι τὴν δύναμιν Πέρσαις, τρόπῳ τοιῷδε. *Abhorruere tamen eorum animi ab effundendo regio ſanguine, ſatiſque habuerunt aſſervare eum in Caſtello Lethes ita dicto, ex lege, quae de eo, qui fuerit illuc conjectus, mentionem unquam fieri vetat, poena etiam capitali iis propoſita, qui ipſius nomen protulerint. Quae cauſa fuit appellationis ejuſmodi. Semel autem legi, quae eſt de Caſtello Lethes, abrogatam vim, datumque laxamentum fuiſſe, Armeniorum monumenta fidem faciunt. res ita contigit.* Hanc tamen Perſarum legem Armenii cujuſdam cauſa Pacuvium Regem abrogare coactum fuiſſe, ibidem refert. Idem PROCOPIUS *libr.* 1. de Romanis captis in praelio, δέσμιους, ait, τὸν ἅπαντα χρόνον ἐν σπηλαίῳ καθεῖρξαν. *Vinctos per omne tempus in ſpelunca cohibuerunt.*

CCXI. Neminem vero indicta cauſa, aut indemnatum, capite punitum fuiſſe, teſtatur HELIODORUS *libro* VIII. *Hiſtoriae Aethiopicae p.* 377. ubi Cybele Arſacam Reginam ita affatur: Πάντα γὰρ ἐν ἐξουσίᾳ σοι τυγχάνοντα, τὸ ἀναιρεῖν δίχα κρίσεως τῶν ἐν τέλει Περσῶν, οὐδὲ τοῖς ὑπὸ νόμων ἀπηγόρευται. *Cum enim omnia ſint in tua poteſtate, interimere tamen abſque judicio magiſtratuum Perſicorum, legibus eſt prohibitum.* Ex quo loco praeterea colligitur, judicia de capite reddita, proceribus in conſilium adhibitis, & de conſilii eorum ſententia, quod & ſequentia ejuſdem auctoris verba declarant, quibus, de Chariclea agens *p.* 381. ait: Τὸν δὲ θάνατον προσείσθω ὑπὸ κρίσεως τῶν ἐν τέλει Περσῶν ἐψηφισμένον. *Ut capitali poena judicio magiſtratuum Perſicorum damnetur.* Et paulo poſt *p.* 382. Τούς τε δυνάστας Περσῶν, οἱ τὸ βουλευτικὸν ὑπὲρ τῶν κοινῶν, δικάζειν τε καὶ τιμωρίας ὁρίζειν, τὴν ἐξουσίαν εἶχον, ἐπὶ τὴν κρίσιν εἰς τὴν ἐξῆς παρεκάλει. *Ac primates Perſarum, in quorum poteſtate conſilia de republica, & judicia & poenarum determinationes continebantur, ad judicium in ſequentem convocabat.*

CCXII. Nunc genera Poenarum nobis enumeranda ſunt, quibus nocentes adfici, patrio Perſarum more conſueverant. Poenae utique pro delictorum modo ſtatutae erant. Quarum aliae vitam adimebant, aliae civitatem auferebant, aut exilium, aut coërcitionem corporis continebant. Sontibus autem morti addictis, vita non uno modo adimebatur. Nam vel caput eis amputabant, vel cruci ſuffigebant, vel vivos exurebant, aut in terram defodiebant, vel pelle detracta necabant, vel lapidibus obruebant. Itaque ſumma ſeu ultima ſupplicia apud Perſas, erant haec, Decollatio, Crux, Crematio, Vivi hominis ſepultura, Pellis detractio, Lapidatio: quae ſingula exemplis vel teſtimoniis comprobanda ſunt. In primis Capitis ampuıationem frequentatam in Perſide, ex XENOPHONTE *libro* VIII. παιδείας liquet. Et ita Phoenicibus caput praecidi Xerxem juſſiſſe, HERODOTUS *libr.* VIII. *cap.* 90. narrat. Tiſapherni etiam Regis magni juſſu caput amputatum, XENOPHON *libr.* III. Ἑλληνικῶν, *pag.* 501. & in *Ageſilao*, *pag.* 657. refert. DIODORUS SICULUS *libr.* XVI. *cap.* 43. *pag.* 115. (*St.* 533. *Rh.* 411.) de Artaxerxe: Παρέδωκε τὸν Θετταλὸν τοῖς ὑπηρέταις, καὶ προσέταξεν ἀφελεῖν τὴν κεφαλήν. *Theſſalionem miniſtris, qui caput amputarent, tradit.* Atque hoc genere poenae nobiliores, & honeſto loco natos, adfici conſueviſſe; Plebejis vero, humilioriſque loci perſonis, non eundem honorem habitum, auctor eſt XENOPHON *libr.* II. Ἀναβάσ. *in fine*, cum de Menone loquens, *pag* 293. [*p.* 230.] ait: Μένων δὲ τῶν ἄλλων θάνατον στρατηγῶν, τιμωρηθεὶς ὑπὸ βασιλέως ἀπέθανεν, οὐχ ὥσπερ Κλέαρχος, καὶ οἱ ἄλλοι στρατηγοί, ἀποτμηθέντες τὰς κεφαλάς, (ὅσπερ τάχιστος θάνατος δοκεῖ εἶναι) ἀλλὰ ζῶν αἰκισθεὶς ἐνιαυτόν, ὡς πονηρὸς λέγεται τελευτῆς τυχεῖν. *Sed necatis jam ducibus ceteris & ipſe a rege mortis poena multatus eſt, non ille quidem ut Clearchus & duces ceteri, quibus praeciſa ſunt capita, (quae mors eſſe videbatur honeſtiſſima) ſed ut homo conſceleratus, anno toto excruciatus vivus, tandem expiraſſe dicitur.*

CCXIII. Nec tamen Gladio in eos animadvertebant, vel Securi, ſed cervicibus caput Novacula abſcindebant: ut ex PLUTARCHO didici. Is enim ſumptum de Dario, ob conjurationem adverſus Artaxerxem patrem, ſupplicium ſic in *Artaxerxis vita*, *pag.* 1026. narrat: Τῷ δὲ Δαρείῳ μετὰ τῶν τέκνων ἁλόντι, καθίσας τοὺς βασιλείους δικαστάς, ὁ πατὴρ αὐτός, ἀλλ᾽ ἑτέρων κατηγορούντων, ἐκέλευσε ὑπηρέτας, τὴν ἑκάστου γεγραμμένην ἀπόφασιν, ὡς αὐτὸν ἐπανενεγκεῖν. ἀποφηναμένων δὲ πάντων ὁμοίως, καὶ καταγνόντων τοῦ Δαρείου θάνατον, οἱ μὲν ὑπηρέται συλλαβόντες αὐτόν, εἰς οἴκημα πλησίον ἀπήγαγον· ὁ δὲ δήμιος κληθεὶς ἧκε (*c*) μὲν ξυρὸν ἔχων, ᾧ τὰς κεφαλὰς ἀποτέμνουσι τῶν κολαζομένων· ἰδὼν δὲ τὸν Δαρεῖον, ἐξεπλάγη, καὶ ἀνεχώρει, πρὸς τὰς θύρας ἀποβλέπων, ὡς οὐ δυνάμενος οὐδὲ τολμῶν αὐτόχειρ γενέσθαι βασιλέως. ἔξωθεν δὲ τῶν δικαστῶν ἀπειλούντων, καὶ διακελευομένων, ἀναστρέψας, καὶ τῇ ἑτέρᾳ χειρὶ δραξάμενος τῆς κόμης αὐτοῦ, καὶ κατασπάσας, ἀπέτεμε τῷ ξυρῷ τὸν τράχηλον. *Darium cum liberis adductum rex judicandum conſiliariis regiis dedit, abſens ipſe: mandavit autem, ut ſingulorum ſententias perſcriptas ad ſe miniſter deferret. Omnium ſuffragiis damnatus, capitalique ſupplicio addictus, in propinquum carcerem eſt abductus. Carnifex accitus, manu tenens novaculam, qua damnatorum capita abſcindi ſolent, ut vidit Darium, perterritus receſſit, ad fores reſpiciens, ut qui regi afferre manus non auderet: foris autem judicibus minaciter, ut mandata exequeretur, jubentibus, reverſus intro, altera manu comam apprehendit, cervicemque depreſſam novacula abſcidit.*

CCXIV. Plerumque vero (*d*) Dextram cum Capite Perſae abſcindebant. Et ita qui Regi parere obtemperareque detrectaſſet, ἀποτμηθεὶς κεφαλὴν καὶ βραχίονα ἐρρίπτετο (*e*). *Capite & brachio amputato projiciebatur*, ait STRABO *libr.* XV. *pag.* 1066. (733.) Cyri quidem certe in bello caeſi caput & dextram Meſabates, Eunuchus, Regis Artaxerxis juſſu, praecidit. XENOPHON *libr.* 1. Ἀναβάσ. *pag.* 296. Ἐπειδὴ δὲ Κύρου ἀπετμήθη ἡ κεφαλή, καὶ χεὶρ ἡ δεξιά. *Ac Cyro quidem tunc & caput & dextra praeciſa fuit.* PLUTARCHUS in *Artaxerxe*, *pag.* 1019. Λοιπὸς δ᾽ ἦν τῇ Παρυσάτιδι

(*a*) Uſitatius κτεῖναι, per ει, ut τεῖναι. S. κτεῖναι legit editio Pariſ. 1672. Locus eſt libr. 1. cap 5. p. 15. L.

(*b*) Pro ὀνομάσαι prior. edit. repoſui ex edit. Pariſ. 1672. ὀνομάσαντι, exque eadem mox pro ἅπαξ δὲ τῶν Ἀρμ. ſcripſi, ἅπαξ δὲ ἡ τῶν Ἀρμ. L.

(*c*) ἧκε] Hoc verbum ego ex editis ſupplevi. TR.

(*d*) Adde, quae habet Freinshemius not. ad Curt. V. 5, 6. L.

(*e*) Ἐρρίπτετο] In prima auctoris editione legitur ῥίπτειν, quod propius accedit ad ſcripturam, quae in *noviſſ. ed.* Strabonis conſpicitur, ubi legitur ῥίπτεται. TR.

αὐτίκα σκαφείς, ὁ τὴν κεφαλὴν ἀποτεμὼν καὶ τὴν χεῖρα τοῦ Κύρου, Μασαβάτης (a) ὁ βασιλέως εὐνοῦχος. *Reliquus adhuc unus erat Paryſatidi ſcopus, in quem intenderet: Maſabates nimirum, regis eunuchus, qui caput & manum Cyri amputaverat.* Sed qui a PLUTARCHO Μασαβάτης, is in CTESIAE *Fragmentis cap.* 58. Βαγαπάτης appellatur his verbis: Τὰ περὶ Βαγαπάτου, τοῦ ἀποτεμόντος, προστάξει βασιλέως, τὴν κεφαλὴν ἀπὸ τοῦ σώματος Κύρου. *Res Bagapatae, qui juſſu regis, caput a corpore Cyri amputaverat.* SUIDAS in verbo Στεφῶν· βασιλεὺς δὲ τὴν τοῦ Κύρου κεφαλὴν καὶ χεῖρα ἀποκόψας. *Rex vero, ubi Cyri caput & manum amputavit.* Hoc vero Cyri caput, cum dextra ſimul, patibulo ſuffixum, XENOPHON oſtendit *libr.* III. Ἀναβάσ. *pag.* 296. [*p.* 232.] cum de Artaxerxe loquens, ait: Ὃς καὶ τοῦ ὁμομητρίου καὶ ὁμοπατρίου ἀδελφοῦ, καὶ τεθνηκότος ἤδη, ἀποτεμὼν τὴν κεφαλὴν καὶ τὴν χεῖρα, ἀνεσταύρωσεν. *Qui & germani & uterini fratris, ejuſque jam interfecti, caput abſciſſum cum manu palo ſuffixit.* Cauſam hujus dextrae amputationis hanc CTESIAS *cap.* 47. adfert, quod miſſo dextra jaculo, Artaxerxem Cyrus trajeciſſet. At PLUTARCHUS hoc ſecundum legitimam juris obſervationem factum, in *Artaxerxe pag.* 1017. tradit his verbis: Ὡς δ᾽ ἐπέστη τῷ νεκρῷ, καὶ κατὰ δή τινα νόμον Περσῶν, ἡ δεξιὰ χεὶρ ἀπεκόπη καὶ ἡ κεφαλὴ τοῦ σώματος, ἐκέλευσε τὴν κεφαλὴν αὐτῷ κομισθῆναι· καὶ τῆς κόμης δραξάμενος οὔσης βαθείας καὶ λασίας, ἐπεδείκνυε τοῖς ἀμφιδοξοῦσιν ἔτι καὶ φεύγουσιν. *Ut adſtitit cadaveri, ejuſque, inſtituto quodam Perſico, manus dextra & caput praeciſa ſunt, caput ad ſe afferri juſſit, comaque id, quae prolixa erat & denſa, apprehenſum, dubitantibus adhuc & fugientibus oſtentavit.* Ex hoc more Craſſi caput cum dextra abſciſſum, ad Hyrodem Parthorum Regem a Surena tranſmiſſum, PLUTARCHUS in *Craſſo pag.* 567. refert.

CCXV. Crucis etiam ſupplicium apud Perſas uſu receptum fuiſſe patet ex *cap.* VII. & VIII. *Eſther*, ubi Amanum Cruci ſuffixum & patibulo, quod erat altitudine L cubitorum, refertur. Eundem Ammanum ἐν σταυρῷ κρεμασθέντα ἀποθανεῖν, *patibulo ſuffixum mori* juſſiſſe Artaxerxem, JOSEPHUS *libr.* XI. *Antiquit. cap.* VI. narrat. Artaxerxes (*b*) *Eſdrae cap.* VI. *v.* 11. *libr.* I. in ſanctione edicti ſui; Ἀπ᾽ ἐμοῦ ἐτέθη γνώμη, ὅτι πᾶς ἄνθρωπος, ὃς ἀλλάξει τὸ ῥῆμα τοῦτο, καθαιρεθήσεται ξύλον ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ, καὶ ὠρθωμένος παγήσεται (*c*) ἐπ᾽ αὐτοῦ· καὶ ὁ οἶκος αὐτοῦ (*d*) τὸ κατ᾽ ἐμὲ ποιηθήσεται. *A me conſtituitur lex, ut quiſquis mutaverit rem hanc, amoveatur lignum e domo ejus, e quo erecto ſuſpendatur, & ejus bona fiſco vindicentur.* Cujuſmodi poena etiam ſumma dignitate ac poteſtate praediti adficiebantur. Polycratem namque Samium ab Oroete Praetore Darii in crucem actum, CICERO *libr.* V. *de Finib. cap.* 30. *in fine*, poſt HERODOTUM *libr.* III. *cap.* 125. ſcribit. Similiterque Artaphernes, Sardium Praeſes, & Harpagus, Hiſtiaeum Mileſium in crucem, ſed truncato prius capite, ſuſtulerunt. HERODOTUS *libr.* VI. *cap.* 30. Ἀρταφέρνης τε ὁ Σαρδίων ὕπαρχος, καὶ ὁ λαβὼν Ἅρπαγος, ὡς ἀπίκετο ἀγόμενος ἐς Σάρδις, τὸ μὲν αὐτοῦ σῶμα αὐτοῦ ταύτῃ ἀνεσταύρωσαν· (*e*) τὴν δὲ κεφαλὴν ταριχεύσαντες, ἀνήνεικαν παρὰ βασιλέα Δαρεῖον ἐς Σοῦσα. *Artaphernes Sardium praetor, & Harpagus, qui ceperant eum, Sardis perductum, corporis truncum in crucem ſuſtulerunt, caput vero ſale conditum Suſa ad regem Darium detulerunt.* In CTESIAE quoque *Fragmentis cap.* 58. a PHOTIO collectis (*f*), breviter de Bagapate ſtringuntur haec: Ὃν τρόπον τὸ δέρμα περιαιρεθεὶς ἀνεσταυρώθη (*g*) ὑπὸ Παρυσάτιδος. *Qua ratione pelle detracta a Paryſatide in crucem actus ſit.* Sataſpem, quod virgini, Zopyri filiae, vitium obtuliſſet, Cruci ſuffigendum, Mater, quae Darii ſoror erat, ea poena (tanquam graviorem inflictura) liberari a Xerxe impetravit: ea lege & condicione, ut omnem ille Africae oram circumquaque legeret, donec ad Arabicum ſinum appelleret: cui decreto ut obtemperaret, bonam partem Africae obiit, Herculis columnas praetervectus: ſed emenſus plurimum maris, cum eum longioris navigationis poſt complures menſes taedium cepiſſet, inſtituto curſu derelicto, in Aegyptum remeavit: & illinc ad Regem Xerxem regreſſus, cauſam, cur ulterius progredi non potuiſſet, minus probabilem reddidit. Ideoque, quod injuncto ſibi labore defunctus non eſſet, in crucem ſublatus eſt: ut HERODOTUS *libr.* IV. *cap.* 43. narrat. Idem HERODOTUS *libr* VII. *cap.* 33. Ἀρταΰκτην ἄνδρα Πέρσην λαβόντες Σηστοῦ ὕπαρχον, ζῶντα πρὸς σανίδα προσδιεπασσάλευσαν. *Artayctem* (*h*) *virum Perſam, Seſti praefectum, cepere vivum, tabulae palo ſuffixerunt.* Ipſum etiam Leonidae, Spartanorum Regis, qui ad Thermopylas occubuit, truncum, & a capite avulſum corpus, in crucem tolli, Xerxes & Mardonius ejus Praetor juſſerunt (*i*). HERODOTUS *libr.* VI. *cap.* 77. Λεωνίδεω γὰρ ἀποθανόντος ἐν Θερμοπύλῃσι Μαρδόνιός τε καὶ Ξέρξης ἀποταμόντες τὴν κεφαλὴν, ἀνεσταύρωσαν. *Leonidae apud Thermopylas interempti reciſo capite Mardonius ac Xerxes truncum in crucem ſuſtulerunt.* Ideoque, ut ibidem refert, cum Pauſanias victoria apud Plataeas, eodem Mardonio caeſo, potitus eſſet, exſtitit Aegineta, non infimo inter ſuos loco, qui ſuaderet, ut par pari referens, Mardonii corpus in crucem ageret: at ille reſpondit (*cap.* 78.) non recta ſuadere eum. Etenim bonis Spartanorum moribus non convenire, in mortuum ſaevire, nec in ea re barbarorum inhumanitatem imitari ſe velle. Denique Alexandrum in Perſide multos, ac vel Satrapas ipſos, in crucem ſuſtuliſſe, ARRIANUS *libr.* VI. *cap.* 27. *pag.* 268. & *cap.* 30. *pag.* 273. & CURTIUS *libr.* IX. teſtantur.

CCXVI. Vivos etiam interdum exuri conſueviſſe facinoroſos, oſtendit CTESIAS (*k*), in cujus Fragmentis verba haec reperiuntur, *cap.* 50.

(*a*) Μασαβάτης] Infra §. CCXVII. rectius ſcribitur Μεσαβάτης, ut etiam nomen legitur in *ed. Francof.-Opp.* TR.

(*b*) ARTAXERXES] Immo potius Darius. TR.

(*c*) Παγήσεται] πληγήσεται legitur in *ed. L. Bos.* TR.

(*d*) Τὸ κατ᾽ ἐμὲ ποιηθήσεται] quid ſignificet, declarat Joſephi paraphraſis infra [§. CCXXVI.] p. 268. S.

(*e*) Ἀνεσταύρωσαν] In prima auctoris *ed.* legitur ἀνεσταύρωσαν; in *Gronovii* vero editione Herodoti editum ἀνεσταύρωσαν. TR.

(*f*) COLLECTIS] Accuratius ſcripſiſſet auctor: *ex* PHOTIO *collectis*: nam recentiores ex Photio aliiſque Fragmenta quaedam *Cteſiae* collegerunt. Ipſe vero Photius ex integris Cteſiae ſcriptis Excerpta quaedam dedit. TR.

(*g*) Ἀνεσταυρώθη] In *ed. Gronovii* legitur ἀνεσταυρίσθη. TR.

(*h*) ARTAYCTEN] Pluribus hujus viri ſcelera & infelicem exitum narrat HERODOTUS in fine totius ſuae Hiſtoriae. Quia tamen hoc ſupplicium non ab ipſis Perſis, ſed ab Athenienſibus irrogatum fuit, propterea hoc exemplum huc non pertinet. TR.

(*i*) JUSSERUNT] Vide HERODOTI *lib.* VII. *cap.* 238. ubi ſoli Xerxi adſcribit. TR.

(*k*) CTESIAS] Adde *cap.* 47. ubi narrat, Secyndianum, qui occiſo fratre Xerxe, regnum occupaverat, a fratre Dario crematum fuiſſe. TR.

50. καὶ ἐμβάλλει) εἰς τὴν σποδὸν Ἀρτύφιον καὶ Ἀρσίτην. *In cinerem conjicitur Artyphius & Arſites.* Et alias, *cap.* 51. ἄγουσι παρὰ βασιλέα· ὁ δὲ, εἰς τὴν σποδὸν ἐμβάλλει, Τισσαφέρνη δοὺς τὴν Πισούθνου Σατραπείαν, *ad regem ducunt, qui in cinerem eum conjicit, conceſſa Piſuthni Satrapia Tiſſapherni.* Et hoc more HELIODORUS *libr.* VIII. *Hiſtor. Aethiopic. pag.* 384. de Charicleа agens, ait: [illegible]. ἥρπαστο μὲν αὐτίκα πρὸς τῶν δημίων καὶ (a) μακρὰν τοῦ τείχους ἐκτὸς ἤγετο, κήρυκος, ὅτι τὴν φαρμακίδα πυρὶ ἄγοιεν, συνεχῶς ἐκβοῶντος. *Rapta igitur eſt continuo a carnificibus, & paululum extra murum ducebatur, praecone, quod propter veneficum ad rogum duceretur, continue proclamante.*

CCXVII. Praeterea Pellem cutemque quandoque vivis hominibus, ultimo ſupplicio damnatis, Perſae detrahebant. AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIII. *cap.* 6. de Perſis agens: *Cutes vivis hominibus detrahunt, particulatim, vel ſolidas.* Huic rei argumento eſt, quod de Cambyſe HERODOTUS *libr.* V. *cap.* 25. & VALERIUS MAXIMUS *libr.* VI. *cap.* 3. *ext.* 3. narrant, eum mali cujuſdam Judicis ex corpore pellem detractam ſellae intendi, in eaque filium ejus judicaturum conſidere juſſiſſe. Meſabatem quoque Eunuchum Paryſatis eodem modo ulta dicitur: ſic enim de ea PLUTARCHUS in *Artaxerxe pag.* 1019. loquitur; λαμβάνει τὸν Μασαβάτην· οὐ γὰρ ἦν ἐν τοῖς ὑπεξῃρημένοις· καὶ πρὶν ἐν ὑπονοίᾳ βασιλέα γενέσθαι τοῦ πράγματος, ἐγχειρίσασα τοῖς ἐπὶ τῶν τιμωριῶν, προσέταξεν ἐκδεῖραι ζῶντα, καὶ τὸ μὲν σῶμα πλάγιον διὰ τριῶν σταυρῶν ἀναπῆξαι, τὸ δὲ δέρμα χωρὶς διαπατταλεῦσαι. *Sumit Meſabatem, (non enim is inter eos erat, qui exemti fuerant) ac priuſquam regem ſuſpicio rei attingeret, carnificibus eum tradidit, mandavitque, ut vivo pellis detraheretur, corpus obliquum tribus crucibus, & ſeorſim cutis ſuffigeretur* (b). Et hoc Perſico ſupplicio adfectum Manem haereticum CYRILLUS, *Catecheſi* VI. *pag.* 61. de Rege Perſarum loquens, ita ſcribit: Καταγνοὺς καὶ διὰ τὸν τῶν δεσμοφυλάκων φόνον, ἐκδαρῆναι τὸν Μάνην Περσικῷ νόμῳ προσέταξε· καὶ τὸ μὲν λοιπὸν σῶμα (c), θηρίων παραδοθῆναι βοράν· τὸ δὲ τῆς κακίστης γνώμης δοχεῖον, τὸ δέρμα, θυλάκου δίκην πρὸ τῶν πυλῶν ἀνηρτῆσθαι, ὅτι ὁ παράκλητον ἑαυτὸν λέγων, *Damnavit & ob interitum carceris cuſtodum. Mani jubet Perſico more detrahi pellem, reliquumque corpus beſtiis devorandum tradi. & pellis, quae peſſimi animi conceptaculum fuerat, utris inſtar prae foribus ſuſpenſa eſt, quod cum ſe paracletum diceret,* & cetera. THEODORETUS *libr.* I. *contra haeret. cap. ult.* Συλληφθεὶς ὑπὸ τοῦ βασιλέως, τὴν Περσικὴν ὑπέμεινε τιμωρίαν· καὶ τοῦ δέρματος γυμνωθεὶς, παρεδόθη κυσί. *Captus a rege, Perſico more punitus fuit, & pelle nudatus canibus projectus.* SUIDAS in verbo Μάνης· ὁ Περσῶν βασιλεὺς ἐξέδειρε ζῶντα, ὡς αἴτιον θανάτου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ γενόμενον. *Perſarum rex vivum eum excoriavit, quod cauſam mortis filii ſui ipſi adſcriberet.* Nudatum ergo pelle, canibus objectum, THEODORETUS ait: At SOCRATES, pellem ejus, in utris modum palea impletam, pro portis urbis ſuſpenſam, ſcribit (d): de Mane enim agens *libr.* I. *Eccleſiaſt. Hiſtor. cap.* XXII. Μαθὼν τοῦτο, ait, αὖθις ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς ἐκεῖ διατρίβοντα, ἀνάρπαστον (e) ποιήσας, ζῶντα ἐξέδειρε· καὶ ἀχύρου τὴν δορὰν πληρώσας, πρὸ τῆς πύλης τῆς πόλεως ἐκρέμασε. *Cumque rex Perſarum eum ibi degere comperiſſet, eum revocat, vivumque excoriat, pellemque palea impletam pro portis urbis, ſuſpendit.* Eodemque modo (f) Baſicii a Magia damnati pellem detractam, & inde culeum ſeu utrem factum, ſuſpenſumque e procera & in eximiam altitudinem edita arbore, PROCOPIUS *libr.* I. *de Bello Perſico cap.* V. *pag.* 233. (17.) narrat: Πακούριος δὲ τὸ μὲν δέρμα ἐκδείρας, ἀσκόν τε αὐτὸ ποιησάμενος, καὶ ἀχύρων ἐμπλησθέντα ὅλον, ἀπεκρέμασεν ἐπὶ δένδρου τινὸς ὑψηλοῦ λίαν. *Pacurius quidem detrahi cutem juſſit Baſicio, deinde utrem ex ea fieri, tum inferciri paleis, ex arbore demum proceriſſima ſuſpendi.* Idem & de Nachorage ſumptum, more majorum, ſupplicium, AGATHIAS *libr.* IV. *pag.* 93 (132.) refert. Ei enim, quod ex acie exceſſiſſet Choſroes, Perſarum Rex, a cervice ad imos uſque pedes, pellem detrahi, ita ut pudenda ac genitalia ipſa inverterentur: ac deinde in utris formam compactam, e ſcopulo quodam ſuſpendi juſſit. Et hoc utique ſupplicii genus Hormiſdas, Regis Perſarum filius, convivis comminatus dicitur, ut ZOSIMUS *Hiſtor. lib.* II. *cap.* 27. §. 3. *ſeq.* tradit: Ἀγανακτήσας ἠπείλησε, τὸν Μαρσύου μόρον αὐτοῖς ἐπιθήσειν. οἱ μὲν δὴ πλείους ἠγνόουν τὸν λόγον, οἷα δὴ οὐκ ἐπιχώριον ὄντα· Πέρσης δέ τις ἐνδημήσας τῇ Φρυγίᾳ, καὶ τὰ κατὰ τὸν Μαρσύαν ἀκηκοὼς διήγημα, τὴν ἀπειλὴν Ὁρμίσδου τὴν ἔννοιαν τοῖς παρακαθημένοις ἐξεῖπεν. *Indignatus, eis ſe Marſyae mortem illaturum minatus eſt. Eam narrationem complures, ut peregrinam non intelligebant, ſed Perſa quidam, qui vixerat in Phrygia & narrationem de Marſya audiverat, minarum Hormiſdae ſententiam adſidentibus exponebat.*

CCXVIII. Interdum verò facinoris convictos Perſae vivos defodiebant: idque Perſarum moribus receptum, ARISTIDES, *Oratione contra proditores myſteriorum*, ſcribit. Quod & Perſicum ſupplicium, HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 114. pronunciat his verbis: Ἐννέα δὲ ὁδοὺς πυθόμενοι τὸν χῶρον τοῦτον καλέεσθαι, τοσούτους ἐν αὐτῷ παῖδάς τε καὶ παρθένους ἀνδρῶν τῶν ἐπιχωρίων ζώοντας κατώρυσσον (g). Περσικὸν δὲ τὸ ζώοντας κατορύσσειν. *Audientes autem eum locum Novem vias appellari, totidem illic pueros ac virgines virorum indigenarum vivos defoderunt. Perſicum enim eſt defodere viventes.* Idem

(a) Superior editio μακρὰν, *longe.* ego μικρὸν cum Heliodori vulg. ed. malui. at πυρὶ ἄγοιτο, forſan ut πυρὶ ἄγοιεν, praelato ſc. rogi apparatu omni. S. Editio Commeliniana 1596. habet οἱ πυρὶ ἄγουσι. quod rectum puto. L.

(b) SUFFIGERETUR] Aliud exemplum, ubi corpus, pelle detracta, cruci fuit affixum, vide apud CTESIAM *Fragm. cap.* 5. quod ideo notandum, quia oculorum etiam effoſſio praeceſſit. Ex quibus exemplis apparet, plura interdum ſupplicia in unum hominem fuiſſe coacervata. TR.

(c) Θηρίων] ferri poteſt, ſi ad βορὰν referamus. alias melius θηρίοις dativo caſu. S.

(d) SCRIBIT] Ita etiam EPIPHANIUS *adv. Haeret. lib.* II. *Tom.* II. *haereſ.* 66. §. 12. Καὶ τὸ δέρμα αὐτοῦ καλάμῳ πελάσας ἐκδαρῆναι, ὅπως τὴν τιμωρίαν αὐτοῦ ἀπολάβῃ· ὅθεν καὶ ἐκδαρείσῃ καλάμῳ, καὶ τὸ δέρμα αὐτοῦ ἐμπληθὲν ἀχύρου, ἕως καὶ δεῦρο ἐν Περσίδι ἔχεται. *Calamo cute ejus detracta, ultimum de eo ſupplicium ſumſit. Quam quidem cutem, utris in modum infartis paleis, ad hodiernum diem in Perſide ſervant.* TR.

(e) Ἀνάρπαστον] In *ed. Valeſii* legitur ἀνάρπακτον, quae lectio melior eſſe videtur. TR.

(f) Et hic, & mox, pro Baſilio, Baſicium repoſui, ex Procopii edit. Pariſ. 1662. L.

(g) Κατώρυσσον] Verba ſequentia pro Gloſſemate habet *Jac. Gronovius* in *not.* p. 977. quia a *MS. Med.* abſunt. Ego tamen ob connexionem cum ſequentibus aliter ſentio: neque unico alicui Codici, licet optimae notae, nimium tribuendum exiſtimo. Quicquid vero hujus ſit, locus accurate loquendo huc non pertinet: agit enim non de noxiis, neque de poena proprie ſic dicta: ſed de ritu aliquo religioſo, per quem Deos inferos placare volebant Perſae, ut ex ſequenti exemplo perſpicue apparet. TR.

Idem libr. III. *cap.* 35. de Cambyſe: ἑτέρωθι δὲ Περσέων ὁμοίως τοῖσι πρώτοισι δυώδεκα, ἐπ' οὐδεμιῇ αἰτίῃ ἀξιοχρέῳ ἑλὼν, ζώοντας ἐπὶ κεφαλὴν κατώρυξε. *Alio in loco duodecim Perſas primoribus pares, nullo crimine mortem commeritos, cepit & vivos in caput defodit* (*a*). Et hanc Apollonidem, Coum, Medicum, quod Amytin, Xerxis ex Amyſtre filiam, Megabyſi uxorem, quam aegram curabat, malis artibus illectam violaſſet, poenam luiſſe CTESIAS refert. Nam cum Amytis moriens Amyſtri matri ultionem mandaſſet; illa Regis Artaxerxis permiſſu, prehenſum Apollonidem vivum defodi curavit. CTESIAE *cap.* 41. verba ſunt: ἡ δὲ, (videlicet Amyſtris haec) λαβοῦσα, ἔδησε τὸν Ἀπολλωνίδην, δεσμοῖς (*b*) κολάζουσα· ἔπειτα ζῶντα κατώρυξεν, ὅτε καὶ Ἄμυτις ἀπέθανε, *at haec captum Apollonidem in vinculis, poenam de eo ſumens, continuit: poſtea vero, cum Amytis mortua eſſet, vivum defodit.* Idem CTESIAS alibi, *cap.* 54. ἡ δὲ Παρύσατις τήν τε μητέρα τῆς Τεριτούχμεω, καὶ τοὺς ἀδελφοὺς Μιτρώστην καὶ Ἥλικον, καὶ τὰς ἀδελφὰς, δύο οὔσας χωρὶς τῆς Στατείρας, ζώσας ἐκέλευσε κατορύξαι· *At vero Paryſatis matrem Terituchmae, & fratres Metroſten & Helicum, una cum ſororibus, quarum duae erant, excepta Statira, vivos defodi juſſit.* Hujus ſupplicii formam alta oblivio ſuppreſſit: credibile tamen eſt, ſcrobem defoſſam & capite demiſſo pronos obrutos. At quo ritu Veſtales olim defoderentur, explicant DIONYSIUS HALICARN. *libr.* II. *pag.* 127. & PLUTARCHUS in *Numa*, *pag.* 67. qui lucem adſerunt ſubterraneo illi cubiculo: in quod demiſſam Veſtalem Domitiani temporibus PLINIUS *Epiſt.* XI. *libr.* IV. refert.

CCXIX. Lapidibus quoque obrui interdum nocentes ſolebant: & ita Bagoraſus, ut CTESIAS *cap.* 45. refert, κελεύσει βασιλέως, λιθόλευστος ἐγένετο. *Juſſu regis lapidibus obrutus fuit.* Idemque paſſum Pharnacyam Eunuchum, idem CTESIAS *cap.* 50. ita ſcribit: Κατελεύσθη δὲ καὶ Φαρνακύας, ὁ συγκτείνας Σεκυνδιανῷ, Ξέρξην. *Lapidibus quoque obrutus fuit Pharnacyas, qui una cum Secundiano Xerxem interemerat.* At quod CURTIUS in extremo *libr.* VI. *cap. ſcil.* II. §. 38. ait: *omnes a Nicomacho nominati, more patrio, dato ſigno, ſaxis obruti ſunt*; cave accipias, more Perſico: immo Macedonico, ut alias eodem *libro cap.* II. §. 9. ipſemet docet, cum ait; *& ceteris quidem placebat, Macedonum more obrui ſaxis.*

CCXX. Veneficos vero apud Perſas proprio quodam ſupplicio adfectos, PLUTARCHUS in *Artaxerxe pag.* 1021. docet. De Gige enim, Paryſatidis ancilla, veneficii rea, ſcribit haec: Καὶ κατέγνω θάνατον· ἀποθνήσκουσι δὲ οἱ φαρμακεῖς ἐν Πέρσαις κατὰ νόμον οὕτως. λίθος ἐστὶ πλατύς, ἐφ' ὃν τὴν κεφαλὴν καθέντες αὐτῶν, ἑτέρῳ λίθῳ παίουσι καὶ πιέζουσιν, ἄχρις οὗ συνθλάσωσι τὸ πρόσωπον καὶ τὴν κεφαλήν. ἡ δὲ Γίγις οὕτως ἀπέθανεν. *Et capitis damnavit. Lex apud Perſas eſt, ut ſons veneficii ad latum lapidem deducatur, ei caput ſontis imponitur, idque alio ſaxo tunditur atque premitur, dum facies & caput comminuantur. Eo ſupplicio Gigis periit.*

CCXXI. Interdum & vivos ſecabant: & ita Paryſatim juſſiſſe, τὴν Ῥωξάνην ζῶσαν κατατεμεῖν, *Rhoxanen vivam ſecari*, CTESIAS in *Perſicis*, *cap.* 54. refert.

CCXXII. Poſtremo novi moris ſupplicium deſcribitur ab eodem PLUTARCHO, in ejuſdem *Artaxerxis vita*, *pag.* 1019. his verbis: ἀπολέσαι γοῦν τὸν Μιθριδάτην ἀποθανεῖν σκαφευθέντα. τὸ δὲ σκαφευθῆναι, τοιοῦτόν ἐστι. σκάφας δύο πεποιημένας ἐφαρμόζειν ἀλλήλαις, λαβόντες, εἰς τὴν ἑτέραν κατακλίνουσι τὸν κολαζόμενον ὕπτιον· εἶτα τὴν ἑτέραν ἐπάγοντες καὶ συναρμόζοντες, ὥστε τὴν κεφαλὴν, καὶ τὰς χεῖρας, καὶ τοὺς πόδας ἔξω ἀπολαμβάνεσθαι, τὸ δ' ἄλλο σῶμα πᾶν ἀποκεκρύφθαι, διδόασιν ἐσθίειν τῷ ἀνθρώπῳ· κἂν μὴ θέλῃ, προσβιάζονται, κεντοῦντες τὰ ὄμματα. φαγόντι δὲ, πιεῖν μέλι καὶ γάλα συγκεκραμένον ἐγχέουσιν εἰς τὸ στόμα, καὶ κατὰ τοῦ προσώπου καταχέουσιν· εἶτα πρὸς τὸν ἥλιον ἀεὶ στρέφουσιν ἐναντία τὰ ὄμματα· καὶ μυιῶν (*c*) προσκαθημένων πλήθει, πᾶν ἀποκρύπτεται τὸ πρόσωπον. ἐντὸς δὲ ποιοῦντος, ὅσα ποιεῖν ἀναγκαῖόν ἐστιν ἐσθίοντας ἀνθρώπους καὶ πίνοντας, εὐλαὶ καὶ σκώληκες ὑπὸ φθορᾶς καὶ σηπεδόνος ἐκ τοῦ περιττώματος ἀναζέουσιν· ὑφ' ὧν ἀναλίσκεται τὸ σῶμα, διαδυομένων εἰς τὰ ἐντός. ὅταν γὰρ ἤδη φανερὸς ᾖ τεθνηκὼς ἄνθρωπος, ἀφαιρεθείσης τῆς ἐπάνω σκάφης, ὁρῶσι τὴν μὲν σάρκα κατεδηδεσμένην· περὶ δὲ σπλάγχνα τοιούτων θηρίων ἑσμοὺς, ἐνεσθίοντας καὶ προσπεφυκότας. οὕτως ὁ Μιθριδάτης ἑπτακαίδεκα ἡμέρας φθειρόμενος, μόλις ἀπέθανε. *Mithridatem itaque inter ſcaphas necari jubet. Supplicii genus quale ſit, exponam. Duas ſcaphas, quae mutuo quadrent, accipiunt: in alteram harum is, qui plectendus eſt, ſupinus collocatur: alteram imponunt, itaque aptant, ut caput, manus, pedeſque promineant, totum alioquin corpus occultetur. Ita incluſo cibus praebetur; ac ſi edere nolit, oculos compungendo eum cogunt: cum edit, mel lacti mixtum, ori ejus potus loco infundunt, & vultum eo perfundunt: ita vero ſemper eum collocant, ut adverſus ſolem oculos habeat. Porro autem muſcarum identidem adſidentium multitudine facies ejus tota obtegitur: & cum in ſcaphis ea interius faciat, quae neceſſe eſt hominem cibo potuque fruentem, ex putrefactione & corruptione excrementorum tarmes atque vermes pullulant, qui in inteſtina ſubrepentes, corpus conſumunt. Cum enim jam conſtat mortuum eſſe, remota ſuperiori ſcapha intuentur carnes quidem devoratas, inteſtinis autem inhaerentia ejuſmodi animalculorum examina. Hoc modo Mithridates ſeptemdecim dies cruciatus, lenta morte abſumptus eſt.* Vere ergo AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXX. *cap.* 8. Perſarum nationem *ſuppliciorum varietates ſemper exercuiſſe crudam* ait.

CCXXIII. Atque hae gravioribus atrocioribuſque delictis poenae impoſitae erant. Mediocribus vero, minoribuſque, leviores irrogabantur. Nam vel exiliis ſontes multabant, vel aliqua corporis parte mutilabant: Naſo, puta, Auribus, Manibus, Pedibus, truncantes. Exilii Relegationiſve exemplum non aliunde, quam a Megabyſo petam: cui capitis poena in Relegationem verſa eſſe narratur a CTESIA in *Perſicis cap.* 32. his verbis: προσέταξε (*d*) (de Artaxerxe loquitur) τὴν κεφαλὴν τοῦ Μεγαβύζου ἀποτμηθῆναι· Ἀμήστριος δὲ καὶ Ἀμύτιος καὶ τῶν ἄλλων τῇ παραιτήσει, τοῦ μὲν θανάτου ῥύεται· ἀνάσπαστος δὲ γίνεται εἰς τὴν Ἐρυθρὰν, ἐν τῇ πόλει ὀνόματι Κύρτῃ. *Juſſit caput Megabyzo praecidi: at Amiſtris atque Amytis aliorumque interceſſione a mortis poena liberatur, inque exilium ad mare*

(*a*) DEFODIT] Melior eſt verſio in editione Gronovii: *Altero die duodecim Perſarum primores ſimiliter ob nullum dignum crimen necavit, vivos in caput defodiens.* TR.

(*b*) Δεσμοῖς] In *ed. Gronovii* legitur: δυοὶ μησί. Hinc in verſione: *Haec cum vinctum Apollonidem bimeſtri ſpatio cruciatibus affeciſſet* &c. TR.

(*c*) Congruentius, προσκαθημένων, *aſſidente muſcarum multitudine.* S.

(*d*) Προσέταξε] In *ed. Gronovii* legitur προστάττει, & deinde τὸν Μεγαβύζον. TR.

mare rubrum in urbem quandam, cui Cyrtae nomen, abire juſſus eſt. Aliud paris poenae exemplum idem CTESIAS ſubjicit, inquiens, Ἐξωρίζετο δὲ καὶ Ἀρτοξάρης ὁ εὐνοῦχος εἰς Ἀρμενίαν, ὅτι πολλάκις ὑπὲρ Μεγαβύζου βασιλεῖ ἐπαρρησιάσατο. *Etiam Arioxares eunuchus in Armeniam exul mittitur, quod ſaepius pro Megabyzo apud regem liberius locutus fuerit.* Sunt, qui exiſtiment, nocentes interdum in Inſulas apud Perſas relegatos: in quem errorem eos Latinus HERODOTI Interpres induxit, perperam acceptis verbis iſtis *libr.* VII. *cap.* 80. Τὰ δὲ νησιωτικὰ ἔθνεα, τὰ ἐκ τῆς Ἐρυθρῆς θαλάσσης ἑπόμενα· νήσων δ' ἐν τῇσι τοὺς (*a*) Ἀνασπάστους καλεομένους κατοικίζει βασιλεύς. *Inſulanae gentes, quas a mari rubro ſecutae ſunt; ex inſulis, in quas rex ſic dictos Anaſpaſtos collocat* (*b*). Sed longe alia Herodoto mens fuit, qui hoc in animo habuit, in eas Inſulas Cares, quos Anaſpaſtos vocabant, velut in coloniam miſſos. ARRIANUS *libr.* III. *cap.* 8. *pag.* 115. (*c*) καὶ Ἰνδοὶ καὶ Κᾶρες Ἀνασπάσται καλούμενοι. *Indi & Cares Anaſpaſtae dicti.* Quod autem ad Aurium, Narium, Manuum, Pedum, amputationes attinet, eas in Perſide uſurpatas, indicio eſt, quod CURTIUS *lib.* V. *cap.* 5. §. 5. Perſas vario ſuppliciorum modo Graecos captivos adfeciſſe narrat, Pedibus quoſdam, alios Manibus, Auribuſque, amputatis, inuſtiſque Barbararum litterarum notis, in longum ſui ludibrium reſervaſſe. Similiterque DIODORUS SICULUS *libro* XVII. *cap* 69. *pag.* 213. (*St.* 599. *Rh.* 542.) occurriſſe illos Alexandro narrans, ἠκρωτηριασμένοι δὲ πάντες, οἱ μὲν χεῖρας, οἱ δὲ πόδας, οἱ δὲ ὦτα καὶ ῥῖνας. *Omnes truncati, alii manibus alii pedibus nonnulli auribus atque naribus.* JUSTINUS *libr.* X. (*d*) *Inter haec* DCCC. *admodum Graeci occurrunt Alexandro, qui poenam captivitatis truncata corporis parte tulerant: rogantes, ut, ſicuti Graeciam, ſe quoque ab hoſtium crudelitate defenderent.* CURTIUS *lib.* III. *cap.* 8. §. 14. *ſeq. Nec dubitavere Perſae, quin Iſſo relicta, quam ceperant, Macedones fugerent. Nam etiam ſaucii quidam & invalidi, qui agmen non poterant perſequi, excepti erant: quos omnes, inſtinctu purpuratorum barbara feritate ſaevientium, praeciſis aduſtiſque manibus circumduci, ut copias ſuas noſcerent; ſatiſque omnibus ſpectatis, nuntiare, quae vidiſſent, Regi ſuo juſſit.* SENECA *libro* III. *de Ira, cap.* XX. *Sicut Rex Perſarum totius populi nares recidit in Syria: inde Rinocolura loci nomen eſt.* Confirmat hunc Perſarum morem Zopyri hiſtoria, qui ἀποταμὼν ἑωυτοῦ τὴν ῥῖνα, καὶ τὰ ὦτα, καὶ τὴν κόμην κακῶς περικείρας, καὶ μαστιγώσας, ἦλθε παρὰ Δαρεῖον, *nares ſibi praecidit aureſque, comamque deformiter circumtondit, & ſe flagris cecidit, atque ita ad Darium pergens,* ad Babylonios transfugit; quorum alliciendorum ineſcandorumque cauſa, a Dario ſe laceratum verberibus, nareſque & aures ſibi praeciſas finxit, quemadmodum HERODOTUS *libro* III. *cap.* 154. *ſeqq.* & JUSTINUS *libr.* I. *cap.* 10. narrant. Iiſdem uterque *libris* (*prior. cap.* 69. *poſterior. cap.* 9. §. 17.) Mago Cambyſem utraſque aures praecidi juſſiſſe commemorat. Alexandrum etiam juſſiſſe, Beſſum Darii percuſſorem tradi Oxatri Darii fratri, ut cruci adfixum mutilatis Auribus Naribuſque, Barbari ſagittis configerent, CURTIUS *libr.* VII. *cap.* 5. §. 40. refert. TACITUS *libro* XII. *Annalium, cap.* 14. *Meherdates promiſſa Parrhacis paterni clientis ſecutus, dolo ejus vincitur, traditurque victori. Atque ille, non propinquum, neque Arſacis de gente, ſed alienigenam & Romanum increpans, Auribus deciſis vivere jubet, oſtentui clementiae ſuae, & in nos dehoneſtamento.* Apud Perſas quoque *Aures, more regio, ſecari ſolitas pro delictis,* AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXX. *cap.* 8. ſcribit. Denique XENOPHON *libr.* I. Ἀναβάσ. *pag.* 267. juſtitiam Cyri praedicans: Οὐ μὲν δὴ οὐδ' εἶπεν ἄν τις τοῦτο, ὡς τοὺς κακούργους καὶ ἀδίκους εἴα καταγελᾶν, ἀλλ' ἀφειδέστατα πάντων ἐτιμωρεῖτο. πολλάκις δ' ἦν ἰδεῖν παρὰ τὰς στειβομένας ὁδοὺς, καὶ ποδῶν, καὶ χειρῶν, καὶ ὀφθαλμῶν στερουμένους ἀνθρώπους. *Neque tamen hoc etiam dici poteſt, quod improbis & ſceleratis illudere ſibi permiſerit: ſed ita in eos animadvertebat, ut prorſus ipſis non parceret. Ac ſaepe numero tritis in viis erat cernere, qui pedibus, manibus oculiſve multati eſſent.* Hinc ARRIANUS *libr.* IV. *cap.* 7. *pag.* 160. βαρβαρικὴν, *barbaricam,* eſſe τὴν ἀκρωτηρίαν τῶν ἄκρων, *extremarum partium mutilationem,* ait.

CCXXIV. Interdum & oculos noxiis effodiebant, exſculpebantque. Proinde inter exempla poenarum, quae ſub imperio Cyri edebantur, utriſque luminibus orbatos ponit XENOPHON *libr.* I. Ἀναβάσ. *l. c.* Et ita Arſacem captum, *effoſſis oculis,* in caſtellum quoddam Sapor Perſarum Rex relegavit, quemadmodum AMMIANUS MARCELLINUS *libro* XXVII. *cap. ult.* refert. Porro, uti ſuis temporibus Oculi iis, qui hoc poenae genere mulctabantur, effoderentur, eruerenturque, PROCOPIUS *libr.* I. *de bello Perſico, cap.* VI. *pag.* 235. (19.) docet. Etenim de Cabade, qui Blaſen excaecavit, Ἐξετύφλωσε, ait, τρόπῳ δὲ, ὅτῳ τυφλοὺς οἱ Πέρσαι ποιοῦσι τοὺς κακούργους εἰώθασιν. ἔλαιον (*e*) ἕψοντες, καὶ αὐτὸ ὡς μάλιστα ζέον ἐς τοὺς ὀφθαλμοὺς, οὐ μύουσιν, ἐπιχέοντες· ἢ περόνην τινὰ σιδηρᾶν πυρακτοῦντες, καὶ ταύτῃ τῶν ὀφθαλμῶν τὰ ἐντὸς χρίοντες. *Excaecavitque eo, quo ſolent, modo Perſae caecitatem inferre facinoroſis, decocto nimirum oleo, & in oculos inconniventes, cum maxime fervet, infuſo; aut immiſſa penitus acu ferrea, eaque candente.*

CCXXV. Ignominia etiam quandoque noxii notabantur; ſed & honoris inſignia eis detrahebantur. Sic Murrhani, ob rem male geſtam, ornamentum ex auro & gemmis, quo redimire crines conceſſum ei fuerat, (eujuſmodi crinale ſummo honori apud Perſas ducebatur,) detractum PROCOPIUS *libr.* I. *cap.* XVII. *pag.* 256. (49.) ſcribit: Κόσμον ἀφείλετο αὐτὸν, ὃν δὴ ἀναδεῖσθαι τὸ ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν εἰώθει, ἔκ τε χρυσοῦ καὶ μαργάρων πεποιημένον· ἀξίωμα δὲ τοῦτο ἐν Πέρσαις μέγα. *Ipſum enim comae redimiculo privavit, auro unionibuſque contexto, quod apud Perſas honoris eſt inſigne eximii.*

CCXXVI. Publicatio etiam bonorum apud Perſas

(*a*) Ἀνασπάστους] h. l. Aemyl. Porto in Lex. Jon. ſunt *q. d. evulſi, ſcilicet ex ſuis antiquis ſedibus, & in alias habitandi cauſa tranſlati, &c.* conf. utique Henr. Valeſ. in Harpocr. p. 86. L.

(*b*) COLLOCAT] *Laurentius Valla,* quem auctor hic notat, ita poſtrema verba reddidit: *ex iis inſulis, ad quas transportare Rex ſolet, quos e ſuis locis ſummovet.* Quam verſionem *Jac. Gronovius* retinuit. Et ſane non eſt improbabile, Perſas populos rebelles interdum in inſulas transportaſſe. TR.

(*c*) In edit. Arriani legitur tantum, Οἱ δ' ἀνάσπαστοι Κᾶρες. locus eſt libr. III. c. 8. p. edit. noſtrae 115. L. Nam de Indis ſermo paullo ante p. 14. Redditur vero in verſione, *Cares ſedibus ſuis pulſi* TR.

(*d*) Locus Juſtini legitur *lib.* XI *cap.* 14. §. 11. in quo porro pro *defenderent,* reponendum *vindicarent.* L.

(*e*) Ἔλαιον] In *nov. edd.* legitur ἔλαιον, & paullo poſt ζέον, pro ζῶν. TR.

Perſas locum habebat. Confiſcari namque, & in fiſcum cogi bona conſueviſſe eorum, qui adverſus Regia decreta quid feciſſent, oſtendit Cyri reſcriptum, quod a JOSEPHO *libr.* XI. *Antiquit. cap.* I. refertur: in cujus ſanctione jubet eos, qui contra fecerint, in crucem agi, καὶ τὰς οὐσίας αὐτῶν εἶναι βασιλικάς, id eſt, *bona eorum* fiſco vindicari. Idem JOSEPHUS ejuſdem *libr. Antiquitat. cap.* IV. de Cyro: Τοὺς δὲ παραβάντας τι τῶν ἐπεσταλμένων, συλληφθέντας ἐκέλευσεν ἀνασταυρωθῆναι, καὶ τὴν οὐσίαν αὐτῶν εἰς τὸ βασιλικὸν καταταγῆναι πάντα. *Tranſgreſſores eorum, quae literis mandaverat, prehendi, & in crucem agi juſſit, bonaque ipſorum fiſco regio vindicari.*

CCXXVII. Jam quaeſtionem de reis, per tormenta Perſas habuiſſe, teſtis eſt EPIPHANIUS *libr.* II. *Tom.* II. *contra baereſes, cap.* 2. *de Manichaeis, Haereſ.* 66. §. 4. Plane dura lege vivebant Perſae, apud quos unius ob noxiam plerumque propinqui omnes plectebantur. AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIII. *cap.* 6. *Leges apud eos impendio formidatae: inter quas diritate exuperant latae contra ingratos & deſertores, & abominandae aliae, per quas ob noxam unius omnis propinquitas perit.* Atque ita cum Intaphernes, ex ſeptem Magicidis unus, contra vetitum Regiam ingredi, Rege cum uxore cubante, auſus, janitori ac cubiculario, aditu eum prohibentibus, aures nareſque amputaſſet, Darius Rex ἔλαβε αὐτόν τε τὸν Ἰνταφέρνεα, καὶ τοὺς παῖδας (a) αὐτοῦ, καὶ τοὺς οἰκηίους πάντας· ἐλπίδας πολλὰς ἔχων μετὰ τῶν συγγενέων μιν ἐπιβουλεύειν οἱ ἐπανάστασιν. συλλαβὼν δὲ σφέας, ἔδησε τὴν ἐπὶ θανάτῳ. *Intaphernem comprehendit, ejuſque liberos, atque omnem familiam: multis de cauſis credens, illum cum ſuis propinquis rebellionem fuiſſe moliturum: hos comprehenſos ad necem vinciri juſſit*: quemadmodum HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 119. ſcribit. Victum tamen uxoris Intaphernis precibus, fratrem ejus, & liberorum natu maximum dimiſiſſe, ibidem Herodotus refert. Sic & in Epiſtola Artaxerxis, apud LXX. *Interpretes cap.* VIII. *Eſther.* de Amane: Διὰ τὸ αὐτὸν ταῦτα ἐξεργασάμενον, πρὸς ταῖς Σούσων πύλαις ἐσταυρῶσθαι σὺν τῇ πανοικίᾳ, τὴν καταξίαν τοῦ τὰ πάντα ἐπικρατοῦντος Θεοῦ, διὰ τάχους ἀποδόντος αὐτῷ κρίσιν. *Quod haec patraſſet, Suſis ad portas cum omni ſua familia in crucem fuiſſe actum, DEO omnipotente juſtam ipſi poenam celeriter irrogante.* Darium Artaxerxis filium, dum patri inſidias pararet, deprehenſum, cum ſociis poenas parricidii, Diis paternae majeſtatis ultoribus, dediſſe: conjuges quoque omnium, cum liberis, ne quod veſtigium tanti ſceleris exſtaret, interfectas, JUSTINUS *libr.* X. *cap.* 2. §. 5. *ſeq.* narrat. Clementiam tamen Regum Perſicorum in liberos eorum, qui ab ipſis defecerant, teſtatam reliquit HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 15. his verbis: Ἐωθασι τιμᾶν Πέρσαι τῶν βασιλέων (b) τοὺς παῖδας· τῶν ἢν καὶ σφέων ἀποστέωσι, ὅμως τοῖσί γε παισὶ αὐτῶν ἀποδιδοῦσι τὴν ἀρχήν. *Nam conſueverunt Perſae in honore habere regum filios & etiamſi qui ab eis defecerint, tamen illorum filiis reſtituere principatum.* Quod & exemplis aliquot ibidem adductis comprobat. Artaxerxis quoque Longimani paene omnium gentium litteris atque lingua celebrata eſt humanitas, qui, ut AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXX. *cap.* 8. ſcribit, *Tiaras, ad vicem capitum, quibuſdam noxiis amputabat, & ne ſecaret Aures, more regio, pro delictis, ex galeris fila pendentia praecidebat*: Quod & libro ſuperiore §. 131. notare me memini, & nunc PLUTARCHI teſtimonio ex *libr. de ſera numin. vindict. pag.* 565. confirmo; qui tamen hoc non uni Artaxerxi, ſed publicis Perſarum moribus, tribuere videtur, his verbis: (c) Ὡς γὰρ ἐν Πέρσαις τῶν κολαζομένων τὰ ἱμάτια καὶ τὰς τιάρας ἀποτίλλουσι, καὶ μαστιγοῦσιν· οἱ δὲ παύσασθαι δακρύοντες ἀντιβολοῦσιν. *Sicut enim apud Perſas eorum, qui puniuntur, veſtes atque tiaras convellunt ac flagellant, iſtis plorantibus, & ut deſiſtatur coepto obſecrantibus.* Idemque in *Apophthegmatis*: Φασὶ Περσῶν τοὺς ὁμοτίμους λαμβάνειν πληγάς, ἀντὶ τοῦ σώματος, εἰς τὸν Κάνδυν. *Perſarum Homotimos plagas Candy, loco corporis, excipere ajunt.*

CCXXVIII. Cadavera autem punitorum, & in quos capitali ſupplicio animadverſum fuiſſet, non ſemper ſepulta fuiſſe, argumento eſt, quod de Charidemo, quem recta ſibi conſilia dantem, Darius abſtrahi ad capitale ſupplicium juſſit, CURTIUS *lib.* III. *cap.* 2. §. 19. narrat in hunc modum: *Haec vociferantem, quibus imperatum erat, jugulant. Sera deinde poenitentia ſubiit Regem: ac vera dixiſſe confeſſus, ſepeliri eum juſſit.*

CCXXIX. Poſtremis vero Perſarum temporibus, qui Regem offenderant, ſtare ad Tripodem jubebantur, eoque loci exſpectare, quid de his ille decerneret: cujus rei formam PROCOPIUS *libr.* I. *de bello Perſico cap.* 25. *pag.* 269. (68.) deſcribit his verbis: Θυμῷ πολλῷ ὁ Χοσρόης ἐχόμενος, τινὰ τῶν οἱ ἑπομένων τινά, ἐπὶ τὸν τρίποδα τὸν Μεβόδην ἐκέλευσεν ἰέναι. ὅ τι δὲ τοῦτ' ἐστι, (d) αὐτίκα δηλώσω. Τρίπους σιδηροῦς πρὸ τῶν βασιλείων ἀεὶ ἕστηκεν. ἐπειδὰν οὖν τις τῶν Περσῶν πύθηται, ὅτι δὴ αὐτῷ ὁ βασιλεὺς χαλεπῶς ἔχει, τούτῳ δὲ οὔτε πη ἐς ἱερὸν καταφυγεῖν θέμις, οὔτε ἀλλαχόσε ἰέναι, ἀλλὰ παρὰ τοῦτον καθήμενος τὸν τρίποδα, τὴν βασιλέως ἀπεκδέχεσθαι ψῆφον, τῶν πάντων οὐδενὸς φυλάσσειν αὐτὸν ἀξιοῦντος. ἐνταῦθα ὁ Μεβόδης ἐν σχήματι (e) οἰκτρῷ ἐκάθητο ἡμέρας πολλάς· ἕως τις αὐτόν, Χοσρόου ἐπαγγείλαντος, λαβὼν ἔκτεινεν. *Iratus Choſroes Mebodi per quendam e ſuis aſſeclis imperat, ut eat ad tripodem. Quid hoc rei ſit, paucis explica. Stat ſemper pro regia tripus ferreus. Ubi quis Perſarum ſibi regem offenſum eſſe accepit, illi non in templum ullum, non alio quoquam licet perfugere; ſed pro tripode ſedens expectare debet ſententiam regis, neque hunc audet quiſquam tueri. Hic Mebodes miſerabili habitu dies multos reſedit, donec juſſu Choſrois a quodam comprehenſus occiſus eſt.*

CCXXX.

(a) Τοὺς παῖδας] *Jac. Gronovius* ex *MS. Med.* repoſuit τὸν παῖδα. TR.

(b) Βασιλέων] βασιλήων edidit *Jac. Gronovius*; & paullo poſt ἢν pro ἤν. TR.

(c) De Plutarchi loco ſupra a ſe dictum ad libr. ſc. I. §. 131. in notis ad h. l. ſcribit Sylburgius. Verum cum illa obſervatio ibi ab operis, aliud agentibus, fuerit praetermiſſa, ne lector ea privetur prorſus, huc reducendam eſſe duxi: ita autem habet: Locus ita videtur interpolandus, καὶ ἀντὶ τῆς κεφαλῆς ἀποτεμνόμενοι, ἀποτίλλουσι, τὴν κίδαριν ἀποψιλοῦσι, & *loco decapitationis, tiara depoſita, capat eis velli.* in MS. brevior eſt, μαστιγοῦνται μὲν ἀποδυθέντες τὰ ἱμάτια, τίλλονται δὲ τὴν κίδαριν ἀποψιλωθέντες, atque ita infra p. 269. (h. ſcil. l.) in ſimili ejuſdem Plutarchi loco, tranſpoſitione facta legendum puto, τῶν κολαζομένων τὰ ἱμάτια μαστιγοῦσι, καὶ τὰς τιάρας ἀποτίλλουσι. S.

(d) Forſan, αὐτίκα δηλώσω. S. Pro αὐτίκα δηλώσω prioris editionis, reſcripſi αὐτίκα δηλώσω, quemadmodum ſal. etiam editio Procop. Pariſ. libr. I. c. XXIII. diſerte habet. L.

(e) Οἰκτρῷ] σχήματι legitur in *nov. ed. Veneta*; neſcio an etiam in *Pariſina*: mihi tamen haec lectio prae illa auctoris placet. Obiter moneo, *ed. Venet.* in hoc loco variis vitiis typographicis, ut & alias ſaepe, fuiſſe inquinatam. TR.

CCXXX. Iſdigerdem etiam Perſarum Regem Magos, ob fallaciam & impoſturam, qua ei illuſerant, decimaſſe, SOCRATES *Hiſtor. Eccleſiaſticae libr.* VII. *cap.* VIII. ſcriptum reliquit: Περιοργὴς δὲ γενόμενος ὁ βασιλεὺς, τὸ τῶν μάγων γένος ἐδεκάτωσε. *Vehementer iratus rex Magorum gentem decimavit.* Porro foediſſimo convicio apud Perſas proſciſſum eum, qui muliere ignavior vocaretur, HERODOTUS *libr.* IX. *cap.* 106. notat.

CCXXXI. Graviſſimam etiam habitam contumeliam apud Parthos, ſi quis nudo aſino impoſitus, duceretur, teſtis eſt JOSEPHUS. Etenim *libr.* XVIII. *Antiquit. cap. ult.* de Aniliaeo, qui Mithridatem bello ceperat, haec ait: Μιθριδάτην δὲ ζωγρίᾳ λαβὼν, ἦγεν εἰς αὐτὸν, ἐπὶ ὄνου γυμνὸν ἀναβιβάσας, ὅπερ ἀτιμιῶν μεγίστη νομίζεται παρὰ Παρθυαίοις. *Mithridatem etiam vivum captum ſecum abduxit, ſuper aſinum nudum (a) impoſitum, quae apud Parthos graviſſima habebatur contumelia.*

CCXXXII. Perſae religioſiſſime ſanctiſſimeque fidem datam obſervabant, nefaſque vel privati quique, nedum Reges, fallere eam vel violare ducebant. Teſtis XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 239. [*p.* 188.] Πρόσθεν μὲν, inquiens, βασιλεὺς, καὶ οἱ ὑπ' αὐτῷ, καὶ τοῖς τὰ ἔσχατα πεποιηκόσιν, εἴτε ὅρκους ὀμόσειαν, ἠμπέδουν· εἴτε δεξιὰς δοῖεν, ἐβεβαίουν. *Prius rex ac regis ſubditi etiam iis, qui vel extrema facinora deſignaſſent, ſive jusjurandum dediſſent, idipſum praeſtitere, ſive junxiſſent dextras, conſtanter ſeſe geſſere.* Nec minor Parthis fidei ſemel datae ſervandae cura: quam etiam eodem, quo Perſae ſolebant, modo, id eſt dextrae pignore ac vinculo, adſtringebant. Cujus rei exemplum JOSEPHUS *libr.* XVIII. *Antiquitat. cap. ult.* ſuppeditat. Illic enim Artabanum Parthorum Regem, Aſinaei & Anilaei germanorum fratrum audacia obſtupefactum, ad eos armigerum & corporis cuſtodem fidiſſimum miſiſſe narrat, λέγοντα, ὅτι βασιλεὺς Ἀρτάβανος, καίπερ ἀδικηθεὶς ὑφ' ὑμῶν, ἐπιχειρήσαντας αὐτοῦ τῇ ἀρχῇ γενομένων, ἐν ἐλάσσονι τὴν καθ' αὑτὸν ὀργὴν τῆς ὑμετέρας ἀρετῆς ποιούμενος, ἀπέσταλκέ με δεξιάν (*b*) τε καὶ πίστιν δώσοντα ὑμῖν, ἄδειάν τε καὶ ἀσυλίαν ὁδῶν, χρῄζων ἐπὶ φιλίᾳ τῇ ἀπ' αὐτοῦ, δόλου τε καὶ ἀπάτης χωρίς. *Qui haec verba illis referret: Regem Artabanum tametſi injuriam eorum violentia in ſuo regno acceperit, indignationem tamen ipſorum virtuti remittere, miſiſſeque ſe, qui fide data impunitatem, & ſecuritatem itinerum eis offerret ipſius nomine, quod amicitiam ipſorum cuperet, ſine fraude omni & inſidiis.* Quibus promiſſis diffidens Aſinaeus, ipſe ſubſtitit, fratrem vero ſuum Anilaeum miſit. Qui cum ſolus veniſſet, ſciſcitatus Artabanus, cur non & Aſinaeus una cum eo veniſſet: ubi intellexit in cauſa fuiſſe metum, nequid ab eo mali pateretur, τούς τε πατρῴους θεοὺς ἐπώμνυτο, μηδὲν κακὸν αὐτοὺς περὶ τῇ αὐτοῦ ἀφθονίᾳ χαριζομένους· καὶ τὴν δεξιὰν δίδωσι, ὅπερ μέγιστον παρὰ πᾶσι τοῖς ἐκείνῃ βαρβάροις παρρησίας γίνεται τοῖς ὁμιλοῦσι. οὐ γὰρ ἂν ψεύσαιτό τις δεξιὰς δοὺς, οὐδ' ἂν πιστεύειν ἐνδοιάσειεν οἱ τοιᾶσδε ἀσφαλείας δέοις γένοιτο, παρὰ τῶν ἐν ὑποψίᾳ ἀδικεῖν νομιζομένων. *Per patrios deos dejeravit, nihil eos ſe laeſurum in fidem venientes: idque porrecta juveni dextra ſanciit, quod apud barbaros conventuros certiſſimum eſt argumentum fiduciae. nam poſt datam dextram apud eos nec fallere fas eſt, nec diffidere, ceſſantibus omnino ſuſpicionibus.*

CCXXXIII. Honorem etiam Senibus habitum a Perſis, teſtatur XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 235. [*p.* 185.] illic enim Cyrus in extremis conſtitutus haec ad filios verba facit: Ἐπαιδεύθην δὲ καὶ αὐτὸς οὕτως ὑπὸ τῆσδε τῆς ἐμῆς τε καὶ ὑμετέρας πατρίδος, τοῖς πρεσβυτέροις, οὐ μόνον ἀδελφοῖς, ἀλλὰ καὶ πολίταις, καὶ ὁδῶν, καὶ θάκων, καὶ λόγων ὑπείκειν. καὶ ὑμᾶς δὲ, ὦ παῖδες, οὕτως ἐξ ἀρχῆς ἐπαίδευον, τοὺς μὲν γεραιτέρους προτιμᾶν, τῶν δὲ νεωτέρων προτετιμῆσθαι. ὡς οὖν παλαιὰ καὶ εἰθισμένα καὶ ἔννομα λέγοντος ἐμοῦ, οὕτως ἀποδέχεσθε. *Equidem ut ab hac mea veſtraque patria ſum inſtitutus, natu majoribus non modo fratribus ſed civibus etiam in viis, ſubſelliis, ſermonibus cedendum eſſe: ſic & ipſe, filii, ab initio vos inſtitui, ut natu majoribus principem honorem deferatis, & viciſſim a minoribus honore vobis debita fruamini. Quamobrem ita quae a me dicuntur accipite, ut qui cum priſca, tum moribus recepta, atque etiam legibus conſentanea proferam.*

CCXXXIV. Perſis autem mos erat, floribus & odoribus vias, quibus Rex incedebat, ſternere. HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 54. de ponte, quo Xerxes Helleſpontum continenti junxit, θυμιήματά τε παντοῖα ἐπὶ τῶν γεφυρέων καταγίζοντες, καὶ μυρσίνῃσι στορνύντες τὴν ὁδόν. *Omniſarios odores in pontibus congerentes, ac myrto iter conſternentes.* Ex hoc more Bagophanem, arcis Babylonicae cuſtodem, obviam Alexandro egreſſum, totum iter floribus coroniſque conſtraviſſe, argenteis altaribus utroque latere diſpoſitis, quae non ture modo, ſed omnibus odoribus cumulaverat, CURTIUS *lib.* V. *cap.* I. §. 20. memorat. Idem CURTIUS *lib.* IX. *cap.* 10. §. 25. vicos, per quos iter erat, floribus coroniſque ſterni juſſiſſe Alexandrum ait.

CCXXXV. Sed & pro laetitiae publicae argumento Coronis & floribus vias ſtratas fuiſſe, HERODOTUS *libr.* VIII. *cap.* 99. oſtendit. Nam cum eſſet Suſis nuntius allatus, Xerxem Athenas in ſuam poteſtatem redegiſſe, tanto inde Perſas gaudio exiliiſſe refert, ut vias omnes Myrto ſternerent, odoreſque vicatim incenderent. Hic de his, quae a Perſis ad reliquas gentes manarunt, breviter diſſeram. Quo in numaro eſt Nux, *mollusca* PLAUTO (*c*) appellata: quae inde *Perſici mali* nomen invenit. MACROBIUS *libr.* II. *Saturnalior. cap.* XIV. *Perſicum quod vulgo vocatur, & Molluſca nux dicitur, ſcilicet quod ceteris omnibus nucibus mollior ſit. Hujus rei idoneus adſertor eſt Suevius, vir longe doctiſſimus, in Eidyllio, quod inſcribitur* MORETUM. *Nam cum loquitur de hortulano faciente moretum, inter cetera, quae eo mittit, & hoc pomum mitti ait, his verbis:*

Admiſce tu Acca baſilicis haec nunc partim,
Partim Perſica: quod nomen ſic denique fertur,
Propterea quod qui quondam cum rege potenti,
Nomine Alexandro Magno, fera praelia bello
In Perſas tetulere, ſuo poſt inde reventu
Hoc genus arboris in praelatis finibus Grajis
Diſ-

(*a*) NUDUM] Ita recte quidem ex mente Briſſonii; ſed non recte, mea ſententia, ex mente JOSEPHI: melius ergo in *nov. ed. Haverk.* vertitur: *nudum aſino impoſitum.* Verbum enim γυμνὸν non ad ὄνον, ſed ad Μιθριδάτην eſt referendum. TR.

(*b*) Δεξιάν] In *ed. noviſſ.* legitur δεξιάς. TR.

(*c*) PLAUTO] Affert hoc MACROBIUS *l. c.* ex Comoedia aliqua *Plauti* deperdita, quae *Chalcedus* vocabatur. TR.

Diſſeruere, novos fructus mortalibus dantes.
Molluſca haec nux eſt, ne quis forte inſcius
erret.

Nuces quoque juglandes, non modo Κάρυα βασιλικὰ, ſed Περσικὰ, a quibuſdam vocari DIOSCORIDES *libr.* I. *cap.* CLXXVIII. tradit. Unde PLINIUS *libr.* XV. *cap.* XXII. de Nucibus juglandibus agens, *Et has*, inquit, *e Perſide a Regibus tranſlatas, indicio ſunt Graeca nomina. Optimum quippe genus earum, Perſicon, atque Baſilicon vocant. Et haec fuere prima nomina.*

CCXXXVI. Perſica quoque mala ipſa appellatio Perſidi accepta fert. PLINIUS *libr.* XV. *cap.* XIII. *In totum quidem Perſica peregrina, etiam Aſiae Graeciaeque eſſe, etiam* (*a*) *ex nomine ipſo apparet, atque ex Perſide advecta.* Et mox: *Perſicae arbores, ſero & cum difficultate tranſiere, ut quae in Rhodo nihil ferant, quod primum ab Aegypto earum fuerat hoſpitium. Falſum eſt venenata cum cruciatu in Perſis gigni, & poenarum cauſa a Regibus tranſlata in Aegyptum, terra mitigata. Id enim de Perſea diligentiores tradunt; quae in totum alia eſt, myxis rubentibus ſimilis, nec extra Orientem naſci voluit. Eam quoque eruditiores negaverunt ex Perſide propter ſupplicia tranſlatam, ſed a Perſeo Memphi ſatam: & ob id Alexandrum illa coronari victores ibi inſtituiſſe, in honorem atavi ſui.* Quibus verbis Plinius eorum errorem refellit, qui Perſica mala venenata in Perſide fuiſſe, ſoli vero mutatione mitigata, vim nocendi eum coelo mutaſſe credunt: hoc enim in Perſeam arborem cadere, non in eam quae mala Perſica ferat: quanquam vulgi errorem ſequatur COLUMELLA *libr.* X. qui *de cultu hortorum* inſcribitur, his verſibus: (403.)

Tunc praecox biſera deſcendit ab arbore ficus:
Armeniiſque, & cereolis, pruniſque Damaſci
Stipantur calathi, & pomis, quae Barbara
Perſis
Miſerat, (ut fama eſt) patriis armata venenis:
At nunc expoſiti parvo diſcrimine lethi
Ambroſios praebent ſuccos, oblita nocendi.

ISIDORUS quoque *libr.* XVII. *Origin. cap.* VII. *Malum Perſicum*, ait, *vocatum, quod eam arborem primus in Aegypto ſeverit Perſeus, a quo ſe oriundos Ptolemaei ferebant. Haec in Perſide fructum generat interfectorium, apud nos autem jucundum ac ſuavem.* Enimvero Perſica arbor, quae malum Perſicum fert, diverſa eſt a Perſea, quam in Aegyptiis arboribus aut fruticibus numerant, copioſiſſimeque deſcribunt. THEOPHRASTUS *libr.* IV. *de Hiſtor. Plantar. cap.* II. PLINIUS *libr.* XIII. *cap.* IX. *qui & Perſicam arborem* eo loci nominat, quam *libr.* XV. *cap.* XIII. *Perſeam.* & quod ab eo, de Perſea ex quorundam ſententia traditur, confirmatur a DIOSCORIDE & GALENO. DIOSCORIDES *libr.* I. *cap.* CLXXXVII. Περσέα δένδρον ἐστὶν ἐν Αἰγύπτῳ, καρπὸν φέρον ἐδώδιμον, εὐστόμαχον, ἐφ᾽ ᾧ καὶ τὰ λεγόμενα κρανιοκόλαπτα φαλάγγια εὑρίσκεται· μάλιστα δὲ ἐν Θηβαΐδι. *Perſea arbor eſt in Aegypto, fructum ferens cibo idoneum, ſtomacho utilem, in quo phalangia cranocolapta nomine inveniuntur, praeſertim in Thebaide.* Et mox: Τινὲς δὲ ἱστοροῦσι τοῦτο, ἐν Περσίδι ἀναιρετικὸν εἶναι· μετατεθὲν δὲ εἰς Αἴγυπτον, ἀλλοιωθῆναι καὶ ἐδώδιμον γενέσθαι. *Arborem hanc prodiderunt aliqui in Perſide exitioſam eſſe, tranſlatamque in Aegyptum, mutata natura, in cibos receptam.* GALENUS *libr.* II. *de Facultatibus Alimentor. cap.* 36. περὶ Περσίου, *de Perſio*: (*pag.* 329. *Tom.* IV. *ed. Graec. pag.* 42. *Cl.* II. *& Lat.*) Εἶδον δὲ τοῦτο τὸ φυτὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, τῶν μεγάλων ἓν καὶ αὐτὸ δένδρων. ἱστοροῦσι δὲ τὸν καρπὸν αὐτοῦ μοχθηρὸν οὕτως ὑπάρχειν ἐν Πέρσαις, ὡς ἀναιρεῖν τοὺς φαγόντας· εἰς Αἴγυπτον δὲ κομισθέντα, ἐδώδιμον γενέσθαι, παραπλησίως ἐσθιόμενον ἀπίοις καὶ μήλοις, ὧν καὶ τὸ μέγεθός ἐστιν. *Hanc etiam plantam vidi Alexandriae, ex magniſque & ipſa eſt arboribus. Narrant autem fructum hujus apud Perſas adeo eſſe noxium, ut qui ipſum comederint, interimat; qui tamen ſi in Aegyptum transferatur, fit eſculentus, manditurque non aliter, quam pyra & mala, quibus etiam magnitudine convenit.* Idem GALENUS *libr.* II. περὶ συνθέσεως φαρμάκων τῶν κατὰ τόπους, *de compoſitione medicamentorum, per ſingulas corporis partes, cap.* 2. περὶ καταπλασμάτων ἐν κεφαλαλγίᾳ, *de cataplaſmatis in capitis doloribus*: (*pag.* 182. *Tom.* II. *ed. Graec. pag.* 276. *Cl.* V. *ed. Lat.*) Ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μόνῃ τὸ τῆς Περσέας δένδρον εἶδον· ἐν ἄλλῳ γέ τοι τῶν ὑπὸ Ῥωμαίους ἐθνῶν. ἔνιοι δὲ Πέρσιον ὀνομάζουσιν αὐτὸ, καί φασιν ἐν Πέρσαις ὀλέθριον εἶναι τὸν καρπὸν τοῦ δένδρου τούτου, κατὰ δὲ τὴν τῶν Αἰγυπτίων χώραν ἀβλαβῆ ὑπάρχειν (*b*). *In ſola Alexandria Perſeae arborem vidi, & in nulla alia Romanis ſubdita gente. Quidam Perſion ipſam appellant, ajuntque in Perſis lethalem ejus arboris fructum eſſe, in Aegyptiorum vero regione exiſtere innocuum.* Extat PLATONIS Poëtae in quendam, qui malorum Perſicorum ſatietate perierat, *Epigramma* hujuſmodi:

Ἐκ φονίων Περσῶν, φόνιον φυτὸν ἤγαγε Περσεὺς,
Παιδὶ Θεογνώτου τῆς θανάτου πρόφασιν.

E dira diram fert plantam Perſide Perſeus,
Illa Theognoſti mors fuerat puero.

Medica vero mala originem a Medis trahere, ipſa appellatio ſatis oſtendit. VIRGILIUS *libr.* II. *Georgic. v.* 126.

Media fert triſtes ſuccos, tardumque ſaporem,
Felicis mali.

Ad quae poſtrema verba SERVIUS: *Apud Medos naſcitur quaedam arbor ferens mala, quae Medica vocantur: quam per periphraſin oſtendit, ejus ſupprimens nomen. Hanc plerique Citram volunt: quod negat Apulejus in libris, quos de Arboribus ſcripſit, & docet longe aliud eſſe genus Arboris. Tardum autem ſaporem dicit, vix intelligibilem; quod illi ad carnem mediam citri referunt: nam prima & inferior facile ſuum oſtendit ſaporem.* DIOSCORIDES *libr.* I. *cap.* CLXVI. Τὰ δὲ Μηδικὰ μῆλα λεγόμενα, ἢ Περσικὰ, ἢ κεδρόμηλα, Ῥωμαϊστὶ δὲ Κίτρια, πᾶσι γνώριμα. *Medica mala, aut Perſica, aut cedromala, quae latini citria vocant, nemini non cognita.* GALENUS *libr.* II. *de Alimentor. Facultatibus, cap.* 37. περὶ Κιτρίου, *de Citrio*: (*pag.* 329. *Tom.* IV. *ed. Graec. pag.* 42. *Cl.* II. *ed. Lat.*) Καὶ τοῦτο τὸ Μηδικὸν ὀνομάζουσι μῆλον, οἱ μηδὲν ὧν φθέγγονται συνιέναι σπουδάζοντες. *Id quoque malum Medicum appellant, qui id agunt, ut, quae loquuntur, nemo intelligat.* PLINIUS *libr.* XII. *cap.* III. *Malus Aſſyria, quam alii vocant Medicam, venenis medetur.* Et mox: *tentavere gentes transferre ad ſeſe, propter remedii praeſtantiam, fictilibus in vaſis, dato per cavernas radicibus ſpiramento; qualiter omnia tranſitura longius, ſeri arctiſſime*
trans-

(*a*) ETIAM] Haec particula hoc loco abundat, & a melioribus Codicibus abeſt. TR.

(*b*) Ὑπάρχειν] In *ed. Baſil.* legitur participialiter ὑπάρχον: & hinc in verſione Latina: *qui in Aegyptiorum regione innocuus exiſtat.* TR.

transferrique meminiſſe conveniet, ut ſemel quaeque dicantur. Sed niſi apud Medos & in Perſide, naſci noluit. Haec eſt autem, cujus grana Parthorum proceres incoquere diximus eſculentis, commendandi halitus gratia. Nec alia arbor laudatur in Medis. Cum autem Plin. ait, *diximus*, revocat nos ad *cap.* LIII. *libr.* XI. quo de anima agens, ait: *Hujus quoque tamen reperta poena eſt: ut neque idipſum, quo vivitur, in vita juvaret. Parthorum populis hoc praecipue, & a juventa, propter indiſcretos cibos: namque & vino foetent ora nimio. Sed ſibi proceres medentur grano Aſſyrii mali, cujus eſt ſuavitas praecipua, in eſculenta addito.* Quod poſtremum, Plinio auctore, SERVIUM in ſuis ad *lib.* II. *Georg. commentariis* adnotaſſe credibile eſt. Inde certe illuſtratur quod VIRGILIUS ait: *v.* 134.

Animas & olentia Medi
Ora fovent illo, & ſenibus medicantur anhelis.

Id eſt, ut SERVIUS interpretatur, δύσπνοιαν, ſeu pulmonis vitioſum anhelitum, & δυσωδίαν oris. De hoc etiam Mediae proprio malo, SOLINUS in *Polyhiſtore*, *cap.* XLIX. (*Salm.* XLVI.) ſcribit haec: *Hos terrarum ductus excipit Media, cujus arbor inclaruit, etiam carminibus Mantuanis.* Et mox: *uſurpare ſibi nemora iſta optaverunt & aliae nationes, per induſtriam tranſvecti (a) germinis: ſed beneficium ſoli Mediae datum, natura reſiſtente, terra alia non potuit maturari.*

CCXXXVII. Medica quoque herba, quae in pecorum jumentorumque pabulis tantopere commendatur a CATONE (*b*) *de re Ruſtica cap.* XLI. VARRONE *libr.* I. *de re Ruſtica cap.* XLII. VIRGILIO *lib.* I. *Georgic. v.* 215. COLUMELLA *libr.* II. *cap.* XI. a Perſis, ſeu Medis, originem duxit. PLINIUS *libr.* XVIII. *cap.* XVI. *Medica externa etiam Graeciae, ut a Medis advecta per bella Perſarum, quae Darius intulit: ſed vel in primis dicenda.* Cujus dotes ibidem praedicat. SERVIUS in *libr.* I. *Georg.* ad verba, *v.* 215. *Tunc te quoque, Medica, putres Accipiunt ſulci: Ad ipſam*, ait, *herbam* ἀντιφθόριον *facit: Haec autem herba a Medis tranſlata eſt in Graeciam, quo tempore eam invaſerunt.* SUIDAS: Μηδικὴ πόα, ἡ τρίφυλλος λεγομένη. *Herba Medica, ſive ea, quae trifolium vocatur.* Vide & de ea DIOSCORIDEM *libr.* II. *cap.* CLXXVII. His & haec adde. SUIDAS: Μηδικὸς ὄρνις, ὁ ταώς. *Medica avis, id eſt, pavo.*

CCXXXVIII. Praeterea Gallos Gallinaceos e Perſide primum prodiiſſe, indeque in alias orbis terrarum regiones devectos, ATHENAEUS *libr.* XIV. *pag.* 655. ex Menodoro Samio tradit. Unde a Graecis Gallus, Περσικὸς ὄρνις vocatur. ARISTOPHANES in *Avibus*, v. 834.

Ὄρνις ἀφ' ἡμῶν τοῦ γένους τοῦ Περσικοῦ·
Ὅσπερ λέγεται δεινότατος εἶναι πανταχοῦ,
Ἄρεως νεοττός.

Avis a nobis genere Perſico:
Quae dicitur graviſſimus eſſe ubique
Martis pullus.

ad quem locum *Scholiaſtes*: Μέμνηται καὶ τῶν ἀλεκτρυόνων λόγου· Μῆδος γὰρ λέγεται· Ἄρεως δὲ νεοττὸς, ἐπεὶ ἄλκιμος καὶ μάχιμος. *Nequaquam hic loci gallum gallinaceum intelligit, nam Medica avis appellatur: Martis vero pullus, quod robuſtus & pugnax ſit.* Et mox ibidem: (*ad. v.* 836.) Ἄρεως νεοττός· νεοττοί τινες ἀλεκτρυόνες λέγονται, ὡς καὶ Μῆδοι. *Martis pullus: pulli quidam Galli gallinacei dicuntur, ut & Medici.* HESYCHIUS: Περσικὸς ὄρνις, ἀλεκτρυών. *Perſica avis, gallus gallinaceus.* SUIDAS: Περσικὸς ὄρνις, ὁ ἀλέκτωρ, διὰ τὴν λοφίαν· ἢ ὅτι τὰ πολυτελῆ πάντα (*c*), οἷς ὁ βασιλεὺς ἐχρῆτο, ἐκαλεῖτο Περσικά. Καὶ μὴν παρὰ Ἀριστοφάνει, ἀντὶ ἰδίου ὄρνις Περσικός. *Perſica avis, ſic dicitur gallus gallinaceus propter criſtam, vel, quia omnia pretioſa & ſumptuoſa, quibus rex Perſarum utebatur, vocabantur Perſica. Apud Ariſtophanem tamen ſignificatione communi, nec peculiari, quaevis avis Perſica ſic dicitur.* Ex Media vero petitos Phaſianos, φασιανούς, quos Ptolemaeus Rex Alexandriae in palatio alebat, ATHENAEUS *libr.* XIV. *cap.* 20. *pag.* 654. refert.

CCXXXIX. Ceterum Papyri & Chartarum, vel Parthis ipſis uſum incognitum, oſtendit PLINIUS *lib.* XIII. *cap.* XI. *circa fin.* his verbis: *Nuper & in Euphrate naſcens circa Babylonem Papyrum, intellectum eſt eundem uſum habere chartae. Et tamen adhuc malunt Parthi veſtibus litteras intexere.* Membranis vero uſos Perſas argumento eſt, quod res ab illis geſtae, quae litteris mandari conſueverant, in Membranas redigebantur. Cujuſmodi membraneis Regiorum Annalium codicibus uſum ſe, in ſuis Perſicis conſcribendis, ipſemet Cteſias profeſſus erat, quemadmodum DIODORUS SICULUS *libr.* II. *cap.* 32. *pag.* 146. (*St.* 84. *Rh.* 118.) ſcribit his verbis: οὗτος οὖν, de Cteſia loquitur, φησὶν ἐκ τῶν βασιλικῶν διφθερῶν (ἐν αἷς οἱ Πέρσαι τὰς παλαιὰς πράξεις κατά τινα νόμον εἶχον συντεταγμένας) πολυπραγμονῆσαι τὰ καθ' ἕκαστα, καὶ συνταξάμενον τὴν ἱστορίαν εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξενεγκεῖν. *Hic regiis membranis, uti ajunt, (in quibus res antiquas Perſae, juſſu legis cujuſdam ordine deſcriptas habebant,) ſtudioſe indagavit ſingula, inque hiſtoricum ordinem redacta ad Graecos tranſtulit.*

CCXL. Atque ut Perſicarum antiquitatum ſtudioſis, quoad ejus fieri poterit, fiat ſatis, aliquid de Menſuris & Nummis Perſicis adſpergam. Perſae itinera Paraſangis metiebantur. PLINIUS *libr.* VI. *cap.* XXVI, *Inconſtantiam menſurae diverſitas auctorum facit, cum Perſae quoque (d) Schoenis & Paraſangis, alia menſura determinent.* FESTUS *lib.* XIV. *Paraſangae, apud Perſas viarum menſurae.* Παρασάγγης autem, ut HERODOTUS *libr.* II. *cap.* 6. rurſuſque *libr.* V. *cap.* 53. tradit, δύναται τριήκοντα στάδια, *valet triginta ſtadia.* Idem *libr.* VI. *cap.* 42. Artaphernem, Sardium praeſidem, Joniae menſuram per Paraſangas, tributi imponendi cauſa, egiſſe ſcribit his verbis: τὰς χώρας σφέων μετρήσας κατὰ παρασάγγας, τοὺς καλέουσι οἱ Πέρσαι τὰ τριήκοντα (*e*) στάδια. *Per paraſangas (ita Perſae tricena ſtadia appellant) regiones eorum diviſit.* HESYCHIUS: Παρασάγγης,

(*a*) TRANSVECTI] In *edd.* quas ego vidi, legitur: *tranſlati germinis & inſerti.* & in fine h. l. *mutuari.* TR.

(*b*) CATONE] In ejus libro de R. R. nihil hac de re reperi. Caeterum ad loca ab auctore adducta addi poſſunt VARRO *de* R. R. *lib.* II. *cap.* 2. PALLADIUS *lib.* III. *cap.* 6. & *lib.* V. *cap.* I. TR.

(*c*) Πάντα] Hanc vocem ex editis ſupplevi. Deinde pro ἰδίου in *noviſſ. ed.* legitur ἰδίως. TR.

(*d*) QUOQUE] Sequentia in *editt.* quas vidi, leguntur: *ſchoenos & paraſangas alii alia m. d.* TR.

(*e*) Τριήκοντα] τριάκοντα legitur in *ed. Gronovii.* TR.

γης, μέτρον ὁδοῦ τριάκοντα σταδίους ἔχον. *Paraſanga, menſura itineris, triginta ſtadiorum.* SUIDAS; Παρασάγγης, εἶδος μέτρου Περσικοῦ· ὅπερ ἐν τριάκοντα σταδίοις. *Paraſanga, menſurae Perſicae genus, quod triginta ſtadia continet;* Xenophontisque verba adducit. Idem & AGATHIAS *libr.* II. *pag.* 42. (59.) Herodoti Xenophontiſque auctoritate tradit: additque, Geruloa ſeu Bajulos humeris onera portantes apud Lazos, ſingulis Paraſangia confectia, onera poſuiſſe: aliuſque in eorum locum ſubeuntibus, pauliſper quieviſſe: idque factitantes, eodem ſpatio, itinera metiri ſolitos: ſpatia tamen iſta non παρασάγγας, ſed ἀναπαύλας ab eis eſſe nominata. Schoenis quoque menſuram egiſſe Perſas, PLINIUS, illo *libr.* VI. *cap.* XXVI. quem paulo ante citavi, loco, ducet. *Callimachus* apud PLUTARCHUM, περὶ φυγῆς, de exilio, *pag.* 602. Μὴ μετρεῖν Σχοίνῳ Περσίδι τὴν σοφίαν, *Non debere nos ſapientiam Schoeno Perſico metiri.*

CCXLI. Ea vero, quae menſura conſtabant, ACHANIa Perſae admetiebantur. HESYCHIUS; Ἀχάνας· τοὺς μὲν Περσικὰ μέτρα. *Achanes, quidam inter Perſicas menſuras referunt.* SUIDAS: Ἀχάνη. μέτρον ἐστὶ Περσικὸν, ὥσπερ ἡ Ἀρτάβη παρὰ Αἰγυπτίοις. ἐχώρει δὲ μεδίμνους Ἀττικοὺς με, ὡς μαρτυρεῖ Ἀριστοτέλης. *Achane, menſura eſt Perſica, ut Artabe apud Aegyptios. continebat quadraginta quinque medimnos Atticos, quemadmodum teſtatur Ariſtoteles.* EUSTATHIUS in *lib.* II. *Odyſſeae;* ἀλλ' αἱ Ἀχάναι, ἃ ἐν κίσταις, Περσικὰ μέτρα ὄντα· ἐν οἷς ἀπετίθεντο ἐπισιτισμοὶ τοῖς θεωροῖς. *Sed Achanae, quae & Ciſtae dicuntur, Perſicae menſurae erant; in quibus recondebant commeatum, qui oraculum conſulturi ibant.* Qua de re ſe alibi dicturum pollicetur: quod praeſtitit in ejuſdem *Odyſſ.* τ. (XIX.) ubi ait: Καθάπερ ἡ χοῖνιξ, ὅτω καὶ ἡ Ἀχάνη, μέτρον Βοιώτιον, πολλῶν τινῶν φασὶ μεδίμνων. Περσικὰ δὲ, φασι, μέτρα καὶ Ἀχάνας, ἃς καὶ κίστας ἐκάλουν τινες· εἰς ἃς ἀπετίθεντο ἐπισιτισμοὺς οἱ ἐπὶ θεωρίαν πεμπόμενοι. *Quemadmodum Choenix, ſic & Achane, menſura erat Boeotica, multorum, ut tradunt, medimnorum. Verum Achanas dicunt Perſicas fuiſſe menſuras, quas & Ciſtas aliqui vocabant: in quibus, qui mittebantur ad oraculum conſulendum, commeatum reponebant.*

CCXLII. Porro Perſas Annum habuiſſe in CCCLXV. dies deſcriptum, CURTIUS *lib.* III. *cap.* 3. §. 10. auctor eſt (*a*). Vernum quoque aequinoctium obſervaſſe eos, nuptiarum ſtata tempora, quae ex STRABONE *libr.* XV. *pag.* 1066. (733.) ſupra (§. CLVIII.) attigimus, demonſtrant.

CCXLIII. Perſae autem nummis aureis, Darii forma percuſſis, utebantur: qui quod ejus Principis imaginem, inſculptam haberent, inde *Daricorum* nomen traxerunt. Χαρακτῆρα enim Δαρεικοῦ habuiſſe eos, DIODORUS *libr.* XVII. *cap.* 66. *pag.* 211. (*St.* 597. *Rh.* 540.) ait. Unde venuſte Socratem dicere ſolitum, βούλεσθαι Δαρεικὸν ἔχειν μᾶλλον φίλον, ἢ τὸν Δαρεῖον, *Se malle Daricum habere amicum, quam Darium,* PLUTARCHUa περὶ φιλαδελφίας, *de fraterno amore,* refert. Regi utique Dario, quemadmodum HERODOTUa *libr.* IV. *cap.* 166. tradit, cura fuit, memoriam ſui, ad poſteros tranſmittere inſigni aliquo opere, quod ab alio nullo Regum factum eſſet: eaque de cauſa ex auro quam potuit purgatiſſimo monetam percuſſit. Quem aemulatus Aryandes, Aegypti Praetor, idem ex argento fecit: verum ea re comperta, inſimulatum, quaſi rebellaret, novaſque res moliretur, Darius morte adfecit. Darici autem, ait HARPOCRATION, erant χρυσοῖ στατῆρες. ἐδύνατο δὲ ὁ εἷς τοσοῦτον ὅσον καὶ ὁ χρυσοῦς ὁ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ὀνομαζόμενος. ὠνόμασται δὲ Δαρεικοὶ, οὐχ ὡς οἱ πλείους νομίζουσιν, ἀπὸ Δαρείου, τοῦ Ξέρξου πατρὸς, ἀλλ' ἀφ' ἑτέρου βασιλέως. λέγουσι δὲ τινες δύνασθαι τὸν Δαρεικὸν ἀργυρᾶς δραχμὰς ὀκτώ· (*b*) ὡς τοὺς πέντε Δαρεικοὺς δύνασθαι μνᾶν ἀργυρίου *Stateres aurei quorum unus valebat aureum Atticum. Darici tamen, non ut plerique exiſtimant, a Dario Xerxis patre, ſed ab alio rege nomen acceperunt. Sunt qui tradant Daricum valere drachmas argenteas viginti: ita ut quinque Darici facerent argenti minam.* HESYCHIUS: Δαρεικοὶ, οἱ χρόνοι στατῆρες. ἐκλήθησαν δὲ (ὥς τινες φασὶν) ἀπὸ Δαρείου τοῦ τῶν Περσῶν βασιλέως. *Darici, aurei ſtateres. ita dicti, uti quidam tradunt, a Dario Perſarum rege.* Verum illic mendum eſt in verbo χρόνοι: pro quo repone χρυσοῖ. Cui non omnino conſentit SUIDAS: non quidem primis ſed noviſſimis verbis. Ait enim: Δαρεικὸς, νόμισμά τι ἦν χρυσοῦν, ὅπερ Δαρεῖος πρῶτος ἐκόψατο. *Daricus nummus aureus, quem Darius primus cudi juſſit.* Et mox (*c*): Εἰσὶ μὲν χρυσοῖ στατῆρες οἱ Δαρεικοί. ἐδύνατο δὲ ἕκαστος αὐτῶν ὅπερ καὶ ὁ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ὀνομαζόμενος χρυσός· (emenda χρυσοῦς) οὐκ ἀπὸ Δαρείου, τοῦ Ξέρξου πατρὸς, ἀλλ' ἀφ' ἑτέρου τινὸς παλαιοτέρου βασιλέως ὠνομάσθησαν. λέγουσι δὲ τινες δύνασθαι τὸν Δαρεικὸν δραχμὰς ἀργυρίου εἴκοσι· ὡς τοὺς πέντε Δαρεικοὺς δύνασθαι μνᾶν ἀργυρίου. *Darici ſunt aurei ſtateres: quorum ſinguli tantundem valebant, quantum qui apud Atticos vocabatur aureus. Non autem a Dario Xerxis patre, ſed ab alio quodam antiquiore rege nomen acceperunt. Quidam autem dicunt, Daricum valere viginti drachmas argenti, ita ut quinque Darici valeant minam argenti.* Et ita Daricos accipe apud PLUTARCHUM in *Artaxerxe*, non ſemel, & LUCIANUM in *Navigio*, ſeu *Votis*, *cap.* 18. *pag.* 260. *Tom.* III. & in *Toxari*, *cap.* 57. *pag.* 562. *Tom.* II. item apud ATHENAEUM *lib.* XII. *cap.* 9. *pag.* 534. cum Alcibiadem ait, Timaeam Agidis Lacedaemoniorum Regis uxorem, miſſis Daricis mille, de ſtupro appellaſſe.

CCXLIV. Perſarum etiam nummos Sagittarii nota ſignatoa fuiſſe, docet Ageſilai jocus, qui Aſia decedena fertur amicia dixiſſe, ὡς τρισμυρίοις τοξόταις ἐξελαύνοιτο τῆς Ἀσίας, ὑπὸ βασιλέως· *Triginta millibus ſagittariorum ſe a rege Aſia pelli.* τὸ γὰρ Περσικὸν νόμισμα, addit (*d*) PLUTARCHUa in *Artaxerxe*, *pag.* 1021. τοξότην ἐπίσημον εἶχε. *Nam nomiſmatis Perſici inſigne erat ſagittarius.*

CCXLV. Poſterioribus vero temporibus Perſarum Regibus argenteum tantum, non item aureum

(*a*) EST] De anno & menſibus Perſarum prolixe admodum egit *Th. Hyde* in opere *de Religione veterum Perſarum.* TR.

(*b*) Pro ὀκτὼ lege εἴκοσι. L. Recte: auctor tamen ſine dubio in ſua editione reperit, ut edidit: hinc enim dicit, Suidam in noviſſimis verbis diſſentire ab Harpocratione. Hic vero ſcriptor ſine dubio ex eodem cum Suida fonte ſua hauſit. TR.

(*c*) Haec deſumta eſſe ex Schol. Ariſtoph. ad Eccleſ. v. 598. p. 741. 742. jam monuit Clariſſ. Kuſterus in notis ſuis; in cujus porro editione χρυσοῦς, quemadmodum mox Briſſonius emendat, habetur. L. In ſua tamen *ed. Ariſtophanis pag.* 455. idem retinuit χρυσός. TR.

(*d*) Locus Plutarchi citabatur in priori edit. ex Apophth. cum tamen ſit in vita Artaxerxis, uti jam reſcripſi, cap. ſcil. 31. pag. ed. H. Steph. 1867. L. Extat tamen quoad ſenſum ſimilis locus in *Apophtheg. Lacon. pag.* 211. & in *vita Ageſilai*, *pag.* 604. TR.

rorum nummum nota ſua ſignatum percutere licuiſſe, PROCOPIUS *libr.* III. *de bello Gothico*, *cap.* XXXIII. *pag.* 163. (543.) ſcribit (*a*): Καίτοι νόμισμα μὲν ἀργυροῦν ὁ Περσῶν βασιλεὺς, εἰ βούλοιτο, ποιεῖν εἴωθε· χαρακτῆρα δὲ ἴδιον ἐμβαλέσθαι στατῆρι χρυσῷ οὔτε αὐτῷ θέμις, οὔτε δὲ ἄλλον ὁντινοῦν ἐν βαρβάροις βασιλέα τῶν πάντων βαρβάρων· καὶ ταῦτα, μάλλον ὄντα χρυσοῦ κύριον· ἐπεὶ οὐδὲ τοῖς ξυμβάλλουσι προΐεσθαι τὸ νόμισμα τοῦτο οἷοί τέ εἰσι, κἂν βαρβάρους τοὺς ξυμβάλλοντας εἶναι ξυμβαίνοι. *Monetam quidem argenteam Perſarum rex arbitratu ſuo cudere conſuevit: auream vero, neque ipſi, neque alii barbarorum regi, quamvis auri domino, vultu proprio ſignare licet: quippe ejuſmodi moneta commercio vel ipſorum barbarorum excluditur.*

CCXLVI. Perſicos quoque nummos *Stateras* vocat HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 130. ubi Democedi medico phialam *Stateribus* plenam dono a Darii uxoribus datam, refert. Quo genere nummorum etiam Phocenſes uſos AELIANUS *libr.* XII. *Variae Hiſtor. cap.* 1. indicat. *Stater* autem, ut SUIDAS exponit, erat τετράγωνον νόμισμα, καὶ τὸ ἑξάγιον, καὶ τὸ ζύγιον· ἢ εἶδος νομίσματος. Ἀριστοφάνης Πλούτῳ· Στατῆρσι δ' οἱ θεράποντες ἀρτιάζομεν· τουτέστι, νομίσμασι παίζομεν ἄρτια ἢ περιττά. *Quadratum numiſma, & ſextula, & zygium. vel genus numiſmatis. Ariſtophanes Pluto: Stateribus vero nos famuli ludimus par, impar. id eſt nummis ludimus par aut impar.* Verum apud Herodotum Staterum nomine Daricos intelligendos, ejus ipſius indicio prodam. Sic enim *libr.* VII. *cap.* 28. Pythii Lydi opulentiam memorans, χρυσίου δὲ, ait, τετρακοσίας μυριάδας Στατήρων Δαρεικῶν. *Auri vero quadragies centena millia nummum Daricorum.*

CCXLVII. Porro Perſica lingua cognitu difficilis habebatur a Graecis. Unde THEMISTIUS *Oration.* II. (XX. *pag.* 236.) χαλεπώτερον (*b*) ἂν (*c*) συνείης, ἢ τῆς Περσικῆς διαλέκτου. οἰνοπώλης δὲ καὶ ἀμπελουργὸς ἀκούων καὶ χαλκεὺς, ἔχοι ὅ τι οἴκαδε ἀποφέροι, *Difficilius, quam Perſarum linguam intelligas. quam ſi quis vinitor aut faber audiat, habet quod domum referat.* Proinde ſummae Themiſtoclis memoriae tribuitur, quod unum intra annum optime Perſice loqui didicerit, quemadmodum QUINTILIANUS *libr.* XI. *cap.* II. *circa fin.* ſcribit. Is enim, ut VALERIUS MAXIMUS *libr.* VIII. *cap.* VII. *ext.* 15. DIODORUS SICULUS *libr.* XI. *cap.* 57. *pag.* 447. (*St.* 271. *Rh.* 43.) PLUTARCHUS *in Themiſt. pag.* 126. cum AEMILIO PROBO in ejus *vita*, *cap.* 10. teſtantur, per ſummam iniquitatem patris pulſus, & ad Xerxem, quem paulo ante devicerat, confugere coactus, priuſquam in conſpectum ejus veniret, Perſico ſermoni ſe aſſuefecit: ut labore parta commendatione, Regiis auribus familiarem & aſſuetum ſonum vocis adhiberet. Alcibiadem quoque linguam Perſicam didiciſſe, ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* 9. *pag.* 535. auctor eſt. Peuceſtem etiam, ex cuſtode corporis Satrapem Perſidis ab Alexandro conſtitutum, Perſicam linguam didiciſſe narrat ARRIANUS *libr.* VI. *cap.* 230. *pag.* 273. Nomina autem Perſica fere omnia σ littera terminari, (*d*) HERODOTUS *libro* I. *cap.* 39. ſcribit his verbis: Τὰ οὐνόματά σφι ἐόντα ὅμοια τοῖσι σώμασι καὶ τῇ μεγαλοπρεπείῃ, τελευτῶσι πάντα ἐς τωὐτὸ γράμμα, τὸ Δωριέες μὲν Σὰν καλέουσι, Ἴωνες δὲ, Σίγμα. ἐς τοῦτο διζήμενος εὑρήσεις τελευτῶντα τῶν Περσέων τὰ οὐνόματα, οὐ τὰ μὲν, τὰ δ' οὔ, ἀλλὰ πάντα ὁμοίως. *Quaecunque apud illos nomina vel corporibus vel magnificentiae ſunt ſimilia, ea omnia in eadem terminantur litera, quam Dores San appellant, Jones Sigma. Et, ſi animadvertas attentius, deprehendas nomina Perſarum non quaedam, ſed omnia ſimiliter claudi.*

CCXLVIII. Sed enim non ingrata forte fuerit Perſicorum quorundam vocabulorum ex diverſis coacervata locis congeries. Perſica eſſe nomina, CANDYS, SARAPIS, GAZA, TYCTA, OROSANGAE, MITHRA, MAGI, PARADISUS, SATRAPA, PISACAE, ASTANDES, RYNDAX, CONDY, ARMAMAXA, GANGARAE, PARASANGAE, ſupra docui. His adde, CYRUM Perſico ſermone Solem ſignificare. Auctor CTESIAS, *cap.* 48. qui Paryſatidem Dario, praeter Artaxerxem, alium filium genuiſſe narrans, addit, καὶ τίθεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ἡλίου Κῦρον. *Et a Sole ipſum Cyrum appellat.* PLUTARCHUS in *Artaxerxe pag.* 1012. Ὁ μὲν οὖν Κῦρος, ἀπὸ Κύρου τοῦ παλαιοῦ τοὔνομα ἔσχεν. ἐκείνῳ δ' ἀπὸ τοῦ Ἡλίου γενέσθαι φασί. Κῦρον γὰρ καλεῖν Πέρσας τὸν Ἥλιον. *Cyrus nomen a priſco illo Cyro habuit: is a Sole, quem Perſarum lingua Cyrum appellari dicunt.* Idem & PLETHON in expoſitione eorum, quae in Magicis Zoroaſtris oraculis obſcurius dicuntur, (pag. 138. *Edit. M. Maittairii*) ſcribit. Unde apparet, toto, quod ajunt, coelo SUIDAM in hujus vocis Etymo errare. Sic enim ille: Κῦρος, ὁ Περσῶν βασιλεὺς, οὕτως ἐκλήθη, διὰ τὸ ἐν τῇ βασιλίνδα λεγομένῃ παιδιᾷ, [illegible] τῶν ἡλίκων. *Cyrus, Perſarum rex, ita vocatus eſt, quod in ludo, qui Baſilinda vocatur, ab aequalibus ſuis rex creatus fuiſſet.* DARIUS, lingua Perſica, idem ſignificat quod Graece ἐρξίης (*e*), id eſt coërcitus. XERXES, idem quod ἀρήϊος, id eſt martius, ſeu bellator. ARTAXERXES, idem quod μέγας ἀρήϊος, id eſt magnus bellator. Quod nos HERODOTUS *libr.* VI. *cap.* 98. docet. AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XIX. *cap.* 2. Perſas refert in acie Saporem ap-

(*a*) Textus hic Procopii ab editis in levioribus diſcrepat. L. Repraeſentabo igitur lectionem *nov. ed. Venetae*, poſt primum comma: ἢ βούλοιτο, π. ν. χ. δ. ι. ἐμβαλέσθαι ν. χ. οὔτε τῶν αὐτῶν ἄρχοντα θέμις, (lectio tamen auctoris in margine poſita eſt) οὔτε δὲ ἄλλον ὁντινοῦν ἐν β. τ. π. β. κ. τ. μ. ο. χ. ο. ι. ε. τ. ξ. προΐεσθαι τ. ο. τ. οἷοί τέ εἰσιν, εἰ καὶ β. τ. ξ. εἶναι ξυμβαίνοι. TR.

(*b*) Χαλεπώτερον] Nullus ex verbis hiſce ſenſus elici poteſt, niſi adſumantur verba antecedentia: ἀλλὰ τῶν μὲν ἄλλων, ὁπότε κομψεύοιντο ἐκ τῆς φιλοσοφίας τι λέγειν, χ. Senſus eſt: *Verum caeteros quidem, quum ex Philoſophia, aliquid exprimere conantur, difficilius, quam Perſice loquentes, intelliges: illum vero* (patrem ſcilicet Themiſtii) *etiam vinitor, aut aerarius faber audiens, haberet ſane, quod domum ſecum reportaret.* Qui vero haec verba paullo accuratius contemplabitur, is facile obſervabit, ea non probare, quae auctor exinde probare voluit. TR.

(*c*) Uſitatius συνίοις optativo modo: cum enim amat potentialis ἄν. S.

(*d*) Hinc Perſicam linguam Herodotum ignoraſſe colligit Gatakerus Adverſ. c. 21. L. Vide tamen *Th. Stanley not.* ad *Aeſchyl. pag.* 786. ubi Herodotum contra Scaligerum defendit. Caeterum plures veteris linguae Perſicae reliquias collegerunt *Guil. Burtonus* in ſingulari opere: *Conr. Geſnerus* in *Mithridates* ſive *de differentiis linguarum* quod cum *G. Waſeri* notis prodiit *Tiguri* 1610. 8. *Hadr. Relandus* in *Diſſ. ſingulari*, quae eſt VIII. inter ejus *Diſſertt. Miſcellaneas. Th. Hyde* in Opere *de Religione Perſarum:* qui obſervat, pleraque, quam a veteribus pro Perſicis venditantur, Medica potius eſſe vocabula, quam Perſica ſtricte ſic dicta. TR.

(*e*) Ἐρξίης] Immo potius ἑρξείης, ut legitur in *ed. Gronovii*, id eſt, *coërcitus*: ut nomen melioris fiat ominis. TR.

appellaſſe, ACHAEMENEM, & ARTAXERXEM (a), quod *Regibus imperans & Bellorum victor* interpretatur. ZOROASTREM Perſica lingua ἀστροθύτην ſignificare, LAERTIUS ex *Dinone*, *libr.* V. *Hiſtoriar.* ſcribit, in *Procemio libr. de vitis Philoſophorum*, *ſegm.* 8. CLEMENS vero, ut ſupra §. 57. dixi, *Zoroaſtrem vivum ſidus* ſignificare, *libr.* IV. *Recognitionum* ait. HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 64. οἱ δὲ Πέρσαι πάντας τοὺς Σκύθας καλέουσι Σάκας. *Perſae vero omnes Scythas Sacas vocant.* SOLINUS in *Polyhiſtor. cap.* LII. (*Salm.* XLIX.) *Scythas Perſae lingua ſua* SACAS *dicunt, & invicem Scythae Perſas, Charſaros* (b) *nominant.* CYRILLUS *Catecheſi* VI. *pag.* 57. ἀντὶ Κουβρίκου, Μάνην ἑαυτὸν ἐπονόμασεν· ἐπειδὴ κατὰ τὴν Περσῶν διάλεκτον τὴν ὁμιλίαν δηλοῖ, ἐπειδὴ γὰρ διαλεκτικὸς ἐδόκει τις εἶναι, Μάνην ἑαυτὸν ἐπονόμασεν, οἱονεὶ ὁμιλητικόν τινα ἀγαθόν. *Loco Cubrici, Manem ſe nominat: quae vox Perſarum lingua colloquium notat. Cum enim dialecticus eſſe videretur, Manes appellari voluit, ceu homo diſertiſſimus.* Apud Babylonios Spadones BACOV vocari, PLINIUS *libr.* XIII. *cap.* IV ſcribit. A Medis Canem SPACON appellari, HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 110. & JUSTINUS *libr.* I. *cap.* 4. *in fine*, teſtantur. TIGRIS vero Perſica lingua Sagittam ſignificat: & inde flumini nomen. Auctor CURTIUS *lib.* IV. *cap.* 9. §. 16. NARMALCHA (c) amnem regum ſonat, interprete AMMIANO MARCELL. *libr.* XXIV. *cap.* 2. & 6. GANGAMELA Perſis eſt Cameli domus, auctore STRABONE *libr.* XVI. *pag.* 1072. (737.) & PLUTARCHO in *Alexandro*, *pag.* 683. CAROA Perſica lingua τὸ ἀνδρῶδες καὶ πολεμικόν, *virile & bellicoſum* ſignificat, ut ait idem STRABO *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) unde & furto viventes ait CARDACES appellatos. MEGABYSOS etiam ἡγεμόνας τοῦ Περσῶν βασιλέως, *duces Perſarum regis* vocari, ait HESYCHIUS. Idem HESYCHIUS, Παρασαγγιδιλόγοι· οἱ Πέρσαι τοὺς ἀγγελιαφόρους οὕτω λέγουσι. Παρασαγγιδιλόγοι: *Sic Perſae nuncios vocant.* Idem verba haec, Ἀβιλζακα, Ἀξαγγαπαυδίς, Ἀρταῖοι, Ἀρῶς, Perſica eſſe ait. Idem HESYCHIUS Ἄρξιφος· ἀετὸς παρὰ Πέρσαις. *Arxiphos, Perſis eſt aquila.* Idem, Αὐλίσκοι, ἐνώτια, Πέρσαι. Αὐλίσκοι *Perſis dicuntur inaures.* Ac rurſus, Βίσταξ· ὁ βασιλεὺς παρὰ Πέρσαις. *Biſtax regem notat Perſis.* Item, Δαρεῖος, παρὰ Πέρσαις, ὁ φρόνιμος, *Darius apud Perſas prudentem ſignificat.* Sed & στρατόπεδον Περσῶν, *caſtra Perſarum*, eorum lingua PASARGADA dicebatur, ut auctor eſt STRABO, *libr.* XV. (d) Perſicum gladium ACINACEM vocari HERODOTUS ait *libr.* VII. *cap.* 54. EUSTATHIUS in *Odyſſ.* τ. (XIX.) Αἴλιος δὲ Διονύσιος λέγει, ὅτι Περσικὸν ὄνομα καὶ ὁ Μανδύας· ἔοικε δὲ φησὶ φαινόλῃ. *Aelius Dionyſius ſcribit, vocem Mandyas Perſicam eſſe, & ſimilem eſſe penulae.* Piperis etiam nomen Perſicum eſſe, docet HIPPOCRATES, *libr.* II. Γυναικείων, his verbis: τὸ Ἰνδικόν, ὃ καλέουσιν οἱ Πέρσαι Πέπερι, καὶ ἐν τούτῳ ἐνὶ στρογγύλον, ὃ καλοῦσι Μυρτίδανον. *Indicum, quod Perſae Piper vocant, & in hoc ineſt rotundum, quod appellatur Myrtidanum.* Sed & ex PLAUTI *Perſa* vocabula multa Perſica colligi poſſunt. De Perſicorum nominum varietate, vide STRABONEM *libr.* XVI. *in extremo*, *pag.* 1131. *ſeq.* (785.) Fere ad metam pervenimus. Reſtat enim aliud nihil, quam ut Perſarum corpora terra condamus: hoc uno praemiſſo, finem vitae Perſarum longiſſimum octuageſimum annum fuiſſe. Cambyſis enim legati, Regi Aethiopum interroganti, χρόνον ὁκόσον μακρότατον ἀνὴρ Πέρσης ζώει· *longiſſimum tempus, quod Perſae viverent:* reſponderunt: Ὀγδώκοντα ἔτεα ζόης πλήρωμα ἀνδρὶ μακρότατον (e) προκέεσθαι, *longiſſimum vivendi ſpatium homini Perſae proponi octoginta annos*, quemadmodum HERODOTUS *libr.* III. *cap.* 22. refert.

CCXLIX. Perſae vero magno apparatu funera celebrabant. Teſtis CURTIUS *lib.* III. *cap.* 12. §. 13. & 14. his verbis, *Alexander poſtero die cum cura ſepultis militibus, quorum corpora invenerat, Perſarum quoque nobiliſſimis eundem honorem haberi jubet: Matrique Darii permittit, quot vellet, patrio more ſepeliret. Illa paucos arta propinquitate conjunctos pro habitu praeſentis fortunae humari juſſit, apparatum funerum, quo Perſae ſuprema officia celebrarent, invidioſum fore exiſtimans, cum victores haud pretioſe cremarentur.* Cyrum in ultima valetudine mandaſſe quaedam de funere ſuo XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. ſcribit: quem locum SUETONIUS in *Julio*, *cap.* LXXXVII. (f) laudat. Apud Perſas autem cadavera humari, non cremari, vel rogo imponi, conſueviſſe, certum eſt. Apud XENOPHONTEM *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 238. [*p.* 187.] Cyrus moriens filiis mandat haec: Τὸ δ' ἐμὸν σῶμα, ὦ παῖδες, ὅταν τελευτήσω, μήτε ἐν χρυσῷ θῆτε, μήτε ἐν ἀργύρῳ, μηδὲ ἐν ἄλλῳ μηδενί, ἀλλὰ τῇ γῇ, ὡς τάχιστα, ἀπόδοτε. *Ceterum corpus meum, filii, quum diem in terris ſupremum clauſero, nec in auro condite, nec in argento, nec ulla in re alia, ſed terrae quamprimum reddite.* Ignem enim numinis loco habebant, eumque pro Deo colebant, ac venerabantur: & ideo humana corpora voranda conſumendaque Deo objicere, nefas atque impium cenſebant. Proinde Cambyſi vitio datum eſt, quod Amaſidis Aegyptii Regis cadaver cremari, contra patrium Perſarum morem, juſſiſſet. Haec nos HERO-

DOTUS

(a) ACHAEMENEM & ARTAXERXEM] Hanc lectionem ab imperita manu ortam cenſet Valeſius, qui ex *Cod. MSS.* emendat *Saanſaan & Pyroſen.* De Zoroaſtris nomine legendi, quos ſupra laudavi, & Interpp. Diogenis Laertii. TR.

(b) CHARSAROS] *Chorſaros* legitur in *edd.* quos ego vidi. TR.

(c) NARMALCHA] In lectione hujus nominis Codd. variant, ut & in lectione ſequentis GANGAMELA. Vide Interpp. & de poſteriori praeterea *Luc. Holſtenium* ad *Steph. Byzant. de Urbib. voc.* Γαυγάμηλα. De ſequenti voce Μεγάβυζος confer *Jac. Perizonii notas* ad *Aelian. Var. Hiſt. lib.* II. *cap.* 2. TR.

(d) LIBR. XV.] Ego hoc diſertis verbis apud Strabonem non reperi; licet colligi quodammodo poſſit ex loco *pag.* 1062. (730.) ſed diſertis verbis hoc tradunt STEPHANUS *de Urbibus*, *pag.* 534. & EUSTATHIUS ad *Dionyſ. v.* 1069. *pag.* 280. quae loca ſupra jam adduxit auctor *lib.* I. §. LIX. *in fine*. TR.

(e) Μακρότατον] Ita edidit Sylburgius; & ita quoque in editis Herodoti inveni: at in prima auctoris editione legitur μακρότερον; quae ſane lectio non eſſet aſpernanda, ſi Codicum auctoritate niteretur. TR.

(f) Poſt *laudat*, in ſuperiori editione leguntur haec: *Juſta patri mortuo feciſſe Cyrum, idem Xenophon libr.* VIII. *παιδ. narrat, his verbis:* ἔθυσε τά τε νομιζόμενα ἱερεῖα, καὶ τοῦ χοροῦ ἡγήσατο Πέρσαις κατὰ τὰ πάτρια, καὶ τὰ δῶρα διεδίδου: quae quia in erratorum notatione deleri juſſit Auctor, ſuſtuli. hic tamen repetere volui, quoniam non plane videbantur ab inſtituto aliena. S. In *ed. Leuncl pag.* 233. in fine *h. l.* legitur δῶρα πᾶσι διέδωκεν. Latine vero redditur. *Heic quum rite rem ſacram procuraſſes, & ex inſtituto Patrio chorum Perſarum duxiſſet, ac pro more dona in omnes diſtribuiſſet* &c. Accuratius tamen locum intuenti patebit, in illo proprie non agi de juſtis funebribus; id quod auctorem quoque ſine dubio permovit, ut locum delendum cenſeret. TR.

Digitized by Google

DOTUS *libr.* III. *cap.* 16. docet his verbis; Καμβύσης δὲ ἐπεὶ ἐσῆλθε ἐς τὰ τοῦ Ἀμάσιος οἰκία, αὐτίκα ἐκέλευε ἐκ τῆς ταφῆς τὸν Ἀμάσιος νέκυν ἐκφέρειν ἔξω. ὡς δὲ ταῦτα ἐπιτελέα ἐγένετο, μαστιγοῦν τὸν νέκυν ἐκέλευε, καὶ τὰς τρίχας ἀποτίλλειν, καὶ κεντοῦν καὶ τἆλλα πάντα λυμαίνεσθαι, ἐπεὶ δὲ καὶ ταῦτα ἔκαμνον ποιεῦντες, (ὁ γὰρ δὴ νεκρὸς, ἅτε τεταριχευμένος, ἀντεῖχέ τε καὶ οὐδὲν διεχέετο) ἐκέλευσέ μιν ὁ Καμβύσης κατακαῦσαι· ἐντελλόμενος οὐκ ὅσια. Πέρσαι γὰρ θεὸν νομίζουσι εἶναι τὸ Πῦρ. τὸ ὦν κατακαίειν τοὺς νεκροὺς, οὐδαμῶς ἐν νόμῳ οὐδετέροισί ἐστι· Πέρσῃσι μὲν, δι' ὅπερ εἴρηται, θεῷ οὐ δίκαιον εἶναι λέγοντες (*a*) νέμειν νεκρὸν ἀνθρώπου. *Cambyſes ſimulatque in aedes Amaſidis ingreſſus eſt, imperavit cadaver Amaſidis e conditorio afferri: deinde prolatum verberibus caedi, ac vellicari, & ſtimulis pungi, omnibus denique modis vexari. Quod facientes poſtquam defatigati erant, (nam cadaver, utpote ſalitum, reſiſtebat, nec quicquam omnino elidebatur) juſſit cremari: haudquaquam ſancta jubens. quia Perſae deum ignem eſſe arbitrantur. & apud neutros moris eſt cremare cadavera: apud Perſas quidem, propter id, quod dictum eſt, quia neſas eſſe ajunt Deo depaſci cadaver hominis.* Inter argumenta librorum CTESIAE, refertur a PHOTIO caput hoc (*b*): Καὶ περὶ τοῦ θάψαντος τὸν πατέρα διὰ τοῦ Πυρὸς, παρὰ τὸν νόμον· ἐξ οὗ καὶ ἔλεγχος Ἑλλανίκου καὶ Ἡροδότου, ὡς ψευδομένων. *De ſepeliente patrem per ignem, contra legem: unde Hellanicus & Herodotus mendacii arguuntur.* Magos etiam ἀνόσιον ἡγεῖσθαι Πυρὶ θάπτειν, *impium arbitrari igni ſepelire*, DIOGENES LAERTIUS in *Prooemio Segm.* 7. tradit: quod & confirmat STRABO, *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) eum de honore, quem Pyropo Perſae habebant, loquens, ait: Διὸ οὐδὲ νεκρῷ ἐπιφέρουσι, καθάπερ οὐδὲ τὸ Πῦρ, κατὰ τιμήν. *Quare neque mortuo apponunt, quemadmodum nec ignem, ob honorem, quem ei deferunt.* Itaque Paryſatidem caput & dextram Cyri ſepeliiſſe, in CTESIAE *Fragmentis cap.* 58. legimus. XENOPHON *libr.* VII. de Abradata mortuo, *pag.* 184. τοὺς μὲν εὐνούχους, τοὺς θεράποντας αὐτοῦ, ὀρύττειν ἐπὶ λόφου τινὸς θήκην τῷ τελευτήσαντι. *Ajunt & eunuchos & famulos ipſius quodam in tumulo ſepulcrum mortuo fodere.*

CCL. Quae cum ita ſe habeant, mirum eſt quod JUSTINUS *libr.* XIX. *cap.* 1. §. 10. *ſeq.* ſcribit, legatos a Dario Perſarum Rege Carthaginem miſſos, adſerentes Edictum, *quo Poeni humanas boſtias immolare, & canina carne veſci, probibebantur: mortuorum corpora cremare potius quam terra obruere, a Rege jubebantur: quibus cupide paruere.* Inter caetera utique crimina, quae Seoſi objecta fuere, PROCOPIUS *libr.* I. *de bello Perſico*, *cap.* XI. *pag.* 244. (32.) haec narrat (*c*): Καινά τε γὰρ αὐτὸν δαιμόνια σέβειν, καὶ τελευτήσασάν οἱ ἔναγχος τὴν γυναῖκα θάψαι· ἀπειρημένον τοῖς Περσῶν νόμοις γῇ κρύπτειν ποτὲ τὰ τῶν νεκρῶν σώματα. οἱ μὲν οὖν δικασταὶ θάνατον τούτου κατεψηφίσαντο. *Nova ipſum numina colere, & cum lex eſſet de non humandis cadaveribus, fato recens functam uxorem humo mandaſſe. His arceſſitum criminibus Judices capite damnarunt.*

CCLI. Cera vero oblita fuiſſe corpora, priuſquam humo mandarentur, oſtendit HERODOTUS, qui *libro* I. *cap.* 140. ait: κατακηρώσαντες δὲ ὦν τὸν νέκυν Πέρσαι, γῇ κρύπτουσι. *Mortuum cera oblitum terra condunt Perſae.* STRABO *libr.* XV. *pag.* 1068. (735.) θάπτουσι δὲ, κηρῷ περιπλάσαντες τὰ σώματα. *Corpora cera oblita ſepeliunt.* CICERO *lib.* I. *Tuſculanar. Quaeſt. cap.* 45. *Condiunt Aegyptii mortuos, & eos domi ſervant: Perſae jam Cera circumlitos condiunt* (*d*): *ut quam maxime permaneant diuturna corpora.*

CCLII. Alium vero a populi Perſici moribus diverſum humandi ritum Magi obſervabant. Etenim, ut CICERO *libr.* I. *Tuſculanar. Quaeſt. cap.* 45. ſcribit, *Magorum mos erat, non humare corpora, niſi a feris eſſent ante laniata.* HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 140. inter ea, quae ut parum ſibi liquido comperta & explorata, de Perſarum moribus ſcribit, ponit haec: ὡς οὐ πρότερον θάπτεται ἀνδρὸς Πέρσεω ὁ νέκυς, πρὶν ἂν ὑπ' ὄρνιθος ἢ κυνὸς ἑλκυσθῇ (*e*). Μάγους μὲν γὰρ ἀτρεκέως οἶδα ταῦτα ποιέοντας. ἐμφανέως γὰρ δὴ ποιεῦσι. *Cadavera defunctorum Perſarum non prius humantur, quam aut ab alite, aut cane trahantur. Magos quidem certe ſat ſcio haec factitare, quandoquidem aperte faciunt.* STRABO *libr.* XV. *pag.* 1068. (735.) τοὺς δὲ Μάγους οὐ θάπτουσιν, ἀλλ' οἰωνοβρώτους ἐῶσι. *Magos non ſepeliunt, ſed alitibus devorandos dimittunt.* Quem morem poſtea Parthos uſurpaſſe docet JUSTINUS: de Parthis enim *libr.* XLI. *cap.* 3. §. 5. loquens: *Sepultura vulgo, aut avium aut canum laniatus eſt. Nuda demum oſſa terra obruunt.* Idem etiam poſtremis Perſarum temporibus, in uſu fuiſſe PROCOPIUS teſtatur. Apud eum enim, *libr.* I. *de bello Perſico*, *cap.* XII. *pag.* 244. (33.) Cabades Iberos Aſiam incolentes ad fidem deſerendam ſollicitans, αὐτῶν τῷ βασιλεῖ Γουργένῃ ἐπέστελλε τά τε ἄλλα ποιεῖν, ἃ Πέρσαι νομίζουσι, καὶ τοὺς νεκροὺς τῇ γῇ ὡς ἥκιστα κρύπτειν, ἀλλ' ὄρνισί τε ῥιπτεῖν καὶ κυσὶν ἅπαντας. *Gurgeni ipſorum regi mandavit, ut cum ceteros Perſarum ritus amplecteretur, tum imprimis ne mortuos tumularet, ſed in praedam avibus canibuſque projiceret.* AGATHIAS autem *libro* II. *pag.* 43. *ſeq.* (60. *ſeq.*) haec de Perſicae ſepulturae ritibus ſcribit (*f*): *Tunc demum Mermerois demortuum corpus, qui circa ſe erant, elatum, & extra urbem* de-

(*a*) Λέγοντες] *Jac. Gronov. ex MS. Med.* ſubſtituit λέγουσι: qui praeterea paullo ante poſt νομίζουσι inſerit particulam τε. TR.

(*b*) HOC] Inter *Fragmenta* ad calcem Herodoti legitur *cap.* 56. TR.

(*c*) Editio Pariſ. 1662. habet κενά, *vana*. cui lectioni Briſſonii praeferrem. Eadem mox pro, τοῦτο ἀπαγορεύοντος, legit, τῶν ἀνθρώπων κατεγνώκασι. L. Mihi tamen lectio *ed. Pariſ.* non diſplicet. Intelligitur vero per *vana*, ſive *inania* nomina ſine dubio Deus verus inviſibilis, quem Chriſtiani & Judaei colunt, quod illuſtrari poteſt ex TACITO *Hiſt. lib.* V. *cap.* 9. §. 1. & *cap.* 5. §. 8. Non vero locus hic ita accipiendus, ut quidam faciunt, ac ſi cadaver cremare potius debuiſſet; hoc enim magis adhuc fuiſſet nefarium. Sed abdita humatione, (ne ſcilicet terram polluerent, ut cenſet *Hyde*) inſtituerunt Perſae, cadavera beſtiis & avibus dilaceranda objicere. Caeterum de loco Juſtini ſubſiſto: neque diſplicet eorum ſententia, qui illi per vocum trajectionem medicinam parant. Sed conſulat lector Interpretes, & deinde judicet ipſe. TR.

(*d*) CONDIUNT] In *edd.* quos ego vidi, legitur: P. *etiam c. c. condunt.* TR.

(*e*) Ἑλκυσθῇ] ἑλκυσθῆναι ex *MS. Med.* reponit *Jac. Gronovius* TR.

(*f*) SCRIBIT] Quia Interpres, quem auctor ſequitur, non ubique ſatis eſt accuratus, adſcribam & hic verba ipſa Graeca ex *nov. ed. Veneta.* Τότε δὴ τὸ σῶμα τοῦ Μερμερόου οἱ ἀμφ' αὐτὸν ἀνελόμενοι, καὶ ἐκτός που τῆς πόλεως ἀποκομίσαντες, οὕτω δὴ ἐρριμμένον, καὶ ἀκάλυπτον κατὰ τὸν πάτριον ἔθιμον νόμον, κατέλιπον μόνον καὶ ἔρημον τοῖς ὅσα μιαρά τε καὶ νεκροβόρα θηρία ἕρμαιον γενησόμενον. οὐδὲ γὰρ τοι ὅσιον οἱ Πέρσαι νομίζουσι, ταφῇ τε τὸν νεκρὸν ἀποκρύπτειν, γυμνὸν δὲ τῷ ὄντι τοῖς κυσὶ ... τὰ νεκρὰ ... θῆναι χρῆναι ἐμβαλοῦσι ... τοὺς τεθνεῶτας, ὃ καὶ τῇ γῇ κατακεχωσμένοι, ἐοικὸς θέμις αὐτοῖς. ἐφ' ὅτω δ' ἂν σώματι μὴ

θᾶττον

deſtinato in loco depoſitum, ſolum nudumque reliquerunt, canibus ſimul & avibus, vel ejuſmodi ceteris obſcaenis & ſarcovoris animantibus laniandum & abſumendum. Hunc ex lege ſervant Perſae ſepulturae ritum, nudata ut carnibus oſſa per campos diſperſa jaceant, velint. Apud hos namque in arcam urnamve mortuos condere, vel terra obruere, haudquaquam fas eſt. Cadaver vero, ad quod non ſtatim dilacerandum advolent aves, aut canes accedant, hominis fuiſſe adfirmant, qui inquinatis moribus fuerit, iniquiorisque animi, & dignus plane qui in barathrum detrudatur, in pravique Daemonis ditionem ut veniat: & propinqui mortuum tunc maxime deflent, ut cui nihil putent ſpei reliquum eſſe; nec parcae melioris participes fore. Quod ſi quam celerrime mortuus devoretur, beatum hunc & felicem dicunt, hujuſque animam & demirantur quam maxime, & Deo ſimilem faciunt, & dignam omnino, quae in campos Elyſios deferatur. Accedit etiam, quod ſi obſcuriores quidam, & infimae ſortis, interea dum rem militarem exercent, graviſſimo morbo acrius urgeantur, ut vel ſpirantes adhuc & ſobrios efferant, & quodam depoſitis loco, panis fruſtum & aquam, baculumque juxta apponant, ut quamdiu cibum poterunt deguſtare, & virium aliquid his relinquitur, eo ſe baculo a belluis tueantur, & convivas hoc abigant ad ſe venientes. Sin vero vel ſpirantes adhuc vis morbi pervicerit, atque adeo, ut manus movere nil queant; tum miſeros illos & ſemimortuos, incipienteſque animam exhalare, aves caneſque devorant, & vitae ſpem demunt, ſi qua tunc forte fuiſſet. Qui vero ex ex aegritudine convaleſcunt, & ſe domum receperunt, haud ſecus viſi aliis ſunt, ut in Tragoedicis ſit tabernaculis, ac ſi tenebrarum e foribus prodiiſſent, & extenuati prorſus, oriſque colore alienato, obviis timorem incuterent: unde univerſi hos averſantur, & perinde ut omnium ſceleratiſſimos confeſtim defugiunt, & tanquam apud inferos adhuc foro agentes declinant: nec priſtinis & conſuetis ad vitam muneribus frui, prius hos ſinunt (a), *quam per Magos admiſſa in ſe inquinatio expurgetur, quam perinde ex mortis expectatione contraxerant, & quaſi ut vivere poſſint, poteſtatem recipiant.* Idem ACATHIAS *eod. lib. pag.* 50. *ſeq.* (70. *ſeq.*) refert, Philoſphos quoſdam e Perſide in patriam redeuntes, incidiſſe in cadaver cujuſdam inceſto matris coitu polluti: quod inſepultum abjectum, alitibuſque expoſitum, illi humanae condicionis miſeratione, & patrio Graecorum more, terra obruere ſemel atque iterum, ſed fruſtra & incaſſum, conati, cum ſemper e terra corpus exiſteret atque emineret: quod cum mirum illis videretur, uni tandem ex his ſpectrum ſeſe obtulit; & eum, qui male illos habebat, ſcrupulum exemit, hoc diſticho:

> Μὴ θάπτε τὸν ἄθαπτον· ἔα κυσὶ κύρμα γενέσθαι.
> Γῆ πάντων μήτηρ μητροφθόρον οὐ δέχετ' ἄνδρα.

> *Ne tumules orbum tumulo, canibus ſine praedam.*
> *Terra parens, matrem qui conſtupraverit, odit.*

quod male quidam ſub Titulo parricidarum locant, & ad πατροφόνους ſeu πατροκτόνους referunt, quod de μητροφθόρῳ ſcriptum eſt. Sed his Agathiae verbis Perſis in aeternam claudamus lumina noctem.

θᾶττον καταστάσθαι οἱ ἄρνες, ἢ οἱ κύνες ἐπὶ τὸ νεκρὸν ἐπιφοιτῶντες διασπαράξωσι, τοῦτον δὴ ἡγοῦνται τὸν ἄνθρωπον, βέβηλον γεγονέναι τὴν γνώμην, καὶ τὴν ψυχὴν ἄδικον, καὶ βαραθρώδη, καὶ τῷ κακῷ δαίμονι ἀνειμένην. τότε δὲ ἂν καὶ μᾶλλον οἱ ἐπιτήδειοι, ὡς ἀσέμνως ὀλοφύρονται, ὡς τελεωτάτῳ τεθνηκότι, καὶ οὐ μέτον αὐτῷ τῆς κρείττονος μοίρας. ὁ δὲ ἂν τάχιστα καταβρωθείη, μακαρίζουσι τῆς εὐδαιμονίας, καὶ τὴν ψυχὴν ὑπερφυῶς ἀποθειάζουσιν ὡς λίαν θείαν καὶ θεοειδῆ, καὶ ἐς τὸν ἀγαθὸν χῶρον ἀναβησομένην. οἱ δὲ πολλοὶ καὶ ἀσημότεροι, εἴτε ἐν στρατοπέδῳ τύχοιεν αἰτίᾳ τινὶ δυσαλθεστάτῃ πεπιεσμένοι, ἔμπνοοι ἔτι ἄγονται καὶ νηφάλιοι. ἐπειδὰν δέ τις οὕτως ἐκτεθείη, ἄρτου τε αὐτῷ καὶ ὕδατος καὶ βακτηρίας ξυμπαρακειμένων, καὶ μέχρι μὲν οἷός τε εἴη τῶν ἐδωδίμων ἀπογεύεσθαι, καί τι δυνάμεως αὐτῷ ὑπολείποιτο, ὁ δὲ ἀμύνεται δὴ τῇ βακτηρίᾳ ταύτῃ τὰ ἐπιόντα τῶν ζώων, καὶ ἀποσοβεῖ τὰ δαινύμενα. εἰ δὲ ὅτι μὴ διαφθαρείη, νικώη δὲ ὅμως τὸ πάθος τὸ αὐτὸ ὡς μηκέτι κινεῖσθαι τὼ χεῖρε, τότε δὴ τὸν δείλαιον ἡμιθνῆτα καὶ ἄρτι ψυχορραγοῦντα διαχόμενοι κατεσθίουσι, καὶ ἀποσφαιροῦνται τὴν ἐλπίδα τῆς ἴσως ἂν καὶ ἀναβιώσεως. πολλοὶ γὰρ ἤδη ἀναρρωσθέντες ἀπονενοστήκασιν ἐς τὰ οἰκεῖα, ὥσπερ ἐν σκηνῇ καὶ τραγῳδίᾳ ἐκ τῶν σκότου πυλῶν ἀφιγμένοι, ὠχροί τινες καὶ ἀπεσκληκότες, καὶ οἷοι δεδίξασθαι τοὺς ἐντυγχάνοντας. εἰ δέ τις οὕτως ἐπανήξει, ἐκτρέπονταί γε αὐτὸν ἅπαντες, καὶ ἀποφεύγουσιν ὡς ἐναγέστατον, καὶ ὥσπερ τοὺς χθονίους ἔτι τελοῦντα, καὶ οὐ πρότερον αὐτῷ ἐφεῖται τῆς συνήθους μεταλαχεῖν διαιτήματος, πρὶν ὑπὸ τῶν Μάγων ἀποκαθαρθείη τὸ μίασμα ἤδη τοῦ ἐλπισθέντος θανάτου, καὶ οἷον ἀναπολάβοι τὸ αὖθις βιῶναι.

(a) Graeca in Vulcanii ed. p. 57. ſic habent, πρὶν ὑπὸ τῶν Μάγων ὑποκαθαρθείη τὸ μίασμα ἤδη τοῦ ἐλπισθέντος θανάτου, καὶ οἷον ἀναπολάβοι τὸ αὖθις βιῶναι. Ut hic potius legendum ſit, *priuſquam a Magis expiatum fuerit illud piaculum ſcilicet expectatae mortis, & illi velut reddita revivendi poteſtas.* Vulcanius vertit, p. 51, *donec a Magis expiatum fuerit piaculum exſpectatae mortis, & quodammodo vita reducetur.* S.

F I N I S.

BAR-

BARNABAE BRISSONII JC.

SENATUS PARISIENSIS PRAESIDIS,

DE

REGIO PERSARUM PRINCIPATU

LIBER TERTIUS.

I. Operi inſtituto tanquam faſtigium liber hic imponet: quo rem cognitione digniſſimam, & quae in Perſicarum antiquitatum tractatione non infimum locum obtinet, deſcribendam exponendamque ſuſcepimus: Militarem nimirum Perſarum diſciplinam atque induſtriam, ex quo non modicam laudem ea gens olim adepta eſt. Ad eam certe multum ſtudii non privati modo, ſed & Reges ipſi, adbibebant. Etenim Περσῶν βασιλέα τῶν πολεμικῶν ἔργων ἰσχυρῶς ἐπιμελεῖσθαι, *Perſarum regem bellicarum rerum maxime ſtudioſum eſſe*, XENOPHON in *Oeconomico* ſive *Memorab. lib.* v. *pag.* 828. [*p.* 654.] ſcribit. Bellicae utique laudes ſupra ceteras ſemper in populo Perſico eminuerunt, eximioque ac praecipuo honore in Perſide fortitudine praeſtantes viri adficiebantur. Primas enim honoris & gloriae partes bellicae Virtuti tribuiſſe Perſas, HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 136. ſignificat, cum ait: Ἀνδραγαθίη δ' αὕτη ἀποδέδεκται, μετὰ τὸ μάχεσθαι εἶναι ἀγαθὸν, ὃς ἂν πολλοὺς ἀποδέξῃ παῖδας. *Secundum bellicam fortitudinem, potior ducitur numeroſae prolis procreatio.* Eaque vel maxime gratia ab ineunte aetate Equitare, Jaculari, Sagittareque diſcebant: Venatu etiam exercebantur. Haec enim juſti proelii quaſi praeludia erant. Et ita laboribus militaribus tolerandis paene a pueris adſueſcebant. AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXXI. *cap.* 2. de Alanis: *Juventus vero equitandi uſu a prima pueritia coaleſcens, incedere pedibus exiſtimat vile; & omnes militaris diſciplinae* (*a*) *prudentes, ſunt bellatores. Unde etiam Perſae, qui ſunt originales Scythae, pugnandi ſunt peritiſſimi.* Eademque de cauſa, & natare diſcebant, aeſtumque & frigus perpeti: Ἅμα καὶ μεγαλοφωνίαν, καὶ πνεῦμα, καὶ πλευρὰν ἀσκοῦντες· καὶ πρὸς καῦμα δὲ, καὶ πρὸς ψῦχος, καὶ ὄμβρους, καὶ χειμάῤῥων διαβάσεις, ὡς ἄβροχα φυλάττειν καὶ ὅπλα καὶ ἐσθῆτα. *Simul & vocem, & latus, & ſpiritum exercentes. Quia & adverſus aeſtum, frigus, imbres & ad torrentium tranſitus eos condocefaciunt, ut arma & veſtes immadidas ſervent;* quemadmodum STRABO *libr.* XV. *pag.* 1066. (734.) & ex eo EUSTATHIUS in *Dionyſ. de ſitu Orbis*, *v.* 1056. *pag.* 279. memorant.

II. Quin etiam vel in alta pace gladio ſemper accincti ambulabant, ut AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIII. *cap.* 6. indicat his verbis: *Omnes tamen* (de Perſis loquitur) *promiſcue, vel inter epulas feſtoſque dies, gladiis cincti cernuntur: quem Graecorum veterum morem abjeciſſe primos Athenienſes, Thucydides eſt auctor ampliſſimus.* JOSEPHUS etiam *libr.* XVIII. *Antiquit. Jud. cap.* III. (*al.* II.) Regem Parthorum inter epulas a ſuis caeſum obtruncatumque narrans, ſubjicit: Μαχαιροφορεῖν γὰρ ἔθος ἅπασιν. *Gladios enim omnes geſtare ſolent.* Quod Romanis, qui non niſi in procinctu, & ſagis ſumptis, gladio accingebantur, Barbaricum videbatur. Unde OVIDIUS *libr.* v. *Triſt. Eleg.* VII. *v.* 15. *ſeqq.* Getas ſemper enſe accinctos, mordet.

III. Equis quoque adſidue haeſiſſe Perſas, nec unquam pharetras humeris ſuſpenſas poſuiſſe, HERODIANUS *lib.* VI. *cap.* 12. (*al.* 5, 9.) teſtatur his verbis: Τόξοις δὲ καὶ ἵπποις οὐκ εἰς τὸν πόλεμον μόνον χρῶνται, ὥσπερ Ῥωμαῖοι· ἀλλ' ἐκ παίδων σὺν αὐτοῖς ἀνατρέφονται, καὶ θηρῶντες διαιτῶνται, οὔτε τὰς φαρέτρας ποτὲ (*b*) ἀποθέμενοι, οὔτε τῶν ἵππων ἀποβαίνοντες, ἀεὶ δὲ αὐτοῖς χρώμενοι, ἢ κατὰ πολεμίων, ἢ κατὰ θηρίων. *Arcubus autem & equis non in proelio tantum more Romanorum utuntur; ſed a pueritia uſque enutriuntur una, venatu invigilantes, pharetratique ſemper, ac nunquam ex equis deſilientes, ſive bellum gerant, ſive feras conficiant.*

IV. Jam Perſae, ex quo primum per aetatem arma ferre poterant, in numeros referebantur. A viceſimo vero anno ſtipendia merere coepiſſe, STRABO *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) docet his verbis: Στρατεύονται δὲ καὶ ἄρχουσιν ἀπὸ εἴκοσιν ἐτῶν ἕως πεντήκοντα, καὶ πεζοὶ καὶ ἱππεῖς. *Militant & ordines ducunt a vigeſimo anno uſque ad quinquageſimum & pedites & equites.*

V. Nec vero vacationem militiae quiſquam habebat.

(*a*) MILITARIS DISCIPLINAE] *Multiplici diſciplina* legitur in *ed. Gronovii*: & paullo poſt *originitus*, pro *originales* TR.

(*b*) Editi, ἀποτιθέμενοι, quemadmodum & infra Noſter [§. XXII.] p. 297. [& ſupra *lib.* II. §. CIV.] Locus hic Herod. falſo in priori edit. citabatur e libro V. cujuſmodi errores frequentes occurrebant, etiam ubi nihil monuimus. L.

bebat. Ad Delectum itaque cuncti juniores reſpondere, & nomina dare, Regemque in militiam euntem ſequi cogebantur. Atque adeo aegre indigneque ferebant Reges, militiae vacationem a ſe poſtulari, cum in expeditionem proficiſcebantur.

VI. Proinde Darius, qui primus poſt ablatum Medorum (*a*) Imperium, Perſas & magnam partem Orientis obtinuit, cum bellum Scythis Orientem cingentibus indixiſſet, rogatus ab Oeobazo nobili ſene, ut ex tribus liberis unum, in ſolatium, Patri relinqueret, duorum opera uteretur: plus, quam rogabatur, pollicitus, omnes ſe illi remiſſurum dixit: & occiſos in conſpectu parentis abjecit: quemadmodum HERODOTUS *libro* IV. *cap.* 84. & SENECA *libro* III. *de Ira*, *cap.* XVI. narrant. Xerxes quoque Pythio Lydo, quinque filiorum patri, unius vacationem petenti, quem vellet, eligere permiſit: deinde quem elegerat, in partes duas diſtractum, ab utroque viae latere poſuit, & hac victima luſtravit exercitum, ut HERODOTUS *libro* VII. *cap.* 39. & SENECA ejuſdem *libri* III. *de Ira*, *cap.* XVII. memoriae prodiderunt. Grave ergo & Regibus invisum delictum erat, militiae munus detrectare. Cum autem copiae conſcribendae erant, exercituſque cogendus, alicui ex Satrapis id negotii dediſſe Regem, ait HERODIANUS *libr.* III. *cap.* I. Idemque *libr.* VI. Mercenario milite Perſas aetate ſua minime uſos tradit; ſed nec ſtativis caſtris exercitum habitum: verum omnem populi, ac vel ipſarum quandoque mulierum multitudinem, Regis Imperio cogi ſolitam: quae mox bello peracto ſuas protinus in ſedes dimittebatur, abſque aliis ſtipendiis, commodis, aut praemiis, quam his, quae cuique ex praeda ſupererant. Verba HERODIANI *lib.* VI. *cap.* 12. (*al.* 5.) de Perſis loquentis ſunt: Οὐ γὰρ δὴ μισθοφόροις χρῶνται στρατιώταις οἱ βάρβαροι, ὥσπερ Ῥωμαῖοι, οὐδὲ στρατόπεδα ἔχουσι αἰεστῶτα (*b*) καὶ μόνιμα, πολέμων τέχνας ἐγγεγυμνασμένα· ἀλλὰ πᾶν τὸ πλῆθος τῶν ἀνδρῶν, ἔσθ᾽ ὅτε καὶ τῶν γυναικῶν, ὅταν κελεύσῃ βασιλεύς, ἀθροίζεται. διαλυθέντος δὲ τοῦ πολέμου, ἕκαστος εἰς τὰ ἑαυτοῦ ἐπανέρχεται, τοσαῦτα κερδήσας, ὅσα ἂν ἐξ ἁρπαγῆς αὐτῷ περιγένηται. *Neque enim mercenario milite utuntur barbari, quemadmodum Romani conſueverunt, neque ſtativis caſtris exercitus habent, qui bellorum actibus exerceantur: ſed omnis multitudo virorum, nonnunquam autem mulierum quoque, regis congregantur imperio, quae mox bello peracto ſuas protinus in ſedes dimittitur: ea demum belli praemia referens, quae cuique ex rapina ſuperfuerint.* AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIII. *cap.* 6. *Militari cultu ac diſciplina, praeludiiſque continuis rei caſtrenſis & armaturae, quam ſaepius formavimus, metuendi vel exercitibus maximis, equitatus virtute confiſi, ubi deſudat nobilitas omnis & ſplendor. Pedites enim in ſpeciem Mirmillonum contecti, juſſa faciunt, ut calones: ſequiturque ſemper haec turba tanquam addicta perenni ſervitio, nec ſtipendiis aliquando fulta, nec donis: & gentes plurimas, praeter eas, quas abunde perdomuit, ſub jugum haec natio miſerat, ita audax & ad pulveres Martios erudita, ut* (*c*) *bellis civilibus externiſque adſidue vexaretur.*

VII. Generaliter vero de Perſarum armatura haec HERODOTUS & XENOPHON ſcribunt. Ille quidem *libr.* VII. *cap.* 61. exercitum Xerxis recenſens, Πέρσαι μὲν, ait, ὧδε ἐσκευασμένοι· περὶ μὲν τῇσι κεφαλῇσι εἶχον τιάρας καλεομένους, πίλους ἀπαγέας· περὶ δὲ τὸ σῶμα κιθῶνας χειριδωτοὺς ποικίλους, λεπίδος σιδηρέης ὄψιν ἰχθυοειδέος· περὶ δὲ τὰ σκέλεα ἀναξυρίδας· ἀντὶ δὲ ἀσπίδων, γέῤῥα· ὑπὸ δὲ φαρετρεῶνες ἐκρέμαντο· αἰχμὰς δὲ βραχέας εἶχον, τόξα δὲ μεγάλα, ὀϊστοὺς δὲ καλαμίνους· πρὸς δὲ ἐγχειρίδια παρὰ τὸν δεξιὸν μηρὸν παραιωρεύμενα ἐκ τῆς ζώνης. *Perſae hunc in modum ornati: Circa caput geſtabant pileo (quas vocant tiaras) compacta; circa corpus tunicas manuleatas, variis ſquamis e ferro conſertis in ſimilitudinem piſcium: braccas circa crura: pro clypeis gerra, pharetris ſubter pendentibus: haſtas breves, arcus grandes, ſagittas arundineas: ad dextrum femur pugiones e baltheo ſuſpenſos.* Et paulo poſt, *cap.* 62. Μῆδοι δὲ τὴν αὐτὴν τούτοισι ἐσταλμένοι ἐστρατεύοντο. Μηδικὴ γὰρ αὕτη ἡ σκευή ἐστι, καὶ οὐ Περσική. *Medi eodem ornatu inſtructi militabant. nam haec armatura Medica eſt, non Perſica.* XENOPHON vero *libr.* VII. παιδείας, init. *pag.* 172. [*p.* 136.] Ὡπλισμένοι δὲ πάντες ἦσαν, οἱ περὶ τὸν Κῦρον, τοῖς αὐτοῖς Κύρῳ ὅπλοις, χιτῶσι φοινικοῖς, θώραξι χαλκοῖς, κράνεσι χαλκοῖς, λόφοις λευκοῖς, μαχαίραις, παλτῷ κρανείῳ ἑνὶ ἕκαστος· οἱ δὲ ἵπποι, προμετωπιδίοις καὶ προστερνιδίοις καὶ παραπλευριδίοις χαλκοῖς· τὰ δ᾽ αὐτὰ ταῦτα καὶ παραμηρίδια ἦν τῷ ἀνδρί. τούτῳ δὲ μόνον διέφερε τὰ Κύρου ὅπλα, ὅτι τὰ μὲν ἄλλα ἐκέχριστο τῷ χρυσοειδεῖ χρώματι· τὰ δὲ Κύρου ὅπλα, ὥσπερ κάτοπτρον ἐξέλαμπεν. *Erant autem omnes illi cum Cyro iiſdem armis inſtructi, quibus Cyrus: tunicis purpureis, loricis aeneis, aereis galeis, conis albis, gladiis & cornea quiſque tragula. Equi frontalibus & antilenis & lateralibus aereis armati erant. Ejuſdem materia feminalia cuique erant. Tantum Cyri arma differebant in hoc, quod reliqua colore aureo illita erant; at Cyri arma inſtar ſpeculi ſplendebant.* Vulgaria tamen Perſarum Arma, ſive ad nocendum, ſive ad tegendum, erant haec, Acinaces, Copis, Sagaris, Lorica, Gerra, Pelta, Tela, Jacula, Arcus, Sagittae, Fundae: de quibus ſingillatim dicam. Sane vulgarem Perſicum gladium ACINACEM appellatum nemo ignorat. HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 54. Περσικὸν ξίφος, τὸ Ἀκινάκην καλέουσι. *Perſicum gladium Acinacem appellant.* Unde POLEMON in *Epitaphio Callimachi*, *pag.* 16. Ἀκινάκην Μηδικὸν dixit.

VIII. Acinaces autem Perſarum breves fuiſſe, declarat JOSEPHUS, dum ſicariorum gladiolos adſimiles facit Acinacibus Perſarum. Sic enim *libr.* XX. *Antiquitat.* *cap.* VII. (*al.* VIII.) de ſicariis loquens: Χρώμενοι ξιφιδίοις, παραπλησίοις μὲν τὸ μέγεθος τοῖς τῶν Περσῶν Ἀκινάκαις, ἐπικαμπέσι δέ. *Utentes pugionibus, inſtar acinacis Perſici, ſed incurvis.* HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 61. dum Perſarum armaturam deſcribit, habuiſſe eos ait, ἐγχειρίδια παρὰ τὸν δεξιὸν μηρὸν παραιωρεύμενα ἐκ τῆς ζώνης. *Ad dextrum femur pugiones e baltheo ſuſpenſos.* MOSCHOPULUS ἐν συλλογῇ· Ἀκινάκης, ὁ Ἀκινάκης ἐστὶ δὲ ἐγχειρίδιον βαρβαρικὸν, ὃ φασὶν οἱ Ἕλληνες παραμαχαιρίδιον. *Acinaces, eſt pugio barbaricus, quem Graeci* παραμαχαιρίδιον *vocant.* Unde apparet pugiones ex zona aut baltheo appenſos habuiſſe, qui incumbebant in dextrum femur: cum ex altera parte ſagittae & pharetrae penderent. PLUTARCHUS in *Artaxerxe*, *pag.* 1026. de conjuratis, qui Artaxerxi caedem inferre moliebantur, ὡς δ᾽ εἶδεν ἐπανισταμένους τὰ ἐγχειρίδια καὶ προφερομένους. *Ut jam ſtringere pugiones, & adver-*

(*a*) MEDORUM] *Magorum* forte ſcribere voluit auctor. TR.

(*b*) Αἰεστῶτα] In *edd.* quas ego vidi, legitur συνεστῶτα. Paullo poſt τῷ ἀνδρί, pro ἱππ.

(*c*) UT] *Ni*, & in fine *vexarentur*, emendat *Valeſius* ex MS. TR.

verſum ſe tendere conſpexit. Alexandrum etiam, priore contra Darium proelio, in femore vulneratum ἐγχειρίδίῳ, PLUTARCHUS in *Alexandr. pag.* 675. narrat. Et certe, ut CURTIUS ait *lib.* III. *cap.* 12. §. 2. ſumma dumtaxat cutis in femine perſtricta, non prohibuit eum intereſſe convivio. Darius vero, cum animadvertiſſet, multum priore proelio ad victoriam obtinendam adjumenti longitudinem Gladiorum, Haſtilium, Spiculorumque attuliſſe, τὰ μὲν ξίφη, ut DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *cap.* 53. *pag.* 201. (*St.* 590. *Rb.* 530.) narrat, καὶ τὰ ξυστὰ, πολὺ μείζω τῶν προϋπαρχόντων ἐποίησε. *Gladios & baſtilia prioribus multo majores fecit.*

IX. Breviores quoque fuiſſe Perſarum gladios, indicio eſt, quod DIODORUS *libr.* XVII. *l. c.* de Dario, ad Iſſum bello victo, narrat: Τὰ ξίφη, καὶ τὰ ξυστὰ, πολὺ μείζω τῶν προϋπαρχόντων ἐποίησεν, διὰ τὸ δοκεῖν διὰ ταῦτα πολλὰ τὸν Ἀλέξανδρον ἐν τῇ περὶ Κιλικίαν μάχῃ πεπλεονεκτηκέναι. *Gladios & baſtilia prioribus multo majores fecit, quod Alexandrum iis multum in pugna in Cilicia praevaluiſſe putaret.* Vaginam autem Acinacis Perſicam ab eodem Dario in eam formam, qua Graeci utebantur, mutatam fuiſſe, Q. CURTIUS *lib.* III. *cap* 3. §. 6. ſcribit. ACINACEM tamen HESYCHIUS, SUIDAS, & Etymologici auctor, non ſulum Περσικὸν ξίφος, verum etiam μικρὸν δόρυ interpretantur.

X. COPIDEM Perſas dextra geſtaſſe, XENOPHON *libr.* II. παιδ. *pag.* 40. [*p.* 32.] docet. Etenim arma Perſarum recenſens ait: Κοπίς ἢ, ἢ Σάγαρις, εἰς τὴν δεξιάν. *Dextra copis vel ſagaris.* Idem XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 242. [*p.* 190.] Καὶ οἱ πεζοὶ ἔχουσι μὲν Γέῤῥα, καὶ Κοπίδας, ἢ Σαγάρεις, ὥσπερ ἐπὶ Κύρου, τὴν μάχην ποιοῦνται. *Itidem pedites bobent illi quidem gerra, & copidas, & ſagares, quibus perinde ac ipſius Cyri tempore proelium neant.* Copidem etiam ut gladii Perſici genus, PLUTARCHUS in *Alexandro pag.* 673. memorat. Idem in *Ariſtide*, *pag.* 330. Perſas in Plataeenſi pugna Copidibus uſos oſtendit, καὶ πρὸς τοῖς, inquiens, ξιφουλκίας οὐκ ἔχοντες (*a*) ἀργῶς, ἀλλὰ ταῖς τε Κοπίσι καὶ τοῖς ἀκινάκαις χρώμενοι. *Et cum ſtringerentur gladii, impigre copidibus & acinacibus utebantur.* POLEMON in *Epiſtolio Callimachi, pag.* 16. Οὐ Κοπίδα Περσικὴν, οὐ Σάγαριν Βαβυλωνίαν, οὐ πέλεκυν Φοινικόν (*b*). *Non Copide Perſica, non cuſpide Babylonia, non ſecuri Phoenicia.* Κοπίδα autem & μάχαιραν pro eodem uſurpat POLYBIUS (*c*) *in arte equeſtri:* traditque, ſublimi & edito loco plagam violentius Copide, quam enſe, infligi. Copidas vero fuiſſe gladios falcatos, & leviter curvatos, declarat Q. CURTIUS *lib.* VIII. *cap.* 14. §. 29. *Copidas vocant, Gladios leviter curvatos, falcibus ſimiles, queis amputabant belluarum manus.*

XI. SAGARI quoque uſos in proeliis, & haec illis communia cum Amazonibus arma fuiſſe, innuit XENOPHON Ἀναβασ. *libr.* IV. *pag.* 328. [*p.* 257.] Εἶχον τόξον Περσικὸν, καὶ φαρέτραν, καὶ Σάγαριν, οἵαν περ αἱ Ἀμαζόνες ἔχουσιν. *Qui arcum babebat Perſicum, & pharetram, & ſagarin, quali utuntur Amazones.* HESYCHIUS: πέλεκυν exponit, & μονόπηχυν. Sagarin tamen, Copiden, & Μάχαιραν, ut ſynonyma ponit XENOPHON *libr.* II. παιδ. *pag.* 41. [*p.* 34.] his verbis: Μάχαιρα ἢ, ἢ Σάγαρις, ἐν τῇ δεξιᾷ. *In dextra gladius vel ſagaris.* & alias eodem *libr. pag.* 40. [*p.* 32.] Κοπὶς ἢ, ἢ Σάγαρις, εἰς τὴν δεξιάν. *In dextra Copis vel Sagaris.*

XII. Praeterea Perſas milites loricatos fuiſſe, thoraceque ſquamis aſpero corpus texiſſe & muniſſe, HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 61. docet. Illic enim eorum arma deſcribens, habuiſſe ait, περὶ τὸ σῶμα κιθῶνας χειριδωτοὺς ποικίλους, λεπίδος σιδηρέης, ὄψιν ἰχθυοειδέος. *Circa corpus tunicas manuleatos, variis ſquamis e ferro conſertis in ſimilitudinem piſcium.* Idem *libr.* IX. *cap.* 22. de Maſiſtio Perſa, qui in Plataeenſi acie cecidit, οὗτος, ait, θώρηκα εἶχε χρύσεον λεπιδωτὸν· κατύπερθε δὲ τοῦ θώρηκος, κιθῶνα φοινίκεον ἐνεδεδύκεε. τύπτοντες δὲ ἐς τὸν θώρηκα αὐτοῦ, ἐποίευν οὐδέν. *Intus gerebat thoracem aureis ſquamis conſertum, deſuper tunicam phoeniceam. Ejus autem thoracem percutientes, nibil proficiebant.* XENOPHON *libr.* II. παιδ. Κύρου *pag.* 40. [*p.* 32.] Cyrum iiſdem armis Perſas induiſſe narrans, quibus Homotimi utebantur, in his ponit, θώρακα περὶ τὰ στέρνα, *thoracem circa pectus.* Idem *libr.* IV. παιδ. *pog.* 100. [*p.* 80.] Ἀλλὰ μὴν καὶ οἷς γε δεῖ ἄνδρα ἱππέα χρῆσθαι, ἔχομεν, θώρακας μὲν, ἐρύματα τῶν σωμάτων. *Quin & illa nobis ſuppetunt, quibus uti eques debet, nimirum thoraces, quibus corpora muniuntur.* Fuiſſe vero Perſarum Loricam ſquameam aut ſquamoſam, ſeu ſquamis conſertam, indicant HERODOTUS & STRABO: quorum ille *ll. cc.* κιθῶνα λεπιδωτόν: hic (*d*) (*lib.* XV. *pag.* 1067. *ſive* 734.) χιτῶνα φολιδωτὸν, vocat: quae duo idem valent. Nam quae in Reptilibus φολὶς, ea in Natantibus λεπὶς dicitur. Ac plane Loricae ſquamas tribuit VIRGILIUS *Aeneid. libr.* IX. *v.* 706. cum ait,

> —— —— *Quam nec duo taurea terga,*
> *Nec duplici ſquama Lorica fidelis & auro,*
> *Suſtinuit.*

Sic & SILIUS *libr.* V. *v.* 140.

> *Loricam induitur: tortos huic nexilis humos*
> *Ferro ſquama rudi permiſtoque aſperat auro.*

Quin etiam θώραξ a *Poſidippo* apud ATHENAEUM *libr.* XI. φολιδωτὸς appellatur. Priſcis vero temporibus lineas fuiſſe loricas tradit XENOPHON *libr.* VI. παιδ. *pag.* 169. his verbis: Ἐπεὶ δ᾽ ἤμελλε τὸν λινοῦν θώρακα, ὡς ἐπιχώριος ἦν αὐτοῖς, ἐνδύεσθαι, προσφέρει αὐτῷ ἡ Πάνθεια χρυσοῦν κράνος. *Quumque jam loricam lineam more patrio vellet induere, adfert, ei Panthea galeam auream.* Alexandrum, noviſſimo contra Darium proelio, θώρακα διπλοῦν λινοῦν, *loricam lineam duplam* geſtaſſe, ἐκ τῶν λαφύρων ἐν Ἰσσῷ, *ex ſpoliis ad Iſſum.* PLUTARCHUS in ejus *vita pag.* 684. refert. Et ita armatum fuiſſe Ajacem Oileum, HOMERUS *libr.* II. *Iliad. v.* 529. docet, λινοθώρηκα vocans. Cujuſmodi Loricas Iphicratem Athenienſem ducem probaſſe, AEMILIUS PROBUS in ejus *vita cap.* I. *in fine* ſcribit, his verbis, *Idem genus Loricarum mutavit: & pro ferreis atque*

(*a*) Ἔχοντες] Hoc ego verbum ex editis ſupplevi, ut mox particulam τε. TR.

(*b*) Φοινικόν] Malim Φοινικικήν, ut in altero Codice, dicit *Henr. Stephanus* in *notis.* TR.

(*c*) POLYBIUS] Auctor ſine dubio intelligit XENOPHONTIS libellum *de re equeſtri*, ubi haec non longe a fine leguntur. TR.

(*d*) HIC] Pronomina HIC, ILLE, ab auctore non recto loco poſita, ego tranſponere debui, ut verba cum locis veterum convenirent. TR.

que aeneis, Lineas dedit : quo facto expeditiores milites reddidit. Nam pondere detracto, ut (*a*) *aeque corpus tegerent, & leves eſſent, curavit.* Poſtea ex aere & ferro cudi apud Perſas Loricae coepere. XENOPHON *libr.* VII. *Paed. pag.* 172. ὡπλισμένοι δὲ πάντες ἦσαν οἱ περὶ τὸν Κῦρον θώραξι χαλκοῖς. *Omnes illi, qui cum Cyro erant, inſtructi erant loricis aereis.* Parthos etiam PLUTARCHUS in *Craſſo pag.* 557. ait in acie conſtitiſſe φλογοειδεῖς κράνεσι καὶ θώραξι, τοῦ Μαργιανοῦ σιδήρου στίλβοντος ὀξὺ καὶ περιλαμπές. *Flammae inſtar ſplendorem emittentes ſuis galeis & loricis, late rutilante Margiano ferro*, narrat. Plenius vero SUIDAS equitis Parthi Thoracem deſcribit hoc modo, *voce* Θώραξ· τὸ μὲν αὐτοῦ πρόσω, στέρνα τε, καὶ μηροὺς, καὶ χεῖρας ἄκρας, καὶ κνήμας, καλύπτει· τὸ δὲ ὄπισθεν, νῶτά τε, καὶ τὸν αὐχένα, καὶ τὴν κεφαλὴν ἅπασαν, περόναι δὲ ἐπ' αὐτοῖς ταῖς πλευραῖς πεποιημέναι· ὡς ἑκατέρωθεν τῶν μερῶν συμπεπηγότα, ὅλον σιδηροῦν ποιεῖ φαίνεσθαι τὸν ἱππέα. κωλύει δὲ οὐδὲν ὁ σίδηρος οὔτε τὰς ἐκτάσεις τῶν μελῶν, οὔτε τὰς συστολάς. οὕτως ἀκριβῶς αὐτὸς τὴν τῶν μελῶν φύσιν πεποίηται. *Thorax: Anterior ejus pars pectus, & femora, & ſummas manus, & crura tegit: Poſterior vero, dorſum, & cervicem & totum caput. Lateribus fibulae ſunt additae, quibus utraque pars tam apte convexa eſt, ut totus eques ferreus eſſe videatur. Nihil autem ferrum vel diductionem vel contractionem membrorum impedit, quoniam thorax corporis humani compagi apte accommodatus eſt.* Thoracem vero Perſarum AMMIANUS MARCELLINUS *libro* XXV. *princ.* ita deſignat: *Radiantes Loricae niveis limbis* (*b*) *circumdatae, ferrei & coruſci Thoraces longe proſpecti, adeſſe Regis copias indicabant.* Ex quibus apparet, Perſis continuum ferri tegimen fuiſſe; de qua poſteriorum temporum, armatura infra dicam. Ab Aegyptiis autem Thoracas mutuatos eſſe Perſas HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 135. indicat. Eos enim peregrina inſtituta facile ſibi adſciviſſe ait: Ξεινικὰ δὲ νόμαια Πέρσαι προσίενται ἀνδρῶν μάλιστα, καὶ γὰρ δὴ τὴν Μηδικὴν ἐσθῆτα, νομίσαντες τῆς ἑωυτῶν εἶναι καλλίω, φορέουσι· καὶ ἐς τοὺς πολέμους τοὺς Αἰγυπτίους θώρηκας. *Externorum autem morum Perſae maxime omnium hominum ſunt ſtudioſi. Nam & Medicam veſtem, propria elegantiorem arbitrantes geſtant: & in pugnis thoracibus utuntur Aegyptiis.* (*c*) Σπολάδα etiam pro Thorace quoſdam geſtaſſe POLLUX *libr.* VII. *cap.* XV. *Segm.* 70. *pag.* 737. ex Xenophonte refert.

XIII. Praeterea Perſae GERRA, id eſt e cratibus contexta ſcuta, clypeorum vice, geſtabant. Et quidem ἀντὶ Ἀσπίδων, Γέῤῥα habuiſſe eos, HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 61. auctor eſt. HARPOCRATION: Περσικὰ μέν τινα ὅπλα τὰ Γέῤῥα ἐστί. *Perſica quaedam arma Gerra ſunt.* SUIDAS: Γέῤῥα Περσικὰ ἐστι κυρίως ὅπλα. *Gerra proprie ſunt Perſica arma.* Et alibi, *voce* Γέῤῥον· Γέῤῥα, Ἀσπίδες Περσικαὶ ἐκ λύγων. *Gerra, ſic Clypei Perſici ex viminibus contexti vocantur.* Et mox: τινὰ δὲ δερμάτινα σκεπάσματα καὶ Περσικὰ, οἷς ἀντ' ἀσπίδων ἐχρῶντο. *Et tegmenta quaedam ex pellibus confecta, quibus Perſae clypeorum loco utebantur.* Similiter STRABO *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) de Perſis verba faciens: Ὁπλίζονται, ait, γέῤῥῳ ῥομβοειδεῖ. *Armantur cetra, in rhombi figuram facta.* Scuta quoque Perſica GERRA appellata, notat *Aelius Dionyſius*: ex quo EUSTATHIUS in *libr.* XXII. *Odyſſ.* haec deſcripſit; Γέῤῥα, ἀσπίδες Περσικαὶ, ἐκ λύγων, καὶ οἰσύϊναι. *Gerra, clypei Perſici ex viminibus.* Unde apparet, fuiſſe e vimine textas crates, quibus Clypeorum ſeu Scutorum loco utebantur. Et quidem Gerra haec ῥομβοειδῆ fuiſſe, STRABO ait *libr.* XV. *l. c.* id eſt, figura quadrilatera: quae aequilatera quidem, ſed non rectangula. At ῥομβοειδὲς, Mathematicis eſt, Quadrilaterum, quod neque aequilaterum eſt, neque rectangulum: habet autem oppoſita latera, & angulos inter ſe aequales. Sic enim ῥομβοειδὲς definitur ab EUCLIDE *libro* I. *Elementorum*: Τετράπλευρον, ὃ οὔτε ἰσόπλευρόν ἐστιν, οὔτε ὀρθογώνιον, ἔχει δὲ τὰς ἀπεναντίον πλευράς τε καὶ γωνίας ἴσας. *Quadrilaterum, quod neque aequilaterum, neque rectangulum eſt, ſed latera oppoſita & angulos inter ſe habet aequales.* Ea vero GERRA grandiora fuiſſe Scutis Romanorum, & Gallicis ſimilia, PAUSANIAS in *Phocicis* ſcribit (*d*): Ac plane totum corpus operuiſſe ea, ac ad pedes pertinuiſſe pertigiſſeque, indicio mihi eſt XENOPHON, qui *libr.* VIII. καὶ *pag.* 226. [*p.* 178.] μεγάλα ὁπλίζας Γέῤῥα, *gravis armaturae milites Gerra magna* habuiſſe ait. Apertiuſque *libr.* I. Ἀναβάσ. *pag.* 264. [*p.* 208.] σὺν ἀσπίσι ποδήρεσι, *cum ſcutis ad pedes uſque pertingentibus*, Perſas pugnaſſe & in acie conſtitiſſe ſcribit. Apud SUIDAM (*e*) Γεῤῥοφόροι exponuntur, οἱ τὰ Γέῤῥα, ἤτοι ξυλίνας καὶ ποδήρεις ἀσπίδας, φοροῦντες. *Qui Gerra, id eſt, ligneos & ad pedes uſque pertingentes clypeos geſtant.* Hinc eſt, quod AMMIANUS *libr.* XXIII. *cap.* 6. de Perſis; *Pedites*, ait: *in ſpeciem Mirmillonum contecti, juſſa faciunt.* Repugnat tamen ſuperioribus DIODORUS SICULUS, qui Perſas ſcutis & Peltis brevioribus uſos, leviorique armatura tectos, *libr.* XI. *cap.* 7. *pag.* 409. (*St.* 246. *Rh.* 6.) ita ſcribit; Τῶν δὲ Ἑλλήνων ὑπερεχόντων ταῖς ἀρεταῖς, καὶ τῷ μεγέθει τῶν Ἀσπίδων, μόγις ἐνέδωκαν οἱ Μῆδοι. *Graecis autem virtute & clypeorum magnitudine praevalentibus, vix tandem Medorum acies inclinare coepit.* Et mox de Ciſſiis & Sacis, (*f*) κλονούμενοι δ' ὑπὸ τῶν περὶ τὸν Λεωνίδην, καὶ βιαζόμενοι ὑπεχώρουν. Ἀσπίσι γὰρ καὶ Πέλταις μικραῖς οἱ βάρβαροι χρώμενοι, κατὰ μὲν τὰς δυσχωρίας ἐπλεονέκτουν, ἀκίνητοι γινόμενοι· κατὰ δὲ τὰς στενοχωρίας, τοὺς μὲν πολεμίους οὐκ εὐχερῶς ἐπίτρωσκον, συμπεφραγμένους, καὶ μεγάλαις Ἀσπίσι σκεπαζομένους ὅλον τὸ σῶμα· αὐτοὶ δὲ διὰ τὰς κουφότητας τῶν σκεπαστηρίων ὅπλων

(*a*) UT] In *recent. edd.* comma hoc ita legitur: *quod ac c. tegeret, & leve eſſet.* Caeterum de Loricis linteis veterum ſingularis *Diſſ.* auctore *Sigiſm. Jac. Apino* prodiit *Altorf.* 1719. qui etiam *Miſcell. Lipſ. Tom.* VI. & VII. varias hac de re obſervationes inſeruit. TR.

(*b*) NIVEIS LIMBIS] Cum in antiquiſſimis Codd. mox *Nimbis*, mox *Limbis* inveniretur: Librarii unum verbum in textum receperunt, alterum ad marginem poſuerunt: hinc alii imperitiores utrumque receperunt in textum: exinde ſcioli fecerunt vulgarem hanc, quae hic conſpicitur, lectionem. Quodnam vero ex hiſce duobus verbis ſit praeferendum, non audent certo determinare Interpretes: *Gronovius* interim *Limbis* edidit: & praeterea *ferreis*, pro *ferrei*. TR.

(*c*) Vid. not. ad Polluc. l. c. L.

(*d*) SCRIBIT] Intelligit ſine dubio locum *lib.* X. *cap.* 19. *pag.* 843. & *Lipſ.* ubi de ſcutis Gallorum ita loquitur: σχῆμα δὲ αὐτοῖς ἐστιν ἐγγυτάτω τῶν Περσικῶν γέῤῥων. *Scuta iis* (Gallis ſcilicet) *eadem prope forma ſunt, qua Perſarum Gerrha.* Adde eundem *lib.* VIII. *cap* 50. *pag.* 700. ubi de Achaeis ita loquitur: φοροῦντες γὰρ μικρὰ δοράτια καὶ ἐπιμηκέστερα ὅπλα, κατὰ τοὺς Κελτικοὺς θυρεοὺς, ἢ τὰ γέῤῥα τὰ Περσῶν. *Quum enim ante brevibus haſtis uterentur, & ſcutis oblongioribus, perinde ac ſunt Gallorum thyrei, & Gerrha Perſarum.* TR.

(*e*) SUIDAM] Ego haec verba apud SUIDAM reperire non potui: ſimilia quaedam occurrunt ſub voce Γέῤῥον. TR.

(*f*) Κλονούμενοι pro prior. ed. κλινόμενοι ex edit. Rhodomani repoſui. Locus ipſe Diodori in prior. edit. citatur falſo e libro XVII. L.

πλὴν ἐλαττούμενοι, πυκνῷ σχήματι ἀσθενῶν. *Sed a Lenidae militibus caeſi pulſique in fugam vertuntur Nam barbari clypeis peltiſque brevibus utentes in aperto campo, ob expeditum corporis motum meliori pugnae conditione erant; in anguſtis vero locorum non facile conſtipata hoſtium corpora, magniſque obtecta ſcutis vulnere poterant, ideo levis armaturae praeſidio inferiores, ictus crebriores accipiebant.* Quae verba, ut Scutorum Graecorum amplitudinem longitudinemque, ita ex contrario, Perſicorum brevitatem declarant. Clypeos certe Graecorum, ante Iphicratis tempora, maximos fuiſſe idem DIODORUS *libr.* XV. *cap* 44. *pag.* 36. (*St.* 480. *Rb.* 360.) docet, de Iphicrate loquens in hunc modum; Τῶν γὰρ Ἑλλήνων μεγάλαις Ἀσπίσι χρωμένων, καὶ διὰ τοῦτο δυσκινήτων ὄντων, περιεῖλε τὰς Ἀσπίδας, καὶ κατεσκεύασε Πέλτας συμμέτρους, ἀμφοτέρων (a) οὐ στοχασάμενος, τοῦ τε σκέπειν τὰ σώματα, καὶ τοῦ δύνασθαι τοὺς χρωμένους ταῖς Πέλταις, διὰ τὴν κουφότητα, παντελῶς εὐκινήτους ὑπάρχειν. *Mos fuerat Graecis hactenus prolixa geſtare ſcuta. Sed quum haec propter gravitatem ad motum impeditiora eſſent, forma illorum contracta, peltas modice conformatas ſubſtituit, duo praecipua hac innovatione ſpectans, tum ut corpus ſatis tegeretur, tum ut levitate magis ad uſum habilia forent.* Quorum verborum interpretationem faciet AEMILIUS PROBUS, qui in *Iphicratis vita*, *cap.* 1. §. 3. *ſeq.* praeclarum illum Athenienſem Imperatorem pedeſtria arma mutaſſe refert. *Nam cum*, ait ille, *ante illum Imperatorem maximis Clypeis, brevibuſque Haſtis, minutis Gladiis, uterentur: ille contrario Peltam pro Parma fecit, a quo poſtea Peltaſtae pedites appellantur: ut ad motus concurſuſque eſſent leviores.*

XIV. Inter Perſarum arma numerantur & *Palta*. Aliud eſt *Pelta*, aliud *Paltum*. *Pelta* enim, ut LIVIUS *lib.* XXVIII. *cap.* 5. tradit, *Cetrae haud diſſimilis* erat. SERVIUS in *lib.* 1. *Aeneid.* v. 294. *Peltas* interpretatur *ſcuta breviſſima, in modum Lunae jam mediae.* Unde & *Lunatas Peltas* VIRGILIUS *l. c.* NONIUS MARCELLUS *lib.* XVIII. *num.* 17. *Cetra, ſcutum breve: Virgil. libr.* VII. *Laevas Cetra tegit. Peltae, ſcuta Amazonica.* Ac plane PLINIUS *libr.* XII. *cap.* v. *Peltam Amazonicam* dixit. Cujuſmodi ſcutis armati, *Cetrati*, & *Peltaſtae* vocantur. LIVIUS *libr.* XIX. *cap.* 36. *Nocte, Cetratos, quos Peltaſtas vocant, loco opportuno inter bina caſtra in inſidiis abdiderat.* Quorum Peltaſtarum originem ad auctorem Iphicratem Athenienſem, referunt DIODORUS SICULUS *libr.* XV. *l. c.* & AEMILIUS PROBUS in *Iphicrate*, *l. c.* SUIDAS in Καταπέλτης: Πέλτη γὰρ ἀσπὶς μικρὰ μὴ ἔχουσα ἰτέαν· καὶ (b) καταπελτάται, οἱ τούτοις πέμποντες. *Pelta eſt parvus clypeus, loro carens. & καταπελτάται appellarunt.* MOSCHOPULUS ἐν συλλογῇ. ex AELIANO *de Inſtruendis aciebus*: Οἱ δὲ πελτασταὶ μέσῃ πως κέχρηνται σκευῇ. ἡ γὰρ πέλτη μικρά τις ἐστι καὶ κούφη, καὶ τὰ δόρατα πολὺ τῶν ὁπλιτῶν λειπόμενα. *Peltaſtae media utuntur armatura. Pelta enim parvus & levis clypeus eſt, & haſtis gravis armaturae militum longe brevior.*

XV. At *Paltum*, jaculi ſeu haſtilis genus eſt. SUIDAS: Παλτὰ, τὰ δόρατα. ὁ δὲ Κῦρος ἀναβὰς ἐπὶ τὸν ἵππον, τὰ παλτὰ ἐπὶ τὰς χεῖρας ἔλαβε· Ξενοφῶν (c). καὶ Ἀρριανός· ἐξηκόντιζον εἰς τοὺς προμαχομένους τοῦ τείχους, οἱ μὲν παλτά, οἱ δὲ τοξεύματα. ἐν δὲ τῇ δεξιᾷ ἔχων παλτὸν ὡς ἑξάπηχυ, ἔμπροσθεν μὲν λόγχην ἔχον, ὄπισθεν δὲ αὐτοῦ τὸ ξύλον σφαιροειδές. *Palta, Haſtilia. Cum autem Cyrus in equum aſcendiſſet, haſtilia manu corripuit. Xenophon. Et Arrianus: Ejaculabantur in propugnatores moenium, alii haſtilia, alii vero ſagittas. [Xenophon] Dextra tenens haſtile, ſex fere cubitorum, quod in parte anteriore cuſpidem habebat; at in poſteriore lignum, quod in figuram ſphaericam deſinebat.* HESYCHIUS: Παλτὰ, ἀκόντια, λόγχαι· Παλτοῦ, ἀκοντίου. Ἀκόντιον autem idem δοράτιον καὶ μικρὰν λόγχην exponit, id eſt haſtile, ſpiculum. Et hujuſmodi Paltis armati Adoleſcentes venatum proficiſcebantur, ut XENOPHON *libr.* 1. *Inſt.* *pag.* 5. ſcribit. Hiſceque *Paltis* uſos Perſas, ubi manus cum hoſte conſerebant, idem *libr.* VII. *Inſt.* *pag.* 172. indicat. Rurſuſque *libr.* VIII. *pag.* 272. cominus hiſce Paltis pugnatum, ex Cyri inſtituto, docet his verbis: Κῦρος δὲ μὲν ἀκροβολίζεσθαι ἀπέπαυσε, θωρακίσας δὲ καὶ αὐτοὺς καὶ ἵππους, καὶ ἐν Παλτὸν ἑκάστῳ δοὺς εἰς χεῖρα, ὁμόθεν τὴν μάχην ἐποιεῖτο. *Cyrus cum ex ferentariorum eos ordine eximeret, ac cum ipſos, tum equos cataphractos redderet, & cuique daret in manum paltum unum, cominus pugnandi rationem obſervabat.* Proinde quod *eod. libr. pag.* 215. ſcribitur: Ἐφείποντο δὲ οἱ περὶ αὐτὸν Σκηπτοῦχοι, ἐφ᾽ ἵππων κεκοσμημένοι, σὺν τοῖς Πελταῖς, *ſequebantur circa eum Sceptuchi ſuis in equis ornati, cum peltis*, an rectum ſit, in dubium vocari poteſt. Nam peltatos aut cetratos fuiſſe Sceptuchos, quod (d) aliquando probavi, nunc non placet: ac forte Παλτοῖς (e) ſcripſiſſe Xenophontem, primo aſpectu facile ſibi quiſque perſuaſerit. Verum Peltam etiam Πέλτον a Graecis vocari SUIDAS docet: ait enim: Πέλτον (f), Θρᾳκικὸν ὅπλον, καὶ ἀσπὶς ἴτυν μὴ ἔχουσα. *Peltum, ſcutum Thracicum, vel clypeus, umbonem non habens.* Quod autem ait ἴτυν, ab HESYCHIO illuſtratur, apud quem ἴτυς dicitur eſſe ἡ ἐσχάτη ἀψὶς, ἡ περιφέρεια τῆς ἀσπίδος καὶ τοῦ τροχοῦ, καὶ παντὸς περιφεροῦς τὸ τελευταῖον μέρος, *Extrema curvatura aut circumferentia clypei vel rotae, item omnis rei quae rotunda eſt, extrema ora.* Idem SUIDAS Peltas & Palta confundit in hunc modum; Πέλται, λόγχαι, καὶ ἀσπίδες τετράγωνοι, καὶ καταπέλται. *Peltae, haſtae. item parva ſcuta quadrata. & καταπέλται, Catapultae.* Sed & HESYCHIUS: Πέλτη, εἶδος ὅπλου, δόρυ ἢ μικρὰ ὅπλα. Πέλτη, ἀσπὶς ἴτυν οὐκ ἔχουσα, ἢ ὅπλου σκέπασμα, ἀκόντιον. Πέλτης, Θρᾳκικὸν ὅπλον. *Pelta, genus armorum, haſta: aut parva arma. Pelta, clypeus umbonem non habens, aut armorum tegumentum, jaculum. Pelta Thracicum armorum genus.*

(a) Ἀμφοτέρων] In editis legitur ἐξ ἀμφοτέρων. Sed particulam ἐξ pro ſupervacua habet *Cl. Weſſeling*, & hinc forte ab auctore fuit omiſſa. Poſt σκέπειν in excuſis additur ἱκανῶς. TR.

(b) Καταπελτάται & formatione ſuſpectum eſt, & tono. in Baſil. edit. Suidæ legitur καταπελταφέται, compoſita forma: eamque ſcripturam agnoſcit expoſitio, *qui tela e catapultis emittunt*, at πελτασταὶ ſunt *qui peltis in praelio utuntur*. S. Καταπελταφέται etiam habet editio nupera Cl. Kuſteri. L.

(c) Ξενοφῶν] Verba praecedentia ſunt ex *Xenophontis lib.* 1. *de Exped. Cyri*, *pag.* 268. Verba ἐξηκόντιζον uſque ad τοξεύματα ſunt ex *Arriano*: ſequentia ab ἐν δὲ uſque ad finem ſunt rurſus ex *Xenophonte*, & quidem ex *lib.* v. *de exp. Cyri*, *pag.* 352. Vide *Kuſteri notas*. TR.

(d) Supra ſc. libr. 1. §. 235. L.

(e) Παλτοῖς] Ita etiam edidit *Leunclavius*. TR.

(f) Vetti *Thracicum*, quod exiſtimem ex Heſychio Θρᾳκικὸν hic eſſe legendum. L. Ita etiam cenſet *Kuſterus*, qui praeterea pro καὶ edidit ἡ: & ultima verba ita reddit: *cujus ambitus ferro munitus non eſt*. TR.

nus. Denique Suidas (*a*): Πελτασταὶ, Τοξόται, οἱ τὰς ξυστὰς κατέχοντες. *Peltaſtae, Sagittarii, vel Peltaſtae, qui peltas vel haſtas tenent.* Urut tie, bujuſmodi jacula fuiſſe κρανέινα, Xenophon *libr.* III. Ἑλληνικῶν, *pag.* 499. & *libr. de Arte Equeſtri in fine, pag.* 953. ſcribit, id eſt cornea, ſeu ex corno: ex qua tela, ſagittas, venabula olim fieri conſuevisſe, multis Latinorum poëtarum locis facile comprobari poſſet. Unde & *aptam* (*b*) *bello Cornum*, Vircilius *libr.* II. *Georgic. v.* 447. dixit. Σαῖνον quoque Hesychius, ἀκόντιον βαρβαρικὸν eſſe ait.

XVI. Non ſunt & in Perſicis armis, Arcus & Pharetra praetereunda: ſub Gerris enim & Scutis ex humeris pependiſſe Pharetras (id eſt, ut Hesychius interpretatur βελοθήκας) telis onuſtas, Herodotus *libr.* VII. *cap.* 61. teſtatur his verbis; ὑπὸ δὲ φαρετρεῶνες ἐκρέμαντο. *Sub* (*Gerris*) *pharetrae pendebant.* Strabo *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) πρὸς δὲ τὰς φαρέτρας, καὶ Σαγάρεις ἔχουσι. *Praeter pharetras etiam Sagares habent.* & alias *eod. libr. l. c.* ἔχει δ' ἕκαστος τόξον καὶ σφενδόνην. *Quiſque illorum arcum & fundam habet.* Sed & ſui temporis Perſas ſemper cum Arcu in publicum prodiiſſe, Herodianus *libr.* VI. *cap.* 12. teſtatur.

XVII. Breves vero fuiſſe Perſarum Arcus, teſtis eſt, iſque oculatus, non auritus, Ariſtagoras Mileſius, qui apud Herodotum *libr.* v. *cap.* 49. haec de Perſarum armatura Cleomeni renuntiat: Ἥ τε μάχη αὐτῶν ἐστὶ τοιήδε· τόξα καὶ αἰχμὴ βραχέα (*c*). *Eorumque pugna talis eſt, Arcus & ſpiculum breves.* Attamen idem ipſe Herodotus *libr.* VII. *cap.* 61. dum Perſarum armaturam recenſet, αἰχμὰς δὲ, ait, βραχέας εἶχον· τόξα δὲ μεγάλα· ὀϊστοὺς δὲ καλαμίνους: quibus verbis, *Haſtas breves, Arcus vero grandes, & Sagittas arundineas*, fuiſſe docet.

XVIII. Perſarum autem ſucceſſores, Parthi, quantum ſagittandi arte ac peritia ceteris gentibus praeſtiterint, nemo neſcit. Unde & *Sagittiferos* Catullus *Epigramm.* XI. ad *Furium*, *v.* 6. eos vocat: & Ἀγχίαλοι & Ἀγκυλοτόξοι, Dionysius in *Poëmate de Situ Orbis, v.* 1040. ubi addit *v.* 1041. *ſeq.* eos nec aratro arva proſcindere, nec navigare, neque armenta vel greges paſcere: ſed a prima pueritia equitare, & nervo ſagittas aptare, arcuque emittere edoceri: ἐκ δὲ γενέθλης, *a puero*, ait, (*v.* 1044. *ſeq.*)

> Νηπίαχοι, τόξοισιν ἰδ' ἱπποσύνῃσι μέλονται.
> Αἰεὶ δ' ἠχήεσσαν ἀνὰ χθόνα δοῦπος ἀκόντων
> Ἠὲ βελέων πέπταται· δὴ τ' αἰολοπώλων δρόμος ἵππων
> Θυνόντων, οὐ γάρ σφι θέμις δόρποιο πάσασθαι,
> Πρὶν παλάμῃ μόχθοισιν ἀεθλεῦσαι ἱδρῶτι παλάσσειν.

> *Arcubus impubes utuntur, equiſque vehuntur.*
> *Per ſtreperum ſemper campum ſonitus jaculorum*
> *Telorumque: ac alipedum quoque curſus equorum*
> *Paſſim incenſorum. Neque enim fas ſumere coenam.*
> *Quin caput ex belli fiat ſudoribus udum.*

Totis vero lacertis ac viribus validos arcus intendebant. Plutarchus in *Craſſo, pag.* 588. οἱ δὲ Πάρθοι διαστάντες, ἐκ μήκους ἤρξαντο τοξεύειν ἅμα πανταχόθεν, οὐ τὴν ἀκριβῆ τοξείαν· (ſic enim pro τάξιν emenda ex Appiani *Parthicis pag.* 239. *ſive* 144.) Ἡ γὰρ συνέχεια καὶ πυκνότης τῶν Ῥωμαίων οὐδὲ βουλομένῳ διαμαρτάνειν ἀνδρὸς παρεῖχεν· εὐτόνους δὲ τὰς πληγὰς καὶ βιαίους διδόντες, ἀπὸ τόξων κραταιῶν καὶ μεγάλων, καὶ τῇ σκληρότητι τῆς καμπῆς ἠναγκασμένον τὸ βέλος ἀποστελλόντων. *Parthi vero a ſe invicem divulſi eminus ſagittis Romanos impetere coeperunt, idque undique, non obſervata accurata ſagittas emittendi ratione: ita enim continua erat & denſa Romanorum acies, ut aberrare vix volens aliquis potuiſſet: arcus porro magni atque validi, totis viribus intenſi, ſagittas vehementi impetu extorquebant, eaeque tenorem ſervantes graviter in corpora hoſtium incidebant.* Nec peditibus modo, ſed & ipſis equitibus ſuſpenſae ab humeris ſagittae pendebant. Ovidius *libr.* II. *Faſtor.*

> *Nunc petit Armenius pacem: quum porrigit Arcum*
> *Parthus eques.*

XIX. Quin etiam non tantum in aciem adverſus hoſtes conſiſtentes, verum etiam terga vertentes, fugamque capientes, ſagittas adverſus inſequentes emittere norant. Plutarchus in *Craſſo, pag.* 558. ὑπέφευγον γὰρ ἅμα βάλλοντες οἱ Πάρθοι· καὶ τοῦτο κράτιστα ποιοῦσι μετὰ Σκύθας· καὶ σοφώτατόν ἐστι ἀμυνομένους ἐπὶ τῷ σώζεσθαι, τῆς φυγῆς ἀφαιρεῖν τὸ αἰσχρόν. ἄχρι μὲν οὖν ἤλπιζον αὐτοὺς ἐκχεαμένους τὰ βέλη, σχήσεσθαι μάχης, ἢ συνάψειν εἰς χεῖρας, ἐκαρτέρουν. *Fugientes etiam Parthi ſagittas ſimul emittebant. quod poſt Scythas nemo iis melius novit: eſtque id optimum inventum, quod ſalutem ſuam defendentibus etiam fuga turpitudine caret. Tamen* (*Romani*) *quandiu ſpes fuit, hoſtes ſagittis omnibus emiſſis, aut cominus pugnandi copiam, aut pugnae finem facturos, perduraverunt.* Unde Vircilius *libr.* III. *Georgic. v.* 31. *Fidentemque fuga Parthum, verſiſque ſagittis:* ad quem locum Servius; *Bene*, ait, *Fidentem: tunc enim melius jaculantur ſagittas.* Inde & Horatius Ode XIX. *libro* I. *v.* 11. *Verſis animoſum equis Parthum* appellat: ubi Interpres: *Verſis* ait, *id eſt, verſis in fugam. Sic: Et miſſam Parthi poſcunt in terga ſagittam.* Atque hinc Ovidius *Parthos fugaces libr.* I. *de Remed. Amor. v.* 155. dixit. Leo Imperator in *Tactico, cap.* XVIII. *num.* XXXVIII. *Quidam enim ex hoſtibus, ut Perſae, cum aciem diſſolvere nolint, facile terga ſua objiciunt iis, qui contra eos converſi ſunt, & quaſi fugiendo pugnant.*

XX. Procopii autem aetate Perſae, licet ſupra ceteras gentes arcus paulo momento tendere, ac coactis cornibus celeriter flectere, a pueris, didiciſſent, remiſſius tamen eos intendebant: atque ita deſtinata mollius feriebant: adeo ut nec ſcuta nec loricas trajicerent. Procopii *libr.* I. *de bello Perſ. cap.* XVIII. *pag.* 259. (54.) verba ſunt haec: Πέρσαι τοξεύουσι σχεδόν τι συχνότεροι ἅπαντες· ἀλλὰ πολὺ θᾶσσον, ἢ ἄλλοι ξύμπαντες ἄνθρωποι, πτέρυξ τὰς βολὰς (*d*) ἐνδιδόασιν, ἐκ δὲ τόξων μαλθακῶν

(*a*) Suidas] Legendae ad hunc locum ſunt notae noviſſimi editoris, *Lud. Kuſteri.* TR.

(*b*) Aptam] ſive potius *bonam*, ut in editis legitur. TR.

(*c*) Βραχέα] Accipit auctor cum aliis hoc verbum pluraliter, ut ad utrumque pertineat. Sed quid ſi βραχέα ſit poſitum pro βραχεῖα, & ad ſolum αἰχμὴ referendum? Sic ſane Herodotus ſibi ipſi non contradiceret. TR.

(*d*) Edit. Pariſ. 1662. ἐνδιδόασιν. L.

θυκαῦν τι καὶ ἄλλο ἐντεταμένον βαλλόμενα, θώρακι ἴσως ἢ κράνει, ἢ καὶ ἀσπίδι ἐντυχόντα Ῥωμαίου ἀνδρὸς, ἀποκαυλίζεταί τε, καὶ λυπεῖν τὸν προσπίπτοντα οὐδαμῇ ἔχει. Ῥωμαίων δὲ τὰ τοξεύματα, βραδύτερα μὲν ἐς ἀεὶ (a) εἰσιν· ἅτε δὴ ἐκ τόξων σκληρῶν τε ὑπεργάζεται καὶ ἐς τόνους ἐντεταμένων βαλλόμενα· πρὸς τούτοις δὲ ἂν πρὸς καὶ πρὸς ἀνδρῶν ἰσχυροτέρων πολλῷ ἔτι μᾶλλον ἢ οἱ Πέρσαι, οἷς ἂν ἐντύχοιεν (b), ἀπτιᾶν οἶον (?), ὅπλου οὐδενὸς ἐμποδὼν αὐτοῖς γινομένου τῇ ῥύμῃ. *Perſae fere omnes Sagittarii ſunt, eaque in arte expeditiſſimi mortalium omnium; tamen eorum ſagittae, lorica Romani militis, vel forte galea aut ſcuto retuſae diſſiliebant, nec virum poterant obvium violare, quia mollibus, nec adeo contentis arcubus impellebantur. Quas vero Romani mittunt, tardius eae quidem ex arcubus, quippe rigidis intenſiſſimeque adductis, exeunt: ſed accedente impreſſione, quam ipſis dant viri multo Perſis robuſtiores, quos offendunt, laedunt facile, cum nulla arma earum impetum frangant.* Sagittarios vero ſui ſeculi priſcis heroicorum temporum Sagittariis longe praeſtitiſſe, idem Procopius initio ejus *libr. cap.* 1. *pag.* 226. (7.) praedicat hoc modo: Οἱ δὲ καὶ (c) τὰ νῦν τοξόται ἴασι μὲν ἐς μάχην τεθωρακισμένοι τε καὶ κνημῖδας ἐναρμοσάμενοι μέχρι ἐς γόνυ· ῥέρτηνται δὲ αὐτοῖς ἀπὸ μὲν τῆς δεξιᾶς πλευρᾶς τὰ βέλη· ἀπὸ δὲ τῆς ἑτέρας τὸ ξίφος. εἰσὶ δὲ οἷς καὶ δόρυ προσηρτημένον, καὶ βραχεῖά τις ἐπὶ τῶν ὤμων ἀσπὶς ὀχάνου χωρὶς (d) οἵα τὰ τε ἀμφὶ πρόσωπον καὶ αὐχένα ἐπικαλύπτειν. ἱππεύονται δὲ ὡς ἄριστα· καὶ θέοντος αὐτοῖς ὡς τάχιστα τοῦ ἵππου, τά τε τόξα οὐ χαλεπῶς ἐντείνειν οἷοί τέ εἰσιν ἐφ᾽ ἑκάτερα, καὶ διώκοντάς τε βάλλειν τοὺς πολεμίους καὶ φεύγοντας. ἕλκεται δὲ αὐτοῖς κατὰ τὸ μέτωπον ἡ νευρὰ, παρ᾽ αὐτὸ μάλιστα τὸ οὖς τὸ δεξιὸν, τοσαύτης ἀλκῆς ἐμπιπλᾶσα τὸ βέλος, ὥστε (e) τὸν ἐντυχόντα ἀεὶ κτείνειν, οὐδὲ ἀσπίδος ἴσως, οὐδὲ θώρακος ἀποκρούεσθαί τι δυναμένου τὴν ῥύμην. *Hodie vero qui Arcu militant, in pugnam procedunt loricati, & ocreis ad genu uſque pertingentibus muniti. Aptas e latere dextro ſagittas habent, e ſiniſtro gladium: haſtile etiam appenſum nonnulli geſtant, & ſcutulum nulla inſtructum anſa, ad humeros habile, ejuſmodi, ut eo vultum & collum tegere poſſint. Optime equitant, & quam celerrime currente equo ſagittas expedite miſſitant utroque verſum, hoſtemque inſequentem aeque feriunt ac fugientem. Ceterum elato ad frontem arcu, nervum retorquent, ad aurem pene uſque dextram: iſque vim tantam incutit ſagittae, ut haec [illegible] cuique certum exitium afferat; nihil utique [illegible]llendum impetum conferentibus nec clypeo [illegible]ica.*

XXI. Suis quoque temporibus uti ex ſagittarum numero eorum, qui in acie ceciderant, numerum inirent Perſae, docet Procopius *libr.* 1. *cap.* XVIII. *pag.* 260. (56.) his verbis: Νόμος ἐστὶ Πέρσαις, ἡνίκα ἐπὶ τοὺς πολεμίους τινὰς στρατεύεσθαι μέλλωσι, τὸν μὲν βασιλέα ἐπὶ θρόνου τοῦ βασιλείου καθῆσθαι, κοφίνους δὲ οἱ πολλοὺς ἐνταῦθά που εἶναι· καὶ παρεῖναι μὲν τὸν στρατηγὸν, ὃς δὴ τῷ στρατῷ ἐπὶ τοὺς ἐναντίους ἐξηγεῖσθαι ἐπίδοξός ἐστι· παριέναι δὲ τὸ στράτευμα τοῦτο ἐς τοῦ βασιλέως τὴν ὄψιν, κατ᾽ ἄνδρα ἕνα· καὶ αὐτῶν ἕκαστον βέλος (f) ἐν τοὺς κοφίνους ῥιπτεῖν· μετὰ δὲ αὐτοὺς μὲν τῇ βασιλέως σφραγῖδι κατασεσημασμένους φυλάσσεσθαι· ἐπειδὰν δὲ ἐς (g) Πέρσας ἐπανίοι τὸ στράτευμα τοῦτο, τῶν στρατιωτῶν ἕκαστον ἐκ τῶν κοφίνων ἓν ἀφαιρεῖσθαι βέλος. ἀριθμοῦντας δὲ τῶν βελῶν ὅσα πρὸς τῶν ἀνδρῶν οὐκ ἀνῄρηται, οἷς ἐπιμελὲς ἡ τιμὴ αὕτη, ἀγγέλλουσι τῷ βασιλεῖ τὸ πλῆθος τῶν οὐκ ἐπανηκόντων στρατιωτῶν· ταύτῃ τε ὅσοι ἐν τῷ πολέμῳ τεθνήκασιν ἔνδηλοι γίνονται. οὕτω μὲν ἐν Πέρσαις ὁ νόμος (h) ἐκ παλαιοῦ ἔχει. *Eſt in more poſitum apud Perſas, ut in expeditionis procinctu regali ſolio rex conſidat, multis prope diſpoſitis cophinis, atque adſtante duce, cui belli imperium deſtinatur. Sub regis oculos praetereunt milites ſinguli, ac ſagittam jacit quiſque unam in corbes, qui deinde ſigillo regio obſignati ſervantur. Poſt reditum ab expeditione ſinguli ſingulas e corbibus ſagittas extrahunt: tum recenſioni praepoſiti, ex earum, quae eductae non ſunt, ſubductione numerum colligentes militum, qui non redierint, Regi ſignificant, atque ita quot deſiderati in bello ſint, planum fit. Is eſt perantiquis Perſarum mos.* Atque ita ex ſagittarum vacantium numero, Cadmeam fuiſſe eam victoriam, quam de Belliſario reportaſſe ſe Ezatetaus gloriabatur, ibidem ait.

XXII. Sed & Divus Ambrosius, de Sagittariis ſuorum temporum Perſis, deque eorum pugnandi ratione haec *libr.* VI. *Hexaëmeron, cap.* V. ſcribit: *Inde gens Perſarum, ferox bellis, valida ſagittis, omniumque* (i) *telorum jactu, quia de ſuperioribus ad inferiora validiore niſu tela torquentur. Acies eorum velut gradientibus turribus ſepta procedit. In mediis campis tanquam de muro dimicant, & velut in arce quadam & ſpecula collocati, ſpectant magis bella, quam ſubeunt. Ita alieni a periculo videntur, tuti molibus beſtiarum.* Verum, ut ad priſcos Perſas regrediar, ex hac ſagittandi adſiduitate, Perſis *Pharetrata* dicitur a Virgilio *libr.* IV. *Georgic. v.* 290. & Suſa *Pharetrata*, a Claudiano, *de bello Gildonico, v.* 32. Veteres quoque Perſas ſagittas Equis, etiam fugae ſeſe dantes, adverſus hoſtes (quod a Parthis ſactitatum ſupra diximus) emiſiſſe, teſtatur Xenophon *libr.* III. Ἀναβάσ. *pag.* 306. [*p.* 241.] his verbis: Οἱ δὲ βάρβαροι ἱππεῖς, καὶ φεύγοντες ἅμα ἐτίτρωσκον, εἰς τοὔπισθεν τοξεύοντες ἀπὸ τῶν ἵππων. *Praeterea barbari equites, etiam cum fugerent, nihilominus vulnerabant ſequentes, quippe qui ab equis a tergo ſagittas ejaculabantur.* Cujus generis equites, ſagittis ex equis utentes, Graeci ἱπποτοξότας vocant: quod nomen, civitatis Romanae jure Hirtius (k) *libr. de bello Afr. cap.* 19. donavit. Hujus autem rei peritiam uti Perſae adſequerentur, Lucianus in *Hermotimo, cap.* 33. *pag.* 774. docet his verbis: Ἀλλ᾽ ὁ Πέρσαις γε οὕτω ποιοῦσιν, οὐδὲ Σκυθῶν ὅσοι τοξόται· ἀλλὰ πρῶτον μὲν αὐτοὶ κινούμενοι ἀφ᾽ ἵππων ὡς τὸ πολὺ τοξεύουσιν· ἔπειτα δὲ καὶ τὰ τοξευόμενα κινεῖσθαι ἀξιοῦσιν, οὐχ ἑστῶτα, οὐδὲ περιμένοντα τὸ βέλος, ἔς᾽ ἂν ἐμπέσῃ· ἀλλὰ διαδιδράσκοντα ὡς ὅτι μάλιστα. θηρία γέ τοι ὡς τὸ πολὺ κατατοξεύουσι, καὶ ὀρνίθων ἔνιοι τυγχάνουσι. ἢν δέ ποτε καὶ ἐπὶ σκοποῦ δέῃ πειραθῆναι τὸ ἐντόνον τῆς πληγῆς, ξύλον ἀντίτυπον, ἢ ἀσπίδα ὠμοβοΐνην προθέμενοι,

(a) Ead. Edit. ἔσαν. ex qua mox pro prioris edit. ἅτε δὲ, ἅτε δὴ reſcripſi. L.

(b) Ead. ἐντυχὼν γένοιτο, ὅταν quibus ego Briſſonii lectionem multum praeferendam exiſtimo. L.

(c) Καὶ] Loco hujus particulae in *ed. Veneta* legitur γε, & deinde νυνὶ uno verbo: paullo poſt vero μέχρις, pro μέχρι. TR.

(d) Pro οἵα omnino legendum reor οἷα, *talis quae protegere poſſit.* S. οἷα habet edit. Pariſ. 1662. L.

(e) Edit. Pariſ. pro τὸν ἐντυχ. habet: τὸν ἀεὶ ἐντυχόντα. L.

(f) Librarius vocum affinitate deceptus, poſt ἐν omiſiſſe videtur praepoſitionem. Atticam ἐς. [quae expreſſe legitur in *nov. edd.*] Quae vero mox κοφίνοι dicuntur, Heſychio ταρσοὶ ſunt. Sic enim ille, ταρσός, κόφινος μέγας. S.

(g) Ἐς] In *ed. Veneta* legitur: ἐν Πέρσαις ἐπανίοι. Paullo poſt pro τεθνήκασιν legitur τετελευτήκασιν. TR.

(h) Malim cum articulo, ἐκ τοῦ παλαιοῦ. S. edit. Pariſ. ἐκ παλαιοῦ. L.

(i) Omniumque] *Omnique* legitur in *nov. ed. Benedict.* TR.

(k) Hirtius] Immo ipſe etiam Caesar *lib.* III. *de Bell. Civil. cap.* 4. TR.

ἱππεύοντι, διαλαθόντι, καὶ ἄγαν πιεζοῦντι, (a) καὶ δι' ὅπλων σφίσι χωρῶσι τοὺς ἰούς. *Atqui non Perſae, non Scythae quotquot ſunt ſagittarii, ſic faciunt. Sed primum quidem ipſi, dum ab equis moventur, ut plurimum jaculantur: deinde etiam ea, quae ſagittis petunt, moveri volunt, nec loco conſiſtere, nec telum expectare, donec inciderit, ſed ut plurimum aufugere. Feras autem plerumque ſagittis conficiunt, & volucres nonnulli aſſequuntur. Quod ſi quando opus eſt, ut ictum in ſcopum intendere experiantur, lignum ſolidum, vel ſcutum e crudo bovis tergore confectum proponentes tranſigunt, atque ita ſuas etiam ſagittas arma penetraturas credunt.* Parthorum utique τὴν διὰ τόξων εὔστοχον ἱππασίαν, praedicat Antoninus in ſuis ad Artabanum literis, apud HERODIANUM *libr.* IV. *cap.* 18. In eoque ludo a teneris, quod ajunt, unguiculis edoctos Parthos indicat SENECA *Epiſt.* XXXVI: inquiens: *ſi in Parthia natus eſſet, arcum infans ſtatim tenderet.* Cui & adſtipulatur HERODIANUS *libr.* VI. *cap.* XII. (*al.* V.) Τόξοις τε καὶ ἵπποις οὐκ ἐς τὸ πολεμεῖν μόνον χρῶνται, ὥσπερ Ῥωμαῖοι· ἀλλ' ἐκ παίδων σὺν αὐτοῖς ἀνατρέφονται, καὶ θηρῶντες διατελοῦσιν, οὔτε τὰς φαρέτρας ποτὲ ἀποτιθέμενοι, οὔτε τῶν ἵππων ἀποβαίνοντες, ἀεὶ δὲ αὐτοῖς χρώμενοι, ἢ κατὰ πολεμίων, ἢ κατὰ θηρίων. *Arcubus autem, & equis, non in proelio tantum more Romanorum utuntur, ſed a pueritia uſque enutriuntur una, venatu invigilantes, pharetratique ſemper, ac nunquam ex equis deſilientes, ſive bellum gerant, ſive feras conficiant.*

XXIII. Fundis quoque Perſae utebantur, ut STRABO *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) docet. Inermem enim multitudinem edoceri Fundis lapides jaculari, Cyrus inſtituit. XENOPHON παιδ. VII. *pag.* 188. [*p.* 149.] Πάντας δὲ τοὺς ἀόπλους τῶν ὑποχειρίων γιγνομένων, σφενδονᾶν ἠνάγκαζε μελετᾶν, νομίζων τοῦτο τὸ ὅπλον δουλικώτατον εἶναι. *Omneſque adeo inermes, qui in ejus poteſtatem venerant, cogebat exercere ſe in arte funditoria, quod hoc armorum genus maxime ſervile duceret.* Idem ibidem Funditores, qui ſoli per ſe nulli uſui eſſent, ita demum juvare, & emolumenti aliquid adferre ait, ſi aliis copiis adiungantur; Σὺν μὲν γὰρ ἄλλῃ δυνάμει, μάλα ἔστιν ἔνθα ἰσχυρῶς ὠφελοῦσι σφενδονῆται παρόντες· αὐτοὶ δὲ καθ' ἑαυτούς, οὐδ' ἂν οἱ πάντες σφενδονῆται μείνειαν πάνυ ὀλίγους ὁμόσε ἰόντας σὺν ὅπλοις ἀγχεμάχοις. *Nam eſt ubi cum aliis copiis funditores praeſentes, admodum magnam utilitatem adferunt: ipſi autem ſeorſum ne quidem omnes, admodum paucos cum armis, quibus cominus pugnatur, congreſſus ſuſtinuerint.* Fundis autem ſaxa ingentia, & quae mole ſua manum implerent, Perſae intorquebant: ideoque non poterant, Fundarum Perſicarum rotatu miſſa, procul ferire, longeque pertingere. At Rhodii, qui fundis plumbeas glandes jaculabantur, longius feriebant. Alexander apud CURTIUM *libr.* IV. *cap.* 14. §. 5. *Intuerentur Barbarorum inconditum agmen, alium nihil praeter jaculum habere, alium Funda ſaxa librare, paucis juſta arma eſſe.* Atque ita, ut funditoribus Cretenſibus Perſici ſuperiores erant, ita Rhodiis inferiores. XENOPHON *libr.* III. Ἀναβάσ. *pag.* 307. [*p.* 241.] ἀκούω δὲ εἶναι ἐν τῷ στρατεύματι ἡμῶν Ῥοδίους, ὧν τοὺς πολλούς φασιν ἐπίστασθαι σφενδονᾶν, καὶ τὸ βέλος αὐτῶν καὶ διπλάσιον φέρεσθαι τῶν Περσικῶν σφενδονῶν. ἐκεῖναι γὰρ διὰ τὸ χειροπληθέσι τοῖς λίθοις σφενδονᾶν, ἐπὶ βραχὺ ἐξικνοῦνται· οἱ δέ γε Ῥόδιοι καὶ ταῖς μολυβδίσιν ἐπίστανται χρῆσθαι. *Ac noſtris quidem in caſtris eſſe Rhodios audio, quorum complures fundae uſum cognitum habere ajunt, eorumque telum duplo tendere longius perhibent, quam fundae Perſicae ſoleant. Nam hae, propterea quod lapides ejaculantur eos, qui manus implent, ad breve ſpatium pertingunt, Rhodii glandibus etiam plumbeis uti norunt.* Et alias eodem *libr. pag.* 309. [*p.* 243.] Μακρότερον γὰρ οἵ τε Ῥόδιοι τῶν Περσῶν ἐσφενδόνων, καὶ τῶν πλείστων τοξοτῶν. *Nam Rhodii longius, quam Perſae, ac plurimi illi ſagittarii, tela mittebant.* Rurſus ibidem mox: Ἐγένοντο δὲ καὶ νεῦρα πολλὰ ἐν ταῖς κώμαις, καὶ μόλυβδος, ὥστε χρῆσθαι εἰς τὰς σφενδόνας. *Praeterea permulti nervi, & plumbi copia in vicis reperiebantur, quae uſui ad fundas erant.* Fundis quoque excuſſus lapides a Perſis CURTIUS *lib.* V. *cap.* 3. §. 19. narrat. Ac ſicuti Rhodiam, ita & Balearicam fundam, plumbum jeciſſe ait OVIDIUS *libr.* II. *Metamorphoſ.* v. 729.

XXIV. Jam Perſae Galeis in proelio non utebantur, ſed ſolas in capite Tiaras geſtabant. HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 61. de Perſis: περὶ μὲν τῇσι κεφαλῇσι εἶχον τιάρας καλεομένους πίλους ἀπαγέας (b). *Circa capita geſtabant pilea (quas vocant tiaras) firmiter compacta.* Apud eundem *libr.* V. *cap.* 49. de Perſis ſcriptum eſt: Ἔρχονται ἐς τὰς μάχας, ἔχοντες κυρβασίας ἐπὶ τῇσι κεφαλῇσι. *In pugnas veniunt, habentes in capitibus Cyrbaſias.* STRABO quoque *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) armaturam Perſarum deſcribens: Περὶ τῇ κεφαλῇ πίλημα πυργωτόν. *In capite pileum turritum* habuiſſe eos tradit. Galeatos etiam in acie non fuiſſe Perſas, ſed Pileatos, & tam domi, quam militiae, unum idemque capitis tegmen habuiſſe, indicio eſt, quod PLUTARCHUS in *vita Artaxerxis*, *pag.* 1016. Tiaram Capite Cyri pugnantis decidiſſe ſcribit. Et hoc eſt, quod XENOPHON *libr.* I. Ἀναβάσ. *pag.* 263. [*p.* 207.] ait: Κῦρος δὲ, ψιλὴν ἔχων τὴν κεφαλὴν, εἰς τὴν μάχην καθίστατο· λέγεται δὲ καὶ τοὺς ἄλλους Πέρσας ψιλαῖς ταῖς κεφαλαῖς ἐν τῷ πολέμῳ διακινδυνεύειν. *Cyrus nudo capite pugnam expectabat. ajunt ceteros etiam Perſas capitibus nudis aleam proelii ſubire.* HERODOTUS tamen *libr.* VII. *cap.* 84. Perſarum quoſdam (c) aenea ferreaque capitis tegumenta in bello habuiſſe, ſcribit his verbis: Πέρσαι μὲν τὴν αὐτὴν [illegible] ...ον, καὶ ὁ πεζὸς αὐτῶν· πλὴν ἐπὶ τῇσι κεφαλῇσι [illegible] αὐτῶν καὶ χάλκεα καὶ σιδήρεα ἐξεληλαμένα ποιή[illegible] *Perſae quidem eadem erant, qua peditatus, [illegible]tura ornati, niſi quod quidam geſtabant in capitibus tegumenta ex aere ferroque ductilia.* XENOPHON quoque *libr.* VII. παιδ. *pag.* 172. [*p.* 136.] eos, qui Cyrum ſequebantur, armatos fuiſſe, Κράνεσι χαλκοῖς, λόφοις λευκοῖς, *aereis galeis, conis albis*, ſcribit.

XXV. Enimvero περὶ τὰ σκέλεα ἀναξυρίδας, ſeu Braccas etiam in proelio geſtaſſe Perſas, HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 61. tradit. Apud eum etiam *libr.* V. *cap.* 49. Ariſtagoras Mileſius de Perſis haec renunciat: Ἀναξυρίδας τε ἔχοντες ἔρχονται ἐς τὰς μάχας. *Braccas induti proelia ineunt.* Sed & tunicas ſuas purpureas Loricis ſuperinduiſſe Perſas, argumento eſt, quod de Maſiſtio HERODOTUS *libr.* IX. *cap.* 22. ſcribit: Κατύπερθε τοῦ θώρηκος κιθῶνα (d) πορφυρέον ἐνδεδυκώς. *Deſuper thoracem, purpuream tunicam indutus erat.* Perſas etiam, qui cum Cyro in militiam ibant, indutos

(a) Pro καὶ δι' ὅπλ. in edit. Salmurienſi legitur, οὐδ' ὅπλ. L. Ita etiam in recentiſſima editione. TR.

(b) Ἀπαγέας] Vide quae de hoc loco ſupra monui *lib.* I. §. XLIX. TR.

(c) QUOIDAM] Equites ſcilicet, de quibus hic ſermo; non pedites, de quibus ſupra cap. 61. locutus fuit. TR.

(d) Φοινίκεον pro πορφ. legitur ap. Herodotum, quemadmodum ſc. & ſupra citabatur hic locus §. 12. hujus libri. L.

tos fuiſſe χιτῶσι φοινικοῖς, θώραξι χαλκοῖς, κράνεσι χαλκοῖς, *tunicas purpureas, loricas aereas, aereas galeas*, Xenophon libro vii. παιδ. pag. 172. [p. 136.] narrat. Plutarchus in *Artoxerxe*, pag. 1016. Ὡς δὲ μόλις συνιδὼν τὰ περιπορφυρίζοντα φοινικᾶ, λευκοῖς χρωμένων τῶν βασιλικῶν ἁπάντων, ἔγνωσαν πολεμίοις ὄντες. *Cum vix tandem conſpexiſſent tunicas, quae thoracibus ſuperinduuntur, puniceas, (nam regii omnes albis utebantur) eum hoſtibus ſe verſari ſenſerunt.*

XXVI. Perſae porro equitatu plurimum valebant, & praecipuum eorum robur, in eo poſitum erat. Ammian. Marcellinus libr. xxiv. cap. 4. *Tentoriis fixis providit ſollicite, ne caſtra repentino equitatus Perſici turbarentur accurſu, cujus fortitudo in locis patentibus immane quantum gentibus eſt formidata.* Hieronymus in Hierem. cap. xii. v. 5. *Juxta hiſtoriam omnis Perſis, & univerſa Chaldaea, & regionum illarum exercitus, gaudet equitatu.* Ac proinde cum apud eos Equitandi laus vigeret, paene a pueritia in equos aſcendere, in equis ſedere, equos flectere, iis vehi, ex equis pugnare, jaculari ſagittaſque mittere, diſcebant. Magiſtros etiam, qui eos in equos tollerent, habebant. Xenophon in *Hipparchico*, pag. 956. [p. 754.] Τοῖς γε μὲν πρεσβυτέροις τὸ Περσικὸν τρόπον ἀναβιβάζεσθαι ὑπ' ἄλλων συνεθίσας, καὶ τούτους ὠφελήσειας ἄν. *Majores autem natu ſi Perſarum more aſſuefeceris, ut alii alios viciſſim in equos imponant, hos quoque multum juveris.* Idem περὶ ἱππικῆς. pag. 941. [p. 743.] Ἀγαθὸν δὲ τὸν ἱπποκόμον καὶ ἀναβάλλειν ἐπίστασθαι τὸν Περσικὸν τρόπον, ὅπως αὐτός τε ὁ δεσπότης, ἄν ποτε ἀρρωστῇ, ἢ πρεσβύτερος γίγνηται, ἔχῃ τὸν εὐπετῶς ἀναβιβάζοντα. *Bonum & hoc, tenere curatorem imponendi in equum ſeſſoris Perſicum morem, ut ipſe dominus in morbo & ſenecta habeat, a quo in equum facile imponatur.* Atque adeo (quod licet jam dictum, ſermone tamen repetito iterare nos res ipſa cogit) iter, vel longulum, vel breve, acturi Perſae, nunquam id pedibus ingrediebantur: ſed equum conſcendebant. Nec temere eorum quiſquam pedeſter conſpiciebatur: ſed equum inſidens, ut equitatui aſſueſceret, & ſuccuſſatoris ac ferocis equi motus, equeſtremque laborem, ferre & tolerare diſceret. Xenophon libr. viii. παιδ. pag. 241. [p. 190.] αἰσχύνη μὲν ἦν ἐπιχώριον αὐτοῖς μὴ ὁρᾶσθαι πεζῇ πορευομένους, οὐκ ἄλλου τινὸς ἕνεκα ἢ τοῦ ὡς ἱππικωτάτους γίγνεσθαι. *Etiam illud prius erat ipſis in more patrio poſitum, ut pedites itinera palam non facerent, idque nulla de cauſa alia, quam ut equeſtris rei peritiſſimi evaderent.* Idem Xenophon libr. iv. παιδ. pag. 102. [p. 81.] Ὥστε ἔτι ἐξ ἐκείνου ἔτι χρῶνται Πέρσαι, καὶ οὐδεὶς ἂν τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἑκὼν ὀφθείη Περσῶν οὐδαμῇ πεζὸς ἰών. *Quo fit, ut inde uſque ab eo tempore Perſis hoc nunc etiam in more ſit, neque quiſquam ex praeclaris hominibus uſquam pedes incedere ſua quidem ſponte videatur.* Eadem & de Parthis, qui Perſarum veſtigiis inſtiterunt, Justinus libr. xli. cap. iii. §. 4. ſcribit (a): *Equis omni tempore vectabantur. Illis bella, illis convivia, illis publica ac privata officia obibant: ſuper illos ire, conſiſtere, mercari, colloqui: denique liberi non niſi equis incedebant.* Equitum etiam militarem decurſionem Cyrus, praemio victoribus propoſito, inſtituit. Sic enim de eo Xenophon libr. viii. παιδ. pag. 216. [p. 171.] Καλοῦ ὄντος τοῦ χωρίου, ἔδειξε τέρμα, ὅσον ἐπὶ πέντε σταδίων χωρίον· καὶ εἶπε κατὰ φυλὰς ἀνὰ κράτος ἀφεῖναι τοὺς ἵππους. σὺν μὲν οὖν τοῖς Πέρσαις αὐτὸς ἐνίκα, καὶ πολύ. πολὺ μάλιστα γὰρ ἐμεμελήκει αὐτῷ ἱππικῆς. *Quia locus pulcer erat, metam deſignavit ad ſtadiorum quinque ſpatium: juſſitque ut tributim heic equos totis viribus currere permitterent. Ipſe cum Perſis equitans vicit, quippe cui multo maxime res equeſtris curae fuerat.*

XXVII. Refrixiſſe tandem ac deferbuiſſe priſcum illud Equitandi ſtudium, Xenophon libr. viii. παιδ. pag. 240. [p. 189.] docet: Τὰ μέν γε τοι τὰ ἱππικὰ μανθάνειν καὶ μελετᾶν ἀπέσβηκε, διὰ τὸ μὴ ἰέναι ὅπου ἂν ἀποφαινόμενοι εὐδοκιμοῖεν. *Verum ut artem equeſtrem diſcant, & exerceant, id ſcilicet extinctum eſt, quod iſtic non ſint, ubi gloriam conſequi poſſint.* Aſſidua etiam illa & continua equorum vectatio, in luxum mollitiemque verſa eſt. Etenim non tam ornatus gratia, quam ut molliter inſiderent, minuſque ſuccuterentur, Equos ſtragulis inſternere apud eos invaluit: eoque res progreſſa eſt, ut pluribus Equi ſtratis, quam Lecti, ſternerentur. Xenophon libr. viii. παιδ. pag. 241. [p. 190.] Νῦν δὲ στρώματα πλείω ἔχουσιν ἐπὶ τῶν ἵππων, ἢ ἐπὶ τῶν εὐνῶν· οὐ γὰρ τῆς ἱππείας οὕτως, ὥσπερ τοῦ μαλακῶς καθῆσθαι, ἐπιμελοῦνται. *Jam vero multo plus veſtis ſtragulae in equis, quam in cubilibus habent. Non enim tam equeſtris res ipſis eſt curae, quam ut molliter ſedeant.* Et hoc Perſico exemplo Virgilius, *pictis Tapetis inſtratos alipedes*, dixit libr. vii *Aeneid.* v. 277. Addit ibidem Xenophon, in turmas & cohortes, a proceribus & praefectis, Cubicularios, Cocos, Obſonatores, Balneatores, & alios, quos in urbano miniſterio habebant, relatos: cum prius Equites ex ſtrenuis provinciae cujuſque incolis legerentur conſcriberenturque. Verba ejus auctoris ſunt haec: *l. c.* Τάγε μὴν πολεμικὰ πῶς οὐκ εἰκότως νῦν τῷ πρόσθεν χείρω, ἢ πάνυ, αὐτοῖς ἔχει; οἷς ἐν μὲν τῷ παρελθόντι χρόνῳ ἐπιχώριον (εἶναι) ὑπῆρχε, τοὺς μὲν τὴν γῆν ἔχοντας, ἀπὸ ταύτης ἱππότας παρέχεσθαι, οἳ δὴ καὶ ἐστρατεύοντο· τοὺς δὲ φρουροῦντας, εἰ δέοι στρατεύεσθαι, πρὸ τῆς χώρας, μισθοφόρους εἶναι. νῦν δὲ τούς τε θυρωροὺς καὶ τοὺς σιτοποιοὺς, καὶ τοὺς ὀψοποιοὺς, καὶ οἰνοχόους, καὶ λουτροχόους, καὶ παρατιθέντας, καὶ ἀναιροῦντας, καὶ κατακοιμίζοντας, καὶ ἀνιστάντας, καὶ τοὺς κοσμητάς, οἳ ὑποχρίουσί τε καὶ ἐντρίβουσιν αὐτοὺς, καὶ τἆλλα ῥυθμίζουσι, τούτους πάντας ἱππέας οἱ δυνάσται πεποιήκασιν, ὅπως μισθοφορῶσιν αὐτοῖς. *Bellicas quidem res quod attinet, qui non in illis conſentaneum fuerit, nunc prorſus eos deteriores eſſe, quam olim fuerint? quibus ſuperiori tempore patrium fuit, ut qui terram poſſiderent, equites ex ea ipſa ſuppeditarent, qui militatum irent. Qui vero pro patria excubarent id temporis, quo bellum neceſſario geritur, eis ſtipendia tribuerentur. At nunc & oſtiarii, & panis, & obſoniorum opifices, & pincernae & balneatores, & qui in menſas cibos apponunt, & qui eos tollunt, & qui ſomnum conciliant, & qui de ſomno excitant, & qui eos ſublinendo ac infricando exornant, eleganterque cetera etiam componunt; hi ergo omnes a praecipua potentia viris equites facti ſunt, ut ipſorum ſtipendia faciant.*

XXVIII. Non tantum autem pretioſa veſte ſtragula, Stratiſque magni pretii, verum etiam Aureis frenis Equos adornatos fuiſſe jam ante notavimus. Unde Dionysius *de ſitu Orbis*, Perſidem, ut Plinius *lib.* vi. *cap.* 25. loquitur, in luxum divitem eſſe, hoc potiſſimum argumento probat, quod aureos Equorum fraenos, & Talaria aurea haberent. Hoc enim ille canit his verſibus: (v. 1057. *ſeqq.*)

Μοῦνοι δ' ἄνθρωποι ὄλβον ἐνὶ μεγάροισιν ἔθεντο,

'Οππίν

(a) Scribit] Locus paullo aliter, & quoad ultima verba etiam plenior legitur in editis. TR.

Ὁππότε Μηονίην καὶ Σάρδιας ἐξαλάπαξαν.
Χρύσεά τοι καλοῖσι μὲν ἐπὶ χροῒ τεύχεα φαίνει,
Χρύσεα δ' αὖθ' ἵπποισιν ἐπὶ στομάτεσσι χαλινά,
Χρυσῷ δ' ἀμφὶ πόδεσσιν ἐκοσμήσαντο πέδιλα·
Τόσσος γάρ σφι ὄλβος ἀπείριτος. — —

Auro etenim ſolis multo domus ampla niteſcit,
Moeoniam & Sardes ex quo ſunt depopulati.
Exornant armis corpus fulgentibus auro,
Aurea ſunt & equis ſub dente cepiſtra ſuperbis,
Aureaque in teneris pedibus talaria nectunt:
Vix horum gazas numeres.

Ac vel in proeliis ipſis Equos hujuſmodi fraenis inſtructos conſcendebant. Teſtimonio eſt Maſiſtius in (*a*) Plataeenſi pugna, Equitatus Perſici Praefectus, de quo HERODOTUS *libr.* IX. *cap.* 20. ſcribit haec: Ὡς δ' οὐ κατέβαινον οἱ Ἕλληνες εἰς τὸ πεδίον, πέμπει ἐπ' (*b*) αὐτοὺς πᾶσαν τὴν ἵππον τῆς ἱππάρχεε Μασίστιος, εὐδοκιμέων παρὰ Πέρσῃσι (τὸν Ἕλληνες Μακίστιον καλέουσι) ἵππον ἔχων Νισαῖον χρυσοχάλινόν τε καὶ ἄλλως κεκοσμημένον καλῶς. *Cum Graeci in campum non deſcenderent, omnem emittit equitatum, cui praeerat Maſiſtius (a Graecis Maciſius dictus) vir apud Perſas inclytus, Niſaeo equo inſidens, aureo fraeno & aliis inſignibus eximie ornato.* Illo autem Equitandi, ut & Sagittandi ſtudio, Perſas a Medis (a quibus lautitias deliciaſque omnes ſuas hauſerunt) incenſos, diſciplinaque imbutos fuiſſe, STRABO *libr.* XI. *pag.* 797. (525. *ſeq.*) ita ſcribit: Ἡ γὰρ νῦν λεγομένη Περσικὴ στολή, καὶ ὁ τῆς τοξικῆς καὶ ἱππικῆς ζῆλος, καὶ ἡ περὶ τοὺς βασιλέας θεραπεία, καὶ κόσμος, καὶ σεβασμὸς θεοπρεπὴς παρὰ τῶν ἀρχομένων, εἰς τοὺς Πέρσας παρὰ τῶν Μήδων ἀφῖκται. καὶ ὅτι τοῦτ' ἀληθές, ἐκ τῆς ἐσθῆτος μάλιστα δῆλον. Τιάρα γάρ τις, καὶ κίδαρις, καὶ πῖλος, καὶ χειριδωτοὶ χιτῶνες, καὶ ἀναξυρίδες, ἐν μὲν τοῖς ψυχροῖς τόποις, καὶ προσβόρροις, ἐπιτήδειά ἐστι φορήματα, οἷοί εἰσιν οἱ Μηδικοί, ἐν δὲ τοῖς νοτίοις ἥκιστα. *Nam qui nunc dicitur Perſicus veſtitus, & ſagittandi ac rei equeſtris ſummum ſtudium, regumque cultus, ornatus, & honores quaſi divini regibus e ſubditis qui habentur, a Medis ſunt profecta. Idque verum eſſe, maxime e veſtitu apparet; nam tiara, cidaris, pileus, tunicae manicatae atque braccae in frigidis locis & aquilonaribus, ut ſunt Mediae, geſtamen ſunt commodum, in auſtrinis minime.* Ac plane Perſarum pedeſtres copiae erant; Medorum Equeſtris militia. Nam ut XENOPHON *libr.* 1. παιδ. *pag.* 8. [*p.* 7.] ait: Ἐν Πέρσαις διὰ τὸ χαλεπὸν εἶναι καὶ τρέφειν ἵππους, καὶ ἱππεύειν ἐν ὀρεινῇ οὔσῃ τῇ χώρᾳ, καὶ ἰδεῖν ἵππον πάνυ σπάνιον ἦν. *Apud Perſas, quod & difficulter equi alerentur, & equitatio in regione montoſa non minus moleſta foret, etiam equum conſpici perquam rarum erat.*

XXIX. Enimvero, quae illos Equitare docuit regio, eadem & Equos ſuppeditabat. Illos enim *Niſaeos* (*c*), ſive *Neſaeos* Equos, (utrumque enim ferri poteſt) veterum ſcriptis nobilitatos, non alia, quam Medica tellus ferebat. HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 40. Νισαῖοι δὲ καλέονται ἵπποι ἐπὶ τοῦδε, ἔστι πεδίον μέγα τῆς Μηδικῆς, τῷ οὔνομά ἐστι Νισαῖον. τοὺς ὦν δὴ ἵππους τοὺς μεγάλους φέρει τὸ πεδίον τοῦτο. *Niſaei vero vocantur equi a campo magno Mediae, qui Niſaeus appellatur, & grandes fert equos.* STEPHANUS de *Urbibus*, *pag.* 493. Νυσαῖον πεδίον· ἀφ' οὗ παρὰ Μήδοις οἱ Νυσαῖοι ἵπποι. *Campus Neſaeus, unde apud Medos equi Neſaei.* AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIII. *cap.* 6. de Medis loquens: *Sunt apud eos prata virentia, foetus equorum nobilium, quibus (ut ſcriptores antiqui docent, noſque vidimus) ineuntes praelia viri ſumma vi vehi exultantes ſolent; quos Neſaeos appellant.* SUIDAS: Νίσαιον, τόπος Περσίδος· ἔνθα ἵπποι ἄριστοι γίνονται, Νισαῖοι λεγόμενοι. οἱ δέ, ὅτι πεδίον μέγα τῆς Μηδικῆς, τῷ ὄνομά ἐστι (*d*) Νίσαιον. τοὺς οὖν δὴ ἵππους τοὺς μεγάλους φέρει τὸ πεδίον τοῦτο. *Niſaeum. Locus Perſidis, ubi naſcuntur equi celerrimi, qui vocantur Niſaei. Alii vero dicunt, eſſe magnum Mediae campum; cui nomen ſit Niſaeum. Hic igitur campus equos magnos producit.* Idem SUIDAS: Ἵππος Νισαῖος. μεταξὺ τῆς Σουσιανῆς καὶ τῆς Βακτριανῆς, τόπος ἐστὶ Κατασιγόνα, ὅσπερ Ἑλλάδι γλώσσῃ Νῖσος καλεῖται· ἐντεῦθα ἵπποι διάφοροι γίνονται. οἱ δέ, ἀπὸ Ἐρυθρᾶς θαλάσσης· εἶναι δὲ ξανθὰς πάντας. ὁ δὲ Ἡρόδοτος, τῆς Μηδίας τὸν τόπον εἶναι Νισαῖον. ὁ δὲ Πολέμων, κακῶς φησὶ λευκὸν ἵππον Νισαῖον. ἐν δὲ Δικτύῳ Ὀρφεὺς λέγει· ἡ Νίσα τόπος ἐστὶν ἐν Ἐρυθρᾷ κείμενος. *Equus Niſaeus. Inter Suſianam & Bactrianam locus eſt Cataſtigona, qui graeca lingua Niſus vocatur. Hic equi naſcuntur excellentes. Alii vero dicunt, hunc locum ſitum eſſe juxta mare rubrum, & omnes illos equos eſſe rufos. Herodotus auctor eſt, Niſum eſſe locum in Media. Polemo vero male dicit, equum Niſaeum eſſe album. Orpheus in Dictye inquit: Niſa eſt locus ad mare rubrum ſitus.* EUSTATHIUS in *Dionyſium de ſitu orbis*, *v.* 1017. *pag.* 276. Ἰστέον δὲ ὅτι καὶ τὸ ᾀδόμενον Νισαῖον πεδίον ἐκεῖ πού ἐστι περὶ τὴν Μηδικὴν χώραν ὄν, φέρον ἵππους μεγάλους τοὺς λεγομένους Νισαίους. *Sciendum eſt, decantatum illum Niſaeum campum ibi eſſe circa Mediae regionem, qui praeſtantiſſimos fert equos Niſaeos dictos.* Unde & Mediam εὐιπποτάτην, id eſt bonorum & praeſtantium equorum feraciſſimam, vocat MAXIMUS TYRIUS *Sermon.* XI. (XXVII. *cap.* 3. *pag.* 323.) Idem *Sermon.* III. (XIX. *princ. pag.* 221.) Ἐπιόντος αὐτοῖς βαρβαρικοῦ στόλου, ἵππων Μηδικῶν, ἁρμάτων Περσικῶν. *Cum ipſos barbarica claſſis, equitatus Medorum, & currus Perſarum invaderent.* ARRIANUS *libr.* VII. *cap.* 3. *pag.* 277. ἵππον βασιλικὸν τῶν Νισαίων. *Equum regium ex Niſaeis.* THEMISTIUS *Oration.* V. (XIX. *pag.* 226.) de Rege Perſarum verba faciens: χρυσᾶ ἅρματα αὐτῷ προπεμπόμενοι Νισαίων ἵππων. *Currus aureos praemiſit, quos Niſaei equi trahebant.* LUCIANUS in *libr. de hiſtoria conſcribenda*, *cap.* 39. *pag.* 52. *Tom.* II. Ἐλπίζει κάνδυν πορφυροῦν, καὶ στρεπτὸν χρυσοῦν, καὶ ἵππον τῶν Νισαίων λήψεσθαι μισθὸν τῶν ἐν τῇ γραφῇ ἐπαίνων. *Sperat candyn purpureum, vel torquem aureum, & ex Niſaeis equis aliquem ſe eſſe accepturum, videlicet laudum ſcripto inſertarum mercedem.* PHILOSTRATUS *libr.* I. *de vita Apollonii*, *cap.* XXXI. [*pag.* 39.] Λευκὸν δὲ ἄγων ἵππον, τῶν σφόδρα Νισαίων, καταθύσειν ἔμελλε τῷ Ἡλίῳ. *Erat autem candidum equum ſoli mactaturus, ex Niſaeis optimis.* Idem in *Rhodogynae Perſicae icone*, *lib.* II. *Imag. num.* 5. (*e*) Προσγέγραπται δὲ αὐτῇ καὶ Νισαία ἵππος μέλαινα, ἐπὶ λευκοῖς τοῖς σκέλεσι. *Picta autem eſt cum*

(*a*) IN] Immo jam ante iſtam celebrem pugnam ille interfectus fuit. TR.

(*b*) 'Επ'] ἐς reponit *Jac. Gronovius* ex *MS. Med.* TR.

(*c*) NISAEOS] Scribitur etiam *Nyſaeos*, ut Graece Νησαίας apud ARRIANUM *lib.* VII. *cap.* 13. *pag.* 290. (ubi narrat, in campis Nyſaeis olim equorum circiter CL millia fuiſſe: Alexandrum vero non plures, quam L millia repeiiſſe, caeteris a praedonibus furto ablatis). Apud eundem tamen *eod. lib. cap.* 3. *pag.* 277. ſcribitur Νισαίων, (ut auctor ſupra edidit) ſive Νησαίων, ut in *Gronovii ed.* legitur. TR.

(*d*) 'Εσ.] In *noviſſ. ed.* legitur τῆς Μηδικῆς, τῷ ὄνομά ἐστι. TR.

(*e*) Reſcripſi προσγέγρ. pro prior. edit. προγεγρ. ex editione Philoſtrati nupera p. 816. addidi inſuper in fine τοῖς σκέλεσι, ne ſenſus hiaret. L.

cum ea, Niſaea equa nigra, albis pedum extremis. Hujuſmodi Niſaeo Equo Maſiſtium, Perſici Equitatus praefectum, in Plataeenſi pugna inſediſſe, HERODOTUS *libr.* IX. *cap.* 20. refert.

XXX. Niſaeos autem Equos procero corpore fuiſſe, indicat HERODOTUS *libro* III. *cap.* 106. Illic enim Indiam quadrupedes longe grandiores, quam ceteras regiones ferre ait, exceptis equis. Nam ab equis Medicis, qui Niſaei vocantur, equos Indicos magnitudine ſuperari, ſcribit his verbis: Ἐν ταύτῃ (de India loquitur) τά τε ἔμψυχα τετράποδά τε καὶ τὰ πετεινὰ (a) πολλῷ μέζω ἢ ἐν τοῖσι ἄλλοισι χωρίοισί ἐστι, παρὲξ τῶν ἵππων. ἐστὶ γὰρ ἑσσοῦνται ὑπὸ τῶν Μηδικῶν, Νισαίων καλεομένων, ἵππων. *In qua & animantes tam quadrupedes, quam volucres, multo ſunt grandiores, quam ceteris in locis, praeterquam equi: nam ab equis Medicis vincuntur, qui Niſaei vocantur.*

XXXI. Nec magnitudine modo, ſed & velocitate, Niſaei Equi commendantur, ut SUIDAS oſtendit, qui ὠκίστους vocat, AMMIANUS MARCELLINUS *l. c.* qui ejuſmodi Equis *ſumma vi victos* Perſas ait.

XXXII. Parthicos etiam Equos velocitate praeſtitiſſe, STRABO *libr.* III. *pag.* 248. (163.) docet, qui in ea re Celtiberorum Equos, Parthicis adſimilat, his verbis: Ἐοικέναι δὲ τοῖς Παρθικοῖς· καὶ γὰρ ταχεῖς εἶναι καὶ εὐδρόμους μᾶλλον τῶν ἄλλων. *Eſſe vero Parthicis ſimiles, velocitate & curſus dexteritate aliis praeſtantes.*

XXXIII. Equites utique Perſae, propter gravitatem tegumentorum armorumque, ingentibus & fortibus Equis opus habebant. Unde, Perſarum Equos, quod ſeſſores gravi armatura inſtructos ferrent, laboraſſe, & ſub pondere gemuiſſe, ARRIANUS *libr.* II. *cap.* XI. ſignificat: Οἵ τε, inquiens, τῶν Περσῶν ἵπποι ἐν τῇ ἀναχωρήσει ἐκακοπάθουν, βαρέως ὡπλισμένους τοὺς ἀμβάτας σφῶν φέροντες. *Perſarum equi, quod ſeſſores graviter armatos ferrent, in receptu multum incommodi acceperunt. Equos* etiam Perſarum, pariter atque *Equites, ſerie laminarum graves* fuiſſe, CURTIUS *lib.* III. *cap.* 11. §. 15. ait. Non tantum enim Equites loricatos fuiſſe, ſed & ipſos Loricis tectos Equos, XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 242. [*p.* 190.] docet his verbis: Κῦρος δὲ μὲν ἀκροβολίζεσθαι ἀποπαύσας, θωρακίσας δὲ καὶ αὐτοὺς, καὶ ἵππους. *Cyrus cum ex ferentariorum eos ordine eximeret, ac cum ipſos, tum equos cataphractos redderet.* Equitibus quoque Perſis, *Equiſque tegumenta: fuiſſe ex ferreis laminis, ſerie inter ſe connexis*, CURTIUS *lib.* IV. *cap.* 9. §. 3. ſcribit: vel *operimentis ſcorteis*, ut AMMIANUS MARCELLINUS (*b*) *libr.* XXIV. *cap.* 6.

XXXIV. Equos etiam Cyri temporibus Frontalibus & Pectoralibus armatos fuiſſe, ac praeterea ſingulares equos Feminalibus, ſeu Femoralibus, id eſt, femorum ſive feminum tegumentis: eos vero, qui curribus jungebantur, Laterariis ſive Lateralibus, laterumve tegminibus tectos, XENOPHON *libr.* VI. παιδ. *pag.* 169. [*p.* 134.] auctor eſt: Ὥπλιζε δὲ, ait, καὶ ἵππους προμετωπιδίοις καὶ προστερνιδίοις· καὶ τοὺς μὲν μονίππους, παραμηριδίοις· τοὺς δ᾽ ἐπὶ τοῖς ἅρμασι, παραπλευριδίοις. *Itidemque armabant equos frontalibus & antilenis, atque etiam ſeorſum incedentes equos feminalibus, curribus junctos iis armis, quae latera tegerent.* Idem *libr.* VII. παιδ. *pag.* 172. [*p.* 136.] Οἱ δὲ ἵπποι (videlicet ὡπλισμένοι ἦσαν) προμετωπιδίοις καὶ προστερνιδίοις, καὶ παραπλευριδίοις χαλκοῖς. *Equi frontalibus, & antilenis, & lateralibus aereis armati erant.* POLLUX utique *libr.* II. *Onomaſt. cap.* IV. *ſegm.* 167. *pag.* 235. παραπλευρίδια interpretatur, τὰ περὶ τὰς τῶν ἵππων πλευρὰς ὅπλα. *Equorum circa latera arma.* Idem XENOPHON *libro* I. Ἀναβάσ. *pag.* 263. [*p.* 207.] Οἱ δὲ ἵπποι ἅπαντες οἱ μετὰ Κύρου εἶχον καὶ προμετωπίδια καὶ προστερνίδια· εἶχον δὲ καὶ μαχαίρας οἱ ἱππεῖς Ἑλληνικάς. *Habebant & equi omnes in exercitu Cyri frontium pectorumque munimenta, & equites ipſi gladios Graecos.* DIODORUS *libr.* XVII. *cap.* 77. *pag.* 220. (*St.* 603. *Rh.* 550.) de Alexandro: Καὶ τοῖς ἵπποις Περσικὰς σκευὰς περιέθηκε. *Equis Perſicum ornatum accommodavit.* Unde ἐπισάξαι τὸν ἵππον, *inſternere equum*, dixit XENOPHON *libr.* III. Ἀναβάσ. *pag.* 311. [*p.* 245.] Frontalia autem Equis adhiberi moris fuiſſe in Orientis regionibus indicio eſt, quod PLINIUS *libr.* XXXVII. *cap.* XII. *Cochlitas proceriae magnitudinis olim extitiſſe, ut Equis Regum in Oriente Frontalia, atque pro phaleris, penſilia facerent.*

XXXV Igitur non Equitum modo corpora, a calce ad verticem uſque capitis, Thorace ita muniebantur, ſed & Equi ipſi eodem modo tegebantur: fruſtra enim tam diligenter & accurate armati fuiſſent, niſi & Equis eodem genere caviſſent. Quod SUIDAS eodem loco, *voce* Θώραξ, ita exponit: Ὁπλίζουσι δὲ καὶ τὸν ἵππον ὁμοίως ἀπὸ κεφαλῆς μέχρι τῶν ὀνύχων· διότι οὐδὲν αὐτοῖς ὄφελος ἂν εἴη τῶν ἰδίων ὅπλων, εἰ ὁ ἵππος αὐτοῖς συναπόλοιτο. *eodem modo & equum ad ungulas uſque ferro totum armant, quoniam armaturae propriae nullus ipſis uſus futurus eſſet, ſi equus ante ipſos periret.* Cujuſmodi Equites *Cataphractos* appellatos SERVIUS adnotat in *libr.* XI. *Aeneid.* ad hos verſus: (750.) *Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis In plumam ſquamis auroque inſerta tegebat: Cataphractum*, ait, *eum fuiſſe ſignificat. Cataphracti autem Equites dicuntur, qui & ipſi muniti ferro ſunt, & equos ſimiliter munitos habent.* ATHENAEUS *libr.* V. *cap.* IV. *p.* 194. τελευταία δ᾽ ἦν ἡ κατάφρακτος ἵππος οἰκείως τῇ προσηγορίᾳ, τῶν ἵππων καὶ τῶν ἀνδρῶν ἐσκεπασμένων τοῖς ὅπλοις. *Poſtrema fuit equitum cataphractorum ala, ſic apte vocata, quod & viri & equi armis obſepti & operti eſſent.* SUIDAS *voce* ἱππική ex *Aeliano*: Τῆς δὲ κυρίως ἱππικῆς τὸ μέν ἐστι κατάφρακτον, ὃ καὶ τοὺς ἵππους καὶ τοὺς ἱππέας περιπεφραγμένους παρέχεται· τὸ δὲ ἀκατάφρακτον. *Illorum vero equitum, qui proprie ita vocantur, alii ſunt cataphracti (quo nomine tam equi quam viri cataphracti comprehenduntur) alii non cataphracti.* LIVIUS *libr.* XXXV. *cap.* 48. *Equitum innumerabilem vim trajici Helleſponto in Europam, partim Loricatos, quos Cataphractos vocant.* PROPERTIUS *libr.* III. *Eleg.* X. *v.* 11.

Neve tua Medae laetentur cede ſagittae:
Ferreus aurato nec Cataphractus Equo.

Parthicum quoque equitatum Cataphractum fuiſſe, & Equites Parthos eodem, quo Perſae, modo armatos, docet PLUTARCHUS in *Craſſo*, *pag.* 557. Ἐκπεπληγμένων δὲ τῶν Ῥωμαίων διὰ τὸν ἦχον, ἐξαίφνης τὰ προκαλύμματα τῶν ὅπλων καταβαλόντες, ὤ-

φθησαν

(a) Πετεινὰ] πτηνὰ edidit *Jac. Gronovius*: qui paulla poſt pro ἐστὶ γὰρ ex *MS. Med.* reponit τοῦ δὲ, & poſt Νισαίων iterum inſerit δὲ. TR.

(b) MARCELLINUS] Idem *lib.* XXIV. *cap.* 1. & 4. & *lib.* XXV. *c.* 1. eleganter quoque iſta ex ferreis laminis tegumenta deſcribit. TR.

φθεγγομένων αὐτοὶ γε φλογοειδεῖς, κράνεσι καὶ θώραξι, τοῦ Μαργιανοῦ σιδήρου στίλβοντος ὀξὺ καὶ περιλαμπεῖς· οἱ δ' ἵπποι περιπεφραγμένοι χαλκοῖς καὶ σιδηροῖς σκεπάσμασι. *Eo tum ſonitu perturbatis Romanis; ſubito Parthi tegumenta armorum abjecerunt, ardenteſque ſuas galeas & thoraces, late rutilantes Margiano ferro, oſtentaverunt; itidemque equi aereis & ferreis tecti tegumentis*: ſic enim ex APPIANI *Parthicis pag.* 238. (143.) emendandum eſt (*a*), non, ut vulgo legitur, ὑφάσμασι. JUSTINUS *libr.* XLI. *cap.* 2. *in fin.* de Parthis loquens: *Munimenta ipſis equiſque Loricae plumatae ſunt: quae utrumque toto corpore tegunt.* Hujuſmodi vero Cataphractos equites *Clibanarios* poſteriora tempora appellarunt. Alexandrum LAMPRIDIUS in ejus *vita cap.* 56. ſcribit, devictis a ſe Perſis ad Senatum ſcripſiſſe: *Centum & viginti Equitum millia fudimus: Cataphractarios, quos illi Clibanarios vocant, decem millia in eo bello interemimus.* AMMIANUS MARCELL. *libr.* XVI. *cap.* 10. *Sparſique Cataphracti equites, quos Clibanarios vocant* (*b*) *Perſae, Thoracum muniti teguminibus, & limbis ferreis cincti, ut Praxitelis manu polita crederes ſimulacra, non viros: quos laminarum circuli tenues, apti corporis flexibus, ambiebant per omnia membra deducti: ut quocumque artus neceſſitas commoviſſet, veſtitus congrueret junctura cohaerenter apta.* NAZARIUS Rhetor in *Panegyrico* Conſtantino dicto, *cap.* 22. *Quae illa fuiſſe dicitur ſpecies? quam atrox viſu? quam formidoloſa? Operimento ferri Equi atque homines pariter obſepti (Clibanariis in exercitu nomen eſt) ſuperne omnibus tectis equorum pectoribus, demiſſa lorica, & crurum tenus pendens, ſine impedimento greſſus, a noxa vulneris vindicabat.* LEO IMP. *Tacticon cap.* VI. *num.* XXXI. *Armabant autem Cataphractum equitem undique, tum ipſum, tum equum Loricis, id eſt Galeis: Clibaneis, id eſt Thoracibus:* (*c*) *Parameniis, id eſt Machaeris, vel ferreis, vel ex cornibus intextis. Equos muniebant Lateralibus, & Frontalibus, id eſt latera & capita, & cervices equorum, Thoracibus & Galeis, & alia certa materia tegebant.* Idemque ejuſdem capitis *num.* IV. Clibaniorum nomen uſurpat, & Thoraces interpretatur. Dixi & de Clibanariis quaedam *lib.* III. *de verborum, quae ad jus pertinent, ſignificatione.* Verum Clibanariorum armaturam nullus HELIODORO accuratius, clarius copioſiuſque expreſſit: cujus integrum, ex *libr.* IX. *Aethiopic. p.* 431. *ſeqq.* locum ſubjicere prolixitate ipſa non gravabor. Verba ſic habent; καὶ γὰρ ἦν (de cataphracto equitatu loquitur:) Καὶ ἵστατο ἤδη ἡ φάλαγξ Περσῶν ἀεὶ τὸ μαχιμώτατον, καὶ οἱονεὶ τεῖχος ἀρραγὲς τοῦ πολέμου προβαλλόμενος. τρόπος δὲ αὐτοῖς πανοπλίας τοιόσδε. Ἀνὴρ ἐκκριτος, καὶ σώματι ἰσχυρὸς ἐπίλεκτος, κράνος μὲν ὑπέρχεται, συμπαγές τε καὶ μονήλατον καὶ ὄψιν ἀνδρὸς εἰς ἀκρίβειαν, ὥσπερ τὰ προσωπεῖα, σεσοφισμένον. τούτῳ δὲ, ἐκ κορυφῆς εἰς αὐχένα, πάντα, πλὴν τῶν ὀφθαλμῶν εἰς τὸ διοπτεύειν, σκεπόμενος, τὴν μὲν δεξιὰν κοντῷ μείζονι λόγχης ὁπλίζει, τὴν λαιὰν δὲ εἰς τὸν χαλινὸν ἀσχολεῖ. Κοπίδα δὲ ὑπὸ τὴν πλευρὰν παρηρτημένος, οὐ τὰ στέρνα μόνον, ἀλλὰ καὶ σῶμα τὸ ἄλλο ἅπαν τεθωράκισται. ἐργασία δὲ τοῦ θώρακος τοιάδε. Σανίδας χαλκᾶς τε καὶ σιδηρᾶς, ὅσον σπιθαμιαίας, πάντοθεν εἰς σχῆμα τετράγωνον ἐλάσαντες, καὶ ἄλλην ἐπ' ἄλλην κατ' ἄκρα τῶν πλευρῶν ἐφαρμόζοντες (*d*), ὡς τῇ καθύπερθε τὴν ὑποκειμένην ἀεὶ, καὶ τῇ πλαγίᾳ τὴν παρακειμένην ἀεὶ κατὰ τὸ συνεχὲς ὑποβαίνειν· καὶ ῥαφαῖς ὑπὸ τὰς ἐπιπτυχὰς τὴν συμπλοκὴν ἀγκιστρώσαντες, χιτῶνά τινα φολιδωτὸν ἀπεργάζονται, προσιζάνοντα μὲν ἀλύπως τῷ σώματι καὶ πάντῃ περιφυόμενον, περιγράφοντα δὲ μέλος ἕκαστον, καὶ πρὸς τὸ ἀκώλυτον τῆς κινήσεως συστελλόμενόν τε καὶ συνεκτεινόμενον. ἔστι γὰρ χειριδωτὸς ἀπ' αὐχένος εἰς γόνυ καθειμένος, μόνοις τοῖς μηροῖς, καθὸ τῶν ἵππων νῶτον ἐπιβαίνειν ἀνάγκη, διεστιλμένος. ὁ μὲν δὴ θώραξ τοιοῦτος, ἀντίτυπός τε βελῶν χρῆμα, καὶ πρὸς πᾶσαν τρῶσιν ἀπομαχόμενος· ἡ κνημὶς δὲ ἀπ' ἄκρων ταρσῶν εἰς γόνυ διήκει, συνάπτουσα πρὸς τὸν θώρακα. παραπλησίᾳ δὲ σκευῇ καὶ τὸν ἵππον περιφράττουσι, τούς τε πόδας κνημῖσι περιδέοντες, καὶ προμετωπιδίοις τὴν κεφαλὴν δι' ὅλου σφηνοῦντες· ἐκ νώτου τε ἐπὶ γαστέρα, καθ' ἑκάτερον πλευρὸν, σκέπασμα σιδηρόπλοκον ἀπαιωροῦντες, ὡς (*e*) ὁπλίζειν τε ἅμα, καὶ τῇ λαγαρότητι (*f*) μὴ ἐμποδίζειν τοὺς δρόμους. οὕτως ἐσκευασμένος καὶ οἷον ἐμβεβλημένος, περιβαίνει τὸν ἵππον, οὐκ αὐτὸς ἐφαλλόμενος, ἀλλ' ἑτέρων διὰ τὸ ἄχθος ἀναβιβαζόντων. καὶ ἐπειδὰν ὁ καιρὸς ἥκῃ τῆς μάχης, ἐφεὶς τῷ χαλινῷ τὸν ἵππον, καὶ μύωπας παρεὶς ῥοθίῳ κατὰ τῶν ἐναντίων ἵεται· σιδηροῦς τις ἀνὴρ φαινόμενος, ἢ καὶ σφυρήλατος ἀνδριὰς κινούμενος. ὁ κοντὸς δὲ τὰ μὲν πρὸς τῇ αἰχμῇ κατὰ πολὺ καὶ εἰς εὐθὺ προβέβληται, δεσμῷ πρὸς τὸν αὐχένα τοῦ ἵππου ἀνεχόμενος· τὸν οὐρίαχον δὲ βρόχῳ πρὸς τοῖς ἱππείοις μηροῖς ἐξήρτηται, μὴ εἴκων ἐν ταῖς συμβολαῖς, ἀλλὰ συνεργῶν τῇ χειρὶ τοῦ ἱππέως, ἀπευθυνούσῃ μόνον τὴν βολήν· αὐτὸς δὲ ἐπιτεινόμενος, καὶ πρὸς τὸ σφοδρότερον τῆς τρώσεως ἀντερειδόμενος, τῇ ῥύμῃ διαπείρει πάντα τὸν ὑποπίπτοντα, καὶ μιᾷ πληγῇ δύο πῃ φέρει πολλάκις ἀναρτήσας. *Siquidem eſt haec phalanx belliccoſiſſima, & tanquam murus belli infractus ante reliquum exercitum objicitur. Armaturae autem ratio ipſis talis eſt. Vir lectus, & robore corporis praeſtans, galeam ſumit cohaerentem & compactam, ac faciem viri exacte, non ſecus ac in perſonis videre eſt, exprimentem. Hac a vertice uſque ad collum tetum, praeter oculos, tranſpiciendi cauſa, tectus, dextram quidem armat conto majori quam haſta, ſiniſtra autem regendis habenis occupatur: gladio vero ad latus ſuſpenſo, non tantum pectus, ſed etiam totum corpus lorica munitum habet. Lorica autem ita conficitur. Laminis aereis & ferreis, quadrangula forma, magnitudine palmi ductis, aliam ſuper aliam ad extremitates laterum aptantes, ita ut ſemper ſuperior inferiori ſibi ſubjectae & obliquae, ea quae ipſi in continuum ſemper eſt appoſita, ſuperſtet. & ſuturis ſubter commiſſuras texturam connectentes, tunicam quandam ſquammatam efficiunt: quae ſine ulla moleſtia corpori incumbit, & undiquaque adhaereſcit. Circumſcribit autem unumquodque membrum, & quo motus ſit ſolutior, abſque impedimento contrahitur & ſimul extenditur. Eſt enim manicata, a collo uſque ad genu demiſſa, in ſolis femoribus, qua parte tergum equi conſcenditur, neceſſitate ita poſtulante, diſcincta. Lorica igitur eſt talis, tela retundens, & omnis generie ictibus reſiſtens. Ocrea vero a ſumma planta ad genu pertingit, conſerta cum lorica. Conſimili autem apparatu & equum muniunt: pedes ocreis circumligantes, & frontalibus caput prorſus operientes: a tergo vero ad ventrem circa utrumque latus*

(*a*) EST] In hac quoque ſententia eſt *Tollius* in *notis* ad *Appianum l. c.* TR.

(*b*) VOCANT] *Dictitant* legitur in editis: & in fine *aptata*, pro *apta*. TR.

(*c*) Rectius, opinor, *Parameriis*: ut παραμήρια ſint *quae femori applicantur arma*: Xenophonti παραμηρίδια ſupra libr. III. §. 7. & 34. quibus & gladii ac ſimilia annumerantur. S.

(*d*) Ἐφαρμόζοντες] Reſtitui lectionem ex prima auctoris editione, quae etiam in Comelini *editione* Heliodori conſpicitur: Sylburgius vero *Guil. Xylandrum* ſecutus, edidit, in ſua editione ἐφαρμόσαντες. TR.

(*e*) Ὡς] Ita edidit Sylburgius, non male; & ita quoque in *Cod. Vaticano* inveniri teſtatur *Comelinus* in *notis*: ipſe tamen edidit καὶ, ut & in prima auctoris editione legitur. TR.

(*f*) Τὸ μὴ ex editis ſupplevi. L.

tus, tegumentum ferreis nexibus conſtans, ſuſpendentes, ut ſimul & armet, & propter interceptum vacuum ſpatium curſum minime impediat. Sic inſtructus, & quaſi in armaturam injectus, inſidet equo: non ipſe inſiliens, ſed aliis propter pondus ſuſtollentibus. Et poſtquam pugnae tempus advenit, equo frenum remittens, & calcaribus eum concitans, omni impetu in hoſtes fertur, ita ut ferreus vir, aut ſtatua quaedam malleis compacta moveri videatur. Contus autem, qua parte cuſpis eſt, longe in directum prominet, & vinculo ad collum equi ſuſtinetur. Porro manubrio nodo ad femora equi annectitur, qui non cedit in conflictu, ſed adjuvat manum equitis ictum tantum dirigentem: atque ita ipſo magis intendente, & renitendo vehementiorem efficiente ad vulnerandum impetum, transfigit quemlibet obvium, & duos uno ictu ſuſpenſos fert ſaepius. Quo loci verba haec, ὥστε τὸ ἀκώλυτον τῆς κινήσεως, ſic interpretor, *utque nihil obſtet motui*, vel, *quo motus ſit ſolutior, & abſque impedimento, contrahitur & ſimul extenditur*, & pro ἀχολεῖ, emenda ἀσχολεῖ (*a*), id eſt *occupata eſt & verſatur*. Praeterea, pro ἐπὶ τὸ κατωτέρω τῶν ὑπερκειμένων, legendum cenſeo, τῶν ὑπερκειμένων (*b*); id eſt, *ita ut ſemper ſuperior inferiori ſibi ſubjectae & obliquae, ea quae ipſi in continuum ſemper eſt appoſita, ſuperſtet.* Item ubi ὑποβαίνων ἀνάγκη, abſque ullo inciſo medio lege, id eſt, *qua parte tergum equi conſcendere neceſſe eſt, dilatatur vel aperitur.*

XXXVI. Equos autem Perſae vinciebant, ac etiam pedicis impediebant, ne forte ruptis capiſtris effugerent, ut XENOPHON Ἀναβάσ. *libr.* III. *pag.* 311. [*p.* 245.] docet: eaque de cauſa ad nocturnas pugnas minus habiles & paratos fuiſſe ait: propterea quod nec ſolvi, nec fraenari, nec inſterni confeſtim equi poſſent, nec Loricatis facilis eſſet eorum aſcenſus. Quod ille ſignificat his verbis: Πονηρὸν γὰρ νυκτός ἐστι στράτευμα Περσικόν. οἵ τε γὰρ ἵπποι αὐτοῖς δέδενται, καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ πεποδισμένοι εἰσί, τοῦ μὴ φεύγειν ἕνεκα, εἰ λυθείησαν· ἐάν τέ τις θόρυβος γίγνηται, δεῖ ἐπισάξαι τὸν ἵππον Πέρσῃ ἀνδρί, καὶ χαλινῶσαι δεῖ, καὶ θωρακισθέντα ἀναβῆναι ἐπὶ τὸν ἵππον. ταῦτα δὲ πάντα χαλεπὰ νύκτωρ, ἅτε καὶ θορύβου ὄντος. *Sunt certe Perſarum caſtra noctu perincommoda. Nam & equi ipſorum alligantur, ac plerumque pedicis conſtricti tenentur, ne, ſi ſoluti ſint, aufugiant. Quod ſi quis tumultus incidat, neceſſe eſt homini Perſico equus inſternatur, neceſſe eſt fraenetur, atque ubi jam quis loricâ ſe munierit, equum conſcendat neceſſe eſt. Ea vero univerſa noctu difficulter fiunt, qua tempore tumultus eſſe ſolent.*

XXXVII. Caeterum Curribus quoque Equos Perſae in bello jungebant: nec ex ſingulis ſolum equis, verum etiam ex quadrigis pugnabant. Cyrum quidem ipſum Curru in praelio vectum, oſtendit XENOPHON, apud quem *libro* III. παιδ. *pag.* 83. [*p.* 66.] Cyrus (*c*) ἐφ' ἅρματος ὀχούμενος, *curru vectus* milites cohortatur. Sed & Xerxem in ſua adverſus Graecos expeditione curru ſublimem eminuiſſe, indeque ubi commodum videbatur in Harmamaxam tranſiiſſe, HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 40. *ſeq.* ita ſcribit: Τοῦτο δὲ ὄπισθε αὐτὸς Ξέρξης ἐπ' ἅρματος ἵππων Νησαίων· παρεβεβήκεε δέ οἱ ἡνίοχος, τῷ οὔνομα ἦν Πατιράμφης, Ὀτάνεω παῖς, ἀνδρὸς Πέρσεω. ἐξήλασε μὲν δὴ οὕτω ἐκ Σαρδίων Ξέρξης· μετεκβαίνεσκε δέ, ὅκως μιν ὁ λόγος αἱρέοι, ἐκ τοῦ ἅρματος ἐς ἁρμάμαξαν. *Poſt ipſe Xerxes vehebatur curru equorum Niſaeorum, praecedente auriga, cui nomen erat Patiramphae, Otanis filio, viri Perſae. Hunc quidem in modum Sardibus proceſſit Xerxes: ſed e curru, quoties ratio exigebat, in harmamaxam tranſcendebat.* Ex curru quoque pugnaſſe Darium adverſus Alexandrum, teſtis eſt DIODORUS SICULUS *libro* XVII. *cap.* 60. *pag.* 206. (*St.* 549. *Rh.* 535.) de Dario loquens hoc modo: Αὐτὸς μὲν ἐφ' ἅρματος ἀγωνιζόμενος, ἠκόντιζεν εἰς τοὺς ἐπιφερομένους. *Ipſe quidem de curru, unde pugnabat, jaculis in ſe irruentes ſubmovet.* Eundem Darium CURTIUS *lib.* IV. *cap.* I. §. I. *Triumphantis magis, quam dimicantis more, Curru ſublimem*, iniiſſe praelium, ait. Sed & *lib.* V. *cap.* 10. §. 12. *Darius*, inquit, *ſigno ad eundum dato, currum priſtino more conſcendit.* Cui & ARRIANUS *libr.* II. *cap.* XI. *pag.* 77. *ſeq.* conſentit. Quadrijugum vero fuiſſe Darii currum, indicat DIODORUS *libr.* XVII. *cap.* 34. *pag.* 185. (*St.* 579. *Rh.* 513.) τεθρίππου ζεῦγος, appellans. Regum autem Aurigae, ante ipſos ſedentes, equos regebant, habenisque moderabantur: quibus manus admovere Reges Perſica lege vetabantur, ne Regiam majeſtatem minuerent. Darius tamen in Iſſiaco contra Alexandrum praelio, in extremum diſcrimen adductus, equis fraenos excutientibus, cumque in conſertos hoſtes rapientibus, ipſemet eorum inhibendorum retrahendorumque cauſa, habenas ſuis manibus indecore adprehendere coactus eſt, quemadmodum idem DIODORUS *libr.* XVII. *l. c.* narrat his verbis: Οἱ δὲ τοῦ Δαρείου τεθρίππου ζυγὸν ἐπέχοντες ἵπποι, τραυματιζόμενοι πυκνοῖς, καὶ διὰ τὸ πλῆθος τῶν περὶ αὐτοὺς συμβεβηκότων νεκρῶν πτυρόμενοι, τὰ μὲν χαλινὰ διέσειον, παρ' ὀλίγον δὲ καὶ αὐτὸν τὸν Δαρεῖον εἰς τοὺς πολεμίους ἐξήνεγκαν. διὸ καὶ κινδυνεύων ἐσχάτως ὁ βασιλεὺς αὐτὸς ἥρπασε τὰς ῥυτῆρας, συναναγκαζόμενος λῦσαι τὸ πρέπον τῆς ἀξιώσεως, καὶ τὸν ὑπὸ Περσῶν τοῖς βασιλεῦσι κείμενον νόμον ὑπερβῆναι. *Tunc equi Darii jugales, qui currum ejus trahebant, multis vulneribus adfecti, & cadaverum in orbem coacervatorum multitudine conſternati, frenis excuſſis, regem in medios ferme hoſtes abripuiſſent; niſi in extremo verſans periculo habenas apprehendiſſet, principatus ſui majeſtatem, & legem Perſarum regibus praeſcriptam hoc modo tranſgredi coactus eſſet.* At priore (*d*) praelio, cum equi, qui Darium vehebant, confoſſi haſtis, & dolore efferati, jugum quatere, & Regem curru excutere coepiſſent, ille veritus, ne vivus in hoſtium poteſtatem veniret, deſiluiſſe, & in equum, qui ad hoc ipſum ſequebatur, impoſitus fuiſſe fertur, inſignibus imperii, ne fugam proderent, turpiter abjectis, quemadmodum CURTIUS *lib.* III. *cap.* II. §. II. narrat.

XXXVIII. Currus autem Perſicos interdum auro argentoque adornatos apud Perſas teſtimonio eſt CURTIUS *lib.* X. *cap.* I. §. 24. qui Orſinem Alexandro cum muneribus occurriſſe memorat; additque: *equorum domiti greges ſequebantur, curruſque argento & auro adornati.* Illud praetereundum non videtur, Xerxis ſellam (*e*), ar-

(*a*) Ἀσχολεῖ] Id quod auctor jam in ipſo textu fecit, & ita quoque edidit *Commelinus*. TR.

(*b*) Ὑπερκειμένων] Ita etiam edidit *Commelinus*. TR.

(*c*) CYRUS] Immo Xenophon *l. c.* hoc non de Cyro, ſed de rege Aſſyriorum narrat. TR.

(*d*) PRIORE] Immo eodem Iſſiaco praelio. Sed auctor ſupra falſo ſcripſerat in prima editione: *noviſſimo praelio*, quod Sylburgius correxit. TR.

(*e*) SELLAM] De hac ſella confer HERODOTUM *lib.* VIII. *cap.* 90. AESCHYLUM in *Perſis*, *v.* 466. ſeq. TR.

argenteis pedibus, in qua conſidens Naumachiam ſpectavit, poſt cjus fugam, in poteſtatem Athenienſium veniſſe: quam, αἰχμαλώτου nomine, in Parthenone Minervae collocarunt, unde ab omnibus viſebatur. HARPOCRATION: Ἀργυρόπους δίφρος, ὁ Ξέρξου· ὃς αἰχμάλωτος ἐπεκαλεῖτο· ἐφ' οὗ καθεζόμενος, ἐθεώρει τὴν ναυμαχίαν· ἀνέκειτο δὲ εἰς τὸν παρθενῶνα τῆς Ἀθηνᾶς. *Sella Xerxis, pedibus argenteis, captiva cognomento: in qua ſedens praelium navale ſpectavit. Dedicata eſt autem in Parthenone Minervae.* Quae verba ex eo deſcripſit SUIDAS in Ἀργυρόπους.

XXXIX. Erant & bellici, alterius generis, Currus. Cyrus enim priſcis Curribus exploſis, ut exſtat apud XENOPHONTEM *libr.* VI. παιδ. *pag.* 152. *ſeq.* [*p.* 121.] Πολεμιστήρια κατεσκεύασεν ἅρματα τροχοῖς τε ἰσχυροῖς, ὡς μὴ ῥᾳδίως συντρίβηται, ἄξοσί τε μακροῖς· ἧττον γὰρ ἀνατρέπεται πάντα τὰ πλατέα· τὸν δὲ δίφρον τοῖς ἡνιόχοις ἐποίησεν, ὥσπερ πύργον, ἰσχυρῶν ξύλων. ὕψος δὲ τούτων ἦν μέχρι τῶν ἀγκώνων, ὡς δύναιντ' ἡνιοχεῖσθαι οἱ ἵπποι ὑπὲρ τῶν δίφρων. τοὺς δ' ἡνιόχους ἐθωράκισε πάντας, πλὴν τῶν ὀφθαλμῶν. προσέθηκε δὲ καὶ δρέπανα σιδηρᾶ ὡς διπήχη, πρὸς τοὺς ἄξονας, ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῶν τροχῶν, καὶ ἄλλα κάτω ὑπὸ τῷ ἄξονι εἰς γῆν βλέποντα, ὡς ἐμβαλούντων εἰς τοὺς ἐναντίους τοῖς ἅρμασιν. ὡς δὲ τότε Κῦρος ταῦτα κατεσκεύασεν, οὕτω καὶ ἔτι νῦν τοῖς ἅρμασι χρῶνται οἱ ἐν τῇ βασιλέως χώρᾳ. *Bello aptos currus fabricavit rotis validis, ne facile comminuerentur; & axibus longis, quippe quod minus evertantur omnia, quae lata ſunt. Sellam vero aurigis ſtruxit ſicuti turrim ex validis lignis. Atque harum ſellarum altitudo pertingebat ad cubitos, ut equi gubernari a ſedentibus ſuper ſellas poſſent. Aurigas ipſos totos exceptis oculis, armis muniebat. Praeterea falces ferreas duum cubitorum ad axes ab utraque rotarum parte apponebat, & alias infra axem, quae terram reſpiciebant: tanquam impetum in adverſarios facturi cum curribus eſſent. Atque ut Cyrus id temporis haec fabricavit, ſic hac etiam tempeſtate curribus hiſce utuntur ii, qui regis in ditione degunt.* Cyrus ergo primus currus cum falcibus in praelia induxit: cujuſmodi currus Graeci, & in his PLUTARCHUS in *Lucullo*, *pag.* 517. & ARRIANUS *libr.* III. *cap.* 8. *pag.* 115. ἅρματα δρεπανηφόρα, Latini, *falcatos currus vocant.*: CURTIUS etiam *libr.* IV. *cap.* 9. §. 4. nec non VEGETIUS *libr.* III. *cap.* XXIV. *falcatas quadrigas.* Hujuſmodi curruum deſcriptionem ex Xenophonte, Diodoro, Curtio, Suida, ſubjiciam. XENOPHON *libr.* I. Ἀναβάσ. *pag.* 264. [*p.* 208.] Πρὸ δ' αὐτῶν ἅρματα διαλείποντα συχνὸν ἀπ' ἀλλήλων τὰ δρεπανηφόρα λεγόμενα· εἶχον δὲ τὰ δρέπανα ἐκ τῶν ἀξόνων εἰς πλάγιον ἀποτεταμένα, καὶ ὑπὸ τοῖς δίφροις εἰς γῆν βλέποντα, ὡς διακόπτοιεν ὅτῳ ἐντύχοιεν. ἡ δὲ γνώμη ἦν ὡς εἰς τὰς τάξεις τῶν Ἑλλήνων ἐλῶντα καὶ διακόψοντα. *Praeibant currus, qui magnis a ſe diſtabant intervallis, & falcati appellabantur. Ii falces habebant ex ipſis axibus in obliquum porrectas, & deorſum in terram ſpectantes, ut in quamcumque rem incidiſſent, eam diſcinderent. Erat autem hoc ipſis conſilii, quod currus hos in ordines Graecorum acturi eſſent, eoſque diſturbaturi.* DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *cap.* 53. *pag.* 201. *ſeq.* (*St.* 590. *Rh.* 530.) de Dario (*a*): Κατεσκεύασε δὲ καὶ ἅρματα δρεπανηφόρα διακόσια πρὸς κατάπληξιν καὶ φόβον τῶν πολεμίων εὐθέτως ἐπινενοημένα. τούτων γὰρ ἑκάστου παρ' ἑκάτερον τῶν σειραφόρων ἵππων ἐξείχετο προσηλωμένα τῷ ζυγῷ ξίφη τρισπίθαμα, τὴν ἐπιφορὰν τῆς ἀκμῆς ἔχοντα πρὸς τὴν τῶν προσώπων ἐπιφάνειαν· πρὸς δὲ ταῖς κατακλεῖσι τῶν ἀξόνων ἐπ' εὐθείας ἄλλα δύο, τὴν μὲν τομὴν ὁμοίαν ἔχοντα πρὸς τὴν τῶν προσώπων ἐπιφάνειαν τοῖς προτέροις, τὸ δὲ μῆκος μείζω καὶ πλατύτερα. συνήρμοστο δὲ ταῖς τούτων ἀρχαῖς δρέπανα. *Currus quoque falcatos ducentos, ad terrore percellendum hoſtes opportune inventos, conſtruxit. Ex ſingulis enim juxta equum utrumque, qui catenis currum trahebant, ſpicula jugo affixa trium ſpithamarum longitudine prominebant, mucronibus in adverſas hoſtium facies directis. Ad axium decubitus alia duo haerebant in directum, quae perinde ac priora facies hoſtium adverſas ferirent, longiora tamen illis, atque latiora. Hiſque falces in ſummo annexae erant.* CURTIUS *lib.* IV. *cap.* 9. §. 4. *ſeq.* *Ingenſque, ut crediderat, hoſtium terror, ducentae Falcatae quadrigae, unicum illarum gentium auxilium, ſecutae ſunt: ex ſummo temone, haſtae* (*b*) *perfixae ferro, eminebant, utrinque a Jugo ternos direxerant gladios, & inter radios rotarum plura ſpicula eminebant. In adverſum aliae deinde falces ſummis rotarum orbibus haerebant, & aliae in terram demiſſae: quicquid obvium concitatis equis fuiſſet, amputaturae.* SUIDAS; Δρεπανηφόρα τέθριππα. ἦν δὲ τῷ Δαρείῳ ὑπ' Ἀλεξάνδρου πολεμουμένῳ τέθριππα δρεπανηφόρα, κατεσκευασμένα τοῦτον τὸν τρόπον· τῶν τροχῶν ἦσαν εἰς τὸν κύκλον προσκεχαλκευμένα δρέπανα· συνέβαινέ τε ἐπερχομένων τὰς τάξεις ἀναρπάζειν, καὶ τοὺς ἐμπίπτοντας, οἰκτρῶς ἀπόλλυσθαι. ἐλαυνομένων γὰρ τῶν δρεπάνων, οἱ μὲν τῶν ποδῶν, οἱ δὲ τῶν χειρῶν, οἱ δὲ ἐκ τῶν ὅπλων κρατούμενοι, ἐσύροντο ἐπιπολὺ καὶ ἀνῃροῦντο. *Quadrigae falcatae. Habebat autem Darius, cum Alexander ei bellum faceret, currus falcatos, hoc modo fabricatos. Summis rotarum orbibus falces erant affixae: quibus cum currus in hoſtem emitterentur, obvii quique lacerati miſere peribant. Falcibus enim circumactis, alii ex pedibus, alii ex manibus, alii ex armis prehenſi, & diu raptati tandem necabantur.* Ac poſtea ex XENOPHONTE *l. c.* citat haec; Τὰ δὲ δρεπανηφόρα καλούμενα, εἶχον δρέπανα ἐκ τῶν ἀξόνων εἰς πλάγιον ἀποτεταμένα, καὶ ὑπὸ τοῖς δίφροις εἰς γῆν βλέποντα, ὡς διακόπτοιεν (*c*) ὅτῳ ἐντύγχανον. *Currus autem, qui falcati vocabantur, falces habebant ab axibus oblique protenſas, & ſub curruum ſellis terram verſus directas, ut obvios quoſque diſſecarent.* Auctor libelli de Rebus bellicis, qui *Notitiae Imperii* ſubjicitur, Falcatum currum, quem *Currodrepanum* vocat, ita deſcribit: *Hujuſmodi pugnacis vehiculi genus, quod armis praeter morem videtur inſtructum, reperit Parthicae pugnae neceſſitas: ſed hoc, ſingulis bene munitis invecti equis, duo viri, veſtitu & armis, ferro diligenter muniti, citato curſu in pugnam rapiunt: cujus poſterior ſupra currum pars cultris in ordinem extantibus communitur: videlicet ne facilis a tergo cuiquam praebeatur aſcenſus. Falces vero acutiſſimae axibus ejuſdem currus aptantur, in lateribus ſuis anſulas habentes: quibus innexi funes, pro arbitrio duorum equitum, laxati quidem explicant, repreſſi autem erigunt falces. Qualia vero hujuſmodi machinae funera hoſtibus immittant, vel quas turbatis ordinibus ſtrages efficiant, dicent melius, qui uſu bella cognoſcunt.* Currus etiam iſtos *haſtas, multum ultra temonem eminentes*, & *ab utroque latere demiſſas falces* habuiſſe, ideoque immiſſos in hoſtes, obvia corpora foede laceraſſe, ordines etiam valde turbaſſe, CURTIUS *lib.* IV. *cap.* 15. §. 4. oſtendit: quos & idcirco Da-

(*a*) DARIO] De ſenſu loci hujus paullo obſcurioris legi merentur notae *Cel. Weſſeling.* TR.

(*b*) Aptos *praefixae.* S. Ita etiam in recentioribus legitur editionibus. TR.

(*c*) Melius, ὅτῳ ἐντυγχάνοιεν: in Xenoph. ed. eſt, ὅτῳ ἐντύχοιεν, Leoncl. ed. p. 264. S. ὅτῳ ἐντυγχάνοιεν legendum monuerunt etiam Portus atque Wolfius, prouti jam habet nupera editio Cl. Kuſteri. L.

Darium, ſecundo adverſus Alexandrum praelio, ante ſe locaviſſe, idem memorat.

XL. Aurigae vero, quadrigis hiſce impoſiti, ſigno dato, laxatis habenis in confertam hoſtium aciem currus effundebant: quorum minime proviſo impetu, multi obterebantur, diſtractiſque & avulſis membris miſere lacerabantur. DIODORUS *libr.* XVII. *cap.* 58. *pag.* 205. *ſeq.* (*St.* 593. *Rb.* 534.) ἐνίων δὲ (videlicet ἁρμάτων δρεπανηφόρων) τῇ βίᾳ τῆς ῥύμης φερομένων, καὶ ταῖς τῶν σιδήρων ἀκμαῖς ἐνεργῶς χρωμένων, πολλὰς καὶ ποικίλας διαθέσεις θανάτου ἀπειργάζοντο. τοιαύτη γὰρ ἦν ἡ ὀξύτης καὶ βία τῶν κεχαλκευμένων πρὸς ἀπώλειαν ὅπλων, ὥστε πολλῶν μὲν βραχίονας αὐταῖς ταῖς ἀσπίσιν ἀποκόπτεσθαι, οὐκ ὀλίγων δὲ τραχήλους διατέμνεσθαι, καὶ τὰς κεφαλὰς πίπτειν ἐπὶ τὴν γῆν βλεπόντων ἔτι τῶν ὀμμάτων, καὶ τῆς τοῦ προσώπου διαθέσεως διαφυλαττομένης· ἐνίων δὲ τὰς πλευρὰς ἐπικαιρίοις τομαῖς ἀναρρηγνυμένων, καὶ θανάτους ὀξεῖς ἐπιφερόντων. *Nonnulli impetu violentiſſimo provecti, dum ferramentorum aciem obviis quam efficaciſſime infligunt, plurimis varia mortis ſpecie exitium afferunt. Tantus enim aciei vigor, tanta vis erat in ſpiculis, ad exitium fabricatis. ut multis brachia una cum clypeis amputarentur, nec paucis cervice praeciſa capita, integro adhuc viſu & recento vultus habitu, capita ad terram volverentur. Quibuſdam lethali ictu latera diſſecantur; unde mors repente ſubſecuta.* PLUTARCHUS in *Artaxerxe. pag.* 1014. Εὖ δὲ καὶ τοὺς Ἕλληνας ἔταξε τῶν δρεπανηφόρων τὰ ῥωμαλεώτατα, πρὸ τῆς ἑαυτοῦ φάλαγγος, ὡς, πρὶν ἐν χερσὶ γενέσθαι, διακόψοντα τὰς τάξεις, βίᾳ τῆς ἐλάσεως. *Id quoque ab eo bene inſtitutum, quod ante ſuam phalangem Graecae aciei oppoſuit falcatorum curruum robuſtiſſimum quemque: ut, nimirum priuſquam conſererentur, vi impetus eorum Graecos ordines diſſiparet.* Verum Falcatos hoſce currus, non quidem in deſuetudinem in totum abiiſſe; verum negligentius habitos, Aurigarumque imperitia plus plerumque damni, quam adjumenti attuliſſe, XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *fin. pag.* 242. ita ſcribit: Οὐδέ γε τοῖς δρεπανηφόροις ἅρμασιν ἔτι χρῶνται ἐφ' ᾧ Κῦρος αὐτὰ ἐποιήσατο. ὁ μὲν γὰρ, τιμαῖς αὐξήσας τοὺς Ἡνιόχους, καὶ ἀγαστοὺς ποιήσας, εἶχε τοὺς εἰς τὰ ὅπλα ἐμβαλοῦντας· οἱ δὲ νῦν, οὐδὲ γιγνώσκοντες τοὺς ἐπὶ τοῖς ἅρμασιν, οἴονται σφίσιν ὁμοίους τοὺς ἀνασκήτους τοῖς ἠσκηκόσιν ἔσεσθαι. οἱ δὲ ὁρμῶσι μὲν, πρὶν δὲ ἐν τοῖς πολεμίοις εἶναι, οἱ μὲν ἄκοντες ἐκπίπτουσιν· οἱ δ' ἐξάλλονται· ὥστε ἄνευ ἡνιόχων γιγνόμενα τὰ ζεύγη, πολλάκις πλείω κακὰ τοὺς φίλους, ἢ τοὺς πολεμίους ποιεῖ. *Nec falcatos item currus ad eos uſus, quibus a Cyro deſtinati fuerunt, uſurpant. Nam is aurigas honoribus amplificans, ac fortes reddens, habuit qui in armatos impetum facerent. Hodierni Perſae, quum eos, qui ſunt in curribus, ne quidem norint, inexercitatos arbitrantur exercitatis pares fore. Faciunt vero illi quidem impetum, ſed priuſquam inter hoſtes ſunt, partim ſponte ſua delabuntur, partim deſiliunt: Quo fit ut ab aurigis deſerta juga ſaepe numero amicis plus detrimenti adferant, quam hoſtibus.* Darium tamen ducentos falcatos currus adverſus Alexandrum duxiſſe, DIODORUS *libr.* XVII. *cap.* 52. *pag.* 201. (*St.* 590. *Rb.* 530.) & CURTIUS *lib.* IV. *cap.* 9. §. 4. narrant: itemque PLUTARCHUS in *Parallelis, pag.* 308. Δαρεῖος ὁ Πέρσης ἐπὶ Γρανικῷ πολεμήσας Ἀλεξάνδρῳ, καὶ ἑπτὰ Σατράπας ἀποβαλὼν καὶ ἅρματα δρεπανηφόρα δύο καὶ πεντακόσια, συμβαλεῖν ἔμελλε τῇ ἑξῆς. *Darius Perſa in pugna cum Alexandro ad Granicum amnem, poſtquam ſeptem Satrapas, cum duobus & quingentis curribus falcatis amiſiſſet, altero die iterum congredi decrevit.* Unde apud CURTIUM *lib.* IV. *cap.* 14. §. 14. in ſua ad milites Oratione, idem Darius, hoſtium paucitatem contemnens, contemplationeque tanti ac tam ornati ſui exercitus gloriabundus, *obteri*, ait, *mehercule equorum ungulis poſſunt, etiamſi nil praeter Falcatos Currus emiſero.* Longe plures currus hujus generis Semiramidem (*a*) in praelium adverſus Bactrianos duxiſſe, DIODORUS aliena *Cteſiae*, quem auctorem laudat, fide *libr.* II. *cap.* 5. *pag.* 117. (*St.* 66. *Rb.* 93.) ſcribit: habuiſſe enim eam ait: Ἅρματα δρεπανηφόρα μικρὸν ἀπολείποντα τῶν μυρίων ἑξακοσίων. *Decem curruum falcatorum millia, cum paulo minus ſexcentis.* Qui locus Curruum Falcatorum inventum, quod Cyro XENOPHON adſtruere videtur, Aſſyriis Regibus vindicat. Fallitur ergo HESYCHIUS cum ait: Δρεπανηφόρα ἅρματα, οἷς Μακεδόνας φασὶ πρώτους χρήσασθαι. *Curribus falcatis Macedonas primos fuiſſe uſos, ajunt.* Verum Semiramidem in horum Curruum numero ſuperavit Artaxerxes, Perſarum Rex, quem Imperator Alexander Severus bello vicit fuditque: ſi vera ſunt, quae de eo LAMPRIDIUS in *Alexandro cap.* 55. praedicat. Ad bellum enim veniſſe eum, cum *ſeptingentis Elephantis, Falcatiſque mille & octingentis curribus*, refert.

XLI. Militares autem Currus octijugos, ſeu octo Temones habentes, quibus ligneae turres imponebantur, Cyrum in uſum invexiſſe, XENOPHON *libr.* VI. παιδ. *pag.* 156. [*p.* 124.] tradit his verbis: Κῦρος δὲ ἰδὼν τὸ τετράρρυμον Ἀβραδάτου ἅρμα, κατενόησεν ὡς οἷόν τε εἴη καὶ ὀκτάρρυμον ποιήσασθαι ὥστε ὀκτὼ ζεύγεσι βοῶν ἄγειν τῶν μηχανῶν τὸ κατώτατον οἴκημα. ἦν δὲ τοῦτο τριώρυγον μάλιστα ἀπὸ τῆς γῆς σὺν τοῖς τροχοῖς. τοιοῦτοι δὲ πύργοι σὺν τάξει ἀκολουθοῦντες, ἐδόκουν αὐτῷ μεγάλη μὲν ἐπικουρία γενέσθαι τῇ αὐτοῦ φάλαγγι, μεγάλη δὲ βλάβη τῇ τῶν πολεμίων τάξει. ἐποίησε δὲ ἐπὶ τῶν οἰκημάτων καὶ περιδρόμους καὶ ἐπάλξεις· ἀνεβίβαζε δὲ ἐπὶ τὸν πύργον ἕκαστον ἄνδρας εἴκοσι. *Cyrus autem quadrigam Abradatae intuitus, animadvertit fieri poſſe currum etiam octojugem, ut octo boum jugis infimum machinarum domicilium ageretur. Et aberat hic currus, una cum rotis a terra tribus ulnis. Hujuſmodi turres ſi cum acie ſequerentur, magno phalangi ſuae auxilio fore videbantur, & magno hoſtium aciei detrimenta. Ipſis in aedificiis & circuitus fecit & pinnas, inque turrim quamlibet viginti viros impoſuit.* Et alio ejuſdem *libr.* loco, *pag.* 159. [*p.* 127.] Οἵ τε ἵπποι αὐτοῖς κατατεθωρακισμένοι οἱ ἐν τοῖς ἅρμασι· οἵ τε ἡνίοχοι ἐν πύργοις ἑστᾶσι ξυλίνοις, τὰ ὑπερέχοντα ἅπαντα συνεστεγασμένοι θώραξι καὶ κράνεσι· δρέπανά τε σιδηρᾶ περὶ τοῖς ἄξοσι συνηρμοσμένα, ὡς ἐλῶντες καὶ οὗτοι εὐθὺς εἰς τὰς τάξεις τῶν ἐναντίων. *Cum equi in curribus cataphracti ſunt, tum aurigae in turribus ligneis ſtant, quorum partes corporis eminentes omnes loricis ac galeis tectae ſunt: & falces ferreae ad axes ſunt aptatae; quo & illi ſtatim in adverſariorum ordines impetum faciant.* Eos autem Currus portis apertis conſcendebant, quae poſt ſeſſorum conſcenſum claudebantur, ut indicat XENOPHON *eod. libr. pag.* 170. [*p.* 135.] his verbis, ταῦτα εἰπὼν, κατὰ τὰς θύρας τοῦ ἁρματείου δίφρου ἀνέβαινεν ἐπὶ τὸ ἅρμα, ἐπεὶ δὲ ἀνέβη, αὐτοῦ κατέκλεισε τὸν δίφρον ὁ ὑφηνίοχος: *Ea locutus, per ſellae curulis portas in currum aſcendit. Et cum auriga poſt ipſius aſcenſum, ſellam occluſiſſet &c.*

XLII. Ceterum, uti ſuos Alexander ad Falcatorum curruum impetum ſuſtinendum paraverit, CURTIUS *lib.* IV. *cap.* 13. §. 33. DIODORUS *lib.* XVII. *cap.* 57. *pag.* 205. (*St.* 592. *Rb.* 533.) ARRIANUS *libr.* III. *cap.* 13. *pag.* 123. docent. Praeterea, quid de hujuſmodi curribus Falcatis, qui terrori olim fuere, VEGETIUS *libr.*

(*a*) SEMIRAMIDEM] Immo Ninum potius. TR.

libr. III. *cap.* XXIV. ſenſerit, audiamus: *Quadrigas Falcatas in bello Antiochus rex, & Mithridates habuerunt: quae ut primo magnum intulere terrorem, ita poſtmodum fuere deriſui. Nam difficile Currus falcatus planum ſemper invenit campum, & levi impedimento retinetur: unoque afflicto aut vulnerato equo decipitur: ſed maxime hac Romanorum militum arte perierunt: ubi ad pugnam ventum eſt, repente toto campo Romani Tribulos abjecerunt; in quos currentes quadrigae cum incidiſſent, deletae ſunt.*

XLIII. In exercitum autem proficiſcentes Perſae, Conjuges, Liberos, Matres, Pellices, ducere conſueverant. CURTIUS *lib.* III. *cap.* 8. §. 12. de Dario: *Reliquas copias in Ciliciam ducit, inſequentibus, more patrio, conjuge ac matre: virgines quoque, cum parvo filio comitabantur patrem.* & paulo poſt, *lib.* III. *cap.* 9. §. 6. *uxorem matremque Regis, & alium feminarum gregem in medium agmen acceperant.* Praetorum vero ſuorum conjuges, liberoſque, Damaſci, veluti in arce tutiſſima, Darium reliquiſſe, idem CURTIUS *lib.* III. *cap.* 13. §. 6. narrat. Medos plane & Aſiaticos affectus omnes ſuos ſecum hoc praetextu in bellum duxiſſe, quod eorum conſpectus animos illis adderet, ſimulque quod pro rerum ſibi cariſſimarum tutela acrius & ardentius dimicarent, XENOPHON *libr.* IV. παιδ. *pag.* 99. [*p.* 79.] ita ſcribit: συνελαύνειν (de Medis loquens) ἁρμαμάξας γυναικῶν τῶν βελτίστων, τῶν μὲν γνησίων, τῶν δὲ καὶ παλλακίδων, διὰ τὸ κάλλος συμπεριαγομένων, καὶ ταύτας εἰληφότες ἀπῆγον. πάντες γὰρ ἔτι καὶ νῦν οἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν στρατευόμενοι, ἔχοντες τὰ πλείστου ἄξια στρατεύονται, λέγοντες, ὅτι μᾶλλον μάχοιντ' ἂν εἰ τὰ φίλτατα παρείη. ταῦτα γάρ φασιν ἀνάγκην εἶναι προθύμως ἀλέξειν. *Adducebant barmamaxas cum elegantiſſimis feminis, quarum aliae legitimae uxores erant, aliae pellices, quae ob formae praeſtantiam circumductabantur, barmamaxas ergo captas adducebant. Nam Aſiatici cum expeditiones inſtituunt, ſic eas hodieque inſtituunt: ut res maximi pretii ſecum ſumant. Ajunt enim ſe pugnandi magis eſſe cupidos, quum cariſſima, quae habent, adſunt. Nam alacriter haec tuendi ſibi neceſſitatem imponi.* Huc pertinet, quod idem ipſe alias eodem *libr. pag.* 95. [*p.* 76.] ſcribit: οἱ δὲ τὰς γυναῖκας ἀνεβίβαζον ἐπὶ τὰ ὀχήματα. *Alii vehiculis uxores imponebant.* DIODORUS *libr.* XVII. *cap.* 35. *pag.* 186. (*St.* 580. *Rh.* 514.) Οὐ μόνον γὰρ, ait, αἱ τῶν βασιλέων οἰκεῖαι, ἀλλὰ καὶ αἱ τῶν Συγγενῶν καὶ φίλων γυναῖκες, ἐφ' ἁρμαμαξῶν ὀχούμεναι καταχρύσων, συνηκολούθουν, καθά τι πάτριον ἔθος τῶν Περσῶν, ἑκάστη δὲ τούτων, διὰ τὴν ὑπερβολὴν τοῦ πλούτου καὶ τῆς τρυφῆς, ἐπήγετο πλῆθος πολυδαπάνου κατασκευῆς καὶ γυναικείου κόσμου. *Non enim ex regia tantum domo, ſed etiam propinquorum & neceſſariorum familiis, ſexus foemineus in vehiculis deauratis, patrio quodam more Perſarum, comitabantur. Unaquaeque illarum pro divitiarum amplitudine ac conſuetudine deliciarum, ſumptuoſiſſimi apparatus, mundique muliebris copiam ſecum circumferebat.* Darius apud CURTIUM *libr.* IV. *cap.* 14. §. 11. milites ſuos alloquens: *Conjuges quoque & liberi ſequuntur hanc aciem: parata hoſtibus praeda, niſi pro cariſſimis pignoribus corpora opponimus.* HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 83. Κόσμον δὲ χρυσόν τε πολλὸν καὶ ἄφθονον ἔχοντες ἐνέπρεπον· ἁρμαμάξας τε ἅμα ἤγοντο, ἐν δὲ παλλακὰς καὶ θεραπηίην πολλήν τε καὶ εὖ ἐσκευασμένην. *Et praeterea immenſo auro conſpicui, ducebant una barmamaxas cum pellicibus ac familia permulta, eaque belle ornata.*

MAXIMUS TYRIUS *Sermon.* XIV. (XXX. *cap.* 7. *pag.* 363.) Πέρσαις μὲν αἱ παλλακίδες ἕπονται, ἵνα μάχωνται καλῶς ὑπὲρ τῶν φιλτάτων. *Perſas in exercitu ſequuntur ſuae pellices, ut pro chariſſimis corporibus fortiter pugnent.* Eundemque Lydos morem ſervaſſe, docent XENOPHONTIS *libr.* IV. παιδ. *pag.* 96. [*p.* 76.] verba haec: Κροῖσος δὲ ὁ Λυδῶν βασιλεὺς, ὡς θέρος ἦν, τάς τε γυναῖκας ἐν ταῖς ἁρμαμάξαις προϋπεπέμψατο τῆς νυκτὸς, ὡς ἂν ῥᾷον πορεύοιντο κατὰ ψῦχος, καὶ αὐτὸς ἔχων τοὺς ἱππέας ἐπηκολούθει. *Croeſus Lydorum rex ſuas uxores (ut aeſtivo tempore) noctu in barmamaxis praemiſerat, quo durante frigore facilius iter facerent: ipſe cum equitatu ſubſequebatur.*

XLIV Reges autem Perſarum, exercitum in expeditionem educentes, non prius itineri ſe committebant, quam accuratiſſime comparatis omnibus, quae militaris apparatus exigebat. Ante omnia vero commeatum parabant: & ne cibaria militibus deeſſent, rei frumentariae, qua potiſſimum exercitus alitur ac ſuſtinetur, nec non & pecuariae, providebant. Quod HERODOTUS ſignificat *libr.* I. *cap.* 188. his verbis: Στρατεύεται δὲ (a) βασιλεὺς ὁ μέγας, καὶ σιτίοισι εὖ ἐσκευασμένος ἐξ οἴκου, καὶ προβάτοισι. *Expeditionem ſuſcipit rex magnus, probe parata e domo re cibaria, & ovibus.* Cyrum etiam ſollicite curaſſe, uti exercitus commeatu abundaret, XENOPHON *libr.* IV. παιδ. *pag.* 96. [*p.* 77.] ita ſcribit: ὁ δὲ Κῦρος ἐννοήσας, ὅτι ἦλθον μὲν, οὔτε σῖτα, οὔτε ποτὰ ἔχοντες· (ἄνευ δὲ τούτων οὐκ ἔστι στρατεύεσθαι δυνατὸν, οὔτε ἄλλο οὐδὲν ποιεῖν) σκοπῶν δὲ ὡς ἂν ταῦτα τάχιστα καὶ κάλλιστα γένοιτο, ἐνθυμεῖται, ὅτι ἀνάγκη πᾶσι τοῖς στρατευομένοις εἶναί τινα, ὅτῳ καὶ σκηνῆς μελήσει, καὶ ὅπως τὰ ἐπιτήδεια παρεσκευασμένα τοῖς στρατιώταις εἰσιοῦσιν ᾖ. *Cum autem ad animum Cyro accidiſſet, veniſſe ſe neque ab eſculentis neque potulentis inſtructos, abſque quibus neque ulla ſuſcipi expeditio, nec fieri quicquam aliud poteſt: conſideraret vero, qui haec & celerrime & optime confici poſſent: venit in hanc cogitationem, neceſſarium videlicet eſſe omnibus expeditionem aliquam ſuſcipientibus, ut ſit quidam, cui & tabernaculum curae ſit, & uti commeatus ingredientibus caſtra militibus ſit paratus.* Quinetiam Curatores Annonae, reliquorumque commeatuum in exercitu habuiſſe Cyrum, quos Ἐπισιτίους vocat, ſequentibus ejuſdem loci verbis XENOPHON oſtendit. Quod ſi Curator deeſſet, ſeniori manipuli, aut Tabernaculi cujuſque, ejus rei curam mandatam, adjicit. Ac plane, ut belle VEGETIUS *libr.* II. *cap.* III. ſcribit, *ſaepius penuria, quam pugna, conſumit exercitum, & ferro ſaevior fames eſt. Deinde reliquis caſibus poteſt in tempore ſubveniri: Pabulatio & Annona in neceſſitate remedium non habent, niſi ante condantur. In omni expeditione unum eſt, & maximum conſilium, ut tibi ſufficiat victus, hoſtes frangat inopia. Ante igitur, quam inchoetur bellum, de copiis expenſiſque ſolers debet eſſe tractatus, ut pabula, frumentum, caeteraeque Annonariae ſpecies, quas a provincialibus conſuetudo depoſcit, maturius exigantur, & in opportunis ad rem gerendam, ac munitiſſimis locis, amplior ſemper modus, quam ſufficit, aggregetur.* Sibi utique hac in re belle caviſſe Cambyſem adverſus Aethiopas proficiſcentem: exercitui vero non item, minus proviſis commeatibus, conſuluiſſe, SENECA *libr.* III. *de Ira*, *cap.* XX. ſcribit: *In hos enim, quia non ſupinis manibus exceperant ſervitutem, miſſiſque legatis libera reſponſa dederant, quae contumelioſa Reges vocant, Cambyſes fremebat, & non proviſis commeatibus, non ex-*

(a) Δὲ] Poſt hanc vocem δὲ inſerit ex *MS. Med. Jac. Gronovius*: qui hunc locum ita reddit: *Ducit autem Rex magnus exercitum, probe domi comparata re cibaria atque pecuaria.* TR.

exploratis itineribus, per invia, per arentia, trahebat omnem bello utilem turbam: cui intra primum iter deerant neceſſaria, nec quidquam ſubminiſtrabat ſterilis & inculta humanoque ignota veſtigio regio. Suſtinebant famem primo tenerrima frondium, & cacumina arborum, tum coria igne mollita, & quicquid neceſſitas cibum fecerat. Poſtquam inter harenas radices quoque & herbae defecerant, apparuitque inops etiam animalium ſolitudo, decimum quemque ſortiti, alimentum habuerunt fame ſaevius. Agebat adhuc ira Regem praecipitem, cum partem exercitus amiſiſſet, partem comediſſet: donec timuit, ne & ipſe vocaretur ad ſortem: tum demum ſignum receptui dedit. Servabantur interim illi generoſae aves, & inſtrumenta epularum camelis vehebantur, cum ſortirentur milites ejus, quis male periret, quis pejus viveret. Quae Seneca, cum ab HERODOTO acceperit, meliora fecit, ut ipſa Herodoti verba, quae ex ejus *libr.* III. *cap.* 25. ſubjeci, demonſtrant. Αὐτὸς δὲ, ait de Cambyſe loquens, τὸν λοιπὸν ἄγων στρατὸν, ἤϊε ἐπὶ τοὺς Αἰθίοπας. πρὶν δὲ τῆς ὁδοῦ τὸ πέμπτον μέρος διεληλυθέναι τὴν στρατιὴν, αὐτίκα πάντα αὐτοὺς τὰ εἶχον σιτίων ἐχόμενα, ἐπελελοίπεε. μετὰ δὲ τὰ σιτία, καὶ τὰ ὑποζύγια ἐπέλιπε κατεσθιόμενα. εἰ μέν νυν μαθὼν ταῦτα ὁ Καμβύσης, ἐγνωσιμάχεε, καὶ ἀπῆγε ὀπίσω τὸν στρατὸν, ἐπὶ τῇ ἀρχῆθεν γενομένῃ ἁμαρτάδι, ἦν ἂν σοφὸς ἀνήρ· νῦν δὲ, οὐδένα λόγον ποιεύμενος, ἤϊε αἰεὶ ἐς τὸ πρόσω. οἱ δὲ στρατιῶται, ἕως μέν τι εἶχον ἐκ τῆς γῆς λαμβάνειν, ποιηφαγέοντες διέζωον· ἐπεὶ δὲ ἐς τὴν ψάμμον ἀπίκοντο, δεινὸν ἔργον αὐτῶν τινες ἐργάσαντο, ἐκ δεκάδος γὰρ ἕνα σφέων αὐτῶν ἀποκληρώσαντες, κατέφαγον. πυθόμενος δὲ ταῦτα ὁ Καμβύσης, δείσας τὴν ἀλληλοφαγίην, ἀπεὶς τὸν ἐπ' Αἰθίοπας στόλον, ὀπίσω ἐπορεύετο. *Ipſe cum reliquis copiis adverſus Aethiopes contendit. Sed antequam quintam itineris partem confeciſſent, exercitum ejus protinus commeatus omnis, quem ſecum habebat, defecit: mox & jumenta ad veſcendum defecerunt. Quibus rebus cognitis Cambyſes ſi reſipuiſſet ac retro duxiſſet exercitum, in eo, quod prius admiſerat, peccato, vir ſapiens extitiſſet: nunc autem nihil penſi habens, aſſidue proceſſit ulterius. Milites quamdiu quod de terra ſumerent, habuerunt, herbis victitarunt: at ubi ad ſabulum pervenere, ibi nonnulli diram rem perpetrarunt. nam ſortiti ex ſeipſis decimum quemque, comederunt. id audiens Cambyſes, veritus ſuorum mutuam depaſtionem, intermiſſa adverſus Aethiopes expeditione, retro rediit.*

XLV. Ac vel (*a*) Choaſpiam aquam ſibi in caſtra devehi Perſici Reges, quaqua iter facerent, curabant, ut HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 188. ſcribit.

XLVI. Exercitus vero commeatus Camelis vectos oſtendit HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 83. cum ait: Σῖτα δὲ σφι, χωρὶς τῶν ἄλλων στρατιωτέων, κάμηλοί τε καὶ ὑποζύγια ἦγον. *Commeatum vero ipſis praeter alios milites, cameli atque jumenta portabant.* Idemque eodem *libro cap.* 125. in hujuſmodi Σιτοφόρους καμήλους; *commeatum portantes camelos*, Leones Creſtonaeos irruiſſe narrat. Quem HERODOTI locum citat AELIANUS *libr.* XVII. *de Animalib. cap.* XXXVI. Quod PAUSANIAS *lib.* II. *Eliac.* ſive *lib.* VI. *cap.* 5. *pag.* 464. *cap.* V. de montana Thraciae regione loquens, confirmat his verbis: Οἳ καὶ τῷ στρατῷ ποτε ἐπιθέμενοι τῷ Ξέρξου, τὰς ἀγούσας τὰ σιτία Καμήλας ἐλυμήναντο. *Qui in Xerxis camelos, commeatus portantes, impetu facto, magnam eorum ſtragem fecerunt.* HERODOTUS *libr.* I. *cap.* 80. de Cyro: Ὅσαι τῷ στρατῷ τῷ ἑωυτοῦ εἵποντο σιτοφόροι τε καὶ σκευοφόροι κάμηλοι, ταύτας πάσας ἁλίσας, καὶ ἀπελὼν τὰ ἄχθεα, ἄνδρας ἐπ' αὐτὰς ἔθηκε (*b*). *Coactis omnibus, qui ipſius exercitum ſequebantur, camelis, vel frumentum vel vaſa portantibus, ſarcinas detraxit, & viros impoſuit.* Idem *libr.* VII. *cap.* 83. de Immortalibus: Σῖτα δὲ σφι, χωρὶς τῶν ἄλλων στρατιωτέων, κάμηλοί τε καὶ ὑποζύγια ἦγον. *Commeatum vero ipſis praeter alios milites, cameli atque jumenta portabant.*

XLVII. Ordinariae quoque militaris Annonae erogationem ad ſuam curam ſollicitudinemque revocaſſe Reges, operam praeterea dediſſe, ut ſtipendia militibus conſtituta, ex fide, ſua die, cuique numerarentur, ac dependerentur, XENOPHON in *Oeconomico* ſive *Memorab. lib.* V. *pag.* 828. [*p.* 654.] tradit. Etenim de Rege Perſarum loquens, ait: Ἐξ ὁπόσων γὰρ ἐθνῶν δασμοὺς λαμβάνει, τέταχε τῷ ἄρχοντι ἑκάστῳ εἰς ὁπόσους δεῖ διδόναι τροφὴν ἱππέας, καὶ τοξότας, καὶ σφενδονήτας, καὶ γερροφόρους· οἵτινες τῶν τε ὑπ' αὐτοῦ ἀρχομένων ἱκανοὶ ἔσονται κρατεῖν, καὶ ἢν πολέμιοι ἐπίωσιν, ἀρήξουσι τῇ χώρᾳ. χωρὶς δὲ τούτων, φύλακας ἐν ταῖς ἀκροπόλεσι τρέφει· καὶ τὴν μὲν τροφὴν τοῖς φρουροῖς δίδωσιν ὁ Ἄρχων, ᾧ τοῦτο προστέτακται. *In omnibus nationibus, quae tributum ei pendunt, conſtituit unicuique praetori, quot equites, ſagittarii, funditores, ſcutati ali debeant, qui ad continendum in officio ſubjectos ipſius imperio ſufficiant, & ſi hoſtes invadant ipſius regnum, tueri illud poſſint. Praeter hos praeſidiarios in arcibus alit, ac cibaria dat praeſidiariis praefectus is, cui datum eſt hoc negotii.*

XLVIII. Ubi vero caſtra movenda erant, conclamatum, uti Vaſa omnes colligerent, idem XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 226. [*p.* 178.] ſcribit hoc modo: Ὅταν δὲ (*c*) ἀνασκευάσωνται, συσκευάζει μὲν ἕκαστος σκεύη, οἷσπερ τέτακται χρῆσθαι· ἀνατίθενται δὲ αὖ ἄλλοι ἐπὶ τὰ ὑποζύγια. ὥσθ' ἅμα μὲν πάντες ἔρχονται οἱ σκευαγωγοὶ ἐπὶ τὰ τεταγμένα ἄγειν· ἅμα δὲ πάντες ἀνατιθέασιν ἐπὶ τὰ ἑαυτοῦ ἕκαστος. οὕτω δὴ ὁ αὐτὸς χρόνος ἀρκεῖ μιᾷ τε σκηνῇ καὶ πάσαις ἀνῃρῆσθαι. ὡσαύτως ἔχει καὶ περὶ κατασκευῆς. *Quum vero vaſa colligunt, quiſque vaſa illa componit, quibus uti conſtitutum eſt, ac rurſum alii jumentis ea imponunt. Quo fit, ut ſimul omnes impedimentorum vectores ad ea veniant, quibus vehendis ipſi ſunt deſtinati: & quiſque ſuis jumentis ſua imponat. Ita tempus idem uni tabernaculo & omnibus tollendis ſufficit. Eadem eſt Impedimenta deponendi ratio.*

XLIX. Porro quo ordine caſtra moventes Reges Perſarum procederent, progrederenturque, Xerxis Dariique exemplis planum facere, non erit inutile nec injucundum. De Xerxis quidem agmine HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 40. ſcribit haec: Μετὰ ταῦτα, δεξιῇ ὁ στρατός. ἡγέοντο δὲ πρῶτοι μὲν οἱ σκευοφόροι τε καὶ τὰ ὑποζύγια· μετὰ δὲ τούτους, σύμμικτος στρατὸς παντοίων ἐθνέων ἀναμίξ, οὐ διακεκριμένοι. τῇ δὲ ὑπερημίσεες ἦσαν, ἐνθαῦτα διελέλειπτο, καὶ οὐ συνεμίσγοντο οὗτοι βασιλέϊ. προηγεῦντο μὲν γὰρ (*d*) ἱππόται χίλιοι, ἐκ Περσέων πάντων ἀπολελεγμένοι· μετὰ δὲ αἰχμοφόροι χίλιοι, καὶ οὗτοι ἐκ πάντων ἀπολελεγμένοι, τὰς λόγχας κάτω ἐς τὴν γῆν τρέψαντες. μετὰ δὲ ἱροὶ Νησαῖοι καλεόμενοι ἵπποι δέκα, κεκοσμημένοι ὡς κάλλιστα. *Poſthaec exercitus pertranſivit. In quo praecedebant, qui ſarcinas portabant cum impedimentis tam homines, quam jumenta. Poſt hos omnigenarum gentium non diſtinctae,*

(*a*) Conf. ſupra libr. I. §. 82. L.
(*b*) Ἔθηκε] ἀνέβησε legitur in *Gronovii* editione. TR.
(*c*) Quaed. ed. ἀνασκευάζωνται, praeſenti tempore. S.

(*d*) Γὰρ] δὴ edidit *Gronovius*: qui etiam in initio hujus loci δεξιῇς dedit pro δεξιῇ. TR.

Digitized by Google

ſtinctae, ſed promiſcue copiae, numero ultra dimidium exercitus. Poſt hos intercedebat intervallum: neque enim cum rege miſcebantur. Praecedebant enim mille equites e Perſis omnibus delecti: ſecundum hos totidem haſtati, & ii delecti ex omnibus, verſis deorſum in terram ſpiculis. Poſt hos ſacri equi decem quam pulcherrime ornati, qui Niſaei dicuntur. Et mox: Ὄπισθε δὲ τουτέων τῶν δέκα ἵππων, ἅρμα Διὸς ἱρὸν ἐπετέτακτο, τὸ ἵπποι μὲν εἷλκον λευκοὶ ὀκτώ· ὄπισθε δὲ τῶν ἵππων εἵπετο πεζῇ ἡνίοχος, ἐχόμενος τῶν χαλινῶν· οὐδεὶς γὰρ δὴ ἐπὶ τοῦτον τὸν θρόνον ἀνθρώπων ἀναβαίνει. τούτου δὲ ὄπισθε, αὐτὸς Ξέρξης ἐπ' ἅρματος ἵππων Νησαίων· παρεβεβήκεε δέ οἱ ἡνίοχος. *Hos decem equos ſequebatur ſacer Jovis currus, quem octo equi albi trahebant, pone auriga comitante, qui pedibus ingrediens habenas tenebat. hanc enim ſellam nemo mortalium inſcendit. Poſt quem ipſe Xerxes vehebatur curru Niſaeorum equorum, praecedente auriga.* Et paulo poſt, *cap.* 41. Αὐτοῦ δὲ ὄπισθεν, αἰχμοφόροι Περσέων, οἱ ἄριστοί τε καὶ γενναιότατοι, χίλιοι, κατὰ νόμον τὰς λόγχας ἔχοντες. μετὰ δὲ ἵππος ἄλλη χιλίη ἐκ Περσέων ἀπολελεγμένη. μετὰ δὲ τὴν ἵππον, ἐκ τῶν λοιπῶν Περσέων ἀπολελεγμένοι μύριοι. οὗτος πεζὸς ἦν. καὶ τούτων χίλιοι μὲν ἐπὶ τοῖσι δόρασι, οἱ ἀντὶ τῶν σαυρωτήρων ῥοιὰς εἶχον χρυσέας, καὶ πέριξ συνεκλήιον τοὺς ἄλλους· οἱ δὲ εἰνακισχίλιοι ἐντὸς τούτων ἐόντες, ἀργυρέας ῥοιὰς εἶχον. εἶχον δὲ χρυσέας ῥοιὰς καὶ οἱ ἐς τὴν γῆν τράποντες τὰς λόγχας, καὶ μῆλα, οἱ ἄγχιστα ἑπόμενοι Ξέρξῃ. τοῖσι δὲ μυρίοισι ἐπετέτακτο ἵππος Περσέων μυρίη. μετὰ δὲ τὴν ἵππον διέλειπε καὶ δύο σταδίους, καὶ ἔπειτα ὁ λοιπὸς ὅμιλος ἤιε ἀναμίξ. *Eum ſequebantur haſtati Perſarum optimi ac nobiliſſimi mille, e more pila geſtantes. Poſt hos alius delectus equitatus mille Perſarum. Dehinc e ceteris Perſis decem millia peditum delecta, quorum mille in lanceis pro Sauroteribus mala punicea aurea geſtabant poſteriori cuſpidi inſerta, hi ceteros circumdabant: qui intra hos erant novem mille, argentea mala punicea geſtabant. Habebant & mala punicea aurea, qui in terram verſus ſpectantia ſpicula habebant: etiam mala ii, qui Xerxem proxime ſequebantur. Haec decem millia ordine ſubſequebatur equitatus e decem millibus Perſarum. Relicta poſt hos duorum ſtadiorum intercapedine, mox ibat cetera multitudo promiſcua.* In tranſitu vero pontis, quo Xerxes Helleſpontum continenti junxit, ἐζεύξατο, ut idem Herodotus ibidem *cap.* 55. ait, Πρῶτοι μὲν οἱ μύριοι Πέρσαι ἐστεφανωμένοι πάντες. μετὰ δὲ τούτους ὁ σύμμικτος στρατὸς παντοίων ἐθνέων· ταύτην μὲν τὴν ἡμέρην οὗτοι· τῇ δὲ ὑστεραίῃ, πρῶτοι μὲν οἵ τε ἱππόται, καὶ οἱ τὰς λόγχας κάτω τράποντες· ἐστεφάνωντο δὲ καὶ οὗτοι. μετὰ δὲ οἵ τε ἵπποι οἱ ἱροί, καὶ τὸ ἅρμα τὸ ἱρόν. ἐπὶ δέ, αὐτός τε Ξέρξης, καὶ οἱ αἰχμοφόροι, καὶ οἱ ἱππόται οἱ χίλιοι. *Primum quidem praecedebant decem millia Perſarum, quorum ſinguli erant coronati, quos promiſcuus omnium nationum ſequebatur exercitus, & hi quidem eo die: Inſequenti autem primi tranſiere equites, quique ſpicula deorſum verſa geſtabant, & hi etiam coronati, dehinc equi ſacri, ac ſacer currus, tum ipſe Xerxes, poſt haſtati & mille equites.* Q. Curtius *lib.* III. *cap.* 3. § 8. *ſeqq. Patrio more Perſarum traditum eſt, orto ſole demum procedere. Die jam illuſtri, ſignum e Tabernaculo Regis buccina dabatur: ſuper Tabernaculum, unde ab omnibus conſpici poſſet, Imago Solis Cryſtallo incluſa fulgebat. Ordo autem Agminis erat talis. Ignis, quem ipſi Sacrum & Aeternum vocabant, argenteis altaribus praeferebatur: Magi proximi patrium Carmen canebant: Magos trecenti & ſexaginta quinque Juvenes ſequebantur, puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero: quippe Perſis quoque in totidem dies deſcriptus eſt annus. Currum deinde Jovi ſacratum albentes vehebant equi: hos eximiae magnitudinis Equus, quem Solis appellabant, ſequebatur: aurea virga & alba veſtis regentes equos adornabant. Haud procul erant vehicula decem, multo auro, argento, caelata: Sequebatur haec equitatus duodecim gentium, variis armis & moribus. Proximi ibant, quos Perſae Immortales vocant, ad decem millia. Cultus opulentia Barbari non alios magis honeſtabat. Illi aureos Torques, illi veſtem auro diſtinctam habebant: manicataſque Tunicas gemmis etiam adornatas. Exiguo intervallo, quos Cognatos Regis appellant, decem & quinque millia hominum. Haec vero turba muliebriter propemodum culta, luxu magis quam decoris armis conſpicua erat (a): Dorypbori vocabantur. Proximum his agmen, ſoliti veſtem excipere regalem. Hi currum Regis anteibant, quo ipſe eminens vehebatur. Utrumque currus latus Deorum ſimulacra ex auro argentoque expreſſa decorabant: diſtinguebant internitentes gemmae Jugum: ex quo eminebant duo aurea ſimulacra cubitalia, quorum alterum Nini, alterum Beli gerebat effigiem. Inter haec Aquilam auream pinnas extendenti ſimilem ſacraverant. Cultus Regis inter omnia luxuria notabatur: purpureae tunicae medium album intextum erat: Pallam auro diſtinctam aurei Accipitres, velut roſtro inter ſe corruerent, adornabant: & Zona aurea muliebriter cinctus Acinacem ſuſpenderat, cui ex gemma erat vagina. Cidarim Perſae Regium capitis vocabant inſigne: hoc caerulea faſcia albo diſtincta circuibat. Currum decem millia Haſtatorum ſequebantur: haſtas argento adornatas, ſpicula auro praefixa geſtabant: dextra laevaque Regem ducenti ferme nobiliſſimi propinquorum comitabantur. Horum agmen claudebatur triginta millibus peditum: quos equi Regis quadringenti ſequebantur. Intervallo deinde unius ſtadii, matrem Darii Siſygambin currus vehebat, & in alio erat conjux. Turba feminarum Reginas comitantium equis vectabatur. Quindecim dein, quas Harmamaxas appellabant, ſequebantur. In his erant liberi Regis, & qui educabant eos, ſpadonumque grex, haud ſane illis gentibus vilis: tum pellices Regiae trecentae & ſexaginta vehebantur, & ipſae regali cultu ornataeque. Poſt quas pecuniam ſexcenti muli & trecenti cameli vehebant, praeſidio ſagittariorum proſequente. Propinquorum amicorumque conjuges huic agmini proximae, lixarumque & calonum greges vehebantur. Ultimi erant cum ſuis quiſque ducibus, qui cogerent agmen, leviter armati.* Illi autem Jovi Soliſque ſacri currus, Regem, ſive rei divinae faciendae gratia, ſive aliam ob cauſam, Regia egredientem, ſemper anteibant, quemadmodum Xenophon *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 215. teſtis eſt.

L. Itineris obſervatione deſcripta, conſequens eſt ad Caſtrorum, in quibus Perſae manebant, venire rationem. Non enim ſemper, belli tempore, ad ſtativa, vel manſionem, civitas munita, & quae tam immenſas copias caperet, occurrebat: & incautum erat, plenumque diſcriminis, exercitum ſine aliqua munitione conſidere, cum militibus, ad capiendum cibum occupatis, ad facienda munera diſperſis, facile nectantur inſidiae: noctis etiam obſcuritas, neceſſitas ſomni, Equorum item (quos vinctos, ut Xenophon *libr.* III. Ἀναβάσ. *pag.* 311. ſcribit, capiſtriſque ad praeſepe alligatos, ſolvere, fraenare, & inſter-

(a) Erat] Melius eſt, ut poſito hic puncto, ſequentia cum altero periodo connectantur, uti etiam in recentioribus editionibus diſtinguitur. TR.

ſternere, ac prae loricarum pondere conſcendere, haud promptum erat) difficilis eductio, occaſionem ſuperantibus praeſtabat. Igitur ne incauti hoſtilibus inſidiis incurſibusve opprimerentur, caſtrorum ſeſe munitionibus tuebantur. Hisque conſtituendis diſponendisque tuta loca deligebant. Tumultuaria vero ſua caſtra Foſſa atque aggere Perſae cingebant. Nec enim Vallo ac ſudibus eos caſtra muniſſe: verum foſſa lata, (quod propter foſſorum multitudinem ac copiam, innumerisque hominibus, manum operi admoventibus, absque mora confeſtim expediebatur) caſtra muniſſe eos, Xenophon *libro* III. παιδείας, *pag.* 80. [*p.* 64.] docet his verbis: οἱ μὲν δὴ Ἀσσύριοι καὶ οἱ σὺν αὐτοῖς, ἐπειδὴ ἐγγὺς ἀλλήλων τὰ στρατεύματα ἐγίγνετο, τάφρον περιεβάλλοντο· ὅπερ καὶ νῦν ἔτι οἱ βάρβαροι βασιλεῖς, ὁπόταν στρατοπεδεύωνται, τάφρον περιβάλλονται εὐπετῶς, διὰ τὴν πολυχειρίαν. ἴσασι γὰρ ὅτι ἱππικὸν στράτευμα ἐν νυκτὶ ταραχῶδές ἐστι καὶ δύσχρηστον, ἄλλως τε καὶ βάρβαρον· πεποδισμένους γὰρ ἔχουσι τοὺς ἵππους ἐπὶ ταῖς φάτναις· καὶ εἴ τις ἐπ᾽ αὐτοὺς ἴοι, ἔργον μὲν νυκτὸς λῦσαι ἵππους, ἔργον δὲ χαλινῶσαι, ἔργον δὲ ἐπισάξαι, ἔργον δὲ ἐπιθωρακισθέντα ἀναβῆναι ἐφ᾽ ἵππον ἐλάσαι· διὰ δὲ στρατοπέδου παντάπασιν ἀδύνατον. τούτων δὴ ἕνεκα πάντων καὶ οἱ ἄλλοι καὶ ἐκεῖνοι τὰ ἐρύματα περιβάλλονται). (*a*) *Et Aſſyrii quidem cum iis, quos ſecum habebant, cum jam exercitus propius ad ſe invicem acceſſiſſent, foſſa ſe cingebant: quod barbari reges hodieque faciunt. Nam caſtra cum metantur, faciliime foſſa ſe ob ingentem hominum multitudinem cingunt. Norunt enim copias equeſtres per noctem facile perturbari, & uſum earum difficilem eſſe, praeſertim ſi de barbaris coactae ſint. Etenim hi equos habent ad praeſepia ligatis pedibus. Itaque ſi quis barbaros invaderet, operoſum foret nocte equos ſolvere, fraenare operoſum, operoſum clitellas imponere, operoſum induere loricas: atque ubi jam equos conſcenderint, fieri prorſus nequit, ut per caſtra equitent. His omnibus de cauſis cum alii barbari, tum illi munimentis ſe circumvallant.* Vegetius *libr.* III. *cap.* x. *Dicat aliquis: Multi anni ſunt, quibus nullus faſſa, vel aggere valloque, manſurum circumdat exercitum. Reſpondebitur, ſi fuiſſet iſta cautela, nihil nocturni aut diurni hoſtium ſuperventus nocere potuiſſent. Perſae imitantes Romanos, ductis faſſis caſtra conſtituunt, & quia arenoſa ſunt prope omnia, ſaccos, quos inanes portant, ex pulverulenta quae effoditur terra complent, eorumque cumulo aggerem faciunt. Omnes barbari carris ſuis in orbem connexis, ad ſimilitudinem caſtrorum, ſecuras a ſuperventibus exigunt noctes.* Aggerem vero ſepibus ductis, vel interpoſitis ſtipitibus ramisque arborum, ne terra facile dilaberetur, erectum, veriſimile eſt: ſuper quem ad ſimilitudinem muri, pinnae & propugnacula componebantur. Mardonii (*b*) tamen caſtra vallo & ſudibus, ac veluti ligneis muris, munita fuiſſe, indicat Diodorus Siculus *libro* XI. *cap.* 32. *pag.* 429. (*St.* 279. *Rh.* 25.) Graecorum cum Mardonio congreſſum enarrans hoc modo: Μεγάλου δὲ ἀγῶνος ἐξ ἀμφοτέρων γινομένου, καὶ τῶν μὲν βαρβάρων ἐν τόπῳ ὠχυρωμένῳ καλῶς ἀγωνιζομένων, τῶν δ᾽ Ἑλλήνων βίᾳ προσβαλόντων τοῖς ξυλίνοις τείχεσι, πολλοὶ μὲν παραβόλως ἀγωνιζόμενοι κατετραυματίζοντο. *Cum vero acerrime pugnaretur utrinque, egregie ſe defenſantibus ex loco munito barbaris, Graeciſque omni vi murum ligneum impetentibus, multi incautius pugnantes, vulnerati ſunt.* Et mox: Οὐ μὴν γε τὴν ὁρμὴν τῶν Ἑλλήνων ἔστεγε, οὔτε τὸ κατεσκευασμένον τεῖχος, οὔτε τὸ πλῆθος τῶν βαρβάρων. *Sed tamen neque vallum, quamvis munitum, neque barbarorum multitudo vim & impetum Graecorum ſufferre valuit.*

LI. In caſtris vero Tabernacula opportuno loco collocari conſueviſſe, Tentoriaque figi, quibus Duces militesque hiberno & aeſtivo tempore continferentur, Xenophon. *libr.* VIII. παιδ. tradit: inſtituiſſeque Cyrum ait, ut Praetorium ad Orientem converſum eo loci collocaretur, unde nun longe Doryphororum tabernaculum abeſſet: ſua etiam gulae miniſtris artificibusque loca deſignaſſe, dextras quidem piſtoribus; laevas cocis: Equis item dextras, laevas Jumentis attribuiſſe: Alia inſuper cuique pro gradu ſuo loca, in quibus tentoria figerent, papiliones tenderent, in caſtris deputaſſe. Qua de re Xenophontis *libr.* VIII. παιδ. Κύρ. *pag.* 225. [*p.* 178.] verba ſunt haec: Ὅπου ἂν στρατοπεδεύηται βασιλεὺς, σκηνὰς μὲν δὴ ἔχοντες πάντες οἱ ἀμφὶ βασιλέα στρατεύονται, καὶ θέρους καὶ χειμῶνος. εὐθὺς δὲ τοῦτο ἐνόμιζε Κῦρος, πρὸς ἕω βλέπουσαν ἵστασθαι τὴν σκηνήν. ἔπειτα ἔταξε πρῶτον μὲν πόσον δεῖ ἀπολιπόντας σκηνοῦν τοὺς δορυφόρους τῆς βασιλικῆς σκηνῆς· ἔπειτα σιτοποιοῖς μὲν χώραν ἀπέδειξε τὴν δεξιὰν, ὀψοποιοῖς δὲ τὴν ἀριστεράν· ἵπποις δὲ τὴν δεξιὰν, ὑποζυγίοις δὲ τοῖς ἄλλοις τὴν ἀριστεράν. καὶ τὰ ἄλλα δὲ διετέτακτο, ὥστε εἰδέναι ἕκαστον τὴν ἑαυτοῦ χώραν καὶ μέτρῳ καὶ τόπῳ. *Nam ubiubi rex caſtra metatus fuerit, omnes circum regem cum tabernaculis tam aeſtivo quam hiberno tempore caſtra occupant. At Cyrus quidem mature ſancivit, ut tabernaculum ita collocaretur, quo verſus orientem ſpectaret. Deinde quanta ex intervallo a tabernaculo regio abeſſe ſatellitum tabernacula deberent, conſtituit. Poſt hos locum dextrum iis, quibus eſſet panis conficiundi cura mandata, adſignavit: quibus obſoniorum, ſiniſtrum: equis item dextrum, ſiniſtrum jumentis ceteris. Itidem erant diſpoſita cetera, ut quiſque ſedem ſuam cum dimenſione, tum loco noſſet.* Quemadmodum autem his, qui ad victum neceſſaria parabant, ita in caſtrorum ambitu & cancellis ſua ac certa tam Equitatui, quam peditatui loca adtributa erant, in quae Equitum peditumque quiſque ſeſe reciperet ac conferret. Xenophon *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 226. [*p.* 178.] Ὥσπερ δὲ οἱ περὶ τὰ ἐπιτήδεια θεραπευτῆρες χώραν εἶχον τὴν προσήκουσαν ἕκαστοι, οὕτω καὶ οἱ ὁπλοφόροι αὐτῷ ἐν τῇ στρατοπεδεύσει χώραν τε εἶχον τῇ ὁπλίσει ἑκάστῃ ἐπιτηδείαν, καὶ ᾔδεσαν ταύτην ὁποία ἦν, καὶ εἰς ἀναμφισβήτητον πάντες κατεχωρίζοντο. *Atque uti ſuus erat locus miniſtris commeatum procurantibus: ſic & armati milites in metatione caſtrorum locum illum habebant, qui armaturae cuivis accommodatus eſſet, & quis eſſet is, norant, adeoque univerſi eum ſic occupabant, ut minime de ea ambigerent.* Habuiſſe autem omnes copiarum duces, Turmarumque & Cohortium praefectos, ſigna fixa in tabernaculorum ſuorum faſtigio, vel alibi, unde internoſci & evocari, re ita exigente, facilius poſſent, Xenophon *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 227. [*p.* 179.] ſignificat, cum ait, Εἶχον δὲ καὶ σημεῖα πάντες οἱ ἄρχοντες ἐπὶ ταῖς σκηναῖς. οἱ δὲ ὑπηρέται, ὥσπερ καὶ ἐν ταῖς πόλεσιν οἱ σώφρονες ἴσασι μὲν καὶ τῶν πλείστων τὰς οἰκήσεις, μάλιστα δὲ τῶν ἐπικαιρίων· οὕτω καὶ τὰς ἐν τοῖς στρατοπέδοις τάς τε χώρας τὰς τῶν ἡγεμόνων ἠπίσταντο οἱ Κύρου ὑπηρέται, καὶ τὰ σημεῖα ἐγίγνωσκον ἃ ἑκάστοις ἦν. ὥστε ὅτου δέοιτο Κῦρος οὐκ ἐζήτουν,

(*a*) Ἐπιβάλλοντες] In *Leunclavii editione* legitur: περιεβάλλοντο. TR.

(*b*) Mardonii] In loco illo, quem auctor hic ex Diodoro adducit, ſermo non eſt de Mardonii caſtris, ſed Artabazis, qui Perſarum reliquiis poſt Mardonii mortem praeerat. Paullo ante tamen idem hiſtoricus *cap.* 30. *pag.* 428. (*St.* 278. *Rh.* 24.) narrat de ipſo Mardonio, cum caſtra ſua ligneo vallo circumdediſſe. TR.

ἐζήτουν, ἀλλὰ τὴν συντομωτάτην ἐφ' ἕκαστον ἔθεον. *Praeterea certa quaedam ſigna praefecti omnes in tabernaculis habebant. Miniſtri perinde, ac qui prudentes ſunt in urbibus tum plurimorum domicilia norunt, tum imprimis eorum, qui ad res gerendas idonei ſunt: ſic ergo & miniſtri Cyri loca ducum in caſtris, & ſingulorum ſigna norant. Quo fiebat, ut ſi cujus opera Cyrus egeret, hunc illi non quaererent, ſed via qnam maxime compendiaria ad unumquemque currerent.* Tabernacula vero & Veſtibulum habuiſſe & ſuos interius receſſus, CURTIUS cum Plutarcho indicat: illius enim *lib.* III. *cap.* 12. §. 7. *ſeq.* verba ſunt haec: *Ille cum paucis armigeris in tabernaculum, in quo captivae erant, pervenit, miſſumque ſe a Rege nuntiari jubet. At ii, qui in Veſtibulo erant, ut armatos conſpexere, rati actum eſſe de dominis, in tabernaculum currunt.* PLUTARCHUS in *Alexandro, pag.* 682. de Dario: Τὸν εὐνοῦχον ἐνδοτέρω τῆς σκηνῆς ἀπαγαγών. *Eunuchum in interiorem tabernaculi receſſum deductum &c.*

LII. Regia vero tabernacula omni ſupellectilis luxu & opulentia inſtructa fuiſſe, ex Darii tabernaculo, quod in Alexandri poteſtatem ceſſit, liquet, de quo haec DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *cap.* 35. *pag.* 186. (*St.* 580. *Rh.* 514.) Οἱ δὲ Μακεδόνες, παυσάμενοι τοῦ διωγμοῦ, πρὸς ἁρπαγὴν ὥρμησαν, καὶ μάλιστα περὶ τὰς βασιλικὰς σκηνὰς, διὰ τὸ πλῆθος τῆς πολυτελείας, ἀκολούθως ὄντος πολὺς μὲν ἄργυρος, οὐκ ὀλίγος δὲ χρυσὸς, παμπληθεῖς δὲ καὶ πολυτελεῖς ἐσθῆτες ἐκ τῆς βασιλικῆς σκηνῆς (a) διεφορήθησαν. ὁμοίως δὲ καὶ ἐκ τῶν τοῦ βασιλέως φίλων, καὶ συγγενῶν, καὶ τῶν ἄλλων ἡγεμόνων οὐκ ὀλίγος ἐφηρπάγη πλοῦτος. *Macedones vero perſecutione intermiſſa, ad praedae direptionem ſe converterunt, praecipuum vero ipſis negotium erat circa tabernaculum regis, quod precioſiſſimarum ibi rerum eſſet copia. Unde conſecutum, ut cum magna argenti, nec exigua auri, veſtiumque incomparabili pretio aeſtimandarum vis e praetorio efferretur. Haud ſecus amicorum regis & cognatorum, ducumque ceterorum opes non modicae diſtrahebantur.* CURTIUS *lib.* III. *cap.* II. §. 23. *Tunc vero impotentis fortunae ſpecies conſpici potuit, cum ii, qui cum Dario tabernaculum exornaverant, omni luxu & opulentia inſtructum, eadem illa Alexandro, quaſi veteri domino, reſervabent: namque id ſolum intactum omiſerant milites, ita tradito more, ut victorem victi regis tabernaculo exciperent.* Hujus quoque Darici Tabernaculi magnificentiam, PLUTARCHUS in *Alexandro pag.* 676. deſcribit his verbis: Τὴν δὲ Δαρείου σκηνὴν ἐξῃρηκότες ἦσαν, θεραπείας τε λαμπρᾶς, καὶ παρασκευῆς, καὶ χρημάτων πολλῶν γέμουσαν. εὐθὺς οὖν ἀποδυσάμενος τὰ ὅπλα, πρὸς τὸ λουτρὸν ἐβάδιζεν, εἰπών, Ἴωμεν ἀπολουσόμενοι τὸν ἀπὸ τῆς μάχης ἱδρῶτα, τῷ Δαρείου λουτρῷ. *Darii tabernaculum, famulicio ſplendido, apparatuque & divitiis refertum, Alexandro eximium a praeda reliquerant. Itaque ſtatim armis poſitis ad lavacrum contendit, inquiens, Agedum, eamus ſudorem praelio conceptum, Darii lavacro abluturi.* Et mox: Ὡς δὲ εἶδεν (b) μυόλκεια καὶ κρωσσοὺς, καὶ πυέλους, καὶ ἀλαβάστρους, πάντα χρυσοῦ ἠσκημένα περιττῶς· ὀδώδει δὲ θεσπέσιον οἷον ὑπ' ἀρωμάτων καὶ μύρων ὁ οἶκος· ἐκ δὲ τούτου παρῆλθεν εἰς σκηνὴν ὕψει τε καὶ (c) μεγέθει, καὶ τῷ περὶ τὴν στρωμνὴν, καὶ τραπέζας, καὶ τὸ δεῖπνον αὐτοῦ κόσμῳ θαύματος ἀξίαν, διαβλέψας πρὸς τοὺς ἑταίρους, Τοῦτ' ἦν, ὡς ἔοικεν, ἔφη, τὸ βασιλεύειν. *Ut vero labra, guttos, pelves, alabaſtros, aurea omnia & ſumma arte parata vidit, tum divinum quendam odorem domus unguentorum & aromatum reddidit: deinde in ſcenam progreſſus, magnitudine & altitudine excellentem, ad haec ſtragula veſte, menſis & coenae apparatu admiranda omnia vidit: ad ſocios ait: Nimirum ergo, hoc erat regem eſſe.* Xerxes quoque claſſem recenſens in nave Sidonia, ἵζετο ὑπὸ σκηνῇ χρυσέῃ, *ſedit ſub tabernaculo aureo*, quemadmodum HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 100. ait. Quod autem CURTIUS *Tabernaculum*, JUSTINUS *Praetorium* vocat *libr.* II. *cap.* XI. §. 15. his verbis: *Statimque Praetorium Regis petunt.* Tabernaculum vero Alexandri, luxu Perſici aemulum, AELIANUS *libr.* IX. *Var. Hiſt. cap.* III. ita deſcribit: Αὐτῷ δὲ Ἀλεξάνδρῳ ἡ μὲν σκηνὴ ἦν κλινῶν ἑκατόν· χρυσοῖ δὲ κίονες πεντήκοντα διειλήφεσαν αὐτὴν, καὶ τὸν ὄροφον αὐτῆς ἀνεῖχον. αὐτὸς δὲ ὁ ὄροφος διάχρυσος ἦν, καὶ ἐκπεπόνητο ποικίλμασι πολυτελέσι. *Ipſius vero Alexandri tabernaculum erat centum lectorum: quinquaginta autem columnae aureae diſtinguebant illud, & lacunar erat aureum, & precioſa varietate elaboratum.*

LIII. Nec Regum modo, ſed & procerum Tabernacula eadem erant opulentia referta. XENOPHON *libr.* IV. Ἀναβάσ. *pag.* 329. [*p.* 258.] de Teribaſi Tabernaculo: Καὶ ἡ σκηνὴ Τηριβάζου ἑάλω, καὶ ἐν αὐτῇ κλῖναι ἀργυρόποδες, καὶ ἐκπώματα, καὶ οἱ ἀρτοκόποι, καὶ οἱ οἰνοχόοι φάσκοντες εἶναι. *Captum etiam fuit Teribazi tabernaculum, in quo lectuli erant innixi pedibus argenteis, & pocula, & nonnulli, qui ſe panum conficiundorum artifices, ac pincernas eſſe dicerent.* Eodemque luxu Mardonii, qui Plataeenſi praelio occubuit, Tabernaculum inſtructum fuiſſe, docet HERODOTUS *libr.* IX. *cap.* 81. Λέγεται δὲ καὶ τάδε γενέσθαι, ὡς Ξέρξης φεύγων ἐκ τῆς Ἑλλάδος, Μαρδονίῳ τὴν κατασκευὴν καταλίποι τὴν ἑωυτοῦ. Παυσανίην ὦν ὁρῶντα τὴν Μαρδονίου κατασκευὴν χρυσῷ τε, καὶ ἀργύρῳ, καὶ παραπετάσμασι ποικίλοισι κατεσκευασμένην, κελεῦσαι τούς τε ἀρτοκόπους καὶ τοὺς ὀψοποιοὺς κατὰ ταὐτὰ, καθὼς Μαρδονίῳ, δεῖπνον παρασκευάζειν. *Feruntur autem haec quoque acta eſſe: Xerxem dum e Graecia fugit, omnem apparatum ex auro argentoque & aulaeis Mardonio reliquiſſe, & Pauſaniam dum cum apparatum vidit, juſſiſſe piſtores & cocos coenam ſibi uti Mardonio inſtruere.* Idem HERODOTUS *libr.* IX. *cap.* 79. Helotas Laconum, Mardonio caeſo, inveniſſe ait: Σκηνὰς κατεσκευασμένας χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ, κλίνας τε ἐπιχρύσους καὶ ἐπαργύρους, κρητῆράς τε χρυσέους, καὶ φιάλας τε καὶ ἄλλα ἐκπώματα· σάκκους τε ἐπ' ἁμαξέων εὕρισκον, ἐν τοῖσι λέβητες ἐφαίνοντο ἐόντες χρύσεοί τε καὶ ἀργύρεοι. *Tabernacula auro & argento referta, lectoſque auro & argento conſtratos, crateras etiam aureos, phialaſque & alia pocula, nec non ſaccos ſuper plauſtra, interlucentibus intus incluſis ex auro & argento lebetibus.* In hoc vero Mar-

(a) Σκηνῆς] *Cel. Weſſeling* fide *Codd. MSS.* repoſuit γάζης, quod jam *Stephanus* in margine ſuae editionis poſuerat. TR.

(b) Vocem μυόλκειον in alio, quam hoc loco, me legiſſe, non memini. neque etiam vulgata Lexica aliam auctoritatem afferunt. Unde vix dubito, quin ex duabus vocibus librariorum culpa, una facta ſit μυόλκειον ſcilicet ex μύρ' & ὄλκειον, cujuſmodi errores in ſcriptis Codicibus non infrequentes eſſe, qui eoſdem evolvunt, optime norunt. Eſt autem ὄλκειον interprete Polluce meo X, 176. ἀγγεῖον ὑγρῶν τε καὶ ξηρῶν, ὡς ἐπιτοπολὺ χαλκοῦν, *vas cum liquidis, tum aridis recipiendis aptum, aeneum plerumque.* ubi ſimul Menandrum & Philemonem hac voce uſos docet. Ego in verſione *labra* verti, pro Xylandri *pyxidibus*. poſſent & *crateres magni* locum habere. L. Eandem cum Lederlino ſententiam ſine dubio fovit auctor verſionis editionis *Francof.* is enim reddidit: *Ut vidit holcia* &c. TR.

(c) Poſt μεγέθει deſideratur διαφέρουσαν, aut ſimile quodpiam adjectivum. S.

Mardonii Tabernaculo inventum praeſepe equorum aeneum, quod inde direptum Tegeatae donum Minervae fixerunt, ibidem HERODOTUS *cap.* 69. ſcribit. Perſica igitur Tabernacula omni ſupellectilis aureae, argenteae, genere, lectis tricliniaribus, cubicularibuſque, veſte ſtragula, vaſis eſculentis, potulentis, cocinatoriis, & artificum omnium, quos cultus domeſticus deſiderabat, copia inſtructa erant. Unde mirum nemini videbitur, quod ARISTIDES in Σμυρναϊκῷ πολιτικῷ, *pag.* 232. *Tom.* I. ait: Ὥσπερ εἰς Πομπὴν ἐνιαύσιον κατεσκευασμένη, ταῖς τε ἰδίαις καὶ ταῖς δημοσίαις κατασκευαῖς, ἀγάλλεται, σκηνῆς Μηδικῆς θέαμα ἁβρότερον. *Tanquam ad Pompam anniverſariam exculta, ornatu tam privato, quam publico, ſplendorem oſtentat, ſpectaculum Medico tabernaculo venuſtius.* Tentoria autem Perſicis ſimilia Epheſus Alcibiadi ſuppeditabat, quemadmodum ATHENAEUS *libr.* XII. *cap.* 9. *pag.* 534. refert. Unde ANDOCIDES *Oratione in Alcibiadem*, (inter *Oratorum Vet. Oratt. pag.* 33. *Part.* II.) haec inter cetera ei objicit: σκηνὴν μὲν Περσικὴν Ἐφέσιοι διπλασίαν τῆς δημοσίας ἔπηξαν. *Tentorium Perſicum populari duplo majus Epheſii erexerunt.*

LIV. Aulaeis quoque conſtrata fuiſſe hujuſmodi Tabernacula, & peregre proficiſcentibus Perſarum proceribus, regioneſque aliquas peragrantibus, jumentis dorſuariis vehi ſolita, PLUTARCHUS in *Themiſtocle pag.* 127. indicat. Nam de ejus in inferiores Aſiae partes profectione, ita ſcribit: Τῶν δὲ τὴν σκηνὴν κομιζόντων ὑποζυγίων ἑνὸς εἰς τὸν ποταμὸν ἐμπεσόντος, οἱ δὲ Θεμιστοκλέους οἰκέται τὰς αὐλαίας διαβρόχους γενομένας ἐκπετάσαντες ἀνέψυχον. *Cum unum ex jumentis, quae tabernaculum portabant, in fluvium decidiſſet, famuli Themiſtoclis aulaea madefacta extendere, ac reſiccarunt.*

LV. Atque ut in Tabernaculis, eorumque inſtrumento & apparatu: ita & in reliquo militari cultu omni ex parte ſeſe Perſarum luxus opulentiaque oſtendebat. Etenim Perſae in acie pretioſiſſimam veſtem indui, armiſque, quanto maximo cultu poterant, adornari ſolebant. Apud CURTIUM *lib.* V. *cap.* 9. §. I. Artabazus ad Darium: *Nos vero*, inquit, *pretioſiſſimam veſtem* (*a*) *induti, armiſque, quanto maximo cultu poſſumus, adornati, Regem in aciem ſequemur, ea quidem mente, ut victoriam ſperemus, mortem non recuſemus.* Maſiſtium plane in acie Plataeenſi aurea lorica, tunica purpurea indutum fuiſſe, HERODOTUS *libr.* IX. *cap.* 22. refert.

LVI. Praeterea Perſas in bello Torques aureos, Armillaſque aureas geſtaſſe, DIO CHRYSOST. *Oration* II. *de Regno*, *pag.* 29. ſic tradit: Οὕτω φαίνεται χρυσοφορίας ἐπαινῶν ὁ Ὅμηρος, καὶ ταῦτα εἰς πόλεμον. ψελλίων τε καὶ στρεπτῶν, ἔτι δὲ χρυσῶν φαλαρίων (*b*) καὶ χαλινῶν· ἅπερ τοὺς Πέρσας φασὶν ἐπιτηδεῦσαι. *Non igitur videtur Homerus auri geſtationem approbare, & praeſertim in bellum, armillarum & torquium, inſuper & aurearum phalerarum & fraenorum, quibus ſummo opere Perſas ſtudere ajunt.* Id vel ex eo colligitur, quod AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXX. *cap.* 8. de Themiſtocle refert: *Qui cum poſt pugnam, agminaque deleta Perſarum, licenter obambulans, Armillas aureas vidiſſet humi projectas, & Torquem, Tolle, inquit, haec, ad comitum quendam prope adſtantem, qui* (*c*) *Themiſtocles non es: non quodlibet probans in duce magnanimo lucrum.* Mardonium etiam contra Graecos dimicaturum, ex una gente Perſarum pleroſque στρεπτοφόρους καὶ ψελιοφόρους, *torquatos & armillatos* ſibi legiſſe, HERODOTUS *libr.* VIII. *cap.* 113. ſcribit. Sed & poſt Plataeenſem victoriam, Helotes caeſorum Perſarum cadavera ſpoliantes, quemadmodum idem HERODOTUS *libro* IX. *cap.* 79. ſcribit, ἀπό τε τῶν νεκρῶν σκῦλα ἐσκύλευον ψέλιά τε καὶ στρεπτοὺς, καὶ τοὺς ἀκινάκας, ἐόντας χρυσέους· ἐπεὶ ἐσθῆτός γε ποικίλης λόγος ἐγίνετο οὐδείς. *Quinetiam a caeſorum cadaveribus exuebant armillas & torques, & acinaces aureos. Nam variegata veſtimenta nullius momenti habebantur.* ARISTIDES in *Panathenaico*, *pag.* 124. *Tom.* I. de ſpoliis, quae de Perſis victis Graeci victores reportaturi erant, καὶ γὰρ, ait, ἵπποι, καὶ βέλη, καὶ νῆες, καὶ ψέλλια, καὶ στρεπτοὶ, καὶ κύνες, καὶ πάντα χρήματα, δῶρα τῆς τύχης ἐστὶ, ἀποκείμενα τοῖς κρείττοσιν. *Etenim & equi, & tela, & naves, & armillae, & torques, & canes, & omnis pecunia fortunae dona ſunt; fortioribus deſtinata.*

LVII. Gladios quoque, & Gladiorum vaginas, gemmis lapilliſque adornabant. TERTULLIANUS *de habitu muliebri*, ſive *de cultu foem. lib.* I. *cap.* VI. *Gemmarum quoque nobilitatem vidimus Romae, de faſtidio Parthorum & Medorum, ceterorumque gentilium ſuorum, coram Matronis erubeſcentem, niſi quod nec ad oſtenſionem* (*d*) *fere habentur. Latent in cingulis Smaragdi, & Cylindrinos vaginae ſuae ſolus gladius ſub ſinu novit; & in peronibus uniones emergere de luto cupiunt. denique, jam gemmatum habent, quod gemmatum eſſe non debet, ſi non comparet; aut ideo comparet, ut neglectum quoque oſtendatur.* CLAUDIANUS *libr.* II. *de rapt. Proſerp. v.* 94.

Parthica quae tantis variantur cingula gemmis,
Regales junctura ſinus?

Similiterque de Parthis JUSTINUS *libr.* XLI. *cap.* 2. *in fine. Auri Argentique nullus, niſi in armis, uſus.*

LVIII. Quinetiam Aureis Phaleris, & aureis Frenis equorum, in praeliis ipſis, Perſas oblectatos, cum ex eo, quem paulo ante citavi, DIONIS loco, tum ex his quae de Maſiſtio apud HERODOTUM *libr.* IX. *cap.* 20. legimus, liquet. Unde apud CURTIUM *lib.* III. *cap.* 10. §. 9. Alexander milites ſuos aciem Perſarum, *auro purpuraque fulgentem*, intueri jubebat, (*e*) *ſuis praedam, non arma, geſtantem.* Idem ipſe apud JUSTINUM *libr.* XI. *cap.* 13. *in fine* dicitur eos hortatus, *ut ſpernerent illam aciem, auro & argento fulgentem, in qua plus praedae, quam periculi, erat: cum victoria non armorum decore, ſed ferri virtute, quaeratur.* CURTIUS etiam *lib.* III. *cap.* 13. §. 10. de praeda Damaſco exportata, *Jacebant*, ait, *totis campis opes Regiae, illa pecunia ſtipendio ingenti militum praeparata: ille cultus tot nobilium virorum,* tot

(*a*) VESTEM] *Praetioſiſſima veſtium* legitur in *edd.* quas vidi. TR.

(*b*) Φαλαρίων] In editione, qua ego uſus fui, legitur Φαλάρων. TR.

(*c*) QUI] *Valeſius* ex MS. ſubſtituit: *vere quia:* deinde *non* delet, & pro *probans* legit *ſpernens*. TR.

(*d*) OSTENSIONEM] In *ed. Pariſ.* 1664. *Opp.* legitur *oſtentationem*: initium vero ſequentis periodi ita ibi concipitur: *Latent in circulis ſmaragdi, & cylindros vaginae &c.* Tertia periodus ita incipit: *Nihil denique tam gemmatum habent, quam quod. &c.* TR.

(*e*) In editis non eſt, *ſuis*. L.

tot illuſtrium foeminarum, aurea vaſa, aurei freni, Tabernacula Regali magnificentia ornata, vehicula quoque a ſuis deſtituta, gentis (a) opulentiae plena. Ibidemque (§. 16.) xxx. millia hominum, cum ſeptem milibus Jumentorum, dorſo onera portantium, capta fuiſſe ſcribit. Rurſus eodem *libr. cap.* II. §. 20. de caſtris Darii: *Sed jam illa quoque hoſtis victor intraverat, omni quidem opulentia ditia: ingens auri argentique pondus, non belli, ſed luxuriae apparatum, diripuerant milites.* ARISTIDES de Caſtrenſi Xerxis luxu haec in *Panathenaico, pag.* 129. *Tom.* I. ſcribit: Κάμηλοι δὲ χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ κατειλημμέναι, ὅσον μόνον ἦν ἀνύσαι, τοσοῦτον ὑπέχουσαι (b). οἱ δ᾽ ἐπιθυμοῦντι σκιᾶς, δένδρον ἦν αὐτῷ χρυσοῦν ἡ σκιά. ὥστε νύκτωρ μὲν ὑπολάμπειν ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ· μεθ᾽ ἡμέραν δὲ νύκτα ἐπῆγεν, ὁπηνίκα τοξεύειν κελεύοι. *Cameli auro & argento fulgebant, tantum ferentes, quantum imponi poterat. Sin cuperet umbram, eam arbor aurea ipſi praebebat, adeo quidem, ut noctu fulgura auro & argento faceret, interdiu vero noctem induceret, quotieſcunque arcu ſagittas emittere juberet.*

LIX. Ex popularibus vero ſuis potiſſimum conſcribere & comparare exercitum Perſarum Reges ſolebant. Et quidem, uti in Perſide & Equites, & Stationarii ac praeſidiarii milites conſcriberentur, docet XENOPHON *libr.* VIII. *παιδ. pag.* 241. [*p.* 190.] ait enim: Ἐπιχώριον, *patrium*, illis fuiſſe, τοὺς μὲν τὴν γῆν ἔχοντας, ἀπὸ ταύτης ἱππότας παρέχεσθαι, οἳ δὲ καὶ ἐστρατεύοντο· τοὺς δὲ φρουροῦντας, εἰ δέοι στρατεύεσθαι πρὸ τῆς χώρας, μισθοφόρους εἶναι. *Ut qui terram poſſiderent, equites ex ea ipſa ſuppeditarent, qui militatum irent. Qui vero pro patria excubarent id temporis, quo bellum neceſſario geritur, eis ſtipendia tribuerentur.* Idem XENOPHON *libr.* VIII. *παιδ. pag.* 231. [*p.* 182.] Satrapis mandaſſe Cyrum inter cetera; Ἱππέας κατασκευάσαι ἐκ τῶν συνεπομένων Περσῶν καὶ συμμάχων, καὶ ἁρματηλάτας. *Equites & aurigas de illis Perſis ac ſociis, qui ipſos ſequerentur, inſtituerent*, ait. Attamen Graecos quoque milites, mercede conductos, Perſae ſub ſignis habebant. XENOPHON *libr.* VIII. *παιδ. fin. pag.* 242. Καὶ οὐδεὶς ἔτι ἄνευ τῶν Ἑλλήνων εἰς πόλεμον καθίσταται (c), οὔτε ὅταν οἱ Ἕλληνες αὐτοῖς ἀντιπολεμῶσιν]· ἀλλὰ καὶ πρὸς τούτους ἐγνώκασι μεθ᾽ Ἑλλήνων τοὺς πολέμους ποιεῖσθαι. *Neque quiſquam abſque Graecis ad bellum ſe comparat, ſive adeo ipſi bellum inter ſe geront, ſive contra eos Graeci copias educant, quod animadvertant, etiam adverſus Graecos, non niſi cum Graecorum auxiliis ſibi bella eſſe ſuſcipienda.* Sic Autophradatem, Artaxerxis Praetorem, in ſuo adverſus Datamem exercitu, *Graecorum conductorum tria millia habuiſſe*, AEMILIUS PROBUS in *Dat. cap.* 8. §. 2. refert. In exercitu quoque Darii, Thymodem *Graecis peditibus mercede conductis triginta milibus praepoſitum* fuiſſe, CURTIUS *lib.* III. *cap.* 9. §. 2. narrat: additque: *hoc erat haud dubie robur exercitus, par Macedonicae phalangi acies.* ARRIANUS *libr.* II. *cap.* 8. *pag.* 73. de Dario: Καὶ πρώτους μὲν τῶν ὁπλιτῶν τοὺς Ἕλληνας τοὺς μισθοφόρους ἔταξεν ἐς τρισμυρίους, κατὰ τὴν φάλαγγα τῶν Μακεδόνων. *Ac primos quidem gravis armaturae Graecos, mercede conductos, numero triginta millium, adverſus Macedonum phalangem conſtituit.* Idem *libr.* I. *cap.* 17. *pag.* 35. Alexandrum narrat cum cura ſepeliſſe Perſarum proceres, qui in acie ceciderant, ſimul etiam τοὺς μισθοφόρους Ἕλληνας, οἳ ξὺν τοῖς πολεμίοις στρατεύοντες ἀπέθανον. ὅσους δὲ αὐτῶν αἰχμαλώτους ἔλαβε, τούτους δὲ δήσας ἐν πέδαις, ἐς Μακεδονίαν ἀπέπεμψεν ἐργάζεσθαι. *Mercenarios Graecos, qui hoſtibus merentes, caeſi fuerant. Quotquot vero mercenariorum vivi in poteſtatem venerunt, vinctos in Macedoniam ad ergaſtula miſiſſe.*

LX. Bellicoſiores vero ſuos milites *Cardacas* vocitabant. STRABO *libr.* XV. *pag.* 1067. (734.) Καλοῦνται δὲ οὗτοι Κάρδακες, ἀπὸ κλοπείας τρεφόμενοι. κάρδα γὰρ τὸ ἀνδρῶδες καὶ πολεμικὸν λέγεται. *Atque hi Cardaces vocantur, furtis viventes: nam carda virile ac bellicoſum ſignat.* HESYCHIUS: Κάρδακες, οἱ στρατευόμενοι βάρβαροι ὑπὸ Περσῶν ἐν Ἀσίᾳ. οὕτω καλοῦσι τοὺς στρατιώτας, ἀπὸ ἔθνους, ἢ τόπου. *Cardaces ſunt barbari, qui ſub Perſis in Aſia militant: quos ita vocant vel a gente, vel loco.* ARRIANUS *libr.* II. *cap.* 8. *pag.* 73. Ἐπὶ δὲ τούτοις τῶν Καρδάκων καλουμένων, ἔνθεν καὶ ἔνθεν, ἐς (d) ἑξακισμυρίους. ὁπλῖται δὲ ἦσαν καὶ οὗτοι. *Ab utroque horum latere Cardaces, qui & ipſi armati graviter erant, ad ſexaginta millia (collocat.).* Foedam hujus nominis depravationem offendiſſe mihi videor apud AEMILIUM PROBUM in *Datame, cap.* 8. §. 2. quo loci Perſarum copias memorans, quarum ductor Autophradates erat, *Habebat*, ait, *Barbarorum Equitum viginti; Peditum, centum millia, quos illi Gardates appellant.* Scripſerat enim ille, niſi me animus fallit, non *Gardates*, ſed *Cardaces* (e). Carduchos etiam Mediae belliciosiſſimam gentem memorat XENOPHON *libr.* III. *Ἀναβάσ. pag.* 315. [*p.* 247.] quos ait Οἰκοῦν ἀνὰ τὰ ὄρη, καὶ πολεμικοὺς εἶναι, καὶ βασιλέως οὐκ ἀκούειν· ἀλλὰ καὶ ἐμβαλεῖν ποτε εἰς αὐτοὺς βασιλικὴν στρατιὰν, δώδεκα μυριάδας· τούτων δὲ οὐδένα ἀπονοστῆσαι, διὰ τὴν δυσχωρίαν· ὁπότε μέντοι πρὸς τὸν Σατράπην τὸν ἐν τῷ πεδίῳ σπείσαιντο, καὶ ἐπιμίγνυσθαι σφῶν τε πρὸς ἐκείνους, καὶ ἐκείνων πρὸς αὐτούς. *In montibus habitare ac bellicoſos eſſe, neque regis imperio parere. Imo quondam copias regias hominum duodecim myriadum eos invaſiſſe, quorum nemo propter ſummam locorum difficultatem domum redierit. Quod ſi foedera inter Satrapam regionis campeſtris & ipſos intercedant, libera ſunt inter utroſque commercia.* Quem Xenophontis locum, in Carduchorum gentis interpretatione, STEPHANUS *de Urbib. pag.* 356. citat.

LXI. Perſarum autem exercitus in Decurias, Centurias, Milliariaſque cohortes dividebatur. Decuriis qui præerant, Δέκαρχοι ſeu Δεκάρχαι, & Δεκαδάρχοι, i. e. Decani, ſeu Decuriones, vocabantur: qui Centuriis, Ἑκατοντάρχαι, i. e. Centuriones: mille vero militibus praefecti, Chiliarchi. Sed & Myriarchas, qui decem milibus hominum praeeſſent, conſtituebant. HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 81. καὶ Χιλιάρχας τε, καὶ Μυριάρχας ἀποδέξαντες· Ἑκατοντάρχας τε καὶ Δεκάρχας, οἱ Μυριάρχαι. *Et Chiliarchas & Myriarchas conſtituentes: Centuriones & Decuriones, Myriarchae.* XENOPHON *libr.* IV. *παιδ. pag.* 95. [*p.* 76.] de Cyro: ἀπέπεμπεν εἰς τὰς τάξεις ἑκάστους, καὶ ἐκέλευεν ἄρχω παραγγέλλειν τοῖς αὐτοῦ ἕκαστον Δεκαδάρχοις ταῦτα σημαίνειν· τοὺς δὲ Δεκαδάρχους, τῇ δεκάδι ἕκαστον ταῦτα παραγγέλλειν. *Quemque ad ordines ablegabat, ſimulque praecipiebat, ut quum ad ſuos veniſſent, quilibet decurionibus ſuis haec ſignificaret, decurionum vero quemque juberent eadem decuriae ſuae denunciare.* Idem *libr.* VIII. *παιδ. pag.* 224. καὶ τὸ μέρος ἑκάστῳ δοὺς τῶν Μυριάρχων. *Data parte cuique*

(a) GENTIS] In editis legitur *ingentis.* TR.

(b) Ὑπέχουσαι] Vide *Cl. Jebbe notas* ad *h. l.* TR.

(c) Καθίσταται] Ex editis hic ſupplendum: οὔτε ὅταν ἀλλήλοις πολεμῶσιν: quae verba Lederlinus jam in verſione ſimul expreſſit. TR.

(d) Ἐς] Hanc particulam ex editis ſupplevi. TR.

(e) CARDACES] *Schottus* edidit *Cordaces*, quem ſequentes editores ſecuti ſunt. TR.

que Myriarchae. Quinctiam extitiſſe quoſdam, qui ſenis hominibus praeeſſent, quos Ἑξαδάρχας vocabant, idem *eod. libr.* indicat. Ταξιάρχας item, & Λοχαγοὺς habuiſſe eos, idem XENOPHON *lib.* VI. παιδ. *pag.* 167. ſcribit; additque; ὁ δὲ λόχος ἦν εἴκοσι ἀνδρῶν καὶ τεττάρων. *Erant autem iſti manipuli ſinguli militum viginti quatuor.* Quoſdam etiam Equitatui praeficiebant, quos Ἱππάρχας appellabant. Ita *Praefectum Equitatus* Perſici Satropatem CURTIUS *lib.* IV. *cap.* 9. §. 7. memorat. In Xerxis quidem exercitu fuiſſe tres Hipparchos, Armamithrem videlicet, Tithaeum, & Pharnuchyem, HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 88. refert. Praeterea in Provinciis Ἱππάρχας conſtitutos fuiſſe, apparet ex inſcriptione Epiſtolae Darii, quam JOSEPHUS *libr.* XI. *Antiq. Jud. c.* IV. adfert. Fuiſſe & in exercitu Perſico Ἡγεμόνας ἁρμάτων, alios item Ἄρχοντας τῶν ἁρμαμαξῶν, quibus mulieres vehebantur: alios Ἄρχοντας τῶν σκευοφόρων ἁρμαμαξῶν, XENOPHON *libr.* VI. παιδ. docet.

LXII. Medicos etiam fuiſſe in exercitu, docet XENOPHON *libro* I. παιδ. *pag.* 29. [*p.* 24.] his verbis: καὶ πόλεις αἱ δεόμεναι ὑγιαίνειν, ἰατροὺς αἱροῦνται, καὶ οἱ στρατηγοὶ τῶν στρατιωτῶν ἕνεκεν ἰατροὺς ἐξάγουσιν. *Urbes valetudinis ſtudioſae medicos eligunt, atque imperatores ad uſum militum medicos ſecum educunt.*

LXIII. Copiarum vero ducibus diem locumque, quo quiſque adeſſet, praeſtitui conſueviſſe, oſtendit HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 26. de Xerxe loquens in hunc modum: ἐπορεύετο ἐς Σάρδις, ἐκ Κριτάλλων ὁρμηθεὶς τῶν ἐν Καππαδοκίῃ. ἐνθαῦτα γὰρ εἴρητο συλλέγεσθαι πάντα τὸν κατ᾽ ἤπειρον μέλλοντα ἅμα αὐτῷ Ξέρξῃ πορεύεσθαι στρατόν. *Iter ingreſſus eſt Sardis verſus, movens ex Critalis Cappadociae: Illuc enim edictum erat, ut cunctae copiae cogerentur, quae per continentem erant cum Xerxe iturae.*

LXIV. Solebant vero Perſarum Reges milites ſuos recenſere, & exercitum luſtrare. Hoc enim Xerxem feciſſe HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 44. ita ſcribit: ἐπεὶ δὲ ἐγένοντο ἐν Ἀβύδῳ μέσῃ, ἠθέλησε Ξέρξης ἰδέσθαι πάντα τὸν στρατόν· καὶ προεπεποίητο γὰρ ἐπὶ κολωνοῦ ἐπίτηδες αὐτῷ ταύτῃ προεξέδρη λίθου λευκοῦ· ἐποίησαν δὲ Ἀβυδηνοί, ἐντειλαμένου πρότερον βασιλέος, ἐνθαῦτα ὡς ἵζετο κατορῶν, ἐπὶ τῆς ἠϊόνος ἐθηεῖτο καὶ τὸν πεζὸν καὶ τὰς νέας. *Ubi Abydon venerunt, Xerxi inceſſit cupido omnem exercitum oculis ſubjiciendi. itaque in praetorio quodam, quod ei Abydeni prius ab illo juſſi e candido lapide in tumulo pro dignitate extruxerant, reſidens proſpiciebat littus, & illic terreſtres copias atque claſſem.* Et alias *eod. libr. cap.* 100. de Xerxe; διεξελαύνων ἐπ᾽ ἅρματος παρ᾽ ἔθνος ἓν ἕκαστον ἐπυνθάνετο, καὶ ἀπέγραφον οἱ γραμματισταί, ἕως ἐξ ἐσχάτων ἐς ἔσχατα ἀπίκετο καὶ τῆς ἵππου καὶ τοῦ πεζοῦ. *Inſcenſo curru ſingulas nationes luſtrans, quaenam eſſent percontabatur: quarum profeſſionem ſcribae excipiebant, donec ad extremos equitum peditumque perventum eſt.* Verum uti copiarum ſuarum numerum Xerxes inierit, HERODOTUS docet *libr.* VII. *cap.* 60. his verbis: συναγαγόντες ἐς ἕνα χῶρον μυριάδα ἀνθρώπων καὶ συνάψαντες (*a*) ταύτην ὡς μάλιστα εἶχον, περιέγραψαν ἔξωθεν κύκλον. περιγράψαντες δὲ, καὶ ἀπέντες τοὺς μυρίους, αἱμασιὴν περιέβαλον κατὰ τὸν κύκλον, ὕψος ἀνήκουσαν ἀνδρὶ ἐς τὸν ὀμφαλόν. ταύτην δὲ ποιήσαντες, ἄλλους ἐσεβίβαζον ἐς τὸ περιοικοδομημένον, μέχρις οὗ πάντας τούτῳ τῷ τρόπῳ ἐξηρίθμησαν· ἀριθμήσαντες δὲ κατὰ ἔθνεα διέτασσον. *Contraxerunt unum in locum myriadem hominum, quae ſunt decem millia: quo coarctata quam maxime poterant, circulum extrinſecus deſcripſerunt loco circumſcripto: emiſſaque illinc myriade ſepem circumdederunt, eatenus excitontes, ut umbilico tenus pertingeret. Eam ubi fecere, aliam ſubinde atque aliam myriadem introduxerunt, donec omnes numerati eſſent. numeratos autem nationatim digeſſerunt.* ARISTIDES in *Panathenaico*, *pag.* 129. *Tom.* 1. de Xerxe: φιλονεικήσας δὲ μαθεῖν ὁ πάντα ἄπειρος βασιλεὺς, ὁπόσους ἄγει· χρῆν (*b*) γὰρ καὶ τοῦτο ἐκείνῳ γενέσθαι δυνατόν· ἐπεγνώσθη μετροῦσα τρόπον δή τινα μᾶλλον ἢ ἀριθμοῦσα τὴν στρατιάν· καὶ κατασκευασάμενος τεῖχος μυριάνδρον, ὥσπερ μέτρῳ ἐχρῆτο. *Quum autem conaretur inſolens iſte rex exercitus ſui numerum cognoſcere, (nam & hoc in ejus poteſtatem cadere debebat) metiri potius eum quodam modo, quam numerare coactus eſt, ita ut muro, cujus ambitus, decies mille viros caperet, extructo, ſuos ad menſuram numeraret.* PLINIUS *libr.* IV. *cap.* XI. *Tum locus Doriſcus, decem mille hominum capax: ita Xerxes ibi dinumeravit exercitum.* AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XVIII. *cap.* 6 *circa fin. Quouſque nobis Doriſcum Thraciae oppidum, & agminatim intra conſepta exercitus recenſitos, Graecia fabuloſa narrabis?* Quod Xerxis exemplum, Darius imitatus eſſe dicitur. De eo namque CURTIUS *lib.* III. *cap.* 2. §. 2. *Caſtris*, ait, *ad Babylonem poſitis, quo majore animo capeſſerent bellum, univerſas vires in conſpectum dedit: & circumdato Vallo, quod decies* (*c*) *centenum millium armatorum multitudinem caperet, Xerxis exemplo, numerum copiarum iniit.* Quinetiam quotannis Perſarum Rex ſtipendiarios mercenarioſque milites recenſere & recognoſcere ſolebat: & eos quidem, qui circa ejus latus occupabantur, recenſebat ipſemet; alios vero procul remotos, vicaria legatorum opera recognoſcebat. XENOPHON *Oeconomico* ſive *Memorab. lib.* V. *pag.* 828. [*p.* 654.] βασιλεὺς δὲ καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἐξέτασιν ποιεῖται τῶν μισθοφόρων, καὶ τῶν ἄλλων, οἷς ὡπλίσθαι προστέτακται, καὶ πάντας ἅμα συνάγων, πλὴν τοὺς ἐν ταῖς ἀκροπόλεσιν, ἔνθα δὴ ὁ σύλλογος καλεῖται, καὶ τοὺς μὲν ἀμφὶ τὴν αὑτοῦ οἴκησιν, αὐτὸς ἐφορᾷ, τοὺς δὲ πρόσω ἀποικοῦντας, πιστοὺς πέμπει ἐπισκοπεῖν. καὶ οἳ μὲν ἂν φαίνωνται τῶν φρουράρχων, καὶ τῶν χιλιάρχων, καὶ τῶν σατραπῶν τὸν ἀριθμὸν τὸν τεταγμένον ἔκπλεων ἔχοντες, καὶ τούτους δοκίμοις ἵπποις τε καὶ ὅπλοις κατεσκευασμένους παρέχωσι, τούτους μὲν τοὺς ἄρχοντας καὶ ταῖς τιμαῖς αὔξει, καὶ δώροις μεγάλοις καταπλουτίζει· οὓς δ᾽ ἂν εὕρῃ τῶν ἀρχόντων ἢ καταμελοῦντας τῶν φρουράρχων, ἢ κατακερδαίνοντας, τούτους χαλεπῶς κολάζει, καὶ παύων τῆς ἀρχῆς ἄλλους ἐπιμελητὰς καθίστησι. *Rex autem in annos ſingulos mercenarios alioſque luſtrat, quibus injunctum eſt, ut ſint in armis, omneſque in unum cogit, exceptis iis, qui arces cuſtodiunt, quo fit ut is conventus appelletur. Qui vicini ſunt locis iis, in quibus habitat, eos ipſe inſpicit; ad eos autem, qui procul habitant, fidos quoſdam homines mittit, qui eos inſpiciant. Ac praefecti quidem praeſidiorum, & tribuni, & Satrapae, qui numerum conſtitutum habere ſe integrum palam oſtendunt, militeſque bonis equis & armis inſtructos exhibent: ab rege honoribus augentur, & ingentibus donis collocupletantur. Quos vero praetores vel negligere praeſidiorum praefectos, vel quaeſtum ſuum facere compererit; eos graviter punit, abrogatoque ipſis imperio, alios eorum loco rerum ſuarum curatores conſtituit.* Atque inde ſummam rerum bellicarum curam geſſiſſe Reges Xenophon arguit.

LXV.

(*a*) Συνάψαντες] *Gronovius ex MS. Med.* ſubſtituit συνάξαντες. TR.

(*b*) Χρῆν] Vide *Cl. Iebbe notas ad h. l.* TR.

(*c*) DECIES] In optimis Codd. legitur: *quod decem millium armatorum* &c. vide Interpp. TR.

LXV. Ceterum uti acies ſuas Reges inſtruerent, ordinarent, diſponerentque, Cyri, Artaxerxis, Dariique exemplis, facile quiſque ex XENOPHONTE *libr.* VIII. παιδ. & *libr.* II. Ἀναβάσ. PLUTARCHO in *Artaxerxe*, DIODORO SICULO *libr.* XVII. CURTIO *lib.* III. *cap.* 9. & *lib.* IV. *cap.* 12. ARRIANO *libr.* II. *cap.* 8. & *lib.* III *cap.* 11. intelliget. Atque ut utroque adverſus Alexandrum praelio, Darius praecipuum robur in ſiniſtro cornu conſtituit, ita alias in dextro cornu Perſas robuſtiſſimas copias collocatas habuiſſe, JULIUS FRONTINUS *libr.* II. *Strategemat. cap.* III. memorat. Suis vero temporibus, Perſicam aciem AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIV. *cap.* 6. ordinatam fuiſſe ſcribit hoc modo: *Contra haec Perſae objecerunt inſtructas cataphractorum equitum turmas, ſic confertas, ut laminis aptati* (a) *corporum flexus, ſplendore perſtringerent occurſantes obtutus: operimentis ſcorteis, equorum multitudine omni defenſa: quorum in ſubſidiis locati manipuli peditum, contecti ſcutis oblongis & curvis, quae texta vimine & coriis crudis geſtant, denſius ſe commovebant. Poſt hos Elephanti, gradientium collium ſpecie, motuque immanium corporum propinquantibus exitium intentabant, documentis praeteritis formidati. Hinc Imperator catervis peditum firmis medium inter acies ſpatium, ſecundum Homericam diſpoſitionem, praeſtituit, ne locati priores, cedenteſque deformiter, cunctos averterent ſecum, aut poſtſignani pone omnes rejecti Centurias, nullo retinente, licentius verterent terga, ipſe, cum levis armaturae auxiliis, per prima poſtremaque diſcurrens.* Cataphractos etiam in media acie Perſica collocatos, HELIODORUS *libr.* IX. *Aethiopic. p.* 434. narrat his verbis: τὸ δὲ μεσαῖον τῆς Περσικῆς τοῖς καταφράκτοις μεγαλαυχούμενον καταμαθών. *Mediam autem aciem Perſici exercitus cum elatam eſſe Cataphractis audiſſet.* Ad Perſicae quoque aciei ordinationem pertinent haec SUIDAE (b) verba: Ἐξελιγμὸς (c) χορὸς, ὃν καὶ Κρητικὸν καὶ Περσικὸν καλοῦσι, ὁ τὸν αὐτὸν ἐπέχων τόπον τῆς φάλαγγος. Ἐξελιγμὸς ὁ χορὸς, *quem & Creticum & Perſicum vocant, eſt is, qui eundem phalangis locum obtinet*, & reliqua.

LXVI. *a.* Parthos autem olim in praelium Leones praemiſiſſe, LUCRETIUS *libr.* V. canit, his verſibus:

Et validos Parthi prae ſe miſere Leones,
Cum ductoribus armatis, ſaeviſque magiſtris:
Qui moderarier his poſſent vincliſque tenere.
Ne quicquam, quoniam permixta caede calentes.
Turbabant ſaevi nullo diſcrimine turmas,
Terrificas equitum quatientes undique criſtas.

Sed quis veritatem a poëta, ut ab hiſtorico exigit. Eleganter utique LUCIANUS hiſtoricum quemdam, nimia credulitate circumventum ridet; qui aliorum relatu litteris prodiderat, Parthos Draconibus, non ut ſignis militaribus, ſed ut immanibus belluis, ad hoſtes conſumendos, in praeliis uſos. Verba ejus *libro Quomodo hiſtoria conſeribenda ſit*, *cap.* 29. *pag.* 39. *Tom.* II. ſunt haec: ὅτι τοὺς Δράκοντας ἔφη τῶν Παρθυαίων (σημεῖον δὲ πλήθους τοῦτο αὐτοῖς· χιλίους γὰρ οἶμαι ὁ Δράκων ἄγει) ζῶντας δράκοντας παμμεγέθεις εἶναι. γεννᾶσθαι δὲ ἐν τῇ Περσίδι, μικρὸν ὑπὲρ τὴν Ἰβηρίαν. τούτους δὲ τέως μὲν ἐπὶ κοντῶν μεγάλων ἐκδεδεμένους ὑψηλοὺς αἰωρεῖσθαι, καὶ πόρρωθεν ἐπελαυνόντων, δέος ἐμποιεῖν· ἐπ' (d) αὐτῷ δὲ τῷ ἔργῳ, ἐπειδὰν ὁμοῦ ἴωσι, λύσαντας αὐτοὺς, ἐπαφιέναι τοῖς πολεμίοις. ἀμέλει πολλοὺς τῶν ἡμετέρων οὕτω καταποθῆναι. καὶ ἄλλους, περιελιχθέντων αὐτοῖς, ἀποπνιγῆναι καὶ συγκλασθῆναι. *Ut diceret Parthorum dracones (ſignum autem hoc multitudinis eſt ipſis, mille enim dracones vivos Draco ducit) ingentes eſſe, & in Perſide generari paulum ſupra Iberiam: hos autem longuris antea illigatos, in altum attolli, & procul advenientibus metum incutere. In ipſo vero praelio quando congrediuntur, ſolutos ipſos in hoſtes immittunt. Nimirum multos noſtrorum hoc pacto devoratos eſſe, alios vero ipſis transfixos, fuiſſe necatos & confractos.*

LXVI. *b.* Solebant vero Perſarum Reges ab his, in quorum fines irruerent, quibuſve bellum inferrent, (e) Terram & Aquam per praeconem, ſeu fetialem petere, denuntiantes eo modo, ut populum, urbes, agros, regionemque, in deditionem darent, ſeſeque in totum eorum nutui & ditioni ſubjicerent: alioquin ni imperata facerent, ſeſe eos ad internecionem uſque bello perſecuturos minabantur. DIODORUS SICULUS *libr.* XI. *cap.* 2. *pag.* 404. (*St.* 243. *Rh.* 2.) de Xerxe: Ὡς δ' ἦκεν εἰς Σάρδεις, κήρυκας ἐξέπεμψεν εἰς τὴν Ἑλλάδα, προστάξας εἰς πάσας τὰς πόλεις ἰέναι, καὶ τοὺς Ἕλληνας αἰτεῖν Ὕδωρ καὶ Γῆν. *Ut Sardis venit, praecones in Graeciam miſit, praecipiens, ut omnes obirent urbes, & a Graecis Terram & Aquam peterent.* ARISTIDES in *Panathenaico*, *pag.* 121. *Tom.* I. de Athenis: καὶ πρῶτον μὲν ἡ τῶν κηρύκων περίοδος, ἡ γιγνομένη κατὰ τὴν Ἑλλάδα, ὑπ' ἐκείνου καὶ τοῦ μετ' ἐκεῖνον βασιλέως, περὶ τῆς Γῆς καὶ τοῦ Ὕδατος, ἀπὸ ταύτης τῆς πόλεως ἤρξατο. *Et circuitus illius praeconum, qui Graeciam pertranſibant ſub illo rege ejuſque ſucceſſore, ut Terram & Aquam peterent, initium ab hac urbe factum eſt.* Apud CURTIUM *lib.* III. *cap.* 10. §. 8. Alexander, cum milites ſuos ad praelium incitaret, admonet illos, *Darii prius, deinde Xerxis inſolentiae, Aquam ipſam Terramque poſtulantium*, (ſic enim, qui primum Florentiae typis excuſi ſunt, Curtii codices, habent) *ut neque fontium hauſtum, nec ſolitos cibos relinquerent.* Proinde Darius, ut ab HERODOTO *libr.* IV. *cap.* 126. relatum extat, haec Indathyrſo Scytharum Regi moras nectenti, fugaque praelium vitanti, per Equitem reſcripſit, ut ſi copias ad dimicandum idoneas habere ſe putaret, quamprimum Marte decerneret: ſin minus, ajebat ille, παυόμενος (f) τοῦ δρόμου, δεσπότῃ τῷ σῷ δῶρα φέρων Γῆν τε καὶ Ὕδωρ, ἐλθὲ ἐς λόγους, *ſiſte curſum, & domino tuo munera offerens Terram atque Aquam, in colloquium veni.* Cui Indathyrſus reſpondens, *cap.* 127. Δεσπότας δὲ ἐμοὺς, ait, Δία τε ἐγὼ νομίζω τὸν ἐμὸν πρόγονον, καὶ Ἱστίην τὴν Σκυθέων Βασίλειαν, μούνους εἶναι· σοὶ δὲ ἀντὶ μὲν δώρων Γῆς τε καὶ Ὕδατος, δῶρα πέμψω τοιαῦτα, οἷά σοι πρέπει ἐλθεῖν· ἀντὶ δὲ τοῦ ὅτι δεσπότης ἔφησας εἶναι ἐμὸς, κλαίειν λέγω. *Ego ſolos mihi dominos arbitror Jovem progenitorem meum, & Veſtam Scytharum regi-*

(a) APTATI] *Coaptati* legitur in *noviſſ. edd.* Paullo poſt ita legitur; *quorum in ſubſidiis manipuli locati ſunt peditum* &c. & deinde *geſtantes*, pro *geſtant*. Denique pro *firmis* jam Lindenbrogius ex *Homeri Iliad.* Δ. *v.* 299. emendavit *infirmis*. TR.

(b) SUIDAE] Locus hic legitur ſub voce ἐξελιγμὸν, & delumtus eſt ex AELIANI *Tacticis*, *cap.* 27. ubi ab harum rerum curioſis integer legi poteſt. TR.

(c) Scribe cum articulo, ὁ χορός. S.

(d) Ἐπ'] In *ed. noviſſ.* legitur ἐν. TR.

(e) Adde quae habet Freinshemius not. ad Curt. III. 10 8. L.

(f) Παυόμενος] παυσάμενος legitur in ed. noviſſima. TR.

reginam. Tibi autem pro Terra & Aqua, quae dono poſcis, mittam, quae decet ad te venire, dona: pro eo, quod dominum te meum dixiſti, plorare te jubeo. Idem Darius, teſte eodem HERODOTO, *libr.* VI. *cap.* 48. explorare cupiens, quid in animo Graeci haberent, & utrum πολεμέειν ἑωυτῷ, ἢ παραδιδόναι σφέας αὐτούς· διέπεμπε κήρυκας ἄλλους ἄλλῃ τάξας ἀνὰ τὴν Ἑλλάδα, κελεύων αἰτέειν βασιλέϊ Γῆν τε καὶ Ὕδωρ. *Pugnare ſecum an ſe dedere vellent, praecones per Graeciam alios alio dimittit, regi Terram & Aquam petere juſſos.* Eademque Aſſyriorum Reges Legatis mandata dediſſe, perferenda his, quibus bellum indicebant, ex *Judith cap.* 11. *v.* 7. didici. Illic enim Aſſyriorum Rex Nabuchodonoſor gentibus, in quas expeditionem facturus erat, denuntiari jubet, ἑτοιμάζειν illi Γῆν καὶ Ὕδωρ. Unus in Perſico iſto more a reliquis omnibus diſſidens PLUTARCHUS, Perſas Ignem & Aquam poſciſſe ſcribit, *libro* περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι, *de vitando aere alieno, pag.* 828. in quo eſt: Φεῦγε πολέμιον καὶ τύραννον δανειστήν, οὐ Πῦρ αἰτοῦντα καὶ Ὕδωρ, ὡς ὁ Μῆδος, ἀλλὰ τ' ἐλευθερίας ἁπτόμενον, καὶ προγράφοντα τὴν ἐπιτιμίαν. *Fuge hoſtem & tyrannum foeneratorem, qui non Ignem & Aquam Medi more poſcit, ſed libertatem invadit tuam, & dignitatem ſuam proſtituit.* Verum cum Plutarchus (*a*) Γῆν καὶ Ὕδωρ ſcripſiſſet, facile imperitus librarius Γῆν mutavit in Πῦρ.

LXVII. Fallitur certe, quiſquis putat hac verborum formula Perſarum Reges imperaſſe, uti ſibi commeatus pararentur. Nec enim alio ſpectabat petitio iſta, quam ut hujuſmodi oblatis primitiis, ſeſe gentes eorum imperio, poteſtati, ſervitio, ſubjicerent. ARISTIDES in *Panathenaico. pag.* 127. *ſeq. Tom.* I. Καὶ προσέλεγον ἃ μηδεὶς ἂν ἀκούσαι· αἰτεῖν μὲν γὰρ ἔφασαν οὐδὲν τῶν ἀλλοτρίων, ἀλλ' ἀπαρχὰς Γῆς καὶ Ὕδατος· πάντων δ' εἶναι κύριος. *Et praefabantur ea, quae nemo praeter ipſum invenire poterat. Se enim nihil rerum alienarum petere ajebat, ſed tantum primitias Terrae & Aquae: omnium enim horum eſſe dominum.* LIVIUS *libr.* XXXV. *cap.* 17. *Initium ſemper per jus injuſta impetrandi fieri: niſi crederent, Perſas cum Aquam Terramque ab Lacedaemoniis petierunt, gleba terrae & hauſtu aquae eguiſſe.* Ac plane ARISTOTELES *Rhetor. lib.* II. *cap.* 23. §. 67. ſcribit: Ὅτι τὸ διδόναι Γῆν καὶ Ὕδωρ, δουλεύειν ἐστί. *Dare Terram & Aquam ſervire eſſe.* Unde HIMERIUS in *Polemarchico, pag.* 46. Terram & Aquam, quam Perſarum Reges poſcebant, δουλείας σύμβολα, *ſervitutis ſymbola*, appellat. STOBAEUS quoque, *Sermone* VII. *pag.* 93. ex *Theſeo*, Xerxem, Terram & Aquam, ceu ἀπαρχὰς τῆς λείας, id eſt praedae primitias, poſtulaſſe ſcribit. Ex quo apparet, non alia de cauſa, quam pro ſervitii indicio atque argumento illa poſtulata. Unde & eas civitates, quae Xerxi petenti Terram & Aquam denegarent, teſtatam reſponſis ſuis reliquiſſe, τὴν περὶ τῆς κοινῆς ἐλευθερίας σπουδήν, *ſtudium tuendae communis libertatis*, DIODORUS SICULUS *libr.* XI. *cap.* 3. *pag.* 405. (*St.* 243. *Rh.* 3.) ſcribit. Itaque Athenienſibus, Lacedaemoniiſque, libertatis tuendae ſtudioſiſſimis, atrox inſolenſque hujuſmodi Perſica poſtulatio ſumme ſemper diſplicuit. Uſque adeo enim colla huic Perſicae inſolentiae jugo ſummittere conſtanter detrectarunt, ut hujus rei ergo miſſos a Dario legatos, hi in puteum, illi in barathrum, contra jus gentium, abjecerint: quae res fecit, ut Xerxes ad eos ſolos ex cunctis Graeciae populis, hujuſmodi legationem non miſerit: quemadmodum HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 133. ſcribit his verbis: Ἐς δὲ Ἀθήνας καὶ Σπάρτην οὐκ ἀπέπεμψε Ξέρξης ἐπὶ Γῆς αἴτησιν κήρυκας, τῶνδε εἵνεκα· πρότερον Δαρείου πέμψαντος ἐπ' αὐτὸ τοῦτο, οἱ μὲν αὐτῶν, τοὺς αἰτέοντας ἐς τὸ βάραθρον· οἱ δ' ἐς φρέαρ ἐμβαλόντες (*b*), ἐκέλευον Γῆν καὶ Ὕδωρ ἐκ τούτων φέρειν παρὰ βασιλέα. τούτων μὲν εἵνεκα οὐκ ἀπέπεμψε Ξέρξης τοὺς αἰτήσοντας. ὅ τι δὲ τοῖσι Ἀθηναίοισι ταῦτα ποιήσασι τοὺς κήρυκας συνήνεικε ἀνεθέλητον γενέσθαι, οὐκ ἔχω εἶπαι, πλὴν ὅτι σφέων ἡ χώρη καὶ ἡ πόλις ἐδηιώθη· ἀλλὰ τοῦτο οὐ διὰ ταύτην τὴν αἰτίην δοκέω γενέσθαι. *Perſa autem neque Athenas, neque Spartam legatos Terram petitum miſerat, ob id, quod quos ante Darius ad hoc ipſum miſiſſet, eorum alios iſti in barathrum, alios in puteum dejecerant, jubentes eos illinc Terram & Aquam ferre ad regem. Hac de cauſa nullos illuc ad petendum miſit. Et Athenienſibus quidem, quod ita legatos tractarint, quid triſte contigerit, non queo dicere, niſi quod eorum ſolum cum urbe vaſtatum eſt: quod tamen ipſum non ea cauſa ſuſpicor contigiſſe.* ARISTIDES *Panathenaico, pag.* 122. *Tom.* I. de Athenienſibus, uti legatos illos Xerxis acceperint, ſcribit haec: Καὶ τοὺς μὲν δὴ ῥίπτουσιν εἰς τὸ βάραθρον, ἵν' αὐτοὶ ἀπαγγέλλοιεν τῷ βασιλεῖ τὰς ἀποκρίσεις, καὶ παρὰ τῶν πεμψάντων μὴ ἀκριβῶς μαθεῖν. *Et ſic projiciunt in barathrum, ut alii renunciarent regi reſponſum, nec id ab iis, quos miſerat, diſceret.* Injectam tamen poſtea Lacedaemoniis religionem, quod jus gentium, Perſicorum illorum legatorum caede, violaſſent, expiandique criminis cauſa, duos ex popularibus ſuis Sperthiem & Bulim, Xerxi dediſſe, qui in eos pro arbitrio animadverteret, HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 134. *ſeqq.* refert. Quod & STOBAEUS, Serm. VII. *pag.* 93. Theſei auctoritate confirmat: quibus ſeſe comitem SUIDAS in verbo Ξέρξης, addit.

LXVIII. Interpretem certe, Graecae Perſicaeque linguae peritum, eodemque legationis officio fungentem, Themiſtocles, plebiſciti auctoritate nixus, morte multavit. PLUTARCHUS in *Themiſtocle, pag.* 114. Ἐπαινεῖται δ' αὐτοῦ καὶ τὸ περὶ τὸν δίγλωσσον ἔργον, ἐν τοῖς πεμφθεῖσιν ὑπὸ βασιλέως ἐπὶ Γῆς καὶ Ὕδατος αἴτησιν. ἑρμηνέα γὰρ ὄντα συλλαβὼν, διὰ ψηφίσματος, ἀπέκτεινεν, ὅτι φωνὴν Ἑλληνίδα βαρβάροις προστάγμασιν ἐτόλμησε χρῆσαι. *Laudatur etiam id, quod egit cum interprete miſſo inter regios nuncios, ad petendam Terram & Aquam legatos. Hunc enim ex decreto comprehendit ac necavit, quod auſus eſſet Graecam linguam barbaricis mandatis ntendam dare.* Eadem & de Themiſtocle ARISTIDES *Orat. Platonica* II. *pag.* 184. *Tom.* II. memorat. Idem *Panathenaico, pag.* 122. *Tom.* I. hoc Athenſium plebiſcitum, adverſus Interpretem factum, ita celebrat: Τῷ δ' ἑρμηνεύοντι τὰ γράμματα, διὰ χειροτονίας μὲν ἀπέδοσαν, ὅτι, ἐπειδὴ παρ' Ἕλλησιν ὢν, ἴχνος τοῦτο τῶν ἀρίστης εἰκόνα· ἠπίσταντο δὲ καὶ τοῦτο, ὡς οὐδ' ἄχει φωνῆς διακονεῖν ἐξείργει τοὺς βαρβάρους, ἐν τῷ ἰσχυρῷ παραβάλλειν αὐτῷ. τὸ γὰρ τῆς πόλεως ἄπειπον, οὐκ ἄξιον ἐκ τῆς πόλεως ἐκ τῶν Ἑλλήνων, ἑρμηνεία τῷ φωνῇ πολεμίῳ χρῆσθαι. *Literarum interpretem populi ſuffragiis perimiſerunt, ut, quum Graecus eſſet, majorem haberet judicii imaginem. Interfecerunt* autem

(*a*) Guilielm. Xylander vertit; *Terram & Aquam.* Videtur ergo in ſuo codice non Πῦρ ſed Γῆν repeiiſſe, aut ſaltem Γῆν pro Πῦρ etiam legendum exiſtimaſſe, add. Freinshemius not. ad Curt. III, 10, 8. L. Lapſus hic, ſive ipſius Plutarchi, ſive librariorum, originem ſine dubio habuit ex formulis Romanorum, in quibus frequenter Aqua & Ignis conjunguntur. TR.

(*b*) Ἐμβαλόντες] ἐσβαλόντες ſubſtituit ex *MS. Med.* Gronovius, qui paullo poſt ἀπέπεμψε edidit pro ἀπέπεμψε. TR.

autem eum, quod ne voce quidem barbaris ſervire conveniens eſſet. Tamque atrox ei poena obtigit, quod domo abſentem, adverſus urbem atque Graecas, natura hoſti, interpretem eſſe nollent.

LXIX. Quinetiam cum Artaxerxes a Cois Hippocratem medicum ſibi dedi poſtulaſſet, denuntians exitium ipſis totique inſulae, ni juſſa patrarentur: illi ad minaces ejus literas reſcripſerunt, in hunc modum: Οὐ δώσουσιν Ἱπποκράτεα, οὐδ' εἰ μέλλοιεν ὀλέθρῳ τῷ κακίστῳ ἀπολέσθαι· καὶ γὰρ Δαρεῖος καὶ Ξέρξης (a), ἀπὸ πατέρων ἐπιστολὰς γράψαντες, Γαῖαν καὶ Ὕδωρ αἰτέοντες, οὐκ ἔδωκεν ὁ δῆμος, ὁρέων αὐτοὺς ὁμοίως τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις θνητοὺς ἐόντας, ἐπ' αὐτοὺς ἰόντας. *Non dabunt Hippocratem, etiamſi peſſima morte ſint interituri. Nam quum Darius & Xerxes epiſtolas ſcripſiſſent, & Terram ac Aquam a patribus noſtris petiiſſent, populus non dedit: quum eos ipſos ſe impetentes, neque ac alios homines, mortales eſſe videret.* Quae ego ex mutuis Artaxerxis & Inſulanorum illorum epiſtolis, quae inter Hippocratis epiſtolas ſunt relatae (b), ſumpſi.

LXX. Modeſtius vero ſeſe erga Alexandrum, Amyntae Regis Macedonum filium, Athenienſes geſſerunt. Eum enim a Mardonio, ad Terram & Aquam petendam, miſſum, ſevera comminatione caſtigatum, urbe protinus excedere juſſerunt, quemadmodum HARPOCRATION in ejuſdem Alexandri nomine ſcribit his verbis (c): Ἐπρεσβεύετο δὲ ὑπὸ Μαρδονίου, ἀφ' οὗ καὶ ἐπέμφθη ἐπὶ Γῆς καὶ Ὕδατος αἴτησιν πρὸς Ἀθηναίους. οἱ δὲ οὐχ ὅπως αὐτῷ προσέσχον τὸν νοῦν, ἀλλὰ καὶ σφόδρα ἀπειλήσαντες, ἀπεπέμψαν. *A Mardonio, ſub quo merebat, miſſus fuit ad Athenienſes, ut Terram & Aquam poſtularet: qui non ſolum animo non attenderunt, ſed ſevera comminatione caſtigatum urbe protinus excedere juſſerunt.* Quod ſignificat & LYCURGUS *contra Leocratem*, (inter *Oratt. veterum Oratorum, pag.* 156.) cum ait: Οὕτω γὰρ ἐφίλουν τὴν πατρίδα πάντες, ὥστε τὸν παρὰ Ξέρξου πρεσβευτὴν Ἀλέξανδρον, φίλον ὄντα αὐτοῖς πρότερον, ὅτι Γῆν καὶ Ὕδωρ ᾔτησε, μικροῦ δεῖν κατέλευσαν. *Adeo autem patriam diligebant omnes, ut ab Xerxe miſſum legatum Alexandrum, prius ipſis amicum, quando vero Terram & Aquam petiiſſet, propemodum lapidibus obruiſſent.* Eoſdem Athenienſes, HERODOTUS *libr.* v. *cap.* 73. narrat, ſocietatis & amicitiae cum Perſis jungendae cauſa, legatos ad Artaphernem Sardium Praeſidem miſiſſe: ad cujus aures, cum ne fando quidem Athenienſium nomen perveniſſet, quinam eſſent Athenienſes, & ubi gentium & locorum, ſciſcitatum: Ea re comperta, reſpondiſſe, ſi Dario Regi vellent dare Terram & Aquam, ſeſe quod petebant indulturum: ſin minus, illos excedere juſſit. Legati inter ſe collocuti, quod exoratores redire cuperent, qui oratores venerant, daturos ſe adnuerunt. Quo nomine eos, poſt reditum, acerbe graviterque incuſatos ait.

LXXI. Qui vero ejuſmodi poſtulatis parebant, Regis magni ſeſe poteſtati, imperio, dominatuique ſubjicientes, eum pro domino adgnoſcebant. Sic Amyntam, Macedonum Regem, Terram & Aquam petentibus Perſis conceſſiſſe, HERODOTUS *libr.* v. *cap.* 17. ſcribit his verbis: Μεγάβαζος δὲ ὡς ἐχειρώσατο τοὺς Παίονας, πέμπει ἀγγέλους ἐς Μακεδονίην, ἄνδρας ἑπτὰ Πέρσας, οἳ μετ' αὐτὸν ἐκεῖνον ἦσαν δοκιμώτατοι ἐν τῷ στρατοπέδῳ. ἐπέμποντο δὲ οὗτοι παρ' Ἀμύντην αἰτήσοντες Γῆν τε καὶ Ὕδωρ Δαρείῳ βασιλέϊ. *Paeonibus captis Megabazus nuncios in Macedoniam ſeptem Perſas, qui poſt eum erant in exercitu ſpectatiſſimi, miſit ad Amyntam, petituros regi Dario Terram & Aquam.* Et mox, *cap.* 18. Οἱ ὦν Πέρσαι οἱ πεμφθέντες οὗτοι παρὰ τὸν Ἀμύντην ὡς ἀπίκοντο, αἴτεον, ἐλθόντες ἐς ὄψιν τὴν Ἀμύντεω, Δαρείῳ βασιλέϊ Γῆν τε καὶ Ὕδωρ. *Eo Perſae ubi pervenere & in conſpectum Amyntae, ad quem mittebantur, regi Dario Terram & Aquam petiere.* Inſulanos quoque idem illi obſequium exhibuiſſe, idem HERODOTUS *libr.* VI. *cap.* 49. ita refert: Οἵ τε δὴ ἄλλοι νησιῶται διδοῦσι Γῆν τε καὶ Ὕδωρ Δαρείῳ, καὶ δὴ καὶ Αἰγινῆται. *Cum reliqui Inſulani dedere Terram & Aquam Dario, tum vero & Aeginetae.* Gelonem etiam, Syracuſanorum tyrannum, idem HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 163. narrat, ubi primum audiit, Xerxem Helleſpontum trajeciſſe, Cadmum Coum Delphos cum ingenti pecuniae vi miſiſſe, qui dubium pugnae expectaret eventum, mandataque ei dediſſe hujuſmodi, ut ſi quidem Xerxes ſuperior diſcederet, τά τε χρήματα αὐτῷ διδόναι, καὶ Γῆν τε καὶ Ὕδωρ, τῶν ἄρχει ὁ Γέλων· ἢν δὲ οἱ Ἕλληνες, ὀπίσω ἀπάγειν. *Et pecuniam traderet Terramque & Aquam eorum locorum, quibus Gelon imperaret; ſin Graeci, rurſus pecuniam reportaret.* Thebanos etiam Γῆν καὶ Ὕδωρ ἐν πρώτοισι dediſſe Xerxi, idem *eod. libro cap.* 233. ait.

LXXII. Porro de numero copiarum Xerxis mira, & quae fidem humanam excedant, ab HERODOTO referuntur. Graviſſimum tamen adſertorem adſtipulatoremque habet DIODORUM SICULUM. Is enim *libr.* II. *cap.* 5. *pag.* 117. *ſeq.* (*St.* 66. *Rh.* 93.) ex *Cteſia*, in exercitu, quem Semiramis (d) adverſus Bactrianos comparavit, fuiſſe ſcribit: Πεζῶν μὲν ρο΄ μυριάδες, ἱππέων δὲ μιᾷ πλείους τῶν εἴκοσι μυριάδων, ἅρματα δὲ δρεπανηφόρα μικρὸν ἀπολείποντα τῶν μυρίων ἑξακοσίων. *decies ſepties centena peditum, & ducenta ac decem equitum, decemque curruum falcatorum millia, cum paulo minus ſexcentis.* Ac deinde adjicit: Ἔσται μὲν οὖν ἄπιστον τοῖς ἀκούουσι τὸ πλῆθος τῶν ῥηθέντων· οὐ μὴν ἀδύνατόν γε φανεῖται τοῖς ἀναθεωροῦσι τὸ τῆς Ἀσίας μέγεθος, καὶ τὸ πλῆθος τῶν κατοικούντων αὐτὴν ἐθνῶν. εἰ γάρ τις (ἀφεὶς τὴν ἐπὶ Σκύθας Δαρείου στρατείαν μετὰ ὀγδοήκοντα μυριάδων, καὶ τὴν Ξέρξου διάβασιν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα τοῖς ἀναριθμήτοις πλήθεσι) τὰς χθὲς καὶ πρῴην συντελεσθείσας πράξεις ἐπὶ τῆς Εὐρώπης σκέψαιτο, τάχιον ἂν πιστὸν ἡγήσαιτο τὸ ῥηθέν. *Incredibilis ſane his, qui dehinc audient, copiarum numerus: ſed nequaquam impoſſibilis videbitur illis, qui magnitudinem Aſiae, nationumque in ea multitudinem conſiderent. Si quis enim (omiſſa Darii in Scythas cum octingentis millibus expeditione, & Xerxis tranſitu in Graeciam cum innumerabili hominum turba) res heri, (ut ajunt) & nudius tertius in Europa geſtas intueatur, facilius jam dictis fidem adhibebit.* AEMILIUS PROBUS in *Themiſtocle, cap.* 2. § 4. *Nam cum Xerxes & mari & terra bellum univerſae inferret Europae, cum tantis eam copiis invaſit, quantas neque antea, neque poſtea habuit quiſquam.* Xerxis autem exercitum reliquas omnes, quotquot unquam coactae fuerunt, copias ſuperaſſe,

(a) Ἀπὸ πατέρων etiam Baſil. ed. ſed malet forte quis ἐπὶ - ut ſit, *patrum noſtrorum tempore.* S.

(b) RELATAE] Ego tamen hanc Epiſtolam neque in editione *Eilh. Lubini*, neque in editione *Epiſtoll. Graec.* quae *Aureliae Allobr.* 1606. *fol.* prodiit, inter Epiſtolas Hippocratis reperire potui. TR.

(c) VERBIS] Adde HERODOTUM *lib.* VIII. *cap.* 143. TR.

(d) SEMIRAMIS] Immo de Nino hoc refert Diodorus. TR.

raſſe, HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 20. ita ſcribit Ἀπὸ γὰρ Αἰγύπτου ἁλώσιος, ἐπὶ μὲν τέσσερα ἔτεα πλήρεα παραρτέετο στρατιήν τε καὶ τὰ πρόσφορα τῇ στρατιῇ. πέμπτῳ δὲ ἔτεϊ ἀνομένῳ ἐστρατηλάτεε χειρὶ μεγάλῃ πλήθεος. στόλων γὰρ τῶν ἡμεῖς ἴδμεν πολλῷ δὴ μέγιστος οὗτος ἐγένετο. ὥστε μήτε τὸν Δαρείου τὸν ἐπὶ Σκύθας παρὰ τοῦτον μηδὲν φαίνεσθαι, μήτε τὸν Σκυθικόν, ὅτε Σκύθαι Κιμμερίους διώκοντες ἐς τὴν Μηδικὴν χώρην ἐμβαλόντες (*a*). *Siquidem a debellata Aegypto per totum quadriennium comparaverat exercitum & ejus apparatum, quinto autem anno ineunte movit cum ingenti copiarum manu. Nam omnium, quos novimus, exercituum, hic multo maximus extitit: adeo ut ad eum nihil fuiſſe videatur aut ille Darianus, qui adverſus Scythas ductus eſt, aut ille Scythicus, qui Cimmerios inſequens Medicam regionem invaſit.* Denique neque Darii, neque Scytharum in Aſiam, neque Graecorum adverſus Ilium copias, neque alios alis adjectos exercitus cum uno hoc Xerxis conferri poſſe. At in numero harum Xerxis copiarum veteres auctores variant. HERODOTUS quidem certe *libr.* VII. *pag.* 185. poſt ſubductam ſingularum, quae ex diverſis gentibus comparatae erant, copiarum rationem, ſummam facit bellatorum his verbis: Γίνονται ἀνδρῶν αἱ πᾶσαι μυριάδες διηκόσιαι, καὶ ἑξήκοντα καὶ τέσσαρες. ἐπὶ δὲ τούτοισι ἑκατοντάδες ἑκκαίδεκα καὶ δεκάς *Fiunt in ſumma virorum bellatorum myriades ducentae ſexaginta quatuor, & praeterea mille, ſexcenti & decem.* Lixas vero & calones, & aliam bello inutilem turbam, numero aequaſſe bellatricem illam multitudinem, quaeque navibus frumentariis & oneraris impoſita erat, ait. (*cap.* 186.) Unde concludit, Xerxem in exercitu ſuo habuiſſe πεντακοσίας τε μυριάδας, καὶ εἴκοσι καὶ ὀκτώ, καὶ χιλιάδας τρεῖς, καὶ ἑκατοντάδας δύο, καὶ δεκάδας δύο ἀνδρῶν. *Quingentas & viginti octo myriadas: & tria millia, ducentos & viginti viros.* At ſecundum CTESIAM, *cap.* 23. Xerxis exercitus ex millibus octingentis conſtabat, praeter Currus. Ait enim fuiſſe, ἄνευ τῶν ἁρμάτων, ὀγδοήκοντα μυριάδας. Ad quem numerum proxime accedit PLINIUS *libr.* XXXIII. *cap.* X. de Pithio Bithyno loquens hoc modo: *Xerxis copias, hoc eſt ſepties centena* LXXXVIII *millia hominum, excepit epulo.* Paulo plures fuiſſe Xerxis copias, DIODORUS SICULUS *libr.* XI. *cap.* 3. *pag.* 406. (*St.* 243. *Rh.* 3.) ita ſcribit: ἠθροίσθησαν δὲ τῆς πεζῆς δυνάμεως μυριάδες πλείους τῶν ὀγδοήκοντα. *Pedeſtrium copiarum numerabantur plures octoginta myriadibus.* Idem DIODORUS alias eodem *lib. cap.* 5. *pag.* 407. (*St.* 245. *Rh.* 5.) de Xerxe: Μετεπέμψατο τοὺς ἀπὸ τῆς Εὐρώπης συμμάχους, οὐ πολὺ λείποντας τῶν κ' μυριάδων· ὥστε ἔχειν αὐτὸν τοὺς σύμπαντας οὐκ ἐλάττους τῶν ρ' μυριάδων, χωρὶς τῶν ναυτικῶν δυνάμεων. ὁ δὲ σύμπας ὄχλος ὁ τε ἐν ταῖς μακραῖς ναυσὶν ὤν, καὶ ὁ τὴν ἀγορὰν καὶ τὴν ἄλλην παρασκευὴν κομίζων, οὐκ ἐλάττων ἦν τῶν προειρημένων. *Europaeos quoque ſocios accerſit ducentis millibus non multo pauciores, ita, ut praeter navales copias, non minus decies centenis millibus ſub ſignis haberet. Univerſa autem turba, cum quae in longis navibus erat: tum quae res venales & cetera impedimenta vectabat, ſuperiori numero non inferior cenſebatur.* ISOCRATES in *Panathenaico*, *pag.* 576. in Xerxis exercitu fuiſſe, τῆς πεζῆς στρατιᾶς πεντακοσίας μυριάδας τὸ πλῆθος, ἑβδομήκοντα δὲ τὰς μαχίμων. *Pedeſtris exercitus quinquies millies millia univerſorum, ſepties centena millia bellicoſorum.* PLUTARCHUS (*b*) in *Parallelis*, *pag.* 305. Ξέρξης μετὰ πεντακοσίων μυριάδων Ἀρτεμισίῳ προσορμισάμενος. *Xerxes cum quinquies millies millibus ad Artemiſium appulit.* At AEMILIUS PROBUS in *Themiſtocle*, *cap.* 2. §. 5. *Terreſtres autem exercitus ſeptingentorum milium peditum, equitum quadringentorum milium fuerunt.* JUSTINUS *lib.* II. *cap.* 10. §. 18. *ſeq. Jam Xerxes ſeptingenta millia de regno armaverat, & trecenta millia de auxiliis: ut non immerito proditum ſit, flumina ab exercitu ejus ſiccata, Graeciamque omnem vix capere exercitum ejus potuiſſe.* DIONYSIUS HALICARNASS. *libr.* XI. *pag.* 684. Ἐνίκησαν Ἀθηναῖοί τε καὶ Λακεδαιμόνιοι, δυσὶ ναυμαχίαις, καὶ πεζομαχίᾳ μιᾷ, καθηγησάμενοι τὸν βάρβαρον, τριακοσίας ἄγοντα μυριάδας, οὔτε σὺν αὐτοῖς τοῖς συμμάχοις οὐ πλείους ὄντας ἕνδεκα μυριάδων. *Athenienſes & Lacedaemonii duobus praeliis navalibus & uno pedeſtri vicerunt, regemque barbarum tricies centena millia ducentem debellarunt, cum ipſorum & ſociorum copiae non excederent centum & decem millia.* PLUTARCHUS in *Parallelis*, *pag.* 305. Ξέρξης μετὰ πεντακοσίων μυριάδων Ἀρτεμισίῳ προσορμισάμενος. *Xerxes cum quinquies millies millibus ad Artemiſium appulit:* Et aliss eod. *libr. pag.* 306. Περσῶν μετὰ πεντακοσίων μυριάδων ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα ἐρχομένων. *Cum Perſae cum quinquies millies millibus adverſus Graeciam veniſſent.*

LXXIII. Quod autem ad Xerxis claſſem attinet eam mille navium fuiſſe, AESCHYLUS in *Perſis v.* 341. ſcribit: quo potiſſimum teſte, ut exploratae fidei, & aequali temporum illorum, PLUTARCHUS in *Themiſtocle pag.* 119. utitur, his verbis: Περὶ δὲ τοῦ πλήθους τῶν βαρβαρικῶν νεῶν, Αἰσχύλος ὁ ποιητής, ὡς ἂν εἰδὼς καὶ διαβεβαιούμενος, ἐν τραγῳδίᾳ Πέρσαις λέγει ταῦτα.

> Ξέρξῃ δὲ (καὶ γὰρ οἶδα) χιλιὰς μὲν ἦν
> Νεῶν τὸ πλῆθος· αἱ δ' ὑπέρκομποι τάχει
> (*c*) Ἑκατὸν δὶς ἦσαν, ἑπτά θ'.

De numero navium barbaricarum Aeſchylus, ut re ſibi comperta, in Tragoedia, cui Perſae titulus eſt, ita affirmat:

> *Naves fuiſſe mille Xerxi cognitum eſt*
> *Mihi: quae celeritate ſed anteirent ceteras*
> *Numero fuiſſe bis centum & ſeptem ſcio.*

Cui conſentiens CTESIAS *cap.* 73. de Xerxe ſcribit haec: τριήρεις χιλίας ἔλαυνεν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα, ζεύγνυς τὴν Ἄβυδον. *Triremes duxit adverſus Graeciam mille, jungens ponte Abydum.* Secundum quae CICERO *libr.* I. *Accuſ. in Verrem*, *cap.* 18. Xerxem *mille numero navium claſſem ad Delum appuliſſe* ſcribit. Alii ducentas praeterea addunt, in quibus princeps HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 184. ἐκ τῶν νεῶν τῶν ἐκ τῆς Ἀσίας ἐουσέων ἑπτὰ καὶ διηκοσίων καὶ χιλιέων. *Mille ducentarum ſeptem ex Aſia navium.* ISOCRATES in *Panathenaico*, *pag.* 576. καὶ Ξέρξου τοῦ τότε βασιλεύοντος τριήρεις μὲν συναγαγόντος διακοσίας καὶ χιλίας. *Cum Xerxes, qui tum regnabat, triremes mille & ducentas coëgiſſet.* Idem in *Panegyrico*, *pag.* 138. de

(*a*) Ἐμβαλόντες] Ego addidi hoc verbum ad ſenſum ſupplendum ex editis. TR.

(*b*) PLUTARCHUS] Quia auctor in *Appendice* eundem hunc locum paullo poſt, cum alio loco, iterum adſcribere jubet: mens ejus ſine dubio fuit, ut hic deleatur. Sylburgius vero bis poſuit, quem ſequitur Lederlinus. Nos quidem in textu nihil mutare, lectorem tamen ea de re admonere voluimus. TR.

(*c*) Integer verſus apud Aeſchylum ſic habet,

> Ἑκατὸν δὶς ἦσαν ἑπτά θ'· ὧδ' ἔχει λόγος.

& praeced. verſu, Ὧν ἦγε πλῆθος: edit. Stephan. p. 146. b.

de Xerxis copiis: Περσῶν δὲ τριήρεσι διακοσίαις καὶ χιλίαις, καὶ τοῖς πεζοῖς στρατιαῖς ἀναριθμήτοις μελλόντων εἰς τὴν Ἀττικὴν εἰσβάλλειν. *Cum triremes mille ac ducentae appellerent, terreſtres vero copiae innumerabiles in Atticam irrupturae eſſent.* Diodorus Siculus *libr.* xi. *cap.* 3. *pag.* 406. (*St.* 243. *Rh.* 3.) αἱ δὲ σύμπασαι μακραὶ πλείους τῶν χιλίων καὶ διακοσίων. *Naves longae in univerſum ſupra mille ducentas.* Aemilius Probus in *Themiſtocle*, *cap.* 2. §. 5. *Hujus enim claſſis mille & ducentarum navium longarum fuit; quam duo millia onerariarum ſequebantur.* At Justinus *lib.* ii. *cap.* 10. §. 20. de Xerxe: *Naves quoque decies centum millia* (*a*) *numero habuiſſe dicitur.* Unde fabulis adnumerari non debere, Diodorus Sicul. *libr.* xi. *cap.* 5. *pag.* 407. *ſeq.* (*St.* 245. *Rh.* 5.) cenſet, quae de Xerxe referuntur: Ὅτι μηδὲν, ait, ἄπιστον εἶναι τὸ λεγόμενον ὑπὲρ τοῦ πλήθους τῶν ὑπὸ Ξέρξου συναχθέντων. φασὶ γὰρ τοὺς ἀενάους (*b*) ποταμοὺς διὰ τὴν τοῦ πλήθους συνέχειαν ἐκλιπεῖν, τὰ δὲ πελάγη ταῖς τῶν νεῶν ἱστίοις καλυφθῆναι. μεγίσται μὲν οὖν δυνάμεις τῶν εἰς ἱστορικὴν μνήμην παραδεδομένων αἱ μετὰ Ξέρξου γενόμεναι παραδίδονται. *Quare minime utique miranda ſunt ea, quae de multitudine hominum a Xerxe coactorum memorantur. Fluvios enim perennes aſſiduo multitudinis exhauſtu deſiccatos, & maria velorum obtentu contecta fuiſſe perhibent. Exercituum igitur, quos ulla unquam hiſtoriarum monumenta recenſent, a Xerxe ductati omnium maximi fuiſſe, traduntur.* Et alias idem, *eod. libr. cap.* 2. *pag.* 404. (*St.* 243. *Rh.* 2.) Τὴν δὲ στρατιὰν διελόμενος, ἐξαπέστειλε τοὺς ἱκανοὺς ζεῦξαι μὲν τὸν Ἑλλήσποντον (*c*) διασκάψαι δὲ τὸν Ἄθω κατὰ τὸν αὐχένα τῆς Χερρονήσου· ἅμα μὲν (*d*) ταῖς δυνάμεσι ἀσφαλῆ καὶ σύντομον τὴν διέξοδον ποιούμενος, ἅμα δὲ τῷ μεγέθει τῶν ἔργων ἐλπίζων (*e*) προκαταπλήξαι τοὺς Ἕλληνας. οἱ μὲν οὖν πεμφθέντες ἐπὶ τὴν κατασκευὴν τῶν ἔργων, ταχέως ἤνυον, διὰ τὴν πολυχειρίαν τῶν ἐργαζομένων. *Partito inde exercitu, partem quae ad jungendum ponte Helleſpontum, partem quae ad perfodiendum Athon montem in Cherſoneſi Iſthmo ſufficeret, emittit; cum ut tutum exercitibus & quam breviſſimum pararet tranſitum: tum ut operum magnitudine, prout ſperabat, Graecos perterrefaceret. Ad hoc ergo expediendum miſſi, quod plurimarum operae manuum conjunctae erant, ſtatim opus confecere.* Quo pertinent haec Aristotelis *lib.* iii. *cap.* 9. §. 27. *Rhetorices* verba: Πλεύσας μὲν διὰ τῆς ἠπείρου, πεζεύσας δὲ διὰ τῆς θαλάττης· τὸν μὲν Ἑλλήσποντον ζεύξας, τὸν δ᾽ Ἄθω διορύξας. *Navigare per continentem, pedibus mare ambulare: Helleſpontum quidem ponte jungens, Athon vero perfodiens.* Sic Lysias in *Epitaphio*, (ſive *Orat. funebri in Corinthiorum ſocios*) *pag.* 46. (193. *al.* 92.) Ἐξὸν γὰρ αὐτῷ χιλίαις ναυσὶ διαβιβάσαι κατὰ τὸ στενότατον τοῦ Ἑλλησπόντου τὴν πεζὴν στρατιὰν ἐκ τῆς Ἀσίας εἰς τὴν Εὐρώπην, οὐκ ἠθέλησεν, ἡγούμενος τὴν διατριβὴν αὐτῷ πολλὴν ἔσεσθαι· ἀλλ᾽ ὑπεριδὼν καὶ τὰ φύσει πεφυκότα, καὶ τὰ θεῖα πράγματα, καὶ τὰς ἀνθρωπίνας διανοίας, ὁδὸν μὲν διὰ τῆς θαλάττης ἐποιήσατο, πλοῦν δὲ διὰ τῆς γῆς ἠνάγκασε γενέσθαι· ζεύξας μὲν τὸν (*f*) Ἑλλησπόντον, διορύξας δὲ τὸν Ἄθω. *Cum liceret ipſi mille navibus pedeſtres copias fretum Helleſponticum traducere ex Aſia in Europam, noluit, morae diuturnitatem ſibi taedio fore arbitratus: ſed contemta rerum natura, contemtis divinis operibus & humanis conſiliis, viam per mare fecit; & navibus viam per terram fieri coegit; cum Helleſponto ponte conſtrato, tum Athone monte perfoſſo.* Cicero *libr.* ii. *de Finibus*, *cap.* 34. *Ut ſi Xerxes cum tantis claſſibus, tantiſque equeſtribus & pedeſtribus copiis, Helleſponto juncto, Athone perfoſſo, maria ambulaviſſet, terramque navigaſſet: ſi cum tanto impetu in Graeciam veniſſet: cauſam ejus quis ex eo quaereret.* Justinus *lib.* ii. *cap.* 10. §. 24. de Xerxe: *Denique ante experimentum belli, fiducia virium, veluti naturae ipſius dominus, & montes in planum deducebat, & convexa vallium aequabat, & quaedam maria pontibus ſternebat, quaedam ad navigationis commodum per compendium ducebat.* Manilius *Aſtronomicῶn libro* iii. *v.* 19.

—— —— Nec Perſica bella profundo
Indicta, & magna pontum ſub claſſe latentem,
Immiſſumque fretum terris, iter aequoris undis.

Isocrates in *Panegyrico*, *pag.* 136. de Xerxe: Ὥστε τῷ στρατοπέδῳ πλεῦσαι μὲν διὰ τῆς ἠπείρου, πεζεῦσαι δὲ διὰ τῆς θαλάττης· τὸν μὲν Ἑλλήσποντον ζεύξας, τὸν δὲ Ἄθω διορύξας. *Ut cum exercitu continentem navigarit, pedibus mare ambularit; cum Helleſponto ponte juncto, tum Athone monte perfoſſo.* Plutarchus περὶ εὐθυμίας, *de animi tranquillitate*, *pag.* 470. Ὅταν διαβαίνοντα τὴν σχεδίαν μακαρίσῃς τὸν Ξέρξην ἐκεῖνον, ὡς ὁ Ἑλλησπόντιος, ἴδε καὶ τοὺς ὑπὸ μάστιξι διορύττοντας τὸν Ἄθω, καὶ τοὺς ἀποτετμημένους ὦτα καὶ ῥῖνας ἐπὶ τῷ διαλυθῆναι τὸ ζεῦγμα. *Cum Xerxem illum rati mare tranſeuntem cum Helleſpontio illo beatum praedicabis, inſpice etiam eos, qui flagellis urgentibus Atho montem perfodiunt, & quibus ob ruptum fluctibus pontem, aures nareſque amputantur.* Himerius in *Polemarchico*, *pag.* 45. Ὤφθη τότε πάσης ἐλπίδος κρείττονα θαύματα, ἵππος καθ᾽ Ἑλλήσποντον Μηδικὸς, καὶ δι᾽ Ἄθω μέσου στόλος τριήρων πομπευόμενος· ἀπείχετο δὲ ὁ Ξέρξης οὐδὲ οὐρανοῦ τοῖς τολμήμασιν, ἀλλὰ μετῄει καὶ μετεπήδα τοῖς θαύμασιν ἀπὸ θαλάσσης εἰς ἤπειρον, ἀπὸ γῆς εἰς οὐρανὸν, καὶ ἐπείγετο ἐπὶ τὸν ἥλιον (*g*). τῷ μὲν γὰρ τοξεύων τὸ φῶς ἀπέκρυπτεν, τὸ δὲ πλεῖν τὴν φύσιν ἤμειβεν, τὸ δὲ πεζεύειν τὴν χρείαν ἤλεγχεν· καὶ στόλου πελάγη μὲν ὑπὸ τριήρων, κρυπτόμενα, στρατόπεδα τῆς ἀριθμοῦ φύσεως κρείττονα, ἴδοι δὲ θάλατταν δαπάνης ἥττονα. *Viſa tum ſunt omni ſpe miracula majora, equitatus Medicus in Helleſponto, perque montem Atho tranſmiſſa triremium claſſis: quin nec coelo abſtinuit Xerxis audacia, verum tranſiit tranſiliitque cum miraculis ſuis a mari in continentem, a terra in coelum, & inde ad ſolem; cujus lucem ſagittis abſcondebat; terrae quidem naturam, in ea navigando, invertebat; maris vero uſum, illud pedibus tranſeundo, inutilem arguebat: ut maria triremibus contecta, exercitus naturae numerum excedentes,*

(*a*) Millia] At quia hic numerus omnem fidem excedit: hinc recentiores editores emendarunt: *Naves quoque mille ducentas numero* &c. vide *Interpp. h. l.* TR.

(*b*) Ἀενάους] ἀενάους emendat *Cl. Weſſeling* ex *Cod. MS.* TR.

(*c*) Διακόψαι habebat prior editio, pro quo ex edit. Diodor. διασκάψαι reſcripſi. L. Eſt ſine dubio vitium typographicum in Sylburgii editione: nam prima auctoris ed. habet διασκάψαι. TR.

(*d*) Μὲν] Haec particula, cum deinde ſequenti δὲ, non legitur in editione noviſſima. TR.

(*e*) Aoriſtum προκαταπλήξαι pro futuro poſitum, ut infra quoque [§. xciv.] p. 348. participium προσβαλών. S.

(*f*) Ἑλλησπόντον, per παράθεσιν dictum, retento accentu: at Ἑλλησπόντιον paulo ſuperius in loco Ariſtot. per compoſitionem. haec enim, accentum mutare ſolet; illa, retinere. S. Ἑλλήσποντον legitur in recentiſſima editione. TR.

(*g*) Καὶ ἐπείγετο ἐπὶ τὸν ἥλιον] Haec lectio eſt ex editione Sylburgii: nam in prima editione auctoris legitur: ἐπείγετο ὡς ἥλιον: & ita quoque in *ed.* H. *Stephani* inveni. Placet tamen Sylburgii lectio, undecumque eam hauſerit. TR.

tes, integraſque gentes praebendis coenae ſumptibus impares taceam. Interpres AESCHYLI in *Perſas*, v. 71. de Xerxe; ἐζεύγνυσι γὰρ τὸ ἑπταστάδιον τῆς θαλάσσης ταῖς ναυσὶ συνδήσας, καὶ γῆν ἐπιβαλὼν ἄνωθεν, ὡς ὁδὸν ποιῆσαι ἐπὶ τῶν νεῶν. *Navibus calligatis mare ſeptem ſtadiorum ponte junxit, & injecta deſuper terra, ſemitam in navibus fecit.* STRABO libr. IX. pag. 605. (395.) καὶ ὁ εἰς Σαλαμῖνα πορθμὸς ὅσον διστάδιος, ὃν διαχοῦν ἐπειρᾶτο Ξέρξης· ἔφθη δὲ ἡ ναυμαχία γενομένη, καὶ ἡ φυγὴ τῶν Περσῶν. *Et trajectus in Salaminem duorum circiter ſtadiorum, quem cum aggere ingeſto complanare Xerxes conaretur, navali praelio, ſuorumque fuga praeventus fuit.* SUETONIUS in *Caligula cap.* XIX. de ponte, quo Caligula Bajarum medium intervallum, & Puteolanas moles, trium millium & ſexcentorum fere paſſuum, ponte conjunxit, contractis undique onerariis navibus, & ordine duplici ad ancoras collocatis, ſuperjectoque aggere terreno, ac directo in Appiae viae formam, *Scio*, ait, *pleroſque exiſtimaſſe, talem a Cajo pontem excogitatum, aemulatione Xerxis, qui non ſine admiratione aliquanto anguſtiorem Helleſpontum contabulaverit.* Sane cum inchoatum hunc pontem ingens orta tempeſtas ſolviſſet abrupiſſetque, inde ira ſuccenſus Xerxes, quemadmodum HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 35. ſcribit, τὸν Ἑλλήσποντον ἐκέλευσε τριηκοσίας (33) ἐπεικέσθαι μάστιγι πληγάς, καὶ κατεῖναι ἐς τὸ πέλαγος πεδέων ζεῦγος. *Juſſit trecenta Helleſponto verbera infligi, & in ejus pelagus par compedum demitti.* VALERIUS MAXIMUS *libr.* III. *cap.* II. *ext.* 3. *Gravem mari ac terrae Xerxem, nec fluminibus tantum terribilem, ſed Neptuno quoque compedes, & caelo tenebras minitantem.* SENECA *cap.* IV. *libr. in Sapientem non cadere injuriam: Quid tu putas, cum ſtolidus ille Rex multitudine telorum diem obſcuraſſet, ullam ſagittam in Solem incidiſſe? aut dimiſſis in profundum cathenis, Neptunum potuiſſe contingi?* PLUTARCHUS περὶ ἀοργησίας, *de cohibenda ira*, *pag.* 455. Ὁ δὲ Ξέρξης καὶ τῇ θαλάττῃ στίγματα καὶ πληγὰς ἐνέβαλε, καὶ πρὸς τὸ ὄρος ἐξέπεμψεν ἐπιστολάς, Ἄθω δαιμόνιε οὐρανομῆκες, μὴ ποίει ἐμοῖς ἔργοις λίθους μεγάλους καὶ δυσκατεργάστους· εἰ δὲ μή, τεμὼν ῥίψω σε εἰς τὴν θάλασσαν. *Xerxes autem & mari ſtigmata ac verbera ingeſſit, & ad montem literas miſit: Atho divine, coelum tangens vertice, noli meis operibus lapides facere magnos & intractabiles: alioqui te excisum in mare deturbabo.* MAXIMUS TYRIUS *Sermone* IV. (XX. *cap.* 8. *pag.* 243.) Ἀνίσταται ἡ Ἀσία, μαστιγοῦται ἡ θάλαττα, Ἑλλήσποντος ζεύγνυται, Ἄθως ὀρύττεται. *Evertitur Aſia, mare flagellatur, Helleſpontus ponte jungitur, Atho perfoditur.* SUIDAS in verbo Ξέρξης· διώρυξε καὶ τὸν Μακεδονικὸν ὄρος· ἔζευξε καὶ τὸν Ἑλλήσποντον τὸν μεταξὺ Σηστοῦ Ἀβύδου· διαλυθέντος δὲ ὑπὸ χειμῶνος μέρους, πέδας τε εἰς τὴν θάλασσαν καθῆκε, καὶ ἐμαστίγου τὸ ὕδωρ. *Perſodit & Atho montem Macedonicum, & Helleſpontum inter Seſtum & Abydum ponte junxit. Cum autem illius pontis pars a tempeſtate diſſoluta fuiſſet, compedes in mare demiſit, & aquam flagellavit.* Xerxes quoque inſolentiam ſuam teſtatam reliquit literis, ad Graeciae civitates miſſis; de quibus haec AESCHINES in *Cteſiphontem*, *pag.* 293. οὐχ ὁ μὲν τῶν Περσῶν βασιλεύς, ὁ τὸν Ἄθω διορύξας, ὁ τὸν Ἑλλήσποντον ζεύξας, ὁ γῆν καὶ ὕδωρ τοὺς Ἕλληνας αἰτῶν, ὁ τολμῶν ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς γράφειν, ὅτι δεσπότης ἐστὶν ἁπάντων ἀνθρώπων ἀφ' ἡλίου ἀνιόντος μέχρι δυομένου, νῦν οὐ περὶ τοῦ κύριος ἑτέρων εἶναι διαγωνίζεται, ἀλλ' ἤδη περὶ τῆς τοῦ σώματος σωτηρίας; *Nonne Perſarum rex, qui Atho perfodit, qui Helleſpontum ponte junxit, qui Terram & Aquam a Graecis poſtulavit, qui literis ſuis gloriari non dubitavit, ſe omnium hominum ab ortu ſolis uſque ad occaſum eſſe dominum; nunc non de dominatu in alios, ſed jam de ſui corporis ſalute certat?*

LXXIV. Hinc Lucullum, quod exciſo monte juxta Neapolim, majore impendio, quam villam aedificaverat, Euripum & maria admiſiſſet, a Pompejo magno *Xerxem togatum* appellatum, PLINIUS *libr.* I. *cap.* LIV. refert. VELLEJUS PATERCULUS *libr.* II. *cap.* 33. *Lucullus, ſummus alioqui vir, profuſae hujus in aedificiis, convictibuſque, & apparatibus luxuriae, primus auctor fuit: quem ob injectas moles mari, & receptum ſuffoſſis montibus in terras mare, haud infacete Magnus Pompejus Xerxem togatum vocare aſſueverat.* Xerxis (*b*) etiam inſolentiam arguit, quod ARISTIDES in *Panathen.* de eo loquens, ait: Καὶ τοῦτ μὲν τοῖς ὑπάρχοις ἐπήγγελλεν ἐπιμάζειν αὐτῷ τὰς πέδας ὑπερβαλεῖν (*c*), ἢ καθ' ὅσους ᾤετο τοὺς Ἀθηναίους εἶναι, ἵνα μηδεὶς ἄδετος αὐτῶν διαφύγοι, καὶ τῆς ὀργῆς ἀπολαύων, ὅσα ἐξῆν. *Idque praefectis parari juſſit, jam inde compedes injiciens, aut quotquot putabat eſſe Athenienſium, ne ullus eorum abſque vinculis aufugeret, etiam ſic irae ſuae, quantum licebat, indulgens.*

LXXV. De Cyri copiis, in ſua adverſus Babylonios expeditione, haec XENOPHON *libr.* VIII. παιδ. *pag.* 233. [*p.* 183.] ſcribit: Συνήγαγε στρατιὰν εἰς Βαβυλῶνα, καὶ λέγεται αὐτῷ γενέσθαι εἰς δώδεκα μὲν ἵππων μυριάδας, εἰς δισχίλια δὲ ἅρματα δρεπανηφόρα, πεζῶν δὲ εἰς μυριάδας ἑξήκοντα. *Exercitum Babylonem coëgit, habuiſſeque proditur ad centum viginti equitum millia, currus falcatos bis mille, peditum millia ſexcenta.*

LXXVI. Sane Darius, ut AEMILIUS PROBUS in *Miltiade cap.* 4. §. 1. ſcribit, cum ex Europa in Aſiam rediſſet, hortantibus amicis, ut Graeciam redigeret in ſuam poteſtatem, claſſem quingentarum Navium comparavit: eique Datin praefecit, & Artaphernem, hiſque ducenta peditum milia, & decem Equitum dedit. PLUTARCHUS in *Parallelis*, *pag* 305. Δᾶτις ὁ Περσῶν σατράπης μετὰ τριακοσίων μυριάδων εἰς Μαραθῶνα παραγενόμενος πεδίον τῆς Ἀττικῆς. *Datis Perſarum Satrapa poſtquam cum trecentis millibus in Marathonem campum Atticae veniſſet.* At Darium alterum, utroque adverſus Alexandrum praelio, in aciem cum quadringentis milibus Peditum, ac centum milibus Equitum proceſſiſſe, JUSTINUS *libr.* XI. *cap.* 9. §. 1. & *cap.* 12. §. 5. refert. Habuiſſe vero eum πεζοὺς μὲν περὶ ὀγδοήκοντα μυριάδας, ἱππεῖς δ' οὐκ ἐλάττους τῶν εἴκοσι μυριάδων. *Circiter octingenta peditum millia, equitum haud minus ducentis millibus*, DIODORUS SICUL. *libr.* XVII. *cap.* 53. *pag.* 202. (*St.* 290. *Rb.* 530.) ſcribit. At CURTIUS *libr.* IV. *cap.* 12. §. 13. *Summam*, ait, *totius*

(*a*) In ἐπεικέσθαι Jonica eſt aſpirationis detractio, ut & mox in κατεῖναι, pro ἐφικέσθαι & καθεῖναι. alioqui legi poſſet etiam ἐπικέσθαι, ut ἀφικέσθαι ſupra libr. II. §. 248. p. 418. per Jonicam dialyſin, pro ἐπικέσθαι & ἀφικέσθαι: ea nempe conſtructionis forma, qua Pauſanias Eliacis I. ἐπικείμενος κύριος τῇ κεφαλῇ. S.

(*b*) XERXIS] Immo ARISTIDES eo loco non de Xerxe, ſed de Dario loquitur. TR.

(*c*) Ὑπερβαλεῖν] In noviſſ. ed. legitur ὑπερβάλλειν; & poſt ὅσα inſeritur δεῖ, quam tamen particulam non in omnibus Codd. legi fatetur editor. Locus vero ita reddi tur: *Ducibus primum imperavit, ut compedes haberent paratas, aliquanto plures, quam pro numero Athenienſium, ne quis eorum non vinctus evaderet, in quo quidem iram ſuam, dum licebat, exercuit.* TR.

Digitized by Google

tius exercitus, ad Arbela, fuiſſe, *Equites quadraginta quinque milia: pedeſtris acies ducenta milia expleverat.* Arrianus *libr.* iii. *cap.* viii. *pag.* 115. ἐλέγετο δὲ ἡ πᾶσα στρατιὰ ἡ Δαρείου, ἱππεῖς μὲν ἐς τετρακισμυρίους (*a*), πεζοὺς δὲ ἐς ἑκατὸν μυριάδας, καὶ ἅρματα δρεπανηφόρα διακόσια· ἐλέφαντες δὲ οὐ πολλοί, ἀλλὰ ἐς πεντεκαίδεκα. *Univerſus Darii exercitus ferebatur eſſe, equitum quadraginta millia, peditum decies centena milia, currus falcati ducenti, elephanti non multi, at circiter quindecim &c.* Caeſa ſunt autem priore praelio, Peditum unum & ſexaginta milia, Equitum decem milia, capta quadraginta milia. Ex Macedonibos cecidere Pedeſtres cxxx. Equites cl. quemadmodum Juſtinus *lib.* xi. *cap.* 9. §. 10. ſcribit. Curtius *lib.* iv. *cap.* 16. §. 26. Ad Arbela *cecidere Perſarum, quorum numerum victores* (*b*) *inire potuerunt, milia* xl. *Macedonum minus quam* ccc. *deſiderati ſunt.*

LXXVII. At ubi ab iſtis Regalibus exercitibus diſceſſerimus, ampliſſimas, numero & multitudine militum, fuiſſe Equeſtres pedeſtreſque Tiſſaphernis, Praetoris Artaxerxis, quas Ageſilaus fudit, copias, Pausanias *Laconic.* ſive *lib.* iii. *c.* ix. *pag.* 226. adfirmat his verbis: Γενομένης δὲ πρὸς Τισσαφέρνην Σατράπην τῶν περὶ Ἰωνίαν μάχης ἐν (*c*) Ἑρμοῦ πεδίῳ, τήν τε ἵππον τὴν Περσῶν ἐνίκησεν ὁ Ἀγησίλαος, καὶ τὸ πεζὸν τότε πλεῖστον ἀθροισθὲν μετά γε τὸν Ξέρξου, καὶ ὅσον ἐπὶ Σκύθας Δαρεῖος καὶ ἐπὶ Ἀθήνας στρατός. *Poſtquam pugna cum Tiſſapherne Satrapa, ubi Joniae ſunt fines in Hermi campis, commiſſa fuiſſet, equeſtres ejus pedeſtreſque copias quantas neque Xerxes in Graeciam, neque Darius in Scythas atque Athenienſes eduxerat, Ageſilaus fudit & praelio ſuperavit.* Jam de Regibus Perſarum hoc Ammianus Marcellinus, ex ſuorum forte temporum moribus, adnotat. Regem Perſarum praeliis intereſſe non coactum. Verba ejus auctoris *libr.* xix. *cap.* 7. ſunt haec: *Rex enim ipſe Perſarum, qui nunquam adeſſe certaminibus cogitur, his turbinum infortuniis percitus, novo & nuſquam antea cognito more, praeliatoris militis ritu, proſiliit in confertos.* Priſcos vero Perſicos Reges praeliis praefuiſſe, manuſque cum hoſte conſeruiſſe, notius eſt, quam ut in eo probando longior conſumi debeat oratio (*d*). Darium utique, in duobus adverſus Alexandrum praeliis, ſublimem curru eminuiſſe, & *ſuis ad tuendum, & hoſtibus ad inceſſendum ingens incitamentum*, Curtius *lib.* iii. *cap.* 11. §. 7. & *lib.* iv. *cap.* 15. §. 24. refert. Acinace autem, ſcuto, atque arcu armatum fuiſſe Darium, ex eo colligere licet, quod Arrianus *libr.* ii. *cap.* xi. *pag.* 78. eum, relicto curru, ſcuto, atque arcu, profugiſſe, equiſque ſubinde mutatis elapſum, narrat. Eundemque Currum cum Arcu, in Alexandri poteſtatem veniſſe, Plutarchus in *Alexandro pag.* 675. ſcribit.

LXXVIII. Verum quem potiſſimum locum in acie Rex Perſarum teneret, inveſtigandi occaſionem praebet Alexander, qui admodum puer, Legatos Perſarum ad patrem miſſos, inter cetera, interrogaſſe fertur, πῶς τεταγμένος ὁ βασιλεὺς ἐν ταῖς μάχαις ἀγωνίζεται; *quo loco rex in praeliis pugnaret?* quemadmodum Plutarchus *libr.* ii. *de Alexandri Fortuna pag.* 342. refert. Sane Perſarum Rex in media acie ſtare ſolebat. Docet hoc Xenophon *libr.* i. Ἀναβάσ. *pag.* 265. [*p.* 209.] Cyrum enim ſategiſſe narrans, quid Rex in praelio ageret, addit: Καὶ γὰρ ᾔδει αὐτὸν, ὅτι μέσον ἔχοι τοῦ Περσικοῦ στρατεύματος· καὶ πάντες δὲ οἱ τῶν Βαρβάρων ἄρχοντες, μέσον ἔχοντες τὸ αὑτῶν, ἡγοῦνται, νομίζοντες οὕτω καὶ ἐν ἀσφαλεστάτῳ εἶναι, ἐὰν ᾖ ἡ ἰσχὺς αὐτῶν ἑκατέρωθεν ᾖ· καὶ εἴ τι παραγγεῖλαι χρῄζοιεν, ἡμίσει ἂν χρόνῳ αἰσθάνεσθαι τὸ στράτευμα. καὶ βασιλεὺς δὲ τότε μέσον ἔχων τῆς ἑαυτοῦ στρατιᾶς, ὅμως ἔξω ἐγένετο τοῦ Κύρου εὐωνύμου κέρατος. *Norat enim hunc mediam exercitus Perſici aciem obtinere: Nam & ceteri Barbarorum praefecti ſic ſuos ducebant, ut ipſi media in acie eſſent, quod ſe exiſtimarent hoc pacto quam tutiſſimo loca fore, ſi ex utraque parte robur ſuum haberent, & animadverſum iri duplo citius ab exercitu putarent, ſi quid imperandum neceſſario foret. Rex autem quanquam id temporis aciem ſuam mediam obtineret, tamen ultra Cyri cornu laevum erat.* Quem Xenophontis locum laudat Arrianus *libr.* ii. *c.* 8. *pag.* 74. αὐτὸς δὲ, inquiens, Δαρεῖος τὸ μέσον τῆς πάσης τάξεως ἐπεῖχε, καθάπερ νόμος τοῖς Περσῶν βασιλεῦσι τετάχθαι· καὶ τὸν νοῦν τῆς τάξεως ταύτης Ξενοφῶν ὁ τοῦ Γρύλλου ἀναγέγραφε. *Ipſe vero Darius medium aciei tenebat, Perſarum Regum in exercitus ordinatione veteri more obſervato, cujus quidem rei rationem Xenophon Grylli filius conſcripſit.* Idem *libr.* iii. *c.* 11. *pag.* 119. de Dario: Κατὰ τὸ μέσον δὲ, ἵνα ἦν βασιλεὺς Δαρεῖος, οἵ τε συγγενεῖς τοῦ βασιλέως ἐτετάχατο, καὶ οἱ μηλοφόροι Πέρσαι. *Ad medium, ubi Darius erat, ejus Cognati collocati erant, & Perſae melophori.* De Cyro quoque Xenophon *libr.* viii. παιδ. *pag.* 226. [*p.* 178.] Αὐτὸς μὲν δὴ, ait, πρῶτον μὲν ἐν μέσῳ κατεσκήνου τοῦ στρατοπέδου, ὡς τούτου τοῦ χωρίου ὀχυρωτάτου ὄντος. *Ac ipſe quidem primus caſtrorum in medio ſe collocabat, quod is locus eſſet quam munitiſſimus:* Idem *libr.* iv. παιδ. *pag.* 95. [*p.* 76.] de Cyro: αὐτὸς δὲ τὸ μέσον ἔχων, σὺν τοῖς Πέρσαις ἐπορεύετο. *Ipſe cum Perſis medium agmen tenens iter faciebat.*

LXXIX. Perſarum autem Reges, quanquam paratiſſimos milites ad praeliandum viderent, eos tamen ad pugnam militari more cohortabantur. Teſtimonio ſunt Darii orationes, quibus ille milites ſuos in procinctu hortatur, apud Curtium *libr.* iii. & iv. *cap.* 14. §. 9. *ſeqq.* Quinetiam Perſarum Reges, ubi in aciem copias eduxerant, priuſquam manum confererent cum hoſte, de fortitudine diſſerere ſolitos, Stobaeus *Serm.* xlii. *pag.* 294. ex Serino ita tradit: Περσῶν, inquiens, βασιλεῖς, πολεμεῖν μέλλοντες, περὶ ἀνδρείας διαλέγονται. *Perſarum reges, priuſquam bellum ineant, de fortitudine diſſerunt.*

LXXX. Sed jam inſtructa & ordinata acie, claſſicum canamus. Buccina belli ſignum e Tabernaculo Regia datum, Curtius *libr.* iii. *cap.* 3. §. 8. refert. Diodorus Siculus *libr.* xvii. *cap.* 33. *pag.* 184. (*St.* 579. *Rb.* 512.) τῶν δὲ σαλπιγκτῶν παρ' ἀμφοτέροις τὸ πολεμικὸν σημαινόντων. *Ut bellicum utrinque tubarum clangore intonuiſſet.*

Helio-

(*a*) Accuſ. πεζοὺς reſpicit ſeq. praepoſitionem ἐς: alioqui conſtructionis analogia poſtulat nomin. πεζοὶ vel πεζῶν. S.

(*b*) Freinſh. edit. *finire*, ſed Amſt. etiam, *inire*. L.

(*c*) Ἑρμοῦ habet cum Pauſaniae edit. etiam Stephanus Byz. ſed rectius cum Strabone legemus Ἕρμου, p. 722. quam lectionem Amaſaeus quoque in Pauſaniae verſione ſecutus eſt; nempe, *in Hermi fl. campis.* S. Adde ejuſdem *Sylburgii not.* ad *h. l.* TR.

(*d*) Oratio] Sed dici tamen poteſt (1) veteres illos reges ſponte, non coactos hoc feciſſe: (2) id quoque novum fuiſſe, quod ipſe rex, tanquam gregarius miles, in confertiſſimam hoſtium turbam ſe immiſerit. TR.

HELIODORUS *libr.* IX. *pag.* 434. ἤρχοντο δὲ ἀνατείναντες τὰ σημεῖα, καὶ τῶν μὲν Περσῶν διὰ σαλπίγγων (a), ῥόπτροις δὲ καὶ τυμπάνοις τῶν Αἰθιόπων τὴν μάχην ἐπισημαινόντων. *Cum autem ſigna utrinque concinerent, Perſico quidem exercitu tubis, malleis vero ac tympanis Aethiopibus ſignum pugnae dantibus.* Praeterea trucem & inconditum clamorem Perſas, ubi hoſtes in conſpectu erant, ſuſtuliſſe. CURTIUS *libr.* III. *cap.* 10. §. 1. indicat his verbis: *Jam inconſpectu, ſed extra teli jactum, utraque acies erat, cum priores Perſae inconditum & trucem ſuſtulere clamorem.* DIODORUS SICULUS *libr.* XVII. *l. c.* Οἱ Μακεδόνες πρῶτοι συναλαλάξαντες, πολὺ ἐξαίσιον ἐποίησαν· μετὰ δὲ ταῦτα τῶν βαρβάρων ἀντιφθεγξαμένων, συνήχησε μὲν ἡ σύνεγγυς ὀρεινὴ πᾶσα· τὸ δὲ μέγεθος τῆς βοῆς ὑπερῇρε τὴν προγεγενημένην κραυγήν, ὡς ἂν πεντακοσίων μυριάδων μιᾷ φωνῇ συνηχουσῶν. *Macedones primi excitato barritu clamorem ingentem edunt: dumque a barbaris ex adverſo reſponſatur, omnis regio montana in propinquo mugitum retorquet. Verum hujus vociferationis magnitudo priorem longe ſuperabat, quippe quam millia hominum quingenta ſimul extulerant.* Idem *libr.* XI. *cap.* 31. *pag.* 428. (*St.* 258. *Rh.* 24.) de Mardonio: Διέταξε τὴν δύναμιν ὅπως ποτὲ ἔδοξεν αὐτῷ συμφέρειν, καὶ μετὰ βοῆς ἀπήντησε τοῖς Ἕλλησιν. *Quam commodiſſimum ſibi viſum erat, aciem diſponit, & cum magno vociferatu Graecis occurrit.* Et *libr.* XVII. *cap.* 59. *pag.* 206. (*St.* 593. *Rh.* 534.) de his, qui Darium in acie circumdabant: Οὗτοι μετὰ πολλῆς βοῆς ἐπιβαλόντες τοῖς πολεμίοις. *Hi magno clamore in hoſtem irrumpentes.* AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIV. *cap.* 6. de praelio inter Perſas & Romanos commiſſo; *Cum undique ſolito more conclamaretur, virorumque alacritatem ſonantia claſſica juvarent.* Cyrum tamen Paeanem ad committendam pugnam exorſum, XENOPHON *libr.* VII. παιδ. *pag.* 176. [*p.* 140.] ita ſcribit: Ἡνίκα δ' ἔδοξε τῷ Κύρῳ καιρὸς εἶναι, ἐξῆρχε παιᾶνα· συνεπήχησε δὲ πᾶς ὁ στρατός· μετὰ δὲ τοῦτο τῷ Ἐνυαλίῳ τε ἅμα ἐπηλάλαξαν. *Cum autem Cyro jam opportunum videretur, paeanem exorſus eſt, & exercitus univerſus accinuit. Deinde Martem alta voce conclamabant.* XENOPHON *libr.* III. παιδ. *pag.* 85. [*p.* 68.] de Cyro: Ἐξῆρχεν ὁ Διοσκούροις παιᾶνα τὸν νομιζόμενον. οἱ δὲ θεοσεβῶς πάντες συνεπήχησαν μεγάλῃ τῇ φωνῇ. ἐν τῷ τοιούτῳ γὰρ δὴ οἱ δεισιδαίμονες ἧττον τοὺς ἀνθρώπους φοβοῦνται. ἐπεὶ δ' ὁ παιὰν ἐγένετο, ἅμα πορευόμενοι οἱ Ὁμότιμοι φαιδροί. *Solemnem in Dioſcuros paeanem praecinuit, ac milites omnes religioſe clara voce accinebant. Nam eo pacto religioſi qui ſunt, minus homines metuunt. Abſoluto poeana Homotimi una pergebant hilari vultu.* Parthi vero, quibus Martem clamoribus ac ſonis accenderent, exponit PLUTARCHUS in *Craſſo*, *pag.* 557. his verbis: Ὡς δ' ἐγγὺς ἐγένοντο, καὶ σημεῖον ἤρθη παρὰ τοῦ στρατηγοῦ, πρῶτον μὲν ἐπίμπλαντο φθογγῆς βαρείας καὶ βρόμου φρικώδους τὸ πεδίον. Πάρθοι γὰρ οὐ κέρασιν, οὐδὲ σάλπιγξιν ἐποτρύνουσιν ἑαυτοὺς εἰς μάχην, ἀλλὰ ῥόπτρα βυρσοπαγῆ καὶ κοῖλα περιτείναντες ἠχείοις χαλκοῖς, ἅμα πολλαχόθεν ἐπιδουποῦσι· τὰ δὲ φθέγγεται βύθιόν τι καὶ δεινὸν, ὠρυγῇ θηριώδει καὶ τραχύτητι βροντῆς (b) μεμιγμένον. *Poſtquam prope hoſtem perventum eſt, datumque a duce ſignum, illico gravi ſonitu terribilique fremitu tota remugiit planicies. Non enim cornibus aut tubis Parthi praelium accendunt, ſed pelles cavo aheno inductas, malleis, undiquaque ſimul pulſant: haec tympana ſic percuſſa raucum murmur, ſonumque terrificum edunt, quaſi, fremitu ferae alicujus & tonitru permiſto.* Nec fruſtra antiquitus inſtitutum, ut ſigna undique concinerent, clamoreſque univerſi tollerent, quibus rebus & hoſtes terreri, & ſuos incitari exiſtimaverunt, CAESAR *libr.* III. *de bello Civili*, *cap.* 92. item HIRTIUS, ſive OPPIUS, de *bello Hiſpanienſi cap.* 31. tradunt.

LXXXI. Et quoniam voce ſola, inter praeliorum tumultus, regi multitudo non poteſt, & pro neceſſitate rerum plura ex tempore jubenda atque facienda: Perſarum uſus invenit, quomodo quod ſolus Dux utile judicaſſet, per ſigna totus adgnoſceret & ſequeretur exercitus. Horum Signorum alia Vocalia erant, alia Semivocalia, alia Muta. Vocalia appello cum VEGETIO, *lib.* III. *cap.* 5. quae voce humana pronuntiabantur: qualia more militiae Centurioni (*c*) petenti dediſſe Imperatores Romanos, ex SUETONIO & TACITO, liquet. Hujuſmodi ſigna dediſſe eum, qui in Perſico exercitu maximam habebat poteſtatem, teſtatur XENOPHON *libr.* VII. παιδ. *pag.* 174. [*p.* 137.] de Cyro ita loquens: Ταῦτ' εἰπὼν, καὶ σύνθημα παρεγγυήσας, Ζεὺς σωτὴρ καὶ ἡγεμὼν, ἐπορεύετο. *Haec loquutus, cum teſſeram protuliſſet, Jupiter Servator & Dux, proceſſit.* Idem XENOPHON *libr.* III. παιδ. *pag.* 85. [*p.* 68.] Ἐπεὶ δ' ἔτι βελῶν ἔξω ἦσαν, παρηγγύα ὁ Κῦρος σύνθημα, Ζεὺς σύμμαχος καὶ ἡγεμών. *Quumque adhuc extra teli jactum forent, Cyrus teſſeram dabat, Jupiter auxiliator & Dux.* Semivocalia vero, eodem VEGETIO duce & auſpice, appello, quae per Σάλπιγξι data fuiſſe diximus. Nam indubitate harum ſonis adgnoſcebat exercitus, utrum irruere in hoſtes, ſtare, vel progredi, aut regredi, oporteret: utrum longe perſequi fugientes, an receptui canere. Et ita Xerxem e praetoria nave Signum vela faciendi dediſſe, refert HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 128. his verbis: Ἐσβὰς ἐς Σιδωνίην νέα, ἐς τήν περ ἐσέβαινε αἰεὶ, ὅκως τι ἐθέλοι τοιοῦτο ποιῆσαι, ἀνέδεξε σημήϊον καὶ τοῖσι ἄλλοισι ἀνάγεσθαι. *Conſcenſa navi Sidonia (quam ſemper conſcendebat, quoties ei tale aliquid facere libebat) dedit ſignum ceteris navibus proficiſcendi.* Signum etiam receptui Buccina dediſſe Perſas, argumento eſt, quod ex Xenophonte (*d*) PLUTARCHUS *Quaeſt. Roman. Quaeſt.* XXXIX. (*al.* 38.) *pag.* 273. ſcribit: Διὸ καὶ Χρυσάνταν ἐπῄνεσεν ὁ Κῦρος, ὅτι μέλλων ἀποκτείνειν πολέμιον, καὶ τὴν κοπίδα ἀνῃρημένος, ἀκούσας τὸ Ἀνακλητικὸν, ἀφῆκε τὸν ἄνδρα, καὶ οὐκ ἔπαισεν, ὡς κεκωλυμένος. *Ideoque Chryſantam laudavit Cyrus, quod ſublato jam gladio, hoſtem interfecturus, ut Receptui cani audivit, caede ſibi interdictum putans, hominem intactum dimiſit.* Darium, *Signo dato*, Falcatos currus in hoſtem effudiſſe, CURTIUS *libr.* IV. *cap.* 15. §. 33. refert. Muta ſigna erant Vexilla. Quacunque enim haec ferri juſſerat ductor, neceſſe erat, ut ſignum ſuum comitantes milites pergerent. Signum autem praecipuum Perſarum exercitus erat Aquila aurea, pinnas exten-

(*a*) Edit. Commeliniana 1596. habet: βόμβοις. [ex *MSS. Codd.* ut in notis ſignificatur] Lectionem tamen Eriſoni confirmat etiam locus infra ex Plutarchi Craſſo c. 44. allatus. L.

(*b*) In priori edit. ſic legebatur: μεμιγμένον, ἅτε πως συγκεκραγότων. Quae poſteriora verba in Noſtra edit. omiſſi: quod in editis, tam Plutarchi ſcil. quam Appiani Parthicis, non habeantur; in quibus poſt μεμιγμένον, haec ſequuntur: ὀρθῶς πως συνεωρακότες ὅτι τῶν αἰσθητηρίων ἀκοὴ, ταρακτικώτατόν ἐστι τῆς ψυχῆς &c. *gnari auditum ex omnibus unum maxime turbare animum* &c. L.

(*c*) CENTURIONI] Immo Tribuno potius. vid. SUETONIUS *Calig. cap.* 58. TACITUS *Annal. lib.* XIII. *cap.* 2. §. 5. TR.

(*d*) XENOPHONTE] Locus exſtat in *Cyrop. lib.* IV. *init. pag.* 87. *ſeq.* TR.

extendens, longae haſtae praefixa. Auctor XENOPHON libro VII. παιδ. pag. 172. [p. 136.] de Cyro: Παρηγγέλλετο δὲ πάντας πρὸς τὸ Σημεῖον, καὶ ἐν ἴσῳ ἕπεσθαι. ἦν δ' αὐτῷ τὸ Σημεῖον, Ἀετὸς χρυσοῦς, ἐπὶ δόρατος μακροῦ ἀνατεταμένος. καὶ νῦν δὲ ἔτι τοῦτο τὸ σημεῖον τῷ Περσῶν βασιλεῖ διαμένει. *Praecepit, ut ad ſignum reſpicerent, & aequabiliter ſequerentur. Et erat ei ſignum aquila aurea longo in conto extenſa. Et hodieque ſignum hoc Perſarum rex adhuc retinet.* Ad hoc ſignum Perſarum veriſimile eſt pertinere verba haec ARRIANI, quae a SUIDA in verbo ξυστὸν laudantur: Τὰ Σημεῖα τῶν ἱππικῶν ταγμάτων, ἀετοί, εἰκόνες βασίλειοι, στέμματα πάντα χρυσᾶ, κατεσκευασμένα ἐπὶ ξυστῶν ὑπηργυρωμένων. *Signa legionum ſunt aquilae, imagines regiae, coronae; eaque omnia aurea: quae haſtilibus argento illitis ſublimia geſtabantur.* Per flammeum autem vexillum ſignum in exercitu Perſarum erectum, AMMIANUS libr. XX. cap. 6. refert his verbis: *Adventans itaque Rex, eum per optimates ſuos propius admiſſos, pacatiore colloquio flectere defenſores ad ſuum non potuiſſet arbitrium, & (a) diem integrum dedit: & matutinae lucis exordio, ſigno per flammeum erecto vexillum, circumvaditur civitas a quibuſdam.*

LXXXII. Regale vero in bello ſignum fuiſſe Aquilam Auream, Peltae inſidentem, docet PHILOSTRATUS *Iconum libr.* II. *cap.* XXX. de Themiſtocle, his verbis: Μῆδοι πάντες καὶ Βαβυλὼν μέση· καὶ τὸ σημεῖον τὸ βασίλειον, ὁ χρυσοῦς ἐπὶ τῆς πέλτης ἀετός. *Haec Medos, ac mediam arguunt Babylonem, eſtque inſigne regium aurea in pelta aquila.* Ac plane Aquilam auream, pinnas extendenti ſimilem, in ordine agminis recenſet CURTIUS *lib.* III. *cap.* 3. §. 16.

LXXXIII. Eorum vero, qui saucii ex acie receſſerant, curam Perſas habuiſſe, eique rei Ἐπιμελητὰς conſtitutos, SUIDAS ex *Xenophonte* ita tradit: Ἐπιμεληταί· παρὰ Πέρσαις ἦσαν Ἐπιμεληταί, ὥς φησι Ξενοφῶν, οἱ τοὺς τετρωμένους ἐν πολέμῳ θεραπεύοντες. *Ἐπιμεληταὶ apud Perſas, ut ſcribit Xenophon, ſic appellabantur ii, qui vulneratos in bello curabant.* Parthi utique, non alios beatiores praedicabant, quam qui in acie cecidiſſent: in perpetuum eos per gloriam vivere exiſtimantes. AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIII. *cap.* 6. de PARTHIS: *Feri ſunt illic habitatores pagorum omnium atque pugnaces: eoſque ita certamina juvant & bella, ut judicetur inter alios omnes beatus, qui in praelio fuderit animam. Excedentes enim e vita morte fortuita, conviciis inſectantur, ut degeneres & ignavos.* Enimvero, virorum fortium operam atque induſtriam, honoribus, praemiis, ac ſplendore, apud Perſas decoratam fuiſſe, ſupra *libr.* I. §. 144. docuimus. Reges etiam militaribus donis eos, qui fortiter ac ſtrenue pugnaverant, donabant. PLUTARCHUS in *Artaxerxe*, *pag.* 1017. Μετὰ δὲ τὴν μάχην, δῶρα κάλλιστα μὲν ἐξέπεμψε καὶ μέγιστα τῷ Ἀρταγέρσου παιδὶ, τοῦ πεσόντος ὑπὸ Κύρου· καλῶς δὲ καὶ Κτησίαν καὶ τοὺς ἄλλους ἐτίμησεν. *Poſt pugnam rex maxima & pulcerrima dona miſit filio Artagerſae ejus, qui a Cyro occiſus erat: praeclaris quoque honoribus Cteſiam ac reliquos affecit.* Carem item, qui Cyro mortiferum vulnus infixerat, quo praemio Artaxerxes adfecerit, idem PLUTARCHUS *eod. libr. pag.* 1016. exponit his verbis: ᾧ γέρας ἔδωκε τῆς πατάξεως τοῦτο ὁ βασιλεὺς, ἀλεκτρυόνα χρυσοῦν ἐπὶ δόρατος ἀεὶ πρὸ τῆς τάξεως ἐν ταῖς (b) στρατιαῖς κομίζειν. καὶ γὰρ αὐτοὺς τοὺς Κᾶρας, ἀλεκτρυόνας οἱ Πέρσαι, διὰ τοὺς λόφους, οἷς κοσμοῦσι τὰ κράνη, προσηγόρευον. *Cui praemii loco rex dederat, ut in bello ſemper aureum gallum haſtae impoſitum ante aciem geſtaret. Nam Caros ipſi etiam galli a Perſis appellabantur, propter criſtas, quibus galeas exornabant.*

LXXXIV. Contra ſummo odio, Deſertionis crimen proſequebantur. Diras certe & atroces adverſus Deſertores latas leges, AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIII. *cap.* 6. ſcribit. Militarium etiam quarundam animadverſionum exempla ſuggerit PLUTARCHUS in *Artaxerxe pag.* 1017. *ſeq.* his verbis: Ἦν δέ τις ἐμμέλεια καὶ περὶ τὰς τῶν ἐξαμαρτανόντων δικαιώσεις. Ἀρβάκην μὲν γάρ τινα Μῆδον, ἐν τῇ μάχῃ πρὸς Κῦρον φυγόντα, καὶ πάλιν ἐκείνου πεσόντος μεταστάντα, δειλίαν καὶ μαλακίαν καταγνοὺς, οὐ προδοσίαν, οὐδὲ κακόνοιαν, ἐκέλευσε γυμνὴν ἀναλαβόντα πόρνην, ἀναβάδην ἐπὶ τοῦ τραχήλου δι' ἡμέρας ὅλης ἐν ἀγορᾷ περιφέρειν. ἑτέρου δὲ πρὸς τῷ μεταστῆναι ψευσαμένου καταβαλεῖν δύο τῶν πολεμίων, προσέταξε διαπεῖραι τρισὶ βελόναις τὴν γλῶτταν. *In ſuppliciis quoque eorum, qui deliquerant, accuratiorem adhibuit. Namque Arbacen quendum Medum, qui in praelio ad Cyrum transfugerat, rurſuſque eo interfecto ad regios ſe receperat, non proditionis, aut malevolentiae, ſed timiditatis atque molliciei damnans, ſcortum nudum juſſit, cervici ſuae impoſitum in foro per integrum diem circumferre. Alteri, qui non contentus tranſitione, mentitus inſuper fuerat, duos ex hoſtibus a ſe dejectos, linguam tribus acubus transfigi juſſit.*

LXXXV. In hoſtes vero quandoque ſaeviſſe Perſarum Reges, argumento eſt, quod Leonidae mortui corpus in crucem ſuſtulerunt. Ex Thebanis etiam dedititiis, quoſdam interfeciſſe eos, quoſdam vero, & in his Leontiadem, notis Regalibus compunxiſſe, HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 233. ita ſcribit: Ὡς γὰρ αὐτοὺς ἔλαβον οἱ βάρβαροι ἐλθόντας, τοὺς μέν τινας αὐτῶν καὶ ἀπέκτειναν προσιόντας· τοὺς δὲ πλεῦνας αὐτῶν, κελεύσαντος Ξέρξεω, ἔστιζον στίγματα βασιλήϊα, ἀρξάμενοι ἀπὸ τοῦ στρατηγοῦ Λεοντιάδεω. *Nam barbari qui eos cepere, aliquot, ut accedebant, obtruncarunt: pluribus, juſſu Xerxis, regias notas inuſſerunt, a Duce Leontiade exorſi.* Quem Herodoti locum citat, reprehenditque ac refellit, PLUTARCHUS in *libr.* περὶ τῆς Ἡροδότου κακοηθείας, *de Herodoti malignitate, pag.* 866. *ſeq.* apud quem tamen perperam, τοὺς δ' ἔτι στίξας, pro πλεῦνας, legitur.

LXXXVI. Quandoque etiam praemia, iis qui hoſtes vivos adduxiſſent, publico praeconio decernebant. Et ita Artaxerxem ei, qui Themiſtoclem vivum adduxiſſet, ducenta talenta pollicitum, PLUTARCHUS in *Themiſtocle*, *pag.* 126. ſcribit his verbis: Ἤδη μὲν ἔφησεν αὐτῷ διακόσια τάλαντα ὀφείλειν· κομίσαντα γὰρ αὐτὸν, ἀπολήψεσθαι δικαίως, τὸ ἐπικηρυχθὲν τῷ ἀγαγόντι. *Jam ſe ducenta talenta ipſi debere dixit: cum enim ipſe venerit, par eſſe, ut id praemium, quod fuiſſet ei, qui adduceret promiſſum, accipiat.* Reges etiam Perſarum nunquam conſuevisse cum illis, qui ab his defecerant, in gratiam redire, priuſquam corporibus eorum potiti eſſent, ISOCRATES adſerit. Etenim de *Evagora* in ejus *funebri laudatione pag.* 476. ſcribit haec: Τελευτῶν δ' οὕτως ἀπέστησεν αὐτὸν τοῦ πολέμου, ὥστ' εἰθισμένων τῶν ἄλλων χρόνων τῶν βασιλέων μὴ διαλλάττεσθαι τοῖς ἀποστᾶσι, πρὶν κύριοι γένοιντο τῶν σωμάτων, ἀσμένως τὴν εἰρήνην ἐποιήσατο, λύσας μὲν τὸν νόμον

(a) ET] Pro hac particula vox *quieti* in *noviſſ. edd.* legitur. TR.

(b) Στρατείαις quoque legi poteſt, i. e. *in expeditionibus.* S.

εἰρήνην ποιήσασθαι, οὐδὲν δὲ κινήσαντες τῆς Εὐαγόρου τυραννίδος. *Eo denique rem adegit, ut eos tanta belli ſatietas ceperet, ut, cum reges, ſuperiori tempore non ſolere in gratiam cum iis, qui defecerant, conſueviſſent, antequam corporibus eorum potiti eſſent, cupide pacem fecerint: ſoluta quidem lege illa, ſed nihil mutato Evagorae imperio.*

LXXXVII. Arma etiam tradere victi jubebantur. SUIDAS, in verbo Ξενοφῶν, de Artaxerxe: Βασιλεὺς δὲ τὴν τοῦ Κύρου κεφαλὴν καὶ χεῖρα ἀποκόψας, τοῖς Ἕλλησι πέμψας, ζητεῖ τὰ ὅπλα, ὡς δῆθεν νικηθεῖσιν· οἱ δὲ, οὐκ ἔδοσαν. *Rex vero Cyri caput & manus amputatas Graecis miſit, poſtulans, ut arma ſibi tanquam victi traderent: Illi vero non dederunt.*

LXXXVIII. Sane in Perſarum animos non cadebat illud Virgilianum, *Aeneid.* II. v. 390.

Dolus an virtus, quis in hoſte requirat?

Aperto enim Marte hoſtem opprimendum credebant, turpeque eſſe victoriam furari. Et, quod de ſeſe Helvetii apud CAESAREM *libr.* I. *de bell. Gall. cap.* 13. praedicant, ita a patribus majoribuſque ſuis didicerant, ut magis virtute quam dolo contenderent, aut inſidiis niterentur. JUSTINUS *libr.* XI. *cap.* 6. §. 8. *Darius fiducia eorum* (a) *nil aſtu agere: adfirmans ſuis, occulta conſilia victoriae furtivae non convenire.* Saporem etiam, Perſarum Regem, AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XVII. *cap.* 5. ita loquentem facit: *Illud apud nos nunquam acceptum fuit, quod adjcitis vos exultantes, nullo diſcrimine virtutis ac doli, proſperos omnes laudari debere bellorum eventus.*

LXXXIX. Denique οὐ πάτριον fuiſſe Parthis, νυκτομαχεῖν, PLUTARCHUS in *Craſſo pag.* 562. tradit. Ac plane nocte appetente Perſas, armis poſitis, corpori operam dediſſe, teſtis eſt CURTIUS *lib.* V. *cap.* 12. §. 6. *Jamque nox*, ait, *appetebat, cum Perſae, more ſolito, armis poſitis, ad neceſſaria ex proximo vico ferenda diſcurrunt.*

XC. Excubias etiam agebant Perſae. Itaque apud CURTIUM *libr.* IV. *cap.* 13. §. 10. Alexander ſuadenti Parmenioni, ut Perſas nocte adoriretur, reſpondet: *Vigilias agere Barbaros, & in armis ſtare, ut ne decipi quidem poſſint.* XENOPHON *libr.* III. παιδ. *pag.* 81. [*p.* 65.] Καὶ τότε μὲν δειπνοποιησάμενοι, καὶ φυλακὰς καταστησάμενοι, καὶ πυρὰ πολλὰ πρὸ τῶν φυλάκων καύσαντες, ἐκοιμήθησαν. *Itaque tunc coenati, conſtitutis excubiis, & ignibus ante has excitatis, quieti ſe dederunt.* Excubitores vero ac vigiles ſolebant cantu tempus fallere, cantileniſque, quibus Regis ſui juſtitiam virtutemque efferebant, noctem inſomnem traducere. AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIV. *cap.* 4. *Obtruncarunt vigiles omnes, ex uſu moris gentici, juſtitiam felicitatemque Regis ſui canoris vocibus extollentes.* ZOSIMUS *lib.* III. *cap.* 22. §. 9. Τότε δὴ λοιπὸν ἐπὶ τὸ τεῖχος ἐλάσαντες, ἐπέπεσον παρὰ πᾶσαν ἐλπίδα τοῖς Πέρσαις, ᾄσματα λέγουσιν ἐπιχώρια, τὴν μὲν τοῦ σφῶν βασιλέως ἀνδρείαν ὑμνοῦσι, διαγελῶσι δὲ τὴν τοῦ Ῥωμαίων βασιλέως ἐπιχείρησιν· ῥᾷον γὰρ ἔφασκον αὐτὸν τὴν τοῦ Διὸς αἱρήσειν αὐλὴν, ἢ τὸ φρούριον. *Tum vero progreſſi ad murum, praeter omnem ſpem irruebant in Perſas; qui cantilenas more patrio factas pronunciabant, regis ſui virtutem celebrantes, & Imperatoris Romani conatum irritum reprehendentes. Nam facilius ajebant eum Jovis aula potiturum, quam caſtello.*

XCI. Exploratores quoque & Speculatores Perſae habebant, qui hoſtilia ſilentio perſpicerent, pacata clamore cognoſcerent, hoſtiumque ſecreta illis nuntiarent. Sic Κατάσκοπον in Lydiam miſſum Araſpam, ait XENOPHON *libr.* VI. παιδ. *pag.* 153. Sed & διερευνητὰς καὶ σκοποὺς ante Equitatum praemiſiſſe eum, ibidem ait. PROCOPIUS *libr.* I. *de bello Perſico, cap.* 21. *pag.* 265. (62.) (b) Κατασκόπους ἐκ παλαιοῦ ἔν τε Ῥωμαίοις καὶ Πέρσαις δημοσίᾳ σιτίζεσθαι νόμος. οἱ δὴ λάθρα ἰέναι παρὰ τοὺς πολεμίους εἰώθασιν· ὅπως διερευνησάμενοι ἐς τὸ ἀκριβὲς τὰ πρασσόμενα, ἐπανιόντες, τοῖς ἄρχουσιν ἐσαγγέλλωσι. τούτων πολλοὶ μὲν, εὐνοίᾳ (ὡς τὸ εἰκὸς) χρῆσθαι ἐς τοὺς ὁμογενεῖς ἐν σπουδῇ ἔχουσι· τινὲς δὲ, καὶ τοῖς ἐναντίοις αὐτῶν τὰ ἀπόρρητα. *Perſarum juxta & Romanorum antiquus eſt ille mos, ut alantur de publico exploratores, qui ad hoſtem ſubmitti ſolent, & poſtquam accurate, quae apud illum geruntur, inſpexerint, ducibus indicatum veniunt. Ex his multi pro eo ac debent, impenſe ſtudent patriae ſuiſque civibus: nonnulli eorum arcana hoſtibus efferunt.* Unde SUIDAS in verbo Ἐξπλωρά-τωρ, poſt expoſita multa, quae Exploratorum induſtria ſcrutari inveſtigareque ſolet, addit: Ἔργον γὰρ τούτοις τὸ διερευνᾶσθαι, πῶς ἡ τῶν πραγμάτων κατάστασις, καὶ ποῖα τὰ κατὰ Ῥωμαίων σκεπτόμενα ὑπὸ Περσῶν, καὶ ἀναφέρειν ἐπὶ τὸν βασιλέα. *Horum enim munus erat, accurate inquirere, quiſnam eſſet rerum ſtatus, & quaenam conſilia contra Romanos a Perſis agitarentur, eaque cum cognoviſſent, ad Imperatorem referre.*

XCII. Uſque adeo etiam bellandi cupiditate incenſos fuiſſe Perſas, ut eorum picturae, nihil praeter caedes ac bella habuerint, docet AMMIANUS MARCELLINUS *libr.* XXIV. *cap.* 6. *In agro*, inquiens, *conſedimus opulento, arbuſtis & vitibus, & cupreſſorum viriditate laetiſſimo: cujus in medio diverſorium opacum eſt & amoenum, gentiles picturas per omnes aedium partes oſtendens, Regis beſtias venatione multiplici trucidantis: nec enim apud eos pingitur vel fingitur aliud, praeter varias caedes & bella.* Quinetiam uti bellatores equos Perſae inſtruerent, ne in acie armorum ſtrepitu, clypeorumve crepitu turbarentur, docet AELIANUS *libr.* XVI. *de Animalibus, cap.* XXV. his verbis: Οἱ Πέρσαι, ἵνα μὴ δεδίττωνται αὐτοὺς οἱ ἵπποι καταπλήττωνται, ψόφοις αὐτοὺς καὶ ἤχοις χαλκοῖς ἐθίζουσι, καὶ (c) κωδωνίζουσιν, ὡς μήποτε ἐν τῷ πολέμῳ δείσωσι τὸν τῶν ὅπλων ἄραβον, καὶ τὸν τῶν ξιφῶν τὸν πρὸς τὰς ἀσπίδας δοῦπον· εἴδωλά τε νεκρῶν ἐξεστεγνωμένα ἀχύροις, ὑποβάλλουσιν αὐτοῖς, ἵνα ἐθισθῶσι νεκροὺς ἐν τῷ πολέμῳ πατεῖν, καὶ μὴ (d) δεδιότες ὡς ἐπὶ δεινῷ ἀναπηδῶσιν, εἶτα μέντοι δυσωπούμενοι, ἐν τοῖς ἔργοις τοῖς πολεμικοῖς ἀχρεῖοι ὦσι. *Ne armorum fremitum & gladiorum ad clypeos reſonantium in pugna crepitum equi extimeſcant, eos ad ſtrepitum & ſonitum aſſueſcere cogunt Perſae, armataque cadaverum ſimulacra paleis farta eis ſubjiciunt, ut caeſorum calcationem in bello ferre conſueſcant, ut ne rerum terribilium metu affecti, ad rem militarem, cum neceſſitas poſtulat, inutiles ſint.*

XCIII.

(a) EORUM] *Virium* legitur in editis; & in ſequentibus particula *non* ab optimis Codd. abeſt. TR.

(b) Vocem [illegible] e Procopio huc revocavi, ſenſu ita exigente. L.

(c) Κωμῳδεῖν habet etiam Aeliani editio: verius eſſe videtur κωδωνίζειν, *nolis, tintinabulis*: cujus conſuetudinis meminit etiam Etymologus noſter in Διακωδωνίζειν 267. 30. 273. 50. S.

(d) Conſtructionis norma poſtulat, δεδιότες ἀναπηδήσωσι, ſubjunctivo modo, ut in praeced. commate. S.

XCIII. Verum, ut ad urbium obſidiones veniamus, earum oppugnandarum expugnandarumque rationem, ſive ſcalis ac machinis admotis, ſive Cuniculis in terra factis, tenuiſſe Perſas, teſtantur HERODOTI *libr.* IV. *cap.* 200. verba haec: Ἐνθαῦτα δὴ ἐπολιόρκεον (de Perſis loquitur) τὴν Βάρκην ἐπὶ μῆνας ἐννέα, ὀρύσσοντές τε ὀρύγματα ὑπόγαια, φέροντα ἐς τὸ τεῖχος, καὶ προσβολὰς καρτερὰς ποιεύμενοι. *Ita ad novem menſes, Barcen cum obſediſſent Perſae, cuniculos ſuffoderunt ad murum ferentes, & valida tormenta admoverunt.* Unde apparet, jam a priſcis Perſarum temporibus, Cunicularios, ut VEGETIUS *libr.* II. *cap.* XI. loquitur, extitiſſe, qui ducto ſub terris cuniculo, muriſque intra fundamenta perfoſſis, improviſi emergerent, ad urbes hoſtium capiendas. Verum uti, quaque arte ac ſolertia, faber quidam aerarius ejuſmodi cuniculos deprehenderit, HERODOTUS illo, quem modo adduxi, loco ita aperit: τὰ μέν νυν ὀρύγματα ἀνὴρ χαλκεὺς ἀνεῦρε, ἐπιχάλκῳ ἀσπίδι, ὧδε ἐπιφρασθείς· περιφέρων αὐτὴν ἐντὸς τοῦ τείχεος, προσίσχε (a) πρὸς τὸ δάπεδον τῆς πόλιος. τὰ μὲν δὴ ἄλλα ἔσκε κωφὰ πρὸς ἃ προσίσχοι, κατὰ δὲ τὰ ὀρυσσόμενα ἤχεσκε ὁ χαλκὸς τῆς ἀσπίδος. ἀντορύσσοντες δ' ἂν ταύτῃ οἱ Βαρκαῖοι, ἔκτεινον τῶν Περσέων τοὺς γεωρυχέοντας. *Sed cuniculos quidem faber quidam aerarius deprehendit aereo ſcuto, hunc in modum: Circumferens illud intra murum, admovebat pavimento urbis: quod ubicunque admovebatur alibi, illinc e ſolo nihil ſoni reddebatur: ad locum autem, qui ſuffodiebatur, aes clypei reſonabat. ubi e diverſo fodientes Barcaei, Perſas ſuffoſſores interemerunt.*

XCIV. Operibus etiam & munitionibus urbes ſepire Perſae noverant. Machinas & ſcalas eos muris admoviſſe, docet XENOPHON *libr.* VII. *Cyrop. pag.* 180. [*p.* 143.] de Cyro loquens in hunc modum: Ὡς δ' ἧκοντο πρὸς τὸ τεῖχος τὸ ἐν Σάρδεσι, τάς τε μηχανὰς ἀνίστη ὡς προσβαλῶν πρὸς τὸ τεῖχος καὶ κλίμακας παρεσκευάζετο. *Atque ubi ad Sardium moenia pervenit, & machinas erigebat, quaſi facturus in muros impetum, & ſcalas parabat.* Idem XENOPHON *libr.* VII. *eaud. pag.* 186. [*p.* 147.] Ὁ δὲ Κῦρος αὐτὸς μένων ἐν Σάρδεσι, μηχανὰς ἐποιεῖτο καὶ κριούς, ὡς τῶν μὴ πειθομένων ἐρείψων τὰ τείχη. *Cyrus Sardibus quidem ipſe manebat, machinaſque fabricabatur & arietes, ut eorum, qui non eſſent dicto audientes, caſtella ſola aequaret.* Atque adeo in urbibus obſidendis Baliſtis, Scorpionibuſque uſos eos, Malleolis item & facibus, docet AMMIAN. MARCELL. *libr.* XX. *cap.* 6. *ſeq.* Ex eodem quoque apparet, eos, objectu vinearum pluteorumque tectos, iter ad fundamenta parietum ſubvertenda quaeſiiſſe. Alia etiam ratione Perſarum Reges urbes expugnabant; quam AELIANUS *libr.* V. *Anim. hiſtoriae cap.* III. explicat. Vim enim Olei, quod ex verme Indico conficitur, exponens, eam eſſe ait ejuſmodi, ut vel ſola ejus hemina in lignorum acervum infuſa eum comburat: ſubjicitque ex Cteſia, eodem ipſo Perſarum Regem olim hoſtium urbes in poteſtatem ſuam redegiſſe, nullis neque arietibus, neque teſtudinibus aliiſque bellicis machinis admotis. Etenim fictilia vaſa unius heminae capacia, hujuſmodi oleo impleta, dein obſtructa & obturata, in portas jaculatum. Ac vaſa quidem ad portas alliſa rumpebantur: Oleum vero portis haerens, & gliſcens per portas incendium, quod reſtingui non poterat, non modo portas ſed & homines pugnantes pariter cum armis abſumebat; unicumque remedium repertum ad ejuſmodi flammam extinguendam fuiſſe, fimum & lutum viarum. Nec abſimilem Olei Medici flammeam vim, AMMIANUS MARCELL. duobus locis *libr.* XXIII. *cap.* 6. prodit. *In hac*, ait, *regione Oleum conficitur Medicum; quo illitum telum ſi emiſſum lentius laxiore arcu (nam ictu extinguitur rapido) haeſerit uſquam, tenaciter cremat: & ſi aqua voluerit abluere quiſquam, aeſtus excitat acriores incendiorum: nec remedio ullo, quam jactu pulveris conſopitur. Paratur autem hoc modo: Oleum uſus communis herba quadam infectum condiunt harum rerum periti, ad diuturnitatem ſervantes, & coaleſcens durant ex materia venae naturalis, ſimilis oleo craſſiori. quae ſpecies gignitur apud Perſas, quam (ut diximus) Naphtham vocabulo appellavere gentili.* Idem *eod. libr.* & *cap.* *Hic & Naphtha gignitur, picea ſpecie glutinoſa, ſimiliſque ipſa quoque bitumini: cui etiam ſi avicula inſederit brevis, praepedito volatu ſubmerſa penitus evaneſcit: & cum hoc liquoris ardere coeperit genus, nullum inveniet humana mens, praeter pulverem, extinguendi commentum.* STRABO *libr.* XVI. *pag.* 1078. (743.) ex *Eratoſthene*, Aſphaltum aliam eſſe liquidam, quam *Naphtham* vocant; aliam aridam, quam *Bitumen* dicimus; de Naphthae vero admirabili natura ſcribit haec: Προσαχθεὶς γὰρ ὁ Νάφθας πυρὶ πλησίον, ἀναρπάζει τὸ πῦρ· καὶ ἐπιχρίσας αὐτῷ σῶμα προσαγάγῃς, φλέγεται. σβέσαι δ' ὕδατι οὐχ οἷόν τε· ἐκκαίεται δὲ μᾶλλον, πλὴν εἰ πάνυ πολλῷ· ἀλλὰ πηλῷ, καὶ ὄξει, καὶ στυπτηρίᾳ, καὶ ἰξῷ πνιγέντα, σβέννυται. παῖσαι δὲ χάριν φασὶ τὸν Ἀλέξανδρον ἐν λουτρῷ περιχέαι παιδὶ τῆς Νάφθας, καὶ προσαγαγεῖν λύχνον· φλεγόμενον δὲ τὸν παῖδα, ἐγγὺς ἐλθεῖν τοῦ ἀπολέσθαι· πλὴν πάνυ πολλῷ καταντλοῦντας τῷ ὕδατι, ἐξισχῦσαι καὶ διασῶσαι τὸν ἄνθρωπον. *Nam igni admota Naphtha, eum corripit: & ſi corpus ea illitum igni admoveris, deflagrat, nec aqua ullo pacto extingui poteſt: ſed magis etiam exardeſcit, niſi valde multam ſuperinfuderis. coeno, & aceto, & alumine, & viſco oppreſſum extinguitur. Alexandrum tradunt, ut experimento rem cognoſceret, puero cuidam in balneo naphtham illeviſſe, ac lucernam admoviſſe, puerum pene deflagraſſe: circumſtantes multa admodum aqua flammas deviciſſe, ac puerum ſervaſſe.* Illud utique Naphthae experimentum, quod coram Alexandro quidam ex Balneariis miniſtris fecit, exponit PLUTARCHUS in ejus principis vita, *pag.* 685. ubi & Alexandrum ait valde admiratum eſſe, χάσμα τοῦ πυρὸς ἐν Ἐκβατάνοις, ὥσπερ ἐκ πηγῆς συνεχῶς ἀναφερομένου, καὶ τὸ ῥεῦμα τοῦ Νάφθα λιμνάζοντος διὰ τὸ πλῆθος, οὐ πόῤῥω τοῦ χάσματος· ὃ τἆλλα μὲν ἀσφάλτῳ προσέοικεν, οὕτω δὲ εὐπαθὲς πρὸς τὸ πῦρ ἐστιν, ὥστε πρὶν ἢ θιγεῖν τὴν φλόγα, δι' αὐτῆς τῆς περὶ τὸ φῶς ἐξαπτόμενον αὐγῆς, τὸν μεταξὺ πολλάκις ἀέρα συνεκπιμπράναι. *Hiatum ignis Ecbatanis, continenter tanquam de fonte ſeſe efferentis: ſtagnumque coploſae Naphthae haud procul ea hiatu. Naphtha bitumini ſimilis eſt, ita igni obnoxia, ut, priuſquam flammam contingat, ab ipſo ſaepe ſplendore, qui circa lumen accenſum fulget, ignem concipiat. mediumque aërem inflammet.* XIPHILINUS ex *Dione* (*b*) Lucullum cum Tigranocerta obſideret, καὶ αὐτὸν οἱ βάρβαροι τῇ τε τοξείᾳ, καὶ τῇ Νάφθᾳ ἐς τὰς μηχανὰς χεομένῃ, δεινῶς ἐκάκωσαν. ἀσφαλτῶδες δὲ τὸ φάρμακον τοῦτο καὶ διάπυρον οὕτως, ὥστε ὅσοις ἂν προσμίξῃ, πάντως αὐτὰ κατακαίειν, οὐδ' ἀποσβέννυται ὑπ' οὐδενὸς ὑγροῦ ῥᾳδίως. *Sed eum gravibus incommodis affecere barbari non ſolum conjectis telis, ſed etiam Naphtha, quam tormentis quibuſdam emittebant. Eſt autem Naphtha ex* ge-

(*a*) Περιίσχε] *Jac. Gron.* ex *MS. Med.* reponit προσίσχε. TR.

(*b*) DIONE] In ipſo DIONE *lib.* XXXV. *init.* ubi narratur expugnatio Trigranocertae, hoc non reperi: hauſit ergo XIPHILINUS vel ex alio Dionis loco deperdito, vel etiam ex alio ſcriptore. TR.

genere bituminis, uſque adeo ardens, ut omnia, quibus adhaereſcit, prorſus exurat, nec ulla re humida facile reſtinguatur. PLINIUS etiam ex Limi, quem Maltham vocant, tactu, eundem Lucullum, cum Samoſata oppugnaret, multis incommodis adſectum, *libr.* II. *cap.* CIV. ſcribit. Idem *ejuſd. libri cap.* CV. *Similis eſt natura Naphthae: ita appellatur circa Babyloniam, & in Auſtagenis Parthiae, profluens, bituminis liquidi modo. Huic magna cognatio ignium, tranſiliuntque protinus in eam undecunque viſam. Ita ferunt, a Medea pellicem crematam, poſtquam ſacrificatura ad aras acceſſerat, corona igne rapta.* Qua in re belle illi cum PLUTARCHO convenit, qui in *Alexandro, pag.* 686. Εἰκότως ἄρα ait, ἔνιοι τὸν μῦθον ἀνασώζοντες πρὸς τὴν ἀλήθειαν, τοῦτό φασιν εἶναι τὸ τῆς Μηδείας φάρμακον, ᾧ τὸν τεθρυλλημένον στέφανον καὶ τὸν πέπλον ἔχρισεν. *Itaque non abſurde quidam fabulam veritati aſſerunt, id dicentes venenum Medeae fuiſſe, quo coronam & peplum (de quibus in tragoediis multus ſermo) inunxerit.* PROCOPIUS *libr.* IV. *de bello Gothico, cap.* XI. *pag.* 199. (594.) Ἀγγεῖα δὲ θείου τε καὶ ἀσφάλτου ἐμπλησάμενοι καὶ φαρμάκου, ὅπερ Μῆδοι μὲν νάφθαν καλοῦσιν, Ἕλληνες δὲ Μηδείας ἔλαιον. *Vaſcula Sulphure, bitumine & veneno, quod Medi Naphtham, Graeci Medeae oleum vocant, implentes.* SUIDAS de Naphtha duobus in locis, in Νάφθα & in Μήδεια: οἱ μὲν Ἕλληνες, Μηδείας ἔλαιον ταύτην καλοῦσιν· οἱ δὲ Μῆδοι, Νάφθαν. *Graeci equidem eam Medeae oleum, Medi verò Naphtham vocant.*

XCV. Ceterum urbes Sagena circumvallabant Perſae. PLUTARCHUS in *libr.* πότερα τῶν ζώων, &c. *terreſtriane, an aquatilia animalia ſint callidiora, pag.* 977. Οἱ δὲ ἁλιεῖς, συνορῶντες ὅσαπερ ἀδοξήμασι παλαισμάτων τὰ πλεῖστα διεκφεύγοντα τὴν ἐκ' ἀγκίστρου βολὴν, ἐπὶ βίας ἐτράποντο, καθάπερ οἱ Πέρσαι, σαγηνεύοντες, ὡς τοῖς ἐγχθεῖσιν οὐδεμίαν ἐκ λογισμοῦ καὶ σοφίας διάφευξιν οὖσαν. *Verum piſcatores, cum vident pleroſque piſcium ex hamis eluctari, ad vim ſe convertunt, Perſarum more ſagenis eos circumvenientes, quibus comprehenſi, nulla calliditate effugere poſſint.* ARISTIDES in *Panath. pag.* 123. *Tom.* I. de Perſis: Ἐρετρίαν (*a*) ἐπιβάντες, ᾤχοντο φέροντες, Σαγήνην τινὰ μιμησάμενοι ναυτικήν. *Eretriam occupantes attulerunt Sagenam, ad imitationem artis nauticae.* HIMERIUS in *Polemarchico, pag.* 45. Σαγηνείας εἰκόνα τῆς Ἐρετριέων ἅλωσιν ἔδειξαν. *Circumvallationis per Sagenam in expugnatione urbis Eretrienſium oſtenderunt imaginem.* HESYCHIUS Σαγηνεύσαντες· πολιορκήσαντες διατόνως (*b*) εἶδος οἶς· καὶ Σαγηνείαν τοῦτο Ἕλληνες. Verum uti urbes Sagena circumdari ſolerent, deſcribit HERODOTUS *libr.* VI. *cap.* 31. in hunc modum: Ὅκως δὲ λάβοι τινὰ τῶν νήσων, ὡς ἑκάστην αἱρέοντες οἱ βάρβαροι, ἐσαγήνευον τοὺς ἀνθρώπους. Σαγηνεύουσι δὲ τῶνδε (*c*) τὸν τρόπον, ἀνὴρ ἀνδρὸς ἁψάμενος τῆς χειρὸς, ἐκ θαλάσσης τῆς βορηΐης ἐπὶ τὴν νοτίην διήκουσι· καὶ ἔπειτα διὰ πάσης τῆς νήσου διέρχονται ἐκθηρεύοντες τοὺς ἀνθρώπους. αἵρεον δὲ καὶ τὰς ἐν ἠπείρῳ πόλιας τὰς Ἰάδας κατὰ ταὐτά· πλὴν οὐκ ἐσαγήνευον τοὺς ἀνθρώπους. *Quarum inſularum ut quamque capiebant, tanquam in Sagenam includebant. Sagena includunt autem hunc in modum: Prehenſis mutuo manibus, a mari aquilonari ad auſtrale pertranſeunt: poſt haec omnem inſulam peragrant, venando homines. Cepere etiam in continente urbes Jadas eadem ratione, praeterquam quod non Sagena circumvallabant homines.*

XCVI. Perſas etiam Muricum ſternendorum rationem tenuiſſe, ex eo planum fit, quod CURTIUS *lib.* IV. *cap.* 13. §. 36. narrat: *Nondum ad teli jactum pervenerant, cum Bion quidam tranſfuga, quanto maximo curſu potuerat, ad Regem pervenit, nuntians Murices ferreos in terram defodiſſe Darium, qua hoſtem equites emiſſurum eſſe credebat: notatumque certo ſigno locum, ut fraus evitari a ſuis poſſet.*

XCVII. Perſarum etiam Reges rapidiſſima quaeque flumina Pontibus jungere auſos, hiſtoriarum monumentis proditum eſt. Nam ut taceam Pontes Euphrati Tigrique impoſitos, Boſphoro Danubioque injectos a Dario pontes ſilentio praeterire non poſſum, vel ipſius maxime artificis, id eſt Mandroclis Samii gratia, cujus nomen, propter ejus induſtriam, ab interitu & oblivione vindicare aequum cenſeo. HERODOTUS *libr.* IV. *cap* 85. de Dario, ἀπίκετο τῆς Χαλκηδονίης (*d*) ἐπὶ τὸν Βόσπορον, ἵνα ἔζευκτο ἡ γέφυρα. *Pervenit ad Boſporum Chalcedonis, ubi pons junctus erat.* Et mox *cap.* 87. *ſeq.* Ὁ δὲ Δαρεῖος, ὡς ἐθεήσατο τὸν Πόντον, ἔπλεε ὀπίσω ἐπὶ τὴν γέφυραν, τῆς ἀρχιτέκτων ἐγένετο Μανδροκλέης Σάμιος. *Darius, ubi Pontum contemplatus eſt, renavigavit ad pontem, cujus architectus extitit Mandrocles Samius.* Ac deinde: Τοῦ δὲ Βοσπόρου ὁ χῶρος τὸν ἔζευξε βασιλεὺς Δαρεῖος, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ συμβαλλομένῳ, μέσον ἐστὶ Βυζαντίου τε καὶ τοῦ ἐπὶ στόματι ἱροῦ, Δαρεῖος δὲ μετὰ ταῦτα ἡσθεὶς τῇ σχεδίῃ, τὸν ἀρχιτέκτονα αὐτῆς Μανδροκλέα τὸν Σάμιον ἐδωρήσατο πᾶσι δέκα. *Ceterum Boſpori locus, quem rex Darius ponte commiſit, conjectanti mihi videtur, medius inter Byzantium & templum quod ſupra fauces eſt. Poſt haec Darius ponte ſublicio delectatus auctorem ejus Mandroclem Samium donavit* (*e*) *ſervis decem.* Jo. TZETZES *Chiliade* I. *hiſtor.* XXXI. *v.* 826.

Ὁ Μανδροκλῆς ὁ Σάμιος, ἀνὴρ ἦν ἀρχιτέκτων·
Ὃς τὸν Δαρεῖον μέλλοντα κατὰ Σκυθῶν ἐλαύνειν,
Ναυσὶ τὸν Ἑλλησπόντιον Βόσπορον γεφυρώσας,
Εἴτε περὶ τὴν Δάμαλιν, εἴτε καὶ τὸ Ἡραῖον,
Πρὸς τὴν Εὐρώπην σὺν στρατῷ τρισμυρίῳ ἐπείρασε.

Mandrocles ille Samius, vir erat architectus,
Qui Darium contra Scythas profecturum,
Navibus Helleſponto Boſporo tanquam ponte juncto,
Sive circa Damalim, ſive etiam Junonium,
In Europam exportavit copiis innumeris.

Idemque *hiſtor.* XXXII. *v.* 886. Mandroclem Samium τὸν Δαμαλίτην Βόσπορον γεφυρῶσαι, *Damaliten Boſporum ponte junxiſſe*, ſcribit. CTESIAS *cap.* 17. τριάκοντα δὲ ἀγείρας Δαρεῖος ὀγδοήκοντα μυριάδας, καὶ ζεύξας τὸν Βόσπορον καὶ τὸν Ἴστρον διέβη ἐπὶ Σκύθας. *Darius coacto exercitu octingentorum millium, & Boſporo atque Iſtro ponte juncto, ivit contra Scythas.* STRABO *libro* VII. *pag.* 469. (305.) de Iſtro: Ἐντεῦθεν γάρ ἐστι· μέγιστος δὲ τὸ πρὸς τῷ στόματι χρόνος ἀπ' ἀρχῆς...

(*a*) Ἐρετρίαν] In *ed. noviſſ.* legitur Ἐρετρίας. TR.
(*b*) In Heſychii loco ſenſus poſtulat, εἶδος ἐπὶ συγκλείσεως, vel ſimile quid. S. Heſychii locum corruptum vertere neglexi. L.
(*c*) Τῶν], τῶνδε ex *MS. Med.* reponit *Gronovius*, cujus vide *notas*, *pag.* 953. Idem paullo poſt ex eodem *Cod. MS.* pro διάνεον emendat διήνεον. TR.
(*d*) Χαλκηδονίης] Haec lectio eſt ex ed. *Sylburgii*: nam in prima auctoris editione legitur Καλχηδονίης: & ita quoque edidit Gronovius. TR.
(*e*) Verti *ſervis decem*, quia in Graeco eſt, πᾶσι δέκα. Sed non dubito, quin textus Graecus ſit corruptus. Valla vertit: *decuplo*. L.

λίμβον· δι' οὗ σταδίων ἀνάπλους ἐπὶ τὴν Πεύκην ἑκατὸν εἴκοσι, ἧς κατὰ τὸ κάτω μέρος, ἐποίησε τὸ ζεῦγμα Δαρεῖος. *Septem enim oſtia habet, quorum maximum eſt id, quod Sacrum dicitur, a quo ad Peucen ſubvectio eſt ſtadiorum centum & viginti: infra hanc ponte litora junxit Darius.* LUCIANUS in *Nerone, ſeu de perfoſſione Iſthmi, cap.* 2. *pag.* 637. *Tom.* III. καὶ τὸν Δαρεῖον, ὡς ὁ Βόσπορος ἐγεφυρώθη αὐτῷ ἐπὶ τοὺς Σκύθας. *Et Darium, ut a quo & Boſporus ponte junctus fuit, cum is contra Scythas proficiſceretur.* ARISTIDES *Oratione Platon.* I. *pag.* 56. *Tom.* II. Δαρεῖος μὲν τὸν Βόσφορον ζεύξας, ἐπὶ Σκύθας διέβη· Ξέρξης δὲ τὸν Ἑλλήσποντον ζεύξας, ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα. *Darius, Boſphoro ponte juncto, adverſus Scythas, Xerxes vero Helleſponto ponte juncto in Graeciam profectus eſt.* Admirabilem vero illam pontis, quo Xerxes Helleſpontum junxit, ſtructuram HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 36. deſcribit in hunc modum: Πεντηκοντέρους καὶ τριήρεας συνθέντες, ὑπὸ μὲν τὴν πρὸς τοῦ Εὐξείνου πόντου, ἑξήκοντά τε καὶ τριηκοσίας (a), τοῦ μὲν πόντου ἐπικαρσίας· τοῦ δ' Ἑλλησπόντου, κατὰ ῥόον, ἵνα ἀνακωχεύῃ τὸν τόνον τῶν ὅπλων. συνθέντες δὲ, ἀγκύρας (b) κατῆκαν περιμήκεας, τὰς μὲν, πρὸς τοῦ πόντου τῆς ἑτέρης, τῶν ἀνέμων εἵνεκα τῶν ἔσωθεν ἐκπνεόντων· τῆς δὲ ἑτέρης τὰς πρὸς ἑσπέρης τε καὶ τοῦ Αἰγαίου, εὔρου τε καὶ νότου εἵνεκα. διέκπλοον δὲ ὑπόφαυσιν κατέλιπον τῶν πεντηκοντέρων, καὶ τριηρέων, ἵνα καὶ ἐς τὸν πόντον ἔχῃ ὁ βουλόμενος πλέειν πλοίοισι λεπτοῖσι, καὶ ἐκ τοῦ πόντου ἔξω. ταῦτα δὲ ποιήσαντες, κατέτεινον ἐκ γῆς, στρεβλοῦντες ὄνοισι (c) ξυλίνοισι τὰ ὅπλα· οὐκέτι χωρὶς ἑκάτερα τάξαντες, ἀλλὰ δύο μὲν λευκολίνου δασάμενοι ἐς ἑκατέρην, τέσσερα δὲ τῶν βυβλίνων. παχύτης μὲν ἦν ἡ αὐτὴ, καὶ καλλονὴ, κατὰ λόγον δὲ ἦν ἐμβριθέστερα τὰ λίνεα, τοῦ τάλαντον ὁ πῆχυς εἷλκε. ἐπεὶ δὲ ἐγεφυρώθη ὁ πόρος, κορμοὺς ξύλων καταπρίσαντες, καὶ ποιήσαντες ἴσους τῆς σχεδίης τῷ εὔρεϊ, κόσμῳ ἐπετίθεσαν κατύπερθε τῶν ὅπλων τοῦ τόνου. θέντες δὲ ἐπεξῆς, ἐνθαῦτα αὖτις ἐπεζεύγνυον. ποιήσαντες δὲ ταῦτα, ὕλην ἐπεφόρησαν. κόσμῳ δὲ θέντες καὶ τὴν ὕλην, γῆν ἐπεφόρησαν. κατανάξαντες δὲ καὶ τὴν γῆν, φραγμὸν παρείρυσαν ἔνθεν καὶ ἔνθεν, ἵνα μὴ φοβέηται τὰ ὑποζύγια τὴν θάλασσαν ὑπερορῶντα, καὶ οἱ ἵπποι. (d) *Naves quinquaginta, item trium remorum, trecentas ſexaginta Euxinum verſus compoſuere: item ab altero latere trecentas quatuordecim, Ponto quidem tranſverſas, Helleſponto autem ſecundum defluxum, ut ſtabiliret ſunes armamentorum. Quibus compoſitis, praegrandes ancoras demiſerunt, partim ab hoc latere contra Pontum, ventorum cauſa, qui intrinſecus ſpirant: partim ab altero contra Veſperum & Aegeum, euri & auſtri cauſa: relicto ad auroram tribus in locis inter quinquaginta remorum naves tranſitu, ut qui vellet, in Pontum minutis navigiis ex eo Ponto navigare poſſet. His actis, contenderunt a terra armamenta, contorquentes machinamentis ligneis, non jam ſeparatim utraque, ſed bina ex albo lino hinc, quaterna e biblo illinc. Quorum quidem retinaculorum craſſitudo haec erat & ſpecies: ſed proportione linea, robuſtiora erant, quorum cubitus talentum pendebat. Porro trajectu pontibus juncto, codices lignorum diſciſſos & ad latitudinem ratis adaequatos apte inſtraverant ſuper armamenta intenta. Hos ubi gradatim diſpoſuerunt, tum vero rurſus deſuper innexuerunt. Quod poſteaquam fecere, materiam attulerunt, concinneque impoſuerunt, deinde ſuper materiam aggerem comportarunt: quo injecto ſepem hinc atque illinc, ne maris aſpectu jumenta & equi terrerentur, praetenderunt.* JOANN. TZETZES *Chil.* I. *Hiſtor.* XXXII. *v.* 893. de Xerxe:

Ἀντὶ μιᾶς γεφύρας δὲ δύο πελάγει ζεῦξαι·
Καὶ δὴ πλαγίας κατὰ ῥοῦν πληρώσαντες ὁλκάδας,
Ἀγκύραις τε σφίγξαντες, ὡς μένοιεν ἀσάλευτοι,
Ἀπὸ τῆς γῆς εἰς αὐτὴν τὴν γῆν τὴν ἀντιπεραίαν (e),
Σχοίνους φραγμώδεις εἵλκυσαν ἐπάνω τῶν ὁλκάδων
Ἕνα πρὸς πρώρην τῶν νεῶν, ἕτερον δὲ πρὸς πρύμνας.
Ὁ πηχυαῖος σχοῖνος δὲ, ταλαντιαῖος ἐν βάρει.
Τούτοις (f) καταντείναντες ἐκ γῆς τῆς ἑκατέρας,
Ξύλοις κορμοῖς ἀφησφάλισαν, ὡς ἐν (g) ἱπποστασίοις.
Οὕτω μὲν ἐγκρατύναντες τὸ ἔδαφος, τοῖς χοίνοις
Χειραγωγοῖς τὰ πλάγια, καὶ κλείσμασι φράξαντες,
Μήπως ἐκ τῶν πλαγίων τις εἰς θάλασσαν ἐμπέσοι.
Ἐπεὶ δ' ἀμφότεραι γεγόνασιν αἱ γέφυραι ζευχθεῖσαι,
Πολὺν τὸν χοῦν ἐγχέαντες κορμοῖς τοῖς ἐδαφίοις,
Γαιοῦσι ταύτας ἀκριβῶς.

Pro uno autem ponte duos jubet navibus conjungi.
Et ſane obliquas ſecundum alveum implentes naves,
Ancoriſque firmantes, ut manerent immotae,
A terra in terram, quae erat ex adverſo,
Rudentes horrendos traxerunt ſupra naves,
Unum ad proras navium, alterum vero ad puppes,
Cubitalis autem rudens trium talentorum erat pondere.
Hos cum extendiſſent ab terra utraque
Lignorum ſtipitibus affixerunt, ut in ſtabulis equorum.
Sic igitur cum munivissent pavimentum, funiculis
Manus dirigentibus latera, clauſtriſque muniunt,
Ne forte a lateribus in mare quis caderet:
Poſtquam autem ambo pontes ſuerunt conjuncti navibus,
Multum aggerem inſundentes, ſtipitibus ſubſtratis
Terra firmant probe.

At uti poſterioribus ſeculis pontes Perſae facerent, docet PROCOPIUS *libr.* II. *de bello Perſico cap.* XXI. *pag.* 317. (140.) his verbis: Ὁ μὲν οὖν Χοσρόης γέφυραν σὺν πολλῷ τάχει ξυμπηξάμενος, ποταμὸν Εὐφράτην ἐν τῷ αὐτίκα διέβη παντὶ τῷ στρατῷ. Πέρσαις γὰρ πόνῳ οὐδενὶ διαβατοὶ εἰσὶ ποταμοὶ ἅπαντες, ἐπεὶ αὐτοῖς ὁδῷ ἰοῦσιν ἀγκιστροειδῆ σιδήρια ἐν παρασκευῇ ἐστίν· οἷς δὴ ξύλα (h) μακρὰ ἐς ἄλληλα ἐναρμόζοντες, γέφυραν αὐτοσχεδιάζουσιν ἐκ τοῦ παραυτίκα, ὅπῃ ἂν σφίσι βουλομένοις εἴη. *Itaque Choſroes ponte mira celeritate compacto, Euphratem ſubito cum univerſo exercitu tranſgreſſus eſt. Et vero Perſae fluvios omnes nullo negotio tranſmittunt. Cum enim iter faciunt, in bellico* ſu-

(a) Τριηκοσίας] Gronovius ex *MS. Med.* inſerit: ὑπὸ δὲ τὴν ἑτέρην τεσσερεσκαίδεκα καὶ τριηκοσίας, quae verba *Valla* in ſuis etiam *Codd.* invenit, ut ex verſione patet. TR.

(b) Melius κατῆκαν, Ionica ſc. aſpirationis detractione pro καθῆκαν, a καθίημι, *demitto.* S.

(c) Ὄνοισι] ὄνοισι repoſuit *Jac. Gronovius* ex ſaepe laudato MS. & paullo poſt ὀνοισι, pro ὄνοι. TR.

(d) Valla vertit, Bruemes, & hic, & mox iterum. L.

(e) Ἀντιπεραίαν] Haec lectio eſt a manu Sylburgii, nam in auctoris prima editione legitur ἀντιπεραίων; & ita etiam in editis inveni. TR.

(f) Τούτοις] Poſt hanc vocem in Sylburgii editione inſeritur γοῦν, quam particulam delevi, quia neque in editis, neque in prima auctoris editione legitur. TR.

(g) Superior editio ὑποστασίοις, nempe a ſubſiſtendo, noſtrum ἱπποστασίοις petitum e Tzetzis editione, id eſt, *equorum ſtabulis.* S.

(h) Haud ſcio, an verius, μακρὰ, *longa ligna.* S. Ita quoque legitur in *noviſſ. edd.* auctoris tamen lectio in margine poſita eſt. Sic etiam paullo poſt in textu legitur ἐναρμόζοντες; in margine vero ἐναρμόζοντες. TR.

inſtrumenta uncos ferreos paratos habent; quibus ligna aptantes, ubivis pontem ex tempore conſtruunt.

XCVIII. Enimvero uti ira animique perturbatione incitatus in Gyndem amnem Cyrus, injuriam, quam ab eo ſeſe accepiſſe crediderat, ultus ſit, bellumque indictum hoſti, ſtulte cum flumine geſſerit, venuſte ac lepide exponit SENECA *libr.* III. *de Ira*, *cap.* XXI. de Cyro ſic loquens: *Nam cum Babylonem oppugnaturus feſtinaret ad bellum, cujus maxima momenta in occaſionibus ſunt, Gyndem late fuſum amnem vada tranſire tentavit: quod vix tutum eſt etiam cum ſenſit aeſtatem, & ad minimum deductus eſt. Ibi unus ex his Equis, qui trahere Regium currum albi ſolebant, abreptus, vehementer commovit Regem. Juravit itaque amnem illum, Regis equis meatum auferentem, eo ſe redacturum, ut tranſiri calcarique etiam a feminis poſſet. Huc deinde omnem tranſtulit belli apparatum, & tamdiu aſſedit operi, donec* C. *&* LXXX. *cuniculis diviſum alveum,* CCC. *&* LX. *rivos diſpergeret, & ſiccum relinqueret, in diverſum fluentibus aquis.* Quae ille ex Graeco fonte HERODOTI hauſit, cujus ex *libr.* I. *cap.* 189. verba, ut Graeca Latinis comparentur, ſubjicienda cenſui. Ea ſic habent: Τέως δὲ Γύνδην ποταμὸν ἐς Βαβυλῶνα ἐπορεύετο ὁ Κῦρος, ἰόντα τοῦτον περαιοῦν, ἐνθαῦτά οἱ τῶν τις ἱρῶν ἵππων τῶν λευκῶν, ὑπὸ ὕβριος ἐσβὰς ἐς τὸν ποταμὸν, διαβαίνειν ἐπειρᾶτο. ὁ δέ μιν συμψήσας, ὑποβρύχιον οἰχώκεε φέρων. κάρτα δὴ ἐχαλέπαινε τῷ ποταμῷ ὁ Κῦρος (*a*) τοῦτο ὑβρίσαντι· καί οἱ ἐπηπείλησε, οὕτω δή μιν ἀσθενέα ποιήσειν, ὥστε τοῦ λοιποῦ καὶ γυναῖκάς μιν εὐπετέως, τὸ γόνυ μὴ (*b*) βρεχούσας, διαβήσεσθαι. μετὰ δὲ τὴν ἀπειλὴν, μετεὶς τὴν ἐπὶ Βαβυλῶνα στράτευσιν, διαίρεε τὴν στρατιὴν δίχα, διελὼν δὲ, κατέτεινε σχοινοτενέας ὑποδέξας διώρυχας ὀγδώκοντα καὶ ἑκατὸν, παρ' ἑκάτερον τὸ χεῖλος τοῦ Γύνδεω τετραμμένας πάντα τρόπον.

XCIX. Verum fas ne ſit, addubito, venia prius tanquam ab Edicto Praetoris impetrata, Senecam in hujus loci verſione incuriae reum agere, qui, quos Herodotus ἱροὺς ἵππους, vertit *equos qui trahere regium currum albi ſolebant*, contra Herodoti, ut exiſtimo, mentem, qui non de Regii currus equis, ſed de Sacris equis albis, qui Regem, quaqua iter faceret, antecedebant, ſenſiſſe videtur. Sic enim ille *libr.* VII. *cap.* 40. Μετὰ δὲ ἵπποι Νισαῖοι καλεόμενοι ἵπποι δέκα, κεκοσμημένοι ὡς κάλλιστα. *Poſt ſacri equi decem, Niſaei dicti, quam pulcherrime ornati.* Et mox: Ὄπισθε δὲ τούτων τῶν δέκα ἵππων, ἅρμα Διὸς ἱρὸν ἐπετέτακτο, τὸ ἵπποι μὲν εἷλκον λευκοὶ ὀκτώ· ὄπισθε δὲ τῶν ἵππων εἵπετο πεζῇ ἡνίοχος, ἐχόμενος τῶν χαλινῶν, οὐδεὶς γὰρ δὴ ἐπὶ τοῦτον τὸν θρόνον ἀνθρώπων ἀναβαίνει, τούτου δὲ ὄπισθε αὐτὸς Ξέρξης ἐπ' ἅρματος ἵππων Νισαίων. *Hos decem equos ſequebatur ſacer Jovis currus, quem octo equi albi trahebant, pone auriga comitante, qui pedibus ingrediens habenas tenebat. hanc enim ſellam nemo mortalium inſcendit. Poſt quem ipſe Xerxes vehebatur curru equorum Niſaeorum.* Et alio ejuſdem libri loco (*c*), *cap.* 55. Ἅρμα τὸ ἱρόν· ἐπὶ δὲ, αὐτός τε Ξέρξης, καὶ οἱ αἰχμοφόροι, καὶ οἱ ἱππόται οἱ χίλιοι. *Ac ſacer currus, tum ipſe Xerxes, poſt haſtati, & mille equites.* CURTIUS *lib.* III. *cap.* 3. §. II. *Currum deinde Jovi ſacratum albentes vehebant equi: hos eximiae magnitudinis Equus, quem Solis appellabant, ſequebatur.*

C. Verum uti montem Athon Xerxes perfoderit, HERODOTUS *libr.* VII. *cap.* 23. explicat his verbis: Δασάμενοι τὸν χῶρον οἱ βάρβαροι κατὰ ἔθνεα, κατὰ Σάνην πόλιν σχοινοτενὲς ποιησάμενοι. ἐπεὶ δὲ ἐγίνετο βαθέα ἡ διώρυξ, οἱ μὲν κατώτατα ἑστεῶτες ὤρυσσον· ἕτεροι δὲ, παρεδίδοσαν τὸν αἰεὶ ἐξορυσσόμενον χοῦν, ἄλλοισι κατύπερθε ἑστεῶσι ἐπὶ βάθρων. οἱ δ' αὖ ἐκδεκόμενοι, ἑτέροισι, ἕως ἀπίκοντο ἐς τοὺς ἀνωτάτω· οὗτοι δὲ, ἐξεφόρεόν τε καὶ ἐξέβαλλον. τοῖσι μέν νυν ἄλλοισι, πλὴν Φοινίκων, καταῤῥηγνύμενοι οἱ κρημνοὶ τοῦ ὀρύγματος, πόνον διπλήσιον παρεῖχον, ἅτε γὰρ τοῦ τε ἄνω στόματος καὶ τοῦ κάτω τὰ αὐτὰ μέτρα ποιευμένων, ἔμελλέ σφι τοιοῦτο ἀποβήσεσθαι. οἱ δὲ Φοίνικες, σοφίην ἔν τε τοῖσι ἄλλοισι ἔργοισι ἀποδείκνυνται, καὶ δὴ καὶ ἐν ἐκείνῳ. ἀπολαχόντες γὰρ μόριον ὅσον αὐτοῖσι ἐπέβαλλε, ὤρυσσον, τὸ μὲν ἄνω στόμα τῆς διώρυχος ποιεῦντες διπλήσιον, ἢ ὅσον ἔδει αὐτὴν τὴν διώρυχα γενέσθαι. *Barbari locum nationatim diſtribuebant, recto limite Sanam verſus. Poſteaquam depreſſa erat foſſa, ab iis, qui in imo fodiebant, alii humum effoſſam aſſidue tradebant, aliis ſuper ſcalas ſtantibus: & iſti excipientes tradebant deinceps aliis, dum ad ſummos perveniebatur, qui illam efferebant atque adjiciebant. Qua in re praerupta praecipitia foſſa duplicem laborem illis, praeterquam Phoenicibus praebebant nam quum eandem facerent foſſae menſuram ſuperius in ore, quam inferius in fundo, id neceſſe fuit contingere. At Phoenices cum aliis in rebus, tum vero in illa prudentiam ſuam declaraverunt: qui partem, quae ſibi contigerat, ita excavarunt, ut os foſſae duplum eſſet, quam ipſam foſſam eſſe oportebat.* Sed & verberibus coactos foſſores acriter operi incumbere, ibidem *cap.* 21. HERODOTUS ſcribit. Idem alias eodem libro (*d*) Xerxem circa Athon aggeres ad fauces foſſae congeſſiſſe, propter aeſtuaria maris, ne ipſae fauces alvei obſtruerentur, refert.

CI. Naves autem Perſas olim habuiſſe, Longas, Actuarias, Onerarias, & quaſdam, quae Equos, impedimentaque veherent, alias, quae vectores trajicerent, ex HERODOTO conſtat. Is enim *libr.* VI. *cap.* 48. Darium refert, miſſis in ſuas maritimas tributarias provincias praeconibus, imperaſſe νέας τε μακρὰς, καὶ ἱππαγωγὰ πλοῖα ποιέεσθαι. *Ut naves longas, & naves ad vectandos equos fabricarent.* Et *libr.* VII. *cap.* 21. Τοῖσι δὲ ἱππαγωγὰ πλοῖα, ἅμα στρατευομένοισι· τοῖσι δὲ, ἐς τὰς γεφύρας, μακρὰς νέας παρέχειν (*e*), ἄλλα ἄλλῃ ἀγινέοντας, ὁλκάσι τε καὶ πορθμηίοισι, ἀπὸ τῆς Ἀσίης πανταχόθεν. *Aliis ut navigia ad vectandos equos eorum, qui una militabant: aliis ut naves longas in uſum pontium praeſtarent, (f) (item imperatum erat) ut alius alia via res alias comportaret undique ex Aſia navibus onerariis & vectoriis.* Navium vero harum quaſdam triginta, quaſdam quinquaginta Remorum numero fuiſſe, idem HERODOTUS eodem *libr.* *cap.* 97. teſtis eſt. Ait enim: Τριηκόντεροι δὲ καὶ πεντηκόντεροι, καὶ κέρκουροι, καὶ ἱππαγωγὰ πλοῖα (*g*) μακρά.

(*a*) Rectius fortaſſe, τὸν ὑβρίσαντα, accuſ. caſu, qui iſtam ei fecerat injuriam, τῷ tamen eſt etiam in vulg. edit. 48, 21. S.

(*b*) Μὴ] In noviſſ. ed. legitur δ. TR.

(*c*) LOCO] Addenda verba praecedentia, ut pote majorem facientia: μετὰ δὲ τοῦτο ἵπποι οἱ ἱροὶ, καὶ τὸ ἅρμα &c. *Dehinc equi ſacri* &c. TR.

(*d*) LIBRO] Intelligit forte auctor locum *cap.* 122, TR.

(*e*) Παρέχειν] ſequentia verba non immediate cum praecedentibus cohaerent, ſed leguntur infra *cap* 25. TR.

(*f*) Verba haec parentheſi incluſa, addere debui, quod verba ſequentia apud Herod. priorib. non immediate cohaereant vid. Herodot. l. 7. p. 250. edit. H. Steph. L.

(*g*) Μακρὰ legitur etiam in vulg. ed. 262, 12. ſed verius fortaſſe, μακρὰ, *longa navigia equis vehendis*, aliam lectionem ſecutus eſt Valla, qui vertit, *actuaria navigia & alia minuta, cum hippagogia quae equos vehunt.* quaſi

